IOANNIS RIOLANI AMBIANI,

MEDICI PARISIENSIS, VIRI CLARISSIMI,

OPERA OMNIA.

TAM HACTENVS EDITA, quàm Postuma, Authoris postremâ manu exarata & exornata:

QVIBVS VNIVERSAM MEDICINAM fideliter & accuratè descripsit, atque illustrauit.

PARISIIS,
Ex Officina PLANTINIANA,
Apud HADRIANVM PERIER,
via Iacobæa.

M. DC. X.

Cum priuilegio sacræ Cæsareæ Maiestatis, & Christ. Gall. Regis.

INVICTISSIMO ET CHRISTIANISSIMO GALLIARVM ET NAVARRÆ REGI, HENRICO IIII.

Ioannes Riolanus.

VPPLEX ad pedes tuos prouolutus, cum summo cultu & debita veneratione parentis mei Opus Medicum, Tuæ Maiestati offero, REX POTENTISSIME, quod tuam tuique populi vitam sartam tectam quantum ars humana potest conseruare docet, simulque à nostris ceruicibus coniuratos vitæ hostes depellere pollicetur. Magnum opus & Tua Maiestate dignum. Quid enim in hac pacis vsura tã suaui & benigna, maius sperare vel exoptare possumus quàm corporis sanitatem? qua per te fruentur omnes tui subditi, si patiare tuis auspicijs nouam hanc Medicinam in publicum exire. Reges olim non minorem sanitatis quàm belli curam habuerunt,

Rex Anius, Rex idem hominum Phœbique Sacerdos,

In AEgypto Reges omnes erant Medici, Chamsuenus, Osyris Medicinam cum militia coniunxerunt, ipsique Reges ea Medicinæ ministeria præstabant, quæ ab alijs sordida iudicantur, propria manu secantes corpora mortuorum ad scrutandos morbos. Et quod dignum admiratione videtur, in eodem templo Vulcani Arma & Medicamenta recondebantur, aperta professione principibus & bellatoribus strenuis Medicinæ studium conuenire. Apud Græcos Medicina non inferiores honores adepta est: solis enim Principibus ius & exercitium Medicinæ concedebatur. Apud Homerum Principes tantùm Medicinam exercent, Vlysses Diomedi sagittam extrahit, Polypus Sarpedoni, Patroclus Eurypilo. Non erubuit Achilles Telephi vulnus manu contrectare, & inspersa ærugine percurare. Neque sua maiestate indignum putauit Alexander, amicis laborantibus Medicinam facere. Nec puduit Herculem Medicinæ studio vacare, cuius ope Alcestem grauiter ægrotantem ac fermè desperatam pristinæ valetudini restituit. Cyrus sibi laudi

tribuit quòd ſemper ſtudioſè prouiderit, ne Medicis vrbes deſtituerentur: quia Principis intereſt ſubditos mente & corpore bene valere. Quod cum probè cognoſcerent Cæſares edicto iuſſerunt, vt Metropolitanæ vrbes decem Medicos, Medioxumæ ſeptem, Minimæ quinque ex ærario publico alerent. Tu Cyro & Cæſaribus maiora præſtabis, REX INVICTISSIME, huius libri approbatione, Nam ſingulis ad quos perueniet, Medicum Regis authoritate confirmatum dabis, atque ipſis Medicis conſultorem alium adiunges: Tibique omnes acceptam referent quam ex eo conſequentur vtilitatem. Sacris literis conſignatum eſt à Deo omnem medelam emanare, & à Rege donationem accipere. Populo tuò lætius diſtribuetur hæc Medicina, ſi tuo nomine & præſidio munita in apertam lucem prodierit. Solent ſubditi non tantum mores ad exemplum Principis componere, verumetiam ipſum viuendi ac medicandi genus religioſè imitari, vtatur Principes hac vel illa Medicina, confeſtim ab omnibus laudabitur, expetetur & vſurpabitur. Quod ſi Tua Maieſtas hunc Librum Medicum approbauerit, ſub Tuo Imperio natum ac formatum, atque ab eo profectum cui tuorum Liberorum valetudinem commiſiſti, Authori æternam gloriam conciliabis, tuiſque ſubditis rectam medendi rationem trades: & pro tanta beneficentia filius Authoris, Tuus in Medicina profeſſor religioſum votum faciet, quod Valgius olim Medicus eruditione ſpectatus Diuo Auguſto nuncupauit, VT OMNIBVS MALIS HVMANIS NOSTRI POTISSIMVM PRINCIPIS ET REGIS SEMPER MEDICETVR MAIESTAS.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

RÆCLARVM est de Republica bene mereti, eamque consilio & opera iuuare. Ea mens omnibus bonis ciuibus esse debet, hic scopus ad quem suas quisq; actiones & cogitationes referat. Quod cum mihi ab ineunte ætate multorum præceptis multisque litteris persuasissem, nihil in vita tantopere expetiui, quam Reipublicæ aliqua ex parte prodesse, neque videri ita me litteris abdidisse, vt nihil possem ex his neque ad communem afferre fructum, neque in aspectum lucemque proferre. Cuius explendi desiderij magnam opportunitatem attulit susceptum vitæ genus, & excolendæ Medicinæ studium, quod paterna virtute tanquam Miltiadis trophæis magis excitatum, me quamprimum ad similes labores suscipiendos inflamauit spreto parentis consilio. Eum temerè famam suam periclitari, qui dum in terris agit aliquem sui ingenij fructuum in lucem emittit. Virtutem incolumen odimus, sublatam ex oculis quærimus inuidi. Quod malignitatis humanæ vitium cum sit omnibus artibus innatum ac veluti familiare, eminentius tamen in Medicina enitet, quæ tota simultatibus & odijs plena est. Raro videbis Medicum alterius nomen extollentem, multo plures obtrectatione alienæ scientiæ sibi famam aucupates. Hippocrates vir extra omnem ingenij aleam positus, liuidorum morsus euitare non potuit, maioremque reprehensionem ex Medicina quã honorem se consecutum fuisse conquetitur, quoniam inquit calculorum suffragia stupidis attribuuntur, neq; ægrotantes simul approbare volunt, neque eiusdem artis socij testimonio confirmare, cũ inuidia obstet. ἀναισθήτοις γὰρ εἰσὶν αἱ ψῆφοι, οὔτε δ' οἱ πάσχοντες συνόμιλοι εἶναι θέλουσιν, οὔτε οἱ ὁμότεχνοῦντες μαρτυρεῖν. φθόνος γὰρ ἀνθίσταται. Galenus annum agens trigesimum Romæ Medicinam publicè docebat, cum autem videret tot æmulos qui si Medicus alius laudatetur inuiderent, moxque illum Logiatrum exclamarent, linguamque professoriam obijcetent: vt inuidam istorum linguam declinaret ab officio docendi destitit, sibi soli & Musis canens. Quamuis patens meus dum viueret hanc iudiciorum aleam reformidarit, nihilominus assiduis discipulorum compellationibus coactus, atque amicorum precibus victus: permisit suas lectiones quas priuatim docuerat publicas fieri, quæ si viuente authore magno cum applausu exceptæ fuerunt, spero post obitum maiorem honorem adepturas, præsertim cum postrema ipsius manu fictæ & exornatæ prodeant, atque multis partibus amplificatæ. Vt mihi nunc tantum sit pertimescendum de

meæ famę periculo, quam varijs reprehensionibus obnoxiam prævideo, quibus tamen occurrendum esse duxi, vt effrenem istorum hominum linguã coerceam. Si quis temerarium cẽseat, quod parentes mei Medicinam Anatome destitutam, huius additione locupletauerim perfectioremque reddiderim; Si quis obijciat eos labores similes esse Apellis Veneri, quam ille imperfectam reliquerat morte interceptus, nemine inuento qui succederet operi ad præscripta lineamenta. Si quis ægrè ferat quod magna fiducia meam Anatomen præposuerim, & in limine libri collocauerim. Sciat ille quicunque fuerit me paternæ professionis hæredem de libris parentis, ceu de patrimonio disponere, mihique licere fundum paternum arare, fodere, & si possim, amplificare. Quis igitur in me antipelargiam criminabitur, si corpus Medicinæ, quod Pater meus imperfectum reliquit, perficiam, suisque partibus absoluam? Nec sola deest Anatome, sed Pharmacia, & Diæta ægrorum desiderantur, quas Medicinæ curatricis partes secundo volumine suppleui; quibus subiunxi parentis mei librum de morbis puerorum, & Chymica opuscula dimidiò aucta: vt habeat Medicinæ studiosus vniuersam artem facili & accurata methodo descriptam, quam si liceat vt vinum ex soli fœcunditate commendare, tibi gratior esse debet, cum in Academia Parisiensi formata & elucubrata fuerit, qua toto terrarum orbe nulla præstantior est, in qua Philosophiæ ac Medicinę controuersię doctis crebrisque disputationibus dirimi, aut pluribus artis operibus noua simul ac vetera probari, examinarique possint. Idque propter summam vrbis tum celebritatem, tum frequentiam, in quam non è Gallia modò, verumetiam ex omnibus propemodum Europę regionibus admirabiles ac sępe inauditi morbi vel curandi, vel dijudicandi perferuntur. Itaque iure & citrà inuidiam de Lutetia affirmare possum, quod Galenus de Roma pronuntiauit: Plures in vico ciuitatis Romanæ reperiri ægrotantes, quàm in maioribus Gręciæ vrbibus, quarum meminit Hippocrates; In quibus semel humeri luxationem in anteriora vidit, quam Galenus quinquies Romæ obseruauerat. Sed relicta fundi Parisini laudatione, vt vini bonitas nulla certiore nota, quàm gustu exploratur; Sic huius libri doctrina melius oculis discernetur, plenius assiduè legenti responsura.

Extraict du Priuilege du Roy.

PAR grace & Priuilege du Roy, il est permis à ADRIAN PERIER Marchand Libraire à Paris, d'imprimer ou faire imprimer, & exposer en vente, le liure intitulé, *Ioannis Riolani Medici Parisiensis Opera Omnia*, & defenses son faictes à tous Libraires, Imprimeurs, & autres, d'imprimer ou faire imprimer, vendre ny distribuer lesdits Liures d'autre impression, que de celle dudict Perier, iusques à dix ans finis & accomplis, sur peine de confiscation desdicts liures & de mille escus d'amende, & de tous despens, dommages & interests, comme plus amplement est contenu & declaré par Lettres sur ce donnees à Paris, le 13. iour de May, l'an de grace mil six cens & neuf.

Par le Roy en son Conseil.

BRIGARD.

ÆTATIS
62.
1600.

EFFIGIES IOANNIS RIOLANI
Medici Parisiensis obiit ætatis
66. anno salutis 1605. die 18. Octobris.

I. Halbeeck fecit.

ANATOME
CORPORIS
HVMANI;

PER

IOANNEM RIOLANVM
Filium Anatomicum
Regium.

★



AD INSIGNIA ILLVSTRISSIMI DVCIS SVLLII
Paris Franciæ, arci Vrbis et
armamentario præfecti.



Firma manete loco nulli, cessura Deorum,
Stemmata Bethunidûm: Sic uos Capitolia nostra,
TERMINVS ut quondam Tarpeïa saxa tenete
Æternûmque Jouis Franci seruate penates.

I. briot fe.

G. Crittony J: C. et Profess. Reg.

ILLVSTRISSIMO
AC GENEROSISSIMO
DVCI MAXIMILIANO BETHVNO,

FRANCIÆ PARI, OMNI ARMAMENTARIO & Ærario Gallico, Regijsque operibus Præfecto, Pictonensis Prouinciæ Proregi, Litteratorum Mœcenati Summo,

Ioannes Riolanus

Suam Anatomen submissè donat & addicit.

VOD præluſtribus tantum ingenijs, & ad magna natis contingit, Princeps Illuſtriſsime, vt hominum expectationem virtute vincant, id tibi, à quo maximis aulæ miniſterijs te immiſcuiſti, vel inuidia fatente, contingit. Nam cùm ex te ſperaretur id vnum, vt rem fiſci negligentiùs adminiſtratam in integrum reſtitueres, vt omni bellico inſtrumento armamentarium, ærarium belli neruis inſtrueres: tua virtus anguſtijs hiſce non ſe continuit, ſed vlterius progreſſa portus multos & naualia noua molis aggeribus ſepſit, fluminibus inſtrauit pontes, publicas muniuit vias, nec concluſa Galliarum finibus tranſmiſit Oceanum, & ad extinguendam veterum inimicitiarum fauillam, ſtabilémque concordiam cum vicinis ſanciendam, legationem opportunam obijt. Cumque iam tibi ſat laudis ex hac bellici apparatus ac regiorum operum procuratione acceſsiſſet, ſpatiandum tamen vlteriùs duxiſti: & ne vlla Regni pars, vlla hominum conditio paulò fructuoſior tuæ virtutis opem non ſentiret, nuper de dotando largioribus ſtipendijs Profeſſorum collegio, & hoſpitandis regiè, magnificéque Muſis conſilium inijſti: benigniſſimóque Principi auctor fuiſti, vt dignum fortuna ſua vrbíſque amplitudine Athenæum erigeret. Quo nomine deuinxiſti tibi non Gallos duntaxat, ſed exteros omnes humanioris culturæ & ingenij locupletandi cupidos, quos Academiæ fama per te reuiuiſcentis Lutetiam trahet, tanquam ad mercaturam bonarum literarum. In

cuius beneficij gratiam, nemo collegarum meorum est, qui non tibi vt collegij Regalis instauratori gratias agere gestiat, & ingenij sui partum aliquem iam despondeat. Cum autem præ manibus haberem opus Anatomicum meæ professionis primitias: existimaui tibi huius otij & laboris authori iure deberi. Ideoque humanitate tua fretus Celsitudini tuæ offero Anatomici Sacrificij aram, & comitem aræ victimam, vulgi opinione fortaßis leuem, sed quam Galenus noster omnibus Hecatombis, & sacris Eleusinijs ac Samothracijs præferre non dubitauit. Tantum nobis deest Templum siue Theatrum, in quo Sacrificium Anatomicum celebretur & peragatur. Id in augusto & vere Regio Collegio quod meditaris ædificari poterit. Optarem quoque Hortum Regium extrui omni plantarum genere consitum, vt cum ipsis repullulantibus ac reuirescentibus quotannis gloria Bethuni rediuiua fiat, & quantum trunci tantum sua nomina crescant. Fuit quondam hic Regum ambitus nominibus suis herbas adoptandi, vt res tanta videretur herbam inuenire ac vitam iuuare. Si tuo beneficio herbæ omnes in vnum locum collectæ spectatißimè proueniant, antiquum nomen abijcient, vt tuum accipiant: & in his terris inscripti nomina Regum nascentur flores. Studiosi verò Medicinæ earum conspectu recreati & instructi, salutiferas decerpent ad struendas tortiles nexu Ogygio corollas, quibus redimitus morborum impetus eludes, vitamque incolumem in annos Nestoreos produces. Ego verò Regis magnificentiam Cæsaris liberalitate maiorem non cessabo prædicare, qui in Creta Rizotomos alebat, vt plantis illic sponte nascentibus Romana ciuitas abundaret, si per te hortum Regium obtineamus, herbis omnibus quas noster & alter orbis expromit instructißimum. Interea vt extet pignus aliquod meæ obseruantiæ, Liturgiam Anatomicam, tanquam hymnum & Epodon tibi Musarum Parenti, Professorum Regiorum Deo tutelari religiosè dico & consecro. Dum maiora parturio, nouam Pharmaciam fermè ducentis erroribus expurgatam adorno, quam sub tuo illustri nomine apparere vehementer efflagitarem, si tenuem hunc laborem tibi non displicuisse cognouerim.

A

PRAEFATIO AD LECTOREM.

B

VI libros liberis, eorumque fœturam liberorum genituræ comparauit, vtriusq; naturam complexus est. Vt insanus amor est genitoris erga filium, paternaque affectio tam immensa, vt nati vitio prauaq; indole numquam deleri possit; Si profugus abierit absentis succurrit imago, reuersum excipit hospitio, quẽ postea compedibus vinctũ & carcere clausũ detinet, donec crebra exhortatione ad meliorem frugẽ redierit. Cõsimilis est authoris in librũ affectus. Hunc si pessimum agnoscat, pœniteatque genuisse, atq; libertate publica donasse:
C cum vbiq; locorum distractus ac peruagatus, in musęum authoris remigrat, vt nouam ab eo missionẽ impetret; tum omni arte & industria studet ac enititur illius defectus emendare, atq; resarcire: nec patitur in lucem & conspectum redire, nisi perpolitum & diligenter exornatũ, atque cum fœnore auctum. Nuper cum ex meis lectionibus collectus & cõcinnatus liber Anatomicus in vulgus emanasset, mihi non valde gratus, nec meo voto exactè respondẽs; tum exemplum Aquilę mihi proposueram, quę implumes etiamnũ suos pullos percutiens, subinde cogit aduersos intueri Solis radios; & si conniuentẽ nictantemq; animaduertit, pręcipitat è nido velut adulterinum atq; degenerem, illum verò
D cuius acies firma contra steterit educat. Fœtum hunc ingenij prematurum & abortiuum ea sorte & conditione in apertam lucem eduxeram, vt si acutissimis eruditorum ingeniorum radijs occœcatus sui nominis iacturam faceret, tanquam adulterinus & ab auita virtute degenerans flammis aboleretur. Nunc cum aspiciam doctissimorum hominum cõspectu dignatum fuisse, quorum aciem & censuræ aleam intrepidè sustinuit: cumque videam ex vndis & fluctibus inuidię tanquam legitimos Germanorum natos e Rheno fluuio fœliciter emersisse, sine vllo famę naufragio: Spem aliquam de eo concepi, nec veluti spurium & degene-
E rem prorsus abdicandum esse duxi. Non contentus tamen priore forma & habitu, illum noua meditatione & lima recognoui, perpoliui, atque recentaui, melioremque effinxi: vt iam non pudeat me huius libri parentem & authorem nuncupare. Sed forsan aliquis mirabitur, cur post tot támque egregios Anatomicos ausim aliquid de re Anatomica commentari, & in lucem proferre, cum iam recentiorum opera & industria tantum perfectionis fastigium adepta videatur, vt posteris prærepta sit noui aliquid inueniendi gloria. Priorum vestigia premere, & eadem inculcare ridiculum est, nec probat Galenus commentarium Anatomicum nisi noui aliquid contineat. Pigri est ingenij contentum esse ijs quæ sunt ab alijs inuenta, siquidem mentis acrimoniæ nihil non humanarũ rerum *Lib. 8. admin. Ana. cap. 2.*

ſubijcitur, ait Quintilianus. Quid igitur ſpetate poſſum de meo libro, qui tenui ſtylo ſcriptus eſt, & ad exemplar aliorum conformatus? Multis fortaſſe ieiunus & ſterilis apparebit, non propterea mœſtus amicum deſpondebo, manúmque de tabula tollam aliquid inueniendi deſpetatione, aut ſpartam quam nactus ſum exornandi impotentia: inexhauſti ſunt naturę theſauri & inexplicabilis eius ſapientia, ita vt quæ de ea quotidie in lucem proferuntur, viam ptæparent ad ſuccedentia inueſtiganda. A Adeo verum eſt quod Aratus ptodidit non omnia ſimul edoctos à Ioue, ſed adhuc pleraque occulta manere, quorum aliqua dabit in poſterum. Habet ſcilicet natuta ſcientiarum theſauros innumerabiles, qui nullis ætatibus exhauriri poſſunt. Galenus lib. 10. de vſu partium cap. 10. naturæ B ſolertiam in humani corporis fabrica tantã eſſe ptędicat, vt cũ eam tanti viri tandiu perſcrutati ſint, non omnem tamẽ inuenerint; Potro ſi conſideres eandem eſſe noſtri corporis fabricam quę fuit olim, iteratã crambem in eo excuſabis, qui vniuerſi corporis Anatomẽ deſcriptutus eſt: At ſi nouas obſeruationes cũ veteribus, poſteriores cum priotibus confetas, nouam nec inutilem noſtram opellã iudicabis: quã tyronibus εἰσαγομένοις dicatam cupio. Cum enim mihi ex officio incũbat quotannis Anatomen publicè demonſtrate, meam methodum iam à quinq; annis auditoribus meis dictatam, nũc à quibuſdam auidè expetitam publici iuris facio, vt C meis diſcipulis tam pręſentibus quàm futuris inſeruiat, dum in publico theatro corpus humanũ diſſecamus. Videbam à ſtudioſis medicinæ deſiderati breuem & facilem Iſagogem rei Anatomicę ad vſum Scholę Patiſienſis inſtitutam, quam in theatris priuatiſq; diſſectionibus intueri poſſent. Syluius noſter eo fine & conſilio ſuam Iſagogẽ ediderat, vt cõfuſionem illam quę in muſculis, venis, atterijs & neruis reperitur euolueret, & explicaret: ſed proh dolor! imperfecta Anatome deceſſit è viuis fatorum inuidia, & magno reipublicæ detrimẽto. Eius auditor, clariſſimus Mateſcotius quondam noſtrę ſcolæ oraculum, Syluij Anatomẽ expoliuit, eius D fœlicitatem adeptus in nominãdis muſculis laryngis, phrayngis, linguę, oſſis hyoidis quorum nomina ab exteris, & recentioribus diligentet exſcripta ſunt. Eadem ętate florebat in Italia Veſalius auditor Syluij, fœcundus artifex ſi non arrogantiùs & inſolẽtiùs vſus fuiſſet artis gloria: qui accuratè hanc partem tractauit, ſed ptolixiùs & obſcuriùs quàm vt à rudioribus Anatomicis intelligi poſſit. Nec tamen manifeſtis erroribus vacat; Non vereborigitur de hac parte liberè pronũtiare quod Plinius de lineis extremis Pictutę, in quibus ſumma eſt ſubtilitas: Corpora enim pingere & media terum eſt quidem magni operis, ſed in quo multi gloriam tulerint, extrema cotporum facere, & deſinentis picturę modũ includere, E rarum in ſucceſſu artis inuenitur; ita facile eſt vetres ſecare & viſcerũ compoſitionẽ retexere, muſculos autẽ, venas, arterias, optimè tractare paucis adhuc Anatomicis contigit. Sed nõ ſum adeo Suffenus vt mihi hanc gloriã velim arrogare, nec dubitamus multa eſſe quę nos pręterierint, equidem ad ornatũ & ſplendorem huius artis meum talentũ contuli, aliorum Anatomicorũ libris adiutus, quos ſępiſſimè nominaui, vt plagij crimen euitarem: Benignũ enim & plenum ingenui pudoris ſemper exiſtimaui cum Plinio, fateri per quos profeceris; Obnoxij veto animi & infœlicis ingenij eſt, deprehendi in furto malle quàm mutuum reddere, cum præſertim

Veſalius ſe diſcipulum profitetur Syluij lib. de radice Chinæ.

Lib. 35. cap. 10.

In præfat. ad Veſpaſianum.

presertim sors fiat ex vsura. Omnes itaque Anatomicos legi, consului
A inter se comparaui, & quod vtile & veritati consentaneum mihi videbatur decerpsi, collegi, & in meum succum conuerti. Nec tantum libris credidi, quantùm oculis fidelibus rerum anatomicarum internuntiis: melius enim αὐτοψία comparatur Anatome, quàm longa lectione & profunda meditatione. Eupompus pictor egregius dicere solebat, non artificem, sed naturam ipsam imitandam esse. Nihil itaque à me dictum inuenies, quod non in corpore humano diligenti αὐτοψίᾳ indagauerim. Vtinam qui ad scribendum animum appellunt, ea diligentia & synceritate vterentur: Nec aliorum mente & voce plerum-
B que falsa loquerentur, Non tot falsis opinionibus conspurcata esset Anatome, in qua multa sæpè fallacissimo experimento deprehenduntur, quia dignitate indagare vera pudeat; ignorantiæ pudore mentiri non piget: haud alio fidei proniore lapsu, quàm vbi falsæ rei grauis author existit. Quot enim Anatomicos in errorem duxit authoritas Aristotelis, qui contentus vidisse in corde neruosa filamenta, inde neruos oriri credidit; nec vltra perquisiuit, quo modo nerui ab eo fonte in singulas partes deriuarentur? *Multas*, inquit Galenus, *huiuscemodi apud Medicos Anatomicas sententias prauè scriptas inuenire licet, qui quod ex dissectione apparet spectare noluerũt: sed ex cõsecutione quadã quasi inspexis-*
C *sent ita esse sperarũt.* Porro te scire cupio me de industria quæstiones Physiologicas quæ ratione potius quã αὐτοψίαν requirũt resecuisse; Monitum & edoctũ ab Arist. cuiusq; artis præcepta syngenea esse debere, nihil heterogenes & aliunde mutuatum immiscendum. Alioquin omnia in singulis essent explicanda. Cur potius ad Anatomen hepatis Physiologicæ quæstiones referuntur, quam Therapeuticæ? Galenus lib. de dissect. musc. eo potissimum nomine damnauit Lyci librum Anatomicum, quod prolixius omnia interpretetur, quodque Logicas quæstiones ijs quæ ex dissectione apparent inseruerit; Ac præterea quod de affectibus multos ser-
D mones habuerit, quorum quædam nulla in re musculorum dissectionibus conuenirent. Idem Galenus prolixos Marini commentarios in Epitomen contraxit, resectis ijs quæ parum Anatomica videbantur. Ridiculas autem Anatomicorum opiniones silentio præteriui; eas tantum quæ à probatis authoribus enunciatæ sunt, laudaui, vel refutaui: τὸ γὰρ τὸ τυχόντος ἐναντία ταῖς δόξαις ἀποφαίνομένου φροντίζειν εὔηθες ἐστιν, ait Aristoteles cap. 9. lib. 1. Topic. In ijs explicandis & definiendis veritatem ducem sequutus sum; atque inspectione oculata fretus, liberè meum iudicium interposui. Quapropter hoc vnum audenter affirmabo; Si tam cõpta & eleganti
E oratione Anatomen descripsissem, quàm accurata & diligenti obseruatione mihi cõparaui, vtrumq; docti Anatomici punctũ assequutus fuissem. Non ausim tamen orationis meæ ruditatem excusare, ne idem mihi obiiciatur, quod Cato vrbanè admodũ A. Albino respõdit, suæ scriptionis barbaræ veniam postulanti; Nugari eum qui culpam deprecari quàm admittere maluerit. Ad meam excusationem rei difficultatem prætexam, vel Medici conditionem, cum nobis non liceat esse tã diserti Musas qui colimus seueriores. Nam vt ingenuè fatetur Hippocrates ἰατροὶ καὶ παῖδες ἰατρῶν raro contingunt eloquentes, cum πρακτῆρες ἔργων, quàm lib. de Arte.

ῥήτορες λόγων videri malint. Noſtram infirmitatem tuo fauore ſubleua, (benigne Lector) noſtríſque conatibus adſpira, atque humaniter excipe ſpecimen hoc Anatomicum, quod non A

Multa dies, & multa litura coërcuit, atque
Præſectum decies non caſtigauit ad vnguem.

De mea profeſſione bene merendi deſiderium, rude & incultum hoc opus extorſit. Nocet quibuſdam nimia diligentia, & Protogenes habitus fuit indoctior quòd neſciret manum de tabula tollere. Plin. lib. 35.c.10.

Si noſtrum laborem denuo recuſum tibi probari intellexero, animum & ſtimulum mihi addes, ad maiora perficienda: quę precor Deum Opt. Max. in tuam vtilitatem, ſuique nominis gloriam vertere. B

SECTIO PRIMA IN QVA PRAECEPTA VNIVERSALIA DECLARANTVR, FVTVRO ANATOMICO VALDE NECESSARIA.

ANATOMEN ESSE MEDICINÆ principium ac fundamentum.

CAP. I.

A

NATOME omnium confessione ad Physiologiam pertinet. Est autem Physiologia prima pars Medicinæ, quæ alias septem partes sub se complectitur, Elementa, Temperamenta, Humores, Spiritus, Facultates, Functiones, & Partes corporis. Harum omnium quænam præcedere debeat, & initium Medicinę facere, iure quæri potest.

Via & ratio quam Naturę præscripto tenere debemus ab illustrioribus & notioribus nobis rebus, ad eas quæ natura illustriores clarioresque sunt progredi solet. Est autem corpus hominis notius nobis quatuor elementis ex quibus componitur. Ergo ab humano corpore exordienda Medicina, quæ cum sensu ipso ducatur à sensibilibus quoq; principijs auspicanda videtur. Totum enim notius est parte, faciliusque hominem integrum comprehendimus, quàm in sua principia resolutum. Incipit prætB erea Medicina, vbi desinit Physica. Terminatur autem Physica in homine quem Medicus pro suo subiecto assumit, ab humano igitur corpore initium tradendæ Medicinę ducendum erit: quod & artis subiectum existit, primumque sensibus occurrit notissimum. Si enim artifex subiectam quam tractat materiam omnino perspectam habere debet, quo expeditius in omnem artificij speciem, & decorem flectere illam possit & torquere; Quidni Medicus humani corporis naturam primum cognoscet, omnibus suis partibus absolutam? cum hoc sit totius Medicinæ fundamentum. Scribit Hippocrates principium Medicinæ esse hominis naturam, & ab ea auspicandum esse decreuit lib. de locis in homine. Contrarium tamen propofuisse videtur sub finem libri de prisca Medicina, *Aiunt Medici & Sophistæ quidam fieri non posse, vt quis perfectè Medicinam calleat, si non intelligat quid sit homo, quæ prima eius generatio, & compositio. At quæ sunt à Sophista vel à Medico dicta, aut scripta de Natura,*
C *non tam ad artem Medicam pertinere arbitror, quàm ad picturiam. Certam vero Naturæ scientiam nō aliunde haberi, quàm ex Medicina, quàm facile est assequi, vbi totam Medicinam complexus fueris.* Hoc in loco damnat Hippocrates eos, qui existimabant totam artem Medicam sitam esse in cognitione corporis humani; nihilque præter eius causas & compositionem speculabantur. Vult præterea actiones partium considerari, vt ex earum vitio quomodo se habeant ad ea quæ offerūtur intelligamus. Quæ omnia si Medicinæ finibus coerceantur, perfectè sciri possunt, vbi totam Medicinam comprehenderis. Cæterum ne quis existimet me sine exemplis & authoritate Anato-

men reliquis Medicinæ partibus antepoſuiſſe. Fernelius ſuam Medicinam exorditur ab Anatome, cui ſubnectit cæteras Phyſiologiæ partes. Sunt enim Os, Cartilago, Neruus, & reliqua huiuſce generis, prima humani corporis elementa: quamuis hæc non admittat Athæneus, quorum loco alia conſtituit de quibus priora componuntur. A

Ex Galeno

Sed vt euidentius pateat Anatomen principium eſſe Medicinæ, atque omnibus Phyſiologiæ partibus præmitti debere; ſingulas Phyſiologiæ partes percurramus. Illa ſeptem partibus conſtat. Imprimis agit de Elementis, quorum tractatio planè Phyſica eſt. Deinde temperamenta partium ſimilarium vt oſſis, carnis, cutis, venæ &c. & organicarum vt cerebri, cordis, hepatis perquirit, de quibus non poteſt certo aliquid ſtatuere, ignoratis partibus. Poſtea docet humores in hepate generari, eorum excrementa in liene, cyſti, & veſica colligi: quæ omnia perfectè ſcire non licet, niſi inſtrumēta cognoſcantur. Quo modo rectè iudicabis ſpiritum animalem in ventriculis cerebri, aut plexu retiformi procreari, niſi partes ante perſpectas & exploratas habueris? Incertus eris in aſſignandis facultatum & functionum ſedibus, niſi prius partes exactè noueris, vt principes quæ actionem exercent, à miniſtris & famulantibus partibus internoſcas. Videtis igitur cœcam eſſe Phyſilogiam, niſi lumen Anatomicum præceſſerit. B

CORPORIS HVMANI COMMENDATIO.

CAPVT II.

QVI de te Anatomica ſcribunt, ab hominis commendatione præfantur, eumque laudant ex animi dotibus quibus ſpeciali naturæ priuilegio cæteris animantibus præcellit: At cum nobis mortuus homo, non viuens diſſecandus exponatur, cadauer humanum celebrare, eiúſque dignitatem demonſtrare propoſui. Homo duabus naturis eſſentiâ multùm inter ſe diſparibus conſtat, animo & corpore: ille vnitus corpori vitæ omniúmque actionum author eſt, atque adeò hominis forma & perfectio: Nec enim tu is es quem forma iſta declarat (inquiebat Cicero) ſed animus cuiuſque is eſt quiſque, non ea figura quæ digito demonſtratur. Cum autem ſit ſpiritus à Deo delibatus terrenum hoc corpus ſuis radijs illuſtrans, dignum efficit, quod Deus habitet illudque requirat, ſeparatus à corpore cadauer relinquit telluris inutile pondus, adeò vt quicquid in laudem hominis a veteribus præclarè dictum fuit, id totum animo conuenire videatur. Ergóne cadauer humanum ſine honore contemptum iacebit, ipſis etiā hominibus inuiſum? ſiccine palatium ſpernitur propter tegis abſentiam? tum enim licet inſpectare domum, & penitiores receſſus luſtrare, ſcire iuuat quid in ſingulis locis agatur, animumque picturis & periſtromatis paſcere ſumma delectatio eſt. Quandiu animus in corpore moratur, huius ambitum & ſuperficiem duntaxat intuemur, illo abeunte corporis latebras adire & inquirere negligemus? Nos præſertim Medici, qui ſartum tectum hoc ædificium tueri ſuſcipimus: In cuius contemplationem eò diligentiùs incumbendum quo maior eſt illius dignitas. Superbi alicuius palatij fabrica laudatur ab architecti induſtria, materialibus vt pote ſi ſint parietes è Pario lapide vel marmore ſtructi, & contignationes deauratæ, atque optima ædificij forma, & partium conuenienti diſpoſitione: Noſtrum corpus à ſummo Opifice Deo Opt. Max. conſtructum fuit, & exornatum animo diuinitatis ſurculo ſuſcipiendo, cuius domicilium cum ſummus ille architectus qui verbo & nutu totam mundi machinam creauerat, formare voluit: in conſilium & operis ſocietatem Sacroſanctam Trinitatem adhibuit. Tantæ molis erat humanum corpus condere, & ſedem animi maieſtate dignam præparare, cuius perfectio tanta eſt, vt in illud animum ſponte deſcendere deſiderio corporis Philoſophi quidam exiſtimarint. C D E

Libro de ſomnio Scipionis.

D. Auguſtinus lib. de libero arbitr. capit. 21.

Materia quam ad huius opificij compoſitionem ſummus ille opifex vſurpauit, non è marmore aut Pario lapide quæſita fuit, ſed ex limo propter opificis faſtigium auro & gemmis pretioſiore. Debutades Sycionius inſignis ſtatuarius ex argilla præſtantiſſima ſimulachra fingebat, quæ propter artificis ingenium & peritiam

D. Hieronymus ad Pammachium.

peritiam, quibuslibet alijs ex auro compositis præferebantur, materiam superabat opus. Idiotas reddit attonitos Iouis Olympici ornatus vndique mira-
A bilis, ebur lucidum, aurum multum, magnitudo totius statuæ, quam si ex luto factam viderint insalutaram præteribunt: At non item peritus artifex, laudabit Phidiam lignum, lapidem, & lutum tractantem, nec materiæ pretium admirabitur, sed artificij pulchritudinem considerabit. Quòd si limi nomen tibi sordeat, ecce carnem ex manu & adflatu Dei gloriosiorem, quæ limi fœditare depositam animi ornamenta suscipit: Non es diligétior Deo, ait Tertullianus, si Schyticas & Indicas gēmas, rubentis maris grana candentia, non plūbo, non ære, non ferro, nè argento quoque oblaquees, sed electissimo & insuper operosissimo describes auro, & vnguentis pretiosissimis quibusq; vasculorū prius congruentiam cures, atq; perfectæ ferruginis gladijs vaginarum adæques dignitatem; Deus verò animæ suæ vmbram, spiritus sui auram, oris sui operam vilissimo alicui commiserit capulo, & *Lib. de carne Christi.*
B indignè collocando vtique damnauerit.

Nec satis est nosse materiā ædificij, forma etiam spectanda est, quæ ob exactam partium symmetriam rerum omniū regula & mensura statuitur: quò fit vt in ea circularis figura omniū absolutissima manifestè deprehēdatur, homine resupino manibus pedibúsque expansis. Nam circiui centrum in vmbilico collocatū circumagendo rotundationem, vtrarumq; manuum & pedum extremos digitos attinget. In ea quoque quadrata figura inuenitur, si quod à pedibus imis ad summum caput mensum est, ad manus expansas relatum fuerit: ideo cum causa constituisse videtur antiqui, vt in operū perfectionibus singulorū corporis membrorū ad vniuersam figuræ speciem habeant commensus exactionē: Vt cum in omnibus operibus ordines traderēt, id maximè in ædibus Deorum, in quibus operum laudes & culpæ *Vitruuius cap. 1. lib. 3*
C æternæ solent permanere. Sic ferūt templū Salomonis ad exēplar humani corporis conditū, & Arcam Noe ex fabrica nostri corporis acceptā fuisse. Humani quippe corporis longitudo à vertice, vsq; ad vestigia sexies tantū habet: quantùm latitudo quæ est ab vno latere ad alterum latus, & decies tantùm quàm altitudo, quæ secundum mediastini longitudinem mensuratur. Vnde facta est Arca trecentorum in longitudine cubitorum, & quinquaginta in latitudine, & triginta in altitudine; Mensuratum quoque rationes, quę sunt in omnibus operibus necessariæ, ex corporis membris desumptę fuere: vti digitus, palmus, pes, cubitus, & eæ distributæ in perfectum numerum qui decem dicitur: namque ex manibus denarius digitorum numerus. Nec minorem parit admirationem corporis venustas, eiúsque conueniens longitudo, vt neque enormis sit proceritas, neque vilis & abiecta pauxillitas, tum ipsa habitudo suauis & grata, vt neque belluina vastitas horrori sit, nec gracilitas te- *Hoc testatur D. August. lib. 12 cōtra Faustum Manichæum cap. 14.* *D. Ambr. in Hexamer. lib. 7.*
D nuis infirmitati; Sed quod magis admiratione dignum est, cum eadem corporis figura omnibus insit, quædam tamen vnicuique lineamenta deflexa esse; ita vt vniuersa corpora similia videantur, & inter se dissimilia inueniantur, præsertim in facie quæ decem aut paulo plura membra continet: attamen vix duas in tot millibus hominum indiscretas effigies existere, quod ars nulla in paucis numero præstet affectando. Vt autem manifestius intelligatis humanum corpus non esse tumultuarium & incogitatum opus naturæ: Placet singularum partium figuram à cæteris animãribus diuersam percensere, quæ ignauum hominem rationis & consilij capacem ad virtutem stimulare poterit. Manus instrumētum sapientiæ quatuor digitis inæqualibus distincta, ad laborem nos inuitat, in ea pollex situm reliquis oppositum obtinuit ad firmitatem actionis; in quo totam manus actionem positam esse nouerant *Plin. lib. 7.*
E Athenienses, qui eo resecto suos æmulos Æginetas rei bellicæ & nauali inutiles reddiderunt: nosque viles, ignauos, imbelles, & Imperatoris summi iudicio hastæ subiectos à trūco pollice, Polletruncos nominamus, antiqui iocularitet murcos dixerunt. Caput humanum omnium artium capax, non solùm imaginationis & memoriæ, sed etiam rationis domicilium arguit figura rotunda, magnitudo ampla, ipsiúsque substantiæ tenuitas dissecantium oculis subjecta; Vultus erectus, oculi in summo velut in specula constituti, & omnes cæteri sensus velut in arce compositi hominem ad sapientiam sollicitant. Pectoris latitudo sublimis & exposita, ad mutuos amplexus hortatur; vēter pro magnitudine corporis angustissimus, hominem non gulæ & abdomini natum esse indicat: Pedis constructio manui analoga, quid

aliud monet, quàm hominem gnauum, industrium & operosum esse oportere? Quid? rectamnè figuram corporis calcis proiectura stabilitam articulo femoris cum Ischio & Ischij cum spina connexu firmatam, referemus ad otiosam cœli contemplationem? qua dissimiles adeo grues & asini fruuntur & nuitius piscis οὐρανοσκόπος? An potius ad multarum artium opera molienda & varias actiones *Gal. lib. 7. de vsupar.* edendas, eum denique habitum solis inter tot animantium genera hominibus concessum, quo stare & sedere possint, etiam quiescentes semper aliquid agere? Hæc omnia si considerasset insanus Epicurus, vel inuitus cõfessus fuisset, ad vsum partes nostri corporis fuisse constructas: non datis partibus earum vsum repertum. Quàm iniqui sunt Dei operum æstimatores qui corpus humanum εὐπρεπέστατον τεχνήματα θεῦ, ex fortuito atomorum concursu conflari sustinent, cùm in eo nihil fortuitum & inordinatum deprehendatur: Galenus stolidum & amentem illum iudicauit, qui natu- *Lib. 3. de vsupart. c. 10* ràm in partibus fœcum excretioni dicatis accusabat: quod è lecto surgere alui exonerandæ causa molestum esset: satius & optabilius fuisse hominem ita componi, si solum pedem porrigens excrementa per ipsum excerneret. Istis operum Dei calũniatoribus centum annos Galenus concedebat, vt situm, figuram & structuram ali- *Lib. 7. de vsupart. cap. 14.* cuius partis immutarent, neque dubitabat futurum tandem vt inimitabilem Dei sapientiam agnoscerent, nec id aliter fieri posse faterentur. Non igitur tam apta & elegans partium dispositio fortunæ temeritati tribuenda, ordinatioris formæ opificium est, Dei optimi maximi, quem in tanti operis inspectione suspicere & vene- *Gal. lib. 7. de vsupar. cap. 10.* rari conuenit. Nam si Polycletus ab omnibus laudatur propter elegantiam statuæ, quæ partium tantum externarum proportionem & ornatum referebat, & tamen Canon appellari meruit, qua veneratione nostri corporis conditorem prosequemur? quibus laudibus huius statuæ Archetypum efferemus? cuius structura admirabilis non tantùm in partibus externis, verumetiam in interioribus visceribus exquisitam proportionem atque summum decus ostentat, vt nescias vtrum in ea ma- *Galenus lib. citato.* jor sit vtilitatis habita ratio quam decoris: Proinde veteres Philosophi humanum corpus ob perfectam & absolutam elegantiam mundo compararunt: quod tamen alij factum putant ob schematis rotunditatem, alij propter analogiam partium nostri corporis μικροκόσμου cum partibus magni illius animalis mundi. Vt enim mundus est compages cœli & quatuor elementorum, sic μικρόκοσμος adueniente spiritu cœlesti ex iisdem elementis constituitur, vt partes μικροκόσμου muneribus & officijs distinguuntur, ita μεγακόσμου partes cum eodem munere fungantur eadem nomina retinuerunt, quid aliud stellæ, inquit Plutarchus, quàm oculi lucentes in facie vniuersi? Sol vi cordis præditus vt hoc sanguinem & spiritum suppeditat, sic ex se vegetantem calorem & lucem diffundit. Mundus terra & mari vt nostrum corpus ventre & vesica vtitur, luna inter solem & terram posita est, vt iecur inter cor & ventrem consi- *Lib. 3. de vsupart. c. 10* stit. Cum igitur vtriúsque mundi partes functionibus & officijs inuicem sibi consentiant; ne mireris amplius monitore Galeno, solem & lunam atque vniuersam reliquorum syderum seriem, nec te trahat in admirationem eorum magnitudo, vel pulchritudo, vel motus perpetuus, vel circuituum certa descriptio: hæc omnia humano corpori comparata longè inferiora sunt, vt etiam omni ornatu carere vide- *Galenus loco citato.* antur. Nulla pars corporis abiectior pede; At in eius fabricatione Deus non minorem operam & diligentiam adhibuit, quàm in condendo sole honoratissimo sydere. Ludit igitur operam qui tanto cum labore mundi fabricam perquirit, cum illam ex se ipso minore compendio possit ediscere; inutilis & superuacanea erit orbium cœlestium contemplatio, si oculi structuram omninò similem spectauerit, omnia denique cognosceret qui se ipsum nouerit. In hoc veræ Philosophiæ principium consistit si Dæmonaci Philosopho credimus, imo culmen & perfectio, vt eleganti gradatione declarat Agapetus ad Iustinianum, qui se nouit Deum noscet, Deum noscens Deo assimilabitur, assimilabitur qui Deo dignus erit, dignus erit qui nihil Deo indignum admittit, sed cogitat quæ Dei sunt, & quæ cogitat loquitur, & quæ loquitur facit: Vberrimus ex sui cognitione fructus: sed non nisi summa cum difficultate comparatur, præsertim cum quisque mundum multiplici structura varium intra se contineat, opus est duce qui viam monstret, & per omnes huius mundi regiones nos veluti manu deducat; non alium qui possit vtrumque præstare præter Anatomen agnosco. Illa absente animo occultos corporis recessus peruadit,

A uadit, & quæ latent in abdito profert in apertum; illa singularumpartium structuram aperit, vsus & actiones explorat, & quod maius est admirabilem vtriusq; mundi analogiam ostendit. Illa denique ineffabilem Dei prouidentiam in hoc animi domicilio fabricando oculis subijcit, quam nulla vox, nulla dicendi copia potest enarrare. Anatomen igitur ducem sequatur qui perfectam rerum naturæ cognitionem affectat: hanc Medicus colat & amplectatur si materiam quam tractat perspectam habere desiderat. Itaque vt ad historiæ fidem Geographia, inquit Fernelius, sic ad rem medicam corporis humani descriptio pernoscenda. Vt enim qui rerum gestarum memoriam repetunt, non illas rectè possunt animo concipere, nisi priùs locos & regiones quibus obtigerint, vel sensibus lustrarint, vel sibi quodammodo ipsi cogitatione depinxerint. Sic profectò si quæcumque solet ars medendi tractare inspicienda sunt: Necesse est humanum corpus perspectum habere in quo omnia
B contemplemur & quasi penitus animo cernamus; quapropter eos in curationibus morborum cæcos reputo, quibus hic medicinæ oculus non prælucet, vel vt loquitur Galenus, similes ijs qui in lectica iter cæci faciunt, vel sine pixide hautica pelago se committunt longinqua littora petituri: in summa securitate sunt meticulosi, in periculoso mari gurgitum & latentium scopulorum ignoratione securi & audaces. Sed de vtilitate Anatomes postea vberiùs agetur. *Lib.1.κάτα γέν.*

IN QVO ANATOMES ANTIQVITAS *examinatur.*

CAP. III.

C SACRÆ literæ certissimi rerum omnium indices artis Anatomicæ vetustatem manifestè docent, dum referunt luctam Iacobi Patriarchæ cum Angelo, & neruum eum designant qui omnium crassissimus in femur, tibiam imumque pedem defertur, solúsque hanc totam pedis molem agitat, qua corpus sustentatur: Vndé eo tacto totum crus emarcuisse perhibent; cuius calamitatis memores Iudæi, ab eo tempore esu neruorum abstinuerunt teste Iosepho lib.1. Antiquitatum Iudaicarum. Nec mirum si primo sęculo familiaris & vsitata fuerit Anatome, quandoquidem brutarum animantium dissectio, quæ penes Sacerdotes erat in populo Israelitico, in sacrificijs publicis exercebatur, vbi non decebat carnes pro libitu laniare, sed ὀρθοτομεῖν, rectè partiri iuxta *Genes. cap.32.*
D præscriptum. Ab his postea manauit consuetudo ea ad alios, & à pecudibus ad hominum corpora transitum est. Diuinæ scripturæ testimonium confirmant tempora, quibus Salomon, Homerus, Hippocrates, & Democritus summi Anatomicæ scientiæ cultores floruerūt. Apud Salomonem cap.12. Ecclesiastici, quædam Anatomica leguntur, vniuersa Homeri Poësis elegantioribus artis Anatomicæ flosculis abundat. Meletius demonstrat lib. de natura hominis Homerum peritum fuisse Anatomicum, Galenus Homeri testimonium profert, dum explicat ligamentum hepatis lib. 4. de vsu part. cap.14. quàm graphicè describit magnum pedis postici tendonem quo bigis raptatus fuit Hector ab Achille. Hippocrates hominum negligentia & incuria obsoletam Anatomen restituit, eiusque solida fundamenta iecit. Testatur Galenus Hippocratem potissimum rationi corporum incidendorum
E operam dedisse, cùm eam mirum in modum ad artem conferre sciret; quod nunc apertè docet cùm spinæ naturam intelligi velit, quàm Empirici non secus quàm cæterarum partium contemplationem inutilem esse dicunt. Ipsemet Hippocrates lib.3. de artic. Commentarios de venis & arterijs pollicetur, quos videre non potuit Galenus. Democritus Hippocrati coæuus, animalium dissectionibus vacabat, Chamæleontem per singula membra dissectum peculiari volumine dignum iudicauit, teste Plinio. Idem tantum extorum inspectioni tribuebat, vt ex solo eorum habitu ac colore, rerum quas terra procreat vbertatem, tenuitatemque aëris, qui nos ambit, salubritatem ac pestilentiam significaret. Quæ cum ita sint inepte Chalcidius comment. in Timæum Platonis Anatomes inuentionem, Alchmæoni Platonis ætate Philosopho eminentissimo acceptam refert. Illa simul cum Medicina nata est & adoleuit, & si verum fateri volumus reliquas Medicinæ partes præcessit. *Ex Cicero.*

Neque enim curatricis Medicinæ præcepta tradi potuissent, nisi prius perspecta & explorata hominis natura, nec sciri potuisset quid in corpore contra naturam contigerat, nisi prius quæ inerant secundùm naturam, cognita fuissent. A

DE SECTIS ANATOMICORVM.

Cap. IIII.

IN OMNIBVS scientijs quæ ratione sola reguntur, præceptionum inconstantia peperit opinionum diuortia: sed in his quæ sensu & ratione nituntur, nullus dubitationi locus relinquitur. Quod enim ratione probatum fuerit, & sensu ipso confirmatum, oppugnare summa dementia est, iudicio Aristotelis. Proinde mirum est in Anatome quæ B solo sensu ducitur, varias sectas & diuersa studia medicorum extitisse. Methodici negabant vtilem esse medico humani corporis contemplationem, sufficere morborum & remediorum cognitionem. Contra Thessalum huius sectæ authorem Galenus disputat, cap. 2. lib. 1. Methodi, & ex Hippocrate, Platone, & Aristotele ostendit, neminem posse morbos commodè curare ignorata corporis vniuersi natura.

Empirici non omnino partium humani corporis inspectionem auersabantur: sed ad eam fortuiti vulneris occasione vtebantur. Dicebant interdum gladiatorem in arena, vel militem in acie, vel viatorem a latronibus exceptum sic vulnerari, vt eius interior aliqua pars aperiatur, & in alio alia sita, ita sedem, positum, ordinem, figuram similiaque cognoscere prudentem medicum, non cædem ad sanitatem molientem: idque per misericordiam discere, quod alij dira crudelitate cognouerint. Ob C hæc ne mortuorum quid em lacerationem necessariam esse, quæ, etsi non crudelis, tamen fœda sit, cum aliter pleraque in mortuis se habeant: eiusmodi Anatomen Galenus διατραυματικήν, & Anatomen κατὰ περίπτωσιν appellat, quæ cum fortuita sit & subcutanea tantùm penetret, non cadit in artem: proprerea exploditur à Galeno, lib. 1. adm. anat. cap. 2. & lib. 2. eiusdem operis cap. 3. & lib. 3. de composit. medic. per genera cap. 2. inspicere enim prius oportet multo cum otio quamque particulam, vt statim visa cognoscatur; At nemo Empiricorum dum citò saucium curare studet, vbi vulneratis partibus nerui, vbi arteriæ & venæ subiaceant contemplatur.

Celsus in Præf. l. 1.

Eadem ignorantia vel potius mentis cœcitate capti erant Medici, qui doctrinā Anatomicam in sola nominum cognitione constituebant; quæ partibus tantum indita fuere, vt inter se discernerētur. Imo nolebat Galenus res istas sine nominibus D explicari. Tales fuerunt Erasistrati sectatores, degeneres Anatomici, vt Apollonius Memphites, & hoc prior Xenophon, qui ex appellationibus partium sufficientem earum haberi cognitionem existimabant, sine vlla dissectione. Qua praua opinione plærique adhuc imbuti, putant cognitis partium appellationibus, earumque figuris diligentèr inspectis, perfectam Anatomes peritiam consequi; quemadmodum Geographia sine vlla peregrinatione & locorum lustratione, ex lectura librorum & chartarum inspectione perfectè ediscitur.

Ex Galeno in introd.

At verò Dogmatici Anatomen vti artem medicis omnino necessariam diligēter excoluerunt, & adhibito studio humana cadauera secuerunt, vt non tantùm partes externas, verumetiam internas accuratè cognoscerēt. Hāc Anatomen Hippocratis & Galeni doctrina stabilitam profitemur, eam tamen improbat Paracelsus, horrendam Lanienam, & Theatricam Carnificinam appellat: in cuius locum ridiculam & ad hunc diem inauditam Anatomen excogitauit, quam Formalem & Spiritualem vocat, non Materialem: Viuam, non Mortuam: Essentialem, nō Localem. E Hæc Anatome hominis essentiam non ostendit in homine, sed extra hominem in vniuersis partibus præsertim mineralibus. In cupro ostendit Anatomiam iecoris, quia igne separatur essentia, quæ est iecur non corporeum & materiale, sed essentificatum; Pari ratione in argento ostendit cerebrum, in auro cor essentificatum, ita vt possis dicere argentum cerebrum minerale, vicissimque cerebrum argentum animale. De hac Anatome Chymica pluribus egi, in comparatione veteris Medicinæ cum noua.

Irridet hāc Anatomē Gesnerus l. 1. epist.

A

ANATOMES DEFINITIO, ET *diuisio explicantur.*

Cap. V.

VT NON licet alicuius ædificij compagem & ſtructuram exactè cognoſcere, ſine partium diſſolutione, inquit Galenus lib. de cõſtit. artis cap. 3. ita non non poteſt humani corporis fabrica perfectè cognoſci, ſine illius diſſectione: quam Græci ἀνατόμην indigitant, ac ſi diceres accuratam & repetitam ſectionem. Ea vel eſt Vniuerſalis cum in integro corpore celebratur, vel Particularis cum pars aliqua, puta cerebrum vel oculus à B corpore ſeparatus conſideratur. Vtraque vel eſt Theoritica, vel Actiua: Theoricã appello ſcientiam, quæ cuiuſque partis naturalem conſtitutionem, ſimilarem, organicam & communem declarat, & in parte ſimilari triplicem illam ſubſtantiam, ſolidam, carnoſam, & ſpirituoſam inueſtigat; quo ſenſu locum illum Galeni interpretor lib. 1. de diff. febrium: ſi quis humani corporis fabricam doctrus triplicem corporis ſubſtantiã complexus nõ fuerit, vel Anatomẽ nõ deſcripſiſſe, vel eandem omnium corporis partium ſcientiam non eſſe fateatur neceſſe eſt. Actiuam Anatomen voco, quæ manu perficitur. Sed quia vtriuſque tanta eſt connexio, vt à ſe inuicem diuelli ſepararique nequeant, nec debeant; vtramque vnica definitione complectar. Erit igitur Anatome corporis humani diſſectio, cum ratione & iudicio administrata, in partes tum ſimplices tum compoſitas ad earum perfectam cognitio-C nem. Pro ratione partium, quæ corpus noſtrum conſtituunt, diuiditur in Oſteologiam, & Sarcologiam, quæ ſub ſe comprehendit Myologiam, Angeiologiam, & Splanchnologiam, in his tota Anatome conſiſtit.

Cæterum definit Galenus Anatomen in def. Med. *Abditarum partium ſpeculationem*, reprehenditur tamen à Fallopio & Volchero, primùm quod actum incidendi excludat, qui caput artis eſt. Deinde quod externas partes negligere videatur. Cõtra exiſtimo Galenum per abditas partes, eas omnes intelligere quæ cute operiũtur: quarum conſideratio Anatomen conſtituit. Externarum verò, partium notitiam, quæ ſine ſectione comparatur, ad Anatomen non pertinere Galenus exiſtimauit. Externas autem partes quæ cute detracta conſpiciuntur exactè ſcire conſulit lib. 2. C adm. Anat. cap. 2. quoniam earum cognitio, internis partibus vtilior eſt. Iniquè arguitur Galenus quòd diſſectionem prætermiſerit: cum hanc ſupponat nomẽ A-D natomes; Id enim ſignificat accuratam & repetitam ſectionem. Præterea Anatome potiſſimum perquirit partium actiones, vt ex earum vitio morbos dignoſcat. Cutis autem nulla eſt actio, nec eius affectiones egent Medico, quia ſponte ſanantur. Itaque varias cutis appellationes pro ratione locorum ſcire, parum intereſt Medico. Sicque interpretor locum Galeni, ab omnibus atro lapillo notatum. *Anatome abuſiuè dicitur externarum corporis partium enarratio, quæ verbis illarum appellationes percenſet, propriè vero Anatome interiorum cum ſermone explicatio dicitur. Siquidem oculis eas indicatas eſſe Anatome non eſt, ſed cuiusque notitiam ex ſermone ac verbis accepiſſe, & quomodo naturales actiones obeant didiciſſe, præterea quam inuicem coniunctionem viſcera aliæque partes per venas habeant.* Si minus placeat Galeni definitio hæc videtur omnibus ſuis numeris abſoluta. *Anatome eſt Phyſiologia corporis humani, quæ partium conforma-E tionem, actionem & vſum docet, ad earum conſeruationem.* Nomen Phyſiologiæ retinui, quoniam Anatome pars eſt Phyſiologię, vt oſtendit Galenus lib. 2. Meth. cum ſcribit venas, neruos, & arterias eſſe elementa eius Phyſiologiæ quæ tractat de homine. Diſſectionẽ pretermiſi, quia latius patet Theoritica Anatome, quam Practica. Nulla enim diſſectio in Oſteologia. Addidi corporis humani, vt diſtingueretur à Phyſiologia elementorum, humorum &c. forma definitionis eſt cognitio partiũ, quæ in earum conformatione, actione, & vſu conſiſtit; finis Anatomes, partium cognitio relata ad earum conſeruationem in ſuo naturali ſtatu.

Ex Galeno lib. definit. med. Anatome hoc eſt diſſectio abditarum partiũ ſpeculatio eſt, conſectionis ſpecies duæ ſunt, altera quã de induſtria aggredimur, altera quæ caſu euenit. Per induſtriam cõſtat ea quã tradunt Dogmatici partium occultarũ gratia, vel in viuentibus, vel in mortuis, & vel in totis vel in partibus. Caſu euenit ex ijs quæ cõtingunt, vt ex vulnere magno accepto, ſoli autem hac vtũtur Empirici. Idẽ cap. 1. lib. 9. adm. an. Cum vero ipſa duplex exiſtat, quãdo ex particula toti corpori adiacente vel ablata fieri poteſt priorem cerebri Anatomes adminiſtrationem percẽſebo.

A

DE SVBIECTO ANATOMES.

Cap. VI.

ANATOMES subiectum est corpus humanum, cuius structuram & conformationem acurata sectione perscrutatur Anatomicus. Doctissimus Laurentius tale subiectum non admittit, sed partem tanquam proprium artis Anatomicæ subiectum constituit hac inductus ratione. Corpus integrum & continuum non tractat Anatomicus, sed diuisum, in membra partesque diremptum. Certum est totum corpus humanum simul & semel secari non posse, & incipiendũ esse à parte aliqua, quæ cũ sit vnita toti & cohærens, meritò quis affirmabit corpus humanum integrum & continuum esse subiectum artis Anatomicæ. Non inficiamur tamen partem dici posse subiectum, quandoquidem apud Galenum duplex extat Anatome, subiecto distincta. Vniuersalis Anatomes subiectum est, corpus humanum integrum & continuum. Particularis Anatomes subiectum pars à toto separata. Vulgatum est Philosophorum axioma: Quidquid vt totum alicuius scientiæ subiectum existit, id etiam vt talibus partibus compositum subiectum erit, exempli gratia Physicæ subiectum vt totum, est corpus naturale, cuius partes sunt simplex, mixtum & viuens; Possisq; dicere Physicę subiectum corpus esse naturale, vniuersum, vel quatenus his & illis partibus constat; Nec absurdè dicitur corpus humanum integrum, vel partem eius quamlibet esse Medicinæ subiectum. Ac proinde pars poterit dici artis Anatomicę subiectum, modo corpus humanum integrum non excludatur: quod ità compositum & conformatum spectatur ab Anatomico, tanquam instrumentum quoddam, vnicam operationem exercens. Corpus autem humanum vnicum esse instrumentum sic demonstratur. Ex omnibus corporis partibus vna compages, vna corporatura exurgit; quam vocat Hippocrates ὁλομελίην. Ergo dabitur vnum quoddam instrumentum ex his compositum, nempe totum corpus; cuius vnica erit operatio, quemadmodum persuadere videtur Galenus lib. 1. de vsu part. cap. 8. vbi ex mente Hippocratis, scribit omnes particulas corporis sibi inuicem condolere & consentire, atque in famulitium vnius operationis omnes conspirare. At si datur vna operatio cui omnes corporis partes subseruiunt, dabitur vnum instrumentum actionem illam exercens. Quænam illa sit operatio nunc inuestigandum. Verisimile est Deum & Naturam homini diuiniùs aliquid tribuisse, quàm cæteris animantibus quibuscum vita nobis communis est, ac proinde operatio illa vita esse non potest; Neque sensus, & motus, quibus homines & bruta peræquè fruuntur; Neque est ratio quæ hominem à brutis distinguit, quia facultas est, non actio. Sequitur ergo operationem illam totius instrumenti, nempe coporis, esse motum rationalem seu artificiosum. Quod euidentissimè probatur ex Galeno. Methodus optima docendæ Anatomes est Analytica, quæ à toto ad partes vsque minimas progreditur. Postquam Galenus initio lib. de vsu part. hominem integrum contemplatus est, communem illius operationem explicat, videlicet motum, ideoque musculos omnibus partibus præmittit, tanquam huius operationis instrumenta. Et quoniam motus ille non tantum voluntarius est, sed artificiosus à ratione directus, propterea incipit à musculis manus, quæ est instrumentum sapientiæ homini propter rationem concessum: Quapropter non est aliud constituendum partis Anatomicæ subiectum, quam corpus humanum. Si tamen latè sumatur Anatome, quatenus etiam ad bruta extenditur. Dicam Anatomes subiectum esse duplex, Particulare, & Vniuersale: Vtrumque Viuens, & Mortuum: Particulare & adæquatum est corpus humanum, in quo præcipuè Medicus exerceri debet: Vniuersale brutorum quodlibet corpus, in quibus etiam Medicum si operũ naturæ cognitionem affectat, versari conuenit. Nam vt sapienter monet Aristoteles, Viliorum animalium disputationem & inspectionem spernere, indignum est Philosopho, cum nulla res sit naturæ, cui non insit aliquid admirabile: Quare si quis cæterorum animalium contemplationem ignobilem abiectamq; putat, idem de suo corpore sentiat necesse est. Interdum Medicus cadaueris humani penuria, quædam brutorum

B C D E

Li. 1. de partib. anim. cap. 5.

A rum corpora quę ad illius fabricam propiùs accedunt, rescindere cogitur, quorum sex genera designantur à Galeno, lib. 4. adm. anat. cap. 3. & lib. 6. cap. 3. eiusdem operis: Primum genus est simiarum secundùm eorum animalium quę πιθηκοειδῆ vocat, vt lynces, satyri & cynocephali, Tertium vrsorum, Quartum serraris dentibus prȩditorum, vt Suum, Quintum solipedorum, Sextum ruminantium. Nos loco istorum animalium Canes accipimus, quorum dissectione nostrum lienem affici non puto, quidquid scribat Orus Apollo in Hieroglyphicis, cap. 39. eos nimirum qui canes euiscerant, magna ex parte fieri splenitieos, quia graui illo halitu & vapore qui ex inciso dissectoque cane prouenit inficiuntur. Nam si salubriter canina caro esitatur, vt quondam apud Romanos teste Plinio, lib. 28. c. 4. si eam probet Hippocrates lib. 2. de dięta, & lib. de morbis internis, lienosis pręscribat; si Galenus lib. de attenuan-

Quæ animalia ad dissectionē defectu corporū humanorū accipienda sint docet Ruff. lib. 1. c. 17.

B tis victus ratione cap. 8. carnes vulpis & canis ijsdem viribus pollere credit, quia ambo temperamento sicco præditi sunt. Nō video qua ratione suspecta nobis esse debeat canum dissectio. Sed vtrum ab hominis vel bruti corpore inchoanda sit Anatome controuertitur. Syluius mauult tyronem in solis hominis partibus primum exerceri, deinde scientia partiū hominis consummata in alijs animalibus colludere permittit. Contra Rufus Ephesius lib. 1. cap. 2. ab animalibus exordiendum esse suadet. Ante omnia inquit vt interiora appellanda sint animal quodpiam homini quā simillimum dissecantes instruere conabimur. Nihil enim impediet, tametsi nō omnia omnibus similia sunt, quominus summam saltem cuiusq; doceamus: Quinetiā Aristoteles asserit interiora corporis in bruto longè meliùs inspici, quàm in homine, cū tamen alibi à seipso dissentiat, & ab homine rudimenta Anatomica sumenda

Lib. 3. isagoges Anat. cap. 15

Lib. 1. de hist. animalium ca. 16

C esse consulat. Cuius repugnātiæ facilis erit concordia: si dicamus Theoriticā Anatomen de hominis, non bruti corpore tradi debere, Actiuā verò Anatomen ab animalibus exordiendā esse, quò teneriores animi, humanorū cadauerum inspectionibus assuescant, & antequā ad eorum confectionē accedāt rudem aliquam partium cognitionem consequantur, & manum in dissecando expeditā & exercitatā habeant. Nam vt inquit Galen. li. 3. de comp. med. per genera c. 2. si frequenter in similis cuiusq; partis situm & magnitudinē inspexeris, in humano corpore singula statim inuenies, alioqui si inexercitatus accedas non plus inde proficies quàm medici, qui bello Germanico barbarorum corpora dissecantes, ea tantùm didicerunt quæ coqui intelligunt. Idem repetit & fusius explicat, lib. 3. admin. Anat. cap. 5.

Cap. 6. lib. 1. de histor. animal.

D *QVÆRITVR SI VIVVM HOMINEM SECARE sit necessarium & liceat.*

CAP. VII.

DIxI Anatomes subiectum esse corpus Viuū, & Mortuum, vtrumq; ad perfectam Anatomes cognitionē summè necessariū Galenus existimat. Quia in cadauere sola partium organica constitutio spectatur, in viuo actio & eius inueniendę ratio deprehenditur, quodnam debet pręcedere? Mortuum, Galeni iudicio, vt prius omnes partes agnoscas, quàm in viuo earum vsum & actionem explores. Estnè necessarium incidere viuorum corpora eorumq; viscera

Li. 9. adm. anat. cap. 1

Loco laud.

E perscrutari? Id nonnulli probant, longeq; optimè fecisse Herophilum, & Erasistratum, qui nocentes homines à regibus ex carcere acceptos viuos inciderunt, consideraruntque etiam spiritu remanente, ea quæ natura ante clausisset. Neque esse crudele (sicut plerique proponunt) hominum nocentium, & horum quoque paucorum supplicijs, remedia populis innocentibus sæculorum omnium quæri. Sic Mithridates & Attalus omnium fermè simplicium Medicamentorum quæ venenis aduersabantur sedulò vim experti sunt, in illis hominibus qui morte damnari erant. Et Romani Pontifices flagitiosis hominibus patibulo destinatis, venena propinari permiserunt, vt antidoti cuiuspiam vim & facultatem experirentur. Ludouicus XI. Galliarum Rex permisit medicis Parisiensibus militem capite damnatum & calculo laborantem viuum incidere, vt calculi generationem atque extrahendi modum perquirerent, quod factum fuit anno salutis 1474. mense Ianua-

Apud Celsum in proœmio sui operis.

Apud Galenum, lib. de Antidotis cap. 1

Apud Matthiolū com ad lib. 6. Dioscorid.

B

rio. Alij contra crudele censent, viuorum hominum aluũ atq; præcordia incidi, & A
Ex Celso loco citato. salutis humanæ præsidem artem, non solum pestem alicui, sed hanc etiam atrocissimam inferre: cũ præsertim ex his quæ tanta violentia quæruntur, alia non possint omnino cognosci, alia possint etiam non sine scelere. Nam colorem, læuorẽ, mollitiem, duritiem similiaque omnia nõ esse talia inciso corpore, qualia integro fuerint; quia cum corporibus inuiolatis, hæc tamen metu, dolore, inedia, cruditate, lassitudine, mille alijs mediocribus affectibus sæpe mutentur, multò magis verisimile est interiora quibus maior mollities, lux ipsa noua sit, sub grauissimis vulneribus & ipsa trucidatione mactari. Neque quidquam esse stultiùs, quàm quale quidque viuo homine est, tale esse existimare moriente, imo iam mortuo. Idcirco concludit Celsus
Loco citat. incidere viuorum corpora, & crudele & superuacaneum esse, mortuorum corpora discentibus necessarium. Nam positum & ordinẽ nosse debent, quæ cadauera melius quàm viuus & vulneratus homo repræsentant. Impia igitur & inutilis ista latrocinantis Medici curiositas, quam vetant religio & pietas, maior in feris quàm in ho- B
minibus: quæ nunquam nisi in dispar genus sæuiũt. Parcit cognatis maculis similis fera. Apud Senecam in declam. & controuersijs Parrhasius pictor Atheniensis accusatur læsæ reipublicæ, quod viuũ senem emisset ex captiuis Olynthijs quos Philippus vẽdebat, quẽ deinde torserat & interfecerat, vt ad exemplar torti Promethea pingeret. Idem de Michaële Angelo narratur, qui vt Christum crucifixũ morientẽ depingeret, hominem torsit, & cruci affixit. Omnes Heliogabalum & Iulianũ Apostatam criminantur, ob sæuam & ferinam crudelitatem quã in viuos homines exercebant, vt ex visceribus adhuc calentibus futurorum euentus captarẽt; in cuius tã immanis sceleris vindictam, ambo miserabili morte periêre. Præstat Galeni exemplo in brutis viuam Anatomen administrare, in quibus eadem quæ in homine viuo C
notari & obseruari possunt. Dissecuit Galenus capram grauidam & viuentẽ vt ipsemet testatur l. 6. Epid. Atq; vt demonstraret vocis instrumenta in viuis animalibus, hœdos, & porcos accipiebat lib. ad Posth. Idem caput viuentis animalis apetuit, vt motum cerebri & sensum membranarum spectaret. Proinde non possum non detestari ferinam Vesalij & Iacobi Carpensis crudelitatem, qui viuos homines dissecuerunt. Id negat factum à Vesalio Crato in Epistolis, nam voti soluendi, non sceleris expiandi causa, in Iudæam & Palæstinam profectus fuerat. At Iacobus Carpẽsis cum esset infensus Hispanis, geminos huius nationis ægros laborantes lue Venerea cepit, & viuos Anatomicis administrationibus destinauit, quã de causa in exilium relegatus Ferrariæ obijt. Fallopius lib. de lue Venerea.

D

DISQVIRITVR AN VETERES ANATOMICI præsertim Galenus humana cadauera dissecuerunt.

CAP. IX.

NON erit alienum obiter inquirere, si veteribus humana cadauera secare licuerit, vt constet de veritate scriptionis antiquæ, & à calumnijs recentiorum veteres Anatomicos præsertim Galenũ liberemus. Omnibus notum est olim horrendum fuisse morticina tractare, ob eamq; causam Vespillones & coriarios vrbe summotos, pari ratione Roma- E
Artemidor. lib. 1. c. 53. Onerocriticon. nos atque etiam Rhodios carnificem vt homicidam, ciuium sanguine & cæde cruentatum vrbis domicilio priuasse: adeo molles erant Romani vt ne quidem supplicia in media vrbe sumi tolerarent. Scribit Iosephus ab Hebræis lege cautum fuisse vt qui mortuos cũstodissent septem dierum spatio segregarentur, ne mala contagione populus contaminaretur. Hinc consuetudo illa quæ notatur à Virgilio in exequijs Miseni, & subiectam more parentum Auersi tenuere facem. Quapropter apud veteres ipsa viscera spectare nefas habebatur authore Plinio lib. 28. cap. 1.
Lib. 3. extrauag. co. titulo de. sepultura. & inter Christianos, Papa Bonifacius octauus barbarum & inhumanum iudicauit peregrè mortuorum corpora exenterare carnibusque spoliare, vt ossa lecta, & tersa in locum sepulturæ quem viui delegerant commodè perferri possent.

A Credebant medicos iſtas diſſectiones agere in odium corporis humani, vt Ter- *Lib. de ani*
tullianus & D. Auguſtinus perperam exiſtimarunt; quorum leue iudicium ſatis a- *ma.cap.10.*
bunde refellit ſummus ille operum naturæ perſcrutator Democritus, quem ani- *lib.22. de*
malia diſſecantem cum Hippocrates offendiſſet, ſic noſtrum præceptorem affatur. *ciuitate*
Hæc animalia quæ vides eo fine diſſeco, vt bilis naturam atque ſedem inueniam, *Dei c.24.*
non quod opera Dei odio internecino proſequar. Quāuis autem apud veteres cru- *Apud Hip*
delis & horrenda fuerit humani cadaueris inciſio, non inde ſequitur medicos ho- *pocratē in*
minibus abſtinuiſſe. Ruffus Epheſius lib.1.cap.2.teſtatur, Anatomen priſcis tempo- *Epiſtolis.*
ribus in humanis corporibus celebratam fuiſſe. Herophilus referente Tertulliano *Loco citat.*
ſexcentos homines exſecuit, vt naturam hominis ſcrutaretur. Hunc Galenus lau- *Li. de veteri*
dat propter conſummatam Anatomes ſcientiam, quam non ex brutis vt plerique *diſſect.c.5.*
B ſolebant, ſed ex ipſis hominibus ſibi comparauerat. Ægyptij reges propria manu *Plinius*
corpora mortuorum ad ſcrutandos morbos inſecabant. Et ex cadauerū confectio- *lib.19 c.5.*
ne quam in condiendis ijs aſſeruandiſque haberi moris erat, multa in Chirurgia, vt *Ex Galenō*
in Anatome medicos inueniſſe probabile eſt. Solebant in conuiuijs Scheletū hu- *lib. introd.*
manum circumferre, vel laruam argenteam obijcere; vt in omnibus vitæ actioni- *cap.1.*
bus, etiam bibendo, ſemper noſtræ conditionis eſſemus memores, vt narrat Hero- *Galen. lib.*
dotus. Ætate Galeni Ægyptij medici adhuc Anatomicis diſſectionibus delectabā- *1.adm.ana*
tur, & in Alexandria vrbe Ægypti celeberrima hominis Anatomē docebant, eiuſ- *cap.2.*
que oſſa accuratiſſimè demonſtrabant. Adde quod in bello licebat hoſtium corpo- *Galen. lib.*
ra reſcindere, ſic Romani Medici Germanorum militum, qui co[illegible] Antoniū pu- *3.κατὰ γέν-*
gnabant corpora diſſecarunt. Præterea licebat eorum qui morte [illegible]nati erant, vel *cap.2. &*
ſerpentibus expoſiti corpora incidere, quinetiam latronum qui in montibus inſe- *lib.3.adm.*
C pulti iacebant, atque etiam puerorum qui feris erant obiecti. Hippocrates lib.3. de *anat.cap.5*
art. poſtquam ratione demonſtrauit, vertebras luxatas in anteriorem partem non *Idem lib.3*
poſſe reſtitui, nec arte, nec manu: experientiam Anatomicam profert ex diſſectio- *adm. anat.*
ne cadaueris depromptam. *Hoc perfectè ſciri non poteſt NISI HOMI[illegible]M SECVERIS. deinde manu altè in ventrem indita, ab interiori parte in exteriorem compellas, quod quidem mortuo fieri licet, viuente nullo pacto.* Si tempore Hippocratis vſitata nōn fuiſſet *cap.5.*
corporis humani diſſectio, non ipſe nos ad eam remiſiſſet. Idem apertè teſtatur lib.
de oſſ. natura, ſe ex hominis oſſibus vertebras hominis didiciſſe; Vultis locupletio-
ra & antiquiora Anatomes in hominibus celebrata teſtimonia? Deſinant igitur
oblatrare & maledicere Galenomaſtiges, ſuiſque calumnijs finem imponant. Nam
iniuſtè Galenum accuſant, quod numquam hominem inciderit & Anatomen non
D hominis, ſed ſimiæ tradiderit. Ex infinitis apud Galenum locis facile probarem, il-
lum Simiam atque Hominem diſſecuiſſe, attamen ſolius hominis Anatomē deſcri-
pſiſſe. Vnum atque alterum locum proferam lib.4. de vſu part. cap.17. *De ventriculorum multitudine qui in ruminantibus animalibus cernuntur, non eſt meum agere, neque de vētriculo ſingularum ſpecierum animalis, quemadmodum neque de alijs nutritionis inſtrumentis, ſcripſit enim de his omnibus rectè Ariſtoteles. Quod ſi vitæ breuitas pulcherrimorum inueſtigationem non moraretur, fortaſſis aliquando quod in ea ſpeculatione deſideratur, exquireremus. Nunc vero ſatis habemus, ſi ſolius hominis constructionem poſſimus ad vnguem exponere.* Idē repetit lib.6. eiuſdē operis, cap.4. & 9. *De numero loborum hepatis, in alijs Animantibus definire non eſt propoſitum, neque enim alterius cuiuſque inſtrumenti ipſorum conſtructionem attigimus, niſi forte in homine explicando eò inuiti fuimus traducti. Quod ſi morte intercepti*
E *non erimus, illorum etiam conſtructionem membratim quomodo nunc hominem diſſecantes, aliquo tempore explicabimus.*

Alius locus extat, lib.12. de vſu part. *Rurſus igitur conſidera artem quæ animalia effinxit, vt in omnibus eſt æqua, etſi propoſuerim ſolius hominis conſtructionem explicare: fieri tamen ſæpe non poteſt, etiamſi maximè nolim, quin etiam rationis expertium ſtructuram attingam.* Galenus Elephantem mortuum diſſecuit, vt proboſcidis vſum & ſtructuram cognoſceret. lib.16. de vſu part. Reprehendit cap.3. lib.2. adm. Anat. eos, qui Anatomen ex brutis animantibus ediſcunt. Nec mirum ſi in confectionibus venarum maximè errent; quippe cor & linguam bubulam incidunt, neſcientes hæc ipſa plurimum ab humanis diſcrepare.

FINIS ANATOMES EXPLICATVR. A

CAP. X.

VANVS & inutilis esset noster labor, nisi aliquem nostræ actionis finem propositum haberemus. Finis autem nostræ Anatomes duplex à
Lib.2.adm anat.cap.2 Galeno statuitur; Philosophicus, & Medicus. Philosophus eo fine hominis structuram speculatur, vt perfectam sui ipsius notitiam consequatur, omniumque partium naturam & actionem intelligat, & in omnibus singularem Dei prouidentiam agnoscat, suspiciat, & veneretur. Hoc opus
Li.3.de vsu part.c.10 verum nostri conditoris hymnum veramque pietatem esse putat Galenus, maiorē quàm si plurimas taurorū hecatombas sacrificaueris, & altaribus thura, casias adoleueris. Alibi perfectissimæ Theologiæ verum principium constituit: cuius sacris B
Lib.17.de vsu part. cap. penult eum initiari conuenit, qui totius naturæ scientiam assequi desiderat.

Merito igitur Galenus carpit & insectatur suæ ætatis Philosophorum inscitiam, qui mundi rerumque omnium generationem docere profitebantur: cum tamē sui corporis fabricam & compagem prorsus ignorarent.

———— Illum ego iure
Despiciam, qui scit quantum sublimior Atlas
Omnibus in Libiæ sit montibus, hic tamen idem
Ignoret, quantum ferrata distet ab arca
Sacculus, è cœlo descendit γνῶθι σεαυτόν.

Princeps ingenij & doctrinæ Plato negat animæ notitiam posse comparari, nisi coguita nostri corporis structura: siquidem anima in hoc corporis ergastulum deiecta, suas vires exercere, suasque functiones obire non potest; nisi corporeis adiuta instrumentis. Propterea Aristoteles eos qui Anatomen despiciunt, Philosophi titulo indignos censuit. Hæc omnia Medicus vt Philosophus obseruat; sed vt Medicus C
Galen.ibid accuratiùs singulas partes rimatur, earumque cognitionem ad artis opera omnino
Gal.lib.2. methodi med.cap.5. tria reuocat, morborum dignotionem, futurorum prænotionem, & curationem. Neque enim possis certum de affectu & parte affecta ferre iudicium, nec morbo cōtraria opponere remedia, ne quidem conuenientem victus rationem præscribere,
Lib.1.de diæta statim initio. teste Hippocrate citra exactam corporis notitiam; quod cùm probè intelligerent prisci Medici suos pueros domesticis corporum dissectionibus exercebant, & om-
Galen.lib. 2.adm.anat. cap.1. nibus Medicinæ partibus doctrinam Anatomicam inserebant. Itaq; scitè Aristoteles scripsit, medicum oculos & vniuersum corpus nosse debere, τῶν γὰρ ἰατρῶν οἱ χαρίεντες D
Cap.vl. li. 1.ethicor. πολλὰ πραγματεύονται περὶ τὴν τοῦ σώματος γνῶσιν, elegantiores Medici multùm laborant in humani corporis cognitione. Ineptè meo iudicio disceptāt Gauassetus & Minadous, de Anatome vtili & inutili, & malè nituntur authoritate Gale.lib.2. adm. anat. cap. 2. & lib.17. de vsu part. Nō enim assequuntur mentem authoris, qui passim aduersus Sophistas demonstrat, nullam corporis partem frustrà datam, omnes ad vsum procreatas fuisse. Medicus quidem singulas partes contemplatur, vt læsas & affectas distinguere possit. At nemo linguæ, ossis hyoidis, laryngis musculum vulneratum vel malè affectum discernere poterit. Proinde Medico non sunt necessarij, quos tamen non negliget, si vt Physicus singularum partium vsus inquirit. Eodem sensu inter-
Lib. de sect. ven. pretor Galeni locum ab illis prætermissum, Medici neque Philosophi exactam habere debent iugularium ramorum cognitionem. E

QVIBVS MODIS ANATOME COMPARARI POSSIT.

CAPVT XI.

ANATOME tribus modis comparari potest: doctrina, inspectione, & operatione. Doctrinā assequimur viua voce, vel scriptis: viua vox magis
Cap.2.li.3 κατὰ γένη. afficit, litera segniùs irritat, & tardiùs animo imprimitur. Galenus nugacem ex libris Anatomicis institutionem putat, ei non absimilē quæ secundum parœmiā ex libro gubernare docet, quia si palam à præceptore ostensos in corpore neruos & tendines obliuiscūtur nisi sæpius eos inspiciāt,

multò

A multò minùs ex lectione poterunt ediscere. Inspectio in omnibus certior est lectis & auditis: qui enim literarum monumentis confidunt, inquit Plato, sine rerum inspectione, sæpe falluntur & opinionem potius quàm veritatem sectantur. αὐτοψίαν ducem adhibere debet qui perfectè Anatomen scire desiderat, non Anatomicis libris credere. Naturæ rerum vis atque maiestas in omnibus momentis fide caret, si quis modo partes eius ac non totam oculis complectatur; Inspectio autem vel est figurarum tantum quæ in chartis pingi solent, vel corporum tam hominis quàm brutorum. Pictura fallax est, & coloribus tam numerosis præsertim in naturæ æmulatione, vix corporis superficiem repræsentat, tantum abest vt interiora fideliter referat. Si Galenus plantas pingi noluit præfat. lib. 6. simpl. Multominus permitteret partes nostri corporis pictura delineari. Naturæ Archetypū potiùs sequamur Sylij consilio, non imitatricem eius artem omnino mancam, & rerum etiam vmbras malè effigiantem. Sed non est satis vidisse semel aut bis humani corporis fabricam, sæpius vbi se offeret opportunitas inspicienda: siquidem nulla res quæ sensibus nostris percipitur, nisi visa sæpius exquisitè cognoscitur; argumento sunt gemini admodum sibi similes, qui non nisi à domesticis & amicis internosci possunt. G a..2.de vsu par.c.3 B In Isag.ana.li.3.c.4 Lib.3.de cōp.me.per genera.c.2 & lib.3.

Tertia conditio ad perfectam Anatomes cognitionem necessaria, est Operatio; quam debet exercere, qui singula queque accuratè rimari cupit, non ex alienis oculis & manibus pendere. Galenus consulit ei qui rebus Anatomicis incumbit, manum operi admouere; vt ne quidem proprijs manibus ipsam pellem auferre pigeat. Habitum in dissecando exercitatione longa sibi comparabit. Etenim ijs quæ manu tractare conuenit, priùs assuescere oportet, ac perpetuò manum operi admouere; inquit Hippocrates libro de Flatibus. adm. anat. cap.5. Cap.3. li.1 adm. anat.

C Operandi ratio dicitur Anatomica administratio, quæ Syluio constat in corporum delectu; sectionis modo, & instrumentis idoneis. Ad delectum corporis sex conditiones requiruntur, vt sit mortuum, non viuum, integrum & minimè mutilum, extinctum potius in aqua, quàm suspensum, recens, non morbo consumptum, mediocre in obesitate & statura, denique ablutum & rasum. Idem statuit Fernelius, Cadauer imprimis delectum sit bona corporis valetudine, integra constantique ætate, statura mediocri & apposita, incorruptum & partibus omnibus absolutum, nec morbo nec vulnere interemptum, verum suspendio, stragulis aquâue extinctum. Galenus lib.1. anat. adm. cap. 5. reprehendit Anatomicos qui animal incidunt longo tempore mortuum, partibus iam aridis & contractis: quò fit vt in dissectione partes non facilè diuellantur, sed lacerentur. Idem simias in aqua suffocatas D accipiebat, ne videlicet pars vlla colli contunderetur. At in libro de motibus manifestis & obscuris, si legitimus sit, quo animal fuerit antiquius & macrius, eò meliùs Anatomen musculorum inspici testatur. Ad delectum quoque pertinet ista corporis interficiendi ratio Italis vsitata, vt refert Leuinus Lemnius, homines morti destinatos à iudicibus impetrant in vsum dissectionis, quibus opij binas ternásve dtachmas ex vino meracissimo exhibent, ne vllos humores dissipari contingat aut crassiores spiritus euanescere, omniaque se apertè proferant, quod Pisis factitari testatur Fallopius lib. de tumoribus cap.14. Isagog. cap. 23.lib.3. Syluius lib 3. Isag. Lib.1.Phys cap.1. Li.2.de occultis naturæ miraculis c.vlt.

Sectionis modus potius visu & tactu expetiundus quàm auditu & lectione, huius tamen præcepta quædam generalia tradit Fallopius præfatione sui commentarij in lib. Galeni de ossibus, primùm vt quæ connata sunt difficillimè separentur, quæ verò non sunt connata facilè diuidantur, deinde partes tam aptè & artificiosè secari debeat, vt nihil disruptum & lacerum appareat. Postremò diligenter cauendum ne ex vnica parte plures faciamus, vel plures simul iunctas vnam esse constituamus. E

Instrumenta ad dissecandum idonea sunt ad necessitatem, aut commoditatē. Ad necessitatem tria requiruntur, culter, acus, & filum, ad commoditatem expetuntur, forcipes, stili, hamulæ, scalpella, ferræ, spongia, tubuli & innumera quæ tantùm ad ornatū comparata sunt, de quibus copiosè Vesalius lib.1. suæ anat. cap. vlt. sed maximè opus est tribus aut quatuor cultellis, quia in secādis cadaueribus acies nouacularū plurimùm hebetatur. An propter cadauerum immēsum frigus? An potius propter cadauerum viscidit atē quæ adhærendo aciem ferri obtundit? vt credit Mercu-

Plutarch. lib. de comparat. ignis & aquæ.

rialis lib. 5. Variarum lectionum cap. 12. De ista quæstione vide Scaligerum exercit. 332. A

Ad operationem pertinet administrandæ Anatomes ordo triplex, dignitatis, situs & diuturnitatis. Galenus tantum duplicem agnoscit lib. 6. adm. Anat. cap. 3. dissectionem cadaueris duobus modis aggredi potes, incipiendo vel à partibus internis quę dignitate primæ sunt, vel musculis abdominis qui ordine priores sunt. Cum autem amplissima sit humani corporis historia, & infinitis partibus omnino dissimilibus constituatur, quas in vno & eodem subiecto contemplari nō licet: Consulit Fernelius lib. 1. cap. 16. vt alio cadauere musculorū, deinde ossiū exsiccatorū aptisq; compagibus reuinctorum, alio viscerum interiorum confectionem instituamus, alio venarum quas à iecore, alio arteriarum quas à corde, alio denique neruorum quos à cerebro atque spina in sensus artusque singulos studiosè diligenterque persequemur. Hæc enim summa est, & conducibilis inuestigandi ratio. Hactenus ex Fernelio. B

QVA METHODO DOCERI DEBEAT *Anatome.*

CAP. XII.

T omnium artium tractandarum, sic docendæ Anatomes duplex Methodus; Vna quidem Analytica quæ à toto eiusq; compositis partibus ad partes minus compositas delabitur, donec peruenerit ad simplicissimas, eaque obseruatur in theatris publicisque confectionibus, vbi totius corporis diuisio fit in tres ventres & artus, vniti deinde corporis ac singularum partium particulæ inuestigantur & proponuntur. Huius methodi triplex ordo constituitur, dignitatis, situs, & diuturnitatis. Vel enim Anatomē exordimur à musculis abdominis qui situ priores sunt, vel à partibus internis quæ & dignitate primæ sunt, & magis putredini obnoxiæ. C

Altera Methodus synthetica orditur à simplicissimis partibus, & ad compositas progreditur donec totius cōstructionem assequuta rem ad vmbilicum perduxerit, quæ posterior Methodus eò discendæ Anatomes aptior est, quod naturæ vestigijs insistat cuius opera perscrutatur. Hac Methodo duce partium similariū explicatio eo ordine suscipienda quem præfinit & suadet Galenus lib. 1. adm. Anat. ca. 2. Ossiū D omnium natura inprimis perdiscenda est, siue in humano siue in simiæ corpore, præstaret autem in vtroque, postea ad musculorum dissectionem properandum: nam hæ duæ corporis partes reliquis omnibus veluti fundamenta subiecta sunt. Deinde licebit quodlibet vasorum genus aggredi, siue venas, siue arterias, siue neruos, quibus viscerum contemplatio subiungitur. Carolus Stephanus Galeni ordinem immutat, explicatis ossibus & quibus continentur ác vinciuntur ligamentis, protinus neruorum descriptionem subiungit, quod ab ijs musculorum tum capita tum etiam fines pendeant: nihil exactum in musculis cognosci posse existimans, non prius cognita neruorum intercusantium productione, qua eadem ratione mēbranas post neruos enumerat, & quod à neruis pendeant & quod musculos quemadmodum reliqua omnia membra conuoluant ac contegāt. Nonnulli partium ex- E ternarum appellationes omnibus Anat. partibus præmittūt authore Ruffo. Nominum consideratio, inquit Epictetus, cuiusq; artis principium est. ἀρχὴ τῆς παιδεύσεως ἡ τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψις. Hoc fieri potest cum Anatome in Theatris demonstratur, a nunquam verò cum methodo Synthetica docetur.

a Qui confectioni præest corpore in vētres & artus distributo ōnes horum externas sedes explicet, quæq; illis veteres tum Græci tum Latini nomina indiderunt.

Dubitare posset aliquis, cur in hoc libro Methodi Syntheticæ legem violauerim; statim ossibus musculos subiungens, quibus partes alias similares, puta venas, arterias, neruos postposui; ex quibus musculi, partes organicæ & dissimilares componuntur. Siquidem Authore Fernelio ex simplicibus partibus vniuersi compositio luculentius perspicitur, quàm si confectionis ordine, compositiores partes seorsum perquirantur: quarum inspectione nihil certum sciri, nihil planè cognosci ac percipi potest, earum quæ simplices in omne corpus feruntur.

Fernel. lib. 1. cap. vlt.

Profiteor

A Profiteor id fecisse Galeni imitatione, atque ordinem necessitatis & situs, non artis siue generationis respexisse. Cum enim musculi ossibus incumbant, primique iniurijs externis pateant, vasis præmitti debuerunt, vt ijs partibus ediscendis potissimum vacaret & insisteret Anatomicus. Adde quod eorum tantum vasorum cognitio necessaria est, quę in musculos disseminata cum illis patiuntur. Internorum verò vasorum cognitio parum vtilis est, quia fracta nullam ex Medicina opem percipiũt. Deinde cùm ab ossibus incipiat Anatome, quę sunt fulcra & fundamenta reliquarum partium; mox ab illis ad musculos deueniendum erat, ordine situs ita postulante, quandoquidem ossa musculis obducuntur & operiuntur.

QVID JN SINGVLIS PARTIBVS *considerandum.*

B

CAP. XIII.

TRIA sunt in singulis partibus consideratione digna authore Gal. lib. 2. ad Glauc. Dissectio, Actio, & Vsus. *Notitia cuiusque naturæ membrorum ex dissectione, & exquisita operationum scientia, atque vsuum, cognoscitur.* Per dissectionem comprehendit partis structuram siue conformationem, quæ sciri non potest nisi per dissectionem. Structuræ verò nomine res septem includit, quas lib. 1. de vsu part. declarat, & in singulis partibus diligenter obseruari cupit, nimirum, Temperiem, Consistentiam, Quanti-
C tatem, Numerum, Figuram, Situm, Connexionem siue Communionem, quæ fit quatuor modis, cum partes inuicem coeunt, vel proximè adpensæ, vel appositæ sunt, vel ad securitatem comparatæ. Aduersus hanc doctrinam opponet aliquis ex Gal. lib. 4. de Plac. inutilem esse structuræ cognitionem, ad inueniendam partis essentiam. Responsionem assignat ibidem Galenus; Partes à Philosopho & Medico diuerso modo considerari. Philosophus essentiam solam contemplatur, Medicus vero structuram obseruat. Nam si quæras à Philosopho quid sit oculus; Respondebit instrumentum visus: Medicus dicet instrumentum ex talibus partibus compositum. Altera difficultas occurrit de Temperie partium, quam dixit Galenus per Anatomen inuestigari; quia mortuo animali perit & aboletur temperies. Respondet Galenus per proprietatem substantiæ coniectura aliqua deprehendi; exempli gratia ex carne pulmonum rara, laxa, & albicante, conjiciam pulmonis
D parenchyma esse calidum.

Præterea partium vsus & actiones indagare debet Anatomicus, vt naturalem cuiusq; constitutionem, quam vocat Hippocrates εὐφυΐαν cognoscat. Nam deprauata, aut abolita actio, aut vsus, naturalem partis constitutionem vitiatam esse indicant.

In organicis siue compositis pattibus quatuor partes integrantes obseruabit: Primariam per quam actio fit; Alteram per quam actio melior efficitut, Tertiam sine qua non potest actio fieri, Quartam quæ facit ad conseruationem. *Ex Galeno lib. 1. de vsu part.*

Cæterum in discursu Anatomico alicuius partis, à conformatione exordiendum esse docuit Galenus lib. 2. de vsu patt. *Actionem cuiusque particulæ, & ante hanc constructionem totam exactè scire oportet, ea quæ in dissectionibus corporum apparent inspi-*
E *ciendo ipsis oculis diligenter; nam vtilitates particularum nullo negotio inuenies, ab ipsa doctus natura, si solum noueris exactè constructionem.* *Vide Galenum lib. 7. de vsu par. cap. 20.*

Et quoniam in historia partium præsertim internarum sæpe auditur origo partium, quam putaret aliquis me inscienter prætermisisse; eam ad connexionem reuoco. Interim monebo multas inutiles quæstiones moueri de origine partiũ; quando quidem vt rectè notauit Galenus, *singulæ partes similares ex materia quæ animantis subiecta est, tales à natura finguntur, quales sunt, neque cubitus ex brachio, sicut neruus ex cerebro oritur, quippe non parum differunt cohærescere cuipiam, vel ex illo oriri. Nam quod ex aliquo nascitur, ceu ipsius quædam propago substantiæ, eiusdem cum origine sua speciei esse oportet.* *Lib. 3. administ. Anat.*

QVID IN GALENI LECTIONE ANAtomica obseruandum. Vbi defenditur Galenus à calumnijs recentiorum. A

CAP. XIIII.

IN scientijs inquit Seneca, si velis aliquid trahere quod fideliter animo sedeat, certis ingenijs innutriri & immorari oportet, atque ea potissimum sectari quæ authoritate clarent & ab omnibus probantur.

Multùm crede mihi refert à fonte bibatur,
Quæ fluit, an pigro quæ stupet vnda lacu. B

Qui Philosophicis studijs delectatur ex fonte Philosophiam hauriat, Aristotelem Philosophiæ principem diurna nocturnaque manu verset. Medicina suos parentes agnoscit Hippocratem & Galenum, à quibns in lucem producta fuit, & exculta: ipsos igitur authores imitari debet, qui veræ Medicinæ scientiam affectat. Cum autem amplissima sit Medicina diuersis partibus composita, Hippocrates vniuersam artem descripturus, Anatomen Medicinæ fundamentum diligentet excoluit, vt testantur diuina eius monumenta quibus hodiè magna cum vtilitate & animi iucunditate fruimur. Sciebat vir sapiens ruinosum esse illud ædificium, quod caducis fundamentis superstruitur. Verum vt artes suas ætates habent, sensim incrementa capiunt, nec eodem tempore nascuntur & adolescunt: Successit Galenus C qui rudem & imperfectam Hippocratis Anatomen exornauit, atque perfecit testimonio ipsius Auertois: qui tempore Galeni perfectam fuisse Anatomen candidè profitetur. Cuius vmbram vix retinuerunt Arabes: Etenim ætate Galeni florebant præstantissimi Anatomici à quibus ipse fuit eruditus. Postquam Pergami Satyro peritissimo Anatomico sedulam dedisset operam, varias & longè dissitas regiones adiuit, celeberrimos huius artis professores in Smyrna Pelopem, Corynthi Numesianum, in Alexandria Medicos in ossium doctrina clarissimos cōsulturus, quorum diligentiam & industriam ipse superauit, vt honestè gloriatur lib 2. de vsu partium, cum ait se multa proferre veteribus Anatomicis intacta & ignorata, quod repetit lib. 1. adm. anat. cap. 3. Multa certè id genus in vniuerso animante Anatomicis neglecta offendimus, quippe quos incidere pigeret contentos dixisse quid probabile sibi maximè videretur. Quare non est, quod mireris tam multa existere D quæ animali adhuc viuo ignorarunt, quandoquidem quæ solum diligenter resecando spectare conueniebat tanquam nullius momenti reliquerunt. Quis igitur meritum hunc honorem inuideat Galeno? cum ante eum nemo musculorum dissectionem inculpatè scripserit, vt ipsemet testatur lib. de dissect. muscul. nullus neruorum dissectionem accuratè tractauerit, lib. 1. de locis affect. Primus neruum recurrentem obseruauit cap. 14. lib. 7. de vsu part. Primus quoque digitorum musculos inuenit qui alijs Anatomicis incogniti fuerant, vt ipse recitat lib. de libr. proprijs. Libris de vsu partium benignè tradit & exponit ea quæ verè in Anatomijs apparent, quorum nullus ante mentionem fecerat, & licet ingratitudinem posteritatis præuiderit diuinum hunc commentarium canino dente laceraturæ, non propterea ab instituto opere destitit: sed generosè prophanos istos homines contemnit, & eorum orationes sinit præterfluere, quandoquidem cum mortuis non nisi laruæ luctantur: Doctis tantum hominibus scripsit quorum mentem & iudicium requirit in lectione suorum librorum. Nihilominus tam benignus & liberalis fuit in communicandis suis obseruationibus, vt ea omnia quorum cognitionem ab initio adeptus sum (sic de se loquitur) ijs qui requirebant impertij, cupiens vniuersos homines si fieri posset ea perdiscere, etiam si nonnullos qui mihi operam dederunt intelligam aliis nolle, quæ est ipsorum inuidia, communicare: quibus si repentè fato fungi contigerit, post me simul speculationes interibunt. Tanti beneficij immemores sunt qui Galenum iniquè traducunt & vitiligant, veramque hominis Anatomen ignorasse proclamant: vt illi restauratæ Anatomes gloriam præripiant. Nam ipse non diffitetur multa suis adiici posse, sed humaniter postulat vt antequam E

Cap. 6 lib. 12. de vsu part.

Lib. 2. adm. Anat. 11.

A antequam erroris vel negligentiæ accuſetur, id quod obiicitur, ſæpius & diligenter in corporibus humanis inſpiciatur. Si tibi membrum incidenti aliquid præter ea quæ à nobis ſcripta ſunt quippiam inueniatur, ſcito hoc rarum exiſtere, quare nec antea damnare opera noſtra oportet quàm ipſe quemadmodum nos, frequenter corpora inſpexeris. Idem repetit lib. 11. de vſu partium. Si quid exiguum à nobis eſt prętermiſſum quod ab iis qui diligenter hoſce libros euoluerint intelligi queat, id ęſtimare oportet nos debita opera pręteriiſſe. Cum iis proportione reſpondeant quæ millies iam expoſuimus, facillimum eſſe arbitramur, ea quę relicta ſunt inuenire.

Cap. 3. lib. 2. de vſu part.

Similem excuſationem profert & adducit cap. 6. lib. 14. de vſu part. *Tu autem qui hoc in loco verſaris tractatumque hunc euoluis, ne prius vera ſint necne expenderis quàm ea quæ dico ipſe tuis oculis inſpexeris. Nam certo ſcio partium ipſarum aſpectum quod verbis*
B *deeſt adiecturum*: ſed hic non inſtitui Galenum tueri ab omnibus recentiorum calumniis: ſcio multa ab eo prętermiſſa, recentiorum diligentia reperta fuiſſe: in quibuſdam etiam erraſſe Galenum fateor, ſed propter viri authoritatem confirmata eius opinio, ſi non longè diſtet à veritate benignè eſt interpretanda, alteri præferenda. Hoc nobis conſilium dedit Galenus in examinandis Anatomicorum ſententijs. Non tamen aliter docentes reprobare decorum eſt, quando parum ab ea deſciuerint; ſecus enim faciendum eſt cum à pleriſque bonæ exiſtimationis viris ſcriptum nonnihil inuenimus, quod non multum ab optima doctrina degeneret, adeóque nos priore illa vti præſtiterit, ne auditores turbemus in diſcordiæ imaginationem perducentes. Non ſunt autem ignorantiæ, aut negligentiæ taxandi maiores noſtri in re Anatomica: ſi hodie in noſtris corporibus pauca quædam aliter appa-
C reant: quàm Hippocratis aut Galeni tempore. Sed mutationis in noſtris corporibus cauſa eſt agnoſcenda, quæ corporum naturam vitiauit; quod imprimis adſcribendum eſt corporis noſtri magnitudini multum diminutæ, vt ex veterum libris & ſarcophagis comprobatur. Deinde vitæ noſtrę breuitati, quę veteribus longior erat. Preterea certum eſt partium internarum quarundam magnitudinem, numerum, figuram, ſitum mutata multis eſſe regionibus, nec eadem noſtris corporibus ſupereſſe, quę veteribus fuerunt obſeruata. Cuius varietatis in corporibus cauſę ſunt Cœlum, Solum, & Victus. Venia igitur danda Galeno, ignoſcendumque videtur, ſi quando in minutulis quibuſdam non admodum Medicinę neceſſarijs, vel ob grauiora ſtudia, vel ob corporum humanorum inopiam aberrauerit. Quis enim vnquam preſertim in rebus obſcuris & latentibus, tam fuit ocu-
D latus, tam vbique certus, tamque circumſpectus, qui non aliquando ceſpitauerit? Niſi Phrynis fuiſſet, nunquam Muſica extitiſſet. Multum inuentoribus artium debemus, neque merita laude fraudandi ſunt qui illas excoluerunt atque perfecerunt. Niſi Galenus arti Anatomicæ manum adhibuiſſet, rudis & indigeſta ad nos deuoluta fuiſſet. Nec dubito ſi omnes Galeni commentarij Anatomici integri adhuc, ſicut ipſe amicis & diſcipulis conſcripſit, hodie extarent: quin noſtri aduerſarij longe pręclarius de illo ſentirent; Cuius tanta fuit apud priſcum ſæculum exiſtimatio, vt ſi Euſebio credendum eſt, tantum non adoraretur. Quod ad me attinet, multum ex Galeni lectione in Anatome profeciſſe candidè profiteor, eius opinionem quantum rei veritas patitur amplector, meliorem quæ mihi obiicitur non recuſo: Nullius addictus iurare in verba magiſtri, cum ipſemet Galenus non
E credat Hippocrati vt reſti, niſi quatenus certas & firmas demonſtrationes adfert.

Libr. 1. adminiſt. Anatom. cap. 4. Idem conſilium Gal. ſæpius inculcat, ſed diſertè com. ad Aphoriſ. 43. lib. 6.

Porrò cum viderem noſtram Anatomen ex Galeno velut è fonte huius artis vberrimo deriuatam, ſatius eſſe duxi ex ipſo fonte puriſſimam doctrinam haurire, quàm riuulos conſectari. Vt enim lucidiſſimę gemmæ multorum manibus circumductæ ſplendor tandem deteritur vel obſcuratur; ſic Authoris doctrina à diuerſis ingeniis explicata, variis interpretationibus, cenſuris & gloſſematis ſæpiſſime deprauatur, nec tàm nitida in aliis reperitur, præter varium tranſcribentium ſortem, quàm in ipſo authore ſyncera continetur. Cum igitur ex Galeno veram Anatomen repetere oporteat, ſemper meis auditoribus conſului, hunc authorem diligenter & aſſiduè legere & euoluere, reliquos tanquam interpretes adiungere, & quò magis illos incitarem ad Galeni lectionem, meas exercitationes Anatomicas ad Galeni libros velut ad Cynoſuram reuocaui, vt intelligerent eas eſſe Galeni tantum interpretationes.

DE OSTEOLOGIA,

SECTIO II.

OSTEOLOGIAM OMNIBVS *Anatomes partibus præmittendam esse.*

CAP. I.

CERTVM est in disciplina Anatomica Osteologiam multo prius cognitam fuisse, quàm cæteras illius partes: quod minus operosa sit, quod nusquam deesset copia creberrimè ossa inspiciundi. Sanctorum Patrum ossa diu in conditoriis asseruata, interdum alio transferebantur, quemadmodum Iosephi in Palęstinam ex Ægypto. Quinetiam carne sua spoliata vrnis recondebantur, *Ossaque lecta cado texit Corynæus aheno.* Sed & in conuiuijs quotidie ad spectandum proponebantur vt in Ægypto. In cœnatione seu stibadio Cæsaris Domitiani, è tholo pendebat cranium mortui, quod mortis admoneret. Prætereà non est dubium à veteribus Medicis Chirurgiam primùm excultam fuisse, & inter illius partes eam quæ circa ossa fracta & luxata versatur, prius exercitam & introductam: de qua tam egregia monumenta posteritati reliquit Hippocrates, quæ non tam accuratè conscripsisset, nisi ossium hominis positus, figurasque diligenti inspectione dedicisset. Vt autem partes similares generatione sunt primæ, quia ex his dissimilares componuntur authore Aristotele: Ita ordine doctrinæ prius explicari debent. Inter partes similares primum locum sibi iure vendicant ossa, cum sint totius corporis fundamenta, idemq; officium in corpore præstent quod parietes & trabes in ædibus, in tentorijs pali, & in nauibus carinæ. Accidit quod ossa in generatione partium prima formantur, quamuis vltima perficiantur. Quem naturę ordinem Deus in construendis corporibus humanis semper obseruauit. Nam in formatione Euæ, os Adami nempe costam, pro fundamento reliquarum partium accepit: Atque resurrectionis exemplar Ezechieli demonstraturus, corporum ædificationem ab ossibus inchoauit, quibus reliquam opificij molem superinduxit. Vidit enim Propheta, ossa quæ iam exaruerant coniuncta & in suū locum coaptata fuisse: Mox neruis adstricta, carneque induta sua, & ad decorem inuestita cute, tandem formatis & in habitus humanasque species figuratis corporibus, spiritum qui circumferret ea insufflatum fuisse. Cum igitur ossa sint nostri corporis fundamenta, nisi Osteologia præmitteretur, obscurus atque etiam inutilis foret de reliquis partibus sermo: cum omnes ab ossibus oriantur, & in ea desinant, iisque adhæreant, vel incumbant. Aristoteles 2. de Gener. animal. cap. 4. ex ossibus accretionis modum sumit, secundum incrementum ossium augentur animalia, Atque si credimus Hippocrati purgationum circuitus perseuerat, donec ossa suam soliditatem adepta fuerint. Galenus lib. 1. adm. anat. cap. 2. ossium imitatione cætera in animante effingi mutarique scribit, quibus caput magnum his cerebrum amplissimum, quibus thorax angustus his pulmo & cor contractiora: quinetiam pro defectu

Margin notes: A; B; Apud. Ezech. cap. 37.; C

A fectu, vel additione ossis partes nostri corporis, venæ, arteriæ, nerui & musculi vel augentur, vel decrescunt, aut deficiunt. Idcireo veteres Medici hanc partem potissimum excoluerunt, cum hoc fundamento totam Anatomen niti cognoscerent. In ossibus præcipuum fuit Hippocratis studium: iacentem Osteologiam; vt reliquam Anatomen erexit & instaurauit, atque in huius rei memoriam, hominis Scheletum æneum Apollini Delphico consecrauit, teste Pausania in Phoceicis. Nec minorem operam & diligentiam Galenus adhibuit in natura ossium explicanda, vt ex libro de ossibus intelligitur: quem ad lectionem Hippocraticæ doctrinæ viam parare testatur sect. 2. lib. 1. de articulis. quem etiam lib. 1. adm. anat. cap. 2. ob exquisitam rerum indagationem, tum interpretationis promptitudinem, & perspicuitatem, reliquis Anatomicorum libris anteponit.

Cæterum quantum ad artem Medicam conducat ossium doctrina, declarauit
B Hippocrates in epistolis, vbi suum filium Thessalum ad ossium doctrinam hortatur, asseritque ad multiplicem eorum affectionem, & articulorum luxatorum repositionem, & ossium contritorum reparationem, & perforationem, & compositionem, & vstionem, atque reliquam curationem, maiore industria vsurum illum, qui nouerit qualis est locus, quale est os, quod luxatum fuerit. Galenus commentario in librum de fracturis memorabilem historiam recitat, quæ manifestè demonstrabit, quantùm ad fracturas ossium curandas necessaria sit eorum accurata cognitio, quidam Medicus cum ignoraret femur secundum naturam exteriore & priore parte gibbum esse, primo rectum composuit & in eo habitu deligauit; sed paulo post eum animaduerteret naturalem huius ossis habitum, & eum esse seruandum intel-
C ligeret, antequam callus firmior euaderet ipsum femur refregit vt antea, tum demum naturali sua figura composuit, & ita figurarum naturæ commisit, callo glutinandum. Inde discite, quàm miserum sit in manus imperitorum chirurgorum incidere.

OSSIS ACCVRATA DEFINITIO.

CAP. II.

D CVIVSQVE rei definitio duplex assignari potest: Vna nominis quæ Etymologia dicitur, Altera, rei essentiam declarat. Nominatur Os Græcis ὀςέον, παρὰ τὸ σῶ, σῶον καὶ ὀςέον τὸ ἄιτιον τῆς ςάσεως, παρὰ τὸ ἵςημι, Latinis Ossa, ab vsto dicta sunt, quod cremarentur ab antiquis. Vera autem ossis definitio explicatur à Galeno lib. de ossibus, cum definit ossa animantis partes durissimas, & siccissimas, maximeq; terrestres. Fallopius in hac definitione pleonasmum accusat, quia qui terrestre dicit, ille quid aridissimum significat, cuiusmodi est terra siccissimum elementum. Excusat Galenum Syluius, quod doctrinæ gratia, & ad maiorem orationis perspicuitatem, hanc vocem terrestris addiderit, quasi diceret Galenus, os esse durum quia siccum, siccum quia terrenum, propterea addidit Galenus καὶ ὡς ἂν εἴποι τις, γεωδέςατα. Ego contra hanc definitionem rectè constitutam puto, quia vnumquodque eleganter per suam formam exprimitur. Ossis autem forma durities est, authore Gal. lib. 1. de vsu part.
E quæ cum sit varia & multiplex, à diuersis causis prognata, qua ratione sit durum os explicat Galenus. Durum enim vel est à concretione vt glacies, vel à tensione vt tympanum, vel à siccitate vt lignum & os, idcirco Galenus duritiei adiunxit siccitatem. Et quoniam quod durissimum est & siccissimum, idem quoque terrenum existit, præcedentia duo verba, vno terrestris nomine comprehendit. Præterea ossis siccitas, longè differt à siccitate terræ, quæ est purum & simplex corpus, in suo centro vbi perfectum reperitur friabile. Os vero mixtum & pingue, ad cuius constitutionem non solum seminis crassamentum requiritur, verumetiam quid pingue & aërium, quod ossis substantiam siccissimam alioqui friabilem & dissipabilem vniat & compingat. Si quis obiiciat ex Galeno temperamenta, propriam partium substantiam componere, quia vnumquodque tale est & existit per temperamentum, calidum vel frigidum, aut humidum. Caro enim & os, id quod sunt,

habent à temperamento. Osſis autem temperamentum frigidum & ſiccum eſt authore Gal. quomodo definitur os in definit. med. Reſpondeo Galenum hoc in A
lib. tyronibus ſcribere; quibus euidentiora proponi debent. At quæ ſub ſenſum tactus cadunt, manifeſtiora ſunt, quàm quæ intellectu comprehenduntur. Idcirco maluit os definire per duritiem, quæ vel eſt ipſum oſsis temperamentum, vel ab eo immediatè procedit; Cuius duritiei cauſâ, vtilitatem præſtat corpori: Ita vt quæ duriſſima ſint, eadem frigida & ſicca deprehendantur. Durities autem oſsis tanta eſt, vt nec aqua diluatur, ſicut terra, quæ fit lutum, nec molliatur igne, vt cornu. Cauſam reddit Ariſtoteles, Quæ parum in ſe humoris & caloris habent, quorum euaporatione dura fiunt, igne molleſcunt: calorem enim recipiunt qui humorem liquat induratum. At quæ à calore interiore adeò dureſcunt, vt ſiccescente humore inſtar teſtæ excoquantur, ea nullo igne meliora fiunt. Prioris generis eſt cornu, poſterioris os. Plato in Timæo oſsis duritiem & ſiccitatem ſic ele- B
ganter exprimit, Deus tetram puram atterens madefecit medulla, poſtea in ignem coniecit; dein in aquam, ruſus in ignem, atque in vtrumque os viciſſim transferens, durum & ſolidum effecit. Id manifeſto declaratur exemplo Fabrorum Ferrariorum, qui vt ferrum durius habeant, ſæpius candens & ignitum in aquam mergunt. Scribit Ariſtoteles lib. 2. de generat. anim. in cap. 4. in omnibus animalibus duriora eſſe oſſa marium, quàm fœminarum. Galenus lib. 1. de ſem. cap. 10. tradit vnum idemque os in medio minus aridum, ac proinde minus durum eſſe.

De ſiccitate oſsis mouetur difficultas à recentioribus, quam putant à Galeno profectam. Nam lib. de oſsib. os partem corporis ſiccißimam appellat, cùm tamen lib. de temp. cap. 2. pilum quauis parte ſicciorem faciat, & agnoſcat. Cui opinioni conſentire videtur Auicennas. Reſpondent pilum excrementum eſſe, non C
partem, propterea Galenum prudenter os partem appellaſſe. Sed ſi textus Galeni diligenter expendatur, nullam includit difficultatem. *Os omnium quæ cutis operit durißimum eſt, At eorum quæ à cute expullulant, pilus ſiccißimus exiſtit.*

DE GENERATIONE OSSIVM AC imprimis de Materia.

CAP. III.

VIVSQVE rei cognitio per ſuas cauſas perfecta comparatur: D
Tum nos rem ſcire dicimus, cum per ſuas cauſas cognoſcimus. Vt igitur oſsium natura clarè nobis innoteſcat, operæpretium eſt generationis oſsium cauſas diligenter examinare. Oſsium materia duplex ab Ariſtotele conſtituitur lib. 2. de generat. an. cap. 4. Vna generationis, Altera nutritionis. Materiam generationis vocat, ex qua in vtero oſſa cum alijs partibus gignuntur, qualeeſt ſemen. In ſemine autem duæ partes conſiderantur; Quarum aliæ ſunt tenuiores, humidæ & aëreæ, Aliæ craſsiores & terreſtriores, ex quibus generantur oſſa. Omnes quidem Medici & Philoſophi fatentur ex craſſa & terreſtri ſeminis portione oſſa conflari, ſed num illa ſit pinguedinis particeps vel egena controuertitur. Scribit Galenus cap. 10. naturam oſſa, quæ in ortu erant pinguiſsima, E
abſorbta & exſiccata pinguedine terreſtria atq; arida reddidiſſe, quod videtur deſumptum ex Hippocrate. *Turbatis & confuſis elementis, quidquid fuit ex terræ pinguedine & pingue, & pauciſsimum humidi habens, celerrimè exuſtum eſt, facta ſunt oſſa.* Contrarium tamen ſcripſiſſe patet ex lib. *de carn. Vbi pinguis plus, quàm glutinoſi exiſtit, oſſa formantur.* Requiritur ergo ſeminis craſſamentum pingue, quod partes oſsis ſicciores veluti viſco agglutinet & compingat. Ad ſoluendam hanc difficultatem dicam, Os duobus modis conſiderari, vt fiens, aut factum. Si in ortu ſuo ſpectetur, non poteſt duriſſimum effici ex craſſa & terreſtri ſeminis portione pinguedinis experte: neceſſaria igitur eſt pinguedo ad firmiorem ſubſtantiæ compactionem. At ſi in ſua perfectione conſideretur, abſoluti & perfecti oſsis ſubſtantia, omni prorſus pinguedine caret, quia per calorem expreſſa & exſiccata fuit.

Materia

A Materia nutritionis duplex, Alia remota, Alia coniuncta & proxima. Remota est sanguinis pars crassior ac terrestrior. Proxima iudicatur Medulla, aut medullaris succus in cauitatibus ossis conclusus. *Medulla alimentum ossis*, inquit Hippocrates lib. de alim. *Propterea callo glutinantur*. Quî fieri potest dicet aliquis, vt sanguis ossa nutriat cum venis careant quæ sunt instrumenta sanguinem deferentia? Scribit Hippocrates lib. de oss. nat. solam maxillam inferiorem ex omnibus ossibus venas habere. Galenus quidem lib. 8. de placitis vnicuique ossi venam tribuit, maiorem vel minorem secundum ossis proportionem; & comment. ad lib. 1. de hum. tradit, quoddam vasculum sanguinem distribuens singulis ossibus attribui. Sed lib. 16. de vsu part. cap. vlt. Fatetur ossium venas tam exiles & tenues esse, vt ne quidem appareant in magnis animalibus; quia natura pro necessitate & indigen-
B tia partium, venas modo maiores, modo minores largitur, vt ibidem exponit Galenus.

DE EFFICIENTE OSSIVM CAVSA.

CAP. IIII.

EFFICIENS ossium causa spiritus est semini congenitus & insitus, authore Hippocrate lib. de nat. puer. Qui cum sit calidus, non mirum si alibi dixerit, à calore ossa indurari; Quam opinionem tacitè expressit & exposuit Aristoteles lib. 2. de generat. anim.
C cap. 4. Sed si genitor spiritus benignus & moderatus, sit author generationis ossium; quo iure Galenus asseruit ossa à calore torreri ac prorsus arefieri, in hoc sequutus Hippocratem, qui ossium generationem per exustionem fieri alicubi prodidit? Respondeo calorem seminis moderatum quidem esse, sed propter diuturniorem moram in densiore materia, ad exquisitam ossium perfectionem easdem vires obtinere, quas intensissimus calor, vt vrere videatur. Galenus lib. 1. de naturalibus facultatibus propriâ & specificam facultatem ossibus procreandis destinatam constituit, quæ nascitur ex permistione quatuor primarum qualitatum, quibus imperant Alteratrix, & Conformatrix. Ab his enim duabus omnis generatio partium dependet.

D DE FORMA OSSIVM.

CAP. V.

FORMA ossium duplex à Medicis assignatur, Essentialis & Accidentalis. Essentialis illa dicitur, quæ dat esse ossi, & à qua denominatur. Hanc quidam colligunt ex Aristotele esse animam, quia facies vt ait ille non est facies, nisi animam habeat. lib. 2. de genera. an. cap. 4. ac proinde os cadaueris, non eam formam retinet, qua viuens præditum erat. Quod tribus rationibus demonstrat Scaliger exercitatione 6. Viuens & non viuens toto genere differunt ac distant, ideoque caret cadaueris os
E ea forma, qua erat viuens. Caret etiam fine, nullum enim eius officium vt prius, non est igitur idem. Quin etiam an sit eadem materia, dubitatur. Neque enim vt arte factis, eadem est loricæ & vomeris materia mutata forma. Nam si materia Cæsaris, non est materia Bucephali, quia sunt sub diuersis formis, non erit cadaueris materia eadem numero, quæ fuit viuentis; longè enim magis distant, quàm materia Cæsaris & Bucephali. Hæc enim sub propinquiore sunt genere, quippe sub animali; Illa sub remotiori nempe sub corpore. Istas omnes rationes locus apud Aristotelem lib. 4. Meteor. destruit ac euertit. Rerum omnium formæ actione cognoscuntur, quâ destructa perit forma. Non enim cadauer homo est, nisi homonimωs, vt homo pictus. Quod in perfectis naturæ functionibus multò magis euidentius est quàm in imperfectis. Carnis vt obscura est functio, ita ignoratur forma; propterea caro quæ venditur in macello, non minus caro dici

debet quam ſi eſſet viuentis. Ita de oſſe cæteriſque homogeneis ſentiendum videtur. Cum igitur viuentis oſsis forma ignota ſit, eandem formam mortuum retinebit, quam viuens poſsidebat. Si ignoretur, noſtræ mentis imbecillitati tribuendum. Medici vero ſenſibus addicti, formam cuiuſque partis ſimilaris temperiem conſtituunt, vel temperiem conſequentem qualitatem. Idcirco non aliam oſsium formam agnoſcunt, quam Temperiem frigidam ſiccam, vel Duritiem, quæ temperiem illam conſequitur ac ſupponit: Vt indicauit Galenus lib. 1. de vſu part. cap. 9. Accidentalis forma multiplex eſt pro varia oſsium figura, rotunda, quadrata, tropizia, &c. A

DE FINE OSSIVM. B

CAP. VI.

FINIS oſsium vſus eſt non actio, quam nullum os exercet. Ciborum enim contritio ſiue maſticatio, non eſt actio dentibus propria, quia per ſe non mouentur ad eam actionem perficiendam, ſed ope & miniſterio maxillæ inferioris à muſculis conductæ, non aliter inſeruiunt maſticationi, quàm lapis molaris ad frumenti contritionem. Si quis obijciat ex Galeno vſum ab actione dependere, id verum eſſe reſpondebo in partibus organicis non ſimilaribus. Vſus autem oſsium vel eſt Vniuerſalis, aut Particularis. Communis ille dicitur, qui corpori ſinguliſque partibus ſtabilimen & firmitatem præbet, ſpeciem & rectitudinem exhibet authore Hippocrate lib. de natura oſsium, progreſsionem iuuat ex Galeno lib. 11. de vſu partium cap. 12. ne diuinum animal ſerpentum more repat. Præterea oſſa partes internas ab iniuriis externis muniunt & defendunt, carnibus ſedem & fulcrum accommodant: denique ſenſum tactus adiuuant, neque enim caro laxa & mollis duris corporibus ad explorandas tactiles qualitates applicari poſſet, neque quidquam comprehendere niſi ab oſsibus firmaretur. De particulari oſſium vſu ſuo loco dicetur. C

QVIBVS NOTIS NATVRALIS *oſsium conſtitutio cognoſcatur.* D

CAP. VII.

VT cuiuſque oſsis naturalis conſtitutio perfectiùs innoteſcat, ſigna illam indicantia inprimis ſcire conuenit, quæ affectiones & qualitates oſsium naturales vocauit Fallopius: his enim intellectis de vitio & integritate cuiuſque oſsis certiùs decernemus. Os igitur in viuentibus naturaliter ſe habens, debet eſſe durum ad corporis ſtabilitatem, foris vnctuoſum, candidum, nonnihil tamen ad ruborem inclinans, ſenſus expers ad diſpathiam, excauatum vel foraminulētum vt medullam aut medullarē ſuccum contineat ad ſui nutritionem, in extremis cartilagine incruſtatum ad motus facilitatem, mēbrana quę perioſtios dicitur obductum, optimè figuratū, continuū & æquabile in ſua ſubſtātia. Contra os male affectum iudicauit, ſi fuerit molle, vt quondam Ruellius, Fernelius & Hollerius in quibuſdam oſſa corporis adeo mollia & flexibilia ex morbo reddita obſeruarunt, vt ceræ modo facile ſequerentur quocumq; torqueres. Scribunt inquadā Æthiopię parte incolas naſci toto corpore flexili, vt in omnē poſitionem ſe queant cōtorquere. Legimus apud Hip. natū puellū ἀόστεον exoſſem, præcipuis partibus diſcretum, Foreſtus ſimilē puerum vidit. Præterea ſi os foris aridum fuerit, partis intemperiē indicat, Candidius caloris defectū. Rubrum inflammationem, Nigrum cariem & ſiderationem arguit: Si ſenſile fuerit os, vitiū in eius ſubſtantia latet; Si ſolidum & cōcretum, corpus grauius & pigrius reddit, nec medullam continet alimētum oſsibus neceſſariū: & ſi Plinius referat cōcretis quoſ- E

dam

A dam ossibus ac sine medullis viuere, qui sunt rari admodum, & Cornei vocantur. Signum eorum esse, nec sitim sentire, nec sudorem emittere. Talis fertur Syracusanus Lygdamus, qui tertia & tricesima Olympiade, primus ex Olympico certamine Pancratij coronam reportauit. Eius ossa deprehensa sunt medullas nō habere, referente Solino ca. 3. Si verò crusta cartilaginosa & periostio priuatū fuerit os, difficiliùs mouetur & omnino sensu tactus destituitur. Deniq; deprauatū & malè conformatum totius corporis, vel partium actionem labefactat, atque in sua substantia diuisum, continui solutionem, fissuram vel fracturam adesse testatur.

DE DIFFERENTIIS OSSIVM.

B CAP. VIII.

IN constituendis ossium differentijs magnam video apud Anatomicos confusionem, quisque sibi placet in fingendis nouis differentijs, quas omnes scrupulosius persequi vanum & inutile iudico. Cùm nihil conferant tam variæ & multiplices differentiæ ad perfectiorem ossium cognitionem, quæ authore Syluio spectandæ sunt, ac etiam tactu explorandæ potius, quàm legendæ fusius, aut audiendæ, præsertim cùm ossa ipsa & ea ex quibus differentiæ huiusmodi sumuntur lectori adhuc sint incognita. Propterea prudenter Galenus lib. de oss. exposita ossis definitione, paucas easque vulgares ossium differentias proposuit, *Ex ossibus*, inquit, *quædam grandia & ampliter concaua sunt, ac medulla plena: quædam parua & solida, ac sine medulla, neque caui quidquam quod sensu dignosci queat in se habent.* Fallopius tamen negat Galenū hic ossium differentias tradere, sed ipsorum tantum magnitudinem & paruitatem definire: vt os illud magnum sit, quod non solum quantitate magnū est, verumetiam ampliter concauum ac medulla plenum, & hac ratione ossa scapularum, & coxendicis, & aliquot ossa cranii licet quantitate sint grandia, impropriè magna dici: quia cauitate & medulla carent. Os vero paruum nominari, quod solidum est euidenti cauitate & medulla destitutum: cuiusmodi sunt aliquot ossa faciei, octo carpi, os hyoides, astragalus, cyboides, scaphoides, & chalcoidea ossa. Hippocrates li. 3. de fract. ossa femoris & brachij magna iudicat, quia multum medullæ habent. Galenus verò lib. 2. de vsu part. notauit nullū os paruum medulla refectū esse, defectu cauitatis magnæ ac memorabilis. At mediocria ossa Galenus omisit in hoc imitatus Hippocratem, qui sæpissime prætermittit, quæ facilè subintelligi possunt. Vt dum in officina meminit tantum duræ & mollis frictionis, non autem mediocris. At, inquit Galenus, 2. de sanitate tuenda, qui nouit mollem & duram frictionem, nouit & mediocrem: Ita qui paruorum & magnorum ossium naturam perspectam habet, facile mediocria ossa distinguet. Quæ enim quantitate magna erāt si cauitatem & medullam copiosam non habent mediocria dicentur, ex Fallop. lib. de ossibus. Hæc magnorum & paruorum ossium explicatio non impedit quò minùs ossium generalis diuisio à Galeno designetur. Meo quidem judicio Galenus hoc loco veras & precipuas ossium differentias ex quantitate, substantia, & figura, proponit, ita vt ratione quantitatis ossa quædam sint grandia, Alia parua, Alia mediocria. Quantitas autem cum trinas sub se dimensiones, longitudinem, latitudinem, & profunditatem complectatur: Alia ossis diuisio suboritur, in longa & breuia, lata & angusta, crassa & tenuia. Substantia ossis est durities siue soliditas, ex qua alia nascitur ossium differentia, in dura siue solida, & mollia siue spongiosa. Ex figura seu cauitate manifesta vel insensili, Ossa diuiduntur in caua, & in ea que nullam cauitatem habent: hinc fit vt quædam sint medullosa, alia medulla careant, vt ossa nasi & auricularum, quæ tamen cum intus spongiosa sint, succum medullarem ad sui nutritionem continent. Grandiora vero si caua medullam seruant pro alimento proximo. Remotum enim sanguis est, quem venæ & arteriæ per tenuia foramina, quæ in osse foris apparent, in cauitatem refundunt, quibus foraminibus si ossa destituantur, ab adiacentibus partibus fouentur & nutriuntur, qua pollent vi attractrice ex illis succum alibilem prolectant. Atque hæc de ossium differentiis sufficiant. Qui ampliorem desiderabit ossium diuisionem, accura-

tam & methodicam inueniet apud Laurentium, quam recitare nolui, ne aliorum scrinia compilare videar, vt opus turgescat aliena messe. A

QVID IN SINGVLIS OSSIBVS *obseruandum.*

CAP. IX.

RECENTIORES Anatomici, Fallopius & Volcherus, in singulis ossibus partes, & sedes seu cauitates obseruant. Partes autem ossium sunt tres, aut est pars ossis primaria, vel pars ab osse prodiens & extuberans, quæ Apophysis appellatur, vel est pars adiuncta & superaddita quæ Epiphysis nominatur. Ego vero in vno quoque osse quod alteri B iunctum mobilem articulum constituit obseruo, Corpus, & Extrema. Corpus ossis pars est præcipua primarium scilicet os à natura constructum, vt sit fundamẽtum extremorum. Natura enim semper à medio formationem ossis incipit, quod deinde versus extrema sensim producit. Corpus autem ossis, διάφυσις appellari potest, quæ vox apud Galenum lib. 5. admin. Anat. significat corpus medium duobus ossis extremis interiectum. Extrema ossium sunt Apophyses, vel Epiphyses: in pueris Epiphyses tantum apparent, in adultis ætatis progressu degenerant in Apophyses. Aliorum vero ossium quæ per articulum mobilem non copulantur extrema inuicem conserta, nullas habent Apophyses aut Epiphyses, quas tamen interdum aliunde quam in commissuris emittunt. Apophysis autem est rotunda, vel longa aut caua. Si rotunda caput nominatur, quod si amplum fuerit totius nomen retinet, si depressum & humile Condylus appellatur. C Longa Apophysis vel est acuta, & κορώνη nominatur, vel simpliciter longa, eaque pro ratione figuræ diuersis nominibus insignita; Vel capite terminatur, tumque ceruix dicitur. Apophysis vero caua κοιλὸν cauitas nuncupatur, quæ si profunda fuerit pixis & acetabulum dicitur: si superficiaria glene appellatur. Cauitates quidem omnes vel in ipsis Apophysibus sunt exculptæ, vel ab Apophysib. duabus & tribus efformantur, vt in cauitate Ischii: & quamuis interdum cauitas corpus ossis penetret, tamen ab ambitu osseo efformatur, qui cũ extra planã superficiem erumpat meritò pro Apophysi habetur.

APOPHYSEΩS ET EPIPHYSEΩS *particularis explicatio.* D

CAP. X.

DEFINITVR Apophysis siue processus, pars ossis productior extra superficiem planam protuberans: eo modo quo ex arboris trunco rami procedunt. Ea est in quibusdam ossibus simplex, vt in radio vtrimq; vna, in aliis multiplex, vt in vertebris & osse sphenoide. Comparata fuit Apophysis ad commodiorem ossium articulationem, firmanda musculorum & ligamentorum capita, & insertiones, atque ad vasorum & viscerum munimentum.

Epiphysis est ossis cum altero per Synchondrosin connexio; vel vt definit Galenus ossis cum altero osse vnio, quæ non læui planaque superficie per- E ficitur, sed mutuo ingressu, veluti per Gynglimon mediante Synchondrosi inter se connectuntur. Os enim cui Epiphysis apponitur sinubus quibusdam & asperitatibus abundat, quibus Epiphiseων tubercula sinusque mutuo ingressu firmius vinciuntur. Epiphyseων vsus multiplex est, primus vt in ossibus raris & medullosis operculi vicem gerant, alter quem Columbus & Fallopius inuenisse gloriantur, cum tamen designatus fuerit à Galeno, vt ex ea per Synchondrosin connexione ligamenta prodire possint; quæ ossa inuicem connectunt & tendones musculorum efformant. Vnde Fallopius obseruauit ligamenta non excedere ossis longitudinem, quod non est absolutè verum, siquidem constat ligamentum etiam Epyphisi absente oriri. Tertium vsum addit Galenus, vt contrariam ossium substantiam veluti medio coniungant

A iungant. Præterea insignis est appendicis vtilitas in ossium contusionibus, ne fractura ad articulum procedat, qui commodè ferulis & spleniis contineri non potest: vel si fractura in articulo contigerit, in eo consistat & terminetur, vel propter substantiæ raritatem & laxitatem citissimè consolidetur. Accedit non parua vtilitas ex appendicis substantia laxa, spongiosa, quæ instar ventriculi ossium alimentum præparat, & humore quo turget ossium extrema lubricat ad motus facilitatem. Denique cum epiphysis ipso osse sit latior, tutam & firmam reddit articulationem, dum pluribus partibus os vtrumque committitur, quomodo columnarum bases & epistilia amplificantur ad sustinendi securitatem. Obseruatione dignum est in pueris annotinis etiam bimis Epiphyses & Apophyses Cartilaginosas esse, indurari tamen & in ossis substantiam conuerti, calore per motum & articulorum attritum

B pueris iam ambulantibus excitato: quæ mutatio substantiæ non incipit ab osse cui *Ex Sylvio.* connectitur, sed à centro vbi primum osseam acquirit substantiam, ex Vesalio in examine obseruationum Fallopij. Notandum etiam ex ipso Vesalio in sua Anatome, os cui Epiphysis committitur nulla sui parte mollius & infirmius esse, quàm circa ipsum connexum: Ibi enim pumicis spongiæue modo, multis cauernulis intus præditum est, & ipsa cauitas quæ medullam continet priusquàm os Epiphysi nectatur deficit.

Apophyseωn differentiæ à figura peti debent, extremum ossis rotundum κεφαλὴ caput dicitur, Acuminatum κορώνη, vocatur à figura rostri cornicis, quam æmulatur & exprimit, vel à similitudine extremorum arcus quæ κορῶναι dicuntur. Quod ex gracili principio in amplitudinem dilatatur, ceruix, αὐχὴν. quo nomine non tan-

C tùm ossium partes in capita extuberantes appellantur, verumetiam tenues processus, qui latiores redditi, sinum constituunt, cui aliud os coarctatur, vt in scapula.

Caput autem vel est magnum & profundum, vel paruum & depressum, κόνδυλον vocant. Vtrumque nomen, interdum promiscuè & indifferenter vsurpatur à Galeno; modo caput condylum vocat, modo condylum caput. Inferior, inquit ille, pars femoris latescens in duos condylos definit adeo magnos, vt capita possint appellari. κορώνη vero multiplex existit pro ratione figuræ; Est enim quædam Graphoïdes, Alia Mastoïdes, Alia coracoïdes, Odontoïdes. Ad processus pertinent cauitatum supercilia siue labra χεῖλη, quæ si magna & alta αὐχένες, ὀφρύες dicuntur: si humilia & depressa ἴτυες vocantur.

Ipsæ autem cauitates quibus ossium capita excipiuntur, si sint profundæ, κοτύλαι acetabula nominantur, si superficiariæ γλῆναι καὶ γληνοειδεῖς appellantur. Istas voces

D interdum Hippocrates confundit, nam libro 1. de articulis adscribit scapulis κοτύλην. Eiusmodi cauitates tam profundæ quàm superficiariæ, sunt rotundæ, vt in osse Ischij; vel obliquæ vt in prima vertebra, vel geminæ in vno ossis extremo, quæ bina alterius ossis tubercula excipiunt, vt in osse tibiæ & digitorum: vel trochleis rotulisque similes, vt humeri cauitas vlnam admittens: vel litteram C. referunt vt cauitas vlnæ quam humerus ingreditur.

CVR FACTA FVERIT OSSIVM coniunctio, & quid sit Articulus.

E

CAP. II.

Animal est politicum, homo, natus ad ciuilem societatem, & varias actiones obeundas: qui si vnico continuoque osse compactus fuisset, rigidus & immobilis velut Marpesia cautes stetisset. Talis erat ille, quem viuentem & mortuum in Xenodochio vidit Columbus, viuens nihil præter oculos, linguam, penem, abdomen, thoracem mouebat, defuncto homine inuenti sunt omnes articuli, à capite vsque ad pedes continui. Ad motuum igitur varietatem, corpus ex pluribus & variis ossibus efformatum obtinuit. Nec tantum ad motum, verumetiam ad perspiratio-

nem, transitum cuinsdam substantiæ, partium discrimina, securitatem, & dys- A
patheiam.

Ex ista ossium multitudine admirabilis vnio siue compages exurgit, quæ in cadauere detractis carnibns σκελετὸς dicitur, ἀπὸ τοῦ σκέλλειν, quod est exsiccare, quasi diceres cadauer exsiccatum. Tertullianus cadaueris cratem appellat. Diuiditur σκελετὸς in Caput, Truncum, & Artus; Cuius singulas partes antequam aggrediar, imprimis nosse oportet, quibus modis ista ossinm multitudo nectatur atque firmetur.

Connexionis modus duplex, per Articulum, & per Symphysim. Ab articulo exordiemur, explicata prius huius nominis homonymia. Ἄρθρον Græcis dicitur ἐκ τοῦ, ἄρω τὸ ἁρμόζω, quod videlicet per ipsas partes ad inuicem concinnè accommodentur, atque coeant, vel ipsum inde dictum volunt διὰ τὸ ἀρηρέναι ἀλλήλοις quod concordi quadam copula inuicem firmentur, conueniant atque cõstringantur, inquit B
Meletius lib. de natur. hom. Græcus Etimologicus ἄρτρον deriuat παρὰ τὸ ἄιρω quod est eleuo & attollo, quoniam ab articulis portamur ac mouemur. Articuli apud Hippocratem multiplex acceptio, interdum denotat ossis extremum, non quodlibet, sed rotnndum, quod in cauitatem alterius inseritur, vt libro de Oss. docet Galenus & com. 2. in li. de fracturis. Sic Hippocrates libro de arte, Brachii caput superius ὦμου ἄρθρον appellat, & eodem libro laterales vertebrarum processus τῶν σπονδύλων ἄρθρα. Eidem κατ᾽ἐξοχὴν coxendix ἄρτρον dicitur, libro de Carnibus, & Aristoteles in voce ἄρθρον και διάρτρωσιν vocat vocis distinctionem & explanationem 4. de hist. Animalium. Authores vero Latini per articulum intellexerunt minimam corporis particulam, quod nomen ab artubus deriuatum est. Nam articulus apud antiquos propriè significat os paruum, sicuti artus partem ossis magnam denotat. C
Postea translata fuit vox articuli ad ossium capita, vt legitur apud Celsum & Plinium, qui ossium capita siue nodos appellant articulos, *Nerui ligant nodos, quos Latini articulos dixerunt*. Plinius lib. 11. cap. 37. Medici autem præsertim Anatomici articulum pro coniunctione ossium accipiunt. Apud Hippocratem ἄρθρον propriè designat ossium commissuram mobilem, itavt articuli natura & essentia in motu consistat. Hoc manifestè probatur ex Hippocrate libro de arte. ἄρθρα dicuntur ἐν οἷσιν αἱ συμβολαὶ τῶν κινευμένων ὀστέων ἐγκυκλέονται, in quibus ossium quæ mouentur compages ac commissutæ vertuntur. Sectione 3. de articulis agens de luxationibus quæ fiunt in morbis ita scribit, Vel enim in summa dicam, omnia quæ in corpore ad vsum facta sunt, si quis moderatè ipsis vtatur, & in his laboribus exerceat, ad quos singula sunt adsueta: sic quidem sana sunt & augescunt, & probè consenescunt. Si quis vero non vtatur, sed quiescat, morbosiora fiunt & non augescunt, & citò con- D
senescunt. Hæc autem incommoda facilè perpetiuntur Articuli, & ligamenta; si quis non ipsis vtatur. Inde colligo Articuli actionem esse Motum, qui continua exercitatione conseruatnr: Otio & quiete deperditur, aut saltẽ imminuitur. Quod ipsemet Hippocrates confirmat li. 6. Epid. sect. 5. labor Articulis & carnibus cibus, somnus viscetibus: Quinetiam sub finem li. de aëre, aquis & locis, agilitatem & tarditatem corporis pro ratione articulorum metitur. At dicet aliquis, sibi contradicit Hippocrates: nã libro de locis in homine videtur Articulum appellare τὰς συμβολὰς τῶν ὀστῶν. si locus ille diligenter expendatur, nihil concludit. Manus articulos multos habent: quæcumque enim ossa inter se committuntur omnia articulos faciunt, digiti articulos habent multos, vnusquisque tres. Et paulo post: In pedibus articuli multi quemadmodum & in manibus sunt: quot enim ossa tot sunt articuli, & in di- E
gitis pedum eodem numero sunt, ac pari modo se habent. Ibi non excludit Hippocrates motum, sed tot esse in manu & pede articulos scribit, quot sunt commissuræ quæ motu manifesto præditæ sunt. Galenus quidem hoc libro definit Articulum naturalem ossium structuram, Motum prætermisit quem senior addidit, vt notare licet in eius libris posterioribus præsertim, cap. 1. lib. 12. de vsu partium, & in definitionibus Medicis. Huic opinioni fauet Fernelius: Per articulum ossa vinciuntur mobiliter. Subscribit etiam Costæus lib. 5. disquisit. Physiolog. Quorsum inquit illa ossium connexio per articnlum, & cur non integra potius ac continua efformare præstitisset, vt etiam qnæ per symphisim nectuntur, si mouenda nõ erant?

Hippocrates ἄρθρον vocat eorũ quæ mouẽtur: Galenus lib. 2. de articulis.

Cum ossa inuicem coeunt vt articulus fiat, alterũ quidẽ ipsorũ est quod mouetur, alterũ verò velut sedes quædã ei quod mouetur est subfirmatũ. Galenus lib. 1. de motu muscu. cap. 7.

Motũ in definitione articuli necessariũ esse sic euidentius probatur. Prima cõiunctionis ossiũ causa est motus, authore Gal. lib. 11. de vsu part. cap. 18. Atq; ad faciliorem

A rem articulorũ mobilitatẽ, natura cauitates ossiũ humore vnctuoso veluti oleo oppleuit, ex Hippocrate li. de ossiũ natura, & Gal. li. 1. de vsu part. cap. 15. Scribit Plato in Timæo nostrum conditorem in ossiũ fabricatione, alterum alteri inseruisse, vt fieret articulus, ad mouendas & flectendas corporis partes. Recentiores omnes Anatomici Vesalius, Columbus, & ipsemet Syluius, articulum definiunt ossium compositionem cum motu. Præterea Articulus & Symphisis sunt differentiæ oppositæ, quæ Synthesin ossium diuidunt. Contraria autem sese mutuo definiunt & explicant; qui nouit vnum contrarium, nouit & alterum. Arqui Symphiseos naturam per immobilitatem expressit Galenus; Ergo motus constituet essentiam & naturã articuli: quia contrariorum contraria est consequentia.

B *DIFFERENTIÆ ARTICVLORVM PROPOnuntur, & Galeni opinio examinatur.*

CAP. XII.

ARTICVLATIONIS duas species Galenus constituit: Diarthrosin, & Synarthrosin, quæ à se inuicem tantum differunt pro motus quantitate. At quæ secundum magis & minus differunt, apud Philosophos, specie non distinguuntur: Proinde Synarthroseos & Diarthroseos eædem erunt differentiæ. Diuersas tamen proponit Galenus, vnicuiq; suas assignat; Diarthroseos tres sunt differentiæ, Enar-
C throsis, Arthrodia, & Gynglymos: Tres quoque Synarthroseos differentiæ, Sutura, Harmonia, & Gomphosis: quæ cum omni motu careant, non videntur sub Synarthrosi contineri. Quod fatetur etiam Fernelius. Synarthroseos differentiæ videntur aptius in Symphiseos genus referri. Syluius respondet pro Galeno ad naturam Synarthroseos non requiri motũ, sufficere si in quibusdam adsit, idque probat ex ipsomet Galeno com. 2. lib. de articul. part. 9. Cum scribit genæ supernæ ossa immobilia posse dici iuncta per Synarthrosin, propterea quòd Hippocrates scribit Synarthrosin esse iuncturam ossium, interdum eorum quæ vix, interdum eorum quæ nullo modo moueri videntur, sicut Diarthrosin naturalem commissuram ossium quæ apertè mouentur. Inuenio apud Galenum lib. 13. de vsu part. cap. 8. ossa capitis iuncta per Suturam, obscurè moueri. Capitis ossibus, inquit, nullus motus
D conspicuus inest, spinalis autem medullæ ossibus vehemens. Id apertius affirmat lib. 13. Methodi cap. 22. se in ijs vidisse, quibus rasum caput fuerat inter mandendum commissuras ossium coronalis suturæ manifestè moueri, sic vt facilè appareret hominibus illis laxam esse eiusmodi ossium capitis compositionem. Ingrassias multũ laborat in probanda Synarthrosi Galeni, quam affirmat posse retineri, si textus Galeni de ossibus corrigatur hoc modo, τῆς δὲ συναρθρώσεως αὐτὰ καὶ ἄλλα, differentiæ Synarthroseos hæ erunt, Enarthrosis, Arthrodia, & Ginglymos, & aliæ, Sutura, Harmonia, & Gomphosis. Hoc demonstrat exemplis Ingrassias, Galenus cap. 12. lib. 1. de ossib. brachialis ossa, inter se per Synarthrosin iuncta dicit: & capite sequenti metacarparij ossa cum carpo per Synarthrosin, cap. 23. tria tarsi ossicula cum inferiore Scaphoidis parte, per Synarthrosin connexa esse scribit. cap. 12. pectoris ossa iun-
E cta per Harmoniam, asserit articulari per Synarthrosin, lib. 2. κατὰ τόπους. Suturam ipsam Synarthrosin vocat. Quidam hunc modum ex ipsomet Galeno solui putant, dum scribit cap. 13. libri de ossibus in multis corporis partibus Synthesin ossium ambiguam esse, adeo vt dubites an ea per Diarthrosin, vel Synarthrosin inuicem iungi dicenda sint. Quid inde sequitur? suturam nimirum, harmoniam, & gomphosin, medias esse articulationes inter Synarthrosin & Diarthrosin, mediumque motum habere, quod veritati repugnat. Etenim Medicus est Physicus sensatus, omnia sensu probari cupit, nec credit esse quod non videt. At quis vnquam in Sutura, Harmonia, & Gomphosi motum visu vel tactu percepit? Quod vero de motu capitis obiicitur falsum est; Negat Columbus ossa capitis moueri; Nam si quando suturarum compages laxetur, contra naturam est, vt in dolore capitis obseruarunt Auicenna fen. 1. cap. 3. tract. 3. cap. 40. Ioubertus, Aetius lib. 6. cap. 25. Paul.

Vide Marcellum Donatum historia medica p. 101

Nullus motus voluntarius fieri potest in animalibus absq; musculis Gal. lib. 1. de mot. musc.

lib. 3. cap. 7. Quapropter cum sensus & ratio manifestè demonstret, in Sutura, Harmonia, & Gomphosi nullum motum adesse, cumque Musculis careant ad motum necessarijs, nec sensus istorum ossium motum percipiat; Tres illæ Synarthroseos differentiæ à Galeno constitutæ ad Symphisim referri debent. A

Hoc fatetur Galenus de Gomphosi lib. de ossibus, quam ambigere scribit, proceq; ad Symphisim accedere. Ossa genæ superioris per Harmoniam iuncta sunt: Hanc tamen coniunctionem Symphisim vocauit Hippocrates. At si Harmonia ad Symphisim reuocatur, eòdem pertinebit Sutura: cùm hæc duo apud Hippocratem & Galenum promiscuè & indifferenter accipiantur.

Symphisis autem non tantum osium ἕνωσιν significat apud Hippocratem, verumetiam osium Syntaxin, vt videre est apud Fœsium in œconomia Hippocratis, in dictione σύμφυσις. Symphisim definit Galenus hoc libro, osium naturalem vnionē, in definitionibus Medicis circa finem rectiùs, osium compositionem sine motu: B Cuius tres posuit differentias, Syssarcosin, Syneurosin, & Sycondrosin, quæ sunt syndéseωs propriæ. Vt enim ad mensæ constructionem non est satis asseres dedolasse, & conuenienter aptasse; Opus est præterea glutine, clauis, paxillis, quorum adminiculo inter se iungantur. Ita osium compages inutilis esset, & confestim solueretur, nisi vinculis, carne, cartilagine, ligamentis contineretur: Similem comparationem adduxit Galenus de calce & cæmento lib. 3. adm. anat. cap. vlt.

NOVA DOCTRINA DE ARTICVLIS.

CAPVT XIII. C

a Auicēna li. 1. fen. 1. doct. 5 tradit ossa alia esse vicina cōtiguitate laxa, in qua vnū os facilè mouetur sine alterius motu: Alia neq; laxa neque arcta esse, cum vnum os facile sine alterius motu non mouetur. Alia esse arctissima quando ossium nullū seorsum moueri potest, quibus verbis primo Diarthrosin, secūdo Synarthrosin, tertio Symphysin, intelligit: Ad postremam coniunctionē reuocat Suturam, Harmoniā & Gomphosim.

CVM vnicuique liberum sit philosophari, meam super ea re sententiam non dissimulabo. Galeni opinio de Articulis manifestis erroribus abundat, qui nullis rationum inuolucris celari possunt. Probabilior mihi videtur Auicēnæ doctrina, a cuius hoc erit fundamentum ex Aristotele petitum cap. 9. lib. 2. de partib. animal. Nullum os seorsim per se habetur, sed aut pars est continui, aut tangit atque annectitur, vt natura tanquam vno continuoque osse, & tanquam duobus distinctisque ad flexum vtatur. Continui pars est Apophysis. Contactus siue contiguitas cernitur in Articulo, & Symphisi: Quæ duo Syndesis firmat & connectit. Contiguitas autem ossium vel est mobilis, & Articulus appellatur; Vel immobilis quæ Symphisis dicitur. Articuli duæ sunt species, Diarthrosis, & Synarthrosis; Hæc, ossium connexio est cum D leui & obscuro motu: Illa vero ossium coniunctio cum manifesto & euidenti motu. Vtriusq; sunt eædem differentiæ, Enarthrosis, Arthrodia, & Gynglymos. Enarthrosis est cum magnum caput amplam & profundam cauitatem subit; quæ cum sit Diarthrosi & Synarthrosi communis, cuiusq; exemplum proponam. Enarthroseωs diarthωdis motus euidens est in articulo Ischij; Enarthroseωs Synarthrωdis motus est obscurus in articulatione Tali cum scaphoide: Arthrodia perficitur cum depressum & planum caput à leui & superficiaria cauitate excipitur: Arthrodiæ Diarthrωdis exemplum erit articulus radij cum cubito: Arthrodiæ Synarthrωdis, ossa carpi cum metacarpio. Gynglimos fit vbi mutuus est ossium ingressus, ac si digitos mutuis insertionibus committas: eiusmodi articulatio Gynglimoides in fenestris & ostijs hodie passim visitur, in quibus ferramentum vtrumque, & quod vehit, & E qnod circumagitur mutuum habent ingressum. Gynglimi diarthrωdis motus manifestus est in articulo femoris cum tibia. Gynglimi Synarthrωdis obscurus in Tali cum calce connexu.

QVID

A QVID SIT GYNGLIMOS, EIVSQVE variæ acceptiones exponuntur.

CAP. XIIII.

His tribus Articulis Vesalius & Fallopius quartum addunt, quem Trochoidem nuncupant, cum os cauum rotæ instar, processum alterius tanquam axem admittit. Talis est primæ vertebræ cum secunda articulus, in quo conuersionis motus manifestè deprehenditur. Platerus hunc articulum ad Enarthrosin refert: Mihi tamen videtur esse Gynglimos, qualis describitur à B Vesalio, & apparet in ostijs, vbi clauus crassior parieti affixus verticillum histri subit. Notatione dignum est ex Vesalio Enarthrosin & Arthrodiam pluribus & varijs motibus inseruire, Gynglimon verò solam flexionem & extensionem pati.

DE GYNGLIMO PARTICVLARIS *obseruatio.*

CAP. XV.

C Galenvs duplicem Gynglimum constituit lib. de ossib. ratione structuræ differentem. Vel enim fit ex duobus ossibus, vt in humero & cubito, femore & tibia; vel ex tribus componitur, sicut in vertebris: tum vertebra in medio sedens superiorem admittit, & ab inferiore vicissim excipitur. Vesalius secundum Gynglimi modum reprehendit, quem tamē Galenus Gynglimo quodammodo similem esse scripserat. Quia Gynglimos vnicum edit motum: At vertebræ præter flexionem & extensionem, habent etiam lateralem motum. Deinde superiorum vertebrarum vsque ad vndecimam diuersa est articulatio, ab illa inferiorum. Denique si Gynglimos iste, vertebrarum admittatur, in alijs etiam ossibus constituendus erit, quæ parte vna excipiunt, & altera excipiuntur. Cuiusmodi sunt prima digitorum ossa, quæ superiori sede per Enarthrosim postbrachialis ossibus iunguntur, & ima parte ossis secundi sinus D subeunt. Hanc postremam obiectionem præuiderat Sylvius, quam ità diluit, in comment. de ossib. *Hoc loco videtur desiderari commissura vtrinque duplex, reliquorum spondylorum supra & infra decimum.* Imo si credimus Fallopio comment. de ossib. solæ vertebræ iunctæ sunt per Gynglimum: Idcoque Galeno succenset, quod de natura & perfectione secundi Gynglimi dubitauerit, quem verum esse Gynglimum ita demonstrat. Gynglimos significat cardinem & clauum quibus ianua continetur; Nam antiquitus vtrique extremo valuæ infixus erat clauus, qui aptis cauitatibus recipiebatur: similis est Gynglimos vertebrarum, quæ vtrinque vicinis ossibus connectuntur. Ipsemet Hippocrates cuius opinioni stare oportet, Gynglimum duplicem agnoscit, brachij & cubiti, femoris & tibiæ articulationem Gynglimum vocat: lib. de articulis vertebras inter se per Gynglimum colligati scripsit.

Ingrassias comment. in lib. Galen. de oss. quadruplicem Gynglimum proponit. E Primus est verus & proprius, cum ossa duo in eadem parte, per mutuum ingressum sese inuicem subeunt, vt in cubito apparet. Secundus minus propriè dictus, est duorum quoque ossium mutua, sed duplex articulatio, per mutuum ingressum in distantibus locis facta, vt accidit in radio & cubito, sura & tibia. Tertius magis remotus & alienus, fit ex duplici trium ossium articulatione, in qua medium os sedens, vna parte suscipit, & altera suscipitur, vt in vertebris obseruatur. Quartus est duorum ossium in eadem parte per duplicem & consimilem articulationem facta coniunctio: qualis in vertebris cernitur. Quintum Gynglimum ex Celso proferunt de maxilla inferiore, quam dixit cardinis modo iungi. Aristoteles 3. de anima cap. 2. Gynglimi naturam aliter expressit, in eo conuexam quandam partem esse statuit, alteram concauam, quarum vna finis, altera principium est, vna quiescit, al-

tera mouetur. Quem locum imitatus est Galenus lib.1. de motu musculorum. Inde apparet Aristotelem Gynglimum accipere, pro ea articulatione quam nos Enarthrosin vel Arthrodiam vocamus, quas quidem articulationes consimiles esse credidit, quoniam inter se tantum differunt, secundum magis & minus. Propterea duobus tantum modis ossa connecti tradit, primus est cum vnum os cauum alterum rotundum excipit, aut vtrumque cauum medio osse veluti clauo continetur. A

DE SYMPHISI OSSIVM.

CAP. XVI.

Declaratis omnibus Articuli differentijs, superest de Symphisi agere, quæ cum omni motu careat, quatuor sub se complectitur differentias plane immobiles, Suturam, Harmoniam, Gomphosin, & Epiphysin. Sutura est compositio consutis rebus similis, qualis in ossibus cranij conspicitur. Solam hanc Galenus agnoscit; sed ad eius faciliorem explicationem varias similitudines adduxit, vt videre est lib. de ossib. & lib. 9. de vsu part. quas nostri Anatomici pro differentijs Suturarum acceperunt. Huic errori occasionem dederunt Fallopius & Columbus, qui triplicem Suturæ differentiam constituunt, quarum prima est consutis rebus similis τοῖς ἐῤῥαμμένοις. Secunda ferratilis πριονοειδής. Tertia ad vnguem structa εἰς ὄνυχα, quando gibæ partes ad vnguium figuram structæ sinus rotundos sibi idoneos subeunt. Celsus more veterum suturas capitis in vnguem committi scripsit. Hunc Suturæ modum Columbus excludit & rarissimum esse fatetur. Admonuit Galenus lib. de oss. Suturæ vocabulum à recentioribus Anatomicis pro Harmonia vsurpatum fuisse, idque merito, quia non omnium craniorum suturas serratis exactè compagibus similiter constructas deprehendes, sed aliquando in ipsa ossium Syntaxi cernere est alteri quidem cranio suturam inesse, alteri Harmoniam. B C

Harmonia est ossium structura per simplicem lineam, rectam, obliquam & circularem, quæ foris tantum designatur: intus enim anfractuosa & serratilis apparet. Pari ratione ossa quæ foris iuncta sunt per Suturam intus lineam repræsentant. Talis ossium connexio in ossibus nasi & genæ supernæ spectatur. Gomphosis conclauatio siue fixura claualis dicitur, cum instar claui os ossi infigitur, vt dentes qui suis alueolis ita tenaciter adhærent, ac si clauum ligneæ tabulæ violenter adegisses. D

Sed quia non est satis ad articulum & Symphysim ossa inuicem componi, nisi vinculis in isto situ contineantur, ad eum finem natura Syndesin molita est, quæ ossium commissuram carnis, ligamenti, cartilaginis ope connectit; à quibus triplex emanat Syndeseωs differentia, Syssarcosis, Syneurosis, & Synchondrosis. Nullam autem ossium compositionem Vesalius & Columbus agnoscunt; quæ fiat nullius rei interuentu: licet Galenus hoc libro asserverit ossa mollia per se coalescere, dura non nisi alterius mollioris materiæ & glutinantis interuentu. Nam apertè videmus ossa pectoris & os sacrum constituentia fungosa & mollia mediante cartilagine vniri, & appendices fungosas non sine medio coalescere: Intercedit enim cartilago quæ progressu temporis exsiccata perit & euanescit.

Nequidem suturæ capitis & Harmoniæ sine medio coeunt.

E

DOCTRINA GALENI DE ARTICVLIS benignè explicatur.

CAP. XVII.

Ne qvis existimet me turpiter à Galeno defecisse, cuius opiniones aliquatenus probabiles amplectendas, alijsque præferendas esse anteà decreueram: Conabor illius doctrinam authoritate Hippocratis fultam demonstrare, nec à rei veritate multum distare: Imo ex positis ab illo fundamentis verissimam esse. Scribit ossa committi per articulum, & Symphysim; Articulum definit ossium naturalem Syntaxim, ita vt articul-

A culi essentia consistat in contiguitate ossium siue per ingressum & receptionem siue per planam superficiem fiat. Quod manifestè declarauit Hippocrates lib. 4. de artic. sub fin. *Imprimis nosse conuenit, ossium commissuras vt plurimum ex capite & acetabulo constare, ac in quibusdam cauam acetabuli formam referre, & oblongum esse, in nonnullis verò sinus leuiter esse depressos.* Notandum scripsisse Hippocratem, *Commissuras ossium VT PLVRIMVM ex capite & acetabulo constare:* Quasi diceret alias dari quæ non eo structuræ modo componuntur; sed per planam superficiem, cuiusmodi sunt Harmonia & Sutura. Articulus verò duplex, Diarthrosis, & Synarthrosis: qui differunt pro motus quantitate. Nam in Diarthrosi motus manifestus & euidens existit; In Synarthrosi obscurus & inaspectabilis. Hippocrates in Synarthrosi, nullum motum admittit. Maxillam superiorem capiti iunctam esse per Synarthrosin scribit, & duorum ossium maxillę inferioris connexionem, quę Synarthrosis est, Sym-
B physim vocat: quia nullo modo mouentur, vt ossa quæ Symphisi iuncta sunt. At Diarthrosis apud Hippocratem, semper est cum motu euidenti vel obscuro. Id patet ex partic. 52. lib. 2. de fract. *Totum id appellatur Diarthrosis, vbi committuntur extrema ossium, quæ in flexu & porrectione mouentur.* Galenus quoque huic opinioni subscribit, cum Diarthrosin vocat ossium compositionem propter motum volunta- *Lib. 12. de*
rium comparatam. Diarthrosim verò dari cum exiguo & obscuro motu, ex Hippo- *vsu part.*
crate intelligitur qui clauiculæ cum sterno iuncturã *κιγκλυσμὸν* vocat, quæ tamen ad Diarthrosin referenda est, non Synarthrosin authore Syluio. Tradit etiam Gale- *Lib. 3. de*
nus *ἀμφιαρθρώσεως* vocabulum apud iuniores Medicos vsitatum esse, quo significant ossi- *Articul.*
um commissuras quibus talis inest motus, vt sensu aliquatenus percipi posit. Si
C quis obijcit obscurum articuli motum ad Synarthrosin pertinere ex Galeno, qui alibi definit Synarthrosim, iuncturam ossium quæ vix aut nullo modo mouentur. Respondebo id etiam reperiri in differentijs Synatthroseos; Nam ossa capitis obscurè & insensibiliter moueri instar conchylij notauit Galenus. Vidit etiam laxari & constringi suturarum compages. Dentes interdum laxati mouentur, qui postea tenacius adhærescunt. Deprehendit Scaliger in quibusdam animalibus dentes esse mobiles, vt viperino generi. Præterea docet Galen. lib. 2. de vsu part. Diarthroses alias esse laxas, alias strictas, vt motus magnos vel exiguos edant. Ergo Diarthrosis magnum & paruum motum recipit. Hæc sub se comprehendit Enarthrosin, Arthrodiam, & Gynglimum, quæ articulationes motu præditæ sunt. Synarthrosis verò tres alias articuli species complectitur plane immobiles, Suturam, Harmoniam, & Gomphosim; quas omnes ad Synarthrosim pertinere facilè probatur ex Gale-
D no. Nam lib. 2. *κατὰ τόπους* & 12. de vsu part. suturas capitis Synarthroses appellat, Harmoniam quoque maxillæ inferioris Synarthrosim vocat comment. ad partic. 9. lib. 2. de fract.

Cum autem reperiantur ossa quæ non iunguntur per articulum, id est, per mutuam contiguitatem, sed interuentu alicuius materiæ vniuntur, propterea Galenus alteram Syntheseos speciem constituit, videlicet Symphisim: quæ ab ipso definitur *naturalis ossium vnio, per quam duo ossa vnum fiunt.* Ossa fracta callo quidem vniuntur, sed non secundum naturam, at in Symphysi naturaliter coalescunt. Inde colligo, si Galenus Symphysim comparauit cum ossium fractorum vnione, quæ continuitatem recipit, etiamsi naturalem esse neget, ergo in Symphisi ossium continuitas naturalis requiritur. Quod amplius adhuc ex ipso Galeno confirmatur. Gom-
E phosim quæ Synarthrosis est *κατὰ ἠρεμίαν*, propè accedere ad Symphysim tradit, propter quietem & immobilitatem; sed quia dentes suis alueolis non adnascuntur, vt extractio & casus eorum satis indicant; eam ob causam Gomphosis pertinere non potest ad Symphysim, quæ debet esse ita immobilis, cùm quidpiam exquisitè infixum, nullo modo mouetur. Quibus ita positis & constitutis, inueniendæ sunt Symphises, quæ fiant per Syssarcosim, Syneurosim, & Synchondrosim.

Fallopius & Vesalius ingenuè fatentur ignorare Symphyses, quæ per hæc tria media, carnem, cartilaginem, & ligamenta perficiantur. Conabor tamen aliqua exempla proferre; tria ossa ilium, & septem sterni, iuncta sunt & vnita per Synchondrosin. Vertebræ ossis sacri per Syneurosim inter se coaluerunt. Epyphisis interna ossis temporalis, quæ cauitates auris comprehendit, per Syssarchosin coaluit; vt & ossa quatuor sphænoidis, & tria occipitis. Carnis autem nomine intelligo membra-

nas, cum Galeno lib. 7. administr. Anat. cap. 2. & Syluio in Anat. cap. de carne. A
Porro cum ad continuitatem duorum corporum efficiendam, medium synonimum esse debeat ex Aristotele 6. Physic. cap. 3. *Omne quod continuum est, eam vim habet, vt interiectum sit eius extremitatibus aliquid eiusdem generis.* Tria hæc media Symphiseos, nimirum Membrana, Cartilago, Ligamentum, ab ossibus emanant & oriuntur. Superest nunc demonstrare alteram Symphyseos speciem, quæ fit sine medio, qualis accidit in ossibus fungosis & mollibus. Nam ficciora densioraque non sine intermedijs connascuntur. Vesalius in hac parte Galenum inique reprehendit, affirmatque fungosa & mollia ossa, vt sunt appendices, semper interuentu cartilaginis siccis ossibus vniri, in duris verò & exsiccatis ossibus, nullam Symphysim intercedere. Dura vocat ossa extremitates ossium, quę per Suturā & Harmoniā connectuntur, cuiusmodi sunt ossa capitis quæ dormitans Vesalius non obseruauit, B qua parte inter se committuntur valde fungosa & mollia esse, ex Hippocrate. Ergo si quæ reperitur Symphysis sine medio, hæc in ossibus cranij admittenda.

DE CAPITE, CVIVS FIGVRA NATVralis, & contra naturam explicatur.

CAP. XVIII.

Actenvs communes ossium affectiones siue proprietates exposui. Nunc ad particularem cuiusque ossis historiam digrediar. Vnde & à quo incipiendum sit, iure dubitari potest. Nam si C ab eo osse exordium sumatur, quod prius generatur & conformatur; Peripatetici Medici inchoandum esse à spina dicent, quę sedes & origo reliquorum ossium ab Aristotele statuitur, lib. 2. de hist. anim. cap. 9. eam idcirco veteres carinæ in nauigio primum iactæ compararunt, cui ceu fundamento latera, prora, puppis innixa cohærent; Similiter in homine corporis moles spinæ ope stat & erigitur. At Medici doctrinæ Hippocratis addicti, nunquam dabunt Aristoteli spinam in vtero primam generari & conformari. Quoniam natura tres primum ampullas producit & excitat, quæ tres partes principes referunt, inter quas caput eminet; quod reliquis celerius augetur, ita vt fœtus vsque ad quartum mensem, totum caput appareat, quo nimirum tempore solum caput reliquis partibus simul iunctis præponderat. Propterea prudenter scriptum fuit ab Hippocrate lib. 6. epid. ex capitis magnitudine D reliquorum ossium naturam dependere. Rachis enim siue spina corporis truncus, ex capite velut è radice germinat, ex spina reliqua ossa, velut rami à trunco procedunt. Cum igitur caput ortu, dignitate, & situ primum existat; Ab eo videtur inchoandum, exemplo Galeni, quem sequuti sunt omnes Anatomici; etiamsi Fernelius à spina suam Osteologiam exordiatur.

Caput autem appellatur tota supra collum pars posita, quo significato vtimur cum abscindi alicuius caput dicimus; inquit Galen. lib. 3. de plac. cap. 8. Componitur ex Maxillis duabus, & cranio, de quo prius agendum. Cranium corpus est globosum & rotundum introrsus concauum. Nam si detractam imagineris vtramque maxillam, cranij figura naturalis sphærica erit, quadamtenus oblonga, anteriore & posteriore parte protuberans, & ad latera vtrimque compressa. Rotunda E est ad capacitatem, & δυσπαθειαν. Corporum enim ἰσοπεριμέτρων rotundum est capacissimum, & valentius resistit: Causam reddit Scaliger exercit. 30. quia est continuum, & vnilineum, neque punctum habet cognitum aut designatum, quod sit principium dissolutionis. Præterea rotūda corpora facilius agitantur & voluuntur, ob eam etiam causam orbicularis facta fuit capitis figura. Longitudinem habuit, vt cerebrum & cerebellum contineret, & neruorum origini conuenientem locum seruata serie præberet. Anteriore quidem parte protuberat, propter Apophyses mammillares: atque etiam posteriore prominet, propter spinalis medullæ exortum, & cerebelli situm: lateraliter compressa est, vt oculi ad latera prospicerent.

Eam figuram cranium à cerebro habere opinatur Galenus, quod reprehendit Vesalius

A Vesalius. Quia cerebri figura non obstabat, quominus cranium exactè rotundum fieret. Sed oblongum factum fuisse duabus de causis existimo, partim ad faciei venustatem, partim ad faciliorem capitis gestationem. Nam si exactè rotundum fuisset, deficiente antica proiectura, Maxilla inferior, atque superioris extremitas, indecorè prominuissent, & oculi nullo munimento defensi fuissent. Antica vero proiectura angustior est, vt musculis temporalibus, & articulatione maxillæ inferioris sedem ac locum præberet. Quorum additione & applicatione posticę adęquatur, quę quidem latior & capacior facta fuit, vt caput staret in ęquilibrio.

Capitis figura contra naturam Hippocrati φοξὸς dicitur, quod vocabulum authore Galeno non tantum caput fastigiatum denotat; Verum etiam illud quod productiores quàm deceat, habet eminentias, aut alteram duntaxat eminentiam obtinet. Capitis itaque deprauati figura multiplex existit. Vel enim anterior proiectura deest, vel posterior, vel vtraque deficit: cuiusmodi caput, στρόγγυλον dicitur. Quartam figuram quando nimirum longitudo capitis in latitudinem mutatur, Galenus non putat dari animali superstite: quia tota cerebri constructio peruerteretur. Talem figuram videre non licuit diligentissimis Anatomicis, Fallopio, Eustachio, & Columbo. Vesalius tamen illam in tribus notauit, vt ipsemet testatur lib. 1. cap. 5. eamque Conciliator, differentia 79. & Vgo Senensis com. in artem paruam Galeni, in quibusdam obseruarunt, Sed rara est, & potius naturę παίγνιον. Quę autem rara sunt inquit Aristoteles cap. 15. lib. 3. de Hist. animal. in artem referri non debent. Quintã deprauati corporis figuram addo, si verum sit quod narrat Cardanus lib. 8. de varietate cap. 24. In India Occidentali incolas prouincię portus veteris, quadratum caput habere, non arte, sed natura tale, quoniam ab his quorum caput ab initio inter tabulas figuratum fuit, vt quondam Macrocephalis productum, eiusce modi formam contraxerant. Quę primum artificialis fuit, tandem beneficio procurationis, naturalis & gentilitia facta est.

Cum autem Medici ex figura deprauati capitis, maxima morum & sanitatis argumenta sumant: Quænam inter eas sit laudabilis & vitiosa, ex Galeno declarabo lib. 6. Epid. exigua capita semper praua sunt. Magna vero licet rarò, nonnunquam bona iudicantur; tam ob facultatis formatricis robur, quàm ex materiæ vnde creata sunt vbertate: quali capite Pericles Atheniensis vir prudentissimus fuisse traditur. Nec enim grandius caput vituperandum, si naturalem figuram retineat, & ceruicẽ validam, atque oculos acutum cernentes habeat, sed acuta capita vitiosa sunt, cum scilicet anterior vel posterior proiectura deficit, aut quàm deceat longior est. Improbatur caput acutum ex imminuta proiectura, non autem illud quod adauctam habet. Inprimis considerabis decoram incrementi formam, quia deformia inctementa praua sunt; Deinde notabis quantum posterior proiectura anteriorem superet; Melior enim est postica quàm antica, ibi namque nobilissimus cerebri sinus, & spinalis medullæ principium continentur. Postea ceruicem inspicies, imbecilla sit, an robusta. Nam si proiectura neque indecora fuerit, nec vltra modum grandis, validumque eam collum sustineat; huiuscemodi capitis acumen probabis, atque istos homines aliorum membrotum, sed pręcipuè ossium viribus pollere comperies. Verum vt animaduertit Hippocrates Cephalalgiæ sunt opportuni, auribus sordidis, palato concamerato, maxillis distractis, nec inter se ad amussim compositis.

Pro ratione & varietate figurarum capitis, suturarum numerum & sedem immutari scripsit Hippocrates. Quæ omnia libro de vulneribus capitis diligenter explicat, ne in cranij percussionibus à suturis, vt ille quondam in Autonomo decipiamur. Naturalis capitis figura tres habet suturas ita dispositas, vt vna sit anterior dicta Coronalis, Altera posterior Lambdoidης, Tertia inter vtramque media, per capitis longitudinem extensa, Sagittalis dicta. In deprauato capite si anterior proiectura pereat, sutura coronalis aboletur: si posterior desit, Lambdoidης deperditur, & quæ duæ supersunt suturæ literam T exprimunt. At quando vtraque proiectura deficit, duæ remanent suturæ in modum chiasmi decussatæ: sese ad angulos rectos intersecantes. Quarum vna ab occipitis foramine ad summas vsque nares, rectã per capitis longitudinem excurrit. Altera transuersa ab vnius auris regione ad alteram per medium caput producitur.

At littera X angulos internos acutos, externos obtusos habet. Ergo veterũ X aliter descriptum erat, aut Ψ litteræ similitudinem potius referet, quod etiam animad-

uertit Galenus lib. 9. de vsu partium. Recentiores Anatomici Fallopius, Eustachius, Columbus, hac in re ab Hippocrate & Galeno dissentiunt. Negant suturas variari, A propter vtriusque vel alterutrius proiecturæ defectum, quod etiam fatetur Syluius aliàs acerrimus opinionum Galeni propugnator. Vnde mirari subit cur Galenus Hippocratis dogmati tam pertinaciter fauerit, cum ipse lib. 6. Epid. mentionem faciat capitis figuræ, in qua syncipitis & occipitis proiecturæ iusto maiores erant, suturis tamen à naturali figura non immutatis. Equidem fateor hoc effatum Galeni, pro capitis figura suturarum numerū, & positum immutari, non esse perpetuæ veritatis; non omnino tamen falsum. Vidit enim Volcherus Coiter Bononiæ apud Arantium insignem Anatomicum, Caluariam anteriore proiectura, & coronali sutura, atque squammiformi priuatam; quod dictum sit contra Fallopium, qui asseuerat nunquam visas fuisse absentes suturas coronalem & lambdoidem, propter alterutrius proiecturæ defectum. Obseruatione dignum est quod scribit Paræus lib. B 4. cap. 4. in nonnullorum cranij tubercula eminere præter naturam, in rotundum aut angulos acta, quæ figuram situmque suturarum immutant. Scribit Syluius coronalis suturæ situm in nostris cranijs non eundem semper obseruari: extremis finibus nunc in suturam Sphenoidi & ossi petroso communem incidere, nunc anterius, nunc posterius, & summa parte sua nunc fronti magis propinquare, nunc vertici: Syluius domi habebat cranium, in quo duplex erat Lambdoides, etiam trium digitorum interuallo dissita, & vtraque alijs duabus suturis æquidistantibus coniuncta. Vidi etiam cranium duplici lambdoide præditū. Omnium rerum sunt quædam in alto secreta, & suo cuique corde peruidenda, quid quod mutantur sæpe iudicata quæque, ac diu comperta.

Plin. lib. 17 cap. 4.

C

DE SVTVRIS CAPITIS.

CAP. XIX.

CAPVT, inquit Galenus lib. 7. de vsu partium cap. 1. trunco corporis suffultum, est veluti tectum quoddam calidæ domui superpositum, ad quod fuliginosa subiectarum partium excrementa feruntur. Hippocrates vero lib. 4. de morbis, caput amplæ cucurbitulæ cōparat, quoniam ab inferni partibus vapores & fuligines attrahit, quibus cerebrum glandulosum imbuitur. Cum autem sint contra naturam & retenta in cerebro lethales morbos inducant; Ad eorum euacuationem Natura varios ductus efformauit, vt liberior eiusmodi excrementis pateret exitus. Superiorem capitis partem suturis distinxit, ad fuliginum expirationem; Inferiorem manifestis ductibus D perforauit, ad humorum expurgationem. Suturas autem effecit septē, quarum aliæ sunt propriæ ossa cranij à se inuicem secernentes; quæ sunt Veræ, vel Spuriæ: Aliæ Communes quæ caluam ab alijs ossibus Ethmoïde, Sphenoïde, & gena superna discriminant.

Tres autem suturæ in capite bene constituto descriptæ sunt, quibus, inquit Ruffus, vetusta nomina desunt, sed nuper à quibusdam Ægyptijs medicis Græcam linguam male doctis imposita sunt. Anterior vna quę Coronalis dicitur, Arcualis, & Puppis sutura, Græcis στεφανιαία, quod ea capitis parte olim coronæ gestari solerent. Posterior altera, quę Lambdoides appellatur, à literę λ similitudine. Huius partes inferiores apophysibus mastoideis conterminæ, aurisque antitrago subiectę, Lambdoidis additamenta dicuntur, veteribus Practicis occipitij cornua. Quibus adhibe- E ri iubent pyroticum, sed locus ille periculosus, propter neruosam musculi mastoidei insertionem, nec aptè & commodè vinculo ligari potest. Partes vero superiores inuicem coëunt prope verticem ad angulū obtusum, non rectum inquit Fallopius. Inter vtramque iacet Sagittalis Græcis ὀβελιαία ῥαβδοειδὴς dicta, quæ per capitis longitudinem exporrecta, semper in pueris etiam vsque ad septennium, interdum in viris, frequentius in mulieribus inuito Vesalio vsque ad summas nares prorepit: & nonnunquam in infantibus vsque ad spinalis medullę foramen descendit: authoribus Vesalio & Sylvio comment. ad lib. Gal. de oss. Quod prius animaduersum fuerat à Gal. lib. 11. de vsu part. cap. 9. vt omnia capitis ossa gemina fierent.

Sutura cauda vel proræ.

Hoc

A Hoc negat Fallopius in obseruationibus. Admittit quidem In ijs qui nondum semestre tempus attigere, Occipitij os in apice quandam diuisionem obtinere, sed quæ numquam ad medullæ foramen pertingit: Suturam sagittalem in caluarijs nūquam abesse Galenus asseuerat, cui suffragatur Vesalius: Atramen Eustachius quindecim habuit caluarias in quibus ista sutura non apparebat: Columbus quoque in quibusdam cranijs deperditam vidit. Tres istæ suturæ simul iunctæ figuram literæ H. repręsentant, authore Hippocrate lib. de vulneribus capitis. Verisimilior est Hippocratis quàm Aristotelis opinio qui lib. 3. de hist. animalium cap. 71. scribit in maribus tres ad summum verticem ascendentes suturas in trianguli speciem conuenire; cum potius illæ cum suturis squammosis quadrati schema referant.

Habebat caluariam Vertunianus cuius sola sagittalis sutura oblitera ta erat reliquis duabus Coronali & Lambdoide integris com. in lib. Hipp. περὶ ἄρθρων.

Hippocrates lib. de oss. nat. suturas capitis veras, modò tres, modò quatuor repe-
B riri prodidit, quod multis falsum & absurdum videtur. *Capita suturas habent alia tres, alia quatuor, quæ quatuor habent vtrinque vna est iuxta aures, tertia ab anteriore, quarta à posteriore capitis parte. At in eo capite quod tres obtinet, nulla sutura in posteriore parte reperitur.* Veritatem huius loci sic demonstro, Hippocrates suturis squammosis quas nos vocamus spurias, suturæ nomen denegauit. Tradit enim Galenus lib. 8. de vsu part. nullum ex antiquis suturas appellasse, ipsumque Hippocratem earum nullibi mentionem fecisse, quia coronalis partes esse credidit. Quando igitur Hippocrates quatuor suturas constituit, Coronalem duplicem facit, quia dirimitur à sagittali, ad summas vsque nares excurrente. Reliquæ duæ suturæ, sunt sagittalis & lambdoidis. Sed in eo capite quod tribus tantum suturis prȩditum est, lambdoidis postica non apparet; quæ propter crassitiem & densitatem ossium, prima in cranijs obliteratur.

C Ternarij numeri verarum suturarum elegans est demonstratio apud Galenum lib. 9. de vsu part. cap. 17. Quia longitudo capitis latitudinem superabat; si natura æqualem suturarum numerum effecisset, inæqualibus æqualia tribuisset. At illa illustrissima teste Hippocrate inter duas suturas trāsuersas mediam rectam collocauit, vt ossa capitis essent inter se æqualia & suturæ inter se quandā æqualitatem seruarent: quod ex earum commensuratione facile est intelligere. Cum autem suturis dura meninx adhæreat, vt cerebri molem sustentans, ventriculos ab omni compressione liberaret: ea de causa suturæ talem in capite situm obtinuerunt. Quippe Sutura Coronalis supra ventriculos anteriores sita est, Sagittalis iacet secundum tertij ventriculi longitudinem: Lambdoides supra quartum ventriculum consistit. Galen. cap. 7. lib. 9. de vsu partium. Et huic suturæ dura meninx firmiùs alligatur
D quàm Coronali: quia cum moueatur antrorsum caput, ne vacillaret cerebrum debuit posteriore parte fortius alligari. Sunt ergo tres veræ suturæ, Coronalis, Sagittalis, & Lambdoides. Duæ tantùm spuriæ quæ nomen suturæ non merentur. Propterea veteribus dictę προσκολλήματα λεπιδοειδῆ, squāmosæ agglutinationes, quod squāmarum modo & imbricatim committantur; à situ Temporales dicuntur. Istorum ossium vnionem Columbus ad Harmoniā potius quàm ad suturam refert li. 1. c. 4.

Galenus li. 9. de vsu part. ca. 18

Cur per serratam compagem non coniunguntur? An quia rara & cauernosa oportebat esse ossa verticis, vt ijs crassa meninx adhæreret? Ossa vero temporum dura & densa, vt extremas ossium verticis oras contegerent ac munirent? Atqui rarum & cauernosum os, cum duro & denso coalescere non poterat. Idcirco eiusmodi ossa imbricatim apposita fuere. An quia ossa temporum tenuissima sunt, ossa
E bregmatis crassiora? propterea squammatim agglutinari & committi necesse fuit, cùm dissimilis substantia, & superficies crassa & tenuis, per mutuum extremorum contactum vniri non possent. Ossa bregmatis & temporum squammarum siue imbricis more compacta fuere, os verò temporum superna parte extenuatum fuit duabus de causis, primùm ad lenitatem quia musculo temporali opertum, atque propter maiorem huius ossis portionem, formandis aurium cauitatibus absumptam & occupatam. Arbitratur Vesalius propter musculi temporalis situm, eo contextu coniuncta fuisse ossa verticis & temporum: nam ijs partibus per suturam veram sunt connexa, quibus non adhæret musculus temporalis. Cæterùm notat Fallopius suturam Temporalem aliarū suturarū naturam non imitari, quoniam alijs deficientibus hanc abesse non est necesse, quas omnes semper perijsse vidit absente tēporali. Communes suturæ tres ab Anatomicis numerātur, Gal. duas tantū profert: cap. 12

quarum primam quæ sphænoides os circumscribit ambigere fatetur; quoniam exigua sui parte versus tempora, cranium à maxilla superiore discernit. Oritur ab occipitis cornis, & ad caua temporum delata, (quò etiam suturæ coronalis extrema perueniunt) dein reflexa, descendit ad extremum vsque dentem: sicque totum os cuneiforme comprehendit. A

Secunda communis à minore cantho oculi emergens, per mediam orbitam excurrit ad intercilium, atque per alteram orbitam similiter progrediens, in minore angulo finitur: os frontis à maxilla superiore diducit. Tertia quam recentiores Anatomici adducunt, os ethmoides circundat, si credimus Fallopio Harmonia est, meo iudicio propria Sutura; quia os ethmoides ossibus cranij insertum, vndique cingit, quod quidem nulla parte sui corporis genam supernam tangit nisi per suas apophises.

Plures suturarum vsus ab Anatomicis memorantur: Primus est ad fuliginum expirationem, & humiditatis excrementitiæ expurgationem; quare Mantias pharmacopæus apud Galenum lib. de fascijs cum cuidam caput fascia strictius obligasset, tanta suborta est capitis inflammatio ex retentione fuliginum, vt oculi sua orbita proiecti fuerint. Alter suturarum vsus est, vt per eas dura cerebri membrana egrediatur, ad pericranij generationem; & quibusdam vasis caluam ingredientibus & egredientibus via pateat. Tertius, ne capite alicubi percusso, fractura propter ossis continuitatem, toti capiti communicetur: qua ratione motus Falopius ἀπήχημα quintam fracturæ cranij speciem cum Paulo Ægineta lib. 6. cap. 90. & Guidone cap. 1. doct. 2. tract. 3. excludit. Quam alij viderunt in his quibus vel deerant suturæ, vel naturali situ non erant collocatæ, vel admodum confertæ & coniunctæ, vt vnum veluti os ex multis coaluisse videretur. Quartum vsum assignat Galenus lib. 13. meth. cap. 22. vt medicamenta Topica ad penitiores capitis partes penetrarent. Denique propter ossium discrimina structas fuisse suturas putat Auicennas, quia opus erat vt quædam ossa essent crassiora, alia tenuiora, alia dura, alia fungosa, quæ substantiæ varietas ex vno & eodem osse conflari non poterat. B C

De suturis inter Anatomicos duæ ortæ sunt controuersiæ, prima, si quædam extent capita solida nullis suturis distincta; altera num ea sint salubriora.

Aristoteles 3. de hist. animal. cap. 7. & 1. de hist. animal. cap. 7. scribit sua ætate inuentum esse cranium sine suturis, illudque habet pro miraculo. Herodotus etiã refert in clade Platæensi, inter Persica cadauera caput inuentum nulla suturarum compage solutum. Eiusmodi capita plurima vidit Aratus Poëta vt ipse testatur, & Arianus in vita Alexandri Magni Æthiopum capita, nullis suturis esse laxa prodidit. Fallopius rarissima illa esse capita statuit, in quibus omnes suturę intercidant: interdum quidem in caluarijs senum suturas obliterari fatetur. At semper in pueris cœlatas manere obseruauit. Nec mirum videri debet, inquit Vesalius, si senibus suturæ non crescant, cum illis vertebras vniri connascique videamus, sed Galenus admonet cap. 3. lib. de ossibus omnium caluariarum suturas non perpetuò serratis compagibus structas esse, nam in quibusdam Suturæ sunt, in alijs Harmoniæ. Notatione dignum est quod scribit Paræus lib. 4. cap. 3. In quibus omnes suturas, vel duas perire contigit: vnum aut duo foramina non exigua, secundum Lambdoidem in bregmatis ossibus apparere, quæ interdum cum suturis reperiuntur. D

Estne caput solidum nullis suturis præditum salubrius? Non videtur Hippocrati lib. de locis in homine, Quò quis plures capitis suturas habet, eò saniorem vitam ducit. Et libello de structura hominis: Caput tres suturas habet, inuenitur tamen & solidum absque suturis, & illud quidem humidum. Hippocrati Celsus manifestè repugnat, lib. 8. cap. 1. cùm ait rarò caluariam sine suturis esse, locis tamen æstuosis facilè inueniri, & id caput firmissimum atque à dolore tutissimum esse; ex cæteris quò suturæ pauciores sunt, eò capitis valetudinem commodiorem esse, Facile est Celsum Hippocrati conciliare, & hanc litem componere. Caput enim solidum nullis suturis discretum firmius est, & offensionibus externis potentiùs resistit, sed propter fuliginum & vaporum retentionem, morbis internis opportunius existit. Vnde fit vt quibus calua est ἀῤῥαφὴς hi cephalæa miserrimè torqueantur, vt docet aliquot exemplis Columbus lib. 1. cap. 5. E

Si quis

A Si quis obijciat caput solidū sine suturis, offensionibus externis magis esse obnoxium; quia videtur natura capitis ossa per suturas distinxisse, vt fractura in osse læso terminaretur; ac proinde caput solidum & continuum, alicubi percussum, vniuersum finditur. Respondebo comparationem fieri debere inter res eiusdem generis, internas intemperies cum externis comparandas esse. Quando igitur Celsus scripsit caput sine suturis firmissimum, id est durissimum, atque à dolore tutissimum, id est, Chephalalgia: non intellexit à percussionibus vel fracturis securum & immune; quamuis Ægyptiorum capita nullis suturis prędita, tam firma sint vt ictu lapidis elidi nequeant, quod de Indis Hispaniolæ recitat Ferdinandus Ouiedus: propterea Hippocrates capita sana laudat, propter duriciem. Idem Author scripsit grauiores esse percussiones capitis circa suturas, quàm alibi, quā motus ratione Valuerda asseruit, nihil aduersus ictus conferre suturas, quia multò magis vnicum os capitis in-
B iurijs obsisteret, quàm plura diuisa.

DE OSSIBVS CRANII.

CAP. XX.

CALVARIA continendo cerebro præparata, constat ossea substantia, rara & cauernosa: Ossea est vt externis iniurijs minus foret obnoxia; Duabus idcirco laminis coagmentata, quibus interiacet spongiosa substantia medullarem succum ad istorum ossium nutritionem excipiens. Hic succus rubicundus est propter sanguinem, è venis tenuioti-
C bus illic discurrentibus scaturientem, qui tum emanare solet quando terebra perforatur cranium viuentis hominis. In hoc meditullio frustra quæruntur carunculæ, quidquid arguetur Fallopius. Rara verò & laxa est cum ad perspirationem, tum ad ossis leuitatem: Tertiam causam addit Galenus li. 9. de vsu part. cap. 18. vti crassa meninx per eas cranio alligetur, & egressa pericranium producat. Duplex hæc tabula Hippocrati διπλόη admirabili naturæ consilio facta fuit, ne in omnibus capitis percussionibus ictus totam ossis substantiam penetraret. Hinc fit vt interdum vna tabula findatur, illæsa altera, vt Fallopius com. in lib. Hipp. de Vulneribus capitis, & Paræus lib. 9. cap. 8. obseruarunt. Externam laminam sæpissimè lues venerea exedit, & vtramque interdum, vita diu superstite, arrestante Palmario lib. de lue venerea c. 4. Exemplum videbis apud Antonium Beniuenium li. de abditis morborum
D causis c. 18. Nonnunquam inter duas tabulas transcolatione quadam humor colligitur, tractuque temporis vitiatur, vnde existunt postea cruciatus illi ἐπιεικεῖς, quibus nil videtur esse crudelius, sępissimè certis repetentes circuitibus. Ossea huius substātiæ mollioris quidem & tenuioris in mulieribus, quàm in viris: vbique non eadem crassities & soliditas apparet. Siquidem ab exterioribus partibus dura est, ab interioribus mollior, ex Celso. Ad supercilia & nares caua, aëre plena: ad tempora tenuis & adeo solida vt vix frangi possit, non sine certo vitæ dispendio: Vidit tamen Columbus huius partis fracturam fœliciter curatam; in fronte crassior est, in bregmate tenuior, & densior, ad concursum sagittalis suturæ cum Coronali mollissima & rarissima, ceu corporis totius infumibulū, vt etiam pueris mandentibus & respirantibus diu mobilis appareat. Hanc partem etiam in adultis moueri cōspexit Galenus,
E vt testatur lib. 13. Meth. ca. 22. & doctissimus Bauhinus libro de partibus externis refert se nouisse mulierem annorum 29. cui nondum ea pars indurverat, quæ dilatabatur si quando capite doleret. Huic regioni pyroticum admoueri solet quam digitus medius designat, si manum ipsius ægri superciliorum nasive summo, vt vult Mesueus accommodaueris: quā medius digitus in verti ce terminabitur, illic caput inurendum. Hanc capitis vstionem vt periculosam improbant Matheus de Gradis, Vesalius lib. 1. cap. 6. Anat. & Montanus Consilio 36. Zechius in Consilijs. Capitis pars posterior densissima est & firmissima (etsi secus sentiat Aristoteles) potissimum post aurem quā capillus vt verisimile est ob id ipsum non gignitur, inquit Celsus lib. 8.

Ex illa diuisione suturarum in communes & proprias, à Galeno proposita, recentiores Anatomici distinxerunt ossa cranij, in propria & communia: malè meo

iudicio, siue enim os commune voces, quod suturis cōmunibus circunscriptum est: siue quod suis extremis maxillam superiorem tangit: Nescio qua ratione os sphænoides, ac ethmoides communia constituātur: cum sphænoides maxima sui parte ossibus cranij sit incuneatū, iisdemq; ossibus os ethmoides vndique cinctum & obuallatū. Meliore iure os frontale quod sutura secunda communi secernitur à maxilla superiore, quā etiam maxima sui parte tangit, commune diceretur. Inepta igitur & malè constituta ossium cranij distinctio, in propria & cōmunia: Cū sint omnia propria. De quorum numero non conuenit inter Anatomicos; Alij imitatione Galeni septem admittunt, vt Syluius, Platerus, os ethmoides ad maxillam superiorem reuocantes; Alij ossibus octo cranium componunt; quæ sententia potior mihi videtur, alterique præferenda. Nam illud os cranio proprium est, quod eius globum & rotunditatem complet, ac perficit: vel quod maiore sui parte cerebrum tangit. Atqui os ethmoides est eiusmodi, ergo ad cranium referri debet. Primum os cranij, in anteriore parte situm, frontale seu coronale dicitur: quod semper in pueris, non nūquam in adultis sagitali sutura ad summas vsque nares pertinente diuisum cernitur. Coronali sutura & secunda communi distinguitur, in medio huius ossis propè supercilia, duæ cauitates vacuæ viridi membrana obductæ conspiciuntur, quæ nullæ sunt authore Fallopio com. in lib. Galeni de ossibus, in pueris, & simis, & quibus frōs diuisa fuerit, quod falsum docet αὐτοψία, nam & ijs qui facie sunt sima, & depressa, & quibus frons dissecta erat, inueni. Idem Fallopius lib. de vulner. cap. 12. notat huius ossis cauitate fracta, internam laminam nunquam vniri & consolidari, sed apertam remanere: propter ossis siccitatem, & continuum inspirati aëris per fracturam egressum; semel vidit in adolescente curatam fungo carneo repleta cauitate, quod habet pro miraculo. Et quoniam infantes istis cauitatibus carent, quidam eas conflari putant ex necessitate materiæ, in extēsionem ossis frontalis absumptæ; Alij finalem causam assignant, videlicet ad vocis formationem & explanationem, Vnde quibus illæ desunt, A B C

Rancidulum quiddam balba de nare loquuntur.

Vel vt in illis tanquam in penu aër recondatur, & asseruetur, ad spiritus animalis generationem, cuius aëris affluxu arentes oculi humectari possunt.

Pro secundo & tertio cranij osse, numerantur ossa syncipitis, quadrilatera, omnium rarissima & debilissima ex Hippocrate, quę in pueris mollia & circa coronalis & sagittalis suturæ concursum membranea, non ante indurantur, & in os mutantur quàm cerebrum siccius euaserit: Nec corroborantur ante primum sermonis exordium si credimus Aristoteli. Anteriore parte sutura coronali, posteriore lambdoidea, Inferiore suturis squammosis discriminantur. D

His succedunt ossa temporum quæ pro quarto & quinto computantur, ea circularia sunt non trilatera, vt placet Galeno; Terminātur, supernè suturis lepidoidibus, infernè & anteriùs prima communi sutura; posteriùs lambdoidis additamentis. Pro varietate substantiæ diuiduntur in partem superiorem squammosam, & inferiorem petrosam rupi prȩruptæ similem, quæ apophysibus quatuor extuberat, quarum tres sunt externæ, interna vnica. Externa prima acuta Styloides, siue Graphoides dicitur, quam Fallopius contra Vesalium appendicem esse contendit. Altera obtusa cauernosa vaccini vberis papillam referens, Mastoides vocatur siue Mammillaris. Tertia lata & reflexa zygomatis portionem constituit. Interna petrosa & inęqualis, intra caluariam, ex inferiore ossis squammosi sede emergit; In puerulis epiphysis est distincta & separabilis; Nam cultri cuspide facilè dimouetur & auellitur, quod etiā in oue, vitulo, cane, porco, fele obseruare licet. Hac epiphysi detracta, vniuersa auris structura vno intuitu conspicitur. Huius diuisionis in adultis adhuc extat rudimentum. Galenus os temporale in tres partes dirimit. Prima est extremitatibus suturæ lambdoidis adiacens, quæ petrosa nominatur. In ea Styloides est processus qui meatum auditorium continet, quia ossei circuli qui primum oris foramen constituit partem facit. Secunda pars huic apophysi & osseo circulo superiecta, apophyses Iugalem & Mastoidem comprehendit. Tertia pars quæ totius nomen retinet, musculo temporali contegitur. E

Præterea in osse temporum duæ cauitates spectantur, externa condylum maxillæ inferioris excipit, interior altera meatum auditorium efformat. Cuius am-

A bitus osseus in puerulis secernirur. Iuxta latera suturæ lambdoidis quædam portio temporalis osis in pueris per harmoniam, in adultis per serratam compagem iuncta, forti percussione cranij dissoluitur: ita vt sæpius obseruauerim, os temporale in adultis ex duabus partibus contextum, in pueris ex quatuor; si duabus istis addideris osseum circulum meatus auditorij, & internam apophysim.

Sextum os occipitale dicitur, sutura lambdoide circumscriptum, durissimum & crassissimum est, ad securitatem, & tutelam quarti ventriculi, & spinalis medullæ: quæ sub eo osse latent. Huius ossis crassities non omni ex parte æqualis existit, maiorem in medio crassitiem obtinuit, addito oblongo & instar lineæ exporrecto tuberculo, qua parte quatuor sinus sanguinem vitalemq; spiritum deferentes concurrunt: in adultis vnicum est & continuum, in pueris portionibus quinque diuisum, vt ex earum interuallis effluat cartilago, quæ ligamenti vice caput primæ & B secundæ vertebræ connectit, ex Columbo lib. 1. cap. 5.

Notatione dignum est huius ossis Apophyses condylosas, quas rectè Galenus coronas appellauit, quia versus sphenoides in acumen non altum, sed planum desinunt, magna ex parte constructas esse ex sphænoide, cuius commissuræ vestigium in adultis penitus obliteratur.

Septimum Sphænoides vocatur ἀπὸ τῦ σφήνος quod cunei modo se insinuet inter ossa capitis & genæ supernæ. Basilare dicitur quia basim & fundamentum caluariæ constituit. In pueris non est simplex, sed ex quatuor partibus coalescit, quæ post mensem septimum ab ortu non sunt ita obscuræ (quod voluit Fallopius in obseruat.) vt earum nullum remaneat vestigium. Prima pars ab occipitis coronis vix digiti latitudinem excedit. Altera ossis portio sella equina circumscribitur. Ter-C tiam & quartam huius ossis partem componunt Pterygoidei processus, & illi qui ad caua tempora feruntur.

At in adultis vsque ad duodecimum annum gemino osse constat, quorum primum ab occipitis coronis protenditur vsque ad apophysim clinoidem posticam, alterum reliquam Sphænoidis portionem comprehendit.

In hoc osse duas facies siue tabulas considerabis, internam & externam. Interna duabus apophysibus extuberat, quas à similitudine pedum lecti, clinoides vocant. Inter eas spatium relinquitur glandulam pituitariam excipiens; quod cum duabus apophysibus Sellam equinam repræsentat. Externa facies quatuor educit apophyses, ex his duæ cauæ pterygoides dicuntur, ab effigie alarum. Aliæ duæ planæ ad tempora contendunt. Inter eas tabulas gemina continetur cauitas inanis & D vacua, medio septo distincta, quæ in adultis tantum, nec in omnibus reperiuntur: quoniam in pueris os Sphænoides solidum est, nullis cauitatibus præditum, quæ cum extant, duplici ductu perforatæ sunt in narium amplitudinem, nullo modo frontalis ossis cauitatibus continuæ, vt credidit Columbus; à quibus duorum digitorum latitudine distant. Constructas fuisse putat Vesalius ad leuitatem, quemadmodum illas frontis & maxillæ. At Columbus, aerem existimat in illis asseruari ad animalis spiritus generationem: quod reprehendit Fallop. in obs. Nec forsan male quispiam iudicaret extructas fuisse ad vocis resonantiam, quemadmodum cauitates in musicis instrumentis.

Cæterum eos sinus in crassioribus tantum cranijs inuenies, in quos pituitam per foraminula tabulæ superioris transfusam colligi & coaceruari, inde ad palatum transmitti opinatur Sylius, & demonstrat ex Galeno. Quam excrementorum E viam contra Galenum Vesalius, Columbus, Fallopius, Valuerda reijciunt: & per vicina foramina excerni contendunt. Galeni ratio hæc erat, satius esse excrementa transcolari, & in istis sinubus aliquatenus asseruari, quàm continuò expuere & os apertum tenere. Profert ad Galeni defensionem suum experimentum Sylius in calumniæ secundæ depulsione contra Vesalium.

Verba Authoris transcribam, quia liber ratus est, Hanc controuersiam de via pituitam cerebri in palatum, & nares educente facilius & certius dirimes, si glandulam vbique ima parte circumhærere spectaris, nullo meatu relicto fictis canalibus: Si præterea in choanam adhuc calentem aut fotu aliquo sicco recalefactam infles, aut aliquem coloratum humorem, sed tenuem & calentem infundas. Excocto enim palato deprehendes, prædictas materias excerni, per manifestos & laten-

tes sensuum meatus, qui tamen etiam apertè in coriza, & cum sæpe & multum A
mungimus, & interdum inspirando, & cum in magna siti lentè bibimus, deprehenduntur sonitu quodam reciprocantium per ea materiarum. Præterea si os Sphenoides, qua sunt dicta nuper foramina, cultello, vel pugione, vel terebello perfores, deinde immisso tubulo humorem inflaris, ac sine humore aërem susurros inibi multos transmeantis ex sinubus materiæ in nares & palatum andies, nisi pituita multa crassa, lenta eos sinus impleat, quod si scalpro forti aut serra palatum eximas, deinde infles vt prius, materias, cum multo strepitu efferri audies ac spectabis. Quin si latius parte superna hos sinus aperueris, osse illo tenui latè exsecto, vt tota appareat subiecta cauitas sinuum, foramina spectabis quàm plurima in fundo sinuum foramina palati respicientia; imò & aliquoties tàm magnum inueni, vt calamum scriptorium facilè reciperet. Quæ omnia in recenti cadauere sunt exploranda, Hæc Syluij experimenta speciosa sunt, & sola ratione comprehensa, valida videntur, nisi fallacia & inania demonstraret αὐτοψία. Infinitas vidi caluarias, in quibus os frontis & Sphenoidis erat solidum sine vlla cauitate. Et in quibus caluarijs os frontis cauitatibus destituitur, os Sphænoides solidum est, sine vllis cauernis. Quod planè conuincit eiusmodi sinus ad leuitatem esse conditos, nec absolutè necessarios, alioquin quandocunque desunt, vitium esset in conformatione partis. B
Fuschius lib. instit. Anat. c. 9. maluit in osse Sphenoide codicis errorem accusare, quàm ipsum Galenum ignorantiæ arguere, conaturque textus emendatione Galenum excusare. Ingrasslas lib. de ossibus adductis pluribus locis, quibus probatur Galenum os palati cribrosum fecisse, tandem Galenum sic interpretatur, Os palati Ethmoides non ea tantum parte, qua glandulam excipit, esse perforatum, sed alijs propinquis partibus. Ego vero existimo Galenum ex veterum Anatomicorum opinione loqui, cum scribit Sphænoides, qua parte continet glandulam esse pertusum: nam lib. 9. capite tertio de vsu part. scribit veteres Anatomicos ignorasse, cur non statim pituita ex choana per palati foramina effluat. At ipse eodem lib. meatus patentes agnoscit, per quos pituita defluit in os. Sic loquitur. Qui vero meatus grauia deorsum vergentia excrementa erant euacuaturi, eos natura fecit decliues, & amplos admodum, vt qui multorum & eorundem crassorum humorum veluti riui quidam & canales erant futuri. Et paulò post subiungit, Cæterum decliues cerebri meatus tum per palatum in os, tum per nares conspicuis ac magnis orificijs sensibilia & crassa eructant excrementa. C

Quamuis enim Galenus lib. 9. de vsu part. os Sphænoides cribrosum esse scripserit, eique nomen Ethmoides aptius conuenire, quàm ossi in summis naribus collocato, quod cum Hippocrate spongoides vocat: Perforatio tamen illa sphænoidis cribro similis, non quærẽda in tabulis, sed in circuitu sellæ equinæ, vbi duo foramina notare licet, quæ choanæ canales quatuor admittunt, ad expurgationem pituitæ comparatos. Non est verisimile per tenuia foramina tabulæ superioris, si quæ sint, pituitam percolari, quia crassior tantum per os sphænoides expurgatur authore Galeno. Adde quod Galenus eos specus, atque illos frontis ignorauit, vel saltem eorum nullibi mentionem fecit. D

Octauum & vltimũ os Cranij Ethmoides appellatur in ima frontis sede locatum, partes habet substantia dissimiles, Prima est pars illa cribrata obliquis foraminulis pertusa, cui altera protuberans insidet Cristam Galli referens. Huic intra cranium parte anteriore adiacet rimula, quæ crassam meningem firmat, & aerem frigidiusculum ad cerebrum rectà dirigit. Cristæ Galli continua est portio altera inferior laminę speciem summas nares diuidens, Secunda Ethmoidis portio spongiosa cauernulis prædita vtramque narium cauitatem opplet, partemque orbitæ iuxta magnum angulum constituit, quæ non est os distinctum vt existimarunt Columbus & Vesalius (qui ossibus maxillæ supernæ hanc Ethmoidis portionem attribuunt) quod etiam fecit Fernelius, addens præterea spongiosa ossa construi & componi ex tribus ossiculis cauernosis seriatim contextis, ita vt vnum alteri superiectum sit. Tertia pars huius ossis plana & læuis interiorem oculi orbitam perficit. Cum autem natura in nostro corpore nihil frustà molita sit, quo fine conditum fuerit Os Ethmoides dicam. Primo factum est ad aeris attractionem & fuliginis excretionem, Secundariò ad cerebri expurgationem. Foraminibus obliquis donatur E

A natur, quæ obstant quo minus aër frigidus & impurus cerebrum confestim transmeet. Impediunt quoque ne nobis inuitis mucus inhonestè effluat, qui in spongioso osse congeritur, donec qualitate, vel quantitate molestus: vehementi exsufflatione vel pinnarum nasi compressione excernatur.

Præter hæc octo caluariæ ossa Andernacus comment. 2. pag. 209. de veteri & noua Medicina, noui cuiusdam ossiculi meminit his verbis, Ossiculum verticis triangulare, ad formam lapidis piscis cyprini vulgo carpionis dicti in caluariæ vertice vbi suturæ committuntur intus subsistit: Id vbi scalpello penetraueris statim foras prosilit, Anatomicis hactenus incognitum. Istud ossiculum triangulare fortasis intelligit, quod nonnunquam duplicata lambdois excludit, cui Paracelsus dotes admirabiles tribuit aduersus Epilepsiam.

B

DE CAVITATIBVS ET OSSICVLIS *auris internæ.*

CAP. XXI.

NEFAS esset ossis temporum cauitates, & quæ in ipsis continentur ossicula silentio inuoluere, in quibus magnum naturę artificium elucet. Hæc Galenum & veteres Anatomicos latuerunt, forsan quòd autes simiarum inspexerint, in quibus ista ossicula desiderantur.

C Lapidosum os temporum quatuor Cameris discernitur: quarum prima foris obuia semperque patens πόρος ἀκουστικός dicta tympano terminatur. Huius cauitatis ambitus osseus in puerulis vsque ad septimum mensem coctione facile secedit, & in recens natis media parte & exteriore cartilaginosus, interiore osseus, annulum refert non omnino absolutum, cui tympanum affigitur.

Altera cauitas propter amplitudinem Vesalio Peluis dicitur, Fallopio Concha à conchyliorum similitudine, continet aërem insitum, vernaculum, ambienti consocialem: & tria ossicula de quibus paulo post agemus. In cauitatis extremo duo foramina seu fenestellæ occurrunt, quarum maior & oualis basi stapedis occlusa, aditus est ad tertiam cameram: Altera minor & rotunda semperque aperta, quartæ cameræ principium existit: ambitus huius foraminis nonnihil extuberans in se antrum quoddam buccinosum efformat. Fenestellarum vsus existimatur, species audibiles ad sequentes cauitates traiicere, & excrementis cerebri viam D præbere.

Tertia cauitas Labyrintus vocatur, propter varios anfractus in eandem cauitatem redeuntes, ab aliis Fodina quia pluribus cuniculis scatet eo fine constructis, vt aër internus per angusta loca transiens acutior magisque sonorus euadat. Vel vt placet aliis sonus in concha velut in echo ingeminatus, sensim in istis Mæandris & circulationibus languescat & commoriatur.

Postrema cauitas Cochlea nominatur à flexuosa meatus obliquitate, est enim anfractuosa & quibusdam foueis excauata. Eam cauitatem quidam cæcam esse putant nullumque exitum habere, alij in medio ea nimirum parte cui spiræ innituntur peruiam esse dicunt. Cassetius cochleam asseuerat interposita ossea lamina E prætenui in meatum nerui auditorij desinere, nullum autem alium egressum reperiri. Porro in concha tria ossicula continentur quæ ex figuris rerum Artificialium elegantissima nomina sortiuntur. Primum ossiculum longiusculum Malleus nuncupatur, in quo plures particulæ notari debent, Cauda, Capitulum, & duo Processuli: cauda seu pedunculo myringæ attenditur, suo tuberculo leuiter excauato per gynglimon incudi mediante cartilagine inarticulatur, ex Apophysibus longior tympano incumbit, Altera exilior musculum & chordam excipit. Alterum ossiculum Incus siue dens molaris dicitur, Parte superiore lata & sinuata malleoli capitulo committitur, inferiore desinit in duos processus, crassitie & longitudine inæquales; Processus crassior & breuior tympano affirmatur, alter longior & tenuior ad extremum leuiter inflexus stapedis apici obligatur. Est autem Stapes tertium ossiculum triangulare, in medio pertusum ne aëri & sono aditum ad labyrinthum

Inuenio intra cochleã spiras riuulam per quam sonus ad cerebrũ traducitur, & biliosum cerebri excremẽtum in aurem defluit.

præcluderet, intus in ambitu striatum, sua basi latiuscula oualem fenestram occludit. Cur huic operi solidum os præficitur? An quia sonus in molli substantia exceptus oblitescit, per solidam & osseam substantiam delatus robur & puritatem acquirit? Varolius hoc officnlum auditus pupillam appellat, vt enim per pupillam visiles species admittuntur, ita per foramen stapedis sonoræ species traducuntur. Præterea dubitat num stapes membranæ cæci foraminis appositus fuerit, vt illam sustineat ad perfectiorem audiendi facultatem. Admiratione dignum est ita officula in recens natis & adultis æquali magnitudine prædita esse: sed in illis molliora & in medio cartilaginosa, quo fit vt infantes obtusiùs audiant: solidiora vero per ætatem facta, non omnino medulla & cauitate destituuntur vt notauit Columbus. A

Author Anatomiæ viuorum. In interiori concauitate oßis petrosi manet aer quietus, ibi autem discernuntur omnes vocum differentiæ, & se habet illa pars oßis petrosi ea comparatione ad auditũ in qua se habet Crystallinus humor ad visum, & est foramẽ ad ipsam aurẽ in comparatione pupillæ ad oculum.

Cæterum hæc officula in Concha collocauit Natura ad stabiliendum & firmandum tympanum quod alioquin aër externus velinternus lacerare & disrumpere potuisset. Propterea malleolus cum altero incudis crure tympano innititur; & quoniam huic officio solus malleolus non suffecisset, alia duo ossa in auxilium adiuncta sunt ob cauitatis inæqualitatem, quibus enim animalibus auris cauitas recta est, vt anseri, vnicum officulum Natura concessit. Volcherus alios duos vsus assignat, vt sonum per tympani agitationem illis communicatum, ad netuum auditorium deferrent: atque vt ex illorum commotione neruus siue chorda pulsata aërem implantatum cieret atque excitaret ad sonum percipiendum. Siquidem à membrana non ita vehementer agitari poterat netuus atque ab ossibus. B

Columbus facta esse asserit vt ex mutua collisione strepitum edant, & sonorum modulationi inseruiant, quod si ita esset vt doctè animaduertit Varolius, sonus ille internus externum impediret & confunderet, vt in tinnitu aurium obseruate licet. Aliis placet hæc officula cum chorda externi aëris appulsu vibrata, perinde ad distinctionem sonorum conferre, atque dentes ad vocis explanationem. Praeterea in auris structuta obseruari debet Fallopij Aquæductus, Carnalis scilicet osseus neruo quinti paris deducendo paratus; oritur ab interna & anteriori caluariæ parte satis angusto foramine, tenuissimaque ossea squamma à subditis antris seiūgitur, & secundum anteriora labyrinthi procedens statim eius cauitatis initio in eam adaperitur, sed vbi ad concham peruenit deorsum reflectitur, per os petrosum delatus, egrediturque caluaria iuxta auriculæ radicem inter styloidem & mastoidem. C

Casserius li. de aure.

DE CAVITATIBVS CRANII, FOSSIS, *Foraminibus, Sinubus.* D

CAP. XXII.

AVITATES Cranij diuiduntur à Syluio in fossas, foramina, & sinus. Fossa est cauitas veluti vallis quædam ossibus ceu collibus vndique conclusa, excipiendo formandoque cerebro præparata. Fossæ autem sunt Internæ, & Externæ. Internæ sex, Duæ ad nares & oculos, in osse frontis inferno omnium minimæ. Totidem in occipite omnium maximæ, Duæ ad aures situ & magnitudine mediæ. Externæ quatuordecim numerantur, duæ sub auribus maxillæ inferioris caput excipientes, duæ in Apophysi pterygoide, Duæ ad sextæ coniugationis foramen, Duæ supra, totidem infra palatum, Duæ sub zygomate in temporum cauitate, Duæ postremo in oculorum orbita. E

Cauitates narium referri possunt ad fossas.

Altera cauitatis differentia Foramen dicitur, ductus vtraque parte peruius. Foramina vt fossas diuidunt in Interna quæ cranij capacitatem subeunt, & Externa quæ caluariam non penetrant, sed in eius ambitu consistunt.

Interna sunt tredecim coniugata, & vnum azygon: Primum in osse cribroso cernitur, quod licet sit multiplex pro vnico tamen habetur. Secundum in sella sphænoidis consistit, Tertium optico neruo exitum præbet, Quartum nunc lacerum, nunc exactè rotundum netuos oculum mouentes, arterias & venulas transmittit,

quæ

A quæ per vicinam rimam cranio excidunt. Quintum exiguum & rotundum priori subditum portionem quinti paris in temporalem musculum emittit. Sextum oblongum tertio pari præparatum, Septimum quarto pari dicatum est, Octauum venam iugularem admittit, Nonum arteriam carotidem excipit, Decimum quintam neruorum coniugationem ad aures traducit. Vndecimum inæquale & veluti geminum sextam neruorum coniugationem educit, & iugularis ac carotidis portionem excipit, Duodecimum septimo neruo traiiciendo destinatur, obliquum est & decliue quo citiùs septimi paris neruus sexto pari committeretur vt ambo simul cohærentes deorsum tutò descenderent ex Vesalio. Decimumtertium exile admodum posteriùs in radice processus occipitis latet, ceruicalis venæ & arteriç reliquias admittit: interdum deficit, tum ab vndecimo foramine solito latiore suscipitur. Postremum foramen amplissimum sine coniuge spinali medullę exitum B præbet. Præterea notanda veniunt pone mastoidem in suturæ lambdoidis additamentis duo foramina vtrimque vnum, interdum ex vtraque parte duo sunt, quæ foris separata intus eandem cauitatem efformant: venulas iugulares externas ad sinus durę meningis transmittunt, nonnumquam in vertice secundū lambdoidem duo etiam foramina reperiuntur, quæ falsò Paræus putat futurarum defectum supplere, quia sæpissimè suturas comitantur.

Externa foramina sunt nouem, Primum in oculorum supercilio, Secundum infernæ oculi orbitę subiectum est, Tertium in magno cantho glandula obturatum in nares atque palatum peruium. Hoc vt probaret Galenus profert plurimos ocularia medicamenta non multo post inunctionem expuisse, alios emunxisse, quod falsum asseuerat Columbus. Sed Galeni testimonium lib. 7. cap. 16. confirmabit C Plinius, cum scribit ex Aristotele, fœcunditatis in fœminis prærogatiuam accepimus, inunctis medicamine oculis saliuam infici. Authoritas verò Hippocratis hanc litem terminabit, Galeni fide & assertione corroborata. Consulit lib. 6. epid. part. 32. sect. 2. in epiphora humores in fauces euocare. Notat Gal. in comment. Ryců longa oratione demonstrasse, ab oculis in palatū vsq; meatū quendam pertinere, illorum excrementa per hanc regionem euacuantem: Hunc meatum propè maiorem angulum situm esse, Prætetea ex parte Galeni stat grauissimorum medicorum experientia, Thadeus Dunus vt ipse refert lib. 4. de venæ sectione cum suis oculis laborantibus collyrium, album Rasis abhibuisset, post horę quadrantem non sine fastidio sarcocollæ amaritudinem in palato sensit. Sed omnem admirationem superat quod narrat Ringius in suis disputat. de visus symptomatis. Huius D foraminis beneficio quemdam ἀποστασίν erosis glandulis ex malè curato oculorum vlcere per patentes narium meatus vidisse, ita vt proxima quæque obiecta dignosceret. Supra istud foramen in intima oculi orbita quartum occurrit, in os ethmoides & frontis cauitates peruium, Quintum in palati initio cernitur infernè simplex, supernè duplex. Sextum in fine palati propè apophyses pterygodeis descriptum est. Septimum in hiatus antico latere consistit. Octauum paruum & cæcum inter apophysim Mastoidem & Syloidem latitat. Nonum est fissura longa sub Zygomate.

Tertia cauitatis species Sinus appellatur, quando cauitas ore angusto in amplitudinem latescit. Octo sunt sinus, Duo in osse frontis ad supercilia, Duo in osse Sphænoide, Duo in apophyse mastoide, Duo postremò in superiore E maxilla.

DE ZYGOMATE.

CAP. XXIII.

VAMVIS os Zygoma ex duabus diuersorum ossium portionibus contextum sit; quia tamen cranio continuum est vna parte, id Galeni exemplo ossibus cranij subnectam. Ex duabus apophysibus componitur, Vna ossis temporalis; Altera ossis maxillæ minorem oculi angulum constituentis, quas in medio obliqua sutura connectit, ob id totum os Zygoma dicitur, vulgus nostrum os Paris vocat, quia ex duobus pari-

bus oſsibus coniugatum, quæ quidem duriſſima ſunt & ſolida, non caua vt voluit Columbus. Figura ſua fornicis inſtar foris conuexum, intus cauum: Vtrimque A radicibus craſſis prodiens, in medio graciſeſcit. Conſtructum autem fuit ad tutelam & ſecuritatem muſculi temporalis, cuius plagæ ſunt lethales; & exortum muſculi maſſeteris, ideò parte inferiore crenis exaſperatum cernitur, ab eo etiam caluaria illic tenuis protegitur, & os malarum protuberans tanquam ab arcu quodam fulcitur.

DE MAXILLA SVPERIORE.

Cap. XXIIII.

NIHIL in tota Galeni Oſteologia magis obſcurum & inuolutum occurrit, quàm oſſium & ſuturarum genæ ſupernæ numerus. In hoc omnes Anatomici Galenum erroris inſimulant, ſolus Syluius illius partes B tuetur, quibus ipſe fauebo quantum rei veritas patietur. Huius obſcuritatis & difficultatis cauſas Galenus reijcit in oſſium ſimphyſim, quæ prout eſt obſcura aut euidens, oſſium numerum minuit, vel adauget. Non mirum igitur ſi quindecim oſſa maxillæ conſtituant, qui plures ſuturas obſeruarunt: vel ſi octo tantum admittant, qui pauciores ſuturas agnouerunt. Sic enim Galenus ſex Anatomicorum opiniones quæ circumferebantur de numero oſsium maxillæ, ad duas illas commemoratas reuocari poſſe prodidit lib. de oſſ. Cum tamen ipſe lib. 12. de vſu part. maxillam nouem oſsibus conſtare ſcripſerit: alibi in Iſagoge ex duodecim oſsibus constructam eſſe tradidit, quam poſtremam opinionem ſequuti ſunt C Veſalius & Bauhinus. At Colũbus 13. enumerat, Syluius 14. Fallopius 11. cuius opinioni acquieſcendum videtur. Hæc oſſa ſuturis intra ſe diſcernuntur quas Galenus nouenario numero comprehendit. Prima ſutura apud Galenum lib. de oſſ. ab exortu Zygomatis naſcitur ſupra minorem oculi angulum, & per Zygomatis cauum deſcendens communis ſuturę ſphænoideæ copulatur. Huius ſuturæ portio altera à ſciſſura quę eſt in orbita interiore ad latus minoris anguli exorta atq; per mediam & inferiorem orbitam producta in margine orbitæ terminatur, ibique trifariam ſcinditur: quæ tripartita ſectio falſa & commentitia iudicatur ab omnibus Anatomicis: quam tamen veriſſimã eſſe cõperies ſi in textu Græco. ἔσωθεν pro ἔξωθεν legetis.

Nam huius diuiſionis prima pars ab anguli maioris interna parte ad medium intercilium prorepit, ſecatque eum angulum in duas partes: altera portio per concauum orbitæ ſub eodem angulo iuxta nares aliquantulum progreditur, mox ſeſe D erigens ad communem capitis ſuturam aſcendit; tertia portio ſecundæ videtur productio ab eo puncto quo ſupernę ſecunda recurrit, incipiens interius ad imum rendit vbi communi ſuturæ Sphęnoideę committitur. Ex ea ſuturarum diſtributione credidit Galenus tria oſſa in orbita contineri, nec malè per magnum & medium os orbitę neruum qui maxillę ſupernę datur traduci prodidit. Secunda ſutura ex margine orbitæ infernæ prodiens, obliquè ad latera maxillę incedit. Tertia ab inferna & media maxillæ parte incipiens, per medium palatum ſecundum eius longitudinẽ recta procedit: ea in noſtris craniis frequtiſsima eſt, quam tamen Galenus abſentem vidit, vnitis & cõnatis iſtis duobus oſsibus quæ ſemper interhiant: Quarta & Quinta à medio ſuperciliorum emergunt, & iuxta nares incedentes, ac inter caninum & inciſores dentes obliquè delatæ, in mediam palati ſuturam terminantur. Illæ in humanis craniis Galeno frequentiſsimè obſeruatæ, Syluio in qua- E tuor craniis integræ erant & perfectæ, in plurimis quidẽ imperfectę ſunt, & tantum deductæ ad curriculi ſui dimidium, ſæpe in foramen infernæ orbitæ ſubditum deſinunt, foris quidem, ſed ſæpe intus perfectę. De his Syluius diſputat contra Veſalium depulſione quinta. Sexta ſutura in fine palati iacet inter apophyſes pterygoides & dentem poſtremum, quæ hac parte ſphænoides dirimit, randemque in capacitatem foraminum palati vaneſcit. Septima & Octaua à medio ſuperciliorum deſcendentes oſſa naſi ab aliis ſecernunt. Has ſuturas Euſtachius contendit ex Galeno eas eſſe, quæ à medio ſuperciliorum prodeuntes ac iuxta naſum delapſæ inter caninum & inciſores deſinunt. Sic enim ſcribit Galenus hoc capite. Naſi quoque

oſſa

A ossa duo sunt, quæ à suturis à medio superciliorum descendentibus discernuntur, has duas esse in maximorum ossium enumeratione diximus, Atque ita Galenum ab errore & calumniis recentiorum liberari putat. Nona & vltima sutura, ossa nasi à se inuicem distinguit. Decimam suturam addo in palato transuersim ad vtrumque caninum pertinentem, quam Columbus & Vesalius in pueris tantùm patere volunt, in adultis obliterari, nullumque sui vestigium relinquere: quod falsum conuincit αὐτοψία. Sed miror Fallopium in obseruat. Anat. hanc suturam non admittere, quia, inquit, os ab osse non separat, neque in exterioribus apparet, nec os cum osse coniungit, quod munus est suturarum. Sunt igitur Decem suturæ in maxilla superiore, Nouem ex Galeni doctrina, quæ si omnes manifesto non appareant, Non ideo Galenus erroris est accusandus, quandoquidem verarum suturarum proprium est, os ab osse diuidere intus, & extra apparere non cuiusvis lineæ,
B quæ cum sit duntaxat sutura vel harmonia inchoata minimeque absoluta, vestigium tantùm suturæ vel harmoniæ repræsentat. Sunt enim aliqui musculi quales circa aures habentur, qui propter exiguitatem & imperfectam naturâ suo munere frustrantur. Ita huiusmodi lineæ vsum suturarum & harmoniarum non præbent, sed tanquam signum seu vestigium à natura imprimuntur. Ex Eustachio in examine ossium. Hactenus de suturis quas peritorum Anatomicorum iudicio, Galenus potius ex simia & cane quàm ex homine descripsit. Pergo ad ossium historiam.

Maxilla parte superiore latior & protuberans, inferiore angustior, in homine & reliquis animantibus immobilis cernitur, excepto Psyttaco, Crocodilo & Phœnicoptero, in homine stabilis est ad faciei decus & venustatem atque oculorum
C commoditatem; quippe si motum habuisset, oculis maiore circulo inspecturis, & naribus odores excipientibus magno fuisset impedimento, & sua continua agitatione vicinum cerebrum perpetuo succussatum plurimùm offendisset, ciborum quoque duriorum contritionem exquisitam impediuisset; nam vt in molendinis ad comminuendum triticum lapis vnus immobilis persistit, super quem alter celeri circumactione mouetur, simili modo ciborum contritio in homine perficitur. Ex pluribus ossibus efformatur non tantùm ad patiendi difficultatem, ne scilicet vna parte laborante vniuersa infestaretur: Verumetiam vt ex eorum interuallis ligamenta prodirent musculos continentia Authore Columbo. Numerus autem ossium maxillæ est vndenarius, quinque ex vtraque parte, & vnum impar, ex Fallopio in obseruationibus. Cuius sententia mihi præ cæteris probatur; Primum os minorem oculi angulum, portionem orbitæ, nec non Zygomatis, &
D mali partem siue rotundam apophysim constituit, quam Hipp. κύκλον προσώπε vocat. Secundum officulum quod dicitur Vnguis in maiore cantho consistit, vbi foramen est in palatum & nares peruium, excipitque carunculam lachrymalem. Tertium omnium maximum, medietatem dentium comprehendit, & portionem inferioris orbitæ, latusque nasi iuxta magnum angulum constituit. Quartum in imo palato continetur. Est autem Palatum pars oris superior conuexa fornicata multis scabra asperitatibus, Plinus Crenas appellat. Constat quatuor ossibus duris & densis cum ad aëris reuerberationem, tum ne ab excrementis cerebri continuò fluentibus breui putrescerent. Hæc in lue venerea sæpissimè perforantur magno vocis detrimento, quàm confusè & obscurè reddunt. Huic vitio succurritur si palati lacunam obturaueris argentea vel aurea lamina tenuis-
E sima cui spongia hærebit qua parte cerebrum respicit: Nam spongia lacunæ indita statim humorum affluxu turgescit, sicque lacunam implet, vt excidere lamina nequeat, sed ibi tanquam defixa hæreat. Primus Amatus Lusitanus excogitauit hanc curandi rationem, vt ipsemet testatur centuria 5. curat. 14. quam ab eo reliqui desumpserunt, Fallopius, Alexander, Petronius, & Paræus. Quintum maxillæ os, nasum efformat tenue & solidum; Fallopius & Columbus Os addunt (quod ab aratri forma Vomerem appellant) inter palatum & Sphænoides interiectum, Sphænoides basi bifurcatum innititur, & ad nares intimas protensum eas septi modo diuidit. Istud sepimen Arabes os Cristallinum vocant, fortassis propter substantiæ tenuitatem, Græci diaphragma. De vomeris inuentione gloriatur Fallopius, cum tamen prius animaduersum fuerit ab Hippocrate libro 6. epid. Sectione 1. part. 4. *Quibus os à palato*

decidit, his medius nasus subsidet, quibus autem id vnde dentes enascuntur, extremus nasus. Reliqui Anatomici eiusmodi os ac si nullum esset, vel potius continuatio septi narium silentio prætererierunt, vel obiter explicarunt. Anre Fallopium Fernelius vomerem obseruauerat, quem eleganrer his verbis exprimit. *Parte interiore alterum existit palati interstitium, quod malæ propago quædam est, vt ipsa quoque mala geminum, id à superna palati parte natum, cuneo innititur pede firmißimo; sursumque sese erigens donec narium interstitio occurrat & committatur.* Vomerem autem geminum esse αὐτοψία demonstrat. Nam Basis eius bifurcata est, & inter duas tabulas inanis cauitas concluditur, quæ ossis duplicitatem manifestè ostendit. A

In margine maxillæ insculptæ sunt cauitates, alueoli, locelli, præsepiola dicuntur, in quibus denres ordine dispositi reconduntur quæ, licet ossa videantur, molles tamen & quodammodo cereæ sunt, nullumque certum numerum & formam seruant. Nam ex his quædam renascuntur, aliæ pereunt, & dente euulso nisi nouus succedat, ita constringitur & occæcatur alueolus, vt ipsius nullum remaneat vestigium. Si vero in dentis deperditi locum alter exoriatur, nouum sibi parat alueolum, a ex Fallopio in obseruationibus. Hoc si verum sit, admirabile mihi videtur quod refert Paræus, in dentis auulsi locum extemplo alium substitutum velut actis radicibus alueolo adhæsisse. B

a *Hoc non credit Costæus quia si molle illã substãtiam quæ maxillis infixa erat, dentiũ posteriorũ quibus erat continua, materiã esse verũ est, ex eodem profectò alueo in quo prior includebatur emergere dente quoque posteriorẽ oportet, qui in prioris locum subrogatur.*

DE MAXILLA INFERIORE.

CAP. XXV.

EX omni animalium genere homo inferiorem maxillam pro magnitudine corporis breuissimam adeptus est, quia facies illi data fuit rotunda, non longa vt cæteris animantibus quæ prona pabulum assumunt. In homine & reliquis animantibus duobus constat ossibus, in media maxilla per harmoniam iunctis. Cuius nota in pueris ad septennium manifesta est, in adulris penitus aboletur, quia tam strictè agglutinantur duo maxillæ ossa, vt antiquæ diuisionis nullum vestigium remaneat; quod veteribus Anatomicis occasionem dedit, dubitandi de illa sectione maxillæ inferioris, teste Galeno lib. 11. de vsu part. cap. 9. Quippe fatetur in Isagoge, maxillam inferiorem quorundam opinione duobus ossibus in mento per harmoniam vnitis constare, aliorum judicio vnicum os esse; Vt hoc dubium eximeret libro 1. Epitom. Anatomi. ex Marino, non vulgari diligentia disseruit num ex vno, vel pluribus ossibus constructa esset maxilla inferior, quod alibi se fecisse apertè tradit lib. 11. de vsu part. Non est igitur noua hæc dissensio, sed vetus, quam Hippocratis summi dictatoris judicio definire oportet. Ille lib. de locis in homine maxillarum coniunctionem σύγκλεισιν in medio mento fieri scribit, & part. 34. sect. 2. de Artic. maxillam inferiorẽ duobus ossibus in mento iunctis constructam tradit, eamque iuncturam interdum dissolui. Hoc in comment. confirmauit Galenus, quod etiam à nostris Chirurgis obseruatum fuit, nempe Maxillam saxo illisam sæpius ea parte discindi qua inuicem ossa cohærebant. De maxilla inferiore dixit Hippocrares part. 19. lib. 2. de fract. ἢν δ' ἀμφότεραι αἱ γνάθοι ἐξαρθρήσωσιν, quod non scripsisset nisi os duplex esse credidisset. Recentiores Anatomici Vesalius, & Columbus eam quæstionem aduersus Galenum renouarunt, Cui fauet & patrocinatur Syluius depuls. 6. cal. Vesalij. Fatentur quidem in puerulis ex duobus ossibus constructam, quæ postea tam arctè vniuntur, vt discissa & effracta maxilla, alibi quàm in menro rumpatur. Sed ex illa diuisione in puerulis conspicua, non licere affirmare maxillam duobus ossibus constare, nisi etiam occipitij os, vertebras, & ossa Ilium pluribus ossibus effingi dicamus. Respondent Syluius & Fallopius pro Galeno, si non licet de imperfectis partibus infantium aliquid statuere, cur de Epiphysibus tractatur in Anatome? cum nullæ in ossibus adultorum reperiantur. Cæterum maxilla vtrinq; bicornis est, duabus apophysibus terminatur: quarum acuta κορώνη dicta tẽdonem musculi temporalis excipit; altera oblonga κονδυλώδης, cauitati temporum articulatur. Inde Columbus occasionem arripit reprehendendi Galenum, quòd lib. C D E

de

A de oss. articulationem maxillæ fieri dicat sub mammillari processu, cum ab eo longissimè distet. Eodem telo Galenum pungit Ingrassias, idque verum esse in simijs asseuerat, quæ mammillarem processum Zygomati proximum habent. Syluius respondet cauitatem illam sitam esse in osse temporali sub meatu auditorio, ante apophysim mastoidem: vnde hoc loco ὑπὸ Atticè sub significare videtur, vt Latinè sub horam tertiam, id est ante, vel τὸ ὑπὸ infra denotabit. Præterea foraminibus quatuor donatur, duobus externis, totidem internis, per interna neruus à tertio pari cum vena & arteria maxillam subeunt, vt in singulis dentibus distribuantur: per externa nerui soboles ad labrum inferius educitur. Insuper notari debent in maxilla quædam partes suis nominibus insignitæ, inferna peripheria basis appellatur: Cuius extremitates Anguli dicuntur, media pars prominens Mentum.
B Tota vero maxilla etiamsi durissima vt validissimos motus in mandendo & mordendo sustineat, est tamen excauata & medullosa sine vlla epiphysi. Rationem reddit Galenus in proœmio huius libri, quia partes maxillæ ita sunt connatæ vt vna sit operculum alterius. Accedit altera ratio quod epiphyseωn vsus primarius sit, ad generationem Ligamentorum quibus musculorum origo firmetur. Cum autem ab extremis maxillæ partibus nulli musculi oriantur, frustra illic apposita fuisset epiphysis, quippe cum extremitates maxillæ durissimæ sint, & ab omni fractura securæ, nulla erat appendicis necessitas. Notatione dignum est quod referunt Eustachius lib. de dentibus cap. 28. & Columbus lib. 15. Romæ adulti hominis caluariam repertam fuisse, cuius maxilla inferior omni penitus articulo & motu carebat, in ea inferni & superni dentes sese contingebant; Volch. Coiter in
C obseruat. anato. testatur se Monspessuli vidisse caluariam, cui connata erat maxilla inferior.

DE DENTIBVS.

CAP. XXVI.

VETVS fuit inter Anatomicos controuersia de natura dentium, puta si dentes ossibus annumerari deberent. Sophistis vt credo non deerant rationes quibus suam opinionem confirmarent, Nonnullas in medium adducam & dissoluam, vt discussis rationum tenebris rei
D veritas magis innotescat.

Prima ratio hæc erit, Nullum os ex osse alio tanquam matrice nascitur, at dentes ex Hippocrate lib. de carnibus non generantur ex crassa seminis portione, verum ex pingui viscidaque maxillis præparata. Quippe si dentes ossa essent cum alijs ossibus conformarentur, sed in pueris mense septimo à partu foras erumpunt, & interdum maturius quorum nutrices lac habent calidius.

Altera ratio est quod ossa omnia à primo ortu vsque ad interitum corporis perseuerant, maiorem in dies soliditatem adepta. Dentes contra orti statim decidunt rursusque solidiores & duriores renascuntur. Est enim triplex dentium generatio ex Hippocrate, vna in vtero ex semine, altera ex lacte quæ fit mense septimo, tertia anno septimo perficitur, cum iam puer solidioribus alimentis vescitur. *Quibus dentes citius erupunt, nō sunt vitales Hippocrates. lib. de dentibus.*

E Tertia ratio ab ossium incremento petitur, quod certis annorum spatiis definitum est, sed dentes continuo crescunt vsque ad extremam vitæ periodum, proinde Mathiolus cap. 6. lib. 2. asserit si gliribus seu muribus Alpinis dentes eruantur, eos vna die renasci tantos. Narrat etiam Scaliger exercit. 271. in Tandaia insula iuuenes sibi dentes secare ad radices vsque, hoc modo firmiores atque densiores euadere: quemadmodum arbores decacuminatas, vberius crescere & crassescere videmus.

Quarta ratio ab ossium alimento desumpta est, Ossa eo medullari succo quem continent aluntur: dentes verò cum medulla careant solo sanguine nutriuntur.

Quinta adduci potest a dentis substantia quouis osse duriore & veluti lapidea, vnde Philosopho soli dentes ferri aciem respuunt, 3. de histor. animal. cap. 7. In-

super corpora defunctorum condita in lapide Sarcophago intra quadragesimum A
diem absumuntur, exceptis dentibus qui etiam ignibus inuicti sunt, nec cremantur cum reliquo corpore: quinetiam incorrupti perennant, vt sint semina fructificaturi corporis in resurrectione authore Tertulliano lib. de resurrectione, ideo hominem priusquam genito dente cremari mos gentium non erat, Inquit Plinius lib. 7. cap. 16.

Denique sensum ossibus natura denegauit, asseritque Scaliger sibi ossa exemisse sine dolore. Cur igitur dentibus tam exquisitum sensum tribuit natura vt etiam cum lingua de saporibus iudicent. Galenus cap. 2. lib. 16. de vsu part.

Accedit quod dentes nonnullis affectibus tentantur quibus reliqua ossa non sunt obnoxia. Dentes Phlegmone laborant non aliter quam carnosæ partes. At ossa phlegmonem non patiuntur authore Serapione. His vel similibus rationi- B
bus quidam dentes ex ossium censu excludunt; Quas omnes Galenus Argumento à remotione partium sic eludit.

Si dentes sub ossibus non continentur, vel ad cartilagines vel ad vasa aut carnes reuocare oportet. At nullo horum genere comprehenduntur, ideo ad ossa referri debent. Videtur breuius Scaliger exerc. 291. adductis rationibus satisfacere, dentes ossa sunt in sua specie, Ossium enim haud vnus modus intelligitur sicuti neque carnium. Nunc superest ne quid insolutum remaneat contrarias rationes diluere, & expugnare. Dentium vt cæterorum ossium prima generatio à semine ducitur, illorum incrementum & eruptio extra Gingiuas pendet ab alimento quod maxilla suppeditat. Certum autem est partes omnes simul delineari & conformari, quia natura nihil portionibus agit, sed non omnes simul absolui; quædam enim priores absoluuntur propter maiorem earum necessitatem. Cæterum dentes la- C
ctantibus pueris non erant necessarij, cum solida alimenta non conficiant, nec adhuc voces exprimant, quos si natura tribuisset lactenti puero, nutricis papillam suis dentibus vulnerasset, ipsamque nutricem ab eo humanitatis officio deterruisset, quæ doloris impatientia vbera sua præbere reformidasset. Quosdam tamen legimus apud Plinium lib. 7. cap. 16. dentatos in lucem prodiisse, quod olim ominosum habebatur. Liuius lib. 41. suæ historiæ refert puellam Oximi natam, cum dentibus. In fœminis ea res inauspicati fuit exempli Regum tẽporibus. Cum ita nata esset Valeria, exitio ciuitati in quam delata esset futurum, responso Aruspicum vaticinante, Suessam Pometiam illa tempestate florentissimam deportata est, verídico exitu consecuto. Plin. lib. 7. cap. 6.

Dentium mutatio in pueris accidit ex Aristot. cap. vlt. lib. 5. de generat. animal. D
ratione materiæ dentificæ quæ progressu temporis solidior reddita, priores dentes excutit nouosque solidiores atque duriores substituit: qua etiam ætate reliquorum ossium portio dentibus æqualis, prima naturæ intentione reparatur. Præterea cum incisorij & canini dentes in ea ætate multum atterantur, & molares qui debent esse asperi læuigentur, necesse fuit istos propelli ab aliis qui subtus iactis profundioribus radicibus prodeunt. Solus inter Anatomicos Eustachius negat hanc triplicem generationem, quia si fœtus maxillam secueris, in vtraque incisores caninos & tres molares secundum tertium & quartum reperies: partim mucosos, partim osseos, quibus detractis tenuissima lamina nundum ossea apparet, eaque remota alij substrati dentes in ijsdem alueolis latentes occurrunt, Hæc autem dentium in vetulis regeneratio rara est & iis qui consistentem ætatem adepti sunt: Non E
desunt tamen exempla quibus id probetur, sed si noui dentes exoriantur, sunt perexigui tenues & imbecilles vt in prima ætate, quod, testatur Ioubertus.

Cum caries in osse facta fuerit, dolorẽ ex hoc corripere ipsum os, & progessu tẽporis attenuari ac inflari, & in ipso fracturã fieri. Hip. lib. 2. de mobis.

Porrò dentes nati per totam vitam augentur, quia ex mutuo attritu plurimùm attenuantur. Sed in ista accretione pristinus tantum status conseruatur, quandiu substantia quam attritione quotidie amittunt alimento reparatur.

Non aluntur dentes medulla veluti magna ossa, sed sanguine vt minima ossa.

Reliquis ossibus duriores esse debuerunt, propter continuam quam exercent actionem; Quod vero de Sarcophago lapide obiicitur vix crediderim, quod si verum sit, id fit propter dentis substantiam durissimam & solidissimam cuius beneficio indomiti sunt ignibus.

Dentes quidem exquisitè sentiunt, sed num ossibus leuis & obscurus sensus insit

A sit docti dubitant. Galenus cum Hippocrate ossa quæ cruri iunguntur dolere testatur, nisi enim sentirent, frustra per animam sentientem existerent, nec à plantis seiungerentur. Galenus lib. 4. de vsu partium scribit naturam visceribus tantùm sensus tribuisse quantum ad vitam conseruandam conueniebat, vt à plantis discernerentur, essentque animalis particulæ, Cur non eodem naturæ beneficio ossa fruentur, vt fiant animantis partes?

Non solos dentes, verumetiam ossa Phlegmone affici probat Langius lib. 1. Epist. 42. authoritate Hippocratis, Galeni & Auicennæ, & Antonius Beniuenius cap. 79. abditorum exemplo coxæ.

Sunt igitur dentes ossa sui generis omnium durissima, vocis formandæ cibique comminuendi instrumenta. Eorum generatio est eiusmodi, in excauatis maxil-B lis folliculus membraneus generatur, in quo mucus continetur, qui sensim induratus suo apice folliculum & gingiuam perforat, forasque erumpit: tumque in candidam squammam instar faui mellis tenuem & excauatam formatur, quæ cauitas ad septennium & plures etiam annos insigniter ampla perdurat, albo quodam humore referta, qui procedente ætate durior factus, ossis formam suscipit & totam fere cauitatem opplet: vnde fit vt in adultis dentes duplici substantia quemadmodum arbores cortice, & alia quæ cortice ipso tegitur constare videantur, quod satis indicat eiusdem dentis duplex substantia inter se comparata, siquidem quæ extrinsecus incumbit alba, tersa ac densa est perinde ac marmor, Altera verò interior subobscura & nigricans apparet. Altera dentis pars in maxillis recondita etsi mollis, attamen durior est ea parte quæ extra gingiuas prorumpit, cui tantum in pun-C cto adhærens facile trahitur & educitur, folliculus verò imperfecto dente veluti glutine præsepiolis ac gingiuis dentem alligat. *Ex Eustachio lib. de dentibus*

Constant igitur dentes duabus partibus: quæ foris eminet extra gingiuas, Basis appellatur; quæ verò in alueolis latitat Radix nuncupatur. Basis Syluio, Vesalio & Columbo creditur Epiphysis, quæ in pueris auulsa, relicta dentis radice promptè repullulat; alioquin si dentes radicitus eruantur, nunquam regenerantur; Ideo semper in pueris dentes per transuersum frangendi sunt, non filo trahendi vt in alueolo radix remaneat. Fallopius in obseruationibus negat dentes appendicibus donari; Erroris causam docet, quod circa septimum annum detracti dentes, imperfecti sine vllis radicibus appareant. Linea verò quæ dentis partem extra gingiuam prominentem cingit, ab oris alueoli & gingiuarum adhæsione effotmatur, eaque derasa nullum diuisionis vestigium deprehenditur, inquit Eustachius. Huic D opinioni suum calculum addit Vesalius, in examine obseruat. Fallopij. Nec me mouet quod vidit Sylius cuidam quadragenario Epiphyses à molaribus omnibus putredine quadam excidisse.

Dentes autem sedent & per Gomphosin infiguntur suis alueolis, carne gingiuarum & ligamentis validissimè firmati. Contra naturam est si in palato prodeant, vt in nonnullis notarunt Alexander Benedictus & Eustachius: tum scalpello incidi & candente ferro exuri debent, quibusdam tamen animalibus vt Scaro pisci, naturaliter in palato enascuntur.

Naturalis dentium compositio in ambabus maxillis admirabilis est, vt singuli quamuis figura diuersi quasi Lyræ clauiculi extra gingiuas nudi promineant, eodemque ordine & simplici circulatim collocati choream bellè imitentur, Supe-E rioribus & inferioribus inuicem commissis, ita tamen vt in morsu inferiores, non ad superiorum acutiem, sed elatius ad ipsorum corpora impellantur; vnde fit vt alimenta à dentibus forcipis instar abscindantur. Cōtra naturam est si in duos ordines distribuantur, vt in Timarcho Cyprio, & Drypetine, Laodice Mithridatis filia, vel in tres vt in Hercule, & Phœbo Columbi Anatomici filio, quod falsum docet Fallopius in obseruat. Quia interdum primoribus dentibus nondum excessis alij strata sibi via per nouos alueolos erumpunt, videturq; nouus dentium ordo exortus. Verùmtamē in certis animalibus naturale est, plures dētium ordines habere; Nam Manticora bellua triplici dentium serie prædita est, & Moeaxus piscis triplici dentium ordine armatur: Obseruauit Fallop. Viperas in aquis dulcibus degentes in superiore maxilla duplicem dentium seriem habere, quas maxillæ inferioris vnicus ordo ingreditur. *Ex Hippocrate in epist.*

Ista dentium series quibusdam interuallis modo longioribus mod o breuioribus distinguitur, à quibus Philosophus lib. 1. de historia animalium cap. 7. & sect. 10 A
probl. 48. longioris & breuioris vitæ sumit indicia, quod eludit Scaliger ex emplo Augusti edentuli & longæui. Ex eiusmodi spatijs magna accedit vtilitas, ne scilicet vno dente aut viaut vitio pereunte, aut etiam dolente affectus alijs communicetur: vel vt strictè confertis dentibus, vti accidit in Phreneticis & conuulsis, liquida faciliùs in ventrem inijciantur. In plurimis obseruatum est dentes continuari sine vllis spatijs, quibus os erat continuum pro dente, vt Prusiæ filio, Pyrrho Epirotarum Regi, atque Euryptolemo Cypriorum Regi, Euriphæo Cyrenæo, Poëtæ Phœrecrati, Sicinio & aliis quam plurimis. Quidam Lutetiæ dum dentem euellit simul & partem maxillæ & vicinos dentes detrahit, Hæmorrhagia sequitur periculosa, vocatus in ius Chirurgus liberatur, quia inuenti sunt dentes non inseri, sed omnino maxillæ continuari. Eustachius nunquam videre potuit vnicum os B
pro dentibus, tres quidem aut quatuor molares non aliter quam in pecudibus continuatos aliquando obseruauit. Sed fabulosum non est quibusdam animantibus secundum naturā os esse continuū pro dentibus vt Hyenæ, Testudini, & Crocutæ.

Ex Hollerij obseruat.

Numerus dentium varius est pro ratione ætatum, in adultis qui annum 7. excesserunt triginta duo reperiuntur, quatuor incisores, Canini duo, molares decem. Interdum 36. vt notauit Galenus, vel ad minus 28. At in his qui nundum eum ætatis terminum attigerunt 20. tantum numerantur, quales sunt incisores 4. canini duo, & quatuor molares, tumque nutrices iactant pueros, suos omnes dentes habere cum viginti obtinuerunt. Qui fit hoc cum dentes omnes in gingiuis formati latitent? authore Hipp. An quia maxillæ vtriusque spatium angustius est, quàm possit sedecim comprehendere? Propterea reliqui dentes maxillæ supe- C
rioris versus tempora reconduntur sub osse jugali. Maxillæ verò inferioris, vt puncta in suis alueolis delitescunt, nec erumpunt nisi exacto septennio, quo nimirum tempore maxillæ suum naturale incrementum sortiuntur, tumque descendunt molares malæ vt alijs dentibus adiungant & associent seruato adamussim ordine. Numerus dentium in adultis non semper ęqualis reperitur, longiores maxillæ octo molares continent, breuiores quatuor, interdum pro quatuor incisoribus supernis vel infernis duo tantum adsunt, tam lati vt quatuor æquare possint: notauit Hippocr. lib. 2. Epid. eos longioris esse vitæ qui plures dentes habent.

Incisores primi erumpunt citius in maxilla superiore quàm inferiore, eorum basis latior ad extremam vsque aciem sensim extenuatur; foris gibba, intus sima: D
radix vero à lateribus compressa, in extremo leuiter inflectitur. His proximi sunt Canini non tam à figura quam ab vsu & duritie sic appellati; In homine duo sunt vtrimque vnus, in rapacibus animalibus vt Lupis, Leonibus, Canibus multò plures, sed natura sciebat homini animali politico & mansueto duos esse suffecturos, præsertim cum manus dederit quibus cum malleo dutiora quæque comminuere & secare potest, quales in dextra parte gemini supernè canini fortunæ blandimenta pollicentur: sicut in Agrippina Domitij Neronis matre, contrà in læua: Plin. lib. 7. cap. 16. Canini maxillæ supernæ altissimas habent radices quæ neruis per foramen oculi orbitæ infernæ prodeuntibus occurrunt. Vnde fit vt altero ex ijs dentibus auulso periculum nonnunquam immineat ne parte aliqua offendantur oculi, propterea vulgo Ocularij dicuntur: magnum dum nascuntur E
dolorem infantibus infligunt, & si quando defluxio à cerebro in eam gingiuæ partem insederit, in quam implantantur, vel natu grandioribus totius genæ & oculi dolorem pulsatorium non sine febre suscitant. Caninis succedunt Molares, quòd his cibus vt molis frumentum conteratur. Ampla basi aspera & inęquali constant, τραπέζας vocat, Ruffus, quę tandem attritione longa leuigatur. In vna quaque maxilla Molares sunt decem, quem numerum perficiunt intimi & extremi duo Genuini Græcis σωφρονιστῆρες, quod eo tempore quo moderantes temperantesque esse oportet, seu cum sapere incipimus oriantur, authore Ruffo. vel vt inquit Meletius lib. de fabrica humana quia in ortu suo prudentiæ percipiendæ tempora pueris adducunt; Erumpunt authore Varrone anno septimo (malè apud Plinium octuagesimo)

Ex Carolo Stephano in Anatome

Negat Aristoteles maxillares dentes renasci, quē sequutus est Plinius, hoc falsum docet Fal-

A mo) vel vt placet Aristoteli anno decimo, vel post vsum Veneris. Auicennas
non ante tricesimum annum apparere scribit, & in maxilla potius superiore quàm
inferiore. Hos dentes nullum animal mutat nisi quid præter naturam contingat.
Prodeunt interdum, inquit Vesalius, cum magnis cruciatibns: id quod medici pa-
rum obseruantes, aut alios dentes euellunt, aut humorum vitio eos infestari sibi per-
suadentes, ægros catapotijs atque id genus pharmacis obruunt, quum dolore affe-
ctis nullum leui gingiuarum ad postremum dentem scarificatione, ac interdum os-
sis pertusione præsentius remedium adferri possit.
Dentium magnitudinem metiuntur Anatomici radicum numero. Magnos ap-
pellant dentes qui pluribus radicibus abundant, Paruos qui paucioribus donantur.
Neque ex radicis longitudine vel breuitate dentis magnitudinem vel paruitatem
æstimare oportet, quia ferè longior radix breuiorem dentem edit, ait Celsus lib. 8.
B Dentes autem inferiores à superioribus radicum numero vincuntur, in vtraque
maxilla incisores & canini vnica radice constant. Sed molares maxillæ supernæ tri-
bus radicibus firmantur. Molares vero maxillæ infernæ duas tantùm obtinent in
directum suis alueolis infixas. Porrò dentium radices sunt simplices, vel duplices,
aut triplices. Nullæ sunt quadrigeminæ. Earum aliæ sunt rectæ, aliæ incuruæ, quæ si
quando in euulsione dentis mediæ effringantur, intolerabiles afferunt cruciatus
surculo ibi remanente. Verum ne moles ista dentium ponderosa esset, radices exca-
uatæ sunt; nec tantùm ad leuitatem, sed etiam ad commodiorem dentium nutritio-
nem & vasorum penetrationem. Dentis enim canitatem subeunt nerui, venæ & ar-
teriæ, vnde & dentes cauati durorum contactu sanguine fluunt, atque dolorem in
dente pulsatorium Galenus percepit. Obseruauit Valleriola dente auulso ex arteria
C substrata vbertim sanguinē fluxisse, vt riuulus è fonte manans videretur. Dentium
cauitatem intus oblinit tenuissima membrana ex vasorum confusione nata si cre-
dimus Vesalio, fortassis à tenui meninge producitur. Continua est palato, ventricu-
lo atque adeò intestinis, vt satis indicant symptomata quæ dentientibus pueris su-
perueniunt, ab Hippocrate lib. 3. Aphor. Aphor. 25. descripta.

lopius qui à se euulsos puero renatos vidit, quippe omnes maxillares mutantur & renascuntur præter Genuinos, qui si exciderint nunquam regenerantur.

Cum igitur dentes neruos & membranas habeant, exquisitissimo sensu præditi
sunt, & dolore vexati acerbissimos cruciatus adferunt. Propterea dentis extractio
sæuissimis annumeratur tormentis, quo supplicij genere torquebantur olim Chri-
stiani, vt sancta Apollonia & Beatus Blasius quibus dentes vi detracti fuere. Vidit
Galenus quosdam famulos quibus ab iratis dominis dentes effracti fuerant, oborta
inflammatione conuulsos perijsse. Quare pro miraculo reputo, vel dæmonis præsti-
D gio fieri arbitror, quod narrat Nicol. Monardus cap. de sarsaparilla. Quædam est re-
gio in Quinto Prouincia noui orbis, cuius incolæ edentuli sunt, quoniam in more
habent vt sibi dentes eximant, quos suis Idolis offerunt, dicentes optima quæque
eis offerri debere, hominem verò nihil præstantius, nihil magis necessarium denti-
bus habere. Vel falsa est hæc historia, aut eiusmodi populis laxa est & mobilis den-
tium Gomphosis. Monet Cælius Aurelianus lib. 2. tardarum passionum cap. 4. non
esse à periculo remotum doloris tempore dentes auferre & maximè integros, hoc
est qui non fuerunt erosi vel corrupti aut mobiles. Consensus etenim superiorum
partium necessariò sequitur & musculorum & oculorum. Herophilus denique &
Heraclides Tarentinus mori quosdam detractione dentis memorauerunt. Nam
Erasistratus plumbeum, inquit, odontagogon quod nos Dentiducum dicere pote-
E rimus apud Delphum in Apollinis templo ostentationis causa propositum, quo de-
monstratur oportere eos dentes auferri qui sunt faciles vel mobilitate laxati, vel
quibus sufficiat plumbei ferramenti conamen ad summum.

Si corrosus fuerit dens & mouetur, eximatur: si verò nō corrosus est, neque mouetur, dolorem autem infert, per vstionē resiccatur. &c. Hipp. lib. de intern. affect.

 A

DE OSSE HYOIDE.

CAP. XXVIII.

S HYOIDES Galenus omisit in sua Osteologia, quod fecit etiam Columbus, quòd in Sceleto non appareat, Commodè tamen ad ossa capitis referetur. Quia in faucibus sub maxilla inferiore latitat, suisque cornibus ad Apophyses Stiloideis appensum est. Dicitur Hyoides à figura literæ Græcæ: eam formam obtinuit, vt spiritibus & alimentis liberum daret trāsitum & commeatum, ab alijs Pharingetron & os gutturis, Herophilus παραστάτην appellabat, fortè quod Linguæ & Laryngi assideat. Est enim firma- B mentum musculorum linguæ & Laryngis, & huic ossi tanquam fundamento lingua innititur. Quamuis autem pro vnico osse computetur, non est tamen simplex; sed ex pluribus ossibus constructum quorum minimus numerus trium est, maximus tredecim, vt plurimum in adultis ex vndecim articulis exurgit & coalescit, opinione quorundam Anatomicorum. At sæpissimè os Hyoides portionibus quinque contextum inueni, interdum septem officula notaui, quorum medium latiusculum basis dicitur, foris gibbum, intus cauum, basis cauitas versus thyroidem conuersa multo adipe obsita excipit epiglottidem: Basis vero pars conuexa linguam admittit, & vice fundamenti sustinet: ex basi vtrinque duæ epiphyses prodeunt, cornua vocant Anatomici; breuior & inferior vnico osse constans, in apophyses supernas thyroidis cartilaginis inseritur. Altera lōgior simplex aut duobus officulis inuicem C colligatis conflata; ad styloidem apophysim ascendit: quod si desint istæ appendices vti accidit, potissimum in mulieribus, earum vicem gerunt ligamenta. Notat Fallopius longiorem appendicem ossis hyoidis vnico osse constare, nec Styloidem apophysin attingere, sed illi per ligamentum neruum adhærere.

Animaduersione dignum quod obseruauit Galenus lib. 7. de vsu part. cap. 19. os hyoides non per solam Syssarcosim astringi & alligari, verumetiam per Syneurosim, Ne musculo vno resoluto antitasis illa & æquabilitas musculorum dissoluatur, sicque ad latus vnum magis contorqueatur, vel deorsum prolabatur. Huic incommodo prospiciens natura, per quatuor ligamenta apophysibus styloideis & thyroidi cartilagini firmauit & astrinxit.

DE TRVNCO, ALIA SCELETI PARTE, D
ac primum de spina.

CAP. XXIX.

ESICCATI cadaueris Truncus diuiditur in Spinam & Thoracem. Spina seu Rachis id totum complectitur, quod à prima colli vertebra vsque ad coccygem extenditur, quibusdam tamen placet spinam nominare, non vniuersam vertebrarum compositionem, sed earum tantum quæ ad Thoracem & lumbos sunt: iuxta quos Hipp. agit de spina, lib. de Articulis, Galeni iudicio. Ipsemet Hipp. lib. de oss. natura spinam à ceruice distinxit. Rachis autem omnium ossium sedes & origo creditur, primaque in E vtero conformatur, hanc scitè veteres carinæ in nauigio primùm iactæ compararunt, cui ceu fundamento costæ tanquam curuatæ trabes innixæ cohæreant, huius ope totius corporis moles stat & erigitur quoties Spina secundùm rectitudinē cruribus accommōdatur. Ex pluribus ossibus orbiculatis coagmentatur (quæ σπονδυλοι Græcis dicuntur, Latinis Vertebræ) ad motuum varietatem; vt in omnem partem flecti & torqueri posset. Nam si vnico continuoque osse constructa fuisset, rigida & immobilis permansisset. Nec tutum erat spinam ex tribus vel quatuor ossibus componere, ne vno luxato medullæ compressio angularis sæpè funesta contingeret. Est enim apud Hippocratem vnius vertebræ luxatio periculosior quàm plurium. Multas igitur vertebras natura condidit ad securitatem numero viginti quatuor.

Hunc

A Hunc numerum designauit Hippocrates lib. de locis in hom. & lib. de oss. nat. Galenus eam opinionem secutus est, lib. de oss. cum tamen ibidem os sacrum spinæ vertebris adscribat, quod in quinque vertebras dirimit. Propterea Fernelius aliique Anatomici triginta vertebras constituunt, os sacrum inter vertebras referentes, quod longa ebullitione in oleo feruenti, in quinque vel sex partes secatur. Sed Hippocrates & Galenus os sacrū vertebris non accensent, quia vnicum & continuum est, vertebrisque plane dissimile. Vertebrarum series siue continuitas in quatuor partes distribuitur, Ceruicem, Dorsum, & Lumbos, quibus fundamenti vice subijcitur os sacrum. Ductus autem vertebrarum à prima vertebra vsque ad os sacrum sensim latescit & amplificatur, ita vt succedens sit antecedēte amplior ac robustior; siquidem id quod gestatur, minus esse oportet eo quod gestat. Sed in ista vertebrarum amplificatione gradatim facta, Inferiores vertebræ eandem seruant foraminis

B capacitatem quam habent superiores, vt contendit Fallopius in obser. Licet enim medulla in propagandis neruis exhausta, sensim imminuatur, impleuit tamen supernas cauitates membranæ crassiores, non tantum ad firmiorem ossium colligationem, verumetiam ne in vehementioribus ceruicis agitationibus spinalis medulla collideretur. Nec foramen primæ vertebræ cæteris amplius est, quia dentis ingressu minuitur, & alijs adæquatur. Hoc significasse videtur Hippocrates lib. de oss. nat. *Vertebræ interna parte inter se sunt æquabiles.* Ac proinde falsa est Galeni doctrina, cum scribit quò magis spinæ medulla in gignendis neruis absumitur & attenuatur, eò inferiora vertebrarum foramina minui & coarctari. Dignum est consideratione quod animaduertit Ingrassias, hanc foraminum æqualitatem in quibusdam verte-

C bris perturbari, vt in 5. 6. & 7. ceruicis 1. 2. thoracis. Ibi enim ampliora sunt foramina, vt crassior existens medulla spinalis generationi magnorum neruorum sufficiat, qui inde expromuntur manum irrigaturi. Maior etiam capacitas obseruatur in 3. 4. & 5. lumborum vertebris, eodem fine & instituto facta, ne in productione magnorum neruorum qui in pedem feruntur, medulla spinalis exhauriatur. Hoc notandum adhuc occurrit, quod vbi vertebrarum capacitas amplior fuerit, ibidem foramina lateralia maiora esse.

Spinæ figura est admirabilis quam primus Hippocrates indicauit, & eleganter descripsit eruditissimus Laurentius, est ἰθυσκολιὸς partim recta, partim obliqua, ita vt nunc extrorsum, nunc introrsum inclinet. Cæterum obseruanda sunt quædam vertebris communia, ac primum quod quælibet vertebra suum habet corpus parte interna situm reliquo osse crassius, & eò fungosius quò grandius. Plurimis etiam fora-

D minibus patet, quæ vasa nutrimentum deferentia excipiunt. In basi corporum appendices obseruandæ sunt, quas Fallopius ligamentum cartilagineum indutatum esse putat. Sed cum reliquæ appendices in iuuenibus cartilagineæ sint, postea verò indurentur, cur nomen appendicis illis denegabitur? Secundò in singulis vertebris tres Apophyseωn differentiæ notari debent, Obliquæ, Transuersæ & Acutæ. Obliquæ quatuor sunt, duæ accliues seu supernæ, totidem decliues seu infernæ. Transuersæ duæ sunt, vnica acuta posteriorem partem occupans, cuius extremitati adhęret cartilago quę violentis ictibus obsistit. Postremò spondylus cum altero articulatus foramen efformat. Quisnam Spondylus ad foramen efformandum plus tribuit? Vterque inquit Gal. in collo meatui ęqualiter confert, in cęteris Spondylis superior aut magna ex parte aut omnino meatum absoluit. Contra sentiunt alij A-

E natomici, quia enim colli vertebra inferior magis incisa est, dorsi vertebræ æqualiter conferunt. At in lumborum vertebris totus sinus in superiore vertebra excauatus est. Colligantur inuicem vertebræ per corpora interuentu ligamenti cartilaginosi ab ea membrana, quę geminas spinalis medullę tunicas ambit, producti, quod quidem dissilientibus & considentibus vertebris cedit. Articulantur per Apophyses obliquas, quæ ideo articulatoriæ dicuntur Syluio.

Porro non leuis occurrit difficultas apud Hippocratem de vertebra magna, quā modo in lumbis, vt textu 41. sect. 3. de artic. modo in collo constituit, vt textu 44. eiusdem sectionis, Galenus comment. ad part. 8. sect. eiusdem pro magna vertebra ceruicis secundam accipit, quam Hippocrates interdum dentem appellauit. Sed qui diligenter initium lib. de oss. nat. legerit, vbi spinæ figuram delineat, cognoscet Hippocratem per magnam vertebram inferioris spinæ, intelligere vltimā lum-

borum, quam ab osse sacro distinguit: & per magnam vertebram ceruicis, vltimam A
colli designate. Vt quinta lumborum est omnium vertebrarum amplissima, ita septima ceruicis reliquis amplior existit. Deinde Hippocrates non tantum ad magnitudinem, verumetiam ad vsum respexit; vtraque suæ partis vertebras sustinet.

DE CERVICE, ET MOTV Capitis.

CAP. XXX.

CERVICEM Laryngis gratia constructam esse fatebitur, qui animalia quæ pulmonibus & aspera arteria destituuntur, ceruice quoque carere considerabit. Sed præcipua ceruicis vtilitas est, ad varios capitis motus sustinendos, quorum natura tam obscura est, & inter authores adeo controuersa, vt medium iter tenere tutius sit quàm in alterutram partem inclinare. Opinio Galeni turbas illas excitauit quas ipse quidem præuiderat, lib. 12. de vsu part. cap. 6. Sed doctis tantùm scribere voluit, Veritatem huius controuersiæ diligentiùs perquiramus. Capitis motus quidam sunt Proprij, alij Communes. Appello motum Proprium quando caput immota ceruice mouetur: Communem cum caput ceruicis motum sequitur. Proprij motus duo sunt, Rectus, & Obliquus: Recti duę sunt partes, Flexio & Extensio, Flexio fit annuendo, Extensio renuendo; Obliquus motus est quando caput ad latera leuiter ducitur. Galenus rectum capitis motum fieri putat διαρθρώσει primi spondyli cum secundo, Obliquum vero διαρθρώσει coronωn capitis duorum cum duabus primi spondyli cauitatibus. Galeni sententiam improbant Vesalius & Columbus, atque aliter istas articulationes explicant. Volunt enim rectum capitis motum super prima vertebra perfici, Obliquum super secunda, prima videlicet supra secundam circa pyrenoidem velut ad axem circumducta. Syluius depulſ. 4. Calum. Vesalij, Galeni opinionem tuetur quam musculorum capitis insertione confirmat, atque Vesalium deceptum fuisse asserit, ex malè intellecta significatione verbi παρέγκλισιν, quod passim apud Galenum accipitur pro leui capitis obliquatione. Sed tandem fatetur istas articulationes certis motibus non esse addictas, in agendo sibi mutuam pręstare operam. In tanta opinionum varietate, de hac quęstione quid sentiam liberè pronuntiabo. Quamuis Galenus suam doctrinam de motu & articulatione capitis tam certam & firmam D
esse confidat, vt eam nemo sanę mentis oppugnare possit vel audeat, Huius doctrinę fundamenta consideremus. Natura, inquit Galenus, incolumitatis partium valde sollicita, quibus potuit modis earum securitati prospexit; Cum autem articulatio primę vertebrę cum capite tanti sit momenti, vt ea luxata confestim animal respiratione, voce, motuque omni ac sensu priuetur, ipsa nimirum neruorum radice affecta. Natura ad robur & firmitatem huius articulationis tria fortissima vincula apposuit, quibus tota articulatio firmatur & constringitur. Pręterea octo musculis posticam articulationis partem contexit, quorum ope caput mouetur. Cum verò capitis totius motus diuersos esse oporteret vnum rectum, alterum obliquum, necesse fuit duplicem fabricare articulationem, aut ex duobus obliquis motibus rectum vnum compositũ efficere. At hoc in capitis articulatione firma & forti commodè fieri non poterat. Pręstabat igitur duas articulationes facere, Alteram coronωv capitis cum cauitatibus primæ vertebrę, quæ motus capitis obliquos regit; Alteram capitis cum secunda vertebra quę motus rectos perficit. Neque enim ab vna & eadem articulatione diuersi motus perfici poterant. Nonne vides, vt in cubito duplex sit articulatio, ad rectos & obliquos motus peragendos. Nunquàm natura vni & eidem articulo diuersos motus tribuit, nisi laxus & totundus fuerit. At primę vertebrę cũ capite articulatio obliqua est & inęqualis, quapropter ab ea solus obliquus motus peragetur. Quippe si naturam illam rectis motibus destinasset non transuerso situ, sed directò coronas capitis & primę vertebrę cauitates disposuisset. Non igitur meliores & commodiores articulationes excogitari possunt. Veritatem huius doctrinæ non verebor examinare, cum magnitudo nostræ professionis vnicui-

De motu capitis.

Demõstratio Galeni de mot. cap

Celsus ante Vesaliũ & Colum. cap. motũ sic explicauerat, Summa vertebra proti-

B C E

vnicuique liberum permittat arbitrium. Galenus in hac quæstione sibi non con-
A stat, Nam libro de ossibus asseuerat caput super dente pyrenoide antrorsum & re-
trorsum moueri, Circumagi vero per diarthrosim primæ vertebræ cum occipitis
coronis. Verum non potest caput dente pyrenoide firmari, quia distat ab occipite
digiti latitudine, Nec potest prima vertebra à secunda diduci in flexione & exten-
sione capitis, quia stabilis & immobilis continetur ope transuersi ligamenti, obstat-
que pyrenoides, quò minus antrorsum vel retrorsum dehiscat. Idem Galenus lib.
12. de vsu partium rectum capitis motum fieri putat diarthrosi primi spondyli cum
secundo, quem iuuat dens pyrenoides cui caput innititur: obliquum vero diarthro-
si primi spondyli cum corωnis occipitis. At lib. 4. Adm. Anat. testatur rectum
capitis motum super prima vertebra fieri per articulationẽ capitis cum prima ver-
tebra. Postremam hanc opinionem præ cæteris amplector, quia magis veritati con-
B sentanea, & postrema fuit Galeni super motu capitis cogitatio, composuit enim li-
bros Adm. Anat. longè post editionem librorum de vsu part. Quare cum Galeno
statuo, diarthrosi coronωn capitis cum prima vertebra motum tam rectum quàm
obliquum perfici, quem impedire non potest cauitatis & coronωn obliquitas, quã-
doquidem motiones capitis quæ immota ceruice fiunt breuissimæ sunt Authore
Galeno.[a] Neque repugnabit axioma Galeni motus diuersos neutiquam ab vno &
eodem articulo perfici, neque valet exemplum de articulatione cubiti adductum;
Nam in cubito qui cõstat duobus ossibus necessaria fuit duplex articulatio. At iam
demonstratum est in articulis, ab arthrodia & enarthrosi diuersos motus perfici,
gynglimon solam flexionem & extensionem pati. Cum igitur articulatio primæ
vertebræ cum occipitis corωnis sit arthrodia diarthrodes, cur caput super prima ver-
C tebra immobili rectè & obliquè non mouebitur? Scripsit Galenus eminentiã cum
in cauitate vertitur solos motus obliquos ad latera efficere, quod verò fit ex duobus
obliquis si positi simul fuerint rectum motum esse. Id etiam confirmat lib. 12. de vsu
partium agens de articulatione capitis, quærit quando præstat ex duobus obliquis
motibus rectum vnum compositum efficere? Cùm obliqui à rectis parum differũt.
Quando vero non est melius? Cùm partem longiùs oportet in vtrumque latus ab-
ducere. At obliquatio capitis leuis est & ferè insensilis, parumque à motu recto dif-
fert, circumductio illa capitis ad humerum à ceruice sola dependet. Itaque sic apud
me statuo, rectos & obliquos motus capitis ab vno & eodem articulo perfici, in istis
motibus immobilem manere primam vertebram: Quæ quatuor locis secundę ver-
tebræ affirmatur, parte inferiore per apophyses obliquas, parte anteriore denti exa-
D ctè colligatur ope transuersi ligamenti: Ita vt non possit antrorsum neque retror-
sum flecti: parte postica tuberculo quodam firmatur in locum spinæ addito quod
sinulum subiectæ spinæ ingreditur. Si cui non arrideat hæc noua de motu capitis
opinio, quam libuerit amplectatur, sed nullam certam & stabilem comperiet, suum
tamen vnicuiq; liberum relinquo iudicium. Structuram ceruicis persequor quam
septem vertebræ componunt suis nominibus appellatæ, Prima Atlas dicitur, quia
vt Atlas Mathematicus cœlum suis humeris gestare fingitur, ita hæc totum caput
sustentat, dicitur etiam ἐπιστρόφεως conuersor, quia super ea caput verti creditur. Secun-
da ab apophysi turbinata. (Epiphysim esse mauult Fallopius) ὀδοὺς vocatur ab Hip-
pocrate, quæ luxata parte anteriore Anginam lethalẽ inducit, cuius meminit Hip-
pocrates lib. Epid. & Galenus lib. 4. de locis affectis cap. 3. Reliquæ carent nomi-
ne; excepta Septima quam nonnulli Atlantem malunt appellare, quia caput & reli-
E quos spondylos sustinet, & in ferẽdis oneribus potissimum laborat. In ceruicis ver-
tebris hoc peculiare notatur, quod Apophyses transuersæ sint bifidæ, ad musculo-
rum exortum & neruorum tutelam, quos adhuc molliores canaliculo quodam ex-
cipiunt & deducunt, exceptis duabus primis. Eædem Apophyses perforatæ sunt,
vt adirum præbeant arterijs & venis ceruicalibus cerebrum petentibus. Septimam
Galenus excipit, quam in suis scheletis continuam sine vllo foramine vidit. Ceruj-
cis quoque vertebrarum spina bicornis est, ad musculorum exortum & insertionẽ.
Ceruicis corpora Longa sunt, Lata & Plana, vt firmius eis incubent Oesophagus &
aspera Arteria. Ad articulationis securitatem imbricatim coniunguntur. Sed pri-
ma vertebra hoc habet pecnliare quod omni spina careat, ne superiectos musculos
laceraret. Corpus obtinuit intus leuiter canum vt dentem foris gibbum, qua parte
iungitur læuem & planum exciperet.

nus caput sustinet per duos sinus receptis exiguis eius processibus quò fit vt caput sursum deorsũ versum tuberibus exasperetur, secunda superiori inseritur quod ad circuitum pertinet, pars summa angustiore orbe finitur ita q; superior secunda circũdata, n latera quoque caput moueri finit. lib. 8. cap. 1.

[a] Lib. de motu muscul.

Gal. l. 13. de vs. p. In colli vertebris 11. Apophyses obseruat, in reliquis 9. sed in prima colli tantũ 7. In secunda 9. agnosco. Prima est corpus vertebrę deorsũ prælongũ, ut in subiectã cauitatẽ admittatur, quod tamẽ excipitur à Gal. Secunda est spina quę duplex est, deinde trãsuersę duę, quatuor articulatoriæ, atq; duę supernis ac extremis finibus corporis vertebrę adiectæ. In prima vertebra pro 7. Apophysi cõputatur apophysis illa anterior, quę dentẽ pyrenoidem admittit. In secunda dens non æstimatur pro apophysi, quia ex corpore vertebræ emergit, ipsũq; corpus cõstituit. A

DE DORSO. CAP. XXXI.

RACHEOS altera pars Dorsum dicitur νῶτον Antisternum quia opponitur sterno. Duodenas continet vertebras, quarum prima λοφιὰς dicitur à λοφὸς quod apicem seu cristam galeæ significat, vel quod alijs præstet, vel quia λοφιὰς dicitur inferius guttur cui illa subiacet. Secunda μεταφρένιος Axillaris appellatur. Reliquæ nouem consequentes πλευρῖται Costales, quia maximæ costæ illis annectuntur. Vndecima dicitur ἀῤῥεπὴς in neutrã partem inclinans. Duodecima διάζωσις præcingens quod ea parte cingamur. Numerus hic vertebrarum non est perpetuò constãs & definitus, interdum vna deest vertebra, vel superest, sed abundare rariùs quàm deficere notat Galenus. Quod falsum esse animaduertunt Vesalius & Columbus : qui affirmant tredecim sæpius spondylos reperiri quàm vndecim. Idque patet ex ipsomet Galeno, lib. 8. Adm. Anat. cap. 1. vbi ait rarissimè mutari costarum numerum, rarius tamen vndecim quàm tredecim extare. At numerus costarum & vertebrarum semper æqualis est, costæ sunt duodecim vtrinque, ergo totidem erunt vertebræ. Cæterum dorsi vertebræ discrepant à vertebris colli mole & processibus: Dorsi vertebrę maiores sunt, spinas habent longas, & deorsum tendentes, in medijs vertebris acutas, iuxta Lumbos & ceruicem obtusas. Latas verò & solidas habent transuersas Apophyses, nonnihil retrorsum sursumq; eductas. Decima verò dorsi vertebra hoc habet peculiare, quod sit ἀῤῥεπὴς, in neutram partem inclinet. In nostris hominibus frequentior est Vndecima, & hac crebior Duodecima. Cum enim Rachis fornicis instar constructa sit, eius clauis vndecimus Spondylus nutantes alios Spondylos sursum deorsum figit ac firmat non aliter quàm lapis triangularis reliquos lapides connectit. Huius vertebræ articulatio primæ aduersatur. Hæc enim excipit & non excipitur, Illa excipitur vndique & non excipit, finitimis per arthrodiam articulata. Idcirco suas Apophyses obliquas leuiter capitulatas obtinuit: quas Apophyses descendentium decimi spondyli & duodecim ascendentium cauitates excipiunt. Sed cur diuersa est huius vertebræ articulatio? quia superiorum & inferiorum vertebrarum contrarius est motus: Supernæ spinam antrorsum inflectunt, Infernę eandem retrorsum incuruant. Propterea Spondyli vndecimæ interiecti contrario modo dispensãtur: Superiorum vertebrarũ Accliues processus protuberant, Decliues sinuantur, inferiorum contrà processus excipiunt, decliues excipiuntur. B C D

DE LVMBIS. CAP. XXXII.

DORSO succedunt Lumbi qui tertiam spinæ partem constituũt, quinque vertebris constant, quas nullum animal præter hominem ne simia quidem pari numero obtinuit inquit Galen. com. in sect. 3. lib. de articulis. Earum prima νεφρίτης dicitur, quod e aduerso renum sita sit, Vltima ἀναλήπτης fulciens. Media ἀχλίοις brutorum propria. Lumbarium vertebrarum apophyses transuersæ sunt alijs longiores & tenuiores, costularum vicem & officium subeuntes. Exceptis prima & vltima, hac ab osse Ilium impedita, illa ne motum thoracis obliquum hoc loco maximũ impediret. Galenus scribit in omnibus Lumborum spondylis prope nerui exortum tenuem apophysim adesse, quę vel in omnibus vel in quibusdam spondylis inuenitur. Syluius hanc Apophysim mespillorum officulo similem semel tantùm in hominis scheleto se vidisse asseuerat. Columbus sæpiùs eam publicè demonstrauit. Sed Vesalius & Fallopius negant in homine reperiri, in vetulis quidem canibus obseruarunt, eamque acutam & ad neruum deducendum, nonnihil excauatam esse dicunt. E

A

DE OSSE SACRO.

Cap. XXXIII.

LVMBIS os sacrum substernitur, vt sit spinæ veluti quoddam fundamentum, & vtrimque ossa coxendicis excipiat, crurumq; ad os Ischium articulationem firmet, atq; inferioris ventris contenta viscera sustineat. Denique vt neruorum coniugationibus in crura distribuendis originem præbeat. Propter magnitudinem Sacrum appellatur, Græcis enim ἱερὸν, & Latinis Sacrum magnum denotat, fortassis quia mẽbra Sacra generi propagan-
B do dicata includit, inde nomen adeptum est: vel quia in osse isto aliquid sacri arcaniq; contineatur dum partus tempore diuinitus adaperitur, eductoque fœtu miro quodam naturæ opificio solidescit. vel quod vitæ fatum obtineat, siquidem eo malè affecto animal in discrimen vitæ adducitur, vt notauit Hippocrates lib. de gland. & lib. 3. de fract. testatur os sacrum exulceratum difficillimè sanari, quod etiam in comm. confirmauit Galenus: Vidit Langius duos viros nobiles ossis sacri putredine, & incredibili doloris tyrannide diu emaceratos, tandem contabuisse & interijsse epist. 42. lib. 1. Posset aliquis suspicari inde suum nomen traxisse, quod in sacrificijs solum hoc Dijs offerri consueuerat, vt inquit Meletius, ex quo dixit Menander, οἱ δὲ τὴν ὀσφὺν ἄκραν θύουσιν. Vt vt sit Os est latissimum triangulare, Cauum ante-
C riore parte, vt amplior esset Hypogastrij capacitas; Posteriore Gibbum; processus habet sex foramina neruis educentis præparata, quemadmodum reliquæ vertebræ. Ex Ossibus quinque, aliàs sex coagmentatur, quę in pueris coctione facilè separantur, in adultis tam arctè cohærent, vt vnum os appareat. Notat Fallopius ossium sacri numerũ immutari ratione coccygis, Nam quoties Os sacrum sex vertebris constat, ex tribus officulis Coccyx construitur, & quando Coccyx ex quatuor compactus est, tum Sacrum ex quinque vertebris conflatur.

Galenus verò Os Sacrum ex tribus particulis, tanquam ex proprijs quibusdam spondylis constructum esse tradit lib. de oss. quorum extremo aliud os quartũ coccyx appellatum additum est, quod repetit lib. 12. de vsu part. quibus in locis Os Sacrum bipertitum fecit, cuius prima pars instar basis & fundamenti spinæ subiecta, ossibus ilium agglutinatur. Secũda pars comprehendit id quod extrà pendet, & ad
D anum terminatur. Cartilaginem verò Ossi Sacro attexram, quæ coccyx vulgò dicitur, epiphysim cartilagineam appellauit, lib. 13. de vsu parr. Atque pro coccyge vbique caudam siue mucronem ossis sacri accepit, propterea perperàm & contra veterum auctoritatem cartilaginem illam recentiores coccygem vocant: rectéque Galenus musculum quartum femur mouentium ab osse sacro educit lib. 15. de vsu part. Quâ scilicet parte cum ilium osse non vnitur, & coccyx priuatim appellatur, quem musculum lib. 12. adm. anat. à coccyge producit, latius accepto ossis sacri nomine. Accedit quod Galenus lib. de oss. scribat ossa sacri & coccygis, coctione dissoluta, similem cum vertebris structuram referre, cum vulgaris coccygis ossa etiam sine coctione sint mobilia, & separabilia, solis ligamentis vt caudarum ossa inuicem connexa. Quapropter non ineptè & insciẽter Galenus prodidit, à coccyge fine ex-
E tremitate ossis sacri neruos deriuari, qui in femur tibiamq; disseminantur. Nec mirari oportet si tribus ossibus proprijs inter se coagmentatis os sacrum constare scripserit, quibus coccygem velut quartum adiunxit: quia vnum idemque os diuersis nomina sortiri potest. Ipse humerus parte à nobis spectabili epomis, parte spinæ suæ summa acromion, parte lata omoplara vocatur. Coccendicis os vnicum est, tribus tamen nominibus distinctum; vbi lateribus ossis sacri annectitur os ilium dicitur, ad cotylem ischion, antica parte os pubis. Rectè igitur poterit os sacrum parte superna dici, inferna coccyx, cum ipse Ruffus Ephesius antiquior Galeno, ossis sacri vltimum officulum coccygem appellarit.

F

DE COCCYGE.

Caput XXXIIII.

Ossis sacri extremo attexitur Os paruum, quod à similitudine rostri cuculli Coccyx dicitur, vel à voce de sono facta, eo quod crepitus qui inde per sedimentum exeunt, ad id os elisi cuculi vocis similitudinem effingunt: siue quod tale os sedimento adglutinatum sit, quod illi κόλλακας dicunt ἐκ τοῦ κόλλαξ, κόλον, & ab his deriuatum κόκκυξ, illud verò os colon appellatur, quia mutilum & decurtatum ex Meletio, musculum ani leuatorem firmat, & interiorem rectum propter natium amplitudinem extra peluim productum sustinet, atque extremum spinæ foramen obturans, spinalem medullam ab aëris iniurijs tuetur. Denique ictus & contusiones molliter excipiens efficit ne qua fractura ad os perueniat. Concrescit ex tribus vel quatuor officulis fungosis & sterni modo rubicundis præsertim in iunioribus. Si figuram eius & structuram spectes ex ampliore basi in mucronem desinit, qui viris introrsum incuruatur, mulieribus extrorsum, vt minus impediret fœtus exclusionem. Eiusmodi ossa coccygis pertusa sunt, vt spinalis medullæ extremum excipiant, ab ijs tria neruorum paria educi pro Galeno sustinet Syluius contra omnem rei veritatem: quos tantùm in simijs & canibus reperiri peritiores Anatomici vno consensu affirmant. Ea pars quibusdam populis excrescit, & in modum caudæ propendet. Scribit Plinius lib. 7. capit. 2. in India homines nasci cauda villosa pernicitatis eximiæ, & Paulus Venetus libr. 5. suæ peregrinationis capit. 18. testatur in regno Lambri inueniri, qui caudas habent vt canes longitudinis vnius palmi, & hos in ciuitatibus non habitare, sed in montibus, fabulosum puto quod de Anglis referunt Historici, quibus ob contumeliam D. Augustino illatam, Deus coccygen instar caudæ produxit.

DE THORACE.

Cap. XXXV.

Thorax partium vitalium conceptaculum, comprehendit anterius, quodcumque est à clauibus vsque ad cartilaginem Xyphoiden, posterius totam costarum compositionem, quæ à prima dorsi vertebra ad lumbos protenditur. Interdum Hippocrates & Aristoteles pro vniuerso trunco corporis Thoracem accipiunt, quem à iugulo ad pubem vsque metiuntur. Sed propriè denotat quidquid costis interceptum est. Affigitur ad eam spinæ partem, quæ Dorsum dicitur, tanquam nauis ad carinam. Quare necessariò eius longitudo æquabitur dorso, latitudo erit pro vertebrarum magnitudine. Natura in eius fabricatione alios scopos sibi proposuit, vocem scilicet, respirationem cordis ac pulmonis magnitudinem, & pro horum necessitate, thoracis longitudinem & latitudinem effinxit. Figuram Oualem obtinuit ad loci capacitatem, mouendi facilitatem, & partium internarum securitatem. Ideo partim osseus, partim carnosus efformatus fuit, musculis & ossibus alternatim commutatis, vt in aëris inspiratione & fuliginis exspiratione commodiùs attolli & deprimi posset. Totus enim osseus si fuisset, ad respirationem dilatari & constringi non potuisset. Attamen ferunt eiusmodi structuram thoracis luctatori Protophani Magnesio in Olympia eodem die pancratio & lucta victori contigisse. Huic vt alijs hominibus costæ non erant discretæ, sed os vnum continuum à iugulo, vsq; ad vltimam costam, teste Pausania, lib. 1. quod tempore Adriani Imperatoris eruto cadauere confirmatum fuit. At si Thorax totus carneus constructus fuisset, in se concidens cor & pulmones compressisset, nec iustum ipsis spatium ad motum reliquisset. Quapropter admirabili naturæ industria factus fuit, partim Osseus, partim Carneus.

A neus. Ossa carnibus adiuncta sunt, non tantum ad firmandas sustinendasque claviculas, scapulas, brachia, Verumetiam vt ab illis musculi thoracis & abdominis enascerentur. Thoracem constituunt ossa triplicia, Sternum parte antica, Spondyli parte postica, à lateribus Costæ.

DE STERNO.

CAP. XXXVI.

B STERNVM ex multis ossibus ad dyspathiam & motus facilitatē compactum est. Quorum numerus pro ratione ætatum mutatur, etenim puerulorum Sternum in prima generatione totum cartilagineum est, & prorsus continuum. Vbi autem in os formari incipit, ossis naturam celerius superiores quàm inferiores, & mediæ quam extremæ partes assumunt. Vt obseruauit Eustachius Fœtu in lucem edito Sternum fermè adhuc totum cartilaginosum, transuersim in sex partes diuiditur, quibus addi potest os illud cartilaginis, xyphoidis fundamentum; Tandem exacto septennio hæc ossa sic inuicem coalescunt, vt postea os vnum & continuum appareat: tribus lineis vt plurimùm distinctum. Galenus tamen lib. 8. Administ. Anatom. expressis verbis asserit in adultis sternum ossibus septem componi, vt singulis costis ad mutuam articulationem singula pectoris ossa responderent. Quando igitur ille septem ossa sterno attribuit, non tam ad transuersas eminentias respexit, quàm ad

C eos sinus in quibus costarum fines cartilaginibus infiguntur, sternoque per articulum coniunguntur. Sic enim Eustachius defendit Galenum. Veteres existimabant sternum esse duntaxat costarum continuitatem, quæ ex Hippocrate lib. de locis in homine posteriùs ad vertebras alligantur, anteriùs inter se committuntur. At medium intercedit sternum, sed ipsum sibi ipsi cohærens, ait Hippocrates, discriminationes habet obliquas, qua parte costę annexę sunt; Ac proinde credidit Hippocrates tot partibus sternum constare, quot in eius lateribus reperiuntur obliqua discrimina, quæ designant costarum articulationes.

Fortasse propter huius ossis administrationem, septem ossibus sternum constare credidit: quod veteres scissuram longitudinem ducto scalpello ex punico malo per os medium pectoris secabant, Quemadmodum lib. 7. Admin. Anat. cap. 2. se

D fecisse fatetur Galenus. Itaque cum sternum tribus lineis manifestis & transuersis omnium confessione vtrimque diuisum sit; Tria pectoris ossa geminata sex erunt, quibus si alterum addideris quod xyphoidem excipit septem habebis. Scribit Galenus hæc ossa per Synarthrosin articulari & lib. 8. Admin. Anatom. capit. 1. per Harmoniam copulari, quæ posterior sententia magis probatur. Cùm nullum proprium ne obscurum quidem motum habeant, sed costarum elationem & depressionem sequantur. Totum sternum ex vtroque latere lunatum est, quia ab angusto principio sensim in amplitudinem latescit. In homine latum, ad mutuos amplexus, in reliquis animantibus acutum & carinatum, quia ab anterioribus cruribus plurimum angustatur. Lactantius lib. de opif. hominis ca. 10. alteram rationem assignat, nullum animal præter hominem in tergū iacere potest. Cum igitur brutæ ani-

E mantes in alterutrum latus decumbant, ex eo situ pectus illis angustum & compressum euadit, Homini verò patens & rectum, quia plenum rationis à cœlo datum, humile aut indecens esse non debuit. Huius ossis extremo adhęret cartilago ξιφοειδὴς dicta, cuius figura accuratè perscrutantibus varia occurrit: nunc simplex & triangularis est, nunc bifida, & in modum Hippoglossi herbæ maiorem partem minori incumbentem habens, semel aut bis tripartita visa Eustatio, Interdum bifida in modum rastri interuallum obtinens. Illic appositam esse putat Gal. ad stomachi, & septi transuersi tutelam. Sed cum stomachus ab ea parte longè distet, solius diaphragmatis gratia constructa videtur, cuius læsio hac in parte propter cordis viciniā periculosa existit. Amatus Lusit. Centur. 5. curat. 95. notat Cartilaginē Xyphoidem pertusam esse ad perspirationem, vt stomachi teter vapor per istud foramen expiret: Alij factum hoc foramen affirmant ad transitum venę mămarię internæ, & in mulier. tā-

tùm reperiri. Compressa autem & incuruata hæc cartilago, adeo subiectum hepar lædit, vt Atrophia infantes pereant. In adultis, præsertim mulieribus, grauissima symptomata excitat. Hunc morbum vulgus ptolapsum pectoris, *la poictrine cheute*, appellat. A

DE COSTIS.

CAP. XXXVII.

THORACIS latera efformant Costæ, quæ ideo Græcis πλευραὶ dicuntur & ἐρετμοὶ quia remorum modo dispositę sunt: Hanc seriem costarum Cratem vocat Lactantius lib. de opificio hominis. At vulgus Latinorum costas dictas putat, quod interna custodiant, vel quia simul constant. Earum numerus incertus est: modò vndecim, modò tredecim costas Columbus inuenit, quod pernegat Fallopius in obseruationib. Anatom. & accusat eorum incuriam, qui dum Scheletum pararent, vel inter coquendum duodecimam amiserunt, aut nimia coctione colliquarunt. Siquidem rarissima 13. costa occurrit, atque adhuc rariùs vndecima, atque hæc ità rara sunt, vt inter mille vix vnum tali costarum numero inuenias, ait Galenus lib. 8. Administ. Anatom. Sed si costę naturalem numerum excedant, vnica tantùm in altero latere, altera deficiente reperitur. B

Vt plurimùm tàm in viris quàm in mulieribus ex vtroq; latere duodecim numerantur. Septem superiores veræ & perfectæ sterno per arthrodiam articulatæ, quibus interdum adijcitur octaua, quæ in quorundam resectionibus non semel inuenta est, ad cartilaginis mucronatæ radicem alligata, quæ causa est cur Aristoteles, quem Plinius imitati non dedignatur, sedenas veras constituerit, inferiores quinque, Nothæ, Spuriæ, Imperfectæ dicuntur, quia neutiquàm ad os pectoris perueniunt. Ex costis veris duæ supernæ & primæ ἀντίστροφοι à Polluce vocantur quasi retortæ: Duæ sequentes στερεαὶ solidæ propter firmitatem, Tres vltimæ στηθίδες Pectorales. C

Costarum substantia partim ossea, partim cartilaginea est, sed in medio ductu osseam naturam reliquo osse duriorem obtinuit, quâ verò desinunt in os pectoris fungosam & cartilagineam, ne dura cum mollibus immediatè coirent: tum vt ex assiduo motu minùs læderentur, & in thoracis eleuatione ac depressione faciliùs obsequerentur. Omnes figurâ sua arcum referunt, Sed supernæ magis incuruantur quàm infernæ: Sed homini inter animalia maximè flexæ sunt costæ, & eorum modo quæ curua sunt: vt animaduertit Hippocrates 3. de artic. & confirmauit Galenus in comment. Id etiam repetit Hippocrates lib. de ossium natura. Mediæ verò costæ longiores sunt, ac latiores extremis costis, sed omnes parte superiore quàm inferiore crassiores existunt, quo signo dextræ à sinistris distingui possunt. Iuxta radicem omnes exasperatæ cernuntur, vt indè prodeant ligamenta, quorum beneficio Costæ cum vertebrarum corpore, earumque transuersis processibus articulantur. Exceptis vndecima, & duodecima quæ per vnicum articulum corpori vertebrę copulantur propter apophyses transuersas breuiores, quod etiam frequenter in prima costa obseruaui. D

E

DE

ii F.

A

DE ARTVBVS, TERTIA SCHELETI PARTE,

Ac imprimis de Omoplata, siue Scapula.

CAP. XXXVIII.

B EMENSIS duabus Scheleti regionibus, tertia superest perlustranda, quæ Artus membra exstantia, Manus scilicet & Pedes complectitur. A Manu exorditur Galenus, quia situ & dignitate prior est. Tota Manus in tres partes dirimitur, Humerum, Brachium, & extremã Manum: quibus addam Omoplatam siue Scapulam, cùm nihil conferat ad perfectionem Thoracis, & ab ea tota manus dependeat. Comparata est ad brachij articulationem, musculorum exortum, & costarum munimentum, ex Gal. 13. de vsu part. cap. 10. ab alijs ossibus non dependet, sed costis innarans, occipiti, colli, & dorsi vertebris, ossi Hyoidi per Syssarcosim inhæresćit. Quamuis enim claiculæ committatur, nequaquam tamen ab ea suspenditur, sed potius repellitur, ne in pectus incidat. Figu-
C ram habet Trapesiam, quodammodo triangularem, latam, vt plures costas operiret: foris gibbam ad securitatem, intus cauam vt costarum conuexis exactè responderet, tum etiam vt subscapulari musculo locum præberet. In omoplata nonnullę partes obseruantur, quæ ad musculorum insertionem & originem plurimum conferunt. Ac primum Basis secundum longitudinẽ dorsi vertebrarum exporrecta, quæ duobus angulis superiore & inferiore terminatur. Ille secundam & internam ceruicis costam, hic nonam attingit. Basis verò latera, Costæ dicuntur, quarum altera est superior, altera inferior. Processus ille per medium scapulæ productus Spina dicitur: Cuius extremum clauiculæ articulatum Acromium & κατάκλεις dicitur, quod nonnulli asserunt os esse distinctum, Alij vt Vesalius appendicem. In pueris exactissima est cartilago, quę licet successu temporis in os degeneret, tamen vsque ad octauum annum contra morem cæterorum ossium multum eius substantiæ retinet, in-
D quit Eustachius. Nonnunquã cum scapulę spina tam leuiter connascitur, vt in media ętate parua occasione, quemadmodum Galeno cõtigit, in palæstra separari possit. Similem casum obseruauit in alio, vt recitat com. ad 1. part. sect. 1. de oss. Ipsemet Hippocrates huius ossis luxationem annotauit, li. 1. de art. & ibidem in acromio diuersam esse hominis naturam à cęteris animalibus prodidit. Cęterum ex vtraque parte spinę cauitas habetur, dicta μεταυχένιον interscapulium; Pars scapulę crassior & angustior Ceruix appellatur, quæ velut execto capite in cauitatẽ oblongam & humilẽ desinit ὠμοκοτύλην. Sed cartilagine labra eius cauitatis coronante augetur, in eam humeri caput inseritur, quę articulatio propriè ὦμος appellatur. Ceruici incumbit Apophysis, quæ in pueris epiphysis est, à similitudine rostri & anchoræ κορακοειδὴς & ἀγκυροειδὴς dicitur; Prohibet quò minus articulus in eam partem elabatur auth. Gal. cõ.
E in part. 2. sect. 1. de art. Idcirco ad securitatem & firmitatem articulationis constructa fuit, cum enim manus actiones in anteriora fiant, facilè luxaretur humerus, nisi à coracoide retineretur: propterea rara est humeri luxatio in anteriorem partem, quam semel obseruauit Hipp. quinquies Galenus Romę vidit, vt ipse refert com. ad lib. 1. de Articulis. Galen. com. ad part. 4. lib. 1. de art. Scapulæ partes ita distinxit; ὦμον nominat ex tota commissura id quod oculis subijcitur, ἐπωμὶς eam partem vocat, quę superinjecta est commissuræ humeri, quam nos vocamus acromion, ὠμοπλάταν indigetat scapulæ latam partem retrò positam, & musculis absconditam. Ex hoc loco erui & desumi potest difficilis & obscuræ orationis apud Celsum lib. 8. interpretatio. *Rursus à Ceruice duo lata ossa vtrimque ad scapulas tendunt, nostri scoptula operta; Grȩci* ὠμοπλάτας vocant. Notatione dignum est, quod mulieres longo vsu obseruarunt, viros scilicet qui latas habent scapulas plerumque magnos fœtus generare.

Hinc Socrus Foresti fœcunda admodum mulier filias suas collocare nolebat viris Platonicis, quia metuebat ne in partu ob fœtus magnitudinem periclitarentur, quod sæpius contigisse vidit Forestus lib. 28. Obseruatione septuagesima. Huius rei causa est æquè difficilis atque alterius incommodi, quò Gallicæ puellæ præsertim nobiles infestantur. Illis scapula dextra sæpius est elatior & tumidior sinistra, Ita vt ex centum virginibus vix decem reperias, quæ scapulas optimè conformatas habeant, An propter frequentiorem validioremque dextri brachij motum, quo scapula distrahitur & abscedit, musculisque interiectis sese attollentibus prominet? An quia pulmones & iecur in dextrum latus magis quàm in sinistrum inclinant? An quia nutrices pueros ambulare incipientes, dextra manu trahunt? A

DE CLAVICVLA. B

CAPVT XXXIX.

SVPERVM os thoracis sterno & Acromio articulatum, Clauis siue Clauicula dicitur, quod thoracem claudat, vnde iocosè & venustè Philippus Rex Macedonum, suo Chirurgo clauiculæ penè percuratæ premium postulanti respondit; Accipe quantum volueris, claues habes. Vel quia clauis modo firmet & stabiliat cum sterno omoplatam. In Architectura Claues appellantur, ligna alijs firmitudinem præstantia. Clauis autem omoplatæ opponitur, ne latum istud os in thoracem incidens varios humeri motus impediret, Ideo in homine humeri articulus longiùs à thorace distat, vt ampliore spatio brachium liberè moueatur, & latitudo thoracis maior, quàm in cæteris animalibus constituatur, nec absurdè dixit Picolominus, propter manus actiones datas fuisse clauiculas, quia nihil conferunt ad perfectionem thoracis, cum bruta thoracem habeant & penè cuncta clauiculis careant. C

Gemina est clauicula ex vtroque latere vna, homini tantum & simiæ concessa teste Galen. Attamen notat Dalechampius in Talpis, Sciuris & Muribus Alpinis eam reperiri. In homine flexuosam figuram obtinuit quæ literam *S.* Italicam eleganter exprimit, Pars enim eius sterno contermina & πυρσοειδὴς dicta, intus caua est, foris conuexa, vt vasis ascendentibus locum & munimentum prèberet. Altera pars acromio articulata ἐπωμὶς nuncupatur, foris caua est, intus gibba, Itaque ex duobus Semicirculis oppositis ad robur efformata fuit, Verumtamen viris magis incuruatur quam mulieribus, quò fit vt brachiorum agilitate viris inferiores sint. Sed hoc incommodum Natura partis pulchritudine compensauit. Nam foueæ quæ in viris supra pectus conspiciuntur, in mulieribus nullæ sunt, aut vix apparent. Connectitur suis extremitatibus vtrimque ossibus, interiecta cartilagine copiosiore, quæ ossibus non adnascitur, sed per ligamenta articulum amplexantia ibi firmiter continetur, vt in motu brachij & scapulæ nonnihil cedere possit, Nec enim peculiari motu mouetur cum proprijs careat musculis. Motum Clauiculæ cum sterno Hipp. κιγκλισμὸν vocat ἀπὸ τοῦ κιγκλοῦ, auis est quæ perpetuò caudam agitat. D

DE HVMERO. E

CAP. XL.

SCAPVLA humerus explantatur, magnum & validissimū os, intus excauatum, vt medullam contineat ad sui nutritionem. Huius extrema diligenter obseruabis. Supernum crassius, rotundo & magno capite protuberat, quod cauitati scapulæ insinuatur. In capitis parte anteriore fissura quędam apparet, per quam veluti per trochleā caput nerueū bicipitis musculi traijcitur. Alterū extremū nonnihil introrsum obliquatū latescit, ad productionē Apophyseων; quę duæ sunt inęquales; Superior externa dicitur, Inferior altera interna nominatur: A quibus omnes ferè musculi partium inferiorum prodeūt.

Internam

A Internam apophysim externa maiorem esse Galenus affirmauit, quod falsum docet & euincit αὐτοψία, nisi dicamus in tenellis puerorum humeris eam Galenum spectasse: vel maiorem intellexisse in latitudine, non in mole siue crassitie; quia lateris hac parte humerus, atque ita retundi potest Vesalij arrogantia. Inter vtramque apophysim eminet rotunda & oblonga epiphysis Trochoidis circa quam rotantur cubiti coronæ, quas excipit cauitas vtrimque Trochleæ accumbens ad cubiti flexionem & extensionem comparata. Estnè os Humeri omnium maximum excepto Femore vt placuit Galeno? Id verũ fuisse tempore Galeni putat Syluius in longimanis, tum enim grandiora & robustiora erant corpora; Fallopius accusat codicis depranationem, quod etiam fecit Syluius, quia in Oribasij collectaneis non extat hæc particula πλὴν τοῦ μηροῦ, vel legendum τοῦ μηροῦ καὶ κνήμης: vel τοῦ σκέλους, vt eo nomine femur & tibia ipsa comprehendantur. Itaque leui de causa Vesalius & Co-

B lumb. Galeno succensent quod Humerum brutorum descripserit. In quibus id os tibia maius existit, sed eleganter ab Eustachio defenditur. Si manus & pedis analogia spectetur, humerum non modo tibia, sed etiam ipso femore maiorem iudicabis, quò pertinet illud Hipp. sect. 3. li. de fracturis part. 52. Ideo magnitudine tenuior est articulus femoris quam humeri. Poterit etiam humeri & femoris magnitudo, in suo membro comparari, vt sit humerus totius manus pars maxima, sicut femur totius cruris. Præterea interdum ossa potius ab vsu & officio quam à mole & pondere Magna dicuntur, proinde non erit absurdum dicere humerum maiorem; quoniam ad varias magnasque actiones obeundas plurimum confert, simulque regit reliquorum ossium manus motiones. De humeri figura non minor extat apud Anatomicos controuersia. Scripsit enim Galenus lib. de oss. & lib. 2. de vsu

C part. humerum non esse rectum, sed gibbum anterius, & exterius, simum verò posterius & interius. At Hippocrates lib. de oss. nat. ipsum exteriore parte incuruum, & anteriore obliquum, & ad cauitatem rectà non ferri. Contra Vesalius rectam esse figuram humeri contendit, Galenum erroris & inscitiæ accusans, quam tamen designatam fuisse à Galeno cognosces ex comment. ad part. 33. lib. 2. de art. cylindri forma quæ columnæ rectæ imaginem refert, in nullo esse reperitur, magis tamen in femore atque humero quàm in alijs ossibus conspicitur: propterea nimis anxiè se traducit Syluius in demonstranda humeri & femoris curuitate in depulsionibus calumniarum Vesalij. Obseruauit Amatus Lusitanus Humerum dextrum in puerulis & adultis sinistro præponderare, qua ratione Manus dextra fortior est sinistra, & rari sunt Ambidextri. Curat. vlt. Cent. 4.

D

DE BRACHIO.

CAP. XLI.

QVOD inter humerum & Carpum consistit, Brachium dicitur, duobus constans ossibus sibi inuicem incumbentibus. Quorum infernum & longius Cubitus siue Vlna nominatur: Supernum breuius Radius dicitur à figura textoris radij. Hanc inæqualitatem ossium annotauit Hippocrates lib. 3. *de Art. Brachij ossa inæqualia sunt, quodque breuius est*, id est radius, *multo plenius est, quod tenuius*, i. cubitus, *plurimum vltra articulum fertur atque excedit. Pluribus vero neruis ad humerũ alligatur id os, quod tenuius est, quàm*

E *quod crassius.* Hæc ossa brachio diuersa articuli specie cohærent, Cubitus enim cum brachio Ginglymum efficit, qui motibus rectis præest: Radius cum altero brachij condylo per arthrodiam articulatus, motus obliquos qui fiunt in pronum & supinum dirigit: Pronum in manu appello cum Palma subest, & tangit superficiem: Supinum cum inuertitur: Gemina hæc ossa in extremis inter se connectuntur differenti prorsus articulo. Supernè Cubitus radium excipit, infernè verò cubitus à radio excipitur mole & crassitie substantiæ immutata. Quippè radius ad carpum latior est, vt carpi maiorem partem excipiens illum commodius obliquaret: Cubitus verò ad brachium tanto crassior est, quanto cubiti dearticulatio cunctis manus actionibus necessaria erat: Cæterum in medio ductu à se inuicem abscedunt, vt radius in motu circulari liberius moueatur, & musculis qui plures ibi consistunt,

Scio apud Græcos humerũ βραχίονα nominari, brachium inquit Galenus dicitur, ea pars quæ inter scapulam & cubitũ sita est, sed loquor cum Cornelio Celso, qui brachij nomen cubito tribuit & adiudicat, sic Ouidius laudat digitosque, manusque, brachiaque, & nudos media plus parte lacertos.

ſedes amplior conſtituatur. Vtrumque os ex internis & oppoſitis partibus acutam lineam emittit. Cui commune ligamentum Membraneum circumtenditur, cuius beneficio cubitus & Radius inuicem arctius colligantur, & muſculi exteriores ab interioribus ſeparantur. Confert etiam ad motus æqualitatem, vt ambo ſimul & ſemel moueantur. In cubito multa notanda veniunt; imprimis eius longitudo, quam non omnes metiuntur ab humeri tuberculo, ſed ab ea cubiti eminentia quam Græci ὀλεκρανον dicunt. At cum Hippocrates cubitum metitur ab oſſe carpi, ſignificare videtur vel omnes, vel pleroſque inde metiri vt notauit Galenus comment. ad part. 13. ſect. 1. de fract. deinde cubiti extrema duo obſeruabis, quorum ſuperior duos educit proceſſus, poſterior & longior ab Hipp. ἀγκὼν dicitur ab aliis ὀλεκρανον. Huic incubat quædam Epiphyſis elatior quæ tandem oſſi agglutinatur. Ab iſtis apophyſib. ſinus Sigmoides efformatur, circa quem humeri Trochlea verſatur, & per ſinus longitudinem protuberans linea producitur, quæ funiculi modo rotulæ inſiſtit ne cubitus huc & illuc diuagetur. Cubitus infernè terminatur apophyſi ſtyloide per diathroſin carpo articulata, Cuius officium eſt obliquos motus carpi regere: Negant Anatomici hanc apophyſim in homine reperiri eumque vſum præſtare poſſe, quoniam animalia tali apophyſi donata obliquis motibus priuantur. Accedit quod cubitus in homine brachiale non attingit, ne eius reuolutionem in pronum & ſupinum impediret, intercedit enim craſſa & mobilis cartilago, quæ id ſpatium opplet. Verumtamen Hippocrates annotauit Epiphyſim ſtiloydem cubiti luxari, & à carpo diſiungi: quam luxationem Dalechampius obſeruauit, vt ipſe teſtatur commēt. in Pauli Æginetæ chirurgiam. Radius autem parte ſuperiore totus teres exiſtit, cuius pars gracilior capiti ſubiecta Ceruix appellatur, Huic vicina eſt protuberans aſperitas muſculo carpum flectenti dicata. In parte inferna tenuem apophyſin educit, & in ambitu quatuor ſinubus cælatur, per quos muſculorum tendines tranſuerſis obducti ligamentis tanquam per annulos traiiciuntur.

DE CARPO.

CAP. XLII.

EXTREMA manus in tres partes diuiditur, Brachiale, Poſtbrachiale, & Phalangem digitorum: Brachiale ſeu Carpus conſtat 8. oſſibus ſolidis inæqualibus, quæ propterea Rufus Epheſ. στροβιλοειδῆ vocat, quod pineæ coni nucleum forma oblonga & inæquali referant. Dura ſunt & inæqualia ad dyſpathiam & motus facilitatem: Quod autem eſt inæquale & multiforme extrinſecus occurſantibus facile cedit, eorumque violentiam exoluit, quod eſt planum & vniforme citiùs patitur. Tam arctiſſimè inuicem colligantur, vt os vnum appareat foris conuexum, intus cauum, quò ſecurè vaſa & muſculorum tendines tranſmittantur: in duos ordines digeſta ſunt, vt diuerſis articulorum modis cubito & poſtbrachiali articularentur, quò expeditius variis manus functionibus inſeruirent. Nam vnica ſerie collocata, deformem carpum reddidiſſent, & manus actionibus incommodaſſent. Prima acies 3. oſſibus conſtruitur, Altera ex 4. oſſibus conflatur, Octauum os ſupereſt extra ordinem, ſed cum Syluio & Veſalio ad primum ordinem referetur, cum oſſi tertio primi ordinis inſideat. Veſalius tamen pro ſeptimo id computat, quod ſedem hic vacuam opplet.

DE

A DE METACARPIO ET DIGITIS.

CAP. XLIII.

CARPO succedit Metacarpium quinis ossibus constructum, si Celso & Rufo credimus, quibus non obscuri nominis Anatomici suffragantur. Quia primum os pollicis, ossibus metacarpij annumerant, quod cum aliis palmam constituit, & brachiali iungitur, & in diuisione manus, cum reliquis digitis continetur: licet enim euidentius moueatur quam communia metacarpii ossa, non ob id ab ossibus metacarpii excludi debet, cum quintum os quod minimo digito subiicitur manifestum motum habeat. B Contra Galenus primum os pollicis à metacarpio seiungit, quia per diarthrosim carpo committitur, quæ nulli metacarpii ossi contingit: sunt enim carpo articulata per synarthrosim. Maior Anatomicorum numerus in Galeni sententiam inclinat, proferuntque rationes quibus Galeno fauere coguntur. Quia id os postbracialis ossibus breuius est, nec illis conterminum, situm contrarium, motumque diuersum obtinet. Componunt igitur metacarpium quatuor tantum ossa, quorum primum indici præpositum oblongius & crassius est eo quod medium digitum sustinet, atque ita sensim breuiora & minora redduntur, vt breuissimum & tenuissimum sit, quod minimo digito subiicitur. Supra infraque appendicibus donantur, ex quibus ligamenta prodeunt ad continendam articulationem, quæ cum digitis Enarthrosis est, cum carpo Ginglymos. Hæc ossa intus sima, & secundum C longitudinem angulosa, foris gibba sunt: quinetiam fistulosa, vt medullam contineant, suisque extremis exactè coniuncta, in medio dehiscunt, vt musculis interosseis sedem præparent, & digitis fundamentum præbeant: externa facie nonnihil quàm interna latiora sunt. In eo interstitio vbi polex brachiali committitur, caua veluti lacuna subsidet, in qua vstio Arabica celebrari solet: quam fusè & ornatè declarat Gesnerus in appendice artis chirurgicæ. Nec mirum si nonnulli hodie luis venereæ curationem promittant, aquam mercurialem huic parti apponendo, quæ cutem erodendo tam altè penetrat, vt ptyalismum prouocet.

Sunt autem digiti numero quinque, singuli tribus ossibus seriatim & veluti in acie dispositis constant, vnde Phalanges, & σκυταλίδες dicuntur, vel potius quia sunt rotunda, φάλαγξ enim τὸ στρογγύλον ξύλον καὶ σύμμετρον significat, quo bajuli ferendis D oneribus vtuntur, Ita & σκυτάλη baculum denotat. Ex ampliore basi in mucronem coarctantur, ita vt primum os secundum, & secundum tertium, longitudine, crassitie & latitudine superet. Prima phalanx ossium cum metacarpio per enarthrosin iungitur, reliquæ inter se per ginglymum articulantur. Nec vera est Galeni sententia, vt rectè animaduertit Columb. prioris ossis caput in subsequentis sinum semper inseri per Arthrodiam, nisi de prima articulatione hoc intelligatur.

DE OSSE ILIVM, ISCHII & Pubis.

E CAP. XLIV.

QVEMADMODVM Omoplatam ad manum reuocaui, sic magna illa ossa quæ Truncum corporis sustinent ad pedem refero: quoniam ab his Pes dependet. Ossa Ilium, vel Ischij dicuntur, aliis sunt innominata: Sed pro ratione partium varia accipiunt nomina. Sunt enim tripertita in pueris vsque ad septennium, quæ tandem in vnum os coalescunt.

Posterior pars tenuis ossis latitudinem constituens, & ad modum acetabuli exporrecta Os Ilium vocatur (vulgò *Anches*) Alterius partis portio dimidiata & superior Os pubis vocatur, cuius coniunctio cum altero congenere, (*les Os barrez*) nostra lingua dicitur. Altera portio inferior ossi pubis subiecta, os Ischion nominatur, Latinis os Coxendicis, Celso simpliciter Coxa. Ex tribus

istis partib. prægrande acetabulum efformatur, *la boëtte*. In quod femoris caput tereti & validissimo ligamento copulatum conuoluitur, Huius cauitatis supercilia, acuta & foris aspera, validissimum ligamentum producunt, quod totam articulationem (quam vertebrum vocat Cœlius Aurelianus) vndique amplexatur. Hæc ossa triplicem vsum præstant, truncum corporis fundamenti vice firmant & sustentant, pudendi ligamentis & musculis partium subiectarum originem præbent, & ambo iuncta, cum osse Sacro Peluim efformant, quæ intestina, vesicam, & in mulieribus vterum continet & obuallat. Os Ilium amplissimum est intrinsecus cauum, foris conuexum, circa Pyxidem & os Sacrum roboris causa crassius: In eo musculorum doctrinam multa notant & obseruant nostri Anatomici. Supernam peripheriam costam vocant; cuius margines tam externæ quàm internæ labra dicuntur; Proinde labrum erit internũ quod ventrem respicit, alterũ externum foris eiectum. Præterea in osse iliũ versus anteriora duæ spinæ sunt, vna inferior acetabulo incubans, altera superior costam terminans, quæquidem posterius terminatur spina notabili, qua parte ossi sacro committitur. Galenus dorsum vocat quod nos costam dicimus, & spinam quod ab anteriore costæ spina vsque ad os pubis extenditur. In osse pubis spina obseruatur prope summam ipsius cum altero congenere commissuram, cui maximum foramen subiectum ab ostij similitudine θυρεοειδὲς appellatum pubi ascribitur, leuitatis gratia factum est, duraque membrana exactè clauditur, quæ vtrimque incumbentes musculos obturatores disterminat. In foraminis parte superiore sinus quidam oblique decliuis adest, per quem tam deferentia, quàm præparantia vasa demittuntur. Cœcutiebat Columbus, dum eum sinum in mulieribus reperiri negauit. In Ischio notari debet spina cotylæ subiecta, & sub ea tuber eiusdem Ossis crassum, quibus interiacet profundus sinus.

A B C

DE FEMORE.

CAP. XLV.

PEDES ambulationis organa manibus proportione respondent. Harum enim causa homo bipes factus, solus inter animantia stare & sedere potest, ad omnes manus operationes honestè exercendas Gal. 3. de vsu part. c. 2. & 3. Pedes autem in tres partes, quemadmodum manus diuiduntur. Femur, Crus, & extremum pedem. Pars superior à coxendice incipiens Femur dicitur, Os omnium in corpore humano maximum & longissimum, in brutis breuius est tibia, maiorique ex parte intra ventrem delitescit & absconditur. Insigniter fistulosum est ad leuitatem, & medullam pro alimento asseruandam, Anteriùs conuexum, posterius cauum, ad sedendi commoditatem & ambulationis firmitatem. Gal. lib. 3. de vsu part. c. 9. quam figuram notat Hipp. lib. de fracturis, Consulitque fracto femore diligenter conseruare. Nam quibus naturâ femur est rectius quam conuenit, vari & claudi ad genua existunt. Quod vitium stationem & ambulationem tremulam reddit. Nam qui plurimum curuis sunt femoribus, siue duobus pedibus, siue altero solo stare voluerint, maiorem firmitatem obtinent, quàm qui recta habent femora. In vtroque femoris extremo, quædam obseruanda veniunt. Ac primum in superiore notari debet caput rotundum coxendici articulatum quod Hippocrati lib. de oss. nat. epiphysis est, ex qua nascitur neruus, qui femur acetabulo colligat, & astringit. Huic substrata pars gracilior, Ceruix dicitur, quæ ab acetabulo, foris extrorsum abscedit, vt musculis inferna parte collocandis, itemque magnis venis, arteriis, neruis & glandulis, vasorum diuisionibus præpositis locum relinqueret, inquit Gal. lib. 3. Quibus autem ea pars foras minus educitur, id est quibus breuior est ceruix femoris, ijs angusta & compressa sunt inguina, atque in ambulationibus ad latera claudicare coguntur, & vacij dicuntur. Quippe femur per eam ceruicis longitudinem obliquam, ad stabilimen & rectitudinem corporis plurimum confert. Nam ex vtraque parte veluti oppositum coxendici, obstat ne truncus corporis in alterutrum latus inclinet. Ceruici adiacent duæ apophyses, quæ in pueris epiphyses sunt; quam naturam in adultis sæpe retinent, præsertim minor, quæ interdum ex motu violento

D E

diuulsa

A diuulſa fuit obſeruata: vt vidit Ingraſſias. Quinetiam maiorem Epiphyſim diſiunctam in quadragenario Paræus obſeruauit. Iſtas apophyſes à femoris reuolutione τροχαντῆρας rotatores Anatomici nuncupant, ἀπὸ τοῦ τροχάζειν, quod eſt διατρέχειν ex Suida. Quia muſculos obliquis motibus præfectos excipiunt. Apophyſis ſuperior τροχαντὴρ maior dicitur, altera veluti mammillaris τροχαντὴρ minor appellatur. Ab ea per longitudinem poſtici femoris aſpera quædam linea ſeu columella producitur, muſculorum origini & inſertioni dicata, quæ videtur etiam ad robur incuruati femoris appoſita, ne preſſum trunci pondere medium effringatur. Alterum femoris extremum priuſquam in duo capita inæqualia findatur, paulatim lateſcit & craſceſcit, vt baſim latam & amplam his capitibus ſuppeditare poſſit: quibus ante & retro cauitas interiacet. Anterior leuiter depreſſa ingreſſu patellæ oppletur, poſterior profunda eſt, ſed vacua & inanis quam intellexit Plinius lib. 11.
B nat. hiſt. cap. 45. *In ipſa genu vtriuſque commiſſura, dextra læuaque, à priore parte, gemina quædam buccarum inanitas ineſt, qua perfoſſa ceu iugulò ſpiritus fugit.* Gemina hæc capita tibiæ per ginglymum laxum articulantur, qui permittit tibiam ad latera contorqueri. Huius articulationis pars anterior γόνυ, poſterior oppoſita ἰγνύς Latinis poples dicitur. Inter omnes articulationes ſolam quæ in genu eſt exactè iuſtam ſcripſit Hippocrates lib. 3. de fract. Neque enim femoris & coxæ articulatio recta eſt, ſed obliqua; Neque ipſum humeri caput è regione ſcapulæ ſitum eſt. Quod ſi cæteras ſpectes commiſſuras, nullam inuenies habere eam æqualitatem quæ in genu obſeruatur, ait Galenus in comment. Cæterum femur non tantum ambulationis, verum etiam ſtatus & rectitudinis cauſa eſt. Nam propter femora ad perpendiculum ſpinæ ſubiecta, hominem rectum eſſe pronunciauit Galenus. Si quis huius ar-
C ticulationis naturam, noſtræque rectitudinis cauſam attentè conſiderauerit: vtrumque plenum admirationis inueniet. Femur per Apophyſim incuruam quæ ceruix dicitur, coxendici obliquè articulatur. Hæc apophyſis medium coxendicis non attingit, vt corpus ſtaret in æquilibrio, ſed extremo coxendicis affigitur. Cum igitur totius trunci pondus in poſteriora vergat, inæqualiter totum corpus ſuſtinetur, quod vernaculè dicimus, *il eſt porté à faux.* Verum ſi natura femur mediæ coxendici appoſuiſſet, corpus quidem fuiſſet in æquilibrio: ſed non tutò & commodè in alterutram partem inclinaretur. At cum omnis actio in anteriora fiat, ponderis æqualitatem faciunt interanea omnia, quæ antrorſum vergunt. Præſtitit itaque coxendicis articulum eo modo componi, vt mouenti facultati quæ antrorſum corpus inclinat, trunci moles & pondus retrorſum obſiſtet ent: ſic enim
D à ſpina tanquam ab aduerſo pondere, truncus in ſtatum reducitur. Reniſus quoſdam habent partes inter ſe in ipſis flexuris, ait Ariſtot. de motu anim. & omnino ad depreſſum id quod deprimit, quamobrem Penthatli plus ſaliunt ſi halteras habeant, & qui currunt, celerius feruntur ſi manus commouerint. Ibidem ſcribit animal quod erectū ambulat, neceſſario eſſe bipes, & ſupernas corporis partes habere breuiores inferioribus; Ob eam cauſam ſolus inter animalia homo erectus exiſtens, crura habet ad ſupernas corporis partes ex pedeſtribus maxima & firmiſſima.

DE CRVRE.

E
CAP. XLVI.

CRVRIS & cubiti ſtructura ferè ſimilis eſt. Vt enim cubitus duobus conſtat oſſibus, Ita & Crus quorum maius & internum, tibia nominatur, Alterum os gracilius & externum περόνη, Fibula ſiue ſura dicitur. Tibia parte ſuperiore epiphyſis eſt, duabus cauitatibus prædita, vt duos femoris condylos excipiat: inter quas eminet apophyſis quædam μεσοχονδροειδὴς, in medium condylorum femoris, tanquam in ſciſſuram quandam profundam inſerta: ſicque per ginglimon laxum articulatur femori. Sura verò tibiæ adhæret per ſynarthroſin, nec ad femur vſque aſcendit. Sed quanto breuior eſt tibia parte ſuperna, tanto longior apparet parte inferna. Tibiæ & ſuræ partes

infimæ, quæ Epiphyses sunt, Malleoli dicuntur. Fibula externum, Tibia internum Malleolum producit, qui vtrimque talum amplexantur, vt in neutram partem inclinare possit, & si forte tali luxatio contingat, ad latus internum potius quam externum fit. Hæc Ossa suis extremis inuicem colligantur: Fibula supernè excauata Tibiæ latus externum protuberans excipit; Infernè verò Tibia Fibulam suo sinu admittit. At in medio dehiscunt membranoso ligamento connexæ, quo etiam musculi anteriores à posterioribus discernuntur: Huiusmodi hiatus causa est Tibiæ conformatio, quæ in medio gracilis, extremis suis partibus intumescit, His περόνη commissa necessario à media Tibia distare cogitur. Tibia vti fibula vbique propemodum est triangularis, sed solus anticus tibiæ angulus nomen inuenit & ἄκανθα dicitur. A

Fibulæ vsus triplex assignari potest. Primus est vt per suam apophysim maleolum dictum cum Tibia astragalum comprehendat. Secundus vt spatium traducendis vadis accommodatum, & ab omni offensione securum constituat. Tertius vt condylon Tibiæ externum, cui affixus substernitur, sustineat, cùm femoris, totiusque corporis pondus in eam partem propendeat. B

DE MOLA.

CAP. XLVII.

FEMORIS & tibiæ articulationi os paruum præponitur variis nominibus appellatum, Mola enim & patella dicitur Μύλη & ἐπιγονατίς. Id os vndique cartilagine incrustatum, intus densum est & læue, foris cauernosum, & pumiceum ad nutritionem & tendinum quibus obuoluitur insertionem. Veteres Anatomici vt Marinus patellam os esse cartilaginosum censuerunt, Galenus extrinsecus cartilaginosum esse scripsit ἔξωθεν ὀστοῦν χονδρῶδες quod falsum reprehendunt recentiores Anatomici, quia patella foris dura est & ossea, intus verò qua parte femur ac tibiam respicit, læui lubricaque cartilagine obducta; propterea pro ἔξωθεν legendum ἔσωθεν. Ingrassias ἔξωθεν non refert ad χονδρῶδες sed ad verbum ἐπικεῖσθαι ita vt os illud extrinsecus incubet & apponatur. Quod si priorē lectionem retinere malis, dicendū cū Syluio & Vesalio patellam extrinsecus cartilaginosam esse, propter tendones inibi tenaciter affixos; ita vt partem patellæ constituere videantur: quia non possunt separari & diuelli nisi forti elixatione, sed in pueris patella tota est cartilaginosa, huiusque substantiæ in adolescentia multum retinet. Figura sua scutum ἑξάγωνον eleganter exprimit: vel vt placet Rufo Ephesio disci formam repræsentat: Externis partib. extuberat, internis subiectorum ossium partes condylosas aptis cauitatibus complectitur, & in medio intumescens oblonga quadam eminentia vmbonem imitante mediæ femoris ac tibiæ capacitati insinuatur. Mobile & vagum esse debuit, ne motum huius articuli difficilem redderet, aut longum in genu decubitum impediret. Nec solis musculorum tendinibus continetur vt credidit Vesalius, sed ligamentis propriis femori & tibiæ connectitur, vt animaduertit Columbus. Huius ossis munus est iuncturam tueri, curuaturæ & flexui partis præesse, faciliorémque motum reddere, prohibet enim ne tibiæ extensio vltra rectam lineam feratur, & in illis figuris quæ vocantur γνύξ ac ὀκλάξ femur in partem anteriorem luxetur. Et quoniam in anteriora totum corpus propendet, impedit ne in locis decliuibus prolabatur. Id expertus est Gal. in quodam palæstrita iuuene, cui lactanti eum patella luxata fuisset, & ad femur ascendisset: hæc duo illi incommoda contigerunt, periculosa curuatio in genu, & angulatio in decliuibus: propterea scipione indigebat, dum eiusmodi loca permearet. Negat tamen Vesalius in Chirurgia, patellam ad firmitatem articulationis quicquam conferre, eaque rupta vel extracta, hominem claudicare, vt sibi compertum fuisse multis exemplis asseuerat, sed ad tutelam & securitatem articulationis appositam fuisse. Nec ab ea opinione longè recedit in opere Anatomico, vbi tradit eum vsum præstare, quem sesamoides in alijs articulationibus. Aliam vtilitatem huius ossis assignat Hippocrates libro de locis in homine, vt humiditatem à carne in articulum laxum descendere prohibeat

Ex Galeno 3. de vsu part.

C D E

A hibeat. Cum igitur tanta sit patellæ necessitas, fabulosum puto, quod narratur de Thebanis, qui vt pernicitate pedum valerent, Ossa quædam circa genu sibi eximebant.

DE EXTREMO PEDE.

CAP. XLVIII.

PEDEM cum Galeno vocamus id quod ab ima tibia vsque ad extremos digitos continetur: Diuiditur à Galeno nunc in tres, nunc in quatuor partes, nam partem illam pedis ex
B tribus ossibus contextam, astragalo, pterna, & scaphoide à Tharso distinguere videtur lib. 3. de vsu part. & lib. 4. adm. Anatom. Tharsum ex quatuor ossibus componi. At cum Hippocrates tradiderit manus & pedis partes esse consimiles, manus vero in tres partes diuidatur; Sequar vulgatam pedis diuisionem ab omnibus receptam, in Tharsum, Metatharsum & Digitos. Tharsus septem ossibus constat quæ Ruffus ὀςρακώδη nominat. Ptimum Talus dicitur ἀςράγαλος, Pars eius superior in medio caua vtrimque superciliosa Trochleæ similis tibiam excipit, & à malleolis vndique continetur: circa hunc articulum ginglymoidem Pes flectitur & extenditur. Pes verò ad latera ducitur ab articulo eiusdem ossis cum scaphoide ex Galeno. Pars autem inferior est valde inæqualis, nunc gibbosa,
C nunc excauata. Cuius fundamentum Talus est communis homini & brutis animantibus, etsi figura inter se differant, quicquid sentiat Aristot. lib. 2. de historia animal. cap. 1. Nam in brutis est quadratus τετράγωνος, in homine senis lateribus constans inæqualibus, figuram habet, quæ rectius assimilari non potest, quam bombardæ, ideoque os balistæ dicitur. Talus permultis animalibus bisulcis datus est. At multifidum qualem descripsit Aristot. nullum animal obtinuit, nec in homine reperiri certum est. Talo subest Calcaneum ossium omnium quæ in pede sunt maximum, superstanti Astragalo & Cyboidi per ginglymum iungitur. Eius proiectura obtegitur crassissimo & lato tendine ex tribus musculis pronato. Quæ verò in scheleris apparet vacuitas inter calcem & astragalum quà cyboidi & scaphoidi propinquant, In viris & pinguedine, & validissimis liga-
D mentis oppletur. Notat Fallopius Calcaneum in postica parte appendice donari. Quærit Scaliger exercit. 279. Quarè Homini, vt bipedi, natura non produxit in longum retro calcem, auibus verò adiunxit digitum posteriorem, digito vnguem. Respondet auibus æqualiter, vtrimque librari corpus, multum enim est ad Orypigium vsque, homini vero nihil: Altera ratio est quod genuum flexus contrarius sit atque in auibus. Postremò brachiorum agitationes omnesques actiones antrorsum spectant. Si pedem humanum in scheletis inspiciamus, calcem retrò valdè exporrectam inueniemus: sed in viuis propter deformitatem multis obducitur integumentis. Tertium os Tharsi scaphoides, cauitatem habet satis profundam, quæ caput Astragali excipit, sua parte gibbosa tres habet superficies Cubicas leuiter gibbas quibus tria ossa Tharsi applicantur. Quartum κυβοειδὲς
E dicitur. Id constat sex lateribus admodum inæqualibus & ferè asperis, quorum etiam internum videtur geminum, Reliqua tria ossa tharsum absoluunt à Galeno in definitionibus χαλκοειδῆ dicta, ab aliis Cuneiforma. An quia sunt dura & solida instar æris? an quia cunei ferrei similitudinem referunt?

DE PEDIO, ET DIGITIS. A

CAP. XLIX.

TARSVM subsequitur Metatharsus, Pedium, ex ossibus quinq; contextum, quæ eodem & simili ordine arctissime collocantur ad ambulationis firmitatem. Eius structura similis est manus metacarpio: extrema enim nodosa sunt & crassiora. Infernè Tarso per arthrodiam articulata, quà parte sensim ab inuicem abscedunt, ita vt versus digitos magis diducta quam prope Tarsum appareant: quia pedum digiti magis sursum, quam digiti manuum in extensione eleuari debuerũt. Supernè verò conuexa sunt, infernè caua: simulq; innẽta cum Tharso cauitatem insignem & profundã in planta pedis efformant, quam adauget protuberans calcaneum. Eo fine constructa fuit vt per eam tendones neruosi musculorũ, tutò in digitos pedis deducerentur. Nam si planta plana fuisset, in progressione tendones compressi, nec liberè, nec absq; dolore moueri potuissent. Accedit quod in locis asperis & præruptis pes concauus melius aptatur, firmiusque sistitur quàm planus. B

Tertiam pedis partem explent digiti quinq;. Singuli ex tribus ossibus cõponuntur, excepto pollice qui duobus constat ossibus. De numero ossiũ pedis apud Galenum controuersia est, quia modo 26. enumerat vt reuerã existunt. Alibi viginti septem constituit, Ita vt ex octo ossibus Tarsum componat com. ad part. 8. & part. 35. lib. 2. de fracturis. Respondet Syluius id Galenum fecisse studio magis representandi in pede ossium numeri, vt analogiã totius manus cum toto crure demonstraret, quam Hipp. attigerat, ac si tribus manus partibus tres pedis partes structura responderent. Itaq; si ossa tibiæ & pedis numeremus adiiciendo patellã ossibus cubiti & manus æqualia reperiemus, Alij dicunt Galenũ loqui more veterũ Anatomicorũ, qui malleolos vnicos numerabant, & ad tarsum reuocabant, & hoc pacto erunt 27. & nõnulli ex veteribus Anatomicis talum duorũ ossiũ loco habuerũt, cuius rei testẽ habeo Ruff. Ephesiũ qui Tali partem superiorẽ Trochleæ similẽ astragalũ vocat, inferiorẽ admodũ inæqualẽ ἀστράγαλον appellat, simulq; ossibus octo Tharsum cõponit. C

DE SESAMOIDEIS OSSIBVS, *& quibusdam alijs ossiculis.*

CAP. L. D

OSSICVLA digitorum internodijs apposita sesami figuram referẽtia, sesamoidea dicuntur: eo fine condita vt articulorum vacuitatem impleant, flexionẽ & extensionem regant, ne laxè moueãtur digiti, & in angulum nimis acutum flectantur, quem vsum reprehendit Syluius quoniam interna sesamoidea in articulis digitorum manus ità collocantur, vt digitos flectentibus musculis sursum in ligamentum recurrant, nec amplius sint articulo opposita, ne flexionem extremam impediant, cum necessaria est: hunc etiã vsum præstant authore Platero, vt in extensione digitorum intra spatium articuli inserta, tendinem retineant: quem hic liberum non nexum esse oportuit: ne ab articulo extuberante in motu decidat. Eorũ numerus apud Anatomicos incertus est, Alij decem in manu, totidem in pede constituunt. Alij sedecim, Syluius in manu vt in pede 19. admittit, eaq; interna facit, externa sunt incerto numero: singula sub tendonibus latent ligamentis implexa. Sed imprimis notanda sunt duo Sesamoidea, quæ primum pollicis internodium continent quorũ alterum Magiæ sectatores Albadaram vocãt, & illud esse tradunt quod ciceris magnitudine respondẽs, nulliq; corruptioni obnoxiũ, instar seminis in extremo die iudicij corpus regenerabit. Hoc osiculũ idẽ est cũ eo quod sub nomine Luz describit Cornelius Agr. l. de occulta Philos. c. 20. his verbis: Est in humano corpore os quoddã minimum quod Hebræi Luz appellãt, magnitudine Ciceris mundati, quod nulli corruptioni obnoxiũ, ne igne quidẽ vincitur, sed sẽper cõseruatur illæsum, ex quo velut planta ex semine, in resurrectione mortuorũ, nostrum corpus animale repullulabit. Bina E

huc

A huc referri possunt officula, in poplite iuxta femoris os exterius capitibus musculorum pedis innata; quod est ibi particulare & notandũ, contra naturã aliorum Sesamoideωn, quæ tendonibus insidẽt vel substernuntur, hæc in senibus tantũ reperiuntur, quæ tamen canibus & leporibus consueta sunt. Hac autẽ ratione sesamoidea inuenies. A manu & pede tendones digitũtensores ita excide, ne simul articulorum subiectorum cartilagines auferas, quæ sesamoidea mentiri possint. Sub his tendonibus in manu frequentissimè, in duris corporibus præsertim, duritiẽ quandã reprehendes, nunc cartilaginosam, nunc osseã, multũ asperã, quæ vnguibus confricata strepitũ quendã edit. Deinde ligamẽta omniũ articulorũ trãsuersim secabis, vsq; ad horũ faciẽ interiorẽ in manu, inferiorẽ in pede, in qua facie ossa sesamoidea reperies. Sed ligamẽtis quibus implicãtur resectis, vel nõnihil retracta sursũ & versus digitorũ radices. Officuli cordis meminit Aristoteles 3. de part. Anim. c. 4. & li. 5. de
B Gener. Animal. cap. 7. illud non tribuit homini, vt Gal. li. 6. de vsu part. ca. 19. Sed Elephantis, equis & cuidam boum generi. Reperitur etiam in ceruis, & habetur hodiè pro singulari Cardiaco, quod Sylius & Brasauola parui faciunt: quia sæpissimè eius loco in officinis prostat bubulum, vel alterius animalis, quinetiam in officinis. Vesalius obseruauit pro eo, Agni grandius os Hyoides substitutum. Idem testatur se nunquam istud officulum in humano corde humido & molli inuenisse, nihilque aliud esse statuit, quam Aortæ & venæ arterialis radices induratas & cartilagineas. Verumtamen Corn. Gemma lib. 2. artis Cyclognom. In duobus virorum cadaueribus officulum cordis deprehendit, ad radices arteriæ magnæ & venæ arterialis collocatum, & alibi lib. 1. Cosmocriticorum cap. 6. affirmat, se ossiculum inuenisse instar malleoli inter Cartilagineos circulos arteriæ aortæ &
C venæ arterialis, ipsa specie prorsus cum cordis ceruini ossibus comparandum. Existimo cum Vesalio Os cordis in homine nihil aliud esse, quam Aortæ radicem induratam osseam, quam in senili corpore substantiam comparare non dubito. Nam si carneum & humidum cordis septum per ætatem cartilaginosum euadit; vt sæpius obseruauit Columb. libro 15. quid ni Aortæ radix cartilaginosa ætatis progressu in osseam substantiam degenerabit? Nec inutile eiusmodi ossiculum demonstrat Aristot. quippe fundamenti vice totum cor sustinet, non secus quàm ossa totum corpus sustentant. Alium vsum tradit Gal. nus lib. 6. de vsu part. vt ab eo valuulæ & ostiola vasorum oriantur, & tanquam basi firmentur. De osse cerebri quæstionem mouit Vesalius, sed impudenter imposuit Galeno, quod istud ossiculum canibus familiare, in cerebro humano constituerit,
D longè alia fuit mens ipsius Galeni vt videre est cap. 1. lib. 4. Adm. Anat. Ignari quidam, inquit, turpiter quærunt, num cartilaginosum quippiam penes cerebri glandem, vel osseum inhæreat. Quid si Galenus intelligeret illud ossiculum quod Iulius Placentinus in arteriis carotidibus nactus est, in illis statim atque caluariam sunt ingressæ paruum quoddam os oblongum pertusum semel inuenit: cui ex vtraque parte valuulæ tres quales vena caua obtinuit erant adnatæ. Botallus quatuor ossicula in cadauere reperit inter vtramque cerebri partem, dextram videlicet & sinistram, rectà sub sagittali commissura posita, & sub torculari septo ipso affixa adnatáque, vt videre licet sub finem libri de catharro.

DE NVMERO OSSIVM. CAP. LI.

E XPLICATIS omnibus humani corporis ossibus, superest vt eorumdem numerum colligamus. Subductis & enumeratis diligenter ossibus Ducenta quadraginta & vnum inuenio, 8. in capite, 11. in maxilla superiore, Vnum maxillæ infernæ, dentes 32. sunt, spina 24. ossibus constat, os sacrum 5. Coccyx tribus, Costæ sunt 24. claviculæ duæ; sternum ex tribus ossibus componitur, duæ sunt Omoplatæ, bina quoque ilium ossa, in manibus sunt 60. ossa, totidem in pedibus, Addo os hyoides, & tria auris ossicula. Sed prætermitto Sesamoidea quia eorum incertus est numerus. Ad scheletum parandum Ducenta tantum ossa & 29. requiruntur quia sternum pro vnico osse numeratur, vt os sacrum & Coccyx. Omitto tria auris officula, & os hyoides, quia cum aliis ossibus per articulum non coniunguntur.

Recentiores Anatomici de numero ossium inter se digladiantur; Vesalius in adultis ossa 304. constituit, Fuschus 303. Volcherus 307. nam in capite numerat ossa 58. in trunco 81. in manibus 84. in pedibus 84. Galenus quidem cap. 8. lib. 9. de placit. in corpore plura esse ossa quam recenta statuit, quamuis tamen libro de oss. 242. exponat. Maiorem difficultatem parit Hippocratis opinio de numero ossium, quæ ab omnibus Anatomicis falsa & absurda iudicatur, *Ossa manus 27. sunt, pedis 24. colli vsque ad magnam vertebram 7. lumborum 5. spinæ 20. capitis vnà cum oculorum ossibus 8. in vniuersum 91.* quam sententiam verissimam esse facilè demonstrabo; quia non est verisimile tantum Anatomicum qualis extitit Hippocrates, in numerandis ossibus deceptum fuisse; cum statim ipse profiteatur, se istum numerum ex inspectione ossium humanorum collegisse. Dicam igitur Hippocratem eo numero ossa tantum vnius lateris complecti, quæ per articulum manifestò mobilem iunguntur: sicque in tota manu si comprehendas omoplatam 27. erunt ossa, quæ per articulum copulantur: modo tamen 8. carpi ossa, pro quatuor tantum enumeres; quia secundus ossium ordo qui metracarpio iungitur apertè non mouetur. In toto pede 24. reperies, si comprehendas coxendicem & 7. tarsi ossa pro vnico numeres, quia solus astragalus tibiæ per articulum cohæret, reliqua tarsi ossa inter se, vel cum pedio iuncta manifestè non mouentur. Spinam à ceruice & lumbis distinguit, eique ossa 20. tribuit, quam partem 12. vertebris constructam dorsum vocamus; Sed Hippocrates per vertebras, vnius lateris veras costas ijsque affixum sternum intelligit. Caput quia simplex & vnicum, non geminum, vt reliqua membra, 8. constat ossibus quæ articulos constituunt; cuiusmodi sunt os occipitale cum prima vertebra, duo ossa temporum cum duobus ossibus maxillæ inferioris: os frontale, & duo ossa maxillæ superioris, quæ tria postrema ossa, oculi orbitam seu cauum efformant, quod propter profunditatem articulus dici potest, quemadmodum Hipocrates ischij cotylem ἄρϑρον vocat. Obijciet aliquis alia multa ossa prætermissa fuisse ab Hippocrate; putà quatuor costas, clauiculam, os sacrum, quorum eo libro & alibi meminit. Equidem suspicor mendum esse in codice, & post viginti addi debere quinque, vt quatuor costæ cum clauicula comprehendantur, quas statim post assignatum eum numerum nominauit. Os sacrum quia firmum & stabile, vice fundamenti spinæ subiectum, nec vllo modo mobile, idcirco fuit omissum. Nouerat quidem Hippocrates in manu & pede præter enumerata, multa esse alia officula alio modo coarticulata, sed ea neglexit quia articulum mobilè & luxationi obnoxium non constituunt. *Pes hominis, inquit Hippocrates lib. 2. de fract. ex multis minutisque ossibus constat, sicut & manus.* Cætera autem cranij ossa non omisit Hippocrates propter ignorationem, nam ea lib. de vuln. capit. expressit & designauit, nempe os frontis, ossa duo temporum, & os occipitis. Interea notari velim Hippocratem ea tantum ossa nominasse & proposuisse, quæ Medicinæ subiecta sunt dum franguntur & luxantur. Propterea principium libri qui vulgo inscribitur de ossium natura, vsque ad hunc numerum ossium, sub nomine Mochlici designatur à Galeno, & Chirurgis accensetur: Vti fecit Fœsius, Sed malè istam particulam de numero ossium distraxit, & alterius sectionis libri de oss. nat. initium fecit: quæ Mochlici conclusio esse debet. Nam post eum numerum ossium explicatum, toto libro nil de ossibus continetur: sed de venis & arterijs agit. Ausimque affirmare reliquam huius lib. partem, esse librum de venis quem pollicetur Hippocrates lib. 3. de art. Cum igitur Mochlicum suæ Chirurgiæ præmitti voluerit, credibile est ea tantum ossa numerasse quæ fracturis & luxationibus sunt obnoxia. At non plura quam 91. reperietis. Ergo verissima Hippocratis opinio de numero ossium.

A

SECTIO TERTIA:

B
De Myologia.

BREVIS AD MVSCVLORVM doctrinam exhortatio, in qua Myotomes vtilitas demonstratur.

CAP. I.

C VI de domo ædificanda cogitant, structuram non à cubiculis incipiunt, ne suspensa domus nullis subnixa fundamentis corruat, Sed iactis primùm firmissimis fundamentis operosam ædificij molem superstruunt: Ita nos domicilium animæ rationalis corpus humanum constructuri, non ab internis partibus nostrum opus inchoauimus, sed ab ossibus qui in corpore sustinendo & erigendo similem vsum præstant, atque in ædibus bases & colũnæ. Et quemadmodum in ædificiis structuræ varietas varios & infinitos lapides requirit, quos præterea gypso, cæmento coniungere & continere oportet: Sic corpus humanum ad structuræ elegantiam variis & discretis ossibus compactum esse debuit, quæ ita iuncta sunt & continuata, vt cuiusq; extremitas alterius sinũ & capacitatem subeat, & ne violento motu seiuncta

D distraherentur, aut suis sedibus exciderẽt, Natura eorum copulationẽ & compagem arctissimis firmissimisq; vinculis cartilagine, ligamento, & musculo colligauit, nec eo fine contenta vlteriorẽ adhuc sibi proposuit, nẽpe Motum. Cuius causa per articulũ ossa cõiunxit. Vt igitur mouerentur, necesse fuit quædã motus instrumenta creari, cuiusmodi sunt musculi, qui præter officiũ vinculi, corpus volũtario motu regunt. Anatomicam eorum historiã nũc meditamur, quam ex Galeni doctrina & peritissimorũ Anatomicorũ fide, atq; ipsa experientia tradã. In hoc studio plurimi se exercuerunt, sed nullus adhuc absolutã & consummatãMyotomen reliquit. Nos de hac parte aliquid perfectũ edere conabimur. Interea moneo, ne quis ad musculos accedat ignorata ossiũ natura, alioquin parũ firmis fundamẽtis magnã pondetum molẽ imponit teste Gal. li.4. Adm. Anat. c.8. Idcirco Anatomes initiũ ab os-

E sibus repetendũ quibus musculi ordine doctrinæ debẽt succedere, cum his duabus partibus veluti fundamentis reliquæ corporis partes subnixæ sint. Ad hoc studium nos inuitat huius artis vtilitas facilis & iucũda. Quid enim facilius quàm partes externas sensibus manifestas discernere? Laboriosè venæ portæ ramulos peruestigamus, Superstitiosè super poris cholidochis rixamur, qui oculos effugiunt & in arte medica nullius sunt momenti: Musculos verò tactui & oculis fidelibus subiectos contẽnimus, vel saltẽ cursim attingimus: Hoc ingenii vitiũ nouum nõ est sed vetus, Conqueritur Gal. lib.4. Adm. Anat. cap.1. quòd iuuenes maiorẽ industriã in peiore dissectionis parte collocarent, vtiliorẽ quæ versarur circa musculos, prope omnes respuerent. Si oblectatio quæritur animi quid æq; delectat, quàm scire quibus motibus agatur brachium, pedes? qui musculi hunc, vel illum motum perficiant? Sed huius doctrinæ vtilitas in artis operibus longè præstantior, ad vulnera, telorũ extractiones, luxata, fracturas cum vlcere, item ad fistularum, sinuum, abscessuum

incisiones, & alia id genus. Musculorum ignorantia facit vt in rebus securis timidi, in iis quæ metum postulant securi simus. Itaque satius est cognoscere non quot A membranas singulis cor orificiis habeat, neque quot venæ ipsum nutriant aut vnde quomodoue procedant aut quo pacto neruus illi ex partibus superioribus inseratur. Verùm à quibus musculis extenditur brachium, cubitus, brachiale, femur, & à quibus rursum inflectatur, quinam in obliquũ istas partes circumagant. Quamobrem Galenus cap. 31. lib. 2. Adm. Anat. iuuenes hortatur vt relictis visceribus prius ediscant, quali brachium scapulæ, & cubitus connexu deligenter, quomodo rursus alia artuum membra, quinam musculi ea moueant, atque ob eam causam manus & cruris Anatomen in lib. de vsu part. & Administr. Anat. aliis partibus præmisit. Meritò hîc succenserim Auerrhoi qui musculorum Anatomen Chirurgo quidem necessariam esse fatetur, sed inutilem Medico, nisi eius ignorantia in B rebus medicis omnibus satis cognita & explorata esset.

DE MVSCVLORVM NATVRA, compositione & differentia.

Cap. II.

MVSCVLVS Græcis μῦς dicitur quod figura sua murem excoriatum referat, eadem ratione Lacertus appellatur, à quo lacertosus musculosum significat. Alij dictum putant à similitudine, quam habet cum pisce Musculo, quam tamen reprehendit Columbus: non ineptè C μῦς ἀπὸ τοῦ μύειν deriuatur, quod est contrahere, opus musculi proprium vt Latinis fortasse dicitur à mouendo. Vnde vulgo definitur voluntarij motus instrumentum. Quæ definitio non probatur Picolomineo in prælect. Anat. quia soli homini voluntas conuenit, non brutis animantibus, quæ tamen veris musculis præditæ sunt, Laudat generalem illam definitionem Musculi à Gal. traditam lib. 1. de motu musc. Musculus est motus instrumentum qui fit secundum impetum. Per impetum καθ' ὁρμὴν Gal. intelligit, quod Arist. vocat ἑκούσιον id est, Spontaneum, quod principium habet Intrinsecum commouendarum partium, easque nulla re externa occurrente mouens; sed sola re appetibili alliciente, ac inuitante. Deinde omnis motus voluntarius est Spontaneus, Non contra Spontaneus est voluntarius. Præter hanc definitionem quæ ab officio desumpta est, Alia traditur D ab eius compositione petita, vt sit Musculus pars Organica & dissimilaris tunica propria, carne, neruis, arteriis, venis, fibris & ligamentis contexta, ex quibus musculi corpus conflatur. Quod rursus diuiditur in Caput seu musculi exortum, Ventrem qua parte tumentior est musculus, & Caudam, siue ἀπονεύρωσιν; communiter Tendo dicitur. Quæ partes diligenter notandæ sunt ad dignoscendam periculorum grauitatem, quæ ex læsis & vulneratis musculis plerumque subsequitur: cùm omnium longè molestissima sunt vulnera, quæ circa caput & tendinem musculi accidunt. Cæterum vt in omni Organo perfecto quatuor partium genera obseruantur apud Gal. c. 8. lib. 1. de vsu partium. Primum earum à quibus tanquam præcipuis primò & per se actio perficitur: Alterum earum sine quibus non fit. Tertium per quas actio melior redditur: Postremum quæ actionem conseruant, E Ità in musculis qnatuor istæ partium differentiæ notari debent. Gal. præcipuam musculi partem Neruum actionis autorem constituit, quia neruo male affecto, cessat omnis actio. quippe nerui authore Hipp. libro de Ossium natura, flexionem & contractionem corpori exibent. Vesalius carnem fibrosam pro parte principe agnoscit, quia non semper nerui per substantiam musculi disseminantur: sed sæpissime eorum superficiei leuiter adhærent, quosdam etiam musculos ne attingi quidem à neruis videmus. Omnes tamen animali spiritu vigent, qui longius se in omnes partes eiaculatur, quàm nerui corpus extendi queat. Columbus contra Vesalium contendit nullum Musculum neruo destitui, alioquin esset immobilis. Multis placet Vesalij sententia, de parte musculi principe, quoniam carne deficiente motus aboletur, aut saltem imminuitur, vbi illa reperitur, motus voluntarius adest. Hoc etiam rationibus probatur. Galenus scribit actio-

nis

A nis causam per propriam partis substantiam inueniri, At propria musculi substantia est caro ex Galeno. Ergo caro actionis causa erit in musculo. Galenus Erasistratum reprehendit, qui carnem cuiusque visceris Parenchyma vocabat, quasi pro re leui & parua haberet. Si Galenus tanti fecit Parenchyma viscerum, vt ei actionis causam adscribat: quidni pari iure musculosa caro, motus causa erit proxima? Vt enim neruus non sentit, sed participatio nerui apud Galenum lib. 7. de placitis, Ita quoque neruus non mouet, sed participatio nerui. Sed cum caro nihil sit aliud quàm siccatus Sanguis, nec villos habeat, & si habeat nullam ex ijs firmitatem satis validam obtineat: quæ partem mouendam trahere possit: Præterea cum ipsa caro in partes mouendas perueniat, & in quas peruenit villis firmetur neruosis & ligamentosis, quibus solis eas partes attrahit; Certum est motum voluntarium, à villis illis, seu funiculis contractis perfici, quibus caro munimentum & firmitatem aliquam præbet, B ac villos ipsos nimis extendi in vehementi actione & contrahi prohibet, vti stupæ filis intersitæ & intertextæ: Caro igitur non est pars princeps musculi, seu pars, sine qua actio fieri non potest, nullam enim actionem edit, sed tantum vsum præstat. Nam villis circumiecta neruorum & tendinum siccitatem temperat, neruorum robur auget, spiritus animales suo calore fouet, & ad motum aptiores reddit. Præterea cadenti aut cubanti fit molle substerniculum, dum pars contunditur, operimentum peniculis simillimum, cum vulneratur, propugnaculum: cõtra frigus calefacit, contra æstum præbet vmbraculum, quæ omnia ex Timæo Plato. desumpsit Galenus. Ligamenta verò & tendones actionem reddunt perfectiorem, venæ, arteriæ, & tunica actionem conseruant, Vena enim sanguinem ad nutritionem distribuit, Arteria spiritum vitalem ad natiui caloris custodiam, Tunica musculum inuoluit, eiusC que substantiam continet, & à vicinis partibus separat, sensumque tactus illi communicat.

Musculorum differentiæ petuntur à Substantia, Situ, Quantitate (quæ pro ratione dimensionum triplex est longa, lata, & profunda) à figura, ortu, insertione, villis, partium varietate & colore. Vnde quidam rubent, alij candicãt, Alij liuidi & plumbei conspiciuntur, qui color liuidus accidit propter opacam membranæ crassitiem; Denique ab vsu & actione eiusque varietate, diuersæ exurgunt musculorum differentiæ: quas ad tres præcipuas referunt peritiores Anat. Prima est, quòd musculi sunt Congeneres, vel Antagonistæ; Altera est, quod musculorum alij seipsos mouent, alij alia corpora. Tertia peculiares respicit motus, qui varij sunt, vt Flexores, Extensores, & Rotatores. Sed omnes istæ musculorum differentiæ, post cognitam D ipsorum historiam faciliùs intelligentur. Est igitur musculus instrumentum motus spontanei, quem cum neruus propter mollitiem efficere non valeret, in auxilium carnem obtinuit. Ac sanè videtur musculus vectis cuiusdam officio fungi, Vt enim magna pondera cum manibus tollere non possumus, vectibus adhibitis attollimus: ita cum nerui ad motum essent inepti, in subsidium carnem habuerunt. Tendo vero è musculi corpore productus extremam vectis partem refert, quæ ponderibus admouetur. Nec in corpore vllum membrum mobile reperiri potest, cui musculus aliquis non sit præpositus, ex Galeno lib. 1. de placitis, capite vltimo.

DE MVSCVLORVM ACTIONIBVS, *& vnde procedant.*

E

CAP. III.

T MOTV ignorato naturam ignorari necesse est, inquit Aristot. lib. 7. Phys. ita si motum musculi nescias, illius naturam prorsus ignorabis, quæ tota in motu consistit. Est autem mus quædam actio, qua musculi prior habitus immutatur. Ad eam actionem duæ causæ concurrunt, Agens & Patiens. Causa Motus efficiens, est Anima ab appetitu mota, cui triplex instrumentum famulatur, Cerebrum, Neruus, & Musculus. Cerebrum imperium excipit, illud Neruus defert, Musculus obsequitur. Pa-

tiens verò est id quòd mouetur: Os scilicet, vel alia quælibet pars corporis, moueri nata. Eorum autem quæ mouentur, quædam per se, alia alterius interuentu mouentur, Rursusque vel locum mutant, vel in eodem loco cientur, Musculi suæ motionis principium habent ab anima & in eodem loco mouentur, quadruplici motus genere, quorum duæ sunt per se, Contractio, dum versus suum caput musculus retrahitur, & contracti conseruatio, quæ motus Tonicus dicitur, Alia duo sunt per accidens, Extensio, & Relaxatio, siue Decidentia præ grauitate partis, motrice facultate otiante. Ex ijs motibus contractio musculi est tanquam instrumenti animæ actio. lib. 1. de motu muscul. cap. 7. Extensio eiusdem instrumenti, non quidem actio, sed simpliciter motus. Inquit Galen. lib. 1. de motu muscul. capit. 1. & eiusdem lib. capite vltimo scribit, Musculos contractionem appetere quam non possunt assequi, cum propter oppositos in diuersa trahentes musculos, tum propter naturalem ossium grauitatem. Ab istis motibus dependet partium motus, qui non tantum loci differentia distinguitur, antè retrò, sursum deorsum, sed etiam figura partis, quæ σχῆμα dicitur. Figura autem est situs partis in motu, Situs verò vel Angularis, & Flexio vocatur, vel non Angularis, isque rectus, diciturque Extensio, vel Obliquus, isque vel lateralis est, vt abductio & adductio in digitis: vel cum inuersione, vt pronatio & supinatio in manu. A B

Eorũ quæ motu voluntario fiunt, Alia quidem liberæ sunt, Alia verò affectibus corporis seruiunt Gal. lib. 2. de mot. musc.

Motuum tam differentium causam assignare arduum est & difficile, Galen. lib. de formatione fœtus cap. 6. Valde anxius est in causa motus musculorum indaganda, tandemque ingenuè fatetur, se nescire quomodo musculi moueantur. Quæstionis causa est. Quod cùm infantes & pecora musculorum officia lateant, non videntur apta ad exigendum ab illis operam, quia motus voluntarius est. Voluntas à cognitione, Cognoscendus igitur finis, quo mouemur & motionis instrumentum peculiare. Ergo cùm infantibus nihil horum cognitum sit, iure quæritur, cur labra moueant potius quàm pedes, aut quomodò moueant. Scaliger exercitat. 339. hunc nodum ita soluit, Voluntas quædam cum electione vt in homine Sapiente, alia ab instinctu, vt infanti recens nato ad sugendum lac, nam cum adoleuerit idem efficiet si opus habeat cum electione. C

Respondet Galenus omne animal suæ ipsius animæ facultates, & in quos vsus polleant nullo doctore præsentire. Existimat Aristoteles lib. de motu animal. Nostri corporis Oeconomiam perinde se habere, atque ciuitatem bonis legibus institutam, in qua postquam semel ordo constiterit, non opus est secreto duce, quem singulis quæ geruntur interesse oporteat, ita singulæ corporis partes nouerunt in quos vsus destinatæ sunt, sua munia sine vllo doctore perficiunt, dente lupus, cornu taurus petit, vnde nisi intus monstratum. Ac quemadmodum Homerus finxit sua sponte moueri Vulcani instrumenta, ancillas verò illas aureas ipsumque opificium ex seipsis moueri, ita musculi conuenienti structura præditi, virtute quadam iugenita suum opus peragnnt. Galenus lib. 4. de vsu partium cap. 5. D

DE TONICO MVSCVLORVM MOtu & ipsorum actionis continuitate.

CAP. IIII.

Otvs Tonicus dicitur, quando Musculi extenduntur, tensique permanent, quo in statu etiam si immobiles appareant, vtrimque tamen agunt pari contentione. Multa siquidem citrà motum esse videntur eundem locum obtinentia, quæ nihilominus mouentur, Galenus libro de Tremore cap. 1. Etenim aues in aëre suspensas eodem loco stare credimus, cum tamen ipsæ moueantur: Nam si in eo loco mortuũ auis corpus colloces statim pondere suo in terram decidet, quare quàm immobilitatem esse putas motus est ex duobus compositus, qui corpus in contraria loca possunt abducere, Motusque Tonitus nuncupatur, qui etiam in homine stante, & in medijs figuris tam moderatis, quàm extremis manifestè deprehenditur. In erecto corpore musculos operari, mo- E

nuit

nuit Hippocrates lib. de vlceribus, dum stare vlceri noxium esse scribit, & alibi si in crure constiterit vlcus, neque sedendum, neque ambulandum: sed quiescere & immotum permanere oportet, quia per istos corporis status musculi laborant & extenduntur, vnde vlceratæ parti dolor infligitur. Musculos autem agere in medijs & extremis figuris iam demonstratum est. Nec de moderatis dubitandum, in quibus certum est musculos tensionem quandam sustinere, minorem tamen quam in alijs, quippe ne quidem per somnum musculi cessant ab actione, quod facilè cognosces, si corpus mortuum in alterutrum latus inclinaueris, quia ne minimo quidem temporis momento in eo statu permanebit, sed supinum aut pronum statim fiet, quocunque grauitate verget. Idcirco Hipp. li. 1. Prognost. in ægris laudat in alterutrum latus iacere, supinum & dormire aperto ore damnat, quia signum est resolutionis, propter intermissam musculorum actionem. Summam imbecillitatem arguit iactatio corporis in hanc vel illam partem, vt in stomachicis & cardiacis syncopis accidit, quia tunc musculi nec breuem tensionem, nec mediam figuram tolerant. Decumbere non posse viuentis modo, sed tanquam mortuum & inanimatum corpus deorsum ferri, extremum malum fatetur Hipp. lib. 1. prognost. quod lib. de humoribus ἔκλυσιν summam virium resolutionem appellauit, cessantibus omnibus musculis. Nullus itaque musculus vnquam sine tensione est, ne quidem cum in medijs figuris consistit. Sed quæritur si tensi musculi propriè moueantur: Non videtur Galeno nisi ea tensionis specie, quam Tonicam appellat. Hanc difficultatem animaduertit Valeriola, eamq; sic enodat, cum primum attollimur vt erecti stantesque consistamus, tum musculi extenduntur & mouentur, at postquam semel tensi esse cœperunt, corpusque stat & quiescit, non ampliùs mouentur, sed tantum à facultate corporis rectrice, sic tensi conseruantur. *Lib. 6. Enarrat.*

DE MEDIIS ET EXTREMIS *figuris motus.*

CAPVT V.

IVBET Hippocrates lib. de articulis omnes partes fractas & luxatas in figuris dolore carentibus manuali operatione pertractare. Propterea figuras dolorificas, & eas quæ dolore carent, medicum scire expedit, quæ pro ratione intensæ vel moderatæ actionis musculorum duę constituuntur, Media & Extrema. Hęc breuis & dolorifica valde molesta est naturæ, quando vno agente musculo, alter pręter naturam relaxatur. Nam omne nimium naturæ inimicum, illa naturalis & moderata, propterea que indolens, & diuturna. Vt autem in omnibus articulis mediam figuram inuenias, Naturam, Consuetudinem, & extremos motus considerabis: ita vt in articulo cubiti ea media sit, quæ vocatur Angularis, in articulo verò ad genu, quæ propior est extensioni. Sic in Spina ea quæ magis accedit ad flexionem, in articulo verò carpi, quæ exquisitè recta est. Quod verò Natura & Consuetudo partis spectanda sit, patet ex Hipp. lib. de fract. sect. 2. art. 51. Nequit cubitus extentus diu haberi, non enim solitus est sæpè in hoc statu detineri, sed curuatus: Crus verò, quia ambulando & stando in inferiorem partem: nunc ex toto, nunc prope ex toto intendi secundùm naturam, & ferre etiam reliquum corpus consueuit, idcirco sine molestia extenditur cùm opus est, quia sæpiùs in lecto hoc modo continetur figuratum. Addit Galenus quod priusquam cruribus vtamur, in fasciis sic extensa formantur. Cæterùm notari debet, quòd in media figura duplex inest musculis constitutio. Altera quidem, qua neuter oppositorum musculorum trahit, Altera verò in qua similiter vtrimque agunt, prior existit musculis quiescentibus, altera verò, cū neq; extendere neq; flectere membrum alicui permittimus, ne si maximam quidem vim afferat. Fit autem hæc oppositis Musculis actionem Tonicam habentibus. Distinguendam igitur de media figura quæ (est in quiete) indolens percipitur, quæ verò fit cum æquali intensione musculorum, est valde dolorifica.

QVIBVS NOTIS ACTIONIS *modus dignoscatur.*

Cap. VI.

QVI Myologiam exactè scire desiderat, eamque ad artis opera reuocare, in singulis musculis actionis modum dignoscere debet. Nam vt inquit Gal. lib. 1. Admin. Anat. cap. 3. Actionis musculorum cognitio imprimis necessaria est, vt pernoscas functionem abolitam in magnis vulneribus vbi musculus totus ex trāsuerso fuerit dissectus, quin etiam vt exquisitè manu cures, quippe nonnullorum munus tam est proprium, vt B tota particula reddatur inutilis, si actione sua priuetur, quidam verò improprijs præsunt functionibus: præstat etiam pro fibrarum ductu ipsorum diuisionem moliri: Nam transuersæ sectiones quæ fiunt ad angulos rectos actiones dissoluunt. Ex intellecta musculorum actione scire licet, Congenerum musculorum qui in oppositis partibus sunt pares, numero, magnitudine, robore; Vno resoluto, alterum conuelli: Propterea scribit Hippocrates libr. de vulner. cap. dextro temporali musculo vulnerato sinistrum conuelli, Insuper musculorum actio docet, motuum qui sibi inuicem succedunt, altero pereunte, alterum simul perire, non tam proprio actionis vitio, quam sublata agendi vicissitudine. Ex Gal. lib. 1. de motu musc. cap. 4. Ad inuestigandum actionis modum in musculo, fibras, Caput, & Tendonem obseruare oportet: fibrarum, vt totius musculi situs actionis modum indicat, ita vt recti musculi rectum & simplicem motum habeant, obliqui composito, & obliquo motui præficiantur: Qui verò vel totis suis corporibus aut etiam tendonibus circa quidpiam obuoluuntur, circularem potiùs quàm rectum motum efficiunt: Inuento capite, facile tendo & proinde actio musculi deprehenditur, Caput autem illic assignatur vbi neruus inseritur. Galenus cap. vlt. lib. 4. Administr. Anatom. aliam methodum docet, qua possis cuiusque musculi functiones examinare: In animante mortuo, recentibus adhuc, mollibusq; à morte ligamentis articulorum & musculis, Reliquos alios auferes, ijs duntaxat qui inter se sunt oppositi relictis, quorū motus explorare volueris. Verum magni musculi etiam mortuo animante tensi fūctiones suas citra aliorum præcisionem indicare possunt, Parui, nonnisi multis detractis: Notatione dignum est, quod scribit Gal. de mot. musc. Omnes musculos dum D agunt curuos, dum quiescunt, erectos fieri. Exceptis intercostalibus & abdominis musculis, qui contracti introcedunt, curuati relaxantur. Notat etiam Gal. lib. 1. de Sympt. causis cap. 5. nullum musculum moueri qui idem non sentiat, cap. 8. li. 12. de vsu part. scribit, vix in musculis transuersas & obliquas fibras repetiri sine rectarum additione. Hoc etiam notandum de actione musculorum, quòd non tantùm trahunt ossa quibus terminantur, sed etiam quæcū ipsis quouis modo communicant, lib. 13. de vsu part. cap. vlt. deinde cuiusq; musculi vnicum esse motum per se, alterū per accidens lib. 1. de mot. musc. Et quoniam musculorum natio tam magna est, vt etiam interdum pro dissecantis peritia multiplicetur, regulam statuere oportet, quā vnusquisq; musculum perfectum discernere queat, Eam pollicitus fuerat Fallopius *In obseru.* quam tamen non reliquit. Musculum circumscribit actio vniformis, & venter à vicinis musculis facilè separabilis, etiam cum multis vel capitibus vel tendonibus: E verùm si tendines in diuersa specie ossa inserantur, dissectionum periti pluriū musculorum numero recensent. Legendus Gal. lib. 1. Adm. Anat. cap. 4. vbi de vnitate musculi & perfectione disserit. Dissecandi musculos modum & artificium eleganter explicat Sylvius in Isagoge Anat. Musculos in quibus est operosa magis Anatomica administratio separare aggredieris, Nunc à ventre, vbi linea quædam alba diuisionis index conspicua est, nunc à capite, nunc ab aponeurosi, seu prout clariorem & faciliorem diuisionem præsumpseris, & superiores subiectis priores, & vnum à capite, alterum à fine secabis.

DE

A
DE TENDONE.

CAP. VII.

MVSCVLI finis seu extremitas, quæ in partem mouendam inseritur Tendo ἀπονεύρωσις dicitur. Conflatur ex neruorum ex ligamentorum villis per carnem dispersis, rursusque in vnum coeuntibus, ita vt fit mediæ naturæ inter neruum & ligamentum. Non poterat solum ligamentum natura sua durum, immobile ac insensile, motum voluntarium edere: multò minus neruus ob mollitiem & tenuitatem vastissimas membrorum moles mouere poterat. Mixtum igitur ex ambobus creari aliquod motus organum oportuit, quod omnino neruo durius & robustius esset, vin-
B culo autem mollius & infirmius. Talis est Tendo. Quem non omnes musculi obtinuerunt, siquidem linguæ, labiorum, sedis, vesicæ, musculi tendone carent. Quare sic statuit Galenus omnes musculos mouendis ossibus destinatos, in tendones maiores vel minores terminari: qui verò alias partes quàm ossa mouent rarò Tendones habent. Quoniam verò musculus ad validiores motus edendos, Tendone roboratur, iustissima natura, maioribus musculis magnos Tendines apposuit, minoribus minores dedit. Negabant Epicurus & Asclepiades tendinis magnitudinem quicquam ad validas actiones conferre, sed robur & fortitudinem tendinis pendere ab exercitatione & laboris consuetudine: vt qui laboribus validis assuescerent, validos Tendones consequerentur, qui vero otiosam vitam degerent, Tendones
C graciliores & imbecilliores obtinerent. Cuius opinionis falsitatem destruit Galen. lib. 1. de vsu part. cap. 21.

De tẽdone accuratè tractat Gal. lib. 1. de motu musc. ca. 2.

DE MVSCVLO LATO FACIEI.

CAP. VIII.

IN DESCRIBENDIS musculis placet imitari ordinem à Galeno præscriptum, lib. de dissect. muscul. Nam eo libro methodicè & ordine dissectionis musculos exponit, à membrana carnosa incipiens, quæ collum totamque faciem inuoluit. Hanc veteribus Anat. Ignotam, primus Galen. obseruauit, & μυώδης πλατύσμα, musculum latum vo-
D cat, quem Syluius capitio equitantium similem facit, si tantùm eius auferas quantum pileolo tegitur. Hunc etiam Theophilus comparat muliebri Phialę, quam vulgò Græci σομομάνικον vocant: Ab eo musculo totam faciem moueri veteres existimarunt. Sed recentiores Anatomici alios musculos huic subiectos inuenerunt; Oritur iste musculus à summo sterno, tota clauicula, spina superna omoplatæ, vertebratum colli spinis, & in occipite, ac maxilla inferiore terminatur, Nec vltra peruadit. Idcircò melioris notæ Anatomici, ab eo musculo maxillam inferiorem deprimi volunt. Alium tamen vsum illi Galenus assignat, vt nimirum buccas moueat, qui motus etiam citra dissectionem euidens est: Primus ille omnium instante Spasmo contrahitur, & Canini Spasmi potissimum accidunt eo musculo laborante, ex Galeno.

E

 A

DE MVSCVLIS AVRIVM.

CAP. IX.

AVRES homini tantum immobiles esse prodidit Aristot. si tamen pro arbitrio eas moueri contingat, vt in plurimis obseruatum est, id musculis peragitur. Gal. delineamenta musculorum circa aures animaduertit, quę in alijs animātibus perfecti sunt musculi. Ab his aures in hominibus non mouentur, aut saltem exiguum & obscurum habent motum. Cum enim aures paruæ sint, parum aut nihil vtilitatis ex illo motu corpori accedit. Adde minimos neruos obtinere ad motum edendum inualidos. At ijs animalibus B quibus mobiles & magnæ aures datæ sunt, vt auris multis & magnis musculis circumdatur, ita & neruos insignes à secūda colli coniugatione obtinuit. Fallopius in aure humana tres musculos obseruat, qui tum reperiuntur cum musculi in occipitio positi apparent. Primus in anteriore parte capitis situs, à fine extremo musculi frontis enatus, in eam auriculæ partem desinit, quæ ἀντιλόβιον dicitur, trahitque auriculam ad superiora & anteriora. Alter ab occipitio suprà mastoidem apophysim angusto principio exortus, posteriori auriculæ digitatim inseritur, eamque retrorsum mouet. Tertius portio est latissimi & cutanei musculi, qui ad aurem vsq; protenditur. Casserius lib. de Aure, quartum & quintum auris musculos sub auris vinculo latitantes inuenit, à processu mammillari emergunt, & in radicem auris desinunt. Auris interna suos habet musculos, qui ab Anatomicis Gemini constituun- C tur in malleolum desinentes, ad tympani securitatem, Vt in motibus vehementioribus, fluxu nimirum & refluxu ruptionis periculum euitaret. Horum alter meatus auditorij partem superiorem occupat, & tendine nerueo tympani conuexum penetrans, malleoli ceruici affigitur, Tympani introcessionem sistit & moderatur, atque eadem opera stapedem retrahit ad fenestræ oualis apertionem. Alter in concha latitans tendine gracili in elatiorem malleoli Apophysin inseritur, vt concitato aëre interno Tympanum retineat, eiusque fluxum definiat. Fuit autem munus cohibendi motum malleoli Musculis voluntarijs instrumentis commissum, non ligamentis eodem tenore semper agentibus, quia vt variæ sunt aëris ad membranam impulsiones, sic cohibitio ac sistentia motus mallei varia esse debuit, ex Eustachio. D

DE MVSCVLIS LABIORVM.

CAP. X.

LABIA quatuor habent Musculos, vtrimque duos, quorum ope labrum superius attollitur, inferinum verò deprimitur ex Galeno. Nos vndecim Musculos proprios numeramus, & duos alios labijs & buccis communes. Ex proprijs duo Musculi superius labrum sursum trahunt, qui à malo exorti obliquè descendunt, & in latera labij superioris inseruntur. Deorsum mouent totidem à media maxilla inferiore in idem labium delati; Ab ijsdem E proprijs inferius labrum sursum trahitur, duorum Musculorum auxilio, qui à malo enati in labrū inferius desinunt. Deorsum mouetur à totidem Musculis à mento in idem labium insertis: Vtrumq; labium simul ad latera mouent duo Musculi carnei, graciles & rotundi, qui à Zygomate obliquè inter vtriusque labij commissuram inseruntur. Ab his omnibus simul conflatur Circularis Musculus modo Sphincteris labia circumdans. Obseruat Oribasius in hoc musculo fibras internas & externas, ab externis labia explicari seu extrorsum verti, ab internis intus rettahi: Hunc motum adiuuat labiorum fungosa substantia, quæ facilè inanitur & impletur. Inanita quidem contrahitur, Repleta verò protuberat, & in tumorem attollitur: Communes Musculi duo sunt dicti Buccinatores, oriuntur à summis gingiuis & in gingiuarū extremum ambitū cessant; eorum officiū est cibum huc vel illuc propellere vt à dentibus atteratur, Buccas quoq; inflāt ad tubarū modulationē.

DE

A

DE MVSCVLIS NARIVM.

CAPVT XI.

VSCVLI narium sunt, Communes & Proprij. Communes voco eos, qui labrum superius moturi obiter naribus adhærent, qualis etiam censeri potest musculus orbicularis labia circumdans, & potissimum qua parte labium superius cingit, quod cum deprimitur, nasum quoque deorsum trahit. Proprij sunt, qui solis naribus conueniunt. Quatuor autem ab Anatomicis numerantur, quotum ope nares dilatantur & constringuntur. Dila- B
tant duo Musculi vtrimque vnus, ab intercilio carneo & acuto principio enatus, sensim latescens, ad pinnas narium defertur. Ex istis duobus Casserius vnicum efformat continuum nulla apparente diuisione, quæ geminum esse ostendat. Hunc autem Musculum negat ab intercilio educi, sed ab alarum nasi extremitate deriuat, quia ibi neruulos accipit. Suæ inuentionis fautorem adducit Galenum lib. 11. de vsu part. cap. 17. Dicamus igitur iam primum eos subtus malas enasci, iuxta principium musculorum ad labia descendentium, & quadamtenus cum his coniunctos, semper magis magisque obliquè ad nasum digredi. Constringunt duo Musculi, de quorum situ, controuersia est inter Anat. Vesalius eos intra nares sub membrana collocat, quod vetum in nasutis asserit Fallopius, sed Colūbus merum figmentum C esse putat, quia Musculi constringentes extra nares sunt positi, & labiorum Musculis proximi. Vnde fit vt quando aliquid naribus attrahimus, superius labrum constringere cogamur. Existimat Galenus constrictionem narium fieri sine Musculis *Li.4.adm.* à sola inspiratione, sed objicit Vesalius in validissimis inspirationibus apertas nares *anat.c.4.* conseruati posse.

Admittere igitur oportet musculos constringentes, quos reperio intra narium capacitatem ab osse superioris maxillæ, quod cum proprijs ossibus nasum constituit oriri, atque pinnis natium subtensos, tenacitetque affixos, in mucronem nasi desinere.

DE MVSCVLIS FRONTIS, SVPERciliorum, & Occipitis.

D

CAP. XII.

RONS homini tantummodo corrugatur in tristitiam, dilatatur in lætitiam, Musculorum beneficio, qui à supernis partibus, in quas capilli desinunt exorti, in inferiores descendunt, frontem ac supercilia attollentes. Eorum fibræ obliquæ non sunt à summo naso versus tempora exporrectæ, vt voluit Columbus, Nec vt cutis rugę transuersum situm obtinent. Sed rectà deorsum feruntur, vt placuit Galeno, cui Vesalius & Fal- E lopius suffragantur, quod ipsamet dissectio & motus superciliorum ad superiora rectus satis indicant. Idcirco Galenus lib. 4. Adminiſt. Anatom. cap. 10. vetat in istis Musculis transuersas sectiones, rectas laudat, quoniam accidit ex transuersis sectionibus, tum supercilia, tum contiguam ipsis cutem deorsum conuolui, & oculos quibus incumbunt onerari, vt neque aperiri probè queant, neque liberè suo munere fungi. Frontis autem Musculi duo sunt in medio aliquantulum disiuncti, nam quoties vehementer commouemur, aut miramur, cutem in media fronte contrahimus. Ita vt supercilia se mutuo contingant, quæ cutis contractio non fieret, si vnicus esset Musculus, ait Columbus. Id confirmat memorabili exemplo cuiusdam Catdinalis, cui cum sinister frontis Musculus conuulsus esset ob vulnus, dimidiam frontem mouebat, reliqua immobili. Istis Musculis parte superna occurrunt duo, qui à medio ferè occipitio carnei emergunt, & sursum ascendentes, latissimo

& membranoso tendine vsque ad aures & Musculos frontis excurrunt. Si adsint eorum munus est ad posteriora cutem capitis retrahere, quam nonnulli manifeste mouent. A

DE MVSCVLIS PALPEBRARVM.

CAP. XIII.

ARISTOTELES lib. 2. de partibus anim. capit. 13. scribit, motum palpebrarum naturalem esse non voluntarium, ac proinde inutiles esse Musculos: Contra Gal. lib. 10. de vsu part. cap. 9. docet palpebram superiorem à musculis voluntariè moueri, inferiorem quietam & immobilem permanere: quæ tamen non obscuro motu prædita est, vt vnicuique licet in seipso deprehendere, Voluntarius ille motus est, qui ex arbitrio & voluntate nostra pendet. At legimus apud Plinium lib. 11. Viginti gladiatorum paria in Caij Principis ludo fuisse: In ijs duos omnino qui contra comminationē aliquam non conniuerent & ob id inuictos. Superiorem palpebram sursum adducit musculus, qui ab interiore orbita eductus ad tharsum palpebræ recta protenditur. Eandem deprimit orbicularis musculus, qui ortus à magno cantho, & per inferiorem palpebram, cuius latitudinem æquat progressus, ac per minorem angulū reuolutus, ad idē punctū à quo recesserat, desinit: dum agit eodem tempore inferiorē palpebram sursum, superiorem deorsū trahit: Alter musculus orbicularis à quibusdam constituitur, qui à radice nasi prodiens cilium vtriusque palpebræ circundat, quas exactè claudit. Horum musculorum conuulsio curuam palpebram facit, (Ἰλλώσιν vocat Hippocrates) quæ funestum signum est in ægrotantibus teste Hipp. in prognostic. & Coacis. Gal. lib. 10. de vsu part. lib. 9. B C

DE MVSCVLIS OCULORUM.

CAP. XIV.

OCVLOS mouent sex musculi, quatuor Recti & Obliqui duo; Recti ab operatione, elegantissima nomina sortiuntur: Primus enim Attollens seu Superbus dicitur, Secundus Deprimens siue Humilis, Tertius Adducens siue Bibitorius, Quartus Abducens siue indignatorius. Duo Obliqui circumagentes & Amatorij appellantur, quod sint in amore duces. Omnes Recti oriuntur à cono interioris orbitæ, siue ab ambitu foraminis nerui optici, cui circumtensi, lata & tenui aponeurosi coniunctiuæ tenaciter adhærente ad Iridem vsque perueniunt. Alter ex Obliquis, superior emanat ab osse Sphenoide, iuxta foramen à quo neruus opticus prodit: & secundùm os frontis ad superiorem sedem orbitæ ascendens, in chordam gracilem desinit, quæ in transuerso illic posito ligamento veluti habena in annulo reflectitur, tandemque in latus coniunctiuæ obliquè inseritur. Alter inferior ab ea rima, quæ duo maxillæ ossa iungit enatus, ad externum angulum procedit, ibiq; oculum transuersim amplexatus, alterius musculi tendini superiora versus occurrit, Ita vt amborum vna & eadem chorda esse videatur. Circulariter mouetur Oculus ab obliquis successiuè agentibus. D E

DE

A

DE MVSCVLIS MAXILLÆ *inferioris.*

CAP. XV.

MAXILLAM inferiorem ad vocis articulationem ciboſque ſecandos & comminuendos moueri oportuit. Mouetur autem ſurſum à temporali muſculo, qui lato & carneo principio oritur à tota temporum cauitate, ſenſimque gracileſcens, & ſub oſſe iugali delatus neruco & validiſſimo tendine in maxillæ coronon inſeritur. Eius fibræ à circumferentia ad centrum feruntur, quæ medicis accuratè ſunt animaduertendæ,
B Ne dum huius partis vulnera dilatant, & abſceſſus ſecant, fibras tranſuerſim incidant: quibus diſſectis, muſculi actio vitaque aboletur. Notanda etiam admirabilis ſympathia Crotaphitæ muſculi cum oculo, propter communicationem nerui oculum mouentis. Ita vt læſo temporali, oculus lædatur, & contrà, authore Columbo, quod priùs obſeruauerat Ariſtoteles libro de ſenſu, & ſenſili. Cum ait ex vulnere temporum ortam eſſe cæcitatem. Deorſum mouent maxillam duo muſculi. Digaſtricus, & Muſculus Latus. Ille gracilis & oblongus initio fineque carnoſus, in medio neruoſus (vnde dicitur Digaſtricus) ab apophyſe ſtyloide, Interdū à mammillari enatus, in mentum ſub maxillæ flexura inſeritur. Et quoniam à ſupernis partibus oritur circa coracoideum reflectitur, vt maxillā deorſum traheret: quam actionem iuuat Muſculus Latus. Maxillam circumagit Maſſeter in ortu biceps, cuius caput
C Alterum à malo, Alterum à zygomate oritur: Vtrumque proprijs fibris in chyaſmum ſeſe interſecantibus donatum, inſeritur in angulum vtriuſque maxillæ. Ratione fibrarum maxillam antrorſum & retrorſum mouere creditur. Sunt tamen alij muſculi huic officio dicati Pterygoidæus, & alter Latitans. Antrorſum trahit Pterygoidæus, qui à cauo toto apophyſeos Pterygoidis, ad latera maxillæ internæ deſinit. Retrorſum ducit Muſculus exortus ab ala ſeu latere exteriori Pterygoidis apophyſeos, atq; apice illo oſſis ſphenoidis aſperiori & acuto, in temporū cauitate conſiſtit ſub Zygomate, & in maxillæ ceruicem inſeritur, quam amplexatur.

DE MVSCVLIS SCAPVLARVM.

D

CAP. XVI.

GALENVS ordine ſectionis Muſculos Scapularū alijs præpoſuit, quia Muſculi Laringis, Linguæ, & oſſis hyoidis, ſecari nō poſſunt, niſi priùs detractis muſculis Maſtoidæis. Nec poſteriores inſpici poſſunt, niſi prius Trapeſius, Rhomboides & Leuator proprius auferantur. Mouetur autem Scapula ſurſum, deorſum, antrorſum, & retrorſum. Mouetur ſurſum à Trapeſio, & Leuatore. Trapeſius oritur ab occipite, & apice ſeptem colli ſpinarum, octo ſuperiorum thoracis, inſeritur in omoplatæ baſim & ſpinam, vſque ad Acromium, propter varia fibrarum genera & diuerſos exortus, varios edit motus. Leuator originem ducit ab apophyſi tranſuerſa primæ, 2. 3. & 4. vertebræ colli
E ſuperioris, & iſtis in vnum coaleſcentibus principijs, deſinit in angulum Omoplatæ ſuperiorem. Mouet Scapulam deorſum latiſſimi muſculi portio, quæ obiter inferiorem angulum omoplatæ ſubit. Addunt etiam portionē inferiorem Trapeſij. Mouetur antrorſum Scapula ab vnico Serrato Minore, qui ex coſtis quinque ſupernis emergit, & deſinit in Coracoidem. Retrorſum trahit vnicus Rhomboides à tribus ſpinis inferiorum vertebrarum colli, & tribus ſpinis vertebrarum ſuperiorum thoracis, in externam baſim Omoplatæ inſeritur. Eam quoque actionem iuuat muſculus Trapeſius. Non puto Muſculos Omoplatę Sublimi Reſpirationi inſeruire, vt tradit Galen. lib. 4. de locis affectis cap. 4.

DE MVSCVLIS CAPITIS.

CAP. XVII.

CAPVT musculorum ope in omnem partem mouetur, quorum numerus apud Gal. incertus est, quem tamen Fallop. ad duodeuicenos reuocat: Malim cum alijs Anatomicis 14. numerare, quam sine necessitate musculorum numerum augere. Ex his flectunt caput Mastoidæi duo, qui à summo sterno, & media clauicula in apophysin mastoidem obliquè inseruntur, Galen. duos ex vtroque latere Mastoidæos constituit. Extendunt Caput duodecim Musculi, Maiores quatuor & octo Minores, Maiorũ primus Splenius dicitur, à quinque vertebrarum superiorum metaphreni, & quatuor colli inferioribus spinis, productus in occiput inseritur. Fallop. illi duos exortus assignat, Vnum nerueum à spinis thoracis, Alterum carnosum, quem in medio ductu accipit à ligamento vertebrarum colli, ita vt principium huius musculi à sexta thoracis vertebra vsq; ad Tertiam ceruicis excurrat. Huic musculo venit adiutor alter complexus, qui ab earundem vertebrarum transuersis apophysibus enatus, occipiti tenacissimè affigitur. Gal. hũc Musculum Triplicem facit. Minores musculi partim sunt Recti, partim Obliqui, ex vtrisque quidam Maiores, Alij Minores, Maiores Recti, à spina secundi spondyli in occiput inseruntur. Sub ijs Minores duo à parte postica primi spondyli in occiput quoque desinunt: Obliqui Maiores à spina secundæ vertebræ ad apophysim transuersæ primæ perueniunt, Ab eodem loco Minores Obliqui ad occiput feruntur. B C

DE MVSCVLIS LARYNGIS.

CAP. XVIII.

LARYNX componitur ex tribus cartilaginibus, quarum duæ sunt mobiles, Thyroides, & Arytenoides, Tertia prorsus immobilis, nimirum Cricoides, quia super aliquo quiescente motus fieri debet. Proinde falluntur qui musculos in Cricoidem inseri putant. Cum autem duplices sint Laryngis motiones quibus tum dilatatur ac cõstringitur, tum clauditur & aperitur, duas articulationes obtinuit, Quarum singulæ singulis motibus inseruiunt: Quare Dilatatio & Constrictio pendet ab ea dearticulatione quæ est primæ cartilaginis ad secundam, Clausio & Apertio ab ea quæ est secundæ ad tertiam perficitur. Itaque cum Tyroides dilatetur & constringatur, Aritenoides verò aperiatur & claudatur, voluit Gal. dilatantes & constringentes Musculos in Tyroidem, Aperientes & Claudentes in Aritenoidem inseri. Cum antem deglutitio fiat mutuo Laryngis & Pharyngis ascensu ac descensu, Ad hunc motum peculiares musculi comparati sunt. Cæterũ ex Musculis Laryngis quidam sunt communes, qui ab alijs partibus quam à Larynge oriuntur, & Laryngem manifestè mouent, cuiusmodi sunt Bronchij duo, & Tyroidei totidem, Reliqui decem Proprij sunt, qui à Larynge orti in eandem inseruntur, quam obscurè mouent: Laryngem totam trahunt sursum Hyothyroidei duo, ex tota pene Hyoidis basi egrediuntur & in Tyroidis partem supernam & anticam inseruntur. Deorsum trahunt Bronchij duo, ab interiore sterni parte prosiliunt, & per arteriæ Bronchia ascendentes in Tyroidis basim implantantur. Alium vsum illis assignat Galenus, vt asperæ arteriæ longitudinem erigant, præsertim in animalibus longiore collo præditis, Tyroidem dilatant Cricotyroidæi Antici, à Cricoyde antica & interna, in Tyroidis latera abennt. Addunt quidam Oesophagæos, sed potius inseruiunt deglutitioni quàm voci. Contrahunt Cricotyroidæi Postici, à Cricoide superna posterius exorti, in superiorem Tyroidem inseruntur, Aritenoidem aperiunt Cricoidæi laterales, à Lateribus Cricoidis enati, in Aritenoidem inseruntur. Claudunt duo Musculi qui validis præsunt actionibus, vt in spiritus retentione D E

A manifestè apparet, Dum enim agunt, Aritenoidem exactè claudunt, nec spiritum foras exire permittunt, omnibus thoracis musculis obsistentes. Primi sunt Tyroidei qui à Tyroidis parte interiore & anteriore emergunt, & in latera aritenoidis desinunt, Aritenoidæi à media Aritenoide in latera eiusdem cartilaginis inseruntur, Columbus vnicum constituit, qui Sphincteris modo aritenoidem claudit.

DE MVSCVLIS OSSIS HYOIDIS.

CAP. XIX.

B OS HYOIDES linguæ pro fundamento subijcitur, & quia solitarium in anteriore colli parte situm est, carnibus tanquam retinaculis & anchoris vicinis partibus alligatur, quorū ἀντιτάσει æquali tensione dissoluta, vt accidit in Paralysi, sequitur aphonia ex linguæ sympathia, vt notauit Rondeletius cap. 23. Meth. Med. Ab ijs os Hyoides obscurè mouetur, non tam proprio motu quam alieno. Motum enim linguæ sequitur in deglutitione, iraque musculos ad suspensionem potiùs, quàm ad motū obtinuit, quorum nexu vicinis partibus astringitur. Carnes vsurpauit natura, quia ligamentis molliores sunt, faciliusque obsequuntur. Hæc est vulgata & communis Anatomicorum opinio de musculorū hyoidis vsu, quibus ego actionem ossi dicatam tribuo, quāuis enim lingua huic ossi tanquam fundamēto innitatur, non sequitur tamen musculos habere in alium vsum destinatos; nec est verisimile ab his tantum os hyoides librari
C sine motu. Quoniam musculi nunquā ab actione sua cessarent, essentq; in perpetuo motu tonico, quod fieri non posse testatur Galenus. Quippe peculiaribus vinculis suspenditur & annectitur sine musculorum adminiculo. Equidem fateor simul cum lingua os hyoides moueri, propriosque huius ossis musculos ad eum motum conspirare, quia eundem situm, eandem originem, similem progressum, ac ferè parem insertionem habent cum musculis linguæ; sed nil obstat quominus ossi suo priuatim inseruiant in deglutitione.

Mouent igitur os Hyoides 8. Musculi ex communi Anatomicorum opinione, Fallop. in obs. duodecim enumerat. Nos decem tantum obseruamus. Sternohyoidæi primi occurrunt, qui à summo sterno enati, secundum asperam arteriam in Hyoidis basim inseruntur. Illis opponuntur Genioydæi ab interiore mento, in eadem Hyoidis basim producuntur, sub his latent Milohyoidæi, qui falso Milaglossi dicū-
D tur, cū nulla ex parte linguam attingant. Ab interiore maxilla qua parte sunt Molares dentes oriuntur, & ad basin Hyoidis feruntur. Coracohyoidæi non à Coracoide processu, vt volunt omnes Anatomici, sed à costa superna Omoplatæ prope angulū superiorem egrediuntur, & in medio neruosi obliquè in latera Hyoidis desinunt. Styloceratoides à styloide apophysi in Hyoidis cornua cessant.

DE MVSCVLIS LINGVÆ.

CAP. XX.

E LINGVA etsi Musculus videatur, qui varijs motibus Anguillæ aut Murenæ in modum contorquetur, suos tamen habet Musculos, quorum naturā & numerū inquirere supra vsum artis est, iudicio Gal. l. 2. Ad. Anat. c. 2. & 17. de vsu par. c. 1. Sed quia Anatomica tractamus, nec eos quidem prætermittemus. Linguæ musculi decē ab Anatomicis constituuntur, duos autē detraxi, nempe Myloglossos, quos ossi Hyoidi tribui, octo igitur supereruut, à quibus in omnes motus differentias mouetur. Nā attollitur à Styloglossis, qui à styloide apophysi in mediā ferè linguā inseruntur. Deprimitur à Basiglossis, ab Hyoidis basi ad linguæ radicem productis: Antrorsum & retrorsum ducitur à Genioglossis, qui ab interno mento oriuntur principio satis angusto, deinde latiores facti radici linguæ adhærent; Nec ibi terminantur, sed ad mucronem vsque producuntur: itavt partes eiusdem musculi contrarios edant motus, nam cum ea musculi pars, quæ est ab exortu, ad radicem linguæ contrahitur,

intus linguam reuocat, At cum altera portio agit, quæ à radice linguæ ad mucronem pertinet, extra dentes & labia linguam exerit. Lateraliter mouent linguam Ceratoglossi ambo ab Hyoidis cornibus, modò supernis, modò infernis exorti, in linguæ latera inseruntur: in homine simplices sunt, in bobus gemini vtrimque reperiuntur. Omnes musculi alternatim agentes linguam in orbem mouent. A

DE PHARYNGIS MVSCVLIS.

CAPVT. XXI.

PHARYNGI frustrà dati sunt musculi, si deglutitio sit actio Naturalis, vt multis persuasum est, Sed cum motu & volũtate nostra perficiatur, Animalis etiam iudicari potest, ac proinde musculis indiget ad eam actionem edendam. Quod autem Pharynx voluntariè moueatur sic demonstro. Motus ille non potest esse naturalis, qui à nostra voluntate proficiscitur, At in nobis situm est cum lubet deuorare, Pharyngem mouere & in ipsa transglutitione hunc motum cohibere possumus, ergò voluntarius. Quod immota Pharynge possimus deglutire, innumeris helluonum exemplis probatur, quædam recitat Cardanus lib. 8. de varietate rerum, & Brasauolus comm. in Aphorism. Hipp. Præterea nulla fit deglutitio, si lædatur imaginatio, aut animalis facultas appetens, sic rei ingratæ difficilis est Deglutitio, quamuis organa libera sint. Accedit quod resolutis musculis Pharyngis plures derepentè perierunt, integris alijs facultatibus, vt testatur Thomas à Veiga com. in lib. Gal. de locis affect. ca. 3. quem affectum se vidisse testatur Zerbus in sua Anatome cap. de Gula. Huius morbi mentionem faciunt Halyabbas Theisir cap. 24. & Aetius lib. 6. cap. 33. Nonnulli hanc controuersiam sic componunt, vt deglutitio sit actio mixta ex naturali & animali, Naturalis quidem est, quia expulsione fit & attractione, quæ nutrici facultati famulantur, Attractio fit à villis rectis, expulsio à circularibus, Animalis etiam est, quia voluntariè à Musculis peragitur: qui Pharyngem dilatant vt cibos admittat, Constringunt ad eorum expulsionem, Ego verò contendo Deglutitionem esse actionem prorsus Animalem. Quorsum enim Pharynx musculos obtinuit? Cur ipse Oesophagus totus carnosus est, multiplici fibrarum genere contextus, nisi vt musculi naturam & officium subiret? Refert Gal. lib. 1. de motu Musc. cap. 3. & post eum Auicenas cap. de Gula, veteres medicos Oesophagum pro musculo accepisse, quia non tantum canalis & fistulæ, verùm etiam Musculi munere fungitur. Cæterũ Fauces siue Pharynx propriè dicitur spatium illud latius ore aperto conspicuum, quod inter Laryngem & gulam medium est inquit Galen. ad Aph. 54. lib. 4. & lib. 4. de locis affect. Eius varias acceptiones doctè explicat Gorrhæus in definit. Med. in dictione φάρυγξ. Hæc oris regio quia oblonga, & pro partium multitudine quas continet angustior est ἰσθμὸς Angiportus appellatur. Galen. ad Aph. 26. lib. 3. Isthmus autem nihil est aliud quàm arcta terra inter duo maria. Gal. quidē hoc libro Isthmum appellat totum oris spatium, Pharyngem verò corpus hunc locum ambiens, cuius duos constituit Musculos: Recentiores Quinque alios inuenerunt, ita vt sint Septē Musculi. Tres coniugati, & quartus sine pari, nimirum Oesophagæus, Primus oritur ab acuto quodam prope styloidem, & deorsum declinans ad faucium latera desinit, vt Pharyngem dilatet, Alter à superiore parte Apophysis Pterygoidis exortus, in tunicam Pharyngis diffunditur, eamque sursum attollit. Tertius prodit ab ea parte qua caput ceruici iungitur, & descendens, inseritur in hyoidis latera, & in primam Laryngis cartilaginem, Tyroidem, Munus istius est, fauces constringere, Eam actionem iuuat Oesophagæus, qui à lateribus Tyroidis enatus posticam Oesophagi partem cingit.

B C D E

DE

A

DE MVSCVLIS GVRGVLIONIS.

CAP. XXII.

BSVRDVM fortasse videbitur Gurgulionem exiguam adeò particulam musculos habere, An ad motum vel appensionem? Motu enim manifesto moueri non apparet, Solo aeris apulsu ventilatur. Quidni obscurè mouebitur? cum sit vocis plectrum, quam exquisite modulatur & articulat, Præcipuus Musculorum vsus est, eam particulam suspensam continere, quod munus car-
B nibus potius quam ligamentis commissum fuit, etenim Gargareon in humido loco situs continuo humorum affluxu alluitur, quibus imbutus vel relaxatur vel intumescit: At si ligamenta Gargareonem suspendissent semel relaxata difficillimè contrahi & amissum robur recuperare potuissent, si quidem partium neruosarum pristinus tonus nunquam restituitur: Obtinuit igitur duos musculos, quorum Alter oritur ab apice quodam ossis cuneiformis iuxta articulum maxillæ inferioris, & descendens per cauitatem Pterygoidis internæ alæ ipsiusque lateri appensus desinit in tendinem gracilem qui transit per rimam in suprema Pterygoidis sede exsculptam, Ibique reflexus ad latera Gurgulionis inseritur: Alter ab inferna parte eiusdem alæ internæ Pterygoidis eiectus in Gurgulionem inseritur. Præter istos musculos lateribus Gurgulionis accumbunt lata ligamenta quę ipsum
C Gargareonem ligant. Eorum meminit autor Anatomiæ viuorum, & barbaro nomine Galzamach appellat. Non ausim certo affirmare Galenum agnouisse musculos Gurgulionis, verumtamen locus exstat lib. 1. de locis aff. c. 6. Ex quo licet aliquid conijcere, quem interpres asterisco notauit, ac si de illius integritate dubitaret. Sic enim se habet, Incisis musculis qui epiglottida mouent animal penitus mutum euadit: quid si Gargareona reponerem? quia nullibi apud Galenum Epiglottis Laryngis operculum musculis mouetur: Notatur apud Hippocratem non tantum Gurgulionis relaxatio, Verum etiam contractio lib. 3. epid. sect. 3. Eurynactis filiæ ab initio morbi fauces dolebant, cum rubore, & Gurgulio retractus erat, musculorum conuulsione, vt interpretor.

D

DE MVSCVLIS COLLI.

CAP. XXIII.

OLLVM flexilibus & imbricatis constat ossibus ad mobilitatem faciliorem & securiorem, Mouetur extensione & flexione, extenditur à quatuor musculis, vtrimque duobus, Spinati à radicibus spinarum 7. superiorum thoracis, & 5. ceruicis exorti in spinam secundæ ceruicis vertebræ inseruntur. Transuersarii à transuersu processibus 6. thoracis vertebrarum enati, externe in omnes transuersos ceruicis processus abeunt. Flectunt Longi & Scaleni: Longi sub Oesophago siti, à corpore quintæ Thoracis
E vertebræ prodeunt, & ascendentes vniuersis vertebrarum corporibus annectunt, atque in anteriorem primæ vertebræ processum finiunt, Nonnunquam ad occiput vsque perueniunt. Scaleni à prima costa in omnes ceruicis apophyses transuersas fibris obliquis interne inseruntur, Perforantur, vt neruis, venis & arteriis in brachium distribuendis viam præbeant, Colli motus lateralis nullis peculiaribus musculis peragitur, sed ab altero flexore & extensore simul agentibus perficitur. Quod si omnes simul agant, ceruix firma, erecta & stabilis conseruatur, quemadmodum in tetano.

DE MVSCVLIS BRACHII A

CAP. XXIIII.

BRACHIVM mouetur sursum, deorsum, antrorsum, & retrorsum, eorumque motuum mutua vicissitudine in circulum agitur. Sursum mouent duo Musculi, Deltoides, Superspinatus, Deltoides oritur à clauicula media, acromio, & tota scapulæ spina, inseritur in brachium longiùs à ceruice. Superspinatus à cauitate suprà scapulæ spinam exurgit, & sub acromio delatus, in brachij ceruicem inseritur, quam lato tendine cingit: Deorsùm mouent latissimus, & rotundus maior, Latissimus oritur à spinis B ossis Sacrolumborum & nouem metaphreni, & angulum inferiorem scapulæ prætereuectus, in brachij partem infernam inseritur non longè à capite. Huc venit adiutor Rotundus maior, à tota ima costa Omoplatæ nascitur, & in brachium desinit, paulo infra ceruicem. Antrorsum trahunt duo pectoralis, & Coracoideus. Pectoralis educitur lato principio à claui plusquam dimidia, sterno prope toto, & costis 6. 7. & 8. veris, & acuto tendine in brachium inseritur, inter Deltoidem & Bicipitem. Galenus hunc musculum geminum facit, propter diuersos exortus & fibras, quæ contraria setie productæ in modum chyasmi sese intersecant. Coracoidæus prodit à Coracoide apophysi: & in medium ferè brachium cessat, Retrorsum mouent tres Musculi Infraspinatus, Rotundus minor, & Immersus. Infraspinatus inter rotundum minorem & spinam medius desinit in brachij ceruicem, quam obuoluit. Rotundus minor ab eo sinu incipit, qui sub Omoplatæ ima C costa cernitur, & in brachij ceruicem producitur. Immersus siue Subscapularis imam partem scapulæ occupat, & in brachij ceruicem lato tendone desinit. Postremi tres Musculi simul agentes brachium circumagunt, in eo motu qui διπλασιασμὸς dicitur: quando Brachium infernè sursum ad exteriota celeritet obliquatur, ità vt gemmatus motus appareat.

DE MVSCVLIS CVBITIS & radij.

CAP. XXV. D

CVBITVS duobus constat ossibus quæ vt variis connectuntur articulationibus, ita diuersos regunt motus. Cubitus enim flexioni & extensioni præest: Radius pronationem & Supinationem facit. Flectunt cubitum duo Musculi in parte brachij interna siti, Biceps & Brachiæus internus, Biceps gemino oritur principio, vno ex ora cauitatis Glenoidis per Brachij fissuram delato, altero à Coracoide Apophysi, quæ deinde vnita vnicum tendonem efformant, qui in radium internum inseritur: qua parte eminet, Brachiæus internus bicipiti subiectus, ab osse brachij, cui firmius adæret eductus, desinit inter radium & cubitum, qua parte colligantur ambo. Extendunt 4. Musculi Longus, Breuis, Brachiæus, externus, & Angonæus, Longus oritur à costa E inferna Omoplatæ propè ceruicem vbi peculiarem sinum obtinet, & terminatur in Olecranum, Breuis natus à ceruice postica brachij, in olecranum quoque cessat: Gal. lib. 3. ad. Anat. cap. vlt. pro tertio Musculo molem carneam recenset, quæ cum aliis confunditur, & in eandem partem inseritur, Brachiæum externum appello, quia brachio externo incubat: Ibidem monet Galenus vnicuique licere pro fibrarum rectitudine tres istos musculos accuratè separare. Quartus est Angonæus, quia situs in posterioris cubiti flexura, quæ ἀγκὼν dicitur, & respondet Popliteo, Oritur ab inferiore & postica brachij parte, & neruoso tendine inseritut lateraliter in cubitum paulò infra olecranum. Pronant radium duo Musculi interiores quorum alter inferior, Alter Superior Pronator dicitur. Superior Rotundus

A tundus prodit ab interna brachij Apophysi & obliquè in radium prope medium tendine membranoso desinit, Inferior Quadratus ab ima parte cubiti ascendit in radium imum eique carnosus totus inseritur. Supinant radium totidem Musculi exteriores, longus à brachio supra tuberculum exterius enascitur, & per radium protensus imæ eius Epiphisi carnosus inseritur. Breuis ab externo brachij processu radium ferè medium attingit.

DE MVSCVLIS CARPI.

CAP. XXVI.

B CARPVS flectitur & extenditur: flectunt carpum duo Musculi interiores. Quorum alter Cubitæus, Alter Radiæus dici potest. Cubitæus internus oritur ab interna Apophysi brachij, & cubito attensus ad os 4. carpi primi ordinis producitur. Radiæus internus ab eodem processu brachij interno educitur, & per radium exporrectus in os metacarpij indicem sustinens inseritur. Extendunt carpum duo Musculi externi qui similem viam tenent ac interni: vnde & iisdem nominibus designantur: Radiæus externus siue Bicornis ab acie ossea quæ in humero est supra tuberculum exterius emergit, & radio innixus tendonem duplicē emittit, quorum alter in metacarpij os indici præfectum, Alter in vicinum os metacarpij inseritur: Nonnulli hunc musculum geminum constituunt, quia in origine & insertione omnino distinctus apparet. C Cubitæus externus ab externa Apophysi brachij ortus & per cubitum delatus, in os quartum metacarpii tendonem suum immittit. In volâ duo Musculi obseruantur, Palmaris ab interna brachij Apophysi enatus, & interioribus Musculis superstratus, in volam atque etiam digitos expanditur: & licet cuti tenacissimè adhæreat ad tactus subtilitatem, & apprehensionis firmitatem, tamen exactè separari potest. Columbus in suspensis furibus magni nominis palmarem non inuenit: licet tendo adesset à transuerso brachialis ligamento productus, Vesalius & Fallopius palmarem interdum geminum obseruarunt, vtrumque ab eodem loco enatum: quorum vnus in chordam latam desinebat, Alter in ligamentum carpi transuersum inserebatur. Galenus lib. 1. Adm. Anat. cap. 5. reprehendit Veteres Anatomicos, qui digitos trahi & inflecti putabant à Palmari musculo propter tendinem in volam & D externos digitos expansum. Quia, inquit Galenus, musculus in os debet inseri, malè igitur asserunt digitos ab ipso tendine flecti nusquam ossi inserto. Sed Anatome docet tendinem Palmaris Musculi primis digitorum internodiis adnasci, propterea manus flexioni nonnihil opitulatur, si desit locum illius obtinet portio quædam à tendonibus musculorum brachialis nonnunquam à transuerso ligamento producta. In vola alium musculum gracilem Fallopius deprehendit qui ab extrema parte tunicæ musculi lunæ montem constituentis oritur, duorum aut trium diuisura, qui fibris transuersis ad latum tendinem ascendunt, vt in magnis volæ contractionibus lunæ montem ad manum contrahant.

E DE MVSCVLIS DIGITORVM *Manus.*

CAP. XXVII.

PHALANX digitorum Flectitur, & Extenditur, Flectunt digitos duo musculi Sublimis, & Profundus: Sublimis ab interno processu brachij oritur & circa brachiale 4. tendones producit qui secundo digitorum articulo terminantur, & perforantur, vt viam præbeant tendonibus profundi, qui à partibus superioribus cubiti & radij paulò infra articulum emergit & quadripartitus fertur in 4. digitorum primum internodium, & ad tertium porrigitur per foramina tendonum sublimis. Extensor digitorum vnicus est, pro-

dit ab extremo brachij tuberculo, & iuxta carpum finditur in quatuor tendones, A
qui in tres articulos singulorum digitorum desinunt. Præterea digiti mouentur ad latera, quod vulgo adduci & abduci nominant, adductio est cùm ad pollicem trahuntur, abductio cum ab eo recedunt, qui motus fiunt per arthrodiam primæ phalangis cum osse metacarpij; Reliquæ enim Phalanges iunguntur per Ginglymum, quo sola flexio & extensio perficitur. Itaque musculi qui lateraliter mouent digitos, in primam phalangem necessario debent inseri, eiusmodi sunt sex interossei, tres externi, totidem interni, orti à supernis partibus interualli ossium metacarpij iuxta carpum. In singulis spatiis duo sunt musculi, vt ad vtrumque latus mouerentur digiti, & ij quidem extensi. Interni in palma manus siti digitos adducunt, externi in volla collocati abducunt, Flexi autem digiti inuicem abducuntur lumbricorum 4. Musculorum beneficio, qui ex tendonibus profundi oriuntur, & in primam digitorum phalangem inseruntur. Quamquam Galeno placeat, B
motum lateralem digitorum fieri à solis musculis interosseis; Flexos enim digitos vult comprimi propter rectos angulos Sublimis & Profundi. Fallopius in obseruationibus & Institut. Anat. contendit Lumbricales & Interosseos musculos extensioni digitorum inseruire, Obliquis motibus per accidens tantum conferre, Quamuis eorum tendines in transitu ligamentis primæ articulationis adhæreant: Cùm enim Lumbricales & interossei circà primum articulum coierunt, vnicum tendonem efformant, qui lateraliter fertur vsque ad tertiam articulationem, circa quam parte exteriore ambo concurrunt, Vndè inciso digitum tensore, eius defectum supplent isti Musculi.

Cæterum musculorum interosseorum insertio non fuit exactè ab Anatomicis C
explicata; hanc prout sæpius inspexi lubenter exponam. Primus interosseus internus primo ossi indicis digiti internè inseritur: Secundus ex secundo ossium metacarpij interuallo eductus, digito annulari internè affigitur cum tertio vermiculari, qua parte medium digitum respicit, ambo tendonem vnicum efformantes. Tertius ex tertio interuallo metacarpij emergens, digito minimo internè adhæret, cum tertio vermiculari vnicum tendonem constituens. Ex interosseis externis duo primi, ex primo & secundo spatio ossium metaparpij prodeuntes, digito medio lateraliter inseruntur, vt illum extendant. Tertius ex tertio spatio enatus, digito annulari adhæret, quà parte articularem spectat. Itaque notabis interosseos internos tribus tantum digitis indici, annulari, & minimo distribui: solumque medium digitum carere tali musculo. At ex interosseis externis duos digitum medium habere, vnicum verò annularem, quibus musculis index & articularis destituuntur, sed eorum loco duos obseruabis musculos primo & quarto ossi metacarpij extrinsecus superstratos, quorum alter Hypothenar, proprius est parui digiti; oritur ab osse tertio & quarto secundi ordinis carpi, & in phalanges eiusdē digiti inseritur, vt eum abducat ad latus externum. Alter verò indici conuenit, & prodit ab externo cubito, prope digitum tensorem, & inseritur in partem internam primæ phalangis indicis digiti, vt eum obliquando ad medium digitum deducat, quo motu ferè vtimur indicandi causa. Vnde musculus indicator, vel obliquator indicis potest appellari. D

DE MVSCVLIS POLLICIS.

CAP. XXVIII. E

POLLEX suos peculiares habet motus. Flectitur enim, extenditur, & ad latus mouetur. Extendunt Pollicem duo musculi laterales, vnus ab externo cubito natus, radium ascendit carpumque prætereuectus in pollicem externum duplici tendone inseritur. Alter ab eodem tuberculo sed inferiore ortus in tertium articulum pollicis desinit. Flectitur Pollex ab vno musculo qui ab interna parte cubiti eiectus, ad primum internodium Pollicis internè defertur. Mouetur ad latus à duobus musculis, Tenar oritur à brachiali interno & in secundam pollicis phalangem inseritur. Alter Antitenar ad latus externum

A externum pollicem trahit, Nascitur à superiore parte priorum ossium metacarpii & in secundam pollicis phalangem desinit.

DE MVSCVLIS THORACIS.

CAP. XXIX.

RESPIRATIO libera est aut violenta, liberam appello, quæ placido spirandi vsu ferè insensilis est. Violentam in qua motus Thoracis aspectabilis est: vtraq́ duabus constat partibus. Libera respiratio inspiratione, & expiratione, Violenta efflatione & magna inspiratione,
B Græci σφόδρας εισπνοὴν vocant, Quæ cum sint voluntariæ & omnino inter se dissimiles diuersos musculos obtinuerunt. Liberæ enim Respirationis instrumentum censetur Diaphragma, Violentæ autores sunt intercostales musculi, cum aliis thoraci incumbentibus. Quorum ope Thorax in magna inspiratione dilatatur omnibus costis sursum adductis, In efflatione contrahitur iisdem deorsum ttactis. Dilatant Thoracem Subclanius, ex clauicula interna & antica carnosè exortus, in primam costam inseritur. Serratus maior ab intetna omoplatæ basi ad octo superiores costas, modo nouem pertinet. Serrati duo Postici, quorum Supernus sub Rhomboide situs à spinis inferioribus trium vertebrarum colli & prima thoracis enascitur principio neruoso, & membraneo, atque in tres costas superiores interdum quartam desinit. Seratus posticus inferior à spinis duarum vertebra-
C rum extremarum thoracis & prima lumborum in tres quatuorue costas infernas terminatur. Fallopius addit Scalenum quem multifariam secat, Nos cum aliis Anatomicis colli musculis adscripsimus: Intercostales vndecim exterrni, vnius musculi locum tenent, qui à costæ superioris inferno latere in latus supernum inferioris costæ obliquè antrorsum feruntur. Contrahunt thoracem Triangularis, à sterno imo enatus, in costarum superiorum cartilagines inseritur vsque ad secundam costam quam non transcendit. Sacrolumbus ab osse sacro & spinis lumborum otitur, & ferè in superiores costas definit propè earum radicem, singulis costis singulos tendines tribuens. Intercostales interni costarum spatia implentes, ab inferna costa ad supernam obliquè ducuntur: fibras habent externis contrarias decussatim intersectas. Nulli sunt intercartilaginei quos primus Auicennas proposuit,
D Vesalius, & Columbus admiserunt. Fefellit eos intercostalis interni longior productio, sterni cartilaginibus interiecta, & superstratus musculus Triangularis. Quantò enim extetnus intercostalis longius oritur nimirum à processu transuersæ vertebræ, tantò citius terminatur in pectore, quà costa sterno iungitur: Et vice versa quanto internus intercostalis breuius incipit à flexura costæ, tanto longiùs per spatia cartilaginum sterni producitur.

Omnes ferè Anatomici cum Fallopio & Vesalio intercostales tã externos quam internos ex vertebris educunt. Paræus quidẽ intercostalẽ externũ ab ea parte oriri consentit, sed internum à sterno producit & vtrumque Musculum ab inferno latere costæ superioris in latus supernum infernæ costæ inseri contendit: quia neruus in caput non caudam Musculi inseritur. At neruus, costæ latus infernum perre-
E ptat, quare ab ea parte vtrumque musculum oriri necessum est. Vesalius omnes intercostales Thoracem constringere & coarctare opinatur, quem refellit Columbus, & deceptum fuisse Vesalium ostendit ex prima costa quam immobilem esse credidit. Fatetur tamen Columbus vim constringendi thoracem fortem & validam esse debere.

DE DIAPRAGMATE.

CAP. XXX.

DIAPHRAGMA liberæ respirationis instrumentum : musculus est partes naturales à vitalibus separans, vnde nomen apud Græcos habet ἀπὸ τοῦ διαφράττειν quod est secernere, Latinè dicitur septum transuersum ab obliquo situ, antè enim xyphoidi alligatur circunducitur-que per notharum costarum extrema, atque obliquè ad duodecimam dorsi vertebram per duas aponeuroses contorquetur. De eius origine & insertione atque etiam motu inter Anatom. non conuenit, Galenus in exortu diaphragmatis varius est & incertus, modo in xiphoide caput constituit, modo ab ambitu costarum oriri scribit lib. 8. anat. ad. c. 1. & eiusdem operis lib. 5. cap. 5. centrum diaphragmatis nerueum tendonem appellat, quod etiam repetit c. 8. eiusdem lib. At lib. 7. de vsu part. c. 14. centrum diaphragmatis caput nominat, suamque opinionem hac ratione confirmat. Omnibus musculis neruus in ipsum caput insigitur aut paulò infrà caput, nunquam ad finem, alioqui principium esset non finis: qui verò nerui in medium musculi inseruntur (vt in diaphragmate,) inde per totum musculum disseminati fibras omnes versus medium protrahunt, eam musculi partem, Caput efficiunt. Huic postremæ opinioni subscribit Syluius, quemadmodum priori fauent Fallop. Fernelius, Columbus & Picolomineus. B

De motu diaphragmatis non minor est controuersia, cum quæritur quanam respirationis parte diaphragma contrahitur, Viris doctis Aruntio & Laurentio placet in expiratione quia mortuo animali sursum contractum perpetuò cernitur. At vita cessat expiratione, sed quam illi putant contractionem relaxatio est. Ea enim est naturalis figura diaphragmatis, vt in abdomine concauum appareat, in thorace conuexum, & in ea figura conseruatur à mediastino, cui diaphragma connectitur: At dum in inspiratione contrahitur, ad rectam figuram accedit & angustius redditur, fibris ad centrum retractis & collectis, quibus in expiratione relaxatis explicatur, & ad naturalem figuram redit, Ergo contrahitur diaphragma in inspiratione. Quòd licet in viuis canibus dissectis contemplari. C

DE MVSCVLIS LVMBORVM. D

CAP. XXXI.

DORSVM non mouetur ob costas & musculorum penuriam, sed inter ceruicem & lumbos tanquam medium immotum manet dum extrema mouentur. Motus autem fit in vltima thoracis vertebra omnino libera, quæ vndique excipitur & non excipit, & quia Lumbis contigua, motus iste Lumbis potiùs quàm dorso adiudicatur. Lumbi autem Flectuntur, Extenduntur & ad latera ducuntur à sex musculis, vtrimque tribus, adeo implexis, vt inseparabiles videantur : Ideò Galenus vel tot paria quot sunt vertebræ, vel vnum tantum par musculorum tendines vertebris omnibus tribuens statuendum esse putat: Flectunt duo musculi Quadrati à cauitate superna ossis ilium & sacri prodeuntes, & transuersis lumborum apophysibus atque infimæ costæ carnosi inseruntur. Notandum hanc flexionem non esse angularem vt in artubus, sed circularem metu compressionis spinalis medullæ, eamque antrorsum fieri, quia si retrorsum spina inclinaretur, vena caua & arteria magna vertebrarum corporibus incubantes periclitarentur. Extendunt quatuor, Sacri duo acuto principio à posteriore parte ossis sacri exorti & spinis Lumborum adnexi in spinam duodecimæ thoracis vertebræ terminantur. Semispinati duo à spina 12. thoracis vertebræ enati, spinis vertebrarum thoracis adhærent & primã dorsi vertebram finiunt. Dum quatuor isti musculi simul agunt spinam erectam tenent, illis autem E

agentibus

A agentibus qui ex alterutra sunt parte ad latus contorquetur. Obseruat Galenus in iis musculis fibras obliquas vt singuli spondyli peculiarem motum habeant, quo carerent si fibræ rectâ protenderentur. c. 12. lib. 12. de vsu part.

DE MVSCVLIS ABDOMINIS.

CAP. XXXII.

Abdominis octo numerantur musculi, vtrimque quatuor à situ & fibrarum textura denominati. Primus occurrit Obliquus Descendens, qui ex serrati magni contractu, cui pectinatim implicitus adhæret, seu ex spatiis inter costas sex inferiores, in os pubis & ilium inseritur, & lata aponeurosi in medium abdominis desinit ad lineam B candidam. Quæ componitur ex tendinibus musculorum, & à xyphoide cartilagine ad commissuram ossium pubis rectâ protenditur: sequitur Obliquus Ascendens, ab ossis ilium costa & transuersis lumborum processibus enascitur, in costas quatuor inferiores easque nothas inseritur, & simplici tendine rectum prætervectus, in lineam albam cessat. Columbus & alij Anat. existimarunt, duplicem tendinem emittere, supra & infra musculum rectum amplexantem. Sed eos decepit coalitus huius aponeurosis cum altera musculi Transuersi, fibras obtinet superioribus oppositas & decussatim intersectas. Rectus ab osse antico pubis in latus cartilaginis xyphoidis implantatur, tres, rarius quatuor neruosas & transuersas intersectiones accipit, duas supra vmbilicum, alteram infra, quas omnes nerui ab extremis thoracis vertebris prodeuntes efformant, ad robur, sicut videmus C in calamis qui quo pluribus geniculis abundant, eo difficilius rumpuntur. Notabis per internam musculi partem venarum duarum epigastricæ & mammariæ internæ propagines per anastomosim concurrere, vnde illa ἀδελφεία germanitas vteri cum mammis, quam viri docti reiiciunt, quia Mammaria capillari tantùm & ferè insensili surculo mammas attingit, & epigastrica ad vterum non fertur, ergo vasa hæc nutritionis solius gratia comparata sunt, quandoquidem etiam in viris reperiuntur. Transuersus musculus ex transuersis lumborum processibus exurgit & lineâ candida terminatur, in os ilium & pubis, atque notharum costarum fines inseritur. Ita Peritonæo contumaciter adhæret vt illum vix illacerum separes: Ideo Oribasius lib. de dissect. muscul. cap. 48. scribit nonnullos extitisse qui ex D isto musculo corpus peritonæi conflari crederent. Inferioribus rectorum partibus superiacent, in viro & muliere, duo parui Musculi Pyramidales, plerumque inæquales, ab osse pubis enati: interdum vnus adest, tam latus vt duos æquare possit. Sed duos semper inuenit Fallopius interdum ita connatos, vt vnicus videretur sua latitudine duobus æqualis: Ab his vesicam comprimi putant quæ probabilior mihi videtur sententia, nam si expulsioni vrinæ inseruirent, quam dicunt accelerare vesicam comprimendo, quia suos tendones intra musculos rectos huic parti peritonæi affigunt, quæ vesicam includit, itaut illius fundum contingentes vesicam contrahant: quandocunque desunt vitium esset in conformatione & actione vesicæ. Atqui natura nunquam in rebus necessariis deficit aut abundat. Hæc est Galeni doctrina de musculis abdominis ab omnibus recepta, quam viri E docti Columbus & Laurentius labefactare tentarunt: introducta noua musculorum explicatione. Imprimis statuunt musculorum originem firmam & stabilem esse debere, insertionem mobilem. Atqui costæ sunt mobiles. Cum enim musculi abdominis interiora æqualiter comprimant, nô minus vrinæ quam fęcum excretio ab his promouetur, Propterea ne dum vrinam reddimus simul & excremēta inuoluntariè prodirent, Natura Pyramidales musculos huic officio destinauit, qui non sunt partes rectorum quia in mictione, compressa vesica respiratio nullo modo impeditur, quod accideret si essent rectorum partes: Vesalius & Arantius roborandis rectorum tendonibus adiectos esse putāt quia si desint, eorū locū caro vel adeps occupat. Proinde omnes musculos ascendentes faciunt & ab ossibus pubis & ilium in costas producunt ac si primario exspirationi destinati essent, quam tantùm per accidens adiuuant auctore Gal. lib. 6. Ad. Anat. c. vlt. Pro sua defensione

Scribit Galenus rectā parte vesicæ contermimā mingedi actioni conducere lib. de dissect. musc.

responderet Galenus se originem Musculis assignasse, pro ratione actionum quibus præficiuntur, quia enim Musculus dum agit versus suum principium retrahitur, & ascendens quodammodo sursum propellit, ideo oppositum & retinentem musculum habere debuit, qui pari contentione deorsum impelleret, quemadmodum transuerso rectus opponitur: quod luculenter demonstrat Gal. lib. 7. de vsu part. vbi situm musculorum abdominis admiratur, à quibus tanquam manibus implexis interiora compelli scribit: rectos enim musculos transuersis, obliquos vero inter se secundum angulum rectum eo modo natura composuit: quo nos ipsi cum premere aliquid fortiter volumus atque repellere, alteram manum situ contrario alteri iniicimus. Transuersum intus collocauit, vt validius comprimeret. Nam fasciæ transuersæ fortius premunt quàm obliquæ. Cum igitur præcipuus musculorum ab dominis vsus sit, ventrem comprimere ad fœcum excretionem (vnde resolutis istis musculis primæ coctionis excrementa subsistunt, nec dimittit aluus nisi acrioribus clysteribus sollicitata, vt in quibusdam obseruaui) quosdam à partibus supernis, alios ab infernis oriri oportuit: vt venter æqualiter comprimeretur. Accedit quod obliqui descendentis singulæ digitationes, neruos accipiunt à costali. At solent Anatomici ibi musculi caput assignare, vbi neruus inseritur. Ergo musculi obliqui descendentis principium à parte superiore repetendum. Quamuis eiusmodi rationes pro Galeni defensione sufficiant: Altera adhuc ratione magis confirmabitur. Ipse plerumque musculorum origines & insertiones omittit, vel non exactè proponit, quia interdum illic musculi principium constituit, vbi sectionem aggreditur, vt cum Mastoidæum musculum à mastoide apophysi educit, qui tamen ipsiusmet Galeni sententia flectendo capiti dicatus est, sed huius rei rationem reddit. Præstiterat forsan extrema horum musculorum ad claniculam exporrecta principium nominare, in caput antem edita fines, siquidem illud reuera mouent: verum ab administrationis ordine exortus ipsorum fines appelaui, veterum Anatomicorum more, insertiones verò exortus. Nam Hippocrates lib. 2. de articul. tempotalem & masseterem à maxilla oriri tradit, non tamen in ore desinunt. Itaque Galenus obliquum externum à costris deriuat, quia illic sectionem incipit, vt nos hodie solemus, & quia musculum rectum ab ea parte secat & detegit, inde etiam oriri affirmat.

Porro si quem opinionum nouitas delectat, nonam adhuc de musculis abdominis opinionem suis rationibus stabilitam proferam. Omnes scilicet epigastrij musculos præter rectos à transuersis lumborum apophysibus enasci, & in lineam albam inseri, ossibus pubis & ilium, atque costis inferioribus firmari. Cum enim origo & principium musculi petatur ab insertione nerui, omnes autem musculi exceptis rectis, neruos à lumbaribus accipiant, non est dubium eos ab ea parte ortum ducere. Præterea omnis musculi insertio semper origini opponitur, vt finis principio. Sed musculi epigastrij medio ventri implantantur, ab extremis igitur partibus oppositis nimirum lumbis oriri fatendum est: Nam cum æquali abdominis compressioni inseruiant facilius & commodius ventrem inferiorem æqualiter comprimentversus suum principium collecti, & adiuti diaphragmate, quod deorsum expellit, Sed potius veteri doctrinæ standum memores huius præcepti. Cum aliquid à viris doctis scriptum inuenitur, quod non multum ab optima doctrina degenerat, præstat priore vti, ne auditores turbemus, & in opinionum confusionem adducamus, inquit Gal. cap. 4. lib. 1. Ad. Anat.

DE MVSCVLIS TESTICVLORVM.

CAP. XXXIII.

Testes suspendunt duo musculi ab officio κρεμαστῆρες dicti, ab iisin coitu testes sursum retrahuntur, vt vasa relaxata commodius semen transmitterent, quod distenta & constricta pondere testium, difficilius excernerent propter meatuum angustias. Oriuntur ab ossis ilium regione prope finem transuersorum musculorum abdominis & intra

A & intra peritonæi productionem vna cum vasis spermaticis ad testes feruntur. Sed quia plerumque gemino principio exurgunt ab ossibus pubis & ilium, idcirco Galenus vtrinque duos constituit.

DE MVSCVLO VESICÆ.

CAP. XXXIIII.

NE vrina in vesica coaceruata inuoluntariè prodiret, eius ceruicem musculus exactè claudit, qui substantiæ vesicæ adeo confusus est, vt ab ea nisi crassitie discerni nequeat, Sed leui vesicæ elixatione facile
B deprehendi notauit Fallop. pluribus fibris transuersis abundar, quarum ope contractus exitum intercludit.

DE MVSCVLIS PENIS ET *clitoridis in mulieribus.*

CAP. XXXV.

PENIS quatuor habet musculos, vtrinque binos, quos ab actione sic distinguo. Erectores à tubere Ischij enati, in ligamenta penis desinunt, vt penem in congressu erigant. Dilatan-
C tes ab ani sphinctere emergunt, & vrethræ attensi eam dilatant, vt recta fiat seminis eiaculatio in sinum vteri. Accelerant quoque seminis excretionem, superstratas vesiculas comprimentes, Argumento sunt Epileptici, in quibus ex conuulsione contractis musculis, inuoluntaria sequitur seminis effusio. Clitoris in mulieribus penem virilem repræsentat, propterea pares musculos obtinuit eidem officio inseruientes, Duo superiores rotundi lateralibus ligamentis insident, & ab eodem loco prodeuntes clitoridem erigunt. Alij duo inferiores lati & plani à sphinctere manant, clitoridem dilatantes, vt in coitu ad eam partem libidinis & voluptatis sedem, copiosor spiritus afflueret.

D

DE MVSCVLIS ANI.

CAP. XXXVI.

ANI seu podicis quatuor sunt musculi, Sphincteres duo, & Leuatores totidem. Sphincterum alter carnosior est ab inferioribus ossis sacri vertebris enatus, & instar orbicularis annuli extremo intestino implicatus, anum ita occludit vt excrementis nullus pateat exitus, Alter Cutaneus est, & nihil aliud esse videtur quam cutis indurata carnosis villis intertexta, Leuatores duo anum delapsum reuocant, ex lateribus internis ossis pubis
E oriuntur, inde ad suum quisque latus deorsum prorensi rectum intestinum amplexantur: Nulli sunt aperientes musculi, quia vi & impetu excretricis anus reseratur: difficile non est assequi, quomodo ani musculi iuuent prostatas in emissione seminis, vt tradit Carpus, cuius rei hoc signum profert, quod sint aliqui simul coeuntes & egerentes quia musculi dilatantes ab ani sphinctere incipiunt: tale symptoma senibus familiare, scribit etiti Alex. Benedictus, resoluto ani Musculo, ex naturali huius loci imbecilitate, vel frigida pituita reserante, vis enim illa omnis ad genitalia in venere transmittitur subducto à sede spiritu.

DE MVSCVLIS FEMORIS.

CAP. XXXVII.

Flectitur crus ad inguẽ cũ ipsum attollimus, extẽditur cũ ad terram deprimimus. Gal. lib. 16. de vsu part. ca. vltimo.

FEMVR mouetur antrorsum, quod vulgo dicitur Flecti, vel retrorsum, tumque Extendi, & ad latus externum vel internum contorquetur: Flectitur à tribus musculis, quorum alter Lumbaris, alter Iliacus dicitur. Lumbaris in abdomine eductus ab infernarum thoracis vertebrarum transuersis Apophysibus in paruum trochanterem inseritur. Iliacus ab interna cauitate ossis Ilium emergit, & tendone suo iunctus cum lumbari, in trochanterem paruum definit. Tertius Pectinæus manat à superiore parte ossis pubis & in medium crus internè inseritur. Musculus est separatus quem alij ad Tricipitem referunt: hunc motum adiuuant, inquit Syluius, Musculi in crure antico tibiam tendentes, orti ab osse pubis, Ilium, Ischij & obiter in crus portione quadam sui inserti, inde fit vt nequeas extendere poplitis commissuram nisi simul extendas eam quæ ad inguen est, præterquam vbi pedem admodum attollis ex Hippocrate sect. 3. de articulis. Extenditur idem femur à tribus musculis qui nates constituunt, Ideo Gloutij natium autores appellantur, quorum maximus & extimus ab osse Sacro, coccige superna, Ilium costa plusquam dimidia enatus, inseritur duobus digitis infra trochanterem magnum, vbi eminentia quædam ossis apparet, Secundus & medius ortus ab exteriore parte ossis Ilium in trochanterem magnum & externum inseritur. Tertius intimus & extimus à facie Ilium ossis externa sed inferna magis, in verticem siue summam partem magni trochanteris desinit. Addunt Columb. Vesalius, & Fallopius Iliacum externum, qui à tribus vertebris ossis sacri eductus in femoris caput posterius inseritur, seruitque cruri extendendo; Hunc puto esse portionem maioris Gloutij. Ducit ad latus internum Triceps Musculus, qui tres habet origines distinctas, totidem insertiones: Vnum caput oritur à parte Superna ossium pubis, Alterum ab inferiore parte eiusdem ossis, Tertium à tubere Ischii, inseruntur in lineam femoris posticam. Ducunt ad latus externum Quadrigemini, & Obturatores duo, Oritur summus quadrigeminus ab imo osse sacro & interno. Secundus ab acetabulo ossis Ischij, Tertius ab interna parte tuberculi quod in Ischio est, quartus ab eodem tubere sed externo, & inseritur in radicem magni rotatoris: Tres superiores quadrigemini inseruntur in trochanteris magni cauitatem. Obturatorum alter externus est, Alter internus. Externus nascitur à circunferentia foraminis quod in pube est, ac per eum sinum qui est inter tuber Ischij & acetabulum prouehitur, vt inseratur in cauum rotatoris magni. Internus obturator ab eiusdem foraminis circunferentia, sed interna exurgit, & per eundem sinum ad magni trochanteris corpus fertur.

DE MVSCVLIS TIBIÆ.

CAP. XXXVIII.

TIBIA iungitur cum femore per Ginglymum, propterea tantum mouetur flectendo, & extendendo. Sed quia laxa est hæc articulatio, permittit etiam ad latera tibiam deducere. Flectitur à quatuor Musculis qui Postici dicuntur Syluio, tres à tubere Ischij oriuntur, quorum duo sunt interiores, quod in interiorem tibiæ partem inserantur. Horum alter Semineruosus appellatur, & in posteriorem ac interiorem Tibiam desinit; Alter Semimembranosus ab eodem tubere Ischij principio carnoso exit, latiore tendine ad internam tibiam & posticam producitur. Exterior ab eodem tubere Ischij prodit, & per eandem femoris partem delatus, circa medium femur carneam molem assumit, vt Biceps esse videatur, & sic à nonnullis appellatur,

A vnico tendine in externam tibiam inseritur. Quartus posticus vulgò gracilis internus oritur à linea quæ ossium Ischij & pubis coalitum designat, & per internam femoris partem descendens in anticam tibiam inseritur. Poplitæus ad flectentes referendus est, is enim latitans sub gastroc nimio, & plantari, à femoris externo tuberculo in tibiam inseritur superiorem. Extendunt tibiam quatuor musculi. Rectus Gracilis ab inferna spina ossis Ilium in molam desinit. Vasti duo gracili adiacent, quorum alter externus à radice trochanteris magni emergit, & in patellam cessat; Alter internus à trochantere paruo oritur & in eandem patellam incidit. Crureus recto gracili subiectus ab osse femoris antico oritur inter trochanteras, totique cruri adhærens producit duos tendones, vnum in epigonatim, alterum in tibiam posticam iuxta poplitem. Hi quatuor Musculi vnicum tendonem constituunt, quo patella obuoluitur: Adducit tibiam Longus, à spina superna &
B interna ossis Ilium oritur, & per interiora femoris delapsus in tibiã internam desinit. Membranosus ab eadem spina superna Iliũ, sed externa eductus, in tibiam posticam & externam fertur, dicitur Fascia Lata, qua omnes femoris musculos inuestit, & ad extremum vsq; pedem excurrit, si aliquo acri humore pungatur dolores affert acerbissimos, aut sensum lassitudinis.

DE MVSCVLIS PEDIS.

CAP. XXXIX.

C PES flectitur cum mouetur antrorsum, extenditur cum retrorsum agitur, Flectunt duo musculi antici Peronæus & Tibiæus. Peronæus anticus oritur à media parte Perones, & per fissuram malleoli externi deuectus inseritur in os pedij maximum. Tibiæus anticus à tibiæ superna Epiphysi propè fibulam ottus, toti tibiæ adhærens circa medium os abit in tendonem qui sub ligamento in duos tendones scinditur, Quorum alter in os primum innominatum inseritur, Alter ad os pedii maximum protenditur. Extenditur Pes à musculis posticis, primi sunt Extimi Gemelli quorum vnus internus, Alter externus est: Internus ab interno femoris condylo oritur: Externus ab externo, tandemque in vnum ventrem coalescunt, qui valido tendine in calcem poste-
D riorem profertur. Plantaris gemellis subiectus oritur ab externo condylo femoris, gracili & oblongo tendine calce terminatur, & si credimus Galeno per plantam pedis diffunditur, Solæus latus musculus à tibia superna originem sumit, vel à tibia & perones commissura, & tendone mixto cum gemellis inseritur in calcem posticam. Ex Gemellis & Soleo communis iste tendo constituitur qui magnam cum partibus principibus societatem habet. Vnde contusus febres continuas & acutissimas mouet, singultus excitat, mentem perturbat tandemque mortem accersit. Tibiæus Posticus pedem quoque extendit, oritur à superna tibia, & toti tibiæ affixus per interni malleoli scissuram duos producit tendones; Quorum alter Scaphoide osse terminatur, Alter ad pollicem protenditur, Addunt Peronæum Posticum qui à superna epiphysi perones proficiscitur, & per fissuram malleoli exter-
E ni cum antico delatus, in os pedij minimum inseritur.

Digiti pedum proprios habent musculos ad flexionem, & extensionem, Motumque lateralem comparatos: Extenduntur à Longo, & Breui, Longus siue Digitumtensor, oritur ab antica tibiâ & externâ, & annulare ligamentum prætereuectus, in quinque digitorum superiores articulos abit: Breuis siue Pediæus a pterna astragalique vicini parte externa & superna emergit, & substratus superiori, suis tendonibus inseritur in omnes primi internodij articulos.

Flectuntur a duobus, Sublimi & Profundo: Sublimis siue Magnus Digitumflexor, nascitur a media perone, & super astragali & pternæ fissuram delatus, quatuor tendones educit, qui ad tertium articulum 4. digitorum progrediuntur, per foramina tendonum profundi musculi. Profundus digitumflexor oritur ab interna & inferiore parte calcis, inserendus in quatuor digitorum secundũ articulum.

Pollicis flexor carnosus prodit à fibula, & sub malleolo & planta pedis progrediens in os pollicis inseritur, Extensor Pollicis à media fibula in totum pollicem A parte superiore inseritur. Interdum huius tendo dirimitur, quorum alter in vltimum pollicis articulum, alter in os pedii pollicis substratum desinit, isque in quibusdam distinctus videtur. Præterea pedum digiti ducuntur ad latus Extensi vel Flexi, Extensi per interosseos 8. tam Internos quam Externos, qui eodem modo se habent ac in manu. Orti enim à spatiis Metatarsi inseruntur in primam Phalangem. Flexi verò ad latus mouentur à musculis quatuor Lumbricalibus qui non à tendonibus profundi Musculi oriuntur vt in manu; sed à mole carnea quæ sub profundo musculo latitat. In ima parte pedis qua vestigium vocatur, est quædam caro, quæ illud internodiorum spatium & cauum occupat, vnde volunt produci tendones ad singulos digitos: huius ego firmandis potius digitis & eorum articulis colligendis quam mouendis vsum esse puto. B

SECTIO QVARTA: C

DE ANGEIOLOGIA, SEV VASORVM ANATOME.

Ac primum de Venis.

CAP. I. D

Priusquã musculos exactè cognoscas neruos aut Vasa dissecare nec ipse poteris nec alios docere Gal. lib. 2. adm. Ana. c. 4.

ALENVS lib. 3. Adm. Anatom. cap. 1. post administratam musculorum dissectionem Arteriarum, Venarum & Neruorum Anatomen subiungit. Hortaturque iuuenes qui rebus Anatomicis delectantur vt in hisce primum se exerceant, cum spectent quotidie medicos, qui sciunt quot & quales in corde sint membranæ, vel quot lingua musculos habet, si tamen ignorent exteriorum structuram, in præsagiis & affectuum istas partes infestantium curatione Chirurgica vehementer aberrare: Eos verò qui spretis partibus internis externas accurarè cognoscunt eleganter suum munus obire. Itaque mauult Galenus iuuenes istis rebus primum instructos esse, tum quod E earum vsum necessarium videat, tum quod ignorationis nota tantò grauior sit, quantò cognitio, vt ipsi opinantur breuior est. Parebo igitur Galeni consilio & vasa prius explicabo quã viscerum structurã aggrediar. Vasorum Anatomẽ à venis exordiar, quia primæ sunt ordine generationis, & arteriis materiam suppeditãt: Vas autẽ eiusmodi Græcis φλὲψ & φλέβα ἀπὸ τοῦ φλέβειν dicitur quod fœcundare significat, ac si diceres Venam fontẽ esse copiosi sanguinis. Latinis Vena dicitur à veniendo quod per eã sanguis ad omnes corporis partes perueniat. Definitur Vena pars similaris spermatica, simplici tunica prędita, Sãguinis alimẽtarij cõceptaculũ. Hæc definitio integrã venæ naturam cõprehendit, quam rectè intelligimus, si singulas definitionis partes diligẽter expẽdamus. Vena ad sensum pars est similaris, quinetiam Organica

A Organica ratione suæ figuræ fistulosæ, ex portione seminis glutinosa & viscida generatur, quam calor distendit & perforat: ideo secundum partium spermaticarum temperiem frigida sicca, vt sanguinem calidum & humidum sua facultate temperaret. Ex simplici & peculiari tunica constat, Interdum tamen exteriorem aliam à vicinis partibus mutuatur, vbi colligari, aut fulciri, aut contegi desiderat, Galenus lib. 3. Adm. Anat. cap. 5. Propria venæ tunica tenuis est, ne sanguinis exudationem impediret, omni fibrarum genere intertexta, vt magna pars Anatomicorum sibi persuasit: Sed Fallopius nullas in venis fibras agnoscit, cui etiam adstipulatur censor obseruationum Fallopij Vesalius, suumque errorem ingenuè confitetur, quod in suo opere Anatomico venis fibras tribuerit. Venarum vsus est, sanguinem cum spiritu naturali continere, & in omnes partes deferre, vt perennè triplicis substantiæ effluuium alimentario sanguine reparetur, & insita partium naturalis facultas, à spiritu naturali foueatur & conseruetur, Actio venarum est sanguinem alterare & perficere, quarumdam vt mesaraicarum officium est, sanguinem præparare, aliarum quæ per hepatis substantiam disseminantur coquere, & in sanguinem mutare, reliquis facultas inest sanguinem perficiendi. Venarum descriptio ab hepate principio radicationis & dispensationis inchoanda est consilio Galen. lib. 6. de Placit. Hipp. & Platonis. Vt enim in explicandis fontium riuis frustrà laborabis, nisi scaturigines ipsas edoceas, Ita ludes operam si ramos venarum explicaturus, eos à fonte nimirum Hepate non repetas. Imprimis obseruanda est admirabilis Anastomosis venæ Portæ & Cauæ, quæ fit per ramulos inuicem connatos: Ita vt à Porta in Cauam, & à Cauâ in Portam facile refluat sanguis: Fallopius istam vasorum communionem & sanguinis reciprocationem videre non potuit, quamuis maximam diligentiam adhibuerit: Nec eam admittit Fernelius cap. de venis, quæ tamen reuera existit, licet in adultis obscurior sit, & difficillimè inspiciatur, authore Vesalio in exam. obseruat. Fallopij, sed in recens natis facile spectatur, si in venam vmbilicalem (quæ ipsius portæ soboles est, vel potius radix iudicio Galeni) tubulum immittas, videbis intestina & venæ cauæ ramos confestim inflari atque distendi. Cum igitur vena vmbilicalis ortu & generatione venarum omnium prima sit, ab ea reliquas propagari scripsit Galen. lib. de format. fœtus cap. 3. Quare vena Porta, vmbilicalis soboles erit, quæ numerosis radicibus, in hepatis substantiam disseminatur, quas tandem in tres vel quatuor colligit, ex quibus venæ portę caudex conflatur, Qui priusquam totus ex hepate emergat, ramos emittit per ligamentum suspensorium repetens ad Septum Transuersum, descenduntque postea ad dorsum vsque, vbi iunguntur sub

D Pancreate cum alijs venis, ab eodem Portæ caudice extra hepar enatis. Posteriores venæ deferunt quendam succum oleaginosum, flauum, & amaricantem, vt notauit Fallopius libello de venis, cum tamen in obseru. Anatom. Ingenuè fateatur, ignorare ad quem vsum comparatæ fuerint. Priores venæ diaphragmati nutriendo inseruiunt, & per accidens puri in thorace contento per aluum euacuando, vt docet Eustachius lib. de renib. cap. 41. Scribit enim Galenus lib. 6. de locis affectis cap. 4. partes Thoracicas per aluum & vrinas expurgari. Venæ portæ talis est distributio: Truncus ab hepatis cauo emergens sub duodeno intestino latitat, & priusquam dirimatur duas venas emittit, Cysticas Gemellas sic dictas à cysti fellis quam alunt, producit quoque alteram Gastricam dextram, quæ pylorum vicinasq; partes irrigat; Mox Truncus diuiditur in duos ramos insignes, Splenicum, & Mesentericum;

E Splenicus elatior humorem melancholicum ad lienem deducit, & in suo ductu vicinis partibus ramulos largitur: ac primum Gastricum Minorem, & Maiorem: Minor posteriorem ventriculi partem alit: Maior numerosis surculis ventriculo distribuitur, ipsumque orificium superius instar coronæ cingit, vnde Coronaria Stomachica Syluio dicitur. His proximè exeunt Epiplois dextra, & Epiplois postica. Dextra inferiori Epiploo distribuitur, Altera interdum bifurcata posticam Epiploi partem amplectitur: Addit Bauhinus venas Pancreas capillares, quæ per vniuersum Pancreas disperguntur: Reliquus Stipes bifurcatus lieni immergitur, propè insertionem à ramo superiore prodit. Vas illud Venosum Breue dictum, quod Galenus à capite Lienis deriuat, & in quibusdam non omnibus reperiri affirmat. At Vesalius, Fallopius omnesque Anatomici hunc surculum, non à parte lienis, sed à ramo Splenico priusquam lienem subeat emanare volunt. Sed pernegant Fallopius & Vesa-

lius ad orificium superius ventriculi ascendere, aliumque sanguinem continere, A
quàm reliquæ venæ coërcent, nutriendo ventriculo dicatæ. Contra Vesalium stomachatur Syluius in depulſ. atque statuit eum ramum semper ad os ventriculi repere, humoremque melancholicum in ventriculum effundere, qui sapore acerbo & acido languentem appetitum excitat: quinetiam Galeni & Auicennæ opinione co-ctionem & cibi retentionem iuuat; hunc etiam ramum calami scriptorij, & interdum parui digiti magnitudine in mulieribus præcipuè, vidit Siluius; & quartanarios vomitibus, aut spontaneis, aut medicis ante & post accessionem, præsertim declinante morbo multum iuuari. Idem quoque ramus causa esse videtur, vt in quartanarijs non solus lien afficitur, sed etiam os ipsius ventriculi. Sæpissimè obseruaui Vas Breue emergere à ramo Splenico sese in lienem insinuante, & per sinistrum ventriculi latus surculis capillaribus disseminari; In quodam nobili Senatore, qui B
vomitu sanguinis ex liene prodeuntis interijt, deprehendi Vas Breue amplum parui digiti magnitudine. Paræus quoque in quibusdam Magnum & Latum inspexit. Itaque de eius natura non est dubitandum. Nec tantum simplici & solitario ramo attingit ventriculum, verumetiam Bifurcatum in ventriculum inseritur, vt vidit Beniuenius. A ramo inferiore Splenico duæ venæ prodeunt. Epiplois sinistra, quæ ad sinistram omenti regionem protenditur, præsertim quando Epiplois postica angustior est, Gastrepiplois sinistra dextrorsum reflexa ventriculum perreptat, & obiter in suo tractu ramulos largitur. Alter venæ portæ ramus Mesentericus varijs surculis dissectus, imprimis producit Gastrepiploin dextram, quæ ventriculi fundum peruadit, & cum Gastrepiploide postica coit, omenti quoque superiorem membranam perreptat. Succedit intestinalis per duodeni longitudinem excurrens surculis C
nonnullis per omentum & Pancreas dispersis, interdum duæ istæ propagines postremæ ex trunco portæ ante diuisionem emanant: sed frequentius à Mesenterico ramo, qui postquam istas venas eduxit, totus in tres ramos finditur. Mesentericum dextrum, Sinistrum siue Cœcalem, & Hæmorrhoidalem. Dexter Mesentericus inter duas mesenterij membranas delatus per intestina numerosa sobole diffunditur, suis osculis hiantibus chylum exugit, quem ad portas hepatis defert, simulque sanguinem ad nutritionem intestinorum reuehit. Columbus in extremis partibus venarum mesaraicarum valuulas imaginatur chyli refluxum impedientes: Sed deceptus fuit à crusta illa ab excrementis tertiæ coctionis genita, quæ velut operculum ora venarum mesaraicarum tegit & obducit. Mesentericus sinister siue Cœcalis crassioribus intestinis distribuitur, Hæmorrhoidalis ad rectum intestinum progreditur, illique orbiculatim implicatur: Nonnunquam à ramo splenico originem ducit. Ab Hæmorrhoidali fiunt Hæmorrhoides internę, vt externæ ab Hypogastrico venæ cauæ surculo. D

DE VENA CAVA.

CAP. II.

QVEMADMODVM qui per tubos aquam in vrbes deriuant, inquit Galen. lib. 16. de vsu part. cap. 1. fronti canalem maximum applicant, qui suo tractu vicinis locis aquam suppeditat, & vbique pro loci dignitate & necessitate distribuit. Balneo enim publico, vel deorum luco pars aquæ maior tribuitur: fontibus verò biuiorum & balneis priuatis minor: ita solers & iusta Natura ex iecore gratiosi humoris fonte insignem canalem, nimirum venam cauam produxit, quæ vniuersum corpus alluit & irrigat, & in suo progressu circumiectis partibus, prout earum necessitas & dignitas postulabat, ramulos largitur. Verum quia iecur medium corporis occupat Vena hæc, partes tam superiores quàm inferiores alitura, statim in exortu suo in truncum superiorem & inferiorem scinditur, quæ non æqualem numerum venarum emittunt, nam scripsit Hippocrates plures venas in partibus superioribus, quàm inferioribus contineri. Inferior truncus è gibba hepatis parte prosiliens Adiposam venam producit, vtrimque vnam: Sinistra ex sinistro cauę pariete prodit & bipartita adiposam E

A renis tunicam amplectitur. Dextra rarius à trunco, frequentius ab emulgente ori-
tur, quia locum suæ originis iecur occupat: Succedit Emulgens ab officio, seu Re-
nalis ab insertione dicta, omnium venarum à trunco prodeuntium amplissima. Pri-
usquam renis cauum subeat vt plurimum in duos, interdum tres vel quatuor surcu-
los secatur: qui renem ingressi in plures diuiduntur donec in capillares abeant. At
Syluius affirmat renalem, tum venam, tum arteriam integram in renibus manere,
non autem vt vas commune in ramos dirimi sicuti falsò quidam scripserunt, Lo-
cus in omnibus cadaueribus, ex quo venæ & arteriæ emulgentes oriuntur, authore
Fallopio, primæ & secundæ lumborum vertebræ connexu designatur. At Gal. lib.
14. de vsu part. cap. 7. notat non iisdem locis venas Emulgentes oriri, quia quantò
ren dexter altero est elatior, tantò & vasorum quæ in ipsum infiguntur origo altior
est ea, quæ in alterum inseritur. Post emulgentem Spermaticæ veniunt. Dextra à
B parte anteriore trunci manat, & interdum ab Emulgente, à qua sæpissimè ramulum
accipit, vt obseruat Galen. lib. de dissect. venarum. Sinistra ab emulgente semper
nascitur, vt vicinæ arteriæ descendentis motus & impetus euitaret, Ambæ ferun-
tur ad testes in maribus, At in mulieribus licet idem sit exortus, diuersa tamen est
insertio. Earum enim portio testibus communicatur, Altera per vteri fundum dis-
seminatur. Ex trunco postremo exeunt, tres vel duæ Lumbares ad robur genicula-
ræ, quæ per foramina vertebrarum neruis egressuris dicata, in spinalem medullam
sese insinuant. Editis istis propaginibus Truncus cum ad postremam vertebram os-
sisque sacri initium appulsus est, in duos insignes ramos Iliacos à situ dictos fin-
ditur, ex quibus vtrimque iuxta diuisionem duæ venæ prodeunt, Muscula & Sa-
cra. Muscula in musculos lumbares & epigastricos disseminatur, & nonnun-
C quam ab ipso trunco emergit. Sacra per foramina ossis sacri in spinalem me-
dullam oblitescit. Postea in progressu ramus Iliacus in exteriorem & interiorem
ramum diuiditur: ab interiore prodeunt Muscula media, & Hypogastrica. Hæc
Muscula in musculos femoris exteriores diffunditur, Hypogastrica omnibus parti-
bus in hypogastrio contentis distribuitur, Sed potissimum recto intestino & ceru-
ci vteri, vt in viris plethoricis redundantem sanguinem per Hæmorrhoidas exter-
nas euacuaret: & in mulieribus præsertim grauidis menstruum sanguinem excerne-
ret, Ab exteriore ramo Iliaco tres venæ producuntur, Epigastrica peritonæum per-
forans, interiorem recti musculi partem perreptat, donec descendenti mammariæ
occurrerit, cui per anastomosin surculis aliquot iungitur: indè manat admirabilis
ille mammarum & vteri narium & abdominis consensus, Sanguis enim ad mam-
D mas confluit & lac vicissim ad vterum refluit. Et quia mammaria oritur à subclauio
ramo, qui iugularibus ortum præbet, hinc fit vt hemorrhagia narium sistatur admo-
ta cucurbitula hypochondrio, è directo naris fluentis, authore Hipp. Pudenda è ra-
mo extra peritonæum egresso deriuatur, & viris in scrotum penisque cutem disper-
gitur, mulieribus in pudendi labra vicinasque partes, Postrema muscula inferior in
musculos coxendicis articulo incumbentes absconditur. Postquam istos surculos
ramus Iliacus exterior produxit, cum interiore iungitur, ramumque insignem con-
stituunt, qui Cruralis dicitur: ab eo sex venæ prodeunt, Saphena, Ischias minor,
Muscula, Poplitæa, Suralis, & Ischias maior; quæ omnes per internam femoris re-
gionem descendunt ad securitatem, quod earum aliqua vulnerata vix superstes ani-
mal esse possit. Gal. lib. 3. de vsu part. cap. 9. Saphena siue malleoli vena iuxta ingui-
E nis glandulas nata, per internam cruris, genu tibiæ partem inter cutim & membra-
nam carnosam decurrit ad malleolum internum, & in metatarso numerosè diuari-
catur, Sed obiter in tractu suo per cutim femoris aliquot dispersis ramulis: Hæc ve-
na in suppressione mensium vtiliter secatur, quia in exortu suo ramum in abdomen
& pubem transmittit, alijs Anatomicis incognitum. Saphenę Ischias minor oppo-
nitur è regione Saphenæ prodiens in cutem Ischij, eiusque loci musculos absumi-
tur, Cruralis ramus aliquantulum progressus & musculis femoris immersus tertiam
emittit venam musculam, quæ geminata partim in musculos crurales, partim in ex-
tensores tibiæ disseminatur. Quarta Poplitæa surculos aliquot in cruris cutim po-
sticam spargit, & per medium poplitem delapsa in furæ cutim absumitur, & inter-
dum ad calcem vsque descendit. Hæc vena ab antiquis sæpè aperiebatur, cuius
apertio nunc exoleuit. Suralis in furæ musculos & cutim tibię pedisque interni vs-

que ad digitos diffunditur. Ischias maior portione maiore per suræ musculos delata surculis decem fruticatur singulis digitis binos præbens, in Ischiadico affectu vtiliter aperitur & maiore profectu quàm saphena authore Rhasi. Verum curiosam istam venarum electionem in pene rident Vesalius & Fallopius; & incisa saphena vel Ischiadica, aut Poplitæa peræq; venas dicunt euacuari. Quæstione dignum est, si malleolares venæ ad libidinis pruriginem aliquid faciant, quod à Fulgentio Placiade annotatum est, ait enim in Talo venas esse, quæ ad renum, femorum, atque virilium rationem pertineant, quarum aliquæ ad pollicem vsque tendant, quod tractantes & Physici, & mulieres ad obtinendos partus, & Ischiadicos dolores eodem phlebotomant loco, & emplastrum entaticum applicant; quod Stysidem vocauit Aphricanus in Iatrosophistis, ab arrectionis facultate παρὰ τὸ Σλύειν, & pollici atque talo imponi præcipit; Quin & Orphei testimonio affirmat, illum locum principalem esse libidinis. Scribit etiam Hippocrates venis Malleolaribus sectis infœcundum hominem reddi, lib. de locis in homine. Truncus ascendens diaphragmate perforato, per medium thorace ipso diaphragmate, mediastino, corde & pulmonis quinto lobo, præsertim in canibus & simia suffultus ad iugula contendit, plurimosque ramos eo tractu profert ac diffundit, imprimis Phrenicum siue diaphragmaticum vtrimque vnum, qui per vniuersum diaphragmatis corpus expanditur, Ramulis aliquot ad pericardium & mediastinum sparsis ex Fallopio. Per hunc ramum pus in gibba iecoris parte contentum in capacitatem thoracis effunditur, & à laxa & spongiosa pulmonum substantia exuctum & absorptum per asperam arteriam tussiendo expurgatur. Vbi autem cordi iam assistit, venam Coronariam producit, superficiem, Cordis instar Coronæ cingentem. In eius exortu membrana ὑμενώδης apposita est, ne propter continuum cordis motum, sanguis per cordis substantiam effusus in venam cauam refflueret. Hic obseruare est, lacerum venæ cauæ orificium, quod in cordis dextrum ventriculum velut in cisternam sanguinem copiosum effundit, ad pulmonum nutritionem & vitalis spiritus generationem. Ex hoc ventriculo iuxta cauam emergit vena arteriosa, quæ duplici tunica instar arteriæ obuallata, in pulmones disseminatur. Propterea Pulmonum cordisque affectus reuellit pariterque deriuat interior cubiti sinistri potius quàm dextri, quandoquidem pulmonum venæ ex dextro cordis sinu prodeunt, hic autem in sinistrum parietem venæ cauæ inseritur, qui per alam sinistram in cubitum excurrit Fernelius lib. 2. Method. Paulo suprà cor, inter quartam & quintam thoracis vertebram enascitur vena ἄζυγος coniuge destituta: nihilominus vtrimque costis inferioribus ramulos largitur, quin etiam superioribus, si desit intercostalis. Si verò gemina intercostalis superior & inferior reperiatur, vena ἄζυγος tanquam inutilis deficit, ex Syluio in Isagoge Anat. de cuius exortu inutilis quæstio magna contentione disputata proponitur, An supra vel infra cor oriatur. Certum est eius originem instabilem esse, modò supra, modò infra cor. Galeni ætate sub corde semper obseruata fuit in his, quibus sternum Septem ossibus conflatum thoracem facit lōgiorem: nostris autem hominibus ex corrupta sterni longitudine ἄζυγε venę origo priore statione relicta cor ipsum transilijt: fatetur Fernelius venam solitariam azygon paulò supra cordis aurē dextram emergere, quam tamen nonnullæ corporum dissectiones ostendunt à caua deriuari antequam ad cor accedat. Maiore obseruatione digna est Anastomosis illa ramorum huius venę cum extremitatibus thoracicę, quā fit vt in pleuriticis sanguis mitti debeat ex brachio partis dolentis, & potissimum ex basilica, quę statim in suo exortu thoracicam producit: Nec sanguinis affluxum impediunt valuulę, quas Hollerius & Amatus Lusit. somniarunt, cum azygo inflata distendatur thoracica, simulque ex azygo expressus sanguis in thoracicam confluat, sine vllo obstaculo. Aliam anastomosin venę ἄζυγε cum emulgente obseruauit Fallopius, ἄζυγος ad octauam costam delapsa ramulum insignem educit versus sinistram thoracis regionem, obiter inferioribus costis ramulos distribuens, qui in emulgentem sinistram inseritur, dextra verò ἄζυγος ramulum in vltimam lumbarem transmittit: Inde via patet excreti puris per vrinas in pleuritide. Postrema intercostalis superior ex trunco manat, quę tum deficit, cum ἄζυγος ad eas partes protenditur: Postquam venas istas eduxit. Truncus, iuxta claues dirimitur in duos insignes ramos, qui a situ Subclauij nominantur. Ab his quinque venę oriuntur, Mammaria, Thymica, Capsularis, Ceruicalis,

B C D E

Vidi interdū duas ἄζυγος, Dextra supra cor emergebat & intercostalē producebat: sinistra à ramo subclauio prodibat suique lateris intercostalē efformabat.

nicalis, & Muscula. Mammaria per inferiorem partem sterni descendit ad rectum
A musculum, vt Epigastricæ occurrat, obiter ad mammas aliquot ramulis transmissis. Thymica & Capsularis inuentum est recentiorum, illa thymo distribuitur; Hæc quibusdam Mediastina per mediastini longitudinem ad pericardium excurrit, occurritque Phrenicis ascendentibus. Ceruicalis obliquè petit transuersas apophyses ceruicis, & per earum foramina delata in spinalem medullam & musculos ceruicales absumitur. At Syluius & Vesalius cerebrum ascendere volunt ad flexum retiformem constituendũ. Muscula in musculos dorsales distribuitur. Vbi ramus Subclauius claues superauit, Superclauius dicitur, & ab eo prodeunt duæ venæ notabiles, vulgò Iugulares dictæ, Donato Grammatico Lisæ, quibus elisis animal statim extinguitur, vnde Elisum quicquid ex tali causa mortuum est. Auenroes Collect. lib.2. cap.29. percussis iugularibus mortem inferri scribit, vnde Rex quidam Indiæ,
B eius loci percussione reos nobiles interficiebat. & Aristot. lib. 3. de Hist. Animal. cap.3. ait iugularibus foris tantum apprehensis corruere homines sensibus ereptis, & palpebris compressis. Venarum iugularium, vna est Interna, altera Externa. Externa in brutis maior, in homine minor, inter cutem & membranam carnosam ad fauces ascendit, Ibique bipartitò finditur, vnaq; portio in musculos huius loci euanescit, Altera per faciem disseminatur, insignes venulas distribuens naribus, maiori oculorum Cantho, fronti, & auribus posterioribus, quibus in locis secari solent, inde disces cur cauterium appositum in cauo, quod est ad radicem auris, magis conferat oculis fluxione labotantibus quàm occipitio admotũ, non quod ex ea parte ramus à vena iugula introsubeat, & ad opticos neruos vtrimque excurrat, vt existimauit Fernelius, Sed propter viæ breuitatem & ramum venæ iugularis auribus &
C oculis communicatum. Iugularis interna in homine propter cerebri amplitudinem insignior cerebrum ascendit, Reliquus ramus superclauius ad Axillas progrediens, mutato nomine Axillaris dicitur, totusque in duas venas distrahitur, Cephalicam & Basilicam, Cephalica superiorem & exteriorem humeri partem perreptat, vsque ad cubiti flexuram, vbi in duos ramos finditur. Quorum alter cum ramo Basilicę coiens venam Medianam constituit, Alter per longitudinem radij ad manum producitur, quam fermè totam irrigat, & potissimum eam partem quæ inter paruum digitum & annularem intercedit, quo in loco Arabes suam Saluatellam collocant, cuius apertionem in affectibus melancholicis ex Arabum doctrina commendant nostri Practici: Sed hoc remedium vt inutile & superstitiosum damnat Aretæus lib.2. A cutorum morb. cap.2. cum sit venarum cubiti soboles; Propterea
D Galenus lib. de venæ sectione statuit affecto lieni non æquè conferre venam incisam quæ inter Annularem digitum & minimum consistit, atque si internam cubiti venam secueris. Posteriores Græci prauis Arabum opinionibus imbuti sectionem Saluatellæ laudarunt, vt Paulus Aegineta, Trallianus, qui affirmat quantulumcunque sanguinis ex Salnatella dettahitur, plurimum conferre lieni, De hac quæst. tractarunt Valesius lib.7. controuers. & Augenius in Epist. Medicinalibus. Basilica per inferiorem & interiorem humeri partem procedit, in dextro brachio Basilica: In sinistro Lienalis à Practicis nominatur, in suo statim exortu Thoracicam producit, quæ thoracem exteriorem alit, & perforatis intercostalibus musculis intra tertiam & septimam costam cum extremitatibus azygi per anastomosin iungitur; Paululum progressa Basilica in Subcutaneam & Profundam diuiditur. Profunda arteriæ axillari & neruo semper attensa ad cubiti flexum descendit, ramulum porrigens qui
E iunctus alteri ramo cephalicæ medianam constituit. Subcutanea per exteriorem partem humeri ad cubiti flexuram excurrit. Deinde ad exteriorem cubitum contorta, per cubiti longitudinem ad manum descendit. Vera Mediana ex duobus ramulis infra cubiti flexuram vnitis conflatur, & per mediam brachij interni regionem ad manum internam protenditur. Cæterum cum venæ omnes brachij quæ hodiè secantur, ab eodem trunco, nimirum Axillari prodeant, frustrà laboratur in electione venarum, vt admonent Fernelius, Vesalius, & Fallopius, & ipsemet Galenus curiosum hunc venarum delectum neglexit lib.3. Adm. Anat. cap. 6. & lib. de venæ sect. cap. 16. Galeni sententiam confirmat Oribasius lib. 7. Collectaneorum cap.5. Atque hæc de Venis dicta sint. Quarum seriem si non eandem in quibusdam cadaueribus obseruaris, id Naturæ varietati, non nostræ negligentiæ tribues. Nam

in venis vt in ſtirpibus non eſt vna ſemper & ſimilis neceſſaria fruticantium ramorum proiectio. A

De valuulis venarum obiter monebo, eas eſſe portiunculas tunicę venarum in cauitate ſua eminentis, quæ referunt dimidiati orbis in plano, aut Lunæ cornutæ figuram. Qua parte collocantur amplior videtur vena, vt peculiare quoddam ſanguinis vaſculum intra ſe conſtituat: Ideóque foris extuberantes nodum, ac veluti geniculum repræſentant, vt in viuentibus apparet dum brachium ligatura ſtringitur ad ſanguinem mittendum. Frequentius in ramis maioribus occurrunt, quàm in oſtijs venarum, ne ſanguinis regurgitationem ſiue collectionem impediant. Coniunctim ſemper geminæ reperiuntur, vtrimque ſcilicet vna, interiecto ſpatio diſtantes, ſitúque diuerſo poſitæ: Ita vt ſequentium membranularum cornua, præcedentium media ſiue conuexa reſpiciant, & viciſſim. Valuularum vſus eſt tanquam ianitrices ſanguinis curſum & impetum moderari. In artubus obſtant, ne ſanguis in eas B partes motu & agitatione incaleſcentes impetuoſè & affatim irruat: Cuius vberiore affluxu vel aggrauarentur aut opprimerentur. Robur quoque addunt ipſi venarum corpori, & immodicam earum dilatationem inhibent; dum curſum & impetum ſanguinis retardant, quandiu nutritio perficitur.

DE ARTERIIS.

CAP. III.

ἀρτηρία quaſi ἀεροτηρία conſeruatrix aeris ſeu ἀλτηρία ἀπὸ τῆς ἀλσεως à ſaltu quo perpetuò cietur.

CVm rei cuiuſque eſſentia per ſuam definitionem optimè intelligatur, diligenter examinata arterię definitione, eius natura clarius innoteſcet. Arteria pars eſt ſimilaris ſpermatica vitalis ſanguinis conceptaculum. Quod eius ſubſtantia ſit ſpermatica color albus, maior quàm in vena, & neruoſa ſubſtantia ſatis indicant. Contendit Fallopius arteriæ ſubſtantiam potius cartilagineam eſſe quàm neruoſam, quæ etiam vacua nõ concidit, ſuamque rotundam cauitatem conſeruat: etenim experientia docet arterias in ſubſtantiam oſſeam degenerare, viditque Fallopius in quadam vetula omnes arterias finiſtras oſſeas. Suam ſententiam confirmat ex Hipp. lib. de corde, vbi arterijs cartilagineam ſubſtantiam tribuit. Corpus Arteriæ duæ tunicę componunt; Interior tenuis & rara, craſſitie ſua venarum corpori reſpondet, rectis fibris & obliquis intertexta, Exterior craſſitie quintupla venam excedit, authore Herophilo, tranſuerſis fibris prędita. Tertiam tunicam adiunxit Galenus telis araneatum perſimilem, quę internam arteriæ ſuperficiem inueſtit, in grandioribus arterijs vt in aorta potiſſimũ circa eius originem cernitur, videturq́; à cordis tunica produci, vel à valuulis Sigmoeidæis. Arteriarum numerus venis non eſt par & æqualis, quia ſanguis craſſior in exiguas & diſtantiſſimas partes vix niſi venarum ductibus commeare poteſt. Sãguis verò atterioſus multò tenuior ab extremis maiorum arteriarum elapſus, per cæcas occultaſque vias in diſtantiora peruadit, ſine vllo arteriæ adminiculo: ferè tamen Arteriæ venas comitantur. Inuenies, inquit Gal. lib. 16. de vſu part. quaſdam venas ſine Arteria, ſed nullam arteriam ſine coniuge vena. Intelligere autem hîc oportet Arteriam coniugem, non eam quæ tangit aut venarum membranis adhæſerit, ſed eam quæ propter eundem vſum extiterit. Itaque inſignioribus & magnitudine præcipuis venis, vbicumque natura potuit comites dedit arterias, Ita tamen vt arteriæ venis ſemper ſint ſubiectæ ad ſecuritatem, niſi vbi loci incommoditas id impediebat, ſicuti iuxta os Sacrum accidit, quò perueniens Arteria ne ab oſſe excarni læderetur, venam cauam ſub qua latebat conſcendit, & rurſum poſtquam os ſuperauit, ſub vena reconditur. Cæterum in venis non tantum obſeruanda contiguitas, verum etiam continuitas per mutuam Anaſtomoſin ad communionem ſanguinis venoſi & arterioſi. Cum igitur arteriæ venis ſint contiguæ, & iiſdem partibus, quibus venæ diſtribuantur, declaratis iam venis facilior & breuior erit arteriarum explicatio. Cor omnium Philoſophorum & Medicorum conſenſu arteriarum fons & origo ſtatuitur, ab eius ſiniſtro ventriculo duæ prodeunt, Arteria Venoſa,

A nosa, & Aorta. Illa in pulmones abit sanguinem arteriosum suppeditans & fuligines expurgans, venæ substātiam obtinuit, vt faciliùs cum pulmone dilataretur, tum quia in fœtu venę officio fungitur ad pulmonis nutritionem. Aorta vniuersum corpus vitali spiritu fœcundat, & protinus è corde prosiliens Coronariam interdum geminam in ambitum cordis educit: Mox Truncus Aortæ in duos dispariles ramos superiorem minorem, & inferiorem maiorem dirimitur. Superior ad iugulum euectus in ramos Subclauios inæquales diuiditur. Dexter enim amplior est, & altius exoritur quàm Sinister, cuius origo est humilior iuxta primam costam; dexter ramus Subclauius eodem ferè modo distribuitur quo Venalis Subclauius: producit intercostalem superiorem, Mammariam, Musculam, Ceruicalem, & Carotidē. Hæc cum iugulari interna cerebrum ascendit, dicitur Lethargica & Apoplectica, quòd laqueo intercepta Carum & Apoplexiam inducat. At scribit Ruffus Ephes.
B suo sæculo compertum fuisse Carum non arteriarum, sed neruorum adiacentium vitium esse, quare nomen permutandum est, neruóque tribuendum. Quinetiam Galenus sæpius expertus est, constrictis Carotidibus animal nihil pati, atque liberè respirare & moueri, citra vllum impedimentum. Inde concludit cerebrum vitali spiritu facilè cariturum. lib. de vtilit. respirat. cap. 5. Notandus diligenter surculus à carotide deductus, tragum oris perreptat maxillā superiorem irrigaturus, vt singulis dentibus spiritum vitalemque sanguinem suppeditet. Per eum ramum fluxionem in dentes superiores fieri puto; quoniam eo resecto, miraculi instar confestim sedatam vidi odontalgiam, propter commeatum serosi & acris humoris interceptum. Est quidam Parisijs qui ex hac sola operatione magnum quæstum facit. Similis est sinistri Subclauij distributio, nisi quod sinistra Carotis à trunco proce-
C dat, reliquus hic ramus superatis clauibus ad axillas peruenit, tumque Axillaris dicitur: venam Basilicam comitatur, cum nulla sit Arteria Cephalica & prope axillas Thoracicam profert. Paululum progressus instar Basilicæ in Subcutaneum & Profundum ramum diffinditur, qui ad manum internam producuntur. Externa siquidem manus vt musculis sic arteria caret. Notat Leuinus Lemnius lib. 2. de occult. naturæ mirac. cap. 11. tenuem quendam arteriæ ductum (non nerui vt Agellius existimauit) à corde ad annularem digitum manus sinistræ porrigi, cuius motus in parturientibus ac delassatis, omnibusque cordis affectibus indicis contractu facilè percipitur: quod absurdum videri non debet, cum animi defectu collapsos erigere soleant deligato hoc articulo, ait Lemnius. Aortæ Truncus descendens priusquam Diaphragma penetret, producit intercostalem inferiorem (quæ venæ
D ἀζυγ defectum supplet) & Phrenicam. Perforato Diaphragmate septem arterias effundit Cœliacam, Mesentericam superiorem, Renalem, Spermaticam, Mesentericam inferiorem, Lumbalem, & Musculam. Cœliaca & Mesenterica superior venæ portæ propagines sequuntur, Ambæ Spermaticæ post renalem ex trunco Aortæ erumpunt. Voluit tamen Fernelius dextram ab aorta manare, sinistram ab emulgente; Nec ab ea sententia alienus est Gale. lib. 16. de vsu part. cap. 10. Sinistra Spermatica semper aliquid ab emulgente assumit & nonnunquam ex ea sola oritur, Dextra semper ab Aorta proficiscitur, & interdum ramulum ab emulgente accipit, vt nonnihil serosi humoris ab emulgente hauriret. His eductis surculis Truncus in duos ramos Iliacos diuiditur, tandem in crurales, quorum distributio omnino venis similis est, in eo tantum differunt, quod Epigastrica Vmbilicalem arteriam ad-
E mittat, Cruralis nullam Saphenam producat.

DE NERVIS.

CAP. IIII.

ANIMA in cerebro residens neruis tanquam habenis vniuersum corpus regit & moderatur, per neruos sensum & motum singulis partibus impertit, quibus carere non possunt sine maximo sui detrimento, cum vita in motu & sensu consistat. Quare doctrinam neruorum non velut Herodoti historiam leges, sed memorię singula spectata

Ex Gal. li. 3 Ad. Ana cap. 9.

mandabis, vt omnium partium naturam exactè pernoſcas, nonnullæ ſiquidem neque arteriam, neque neruum, neque venam inſignem habent, quædam vel tria horum genera, vel vnum, vel duo. Imprimis exactè cognoſces omnes muſculorum A
neruos, & eorum præcipuè qui functionem notabilem exercent, vt ſi telum vel ſpicula auferre diſſectione aut præciſione alicuius oporteat, à neruis abſtineas. Noui Chirurgum, inquit Galenus, qui cum externos brachij muſculos innoxiè præcidiſſet, poſteà tenuiore ſcalpello in muſculos interiores adacto, non modo tertium neruum, ſed & duos & præpoſitos ſimul cum arteria & vena præcidiſſe. Ægro interea medicum increpante, ἀναισθήτους, qui brachium motu ſenſuque priuatum habuit. Simile infortunium ignari Chirurgi recitat Galenus lib. 1. de loc. affectis. Cum ex ceruice quidam ſtrumas in profundo ſitas excideret, & inter ſecandum quoddam vas membraneum non ſpecillo ſecaret, ſed vnguibus euelleret, imprudens ob ignorantiam, ſimul recurrentes neruos diſtraxit; atque hoc pacto puerulum liberauit à ſtrumis, Sed mutum reddidit, læſo videlicet altero duntaxat neruo, &c. Galenus ex notitia neruorum magnam laudem ſibi comparauit, quòd ei qui ex alto in ſpinam deciderat: & in manuum ſtuporem torporemque inciderat, non manibus quibus medici Anatomes ignari medebantur, ſed ſpinæ remedia admoueret, à qua neruos in ipſas manus deduci ex Anatome didicerat. Quorſum iſtas hiſtorias? vt omnes intelligant huius doctrinæ neceſſitatem in exercenda medicina, quæ Galenum incitauit ad curioſè peruestigandam neruorum originem & diſtributionem; quod nullus ante ipſum accuratè præſtiterat, vt ipſe teſtatur lib. 1. de locis affectis. Nos imitatione Galeni eam Anatomes partem accuratè tractabimus, ab alijs oſcitanter deſcriptam, vt patebit ei, qui noſtrum tractatum cum alijs libris Anatomicis conferet. Ad peruidendos neruos, corpora præ ſenio extenuata, omnium aptiſſima ſunt, quia carnes habent modicas & aridas, longè verò aridiorem totam neruorum ſubſtātiam, quæ in eiuſmodi corporibus manifeſtè ſpectatur, quod ſi è duobus animalibus parum idoneis delectum facere oportet, alterius inopia; præſtat recens natum capere, quàm magnum & pingue. Nihil enim tam neruorum conſectionem obſcurat, quàm pinguedo ait Galenus lib. 4. Adm. Anat. cap. 20. Cum autem neruorum Anatomen aggredieris, conſilio Galeni, non tranſuerſim, ſed ſecundum longitudinem, longè à radicibus ſectionem inchoabis: ne inopinatò nerui principium incidas, ſicque nerui productionem amittas. Tradidit Columbus de neruorum amputatione in viuente corpore, præceptum Therapeuticum diligenter notandum: ſi neruus amputetur priuſquam ſuum muſculum ingrediatur, vniri & coaleſcere nullo modo poteſt, motuſque abolẽtur; ſi vero nerui læſio contingat D
in muſculo conſolidatur, motuſq; ac ſenſus reſtituitur.

Notabis interim neruos ad partes longinquas progredientes, ſibi mutuam præſtare operam ad robur, neruulos alternatim ſibi communicantes: quæ neruorum confuſio & permiſtio magnam caliginem oculis Anatomicorum offundit, in cognoſcendis neruis authore Galeno lib. de neruor. diſſect. Sic nerui à ſpinali medulla colli in manus producti implicantur commiſcenturque inter ſe; quo modo nerui à ſpinali medulla lumborum exorti complicantur inuicem, priuſquam in crura ſparguntur. Id autem à natura comparatum eſt vt mouendarum partium velut duplex quoddam principium motus ſit, vt ſi alterum aliquando pati contigerit, reliquum ſaltem ipſis ſubſeruiat; ob id ipſum etiam vbi vel magnitudo interualli magna fuerit, vel locus periculoſus, ibi miſtionem huiuſcemodi machinatur natura, ex Galen. E
lib. 3. de vſu part.

Priuſquam in neruorum hiſtoria vlterius progrediar, Nerui homonymiā declarabo, vt quid per neruum accipi debeat intelligatur. Galen. lib. de oſſibus & lib. 6. Epid. ſcribit veteres medicos tria neruorum genera conſtituiſſe, quorum Alij è cerebro & ſpinali medulla, Alij ab oſſibus emergunt, Alij ex muſculis, qui ab oſſibus prodeunt ligamenta dicuntur, qui à muſculis ſuum ortum trahunt, tendones vocantur, qui ex cerebro & ſpinali medulla naſcuntur, propriè nerui merentur appellationem. De quibus ſolis nunc agere inſtitui. Talis neruus Græcis νεῦρον dicitur ἀπὸ τοῦ νεύειν quod eſt nutare & flectere, eò enim flectitur & contorquetur muſculus vt equus habenis authore Galeno. Definitur Neruus pars ſpermatica ſimilaris ſpiritus animalis vehiculum. Generatur ex glutinoſa & viſcida ſeminis portione, non autem

tem ab arterijs propagatur, vt falsò putauit Praxagoras, quo non rectiùs ſenſit Era-
A ſiſtratus, dum membranas cerebri in neruos conuerti ſuſtinuit. In neruis vt in alijs vaſis duo principia conſideranda ſunt: vnum generationis, alterum diſpenſationis, ſed ex ſemine omnes nerui generantur, tantum è capite in partes inferiores deriuantur, cuius loci ſtructuram & compoſitionem retinent: Quippe ex duabus cerebri membranis, eiuſque propria ſubſtantia Neruus conflatur, vnde Paruum cerebrum conſtipatum Galeno dicitur lib.1. de motu muſc. At Fallopius in obſeruationibus Anatomicis triplicem iſtam nerui ſubſtantiam ratione potiùs quàm ſenſu diſtingui aſſerit; Neque exceptis opticis, alicuius nerui durius molliúſve indumentũ per Anatomen iudicari poſſet. Vulgus tamẽ Anatomicorum cum Galeno Neruos diuidit in Duros & Molles, ſiue Motorios & Senſorios, hoſque ex anteriore parte cerebri oriri, illos ex poſtico cerebro enaſci credit. Contrà recentiores Anatomici
B neruos omnes à poſteriori cerebro prodire obſeruarunt, vbi ſpiritus animalis officina conſiſtit, ex qua nerui puriſſimum ſpiritum hauriunt. Id primus ſignificaſſe videtur Hipp. lib. de oſſib. Neruorum exortus, inquit, ab occipitio eſt. Quod Varolius integro libello demõſtrauit. Columbus omnes neruos ex ſpinali medulla deducit, exceptis primo & ſecundo pari: quæ poſtrema opinio veriſſima comperietur, ſi hoc modo interpretetur, Omnes neruos ex ſpinali medulla intra vel extra caluariam oriri, proinde diſtinctio illa de duris & mollibus neruis inanis erit, cum vnus idemq; neruus motum & ſenſum præſtare poſſit, vt apertè docet Galenus lib.7. Adm. Ana. cap.8. Fieri tamen poteſt, vt aliquis neruus mollior altero vel durior ſit, non ratione originis, ſed pro longitudine viarũ, aut loci per quem ducitur ſicciore natura. Nam vbi natura neruum longo itinere ductura eſt (inquit Galen. lib.19. de vſu par. cap.5.)
C craſſiorem quandam ſubſtantiam ganglio ſimilem neruo circumijcit ad robur & ſecuritatem, qualis cernitur in neruis ceruicis & coſtarum. Dixi Neruum ſpiritus animalis eſſe vehiculum ad motum & ſenſum. Sed quomodo traduci queat ſpiritus, cùm ſolidi ſint nerui, non ſatis intelligitur. Fortaſſis nerui ſubſtantiam ſpongioſam ſpiritus animalis tenuiſſimus facilè permeat; eſt enim laxa neruorum ſubſtantia ex pluribus fibris compoſita, vt annotauit Galen. lib.1. de locis affect. cap.6. Nerui per propriam circumſcriptionem veluti venæ exoriri videntur; adeò vt vnumquemq; eorum exquiſitè vnum eſſe putares, ſed protinus ab origine multi ſunt ſimul concreti, & communibus inuolucris contenti, quæ à cerebro proferuntur. Iam verò tempeſtiuum eſt omnes neruorum propagines explicare, quas à fonte, nimirum cerebro repetam.

D Septem Neruorum coniugationes à poſtico cerebro prodeunt, non rectè, ſed obliquè, ſi creditur Aretæo & Caſſio Iatroſophiſtæ, ita vt dexter à ſiniſtris oriatur, & viciſſim ſiniſter à dextris, in exortu ſeſe interſecãtes in modum chyaſmi; Talis neruorum conſtitutio non obſeruatur, niſi in ſexta neruorum coniugatione, vt annotat Gal. lib.9. de vſu part.

Papillares proceſſus veteres nũquam in numero neruorum collocarũt, quia cranio non excidunt. Solus Nicolaus Maſſa in ſua Anatome neruos eſſe probat, quod iterum demonſtrat lib.1. epiſt.6. aduerſus Veſalium, quem tacitè perſtringit, & velut plagiarium furtiuis pennis inſtar Corniculæ Æſopicæ exornatum ſugillat. Ibi docet ex Galeno lib.15. de vſu part. eſſe neruos, ad nares deſcendentes, licet ipſe alio loco inter neruos cerebri enumerauerit. Sed lubentius amplector vulgatam Anatomicorum opinionem.

E Itaq; prima Coniugatio erit neruorum Opticorum, qui à poſteriore cerebro prodeuntes, ex ſententia recentiorum Anatomicorum, per caluariæ foramen in oculi centrũ deſinunt. Gal. à natibus cerebri neruos opticos deriuat, iſtaſque eminentias γλουτοὺς vocat, in gratiam neruorum opticorum conſtructas. Opus naturæ admirabile Anatomicis incognitum lib.16. de vſu part. ca.3. Cum autem ſint molliſſimi, ne in tanta itineris longitudine periclitarentur, in medio ductu circa ſellam ſphenoidis inuicem coeunt, per medullæ confuſionem, vt coniunctiſibi mutuam præſtent operam & vnũ obiectũ ſimplex ambobus oculis appareat, Atq; vt viſilis ſpiritus ab vno oculo ad alterum momento confluat ad viſus perfectionem. Vidit tamen Veſalius opticos neruos naturaliter ſeparatos, ſine vlla viſus læſione; quamuis notauerit Aetius huius connexionis diuulſionem repentinam cæcitatem inferre,

Ad spiritus animalis delationem Opticos perforatos esse scribit Galenus lib. 10. de vsu part. Sed nulla cauitas recentioribus Anatomicis diligenter intuentibus apparuit. Ipsemet Vesalius cum summam operam adhibuisset in peruestiganda optici nerui cauitate, tandem deprehendit solidum esse ex varijs fibris conflatum, interueniente passim substãtia medullari. Qui verò nerui optici cauitatem defendunt in simijs manifestam esse dicunt: Quinetiam in homine modo Neruus ab exortu non statim transuersim secetur, sed paulò ante insertionem, Verum Gal. nulla eget excusatione & defensione, cum ipse suam opinionẽ interpretetur lib. 7. de Plat. & Hipp. c. 4. & libello de ocul. c. 3. Tres enim conditiones requirit ad peruidendum optici foramen vt animal sit magnum, nuper mactatum, & in lucido aëre conspiciatur. A

Secunda coniugatio oculos mouet, in exortu suo continua est, vt vnum quasi funem constituat, vnde fit vt vnius motum sequatur alter oculus, & ambo in idem latus contorqueantur. B

Tertia coniugatio statim in exortu suo diuiditur in duos insignes ramos, Quorum alter cranio excidit, Alter in orbitam oculi defertur, quam vbi attigit rursus in duos surculos dirimitur. Superior ramus per foramen superioris orbitæ traductus in palpebram superiorem inseritur: inferior per infernam orbitam inter duas laminas delatus in musculos labij superioris ramulosè absumitur. Hunc surculum notauit Galen. lib. 9. de vsu part. cap. 8. qui diligenter obseruandus, propter conuulsionem & contractionem labij superioris, quæ nuper accidit baculo percussa gena. Hæc nullo alio remedio curari potuit, quàm ferro candente.* Alter ramus tertiæ coniugationis qui Cranio excidit per internum maxillæ inferioris foramen traductus, per foramen eiusdem maxillę externum egreditur & in musculos labij inferioris absumitur, singulis dentibus surculos tribuens. C

Quarta coniugatio tota in oculum abit.

Quinta in maiorem & minorem surculum dirimitur: Maior foramẽ auditorium seu cochleæ extremum subit, ibique terminatur, Alter per aquæductum Fallopij deuectus, per foramen inter styloidem, & mastoidem apophysin latitans, in fauces delabitur; obiter in nares & buccas transmissis surculis, sed maiore sui parte radici dentium, linguæ & laryngi distribuitur. Hinc surdastris vox rauca & rancidula redditur, & magnas hæmorrhagias sistit arcta & vehemens aurium occlusio, apud Gal. lib. 3. κατὰ τόπους. hinc à sono aspero citra contractum dentes offenduntur, & natura surdi, sunt muti, & surdi anhelosi, qui durius aures scalpunt, tussiunt, & Peripneumonicis aures madent, & parotides illis superuenientes faustæ: hæc omnia contingũt propter neruum quintæ coniugationis istis partibus communicatum. Eadem ratione apud Hippocratem 4. Epid. part. 26. Cum Athenadæ puero dens dexter grauiter doleret, sedato dolore auris dextra suppurauit, ex dente ad eam partem translata materia; Non potui obseruare, nec verum puto sextam coniugationem comitari sextum par neruorum, & ad extremum pedem peruenire, vt refert Bauhinus. D

*Neruo inflammato nō pauci spasmo correpti sunt & mente alienati, quorũ quidam sic affecti, cũ sapientiorẽ Medicum nacti essent neruo inciso statim spasmo & mentis alienatione liberati sunt. Ex Galen. lib. de mot. musc. ca. 1.

Neruus sextæ coniugationis Caluariam egressus, carotidi arteriæ comes adiungitur, & cum claniculas attigit in tres ramos diuiditur, Costalem, Recurrentem, & Stomachicum, opinione omnium Anatomicorum, Sinister iuxta claues costalem surculum emittit, & omnibus costis distribuitur, Non ad respirationem, authore Galen. lib. 6. Admin. Anat. cap. 7. cum huius nerui nulla particula musculos thoracis adeat, sed ad exquisitiorẽ pleuræ sensum. Per erraro diaphragmate penè omnibus vẽtris inferioris partibus communicatur. Prope suam reflexionẽ producit Stomachicũ, qui superius ventriculi orificium miro artificio cingit, tũ postea circa arteriam descendentem cõtorquetur, sursum remeans ad laryngis musculos. Dextri reflexio fit circa arteriam dextram axillarem. Cur autẽ sinister ad arteriam axillarem sinistram non reflectatur: causa est rectitudo huius rami, qui paulò infra dextram oritur, rectáque petit axillas. Aliam assignat rationem Columbus, ne tenuissimus neruus qui cordi suggeritur, longiore ductu periclitaretur ob continuas cordis agitationes. Non puto tam exigui nerui obstructionem repentinam mortem inferre, vt tradit Picolominus. E

Semper obseruaui Costalem produci non à sexta coniugatione, sed à spinali medulla, per id foramen quod ab vltima ceruicis vertebra, & prima dorsi efformatur.

tur. Stomachicus verò iuxta claues exortus, transeundo thoracem multiplices ramulos pulmoni & cordi largitur; & vbi stomacho proximus est, cum suo pari & congenere ita coalescit, vt sinister ramus ad dextram stomachi partem, dexter ad læuam traducatur, in modum chiasmi sese intersecantes. Nec ibi terminantur, sed vlterius progressi ad radicem arteriæ cœliacæ, plexum neruorum reticularem miro artificio intexunt, à quo in omnes ventris inferioris partes nerui propagantur.

Septima coniugatio à postremo occipitio emergit, ibique bipertita in linguam ac musculos laryngis effertur. Notatione dignum est quod Volcherus de hoc neruo prodidit, nimirum conflari à cumulo plurimarum fibrarum, quæ à spinali medulla maiori ex parte iuxta quintam colli vertebram visæ sunt primo prodire, & in ascensu multis alijs fibris augeri, quæ sursum tendunt, quoad cum septimo pari proprium transmeent foramen.

DE NERVIS QVI A SPINALI *medulla prodeunt.*

CAP. V.

CVM cerebrum omnibus partibus neruos commodè suppeditare nô posset, propter partium multitudinem, & viarum distantiam: è cerebro tanquam è radice caudex profunditur spinalis medulla, quæ per fistulosam racheos cauitatem producta, circumiectis partibus neruos tutò & securè distribuit. Cum igitur spinalis medulla sit cerebri propagatio, ipsius cerebri compositionem, substantiam, naturam & vsum retinet. Similem esse cerebri & spinalis medullæ substantiam cognosces, si eius exortum inuerso cerebro spectaueris. Nam ex basi cerebri quatuor radices videbis, duas ex cerebro, totidem ex cerebello prodeuntes: quibus simul iunctis conflatur spinalis medullæ corpus bipartitum, atque tenui meninge secretum: ita vt vna pars medullæ resolui possit, integra & illæsa altera. Duobus inuolucris conuestitur, quæ à cerebri meningibus proferuntur, & quæ eundem ac meninges vsum præstant: quibus in subsidium tertia tunica fortis atque neruosa circumijcitur, ne dum spina inflectitur, flexa quoque medulla disrumpatur. Oritur ab osse occipitis quo loco spondylus committitur authore Syluio, vel à ligamentis vertebrarum, vt placet Galeno, quod refellit Columbus. Imperitè Theophilus quartam adiecit tunicam colore flauo, materia inter neruum & cartilaginem media, quæ omnes vertebras communi quodam vinculo continet. Tertiæ tunicæ additione Rachitis à cerebro differt, & quod pulsu motuque caret, & quod nullum habet medium interuallum vt cerebrum, quæ omnia ex Galen. recitat Syluius. Contra Picolominius in prælect. Anat. contendit Rachitim ijsdem motibus cieri, quibus cerebrum, nimirum Systole & Diastole, cum sit ipsius cerebri apophysis siue propago. Partis enim & totius idem est motus, & mota parte continui mouetur totum. Cùm igitur dilatatur spiritū animalem à quarto ventriculo excipit, quando vero constringitur, illum in neruos à se prodeuntes refundit. Cæterum spinalis medulla per spinæ fistulam progrediens, semper seipsa durior & minutior redditur, tandem cum ad dorsi finem peruenit tota in funiculos, & filamenta caudam ferè equinam referentia absumitur, vt in ea partе ruptionis periculum euitaret: quia tota spina flectitur & contorquetur, vt obseruarunt peritissimi Anatomici Vesalius, Columbus & D. Laurentius.

Spinalis medullæ Nerui ex pluribus filamentis inuicem attensis & tenui meninge comprehensis conflantur, quæ quidem filamenta eò altius oriuntur, quò magis spinæ medulla descendit: Quod non sine magna vtilitate factum fuit, ne spinalis medulla mollis ad metaphreni finem mobilem produceretur, vbi ex continuo flexionis & extensionis motu lædi & contundi potuisset. Vt autem natura omnibus modis neruorum securitati prospiceret, neruis per foramina vertebrarū egressuris, substantiam crasso ganglio similem circumiecit, quæ fibras nerui tam arctè & firmiter nectit ac colligat, vt à se inuicem diuelli nequeant: post nodū illum & egressum facilè separantur, sed in egressu nerui perpende quæso naturæ solertiam. Vt neruus rupturæ minus foret obnoxius, hunc tenui adhuc meninge vestitum,

non per foramen quod est eius origini oppositum, traduxit, sed per inferius, quod vbi prælapsus est neruus, non proximam costam adit, sed ad inferiorem descendit, quam vbi attigit, bipartitus ramum minorem versus spinā retorquet, maiorem in anteriora deducit. Hinc neruorum exortum subolfecerat Hippocrates, vt apparet ex lib. de oss. nat. Ex spina neruorum propago prona fertur. A

Ex spinali medulla viginti octo neruorum coniugia scaturiunt, septem ex ceruice, duodecim ex dorso, quinque ex lumbis, quatuor ex osse sacro. Prima coniugatio ceruicis non lateraliter elabitur more aliorum neruorum, sed à posteriore & anteriore parte inter occiput primamq; vertebram egreditur, anteriore ramo in paruos occipitis & vertebrarum musculos substratos & colli disseminatur.

Secunda coniugatio posteriore ramo per latera secundæ vertebræ sursum reflexo, ad capitis cutem, aures, & musculos ascendit, anteriore in musculos secundo spondylo & occipiti communes deducitur. Tertia coniugatio ex foramine secundæ & tertiæ vertebræ communi profecta, statim in duos scinditur ramos, quorum anterior ad eos musculos qui collum flectunt, sese applicat, posterior in musculos caput & collum extendentes, diffunditur. Quarta coniugatio minore surculo & posteriore in ceruicis musculos effertur, maiore & anteriore musculis, brachium & scapulas attollentibus, nec non diaphragmati communicatur. Quinta minore ramo in posticos ceruicis musculos retorquetur, maiore vnitur cum propagine quarti paris, & in quibusdam ramulum à subsequentibus suscipit. Hic neruus à tribus nimirum quarto, quinto & sexto constructus, descendit secundum latus œsophagi per anteriora vertebrarum colli ad nerueam septi transuersi partem, in qua terminatur, in nonnullis, sed rarò exoritur à quarto pari, vt animaduertit Columb. Sexta coniugatio ramo posteriore & minore in musculos posticos reflectitur, anteriore & maiore ramulos educit varios ad brachium & diaphragma pertinentes. Septima coniug. maiore ramo in brachium dispergitur, nonnunquam ad diaphragma surculum transmittit, maiore in posticos musculos expanditur. Ex illa neruorum ceruicis narratione colliges, à 4.5.6.&7. coniugatione quatuor neruos ad diaphragma produci, qui in via intersepiente membrana thoracis fulciuntur. Ab istis coniugijs Nerui sex per totam manum dispersi educuntur, Primus à quarto pari colli enatus in musculum deltoidem & cutim superiectam absumitur, Columbus hunc neruum inter neruos manus non enumerat, quia leuiter brachium attingit, nec alios neruos comitatur. Supererunt igitur tantùm quinque nerui, qui ab ortu suo implexi mox diuulsi, rursum implicati & diuulsi, per axillam intra Scalenum ad securitatem traducuntur, horum tres superiores ex foraminibus emergunt, quæ à quatuor colli inferioribus vertebris efformantur. Quartus emanat à foramine quod hiat inter vltimam ceruicis vertebram & thoracis primam. Quintus prodit ex foramine, quod inter primam & secundam thoracis vertebram intercidit. Quatuor priores per internam brachij partem exporrecti omnibus musculis distribuuntur, vsq; ad extremos digitos, Nulla autem vena in cubiti flexura, vbi secari solent, comitem habent neruum, nisi Mediana, cuius apertio cæteris periculosior existit. At quintus neruus inter cutim & membranam carnosam per internam brachij apophysim delapsus, in cute cubiti terminatur. Si accuratam neruorum manus distributionem desideras ex Syluio repetes. B C D

A vertebris thoracis vndecim tantùm neruorum coniugationes expromi scribit Columbus, licet vertebræ sint numero duodecim, nam ab his foramina vndecim tantùm constituuntur, totidemque sunt costarum interualla, vbi autem Nerui foraminibus exciderunt, in duos ramos inæquales finduntur, quorum alter maior anteriora versus protenditur, alter minor versus posteriora reflectitur, musculis dorsalibus distribuendus. Neruis intercostalibus affectis vocem adimi, docet Galenus historia memorabili cuiusdam ex alto in terram prolapsi, cui ex eo casu dorsi initium læsum fuerat. Hoc probat fusiùs lib. 3. Admin. Anatom. Obseruauit etiam Galenus neruos, qui ex breuiorum costarum vertebris emanant, superioribus intercostalibus maiores esse, & semper in mediam costam bipertitos nactus sum, vt esset vnus exterior foras eductus, alter interior costam perreptans. Huius magnitudinis causam assignat Gal. quia in abdominis musculos abeūt, & magna sui portione visceribus inferni vētris distribuūtur. Hi & lūbares cū neruis costalibus coeūt & E

commis-

A cõmiſcentur, cuius vnionis beneficio partes intra peritonæum contentæ, robur accipiunt ex ſpinali medulla, ſenſum acutum à cerebro, quia Coſtalis ſextæ coniugationis propagatio eſt, ait Gal. lib. 16. de vſu part. cap. 5. Qui in pedem producuntur nerui ſunt quatuor, Tres anteriores qui in anticos femoris & tibiæ muſculos diſſeminantur, Vnus poſticus qui poſticas femoris & tibiæ partes perreptat. Quare non per femur internum vt in brachio, ſed per poſticum profertur, quia brachij articulus diſtat longiùs à vertebris ceruicis, quàm articulus femoris à lumborum vertebris & oſſe Sacro. Galen. cap. 8. libri 16. de vſu part. Anteriorum neruorum primus ex primo Lumbarium vertebrarum foramine egreditur, & per foramen θυρεοειδὲς delapſus in Tricipitem muſculum abſumitur. Secundus à proximo & ſecundo Lumborum foramine prodiens, in Pectineum & vaſtum internum vſque ad genu diffunditur. Tertius à tertio foramine natus, & per eum
B ſinum qui ab oſſe pubis & extremo oſſis ilium efformatur progrediens, Saphænam comitatur, muſculos tibiæ, gemellum internum & ſolæum irrigaturus. Poſticus neruus omnium neruorum corporis craſſiſſimus ex tribus ſurculis ſimul implexis conflatur, quorum duo à ſuperioribus oſſis ſacri foraminibus prodeunt, tertius ab eo foramine quod vltima Lumborum vertebra cum oſſe Sacro componit egreditur: poſtea ſimul coeuntes neruum iſtum inſignem conſtituunt, qui tranſmiſſus per eum ſinum à labro cotyles & tubere Iſchij efformatum, integer & indiuiſus ad poplitem vſque progreditur: vbi in duos ramos inſignes dirimitur, quorum alter iuxta perones caput in tres ſurculos diremptus, duos anterioribus tibiæ muſculis diſtribuit, Tertium ad pedis tarſum tranſmittit, ſingulis digitis ſurculos elargientem. Alter ramus iuxta poplitem ſex ſurculos in po-
C ſticos tibiæ muſculos emittit, deinde ſub gemello interno per fiſſuram interni malleoli deuectus in duos ſurculos diuiditur, vnum tenari communicat, alterum in omnes muſculos digitum flexores deducit, Poſtico hoc neruo in Iſchiade malè affecto, dolor atrox non ſolùm in coxendice conſiſtit, ſed in femur & ſuram atque extremum pedem exporrigitur, quocumque nimirum ab affecta coxendice deductus neruus pertingit ex Fernelio capite 18. libri 6. Pathol.

D

E

A

SECTIO QVINTA:

De Splanchnologia.

B

IN QVA MANVDVCTIO AD ANATOMEN EXPONITVR.

PRÆFATIO, SIVE BREVIS ad ἐγχείρησιν Anatomicam exhortatio.

EMOCRITVS solertissimus operum naturæ perscrutator, cum assiduè dissecandis animalibus occuparetur, æstimatus fuit insanus ab Abderitis; qui miserti hominis sortem aduocarunt Hippocratem, vt illi Medicinam faceret, mentemque perditam restitueret. Rogatus accurrit, & offendit Democritum animalia secantem, quo spectaculo mirum in modum oblectatus omnes Abderitas insanite iudicauit, solum sapere Democritum, quem ex Anatome sapientissimum iudicauit, à quo Anatomen didicit, & tanquam pretiosum thesaurum in patriam reportauit. Cum autem Democritus discedenti Hippocrati pro sua legatione gratificari vellet, velut gratæ recordationis μνημόσυνον, & fidele testimonium contractæ amicitiæ, breue totius Anatomes compendium dedit, cum hac præfatione, vt ad hoc studium vehementius inflammaret Hippocratem. *Omnes artem Medicam nosse conuenit, cum preclara simul res sit, & ad vitam conducibilis; tum verò maximè eruditionis & eloquentiæ peritis. humanę verò naturę descriptio hanc habet speculationem, &c.* Priscum hoc sæculum Abderitanum nostra ætate renouatum video, in qua despicitur & contemnitur medicus qui grauiter rebus Anatomicis incumbit; quarum studium nostris Chirurgis demandatum fuit & commissum, magno nostræ artis detrimento, nostrique nominis infamia. Qui nostris spoliis nunc onusti & honorati, palmam & gloriam faciendæ Medicinæ nobis audent præripere. Nec aliunde nostræ gloriæ iactura, quàm ex Anatomes contęptu repetenda est. Cum enim Medici solam interiorum affectuum curationem ad se pertinere autumantes, viscerum duntaxat cognitionem sibi abundè sufficere existimarunt, Ossium, musculorum, venarum, arteriarum quæ ossa musculosque perreptant fabricam, velut ad ipsos non spectantem neglexerunt,

In epist. ad Hippocratis.

C D E

A runt, atque vniuersam Anatomes administrationem Chirurgis commiserunt. Tum non solum vera viscerum cognitio Medicis perijt, verumetiam dissecandi industria prorsus intercidit: eo quod scilicet hi resectionem non aggrederentur, illi verò quibus manus artificũ delegabatur indoctiores essent quã vt dissectionis professorũ scripta intelligerent, tantũ abest vt difficiliũ artẽ manu ipsis traditã id hominũ genus nobis asseruaret, quin potius detestabilem ritũ in gymnasijs introduxerit, quo alij humani corporis sectionem administrare, alij partium Historiam enarrare consueuerunt. His quidem graculorum modo quæ nunquam aggressi sunt, sed tantum ex aliorum libris memoriæ commendant, descriptáue ob oculos ponunt, altè in cathedra egregio fastu occinentibus: *Hæc queri monia ex Vesalio deprompta est.*
B Illis autem adeò linguarum imperitis vt dissecta spectatoribus explicare nequeant, atque ex Medici præscripto ostendenda lacerent, qui manu sectioni nunquam adhibita tantùm ex commentario nautam non sine supercilio agit. Tales oratores Medicos rideret Galenus si reuiuisceret, qui ad Anatomen manu & oculis dumtaxat opus esse scripsit. Pamphili librum damnant, quod ausus fuerit herbas describere, quas ne quidem per somnium viderat. Id genus hominum Heraclides Tarentinus
C præconibus assimilabat, qui formam ac notas fugitiui mancipij licet ipsi non viderint vnquam præconio tamen publicant: notas enim ab alijs qui nouerint accipiunt, & ceu cantilenas alijs proferunt, vt si forsan is quem præconio indicant astaret, nequeant internoscere. Vtinam apud Philiatros tantum valeret oratio mea, quantum potuit apud Abderitas Hippocratis authoritas: Facilè demonstrare eos omnes desipere, ac in luce Medicinæ cæcutire, qui neglecta Anatome, vel saltem extremis labris delibata ad praxim conuolant, toti remedijs conquirendis addicti, quasi dignitas nostræ artis in Poliphar macia consisteret. Illos autem qui non contenti febres & vulnera agitare, partium quoque naturam per-
D scrutantur, Medicos peritiores ac eminentiores existere. Nihil magis Galenum Romæ commendauit, & omnibus admirabilem reddidit, quàm Anatome, quam ipse proprijs manibus exercebat, Romanis Medicis ostendens modum dissecandi, cum anteà more laniorum Anatomen corporis administrarent. Ac ne longius exempla petantur: Vidimus nostros Chirurgos priusquam Anatomen vsurpassent sibique propriam fecissent, in arte sua rudes & ignaros, quam auxilio Anatomes tam fœliciter excoluerunt & illustrarunt, vt nunc de perfectione cum antiqua Chirurgia certare queat. Pudet me nostras clades nostraque dam-
E na referre, & ad imitandum eos proponere quos habere debemus subditos. Sed hæc exprobratio incitamentum esse debet, ad restituendam Anatomen in antiquam possessionem, vt deinceps Medicorum manu tractetur, gaudeatque cultores habere Medicos. Vt igitur rudes in dissectionibus instruam, praxim cum Theoria, secandi modum cum historia partium coniungam, & in hac sectione facilem manuductionem ad Anatomen declarabo, qua veluti Ariadnes filo conductus, poteris solus singulas partes aptè secare, atque vniuersam corporis structuram accuratè perlustrare.

TOTIVS CORPORIS generalis diuisio.

CAP. I.

Absolutis tribus Anatomicæ doctrinæ partibus, Osteologia, Myologia, Angeiologia, superest quarta Splanchnologia, quam methodo analytica, siue ordine dissectionis explicabo. Quemadmodum Geographi vniuersum terrarum orbem descripturi, ab eius generali diuisione incipiunt: ita nos qui microcosmum mente & manu perlustrare intendimus, conuenit ab illius partitione exordiri. Plures humani corporis diuisiones circunferuntur, Prima est Dioclis Caristij, in Caput, Thoracem, Ventrem, & Vesicam; quæ non videtur Anatomica, cum artus non comprehendat, sed Therapeutica, siquidem hac epistola Diocles pro fundamento constituit; Morbos potissimum in quatuor istis cauitatibus procreari, ex humorum affluxu & collectione; atque secundum eas cauitates proponit Antigono Regi medicamenta, expurgandis & exhauriendis humoribus accommodata. Quomodo Fernelius in sua methodo, corpus vniuersum distraxit in regiones publicas, & priuatas imitatione Galeni cap. 2. lib. 8. κατὰ τόπους, cum agit de vi purgatrice a-loes, & lib. 7. in meth. cap. vlt. & lib. 13. cap. 15. B C

Secunda diuisio ex Aristotele profertur lib. 1. de hist. anim. cap. 7. vbi corpus dirimit in Caput, Collum, Thoracem, Manus & Crura, quam diuisionem expressit Ruffus Ephesius lib. 1. cap. 3. Sed illi considerantes partium externarum appellationes, congruenter ad suum institutum hanc corporis diuisionem proposuerunt. Collum enim continet plures particulas externas, suis nominibus distinctas. At Medici non solum ambitum exteriorem, sed interiorem structuram potissimum contemplantur. Membra autem plura Collum comprehendit quæ thoraci inseruiunt, vel per medium thoracem transeunt. Idcirco collum ad thoracem referunt.

Tertia diuisio ab Ægyptijs Medicis profecta probabilior est. Hi totum corpus Herophilo referente, diuiserunt in Caput, Thoracem, Manus & Crura. Thoracis nomine intelligentes vniuersum corporis truncum, qui à clauiculis vsque ad pubem extenditur. D

Præ cæteris mihi placet illa diuisio Corporis tradita ab Hippocrate, & repetita à Galeno in tres ventres & artus. Per ventres insignes cauitates intelligunt, in quibus viscus quoddam nobile reconditum est. Cum autem sint tria nobilissima viscera, separatis cauitatibus tanquam proprijs domicilijs conclusa, Idcirco tres ventres constituerunt, Caput in quo cerebrum residet, Thoracem in quo cor consistit. Epigastrium in quo jecur collocatum est. Artus verò sunt duo, manus & pedes.

VENTRIS INFERIORIS DIVISIO. E

CAP. II.

Proposita totius corporis diuisione in suas regiones, nunc à qua sit auspicandum scire oportet. Monet Galenus lib. 5. admin. Anat. à ventre inferiore inchoandum esse, ordine necessitatis ità postulante, quia partes quas continet citius putrent & fœtent. Venter autem inferior vel totus & integer spectatur, vel in partes membraque diremptus. In toto & integro considerabis, ambitum, figuram, & compositionem. Ambitus ventris inferioris

A inferioris supernè nothis costis & diaphragmate, infernè ossibus ilium & pubis circunscribitur. Hæc amplitudo in tres regiones distinguitur, ad doctrinæ facilitatem, & partium affectarum discrimen. Recentiores Anatomici superiorem regionem epigastrium vocant, Mediam regionem suprà & infrà Vmbilicum tres digitos æquantem, vmbilicalem appellant, inferiorem regionem Hypogastrium. Primus Galenus hanc ventris diuisionem proposuit, com. ad. Aphorism. 35. lib. 2. Sed alijs nominibus explicauit, partem superiorem appellat ὑποχόνδριον, Mediam τὰ περὶ τὸ ὀμφαλόν, inferiorem vocat τὸ ἦτρον.

Humani ventris figura à reliquis animantibus diuersa est, quam primus indicauit Hippocrates sect. 3. part. 47. lib. de art. *Homo pro magnitudine corporis ventrem habet angustissimum, à posteriori parte in priorem, præcipuè ad thoracem.*

Ventris substantia carnea facta est, vt contrahi vel distendi posset; ob alimenti
B coctionem, excrementorum suppressionem, atque fœtus gestationem.

Componitur ex multis partibus, quæ diuiduntur ab Hippocrate in sublimes, & profundas. Sublimes Galenus interpretatur, quæ supra peritoneum consistunt; profundas quæ peritonei inuolucro comprehenduntur. Alibi Galenus sublimes vocat epigastrium, profundas hypogastrium. Placet mihi partium ventris inferioris diuisio, ab antiquis Anatomicis Carpo & Thoma de Zerbis tradita, In continentes & contentas. Continentium quasdam communes faciunt, alias proprias. Communes quinque numerant Cuticulam, Cutim veram, Membranam Adiposam, Carnosam, Musculorum communem tunicam. Proprias constituunt Musculos abdominis, & Peritoneum. Contentæ partes diuiduntur à Galeno in nutritias, & genitales. Ex nutritijs quædam concoquunt, aliæ separant, aliæ ex-
C pellunt, aliæ transmittunt, aliæ suscipiunt, aliæ salubrem succum in omnem corporis partem deuehunt. Galenus lib. 5. de vsu part. cap. 14. & lib. 1. de natural. facultatibus cap. 10.

DE CVTICVLA.

CAP. III.

CONTINENTIVM prima pars Cuticula, siue Epidermis dicitur; tenuissima cutis efflorescentia cœparum pelliculis similis, sensus expers
D & exanguis, quæ nascitur partim ab oleoso cutis humore, partim ab habituoso & humido subiectarum partium vapore; qui non aliter à frigore externo densatur, quàm in summo pultis pelliculam ex vaporibus elatis generari & concrescere videmus. Scio quosdam Anatomicos Capiaccium, & Bauhinium prodidisse, cuticulam produci in prima cutis generatione; dum semini permistus sanguis efferuescit: vi caloris protrudi ad superficiem corporis florem sanguinis, seu vaporem humidum qui aeris ambientis frigiditate condensatus, in cuticulam vertitur. quasi illa formaretur ante partium internarum delineationem: In quibus describendis & figurandis semen omne absorbetur, priusquam sanguis accurrat ad earum incrementum & conformationem. Hæc autem toti cuti supertensa, in ambustis manifestè cernitur, & deperdita faci-
E lè redintegratur. Hanc propter ea vetulæ psylotris detrahunt, vt noua & splendidior renascatur. In cadauere separari non potest à cute, nisi candelam ardentem admoueas; tum cuticula ignis vi instar vesicæ abscedit.

DE CVTE. A

CAP. IIII.

CVTIS commune totius corporis integumentum, Græcis δέρμα dicitur, propter facilem excoriationem; vt imperitus ille Medicus Manes hæresiarcha vitæ suæ periculo expertus est. Substantiam habet ab alijs membranis diuersam, ex semine & sanguine simul mixtis conflatam; ita tamen vt semen prædominetur; ex quo spermatica iudicatur. Cum igitur à semine suum ortum trahat, primaque partium in fœtu producatur (si credimus Galeno) non potest ex carne siccata procreari; quoniam intersectam habet B pinguedinem, & à subiectis carnibus facilè diuellitur, quod neutiquam accideret, si carnis esset superficies exsiccata. Multò minus poterit efformari, ex arterijs, venis & neruis in extremitate corporis dilatatis, simulque concretis, vt opinatus est Columbus: Cui concinit & subscribit Varolius, dilatationem illam ad neruos solos contrahens: quorum filamenta sanguinis infarctu oppleta, in cutem degenerare putat, quemadmodum folia Nympeæ, ex tenui pediculo expanso generari solent. Huius opinionis liceret authorem Galenum aduocare, qui in defin. med. cutim definit corpus neruosum totius corporis superficiem exornans. Alibi cutem neruum sanguine præditum appellat. Certum est cutim vt esset tactus instrumentum, plurium neruorum extremitates excipere, quamuis nullos habeat peculiares, vt notauit Galenus. Cutis inquit Hippocrates quia coniuncta nerC uo caliditatem & frigiditatem patitur. Quare non est audiendus Aristoteles cutē sensu destituens, ac si carnis subditæ duntaxat beneficio cutis sentiret. Quamuis crassa sit eius substantia, non conflatur tamen ex duabus pelliculis, vt contendit Massa, qui cutem veram duplicem constituit, interiorem candidam & mollem, externam duriorem, quas acie nouaculæ aptè diuidi & secari posse sustinet. Perpetuo contextu vniuersum corpus instar vestis tegit & inuoluit, ab eoque figuram mutuatur, cum nullam habeat propriam, hîc æqualis, illic inæqualis existens. Continua est, nisi vbi meatibus naturalibus datur exitus. Porosa tamen & vbique foraminulenta, ad insensilem transpirationem, sudorum & fuliginum excretionem, qua ratione Plato in Timæo cutim reti piscatorio comparauit. Hæc insensilia spiracula quamuis in humida cute non appareant, in arida tamen conspicua sunt, ab- D sorpto nimirum humore quo cutis madescebat, tumque tenuis & pellucida euadit, vt ex ea quendam Persarum Regem vsum fuisse ad fenestras parandas referat Oribasius in aphorism. Sed in ista tenuitate tantum robur obtinet, vt ex pelle humana velut ex corio, tympanum resonans confectum fuerit, vt docet Æneas Syluius in hist. Scythei. At pellionum arte apparata, crassa & intus tomentosa euadit, similis omninò pelli ceruinæ, ex qua chirotecæ parantur. Cutis naturaliter in adultis albicat, in puellulo rubet vsque ad septimum diem, tumque flauescit si vitalis futurus sit; quia cum probè nutritur, hoc tempore subcutaneus adeps generatur: tandem flauities illa sensim euanescit, ita ut quadragesimo die candida cutis appareat, partim ex ambientis aeris contactu, partim ex adipe subiecto. In morbosis hominibus dominantis humoris colore tingitur. In ictericis flaua, in melancholicis fusca cer- E nitur. Cutis actio nulla est, vestis vsum dumtaxat corpori præstat.

lib. de humid. vsu.

Sic eam in abdomine separabis, vmbilicum filo reuinctum (vt demonstrari queat cum ad peritoneum ventum erit) circulariter incides, qui vt contexti perfectique corporis postremum opus est, sic principium est retexendi & dissecandi. Deinde nouacula rectam sectionem duces à xyphoide vsque ad pubem; & ab vmbilico transuersam alteram sectionem trahes, vsque ad lumbos: tum ab angulis cruciatæ sectionis cutim ab adipe separabis vsque ad pubem, & thoracem: donec totus adeps ventris inferioris compareat.

DE

A

DE MEMBRANA ADIPOSA.

CAP. V.

CVTIM sequitur Membrana adiposa, tertia continentium pars; quæ fit & exurgit à tenuiore & pinguiore, magisque aerea sanguinis portione, per tenues venarum tunicas instar roris exudante. Concrescit in eam consistentiam propter fibras, quas retinet à sanguine, atque propter membranarum densitatem ad quas appellit. Albedinem
B contrahit, à tenui subtilique aëre mixto cum sanguine puriore, atque etiam à candore membranarum. Huic membranæ adiposæ pelliculam quandam nerueam prætensam imaginatur Picolominus, hac inductus ratione, quod in viuentibus vapores sanguinis subtilioris per cutis spiracula effluerent, nisi eos densa quædam membrana retineret ac cogeret, quæ tamen non reperitur nisi eam extimo adipi intertextam voluerit.

DE MEMBRANA CARNOSA.

CAP. VI.

C

ADIPI subiecta est Membrana carnosa, ab exortu carnoso iuxta lumbos, ex Galeno; vel prope ceruicem ex Columbo sic appellata. In puerulis tota carnea visitur, in adultis verò ob continuam exsiccationem à motu musculorum, membranam potius refert nerueam. In brutis animantibus pinguedinem præcedit, proptereà corium liberè mouent & corrugant. Cum autem duæ istæ membranæ, Carnosa, & Adiposa, sint insepa-rabiles; vnicam partem videntur constituere, quæ toti cuti subiecta, interueniente adipe, Adiposa nominatur: Alicubi assumpta carne fit Carnosa vt in facie & ceruice. Alibi tantum neruosa est, ideoque à se inuicem diuelli separarique ne-
D queunt. Carolus Stephanus in sua Anatome membranam carnosam liquatæ pinguedinis reliquias esse demonstrat, quoniam in obesis corporibus adipe multò circumfusa est, vt nullum eius vestigium appareat. In gracilibus & emaciatis colliquatâ & iam exhaustâ pinguedine membranam refert. Id verum esse experieris in obæsis cadaueribus, si pinguedinem ad ignem fundas & colliques, videbis membranam crassam superesse. Carpus antiquissimus Anatomicus pro membrana carnosa accipit musculos abdominis, qui simul vniti inuolucrum quoddam carnosum constituunt, nec aliam membranam carnosam quærēdam esse putant.

DE COMMVNI MVSCVLORVM tunica.

E

CAP. VII.

POSTREMA continentium pars, communis membrana musculorum occurrit, quæ vel à prima conformatione, vel à fibris musculorum enascitur. Decem abdominis musculos succingit, ac in suo situ continet. Non potest exactè separari, nisi à parte superna obliqui musculi descendentis incipias, quam vbi distraxeris indito digito, vel nouaculæ manubrio facilè seiunges vsque ad musculum rectum.

DE MVSCVLIS ABDOMINIS. A

CAP. VIII.

ETRACTA musculorum tunica, musculi abdominis occurrunt, quorum historiam in Myologia enarraui: nunc quo artificio secari debeant docebo. Incipies à musculo obliquo descendente, cuius fibras carnosas serrato maiori digitatim implexas euelles. Deinde ab ipsis costis & obliquo interno nouaculæ manubrio vel digitis clementer diduces; cum ad lumbos perueneris superiectam musculi latissimi portionem auferes, vt exactè possis illum à triangulari separare, ductoq; ad inferiora scalpello ab ilium costa liberabis, cui contumaciter adhæret. Postea versus ventris medium progrediens, in alterum ventris latus illum reclinabis, vt in conspectum veniat alter obliquus ascendens, quem à costa ilium cui tenaciter affigitur resectum, perduces ad lumbos, vbi à transuerso liberabitur: deinde sursum recurrentem ab ipsis costis separabis, Hunc more primi obliqui ad lumbos diuisum, ad musculum rectũ deduces, quem duplici aponeurosi vtrinq; amplexatur. Superior aponeurosis cum tendone primi obliqui coalescit, inferior altera cum tendone transuersi vnitur. Cauebis diligenter ne offendas cremasterem musculum extremitati obliqui ascendentis inhærentē. Oritur ab antica & superna spina ossis ilium, & apophysi peritonei circũtensus, in scrotum delabitur. Rectum musculum in linea candida commodè separabis, intactis eius extremis. Inferiori extremo superstat & incumbit paruus musculus pyramidalis dictus, qui ab antica & superna ossis pubis parte eductus, intra musculos rectos cum suo congenere paulò infrà vmbilicũ desinit. Vt manifestior appareat spectantibus, vnguibus tantum leniter separabitur. Transuersus musculus peritoneo incumbans & adhærens, non facilè separatur. Hunc tamen si cupias euellere, ab alijs partibus quibus obligatur rescindes, & clementer à peritoneo solis digitis diduces.

B

C

DE PERITONEO.

CAP. IX. D

ETRACTIS musculis apparet Peritoneum, membrana omnibus ventris inferioris partibus circumtensa: Id enim sonat Peritonei dictio. Firmat & continet in suo situ omnia ventris membra, singulisque membranas largitur. Ad eum vsum Peritoneũ natura non simplici, sed gemina membrana cõposuit, quæ in partibus anterioribus & posterioribus iuxta spinam, atq; inferioribus ad pubem conspicuò separatæ cernuntur. siquidem vasa vmbilicalia inter geminas Peritonei tunicas traducũtur, & renes duplicato Peritoneo includuntur, quinetiam vesica eiusdem duplicaturâ sublimis appenditur, vt autem validius & robustius esset, fibras multiplices obtinuit, euidentes, si membranæ distrahantur, quamuis eas Galenus & Vesalius nõ agnoscant. Vndequaque continuum est, nulla in parte perforatum; nec enim dehiscit dum œsophagum & arteriam magnã admittit. illis tantum cedit, & veluti intropellitur: vasa spermatica inter geminas Peritonei tunicas delata, per exterioris membranæ processus in scrotum delabuntur. Processus iste dictus iatrocelis Dydimus, viris & mulieribus communis est. per hunc in mulieribus rotundum vteri ligamentum ad clytoridem defertur, & in hac parte mulieres, quemadmodum viri bubonocelem patiuntur; quicquid reclamet Vesalius in examine obseruationum Fallopij. Forsan mulieribus peritoneũ productum est in inguina, vt per eam apophysim magnæ distensioni sufficiat in prægnantibus. Cæterum cum Peritoneum duplici constet tunica, interiore ventris finibus coercita; exteriore in scrotum producta, veram esse opinionem Fernelij puto de lacetatione Peritonei in hernijs. Scribit in omni E

A omni enterocele atque epiploocele tunicam interiorem necessario disrumpi, exteriorem verò duntaxat laxari.

DE VMBILICO.

CAP. X.

DISSECTO Peritoneo primus se offert Vmbilicus, vasorum quatuor vmbilicalium nodosus coitus, quorum beneficio fœtus in vtero alebatur. quem vsum post partum, in alium non minus necessarium permutant. Nam vena embryi nutricula fit liga-
B mentum hepati. Arteriæ vmbilicales cum vracho vesicam suspendunt. eorum necessitas & dignitas satis intelligitur, ex vulgato illo Ægyptiorum supplicio, de quo Leo Affer lib. 8. suæ hist. & Scaliger exercit. 248. Fabricius Hildanus in suis centuriis chirurgicis narrat, vidisse hominem subito extinctum dissecta vena vmbilicali, ex vulnere supra vmbilicum accepto, integris & inoffensis intestinis. Propterea soleo vmbilicum comparare lapidi triangulari, ὀμφαλὸν etiam vocat Aristoteles lib. de mundo cap. 6. qui totam ædificij structuram substentat, quo sublato tota moles corruit. sic vmbilicus vena vmbilicali hepar sustinet, nè pondere suo premat ventriculum, deorsumque trahat diaphragma. Arteriæ & vrachus suspendunt vesicam, ne in coxarum antrum deiecta, suppressionem vrinæ adferat. Cum autem pondere istarum partium
C vmbilicus naturaliter intro cedat, mirum est ex leui compagis vertebrarum dimotione indecorè vmbilicum prominere, quod vitiû à mulierculis Germanis in nundum ephœbis, cute circà extremum dorsi spondylum digiti prehensa, atq; in sublime tracta curatur. Affectus vmbilici graues sunt, cum ista pars sensibilis sit admodum: vnde inter tormenta quibus veritas reis extorquetur, illud solemne est frigidam vmbilico affundere, quo nullum grauius excogitari potest supplicium. Cæterum Galenus, veteresque Medici centrum corporis in vmbilico collocarunt. Vesalius Galeni sententiam ausus est improbare, nixus authoritate Varronis lib. 6. In ossium pubis coalitu corporis exquisitum medium constituit. Ego verò duplex corporis centrum agnosco, longitudinis, & rotunditatis. Longitudinis centrum est in symphisi ossium pubis. Rotunditatis centrum vmbilicus. Nam si in homine resupino manibus pedibusque expansis, pedem circini vmbilico affigas, alterumq;
D per extremitates manuum & pedum circumducas, exactum circulum efficies, cuius erit centrum vmbilicus, quem etiam ventris inferioris centrum esse statuo cum Aristotele: vnde cum inferior pars subiecta vmbilico, superiorem longitudinem excedit, Ilias morborum in ventre inferiore excitatur propter cruditates ibi congestas, vt explicat Arist. probl. 23. lib. 10.

DE OMENTO.

CAP. XI.

E VASIS vmbilicalibus succedit omentum quasi operimentum, inde apud Festum obmentare, quod tegere significat, Græcis ἐπίπλοον, nostris (*la Crespine*) membrana est adiposa superioribus intestinis innatans, & fundo ventriculi adhærens, oritur à caua lienis parte, tota colli longitudine, & ad vmbilicum naturaliter vsq; protensa, nonnunquam ad inguina excurrens, dein sursum ad fundum ventriculi reflectitur: vel potius istis partibus adnascitur, cû eius origo sit à prima conformatione. Interdû etiâ hepatis lobo adhæret, vt notat Galenus lib. 6. adm. anat. qui tamê suæ operationis oblitus aph. 55. sect. 7. reprehendit, propter hepatis & omenti distantiam. Duabus igitur constat membranis sibi ipsis incumbentibus, & nusquam in medio vnitis, quã compositione figuram marsupij eleganter exprimit. Superior membrana ab inferiore non

tantum situ, verum etiam vasorum magnitudine discrepat, nam interior paucioribus & minoribus venis conspersa est. Pro varia corporum constitutione, omẽtum A
suam molem euariat, in gracilibus macilentum est, in obesis pingue & humidum, ab eo ventrosi ὀπισθοκομίζω dicuntur, quibus tremit omento popa venter. Quærit Fallopius in obseruat. quo fine libera & vaga omenti portio facta fuit. Respondet Vesalius in examinatione obseruat. Fallopij huius vtilitatem esse, neruos, venas, arterias in ventriculum, lienem & intestina distribuendas fulcire, cum canibus multisque animalibus nulla Omenti portio intestinis adhæreat. Galenus omentum calefaciendi ventriculi causa constructum esse scribit. Idque demonstrat exemplo gladiatoris, cui cum magnam eius portionem per vulnus erumpentem amputasset, peius coquebat, facileque lædebatur, nisi ventrem assiduè lanis obuolutum haberet. At multoties in vulneribus & hernijs vidi, fermè totum omentum abscissum, sine vllo deprauatæ coctionis incommodo. B

DE VENTRICVLO.

CAP. XII.

REMOTO Epiploo viscera conspiciuntur, quorum Anatomen aggrediar à præstantiore nimirum ventriculo, primæ coctionis χυλώσεως officina, propterea Græcis dicitur κοιλία, non tam ἀπὸ τῆς κοιλότητος, quam ἀπὸ τοῦ χυλοῦ, ab alimento. Cuius conceptaculum est, & scaturigo, Propterea dum plenus est, ab eo omnes partes trahunt vicissim, dum vacuus est corpore fruitur colliquescente. Et quemadmodum arboribus terra, ita a- C
nimalibus ventriculus & nutrit, & calefacit, ac frigefacit. Principatum itaque meritò huic visceri defero, cuius dignitatem tantum extollit Serenus Sammonicus quantum Plinius deprimit, lib.16. cap.8. Qui stomachum Regem totius corporis esse contendunt, vera niti ratione videntur.

Ex Hipp. lib. 4. de morbis, & lib. de humid. vsu.

Huius enim validus firmat tenor omnia membra,
Et contra eiusdem firmantur cuncta vigore.

Substantia constat membranosa, dura & densa. Ventriculus inquit Hippocrates li. 4. de morb. res est valida & robusta, sicut pellis & corium, & plærique ex Lybiæ incolis pellibus pecorum pro vestibus vtuntur, ventriculis autẽ pro sacculis & vtriculis. Quare non ineptè Celsus membranas vẽtriculi tergora appellat. talis substantia membranosa Ventriculo concessa fuit, vt in ingluuie facilè dilataretur & comprimeretur. Sed nonnunquam distenditur & attenuatur, vt postea vix contrahi D
possit pristinamq; firmitatem recuperare; quæ causa est in gulosis & voracibus diuturnæ ventriculi atoniæ, vt notauit Rondeletius c. de imbecillitate stomachi, quod ex Gal. depromptum est li.3. de sympt. causis, c.2. Natura vt huic incommodo prospiceret, non simplici tunica, sed duplici ventriculum construxit. Exterior carnosa existit, quæ in fundo nõ est crassior & carnosior quàm alibi, huic circumjecta est quædam tenuis à peritoneo. Interior neruosa est ventriculo & ori continua; vnde imminente vomitu inferius labrum palpitat, & dentientes pueri cõtinuò vomunt. Interiorem tunicam oblinit crustosa quędam membrana, ab excrementis tertiæ coctionis genita. Præter eam membranam crustosam obseruantur rugæ, ad retentionem alimentorum comparatæ, quas Syluius non admittit, nisi dum ob inanitatem contrahitur ventriculus, vt venter quarundam mulierum à partu. Ad robur & E
firmitatem membranarum, natura multiplices fibras addidit. In externa tunica orbiculares, in interiore rectas & transuersas. Ventriculi magnitudo Hipp. li. de structura hominis, quinque palmorum latitudinem æquat, quæ tamẽ certò non potest definiri, cum ventriculus corporis magnitudinem sequatur. debet enim esse æqualis & proportionata corpori magnitudo ventriculi, alioquin vitium aderit in magnitudine, vt cuidam accidisse memorat Galenus cap. 71. art. paruæ. Ventriculum ille adeò paruum ac rotundum habebat, vt circumscriptio propria & videntibus & tangentibus appareret. Natura Ventriculum in abdomine locauit, septoque separauit à thorace, non tantum ad respirandi libertatem & faciliorem dilatationem: Sed ne fœdo eius odore partes superiores inquinarentur.

A inquinarentur. Medius inter iecur & lienem consistit, instar lebetis feruentis inter duos focos. Sed non propterea medium abdominis occupat, cum ferè totus vergat in hypochondrium sinistrum propter loci vacuitatem. Rotundam figurã quadamtenus oblongã obtinuit, ad capacitatem & cõmodiorẽ chyli euacuationem, cuius portionem retineret si esset inæqualis & angulosa. In quadrupedibus magis sphærica est, quia dorsum habent carinatũ, intùs concauũ, à quo rotundatur ventriculus, hominibus verò dorsum est latum, quò fit vt rotunditas ventriculi in longitudinẽ abeat, quæ in homine rotundæ præstat. qui enim rotundum habent ventriculũ statim à pastu difficulter respirant, ventriculo premente diaphragma. Ventriculus pennatus animantibus duplex datus fuit, Ruminantibus quæ alteram tantum maxillam dentatam habent quadrigeminus, nobis autem vnicus est, vt & animalibus vtraque parte dentatis: etiamsi Hipp. scripserit lib. de arte, Corpus non vnum habere ventriculum, sed plures. duo enim sunt qui cibum accipiunt, & dimittunt, Alijque præter hos plures, quos norunt, quibus hæc res curæ fuit. Hoc in loco Hipp. per secundum ventriculum alimẽto dicatum, intestinum intelligit, quod ex eodem, à ventre extat, ventriculo consimile, longũ cubitorum non minus duodecim &c. lib. de corp. resect. Per alios ventres intelligit cauitates corporis. Nam sæpe apud Hipp. venter seu ventriculus, pro cauitate accipitur. Cæterum cum sit venticulus cibi receptaculum, introitum, & egressum habet. Introitus siue superius orificium stomachus dicitur, sedes humidi & sicci alimenti appetentiæ, incubatque vndecimæ thoracis vertebræ, cui topica medicamenta adhiberi debent. Egressus Pylorus nominatur, quoniam ianitoris instar viam edulijs intercludit, donec perfecta sit & consummata chylosis, vel quia portæ modo, in inferiores partes ea quæ excreturi sumus, emittit, ait Celsus. Retentionem istam firmat pylori crassities, circularibus fibris prædita: non glandulosa duo corpora, vt inique Vesalius imposuit Galeno, & credidit Fernelius. quæquidem in cane alijsque animalibus reperiuntur. Notat Platerus fœtorem anhelitus oris, interdum contingere à nimia pylori laxitate, cum dentes sunt integri, & pulmones vitio nullo contaminati, nam ex intestinis continuò sursum expirant fœdi vapores, quibus oris spiritus inficitur.

B (margin letter, beside "malibus vtraque parte dentatis")

C (margin letter, beside "nec perfecta sit")

DE INTESTINIS.

CAP. XIII.

D

PYLORO continuata sunt intestina, corpora concaua, teretia, excipiendi chyli & expurgandarum fœcum instrumenta. In eorum historia hunc sequar ordinem, vt primum ijs quæ toti organo communia sunt explicatis, ad ea quæ singulis partibus propria sunt deueniamus. Intestina vt ventriculus duabus constant membranis, carnosa & neruosa, partim vt facultas eorum expultrix esset validior, partim vt iacturam & detrimentum vnius altera compensaret. Vidit Galenus multos ex graui disenteria erosa iam interiore tunica & regenerata conualuisse, propter exterioris integritatem: Ob eam solam causam natura intestinorum tunicas contrario atque in ventriculo situ disposuit. Interiorem tunicam obducit crustacea & fungosa quædam substantia E ab excrementis tertiæ coctionis genita, quæ fungitur valuæ officio ad impediendũ chyli refluxũ, vel ne à sordibus occęcaretur venarũ mesaraicarũ oscula. Per eam veluti per filtrum à venis mesaraicis instar hirudinum, tenuis chyli portio exugitur, ibique fit tenuis chyli à crasso, puri ab impuro secretio. Robur intestinis addũt fibræ multiplices, rectæ, trãsuersę, & circulares, quarũ ope excremẽta foràs propelluntur, & peristalticus intestinorũ motus supernè deorsum perficitur. Galenus tamen vnicũ genus fibrarũ transuersis intestinis tribuit, alibi plura, quã contrarietatẽ enodat & euoluit Rorarius in cõtradict. Nec tantũ fibrarũ beneficio facultas expultrix iuuatur, verũ etiam retẽtrix, quicquid Gal. cõtra scripserit, vt loco citato explicat Rorarius. Vnde post curatam dysenteriã erosis & cõsumptis intestinorũ fibris, inuoluntariũ alui fluxum succedere vidit Beniuenius lib. de abditis morb. caus. In mẽbranis verò substantiæ disparilitas obseruatur; sunt enim alicubi tenuiores, alibi

aliquã

craſſiores; & ratione huius ſubſtantiæ diuerſæ continuitas Inteſtini, in tenue, &
craſſum diuiditur. Vtrumque rurſus pro ratione figuræ, ſitus, magnitudinis & A
inſertionis venarum, in tres partes ſecatur: & ità comprehenduntur inteſtina ſe-
nario numero. Tria ſunt tenuia ἔκφυσις, Ieiunum, Ileum; Totidem craſſa, Cæ-
cum, Colum, & Rectum, Duo tantum conſtituit & nominat Hipp. Colum, &
Rectũ. Inteſtinorum longitudo Hippocrati eſt cubirorum ferè tredecim vel non
minus duodecim. Recentiores obſeruarunt reſiccata inteſtina, ſepties, vel vt alijs
placet ſexies corporis longitudinem æquare, quod de interiore tunica verum eſſe
crediderim, cum exteriore duplo ſit longior, ob rugas tranſuerſas in gracilibus, &
cellulas in craſſis inteſtinis. At ſi cum inteſtinis œſophagum & ventriculum com-
prehendas, cum eadẽ ſit continuitas, hanc longitudinis menſurã inuenies. Tanta
longitudo tortuoſo & miro volumine diſpoſita eſt, ad perfectæ diſtributionis mu-
nus, ne alimentum confeſtim elabens gulæ inſaturabilique abdomini nos ſubiu- B
gatet, & ne ſordido crebriùs deiiciendi miniſterio, indignæ hominis dignitate
ſeruituti nos manciparet. Quæ verò animalia vnicum habent inteſtinum à ven-
triculo rectà ad anum protenſum, inſatiabilia ſunt, plantarum modò aſſiduè cibis
addicta. Talis erat voraciſſimus ille diſſectus Monſpeſſuli, qui vnicum habebat
inteſtinum ampliſſimũ in S Romani modum inflexum, ſine alia reuolutione. In-
terim notabis contra veterum Medicorum doctrinam, tenuia inteſtina inferiora
eſſe, mediúmque ventris ſpatium occupare: Craſſa ſuperiora, vt inſtar ſepimenti
tenuia obuallarent. Hæc de inteſtinis in genere dicta ſint. Pergo ad ſingulatem
cuiuſque inteſtini deſcriptionem. Primum ἔκφυσις à pyloro emergit, craſſum, du-
rum atque arctiſſimum, ne chylus affatim & impetuosè defluat, in anfractuum
princincipio terminatur, vbi incipit ieiunum quod in diſſectione reliquis inanius C
apparet: huius vacuitatis triplicem cauſam aſſignat Galenus lib. 4. de vſu part. ca.
17. ſupra vmbilicum pluribus gyris circumuolutum, & ad ilia vſque extenſum de-
ſinit ad ileum, quod tenuiorum poſtremum eſt; ſub ieiuno varijs anfractibus ad co-
xas vſque circumducitur & in appendice terminatur. Solum hoc enterocelem fa-
cit, cum ſit pubi proximum. Diſtinguitur à ieiuno quod ieiunum ſit rubicundius,
pluribus venis ſcateat & ſemper inanius, atque breuius appareat; cum ſolum ileum
reliquorum inteſtinorum longitudinem ſuperet. Gracilibus inteſtinis ſuccedunt
craſſa, quorum primum eſt cæcum cum ſua appendice, in modum lumbrici con-
tortâ; quam veteribus hyram dictam puto, ſiue hylam à minuto quodam apice ni-
gro qui fabæ capiti adhæret. De hoc inteſtino magna eſt inter Anatomicos con-
trouerſia. Quidam pro cæco accipiunt epiphyſim illam vermicularem amplio- D
rem vt volunt in fœtu, quàm in editis, vt recipiat & contineat meconinum excre-
mentum alui, ſed hoc falſum conuincit autopſia quæ breuiorem, anguſtiorem, ac
ſolidam, non cauam, demonſtrat. Obſeruaui hanc epiphyſim formari ex coalitu
trium ligamentorum coli inteſtini, quibus diſtractis & euulſis, appendiculus obli-
teratur. Syluius cæci portionem in iſtam epiphyſim degeneraſſe ſuſpicatur, vel po-
tius accreuiſſe, cũ huius particulæ apud veteres Anatomicos nulla mentio fiat. Suã
opinionem probat ex Hippocrate 6. epid. Cola homo habet cani ſimilia, ſed maio-
ra. Cæcum autẽ in canibus latũ eſt, vniforme, ſine hac epiphyſi. Ergo ſimile fuit o-
lim cæcum inteſtinũ hominis. Nicolaus Maſſa ſcribit inteſtinũ cœcũ vidiſſe ven-
triculo maius, ſæpè tamen minus, & planè mediocre, & vtrumq; ſine hac epiphyſi;
quam adeſſe tamen ſcribit, cũ inteſtinum cœcũ tã paruum eſt, vt coli pars videatur. E
Cum Igitur huius inteſtini anguſtum ſit ſpatiũ, imò nullũ in homine: merito Pol-
lux inteſtini nomine cæcũ dedignatus eſt, cũ ſit tantum συναπλόν τι τῶ λεπτῶ. Colum-
bus rem acu tetigiſſe videtur, dum ſcribit veteres bruta diſſecuiſſe in quibus quic-
quid ab extremitate tenuium inteſtinorum ad colum vſque porrigitur, quod eſt in
confinio vtriuſque inteſtini, ampliſſimum apparet, ac veluti ſacci ſpeciem præbet
vt videre eſt in bobus & ſuibus, quæ hac epiphyſi carent: ideóque veteres eius non
meminerunt, quia nulla reperitur in brutis animantibus. Si velis aliquam inteſtini
partem pro cæco accipere, poſſes non ineptè coli principium vſque ad valuulam
aſſumere. Cœco inteſtino ſuccedit colon, quod à dextra parte prope renem
oritur, vertebris tenaciter affixum. Inde fertur ſub ſima hepatis & fundo
ventriculi, deinde verſus lienem progrediens, lieni ſiniſtro alligatur, vbi
ſæpius

A sæpius in S Romani modum reflectitur, tandemque in ossis sacri principium desinit. In eo intestino plurima veniunt obseruanda: Imprimis valuula initio colli posita, sursum remeantibus excrementis obsistens: tria lata ligamenta per coli longitudinem exporrecta, ne flatuum incursionibus qui in eo potissimum cumulari solent disrumperetur. Ex his quoddam est latius cellulas efformans, eo modo quo in collarijs mulierum, filum per longitudinem protensum plicaturas efficit & continet; quo rupto mox abeunt & dissoluuntur. Cum autem ad hyppochódrium sinistrum colon peruenit, cellulis caret, & angustius redditur, quò fit vt colici dolores in ea parte acerbiores existant. Inde colliges enemata semper iniici debere corpore in latus dextrum reclinato, vt laxitas intestini angustioris conseruetur. Vbi renem sinistrum superauit in S Romani modum contorquetur, quæquidem reflexio in quibusdam maior est, in alijs minor. Si magna fuerit clysteris in-
B tromissionem impediet. Secundum coli longitudinē obseruantur fimbriæ adiposæ, quibus iuuatur coctio eorum quæ cruda in intestinum prolapsa sunt. Propè lienem Peritonæo alligatur interuentu membranosi ligamenti, Infra renem sinistrum lumbis astringitur, itaut vago ductu oberrare nequeat.

Sextum intestinum rectum appellatur, incipit vbi desinit intestinorum circumductio, ossi sacro superiectum & adhærens, rectâ pergit in anum: clauditur musculo sphinctere, ne citra nutum & arbitrium nostrum fæces effluant. In viris vesicæ ceruici, in mulieribus vteri collo connascitur. Qua parte musculus est ἐσφιγμένον astrictum, qua verò laxius est, nec musculo constringitur, χαλαρὸν, laxum dicitur, inquit Gal. lib. de dissect. vuluæ.

Huius intestini substantia contra naturam aliorum intestinorum carnosa est, vt
C notauit Hipp. ac proinde incisa & vulnerata facile consolidatur, vt obseruauit Nicolaus Massa in sua Anatome. Quod prius fuerat animaduersum ab Hipp. li. de hæmorrhoidibus. Rectum intestinum & secans, & resecans, & consuens, & vrens, & putrefaciens, etiamsi hæc grauissima esse videantur, nihil læseris. Quod dictum sit aduersus recentiores Medicos, qui vetant hoc intestinum ferro attingere, ne inuoluntaria fæcum excretio consequatur.

DE MESENTERIO.

CAP. XIIII.

D NE varijs anfractibus contorta intestina inuicem confunderentur, natura vinculum quoddam construxit, cuius beneficio vnumquodque in suo situ firmatur & conseruatur; eiusmodi vinculum Mesenterium dicitur. Componitur ex duabus membranis, glandulis & adipe multo confertis; membranosa eius substantia peritonei soboles est, cùm nil aliud sit, quàm peritoneum ad lumbos duplicatū. Inde Mesenterij & lumborum Sympathia, Paralyseos & nothi doloris colici mutua successio, qua parte situm est inter septum & renes, tenaciter spinæ adhærescit, naturam habens ligamenti, quod ἄρτημα μεσεντέριον nuncupatur, ex Galen. lib. 6. Adm. Anat. cap. 6. Pro differentia intestinorum in Mesaræum siue μεσάραιον, & mesocolon diuiditur. Mesaræon ea est Mesenterij portio quæ tenuia intestina colligat. Mesocolon verò pars Mesen-
E terij, quæ crassa comprehendit. Sed inanis videtur ista distinctio, cùm nulla pars Mesenterij crassis intestinis adhæreat: Adde quod Mesaræon nomen est totius Mesenterij, ἀραιὰν veteres ventrem & omne intestinum appellabant, ex quo ad hæc vsque tempora hoc nomen Mesaræon deriuatum est, inquit Ruffus. Venas habet à porta, arterias à cœliaca, multiplices neruos recipit tam à sexto pari, quàm à lumbaribus: Propterea exquisito sensu præditum est, nec possum adduci, vt cum Fernelio credam, eam partem valde sensilem inflammari sine manifesto dolore, solumque grauitatis & ponderis sensum habere. Imo valdè sensile Mesenterium arguit nothus dolor colicus ab eodem Fernelio obseruatus, & origo Mesenterij à peritoneo, cuius acer dolor est. Glandularum Mesenterij genus duplex, vt & vsus obseruatus, quædam sunt densæ & siccæ sublimem vasorum diuisionem firmantes, ne vasa con-

stringantur, ab oppletis & distentis intestinis, vel à compressione abdominis, atque A
ita chyli præpediatur anadosis. Aliæ sunt raræ, spongiosæ & humidæ, intestina madore suo proluentes: pituitosum humorem continent, venulasque admittunt, quibus irrigantur ex Galeno cap. 11. lib. 14. meth. & cap. vlt. lib. 2. de semine. Notat Platerus in centro Mesenterij insignem præ cæteris glandulam reperiri, quo fine fuerit apposita non explicat.

DE PANCREATE.

CAP. XV.

PANCREAS corpus est glandulosum, & quasi totum carnosum, B
à prima lumborum vertebra, sub ventriculi fundo, duodeno, & vena porta, inter splenem & hepar collocatum: vt sit fulcrum venæ portæ deducendæ, atque molle fiat ventriculi substerniculum. Si Fernelio credimus febrium intermittentium & hypochondriacæ melancholiæ sedes est, & quasi publica sentina, in quam omnis confluit cumulaturq; humorum colluuies. Venas habes à porta pancreas dictas, Arterias à cœliaca, neruos à lumbis.

DE HEPATE.

C

CAP. XVI.

VBI partes istas primæ coctionis inspexeris, Venæ portæ truncum eiusque ramos, simulq; stomachum cholidochum ieiuno insinuatum peruestigabis; Vt his administratis, quamprimum auferas intestina, quæ suo fœtore reliquas partes contaminarent, & ab earum conspectu nos auocarent. Resecabis igitur intestina duobus in locis iuxta pylorum, & in ano atque cum Mesenterio remouebis, vt commodius possis ad partes secundæ coctionis hæmatoseos progredi. Incipies autem ab hepate quod sanguificationis primarium instrumentum, venarum radicatio, naturalis facultatis sedes perhibetur: atque si veterum Aruspicum more loqui liceat caput extorum. Vnde extispitium ἡπατοσκοπίαν nominarunt ab eo viscere præcipuo, quo vita animalium sustentatur. Nam ab illo sanitas & integritas partium dependet. Idcirco veteres oppida aut castra statiua condituri, inspiciebant iecinora pecorum, quæ pascebantur in ijs locis, quæ si liuida & vitiosa deprehendebant, solum vertebant aliò commigrantes. Si sana, ibi munitiones constituebant, rati similem salubritatem corpora hominum consequutura. Hoc viscus propterea natura durum & solidum creauit, ne tam citò læderetur. Nam in mortuis, vetustatis patiens, centum durare annos obsidionum exempla prodidere, referente Plinio lib. 11. cap. 37. D

Eius substantia concreto sanguini & ardore tosto similis apparet, quam parenchyma siue affusionem vocant. An à frigore vel calore concreuerit disputat Galenus lib. de placitis. Suppositum est hypochondrio dextro sub nothis costis & diaphragmate, à quo digiti longitudine distat, ne fortè obesset illi quasi flabello præcordia ventilanti. E

Vnum & continuum iecur datum homini, non in lobos fissum vt brutis animantibus: quamuis Hippocrates fibris quinque diuisum esse scripserit, Ruffus & Galenus quatuor tantum lobos agnoscunt, quos veteres Anatomici proprijs nominibus distinxerunt. Vnum focum appellarunt, quia ad chyli coctionem facit, vt focus coquendis cibarijs inseruit. Secundum mensam vocarunt, quod in eo, velut in mensa partium alimenta disponuntur. Tertium cultrum nominarunt, quia diuidit fæces gregatque humores. Quartus aurigæ nomen sortitur, quia sanguinem iam excoctum & elaboratum amandat & transmittit in venas ad alimoniam partium. Cum autem Galenus quatuor lobos hepati assignat, more vulgarium Anatomicorum loquitur.

Vide Rufu Ephesiũ & Theophilũ Protospatariũ in Epit. lib. Galeni de vsu par.

A loquitur. Sed cum Herophili sententiam veritati coniunctam adducit; fatetur hepar humanum non idem & simile datum fuisse omnibus. In quibusdam continuum esse & solidum sine vlla diuisione; In alijs duobus lobis sectum, in alijs quatuor lobos obtinere: & sane prout fissura hepatis, quæ fit à vena vmbilicali medium hepar subeunte maior vel minor est, hepar in duos lobos dirimitur maiores vel minores, quibus nonnunquam duos exiguos lobos subiectos obseruaui venæ portæ truncum fulcientes, hos si duobus magnis annumeres non ineptam & ridiculam inuenies hepatis diuisionem ab antiquis traditam. Scripsit Hippocrates lib. 6. epid. fibram hepatis complicatam acerbissimum dolorem excitare, qui sedatur forti dorsi percussione. Hepar humanum si conferatur cum iecore aliorum animatium eiusdem magnitudinis, vastius & amplius deprehenditur, & inter homines qui sunt voracissimi grandius hepar habent. Id ex longitudine digitorum cognosci Rhasis &
B Auicennas prodiderunt, quod non caret ratione, etiamsi reclamet Auerroes. Nam inter iecur & manus magna intercedit Sympathia, vt ex palmarum ardore & ariditate cognoscitur, quæ iecoris caliditatem arguunt, quinetiam venæ manus sectæ visceribus affectis opitulari creduntur. Tradit Aristoteles hepatis humani figuram rotundam esse bubulo similem, quæ extrinsecus conuexa est, intus concaua. Ideoque Medici iecur in duas regiones diuidunt, quas seorsim affici posse asseuerant, ita vt gibba parte laborante, integra & illæsa perstet altera. Inde colligunt varijs ductibus partes istas laborantes expurgandas esse: gibba & superior pars hepatis per vrinas exoneratur, caua & inferior per aluum euacuatur. Alligatur & suspenditur ope trium ligamentorum, ne pondere suo diaphragma deorsum traheret, quorum duo superiora & lateralia sunt, tertium supernum, cuius beneficio cartilagini xyphoidi
C annectitur; hoc subit & ingreditur vena vmbilicalis, quæ etiam ligamenti munere fungitur.

DE VESICVLA FELLIS.

CAP. XVII.

Quemadmodum agricolæ in agris serunt lupinos, qui succum amariorem expurgent, vt solus dulcis tritico supersit in alimentum: ita natura cystim supposuit iecori, quæ bilem amaram secernit à sanguine,
D vt dulcior factus nutrire possit, quia solo dulci corpus alitur; atque vt facilius bilem ad se alliceret, dextro & maiori hepatis lobo immersa est. Non vt suo corpore bilem exugat & absorbeat, cum vasculum habeat cholidocum ab eius ceruice productum, quod inter venæ portæ & cauæ radices numerosis surculis distribuitur. Per id biliosum humorem prolectat, qui in vesica collectus vbi qualitate vel quantitate molestiam facit, per alterum vasculum siue stomachum cholidocum principio ieiuni insinuatum expellitur in intestina. Hallucinatur Fallopius cum affirmat bilem ab hepate recto tramite decurrere in intestinum. Nec refluere in vesicam nisi cum exitu prohibetur, clausis nimirum membranulis intestini distenti copia chyli. Sed bilis refluxum quem imaginatur impediunt valuulæ in medio ductus affixæ, quæ quidem è vesicula fluentem bilem sinunt elabi, remeanti obsistunt. Huius opinionis falsitatem ratione & experientia Laurentius doctè
E demonstrauit. Notauit Galenus stomachum cholidocum intestinalem, interdum exiguum de se ramum supra pylorum emittere, hunc semel obseruauit Vesalius, sed geminas Thebas vidisse putat Columbus. Idem Galenus lib. de Anat. viuorum tradit vesiculam biliariam tres habere stomachos, quorum vnus dirigitur ad fundum ventriculi, quò transmittitur bilis ad digestionem roborãdam, Alter ad ieiuni principium exporrigitur. Tertius bilem ab hepate sugit. Quamuis Galenus locis citatis ex meatu cholidoco surculũ ventriculi distribui confessus fuerit, alibi tamen putã lib. 5. de vs. part. cap. 4. pertinaciter inficiatur, hunc meatum naturaliter dari posse, quoniam bilis sua acrimonia ventriculi tunicas eroderet, continuam cardialgiam perpetuumq; vomitum cieret, atq; chylosin perturbaret.

DE LIENE.

CAP. XVIII.

CONFECTVS & elaboratus ſanguis in hepate, priuſquam per rubos & canales vniuerſo corpori diſtribuatur, ſuis excrementis repurgatur. Veſicula bilem ſecernit, lien humorem melancholicum ad ſe rapit. Propterea definitur humoris melancholici expurgandi inſtrumentum; Ad eum vſum ſubſtantiam valdè accommodatam obtinuit, videlicet ſpõgioſam, fungoſam, quæ parenchyma dicitur. Vnicus eſt lien, quamuis Ariſtoteles duos B notauerit, & Fallopius in cadauere quod Pataui jſecabat, triplicem nactus fuerit. Diuiditur ab Hippocrate in Caput, & Caudam. Caput eſt ſuprema ac denſior eius pars; Cauda verò lienis extremitas. In omnibus non ſimili & eadem magnitudine repetitur, quia facilè hoc viſcus augetur & intumeſcit, ita vt aliquando mole ſua & magnitudine viſum ſit iecur ſuperare. Quod ad hibitorum Medicorum iudicio, exiſtimatum fuit lieni opitulari ad ſanguinis confectionem. Nec malè ſplen dictus fuit à ſupplendo, quod iecoris munere & officio fungatur, propterea νόθον ἧπαρ καὶ ὥσπερ ἀντίζυγον dicitur, Areteus ἥπατι ἰσόῤῥοπον æquilibre facit. Scribit Aetius in lienoſis adeò increſcere & diſtendi lienem, vt interdum longitudine ſua ad inguen perueniat, & latitudine iecur cõtingat. Animaduertit Ariſtoteles ſolipeda animalia magno pulmone prædita, lienem magnum habere, propter bibendi neceſſitatem; quæ pulmone carent ſine vllo potus deſiderio, nullum aut exiguum lienem habere. De lie- C nis magnitudine celebratur Hippocratis ſententia, lib. de locis in hom. quibus corpus floret his lien minuitur, quibus verò viſcus id magnum & tumens augeſcit, his corpus gracileſcit & cachochymum redditur. Vnde illa inſignis comparatio lienis cum fiſco regio olim à Traiano propoſita: Vt creſcente fiſco regio ſingulorum priuatæ opes minuuntur, ſic amplificato liene priuatæ opes ſingularum partium corporis decreſcunt. Conditus eſt in hypochondrio ſiniſtro ſub diaphragmate, cui tenaciter aſtringitur. In benè habito & florenti corpore extremam coſtam non exceedit. In quibuſdam verò etiam non lienoſis infrà coſtam deſcendit, relaxato nimirum ligamento. Hoc cum accidit pedes & genua calent, naſus & aures frigent, authore Hippocrate. Nonnunquam cum iecore locum permutat, ſed prodigioſè inquit Plinius. Splenis figura non eadem in omnibus cernitur, in quibuſdam tetra- D gona eſt, In alijs rotunda, Hippocrates humano veſtigio ſimilem depingit. Qua parte lienem coſtas reſpicit gibbus exiſtit, qua parte opponitur vteri cauus eſt, Nec alia cauitas in liene quærenda, quam Hippocrates lib. 4. de morb. conſtituit. Splen & caput maximè caua ſunt. Cum autem huius viſceris magna ſit neceſſitas ad vſum vitæ, Eraſiſtratus inconſideratè, fruſtra conditum aſſeruit, quod meritò reprehendit Galenus lib. 4. de vſu part. Nec melius Ariſtoteles iudicauit de lienis vſu, cum tantum per accidens neceſſarium eſſe ſcripſit. Idcirco non poſſum adduci vt credam, exempto liene viuere animalia, quamuis hoc ab antiquis proditū fuerit. Eleganter Aurelianus id voce dictum, non officio completum fuiſſe teſtatur. Facilius credetem lienem natura ſua diſſolubilem medicamentis minui & conſumi: quod E aſplenò, aqua fabrorum, & tamariſco fieri memorant. Sed notauit Arethæus eos qui liene priuantur, poſtea deteriùs & infœliciùs viuere, quia ſanguine craſſo & impuro corpus alitur; tantum abeſt vt ſint agiliores, & ad omnes actiones alacriores. Fateor equidem peculiare curſus impedimentum eſſe in liene magno, quam ob cauſam olim curſoribus inurebatur, vt notauit Aurelianus, quinetiam Trallianus lib. 8. narrat à ſe curatum militem, cui tota lienis regio barbaricis ferramentis candentibus vſtulata erat. Sed prudenter ipſe Aurelianus hanc operationem periculoſam eſſe monuit, quia fieri non poteſt ſine peritonei vulnere, quod ignis vi vexatum propter neruoſam ſubſtantiam lethale eſt. Veteres quidem in antiquis lienis affectibus hypochondrium ſiniſtrum vrebant, ſed non ad lienem vſque ferrum adigebant: eiuſcemodi vſtionem paſſim commendat Hippocrates.

Non

Non est igitur lien inutile viscus si sanguinē fæce sua repurgat, & opinione quorundam iecori opitulatur ad sanguinis confectionem. Vnde eo laborante vitiatur A hæmatosis, hydropsque consequitur, non aliter quàm affecto iecore. Hęc officia vt præstaret venæ portæ ramum insignem splenicum sima sui parte recipit, quo limosus sanguis à iecore in lienem transfertur; Vbi denuò elaboratus ad lienis nutritionem, quod residuum est, partim ventriculo distribuitur per vas breue, partim in arteriam, quam habet à cœliaca deriuatus, ad emulgentem arteriam defertur. Quam viam notauit Syluius in sua Isagoge contra Galenum, qui lib. 13. Methodi cap. 16. negat per renes humorem melancholicum expurgari. Vas autem breue ex splene lienem subeunte productum bipartito finditur; Cuius vna portio diaphragmaticæ sinistrę per mutuam anastomosin inseritur. Altera portio ventriculo affigitur, quem non tenero circumnectu amplectitur, sed penetrat. Nam in lienosis ab eo sæpissimè copiosas & immodicas sanguinis vomitiones emanare vidi. Apud Hippocratem B lib. 5. epid. qui iuxta curriculum habitabat, cum noctu sanguinem vomuisset, postridie mortuus est sanguinem vomens multum, à quo strangulatus fuit: ad splenem verò & deorsum multus sanguis ipsi prodibat. Inde patet vas breue adaperiri & hiare in ventriculum, præsertim in hypochondriacis quibus tumet & turget lien; Vicissim per hunc surculum ex alueo ventriculi aliquid in lienem rapi posse, testantur rugitus & murmura, quæ in spleniticis hydropotis statim atque frigida hausta est solent excitari. Quod significauit Hippocrates lib. 4. de morbis; splen sub ægrotans à ventre de potu trahit. Ex ea communione vasis breuis cum Diaphragmatica sinistra (quæ cauæ soboles est) cognosces qua via sanguis melancholicus in lienosis per nares expurgetur, vt passim legitur apud Hippocratem in epid. Vbi refert lienosos narium hæmorragia superueniente leuari. Bioni splenitico sanguis è sinistra nare C multus manabat, Atque fratri Aristei vxoris sublienoso; ex sinistra nare sanguis frequenter & paulatim fluebat.

DE RENIBVS.

CAP. XIX.

DEMONSTRATA & explicata venæ cauæ descendentis distributione, Ipsa partium series nos ad renes accersit, quos inuenies iuxta vltimam costam lumbis accumbentes, & intra peritonei duplicaturam reconditos. Ideò non datur eos intueri, donec superiectum pe- D ritoneum vnguibus laceraueris; tum apparebunt inuoluti membrana adiposa, qua detracta corpus renis inspicies spissum & densum, vt validius serum attrahat, nec tam citò sinat elabi. Cuius actionis causa fibris conspergitur à circumferentia ad centrum introductis, vt notauit Fallopius; etiamsi Galenus renibus fibras detrahat, cap. 2. lib. 3. de facult. quas alibi concedit lib. de renibus, si legitimus sit. Multi negant renis carnem proprias habere fibras, sed à fibris vasorum filamenta accipere, quibus interior substantia firmatur ac roboratur. Cuius naturæ sit hæc renis substantia, ab antiquis dubitatum fuit. Hippocrates inter glandulas collocat, Galenus ad parenchymata refert, Areteus hepati similem facit. Lubentius acquiescerem Galeni iudicio, Renis substantiam parenchyma esse particulare, durum & compactum ad eam actionem, quam edit comparatum. Renes geminos natura cō- E didit, vtrimque vnum, non tam ad æquilibrium corporis, quàm actionis suæ continuitatem: Ne vno præpedito & obturato cessaret humoris serosi profusio, etiamsi non semel obseruauerim monitus à Foresto, vno rene obstructo, alterum inutilem & victum reddi, propriaque actione destitutum vrinam transitu prohibere. Renem quoque geminum esse oportebat ad partium internarum commoditatem, ne vnicus in ventre medio seu spina collocatus, more aliarum partium, quas natura fecit singulares, sanguinis & spiritus per cauam & aortam descensum liberiorem, pondere suo & magnitudine impediret. Quare natura pro magno duos paruos creauit, ne aut venter eminentior esset, vel pondus alterius partis grauius existeret, vel in alterutrum latus venam cauam & aortam deflectere cogeretur. Positi sunt renes in supe-

riore lumborum parte infrà vltimam costam, prope iecur scaturiginem seri, vt potentius id attraherent: Ideoque venæ canæ lateribus adiacent, quæ suis ramis velut anchoris renes firmar authore Hippocrate. Incubant musculis lumborum, quos psoas vocant. Vnde nephriticorum crus è directo renis affecti stupet. Peritoneo duplicato includuntur, vt illæsa & integra abdominis capacitate vulnerari & incidi possint: quod certissimum indicium est Nephrotomiā securè administrari posse. Non ex Diametro sibi opponuntur, sed dexter in homine depressior est, propter hepatis magnitudinem, sinister altior propter loci vacuitatem, contrà quam in brutis accidit. Quod Aristotelis & Galeni doctrinę aduersatur, sed illi non tam ad situm renum, quàm ad exortum venarum emulgenrium respexerunt. At dextra emulgēs altius oritur quàm sinistra. Neuter tamen tam altè ascendit, suumque congenerem exuperat: vt vnius dimidia pars alterius vertice sit eminentior. In brutis quæ prona spectant propter lienem deorsum magis inclinantem, contrarius est renum situs. B
Sinister inferior est, dexter elatior, quia intrà lobos hepatis admittitur; quod obstat in homine hepatis continuitas & soliditas. Distant inter se naturaliter quatuor digitorū interuallo; Nonnunquam propinquiores sunt, tum à vasis quæ in dextrum renem inseruntur propagines ad dextrum testiculum in masculis, ad dextram verò matricem in mulieribus prorepunt, vt notauit Galenus lib. 14. de vsu part. Renum figura phaseoli vel anacardij speciem imitatur, ratione cauitatis Hippocrates cordi comparauit: qua parte venam cauam spectant sinuati sunt, extrinsecus ad ilia gibberi in modum semilunæ curuati, colorem habent subrubeum, qui leui de causa per morbos immutatur, secus quàm accidit in alijs visceribus. Magnitudo eorum tanta est, quanta ad expurgationem seri requirebatur, quæ tamen in vtroque C
non est æqualis, sæpe dexter sinistro amplior apparet. Hæc omnis conformatio ad actionem renum comparata est ἐγμαντικὴν, quam non possent exercere, nisi aliundè sanguis serosus adueheretur. Defertur autem per venas & arterias, quæ renem ingrediuntur per cauam eius partem. Adiposa sola in tunicam exteriorem expanditur, quæ dicitur adiposa, quia multo adipe circunfusa est. Huic membranæ extrinsecus adhæret glandula, parte superna qua cauam spectat adipi immersa. Illic appositam fuisse puto, vt diuisionem nerui costalis per totum Mesenterium distributi fulciret. His omnibus diligenter obseruatis renem eximes, vt eius interiorem structuram inspicias, in qua primùm diuersam carnis substantiam notabis, deinde caruncuIas, posteà cauitatem quam vreter dilatatus efformat. Itaque dissecto rene per dorsum videbis carnem subliuidam densam corpus renis ambientem, rubicundiorem, quæ quidem ex glandulis illis simul vnitis concrescit, quibus ren pueruli constabat. Huic substantiæ glandulosæ progressu ætatis ex aspersione sanguinis caro D
hęc subliuida circumijcitur, quæ calore coacta & compacta nigricantem istum colorem contrahit, læuemque ac politam renis superficiem reddit, quæ in puerulis aspera & inæqualis cernitur. Carunculæ verò sunt extremitates acuminatæ earum glandularum, in quas desinunt venarum & arteriarum emulgentium extrema. In his fit secretio sanguinis à sero, quod per eas veluti lac è papilla exudat, stillatque in ramulos vretheris eo modo, quo lixiuium per angustum dolij foramen stipula obturatum. Eleganter scripsit Hippocrates lib. de oss. nat. per renes tanquam per quallum aquam percolari, quia spongiforme est eorum corpus. Vnica cauitas in rene reperitur, non geminæ, quam membrana vretheris expansa oblinit & succingit. Propter eius ramulos nouem vel decem fistulosos, in modum pedis anserini fissos, E
atque papillaribus carunculis occurrentes, percolandæ vrinæ incerniculum vocatur à Ruffo Ephesio, ὑμὴν ἠθμοειδῶς καὶ κατατετρημένος, nec aliud colatorium, siue incerniculum in renibus quærendum.

DE

A

DE VRETHERE.

CAP. XX.

IN RENIBVS secretum serum, qua via quóue ductu in vesicam feratur dubitatum fuit ab antiquis. Asclepiades volebat serum in halitus resolutum in vesicam transmitti, ibique in humorem priori similem concrescere, contrà quem disputat Galenus lib. 1. de nat. facult. Lactantius lib. de hominis opificio credidit, tenuia intestina vesicam amplecti, per illorum teneritudinem humorem percolari, quem vesica absorberet & colligeret. Galenus manifestos ductus agnoscit vrinæ transuectioni dicatos, quorū
B necessitatem astruit ex longiore renum & vesicæ distantia. Eiusmodi canales Vretheres siue vrinarij meatus dicūtur. Cuius naturæ sint disputatum fuit ab antiquis; Num arteriæ aut venæ dici deberent. Galenus vesicæ prorsus assimiles esse contendit: cuius propriam substantiam planè referūt. Non enim oportebat superfluorum conceptacula ex alia substantia, & canales ipsa deferentes ex alia componere, quapropter à vesica exortus vrether, intrà geminas peritonei tunicas secundum psoæ musculi longitudinem ascendit ad simam renis partē, inter venam & arteriam delatus, vbi dilatatus in nouem vel decem surculos diuaricatur. Sed obserua diligenter vretheris originem vel potius insertionem, vt à fundo vesicæ vsque ad ceruicem inter geminas vesicæ tunicas traducitur, finditq; obliquè interiorem tunicam, ne qui in vesicam influxit humor sursum remigret, quod manifestum est in vesicis, quę
C inflatæ & distentæ in collo arctissimè ligantur, itaut aër conclusus elabi nequeat, etiamsi fortiter vesicam compresseris ex Galeno.

DE VESICA.

CAP. XXI.

QVEMADMODVM per tubos & aquæductus impluuij aquæ in vnam peluim plumbeam corriuantur, sic omnis serosus humor corporis per vretheres in vesicam confluit, quę vrinæ conceptaculum corporisq; matula perhibetur. Non omnibus animalibus
D data est, sed ijs tantum quæ pulmonem habent sanguineū, quæ verò calidiori sunt pulmone ampliorem vesicam obtinuerunt, quam ob causam vesica hominis proportione quàm cæteris animalibus amplior existit. Hæc autem amplitudo spectanda est dum inflatur aut impletur, quia tantum dilatabitur, quantum eius naturale incrementum patitut. Dum inanis & vacua est, contrahitur ac corrugatur pugilli magnitudine. Vt igitur commodè laxaretur & constringeretur, membranosa facta fuit. Siquidem duplici constat tunica, quarum interna tenuior, externa crassior omni villorū genere ad robur intertexta est. His circumijcitur communis quędam à peritoneo, cuius duplicaturę includitur, & ob rectam hominis figuram sublimis appenditur, ne incumbentium intestinorum pôdere comprimeretur. In brutis animantibus sub os pectinis in coxarum antrum deiecta reconditur, nulla septo disclusa. Inde cognosces Cystotomiam in imo hypogastrio securè perfici, ad extrahendum calculum, cum vulnerari
E possit vesica, illæsa & integra ventris capacitate. In imo & medio sita est hypogastrio, tam ob excernendi commoditatē, quàm propter locū superiorem à nobilioribus visceribus occupatum. Quamuis autē vnica sit, tamen in duas partes dissimilares dirimitur. Superior pars fundū & corpus vesicæ dicitur, inferior collū seu ceruix appellatur, quę fœminis breuis est, antico vteri collo inserta; Viris lôgior ad extremum vsq; penè producta. Tribus vesica donatur foraminibus, duo sunt interiora facta ab vretere vesicam subeunte, quæ punctis duobus atris iuxta ceruicē intus signata reperies. Tertiū foramen vrinæ prębet exitū, musculo sphinctere clauditur, ne nobis inuitis vrina effluat. De situ huius musculi inter Anatomicos certatur, Vesalius infra prostatam collocat, cuius opinionem doctè confutauit Laurentius. Fallopio superstat, videturque Galenus id proposuisse lib. 6. de locis affect. Alij vt

dissensionem istam componant, geminum sphinćterem constituunt. Vnum prostatæ superstantem, alterum prostatæ subiectum. Accipientes pro musculo fibras obliquas & transuersas vrethram orbiculariter cingentes. Colophonem addet huic capiti Arethæi sententia memorabilis de vesicæ dignitate. *Difficiles in acutis morbis dolores patitur, cum ab alijs vitium participat. Sed difficiliores magisque mortiferos si per se laborare incœperit: quandoquidem omni corpori, & neruis, & menti labem communicare valentissimè potest, quippe vesica neruus frigidus albusque est, ab innato calido longissimè distans, proximè verò externo frigori exposita.* A

DE PARTIBVS GENITALIBVS VIRI ET MVLIERIS. B

NECESSITAS ET VTILITAS PARtium genitalium demonstratur, quas duplices esse oportebat sexu distinctas.

CAP. XXII. C

EMENSIS ac perlustratis partibus nutritijs, ad genitales me cõfero, quas non consimiles viro & mulieri natura dedit; sed vnicuiq; proprias, vt mox demõstrabo, si prius earum necessitatem & vtilitatem paucis exposuero. Vt melius est esse, quàm nõ esse; Ita præstat semper, quàm ad tempus esse. Cum autẽ natura suum opificium immortale reddere non posset, ratione materiæ caducæ, varijsq; alterationibus obnoxiæ, subsidium quoad potuit ipsi ad immortalitatem suppeditauit; instar sapientis cuiusdam vrbis conditoris, qui non modo studet suam vrbem in præsens tempus populo frequentare, sed prouidet quo pacto in omne tempus, aut saltẽ diutissimè conseruetur. Nulla tamen adeò floruisse memoratur, vt non dies ipsa conditoris memoriam deleuerit. Naturæ verò opificium multis annorum millibus iam constitit, atq; in posterum stabit, quia mirabilem artem inuenit, qua in demortui animalis locum, nouum aliud succenturiat, beneficio generationis, quę vitæ breuis vicem supplet ad immortalitatem, quapropter immutabili æternitate continuatur viuentium ortus & procreationes, vt quod singulari substãtia seruari nequit, specie saltem persistat. Animal enim natura & origine mortale, conatur relinquere sibi simile, & idem specie in suum locum sufficere studio immortalitatis, inquit Aristot. cap. 4. lib. 2. de anim. Vt hoc opus perficiatur necessaria fuit sexus distinctio, maris & fœminæ copula, quod mihi restat probandum. Fabulatur Plato in Symposio initio mundi nullum sexus discrimen inter homines apparuisse, quia tum omnes Hermaphroditi erant, sed ob fastum & arrogantiã, Deum hominem in duas partes virum scilicet & fœminam diffecuisse, & vtrũq; sexum à se inuicem ita discreuisse, vt alter sine alterius adminiculo, nihil quicquam ad sui conseruationẽ moliri aut pręstare posset. At sacrę literę docent, Deum ab initio mundi masculũ & fœminã formasse, quos stabili connubio coniũctos, ad speciei propagationẽ conspirare voluit, propterea vtriq; Veneris igniculos inseruit, quibus ad hoc opus accederẽtur. Varias etiã vnicuiq; partes cõcessit ex quibus sexus necessitas & discrimen intelligitur. *Diuisit natura mares, pars vna puellis, Vna viris genita est.* D E

Martialis lib. 2.

Quoniam aliquid eodem modo constitutum, formæ & materiæ rationem obtinere non potest. Non licebat homini vtramq; naturam induere, agere simul & pati. Quod si ita contigisset, duplex in vno corpore natiua temperies adfuisset, calida scilicet & frigida; quod est absurdum, quandoquidem vnius corporis vnica temperies natiua. Præterea cum ad prolem necessaria sit duplicis humoris excretio, seminis

A minis & menstrui, vtrumque à mare abundè suppeditari non poterat. Quia calor virilis abundantem sanguinem absumit & depascitur, nihilq; inutile & superfluum relinquit, si quæ sint tertiæ coctionis excrementa, vel ob raritatem corporis expirant, vel in pilos conuertuntur. Quod vero narratur de viris mulierosis, qui singulis mensibus statisque periodis quemadmodum mulieres, menstrua patiuntur: Id verum esse fatemur in morbosis, præsertim Melancholicis, qui per hæmorrhoidas singulis mensibus crasso & fæculento sanguine repurgantur: Sic nonnullis per penem certis temporibus sanguinem copiosum effluere obseruatum est. Sed hoc rarum & insolens habetur. Id tantùm naturale dicitur, quod fit semper vel vt plurimum. Necessaria igitur fuit fœmina, quæ locum & materiam generationis præberet; Proinde ridicula Chrysippi sententia, qui naturam sic virilem sexum exornasse censuit, B vt fœminam adiunxerit tanquam appendicem, & pauoni caudam. Nec minore contumelia Aristoteles fœminam, marem imperfectum appellat: vel vt loquuntur barbari Philosophi, animal occasionatum, accessorium quid. Iniquior adhuc fuit dum fœminas monstra vocat, præuaricationes naturæ mares cogitantis. Nos existimamus naturam in fœminæ non minus, quàm maris generationem intendere, omnis si quidem rerum naturalium perfectio, ex fine petenda est, At fœminam ita formari necesse fuit, alioqui nulla foret animalis generatio: & sane perfectio quædam est speciei fœmineitas, quia sexus non nisi in speciebus perfectis distinctus est, quem licet Theophrastus & Plinius in Plantis agnoscant, contra mentem Aristotelis; Id potius imaginatione, quàm rei veritate ducti pronuntiarunt. *Ex Scalig. in exercit.*

Sed quibus notis vterque sexus distinguetur? Aristot. lib. 5. de generat. animal. C cap. 1. existimat fœminam à mare differre ratione tantum, quod facultas vtriusque diuersa sit. Marem enim definit, quod in alio generare potest, fœminam, quod in se ipso, agendi tamen principio aliunde mutuato. Sensu quoque discrepant, vt partibus quibusdam, ad congressum & procreationem accommodatis, in quibus tamen exigua differentia est, vt in ἐκτομίοις, quibus partes genitales abscissæ sunt videre licet. Aristotelis opinioni subscribit Galenus, & partes genitales viri & mulieris situ tantum differre asseuerat: quod nimirum in viris robore caloris partes genitales foras propellantur, in fœminis caloris imbecillitate intus subsistant: Peritiores Anatomici diuersam partium in vtrisque structuram agnoscunt, in figura, numero, & magnitudine. Carent enim mulieres Epididimide, Prostatis glandulosis, & vesiculis in quibus semen asseruetur. Vasorum præparantium diuersa diuaricatio, eiaculantium dissimilis insertio, denique dispar est figura testium muliebrium, fun-D di & ceruicis vteri cum testibus virilibus, scroto & pene, & quoquo modo vterum inuertas, nunquam penem & scrotum efformabis. Quod vero obijcitur de fœminis in mares mutatis, falsum non ausim affirmare. Sed dicam liberè quid de veritate huius rei sentiam, Galeni authoritate fretus. Ad membrorum fabricam eorum præsertim quæ sinus aliquos & ventriculos habent, natura duobus instrumentis vtitur, aëre & igne, horum enim est corpora distendere, producere, & exsiccare, hæc si foras exspirauerint, materia rudis & indigesta remanet; Cum igitur cauum aliquod corpus natura molitur, totum prius exteriorem circuitum ceu septum validum formare consueuit, deinde vbi formæ delineatio intus fuerit expressa, vniuersi spiritus impetu obductum septum perrumpit, & formatum membrum foras expellit: quod si in isto conatu languerit, membrum imperfectum re-E linquitur. Idem in generatione maris obseruabis, membra genitalia primo intra abdominis membranam describi, deinde robore caloris natiui foras erumpere, alioqui caloris imbecillitate intus remanere, quemadmodũ talpæ oculi intus delineati foras à natura propelli non potuere. Itaque fieri potest vt vitiata partium genitaliũ formatione vt pene breuiori, & penitius in rima recondito, vel testibus non apparentibus, mares pro fœminis ab imperitis habeantur, & in eo sexu ad pubertatem vsq; viuant: donec iuuenili tandem ardore, & vehementi exercitatione, deorsum in scrotum propellantur. Testes autem intra cauum abdominis ad pubertatem vsque latere, probat Mart. Rulandus duabus historijs cent. 5. curat. Chymicarum. *Galen. lib. 2. de semin.*

Sed impossibile contendo perfectam mulierem mutato sexu in virum degenerare, nisi forte emerito corporis virilis habitu, propter barbæ exortum similis viro dicatur, quemadmodum Hippocrates scripsit lib. 6. Epid. de duabus mulieribus

Phaetusa Pytheæ vxore, & Larissa Goripi coniuge, quæ propter suppressos menses voce & barba tenus in viros degenerarunt. Ob eandem causam Aristot. lib. 3. de hist. animal. in terra Caria mulieribus Sacerdotibus pilos in mento nasci scribit, fieri etiam potest vt quædam viragines animo & robore corporis viros imbelles superent; sed non inde sequitur, partes viri habere genitales. Sic Aristoteles scribit generosas Gallinas ex parta semel de gallo victoria, mares superuenire coitu; crista & calcaribus in morem Gallorum enatis, & miratur Liuius tanquam portentum, Gallinam in marem, & Gallum in fœminam degenerasse. Impossibilis igitur fœminarũ in mares mutatio. Concludamus ergo necessariam fuisse sexus distinctionem, eamq; in diuersa partium genitalium structura consistere. A

DE VASIS SPERMATICIS PRÆPArantibus. B

CAP. XXIII.

SVNT igitur Partes genitales hominis viriles & muliebres, à virilibus incipiam: quarum aliæ vsum habent, aliæ actionem exercent, quæ vsum præstant materiam seminalem adhuc crudam deuehunt, vel excoctam & elaboratam deferunt. Actionem edunt testes, quibus vis σπερματοποιητικὴ insita est. Inter partes genitales primæ occurrunt præparantia vasa quatuor; duæ scilicet venæ, totidemque arteriæ venis ampliores. earum exortus cum in historia venæ cauæ descendentis explicatus fuerit, docebo tantùm C insertionem. Ex vtroque latere vena & arteria paululum progressæ, tam arctè simul implicantur & vniuntur, vt arteriam à vena discernere nequeas. Hæc autem anastomosis ad perfectiorem sanguinis venosi & arteriosi permixtionem comparata, non est recta & simplex, sed anfractuosa, variciformis: Vt in istis gyris & meandris paulisper detentus humor, rudimentum seminis acquirat, non tam insita vasorum proprietate, quàm per testium irradiationem. Fatetur Galenus in extremitatibus vasorum præparantium sanguinem dealbari, & in semen conuerti, quod nonnulli θορώδες genitale virus appellarunt. Herophilus horum vasorum extremitates παραστάτας vocabat, quia varicum modo contorquentur ad seminis præparationem. Sic confusæ venæ & arteriæ testis substantiam non lambunt & perreptant, sed intus penetrantes humorem seminalem in ipsum testem dimittunt. Id verum esse apertè demonstrat D historia, quam recitat Dodoneus. Hispanus testis dolore intolerabili diuexatus, frustrà tentatis omnibus remedijs, maluit sibi amputari testem integrum & incorruptum, quàm diutiùs vitam trahere in tormentis; extractum testem cùm adhuc calentem per medium dissecaret Dodoneus, in faciem erupit & prosilijt semen. Inde coligo seminalem humorem testis substantiam subire ac permeare, vt tibi fœcunditatis sigillum & characterem accipiat.

DE TESTIBVS.

CAP. XXIIII.

EMINALEM igitur humorem excipiunt testes procreationis E organa, quibus velut testibus locupletissimis virilitas demonstratur. Inde iocus Plauti, *quidquid ames, ama testibus præsentibus.* Alij nomen testis deriuãt à prisca voce Greca τέστωρ, quæ idẽ sonat quod μαρτὺς, vnde μαρτύρεσθαι, testes aduocare significat, Græcis ὄρχις ἀπὸ τοῦ ὀρχαμοῦ. Est autem ὄρχαμος dux populi, quasi animantes testiculos habentes sint ductores gregis. Vel ὄρχις dicitur, quod ὀρέγειν, appetitum ad Venerea prouocet. Testes geminos natura dedit viro & mulieri, vt in his partibus duplicitatem illam seruaret, quam in omnibus fecit, dexter calidior est, sinister frigidior, non tam situ partis quàm affluxu serosi humoris frigidi, quem vena spermatica ab emulgente exorta deducit.

Scribit

A Scribit etiam Galenus ſcrotum teſticuli ſiniſtri laxius eſſe, propter huius partis
imbecillitatem. In viro foras eiecti ſunt, intra femina penduli, non tam caſtitatis
cauſa, ne fotu partium internarum calefacti perpetuum libidinis deſiderium exci-
tarent, quàm vt longiore ductu reuoluta ſemen exquiſitius elaborarent. Sed ne
pondere ſuo vaſa ſeminaria onerarent, & inſtar ponderis textorum deorſum trahe-
rent, muſculis veluti ſubligaculis ſuſpenduntur, qui cremaſteres dicuntur: de qui-
bus in Myologia dictum eſt. Figuram habent oualem cauernoſam propriaque car-
ne ſpongioſa præditam, quam Galenus glanduloſam eſſe tradit. In vnoquoque te-
ſte duas partes obſeruabis: κεφαλὴν ſuperiorem, πυθμένα inferiorem, quibus interiacet
& inhæreſcit Epididimis, quæ vt verbum ſonat corpus eſt ſuprapoſitum teſti, bom-
byci ſeu vermi ſericeo ſimile, quod nonnulli paraſtatam vocant, quamuis vtrique
B extremo teſtis adhæreat, in medio tamen dehiſcit, atque fermè totum à teſte illace-
rum ſeparari poteſt, niſi qua parte vaſis deferentibus annectitur. Galenus huius cor-
poris ſubſtantiam glanduloſam eſſe ſcripſit, mediam inter vaſa & teſtem, vt duæ
partes ſubſtantia diſſimiles, hoc veluti medio inter ſe coaleſcerent. Sæpè obſeruaui
hoc corpuſculum nihil aliud eſſe, quàm vaſis iaculatorij principium, contortum &
inſtar Xylocampi complicatum. Nam ſi aptè & peritè ſecetur, videbis iſtas reuolu-
tiones diſſolui, & in longitudinem abire, ſeruata vaſis continuitate & integritate.
Cæterum teſtis cum Epididimide quinis inuolucris contegitur; quorum bina ſunt
communia geminum teſticulum inuoluentia, Reliqua tria vnicuiq; teſticulo pro-
pria ſunt. Prima communis tunica ex cuticula & cute conflata, exterius rugoſa pi-
lis vndique conferta in adultis, ſcrotum dicitur, quod linea quadam ab ano per pe-
C rineum ad glandem vſque penis exporrecta, in duas partes videtur diremptum. Al-
tera communis tunica panniculi carnoſi propago eſt, quæ δάρτος vocatur, ab eius
media parte diaphragma quoddam membraneum exurgit, teſtes inter ſe diſtin-
guens, ne mutuo contactu collidantur. Propriarum tunicarum prima ἐρυθροειδὴς dici-
tur à muſculo cremaſtere producta, ſecunda ἐλυτροειδὴς peritonei apophyſis eſt, quæ
inſtar vaginæ teſtem includit. Tertia albuginea dicitur ὑμὴν νευρώδης à tunica vaſorum
ſpermaticorum enata, teſtis ſubſtantiam immediatè cingit ac conſtringit, ne la-
xior reddita inutilis fiat.

DE VASIS EIACVLANTIBVS, veſiculis ſeminariis, & proſtatis.

D

CAP. XXV.

EPIDIDIMIDI continuata ſunt vaſa deferẽtia, quia ſemẽ con-
fectum & elaboratum ad vrethram tranſmittunt, vulgò dicũtur
eiaculantia. Corpora ſunt candida neruorum craſſiorum inſtar
dura, & inſenſili cauitate prædita, ne ſeminis per eam longitudi-
dinem tranſeuntis ſpiritus vaneſceret. Hæc longitudo vaſis præ-
parantibus æqualis, non tota in ſcroto continetur. Sed ſurſum
recurrens intra peritonei productionem per decliue coxarum
E ſpatium ad collum veſicæ delabitur, vt cum ſuo congenere vaſe intra glandulas
proſtatas per mutuam anaſtomoſin vnitum, foramen conſtituat in vrethram ada-
pertum, quod occludit papillaris caruncula quæ tranſeuntis ſeminis incurſu attol-
litur, moxque deprimitur. Hæc ab ignaris Medicis cathetere deprehenſa cum re-
niſu, pro callo ſiue carnoſitate habetur, quæ cauſticis eroſa & conſumpta perpe-
tuam parit Gonorrheam. Intereà notabis iuxta glanduloſas proſtatas, veſicu-
las quaſdam cellulis quatuor vel quinque diſtinctas, quas ex dilatatione vaſo-
rum eiaculantium fieri puto cum Arantio. In his ſemen veluti penu quodam &
promptuario colligitur & coaceruatur ad vſus neceſſarios; Ita vt robuſtus &
libidinoſus aliquis poſſit tertio quartóue coitu nulla mora interpoſita ſemen ef-
fundere. Primus Hippocrates veſiculas iſtas depinxit, paucíſque verbis de-
lineauit, libro de oſſium natura. Semen veluti fauus ab vtraque parte

vesicæ reconditur τὸ σπέρμα οἷον κηρὸν [illegible] τῆς κύστεως. Si semen contineant cur
innumeras venulas & arteriolas extrinsecus implicatas habeant, iure quæri po- A
test. An ad nutritionem? An potius ad humoris oleosi generationem? quem in
prostatis contineri statuit Galenus, ad lubricandum & irrigandum vrethræ mea-
tum, ne vrinæ acrimonia lædatur. Cuius humoris defectu stranguriam exortam vi-
dit ipse Galenus, & in alijs obseruauit Alexander Benedictus. Recentiores tamen
Anatomici hunc humorem colligi dicunt in glandulosis corporibus, quæ princi-
pio vrethræ accumbunt & prostatæ dicuntur. Hæc dura sunt, spongiosa, cæcisque,
vti volunt, spiraculis peruia vt eum humorem excipiant; quæ tamen nunquam vi-
di humore turgentia, imò potius arida. Illic apposita puto vt ceruicem vesicæ fulci-
rent, & vasorum præparantium vnionem siue anastomosin obuallarent. Turpiter
igitur hallucinantur qui prostatas semen dicunt, deinde per expressionem guttatim
in communem meatum effundi, quomodo Mercurius siue hydrargirum in corio B
actè conclusum exprimitur.

DE PENE.

CAP. XXVI.

IAM Moly Homericum aggredimur, cuius nigra quidem radix, sed
flos lacteus exit (sic enim apud authorem Priapeorũ huic herbæ com-
paratur) & illam ex qua nascimur omnium parentem, quam Sanctus
Numa Mentulam vocabat, ait Martialis lib. 11. Epigr. 16. Penem intel- C
ligo. Cuius præstantiam & vtilitatem paucis aperiam, vt auidius admi-
rabilem huius partis conformationem consideretis: Deique opificis prouidentiam
& artificium in hac construenda cum Galeno celebretis. Nec moror istos seuerio-
res Catones, qui hanc contemplationem inhonestam iudicabunt, quoniam non sa-
tis decorum putant nimis subtiliter ea persequi, quorum vocabula parum honestè
proferũtur, quæ possunt etiam pudorem artis huius præcepta seruantibus incutere.
Amo quidem verecundiam, sed magis libertatem scribendi, nam summa dementia
est quæ turpia re non sunt verbis & scripto flagitiosa dicere, quæ turpia sunt nomi-
nibus appellare suis; latrocinari, fraudare, adulterari, re turpe est, sed dicitur non ob-
scœnè, liberis dare operam re honestum est, sed nomine obscœnum. Abite hinc ca-
sti si non decet vos impudica legere verba. Aggredi enim quæque sine vllo pudore D
debemus, inquit Aristoteles in re simili, lib. 1. de part. animalium ca. 5. cum in om-
nibus naturæ numen, & honestum pulchrumque insit ingenium. Recedant Arno-
biani, nec reprehendant Anatomicos, qui obiectant partes illas quas pudor com-
munis abscondere, & naturalis verecundiæ lex iubet, quas inter aures castas sine
venia nefas est, ac sine honoribus appellare præfatis, Quidnam quęso spectaculi, ait
ille, quid impudentis reuerendique baubonis, quod fœminei sexus Deam atque
consimili formatam membro in admirationem conuerteret?

Prudentiores antiqui Philosophi hanc partem velut principem ac nobilissimam
venerati sunt. Plato in Timæo genitale membrum tanquam animal quoddam par-
ticulare esse scribit, propriamque quandam habere vitam, tum peculiarem etiam
motum rationis imperio sæpissimè rebellem, quem locum imitatus est Aristoteles E
lib. de animalium motu, vbi genitale membrum animal appellat, quoniam ex illo
velut animal quoddam genitalis seminis virtus prodit. Cum autẽ animaduerterent
antiqui diuinum aliquid in hac parte contineri, huic membro diuinos honores tri-
buerũt. Nam à superstitiosis Romanis sub nomine fascini inter Deos relatum fuit,
eòquod fascinum siue maleficium depellere & in authores reijcere crederetur. quã
superstitionem Romani ab Ægyptijs hauserant, qui primi coluerunt Mentulam.
Eorũ exemplo Romanæ mulieres velatæ, togis prætextis huic parti sacrificare sole-
bant asino immolato. Nec solũ vt infantiũ custos, verumetiam vt imperatorũ tute-
la inter sacra Romana à Vestalibus colebatur, & currus triumphantium sub his pẽ-
dẽs defẽdebat medicus inuidiæ. Nos igitur hãc partẽ velut indecorã auersabimur?
In eius mẽtione erubescemus, in qua Deus qui fecit & cõdidit gloriatur & exultat,
testimo-

A testimonio Theodoreti insignis Theologi. Videns Deus omnia quæcunque fecerat valdè bona, primo parenti sociam & adiutricem fœminam creauit, quorum copulam his verbis benedixit. Crescite & multiplicamini, & implete terram: quæ oratio ad genitale membrum pertinet. quod in magnum mysterium quis dubitet attributum: vnde præstante Deo hominis reparatio fœcunda procedit. Pudeat igitur nos à mulieribus doceri, quæ decorum hoc membrum vidisse gratius ac iucundius habent, quàm reliqua membra perspexisse ac contrectasse authore Aristotele lib. 1. de part. animal. cap. 5. Prudenter apud Luitprandum Diaconum lib. 4. pudicissima fœmina, gemebunda & in terram procumbens à Theobaldo postulauit, vt maritum quauis alia quàm tam nobili corporis parte priuaret. Caueat quisquis hanc partem neglexerit, ne Lampsacenorum calamitatem experiatur, quibus ob expulsum Priapum dirus genitali membro morbus immissus fuit. Sed B ne diutius insistam in huius laudatione coronidis loco proferam Artemidori sententiam. *Pudendum simile est parentibus ob seminariam rationem in ipso contentam, liberis verò quod etiam ipsum liberorum causa existit, vxori & amicæ quia ad res venereas aptum est, fratribus & consanguineis, quoniam totius domus & familiæ ratio ex pudendo dependet, robori autem & corporis virilitati, quia ipsum horum causa existit. quam ob rem virilitas à quibusdam appellatur: orationi & disciplinæ velut præcipuum omnium membrorum, quia fœcundum est velut oratio. Equidem cum aliquando in Cyllene essem Mercurij statuam vidi, nihil aliud quam pudendum naturali quadam ratione fabrefactum; insuper simile est opulentiæ & possessionibus, eo quod vel intendi vel remitti, præbere & excernere potest. Consilijs autem & arcanis, quoniam consilia & pudenda μήδεα Græcis appellantur. Paupertati etiam, seruituti ac vinculis, quia necessarium vocatur & necessitatis symbolum existit. Denique dignitatis ac nominis authoramento, verendum enim & authoramentum appellatur.* C Nunc admirabilem eius conformationem intueamur, quam nobis licet tantum admirari non explicare, quamuis enim multo sit facilius rerum omnium ortum explicate quàm rem ipsam construere, verba tamen nostra sunt sapientia eius qui nos condidit inferiora, vt ne quidem exponere possimus ea quæ nullo negotio condidit. Postquam igitur admirati fuerimus cum Galeno, & verbis summi architecti in hoc membro condendo solertiam assequi non potuerimus, ad partis dissectionẽ transeundem est. Penis definitur ab Aristotele procreationis & coitus organũ, id est ad congressum comparatum, quo vteri collum naturæ hortum subeat. propterea imo ventri collocatus fuit, vt iniret imum vterum, ossibus pubis affixus, vt firmior esset, vteroque reluctanti obsisteret. Figura rotundus est, vt cauitatem vteri rotunD dam æquaret, læuis & politus ne offenderet, sed titillaret potius. In homine breuior est quàm cæteris animalibus, quia per mutuum amplexum homines congrediuntur, bruta coeunt à tergo. quem coeundi modum ad conceptionem omnium commodissimum esse, ac verè naturalem quidam ineptè contendunt, quippe nulla in eo voluptas, sed magna incommoditas. Componitur ex tribus neruosis corporibus, quorum duo sunt ligamentosa, tertium medium hisque interiectum fistulosum est, canalisque officio fungitur & vrethra dicitur, quæ à quibusdam creditur ipsius vesicæ productio, sed cum ipsius substantia fungosa & nigricans appareat more ligamentorum, vt spiritu turgescens cum illis distendi aut flaccescere queat, ad celerẽ rectamq; seminis eiaculationem, non potest esse continuatio Vesicæ. Ligamenta verò nascuntur ab ossibus pubis, propè symphisim, in exortu E suo ab inuicem seiuncta, dein vnita ad balanum vsque producuntur innixa vrethræ. Eorum substantia admirabilis est nigricans & spongiosa, non tamen caua; In quam venæ & arteriæ sese exonerant, vt intumescens Penis erigatur & intendatur ad congrediendi commoditatem. Hæc tria corpora simul coniuncta balano veluti vmbone terminantur. Est autem balanus solida quædam glandula substantia sua differens ab alijs glandulis, quia dura & solida est, candida, meatum in medio relinquens ad vrinæ & seminis excretionem. quæ quidem cauitas multò minor est in vtroque extremo, quàm in medio. Vnde maior acrimonia percipitur, sub finem mictionis in gonorrhæa & calculo. Tota hæc longitudo contegitur cuticula, cute, & membrana carnosa, quæ ibi neruosa est, adipe caret, ne in maiorem molem excresceret, qua mulier expauescere potuisset. Cutis tamen tam laxa est, vt facile trahi & diduci possit, ad radicem balani producta multò laxior existit, vt

Sermone de prudentia.

Ex Cassiodoro.

Ex Galeno lib. 14. de vsu part.

supra balanum reuoluta præputium constituat, quod proinde duplici constare tunica notabis, ne dum secatur in phimosi solam exteriorem membranam attingat. A
Adhæret præputium balano inferna tantum parte ope tenuissimi vinculi, quod in foramine balani terminatur. Hoc si breuius fuerit, hypospadeos facit, dum præputij reuolutionem impedit. Ab extremitatibus neruorum conflari quidam volunt, Carolus Stephanus ex tendinum musculorum penis & nerui complexu emergere veluti filamentum quoddam duplex scribit, ac ipsius glandis coronæ parte inferiore ad præputium extremum vsque tendere, quod non solum illic procurrit, sed per totam glandis superficiem distribuitur.

Cæterum penis neruos habet ab osse sacro, venas & arterias ab iliacis sui generis, de quibus exorta est inter Anatomicos altercatio. Columbus negat contra mentem Vesalij venas & neruos in pene reperiri, quæ tamen Fallopius admittit. B
Videtur Platerus acutè hanc difficultatem componere, vasa quidem penis corpus non intexunt, & ramulatim irrigant, sed principio ligamentorum insinuata, sanguinem venosum & arteriosum effundunt, quem absorbent ligamenta spongiosa. Admirabilis est & vix credendus nisi oculatis testibus penis & capitis consensus, quem probat aliquot exemplis Alexander Petronius lib. 2. cap. 17. de morbo Italico. Vnde magnus penis durum & solidum ingenium ostendit asinino simile, quod genus animalis magno mutone instructum est.

DE PARTIBVS GENITALIBVS MVLIErum, acprimum de Vasis Spermaticis. C

CAP. XXVII.

Vasa spermatica mulieris, vel semen præparant, vel iam elaboratum eiaculantur. Præparantia sunt quatuor, duæ venæ, & totidem arteriæ. Quarum idem est exortus atque in viris, diuersa tamen insertio. Nam vasa hæc in viris tota ad testem feruntur, at in muliere arteria & vena simul commistæ, bipartitò finduntur, earum maior portio ad testem defertur, minor vteri fundo communicatur, prior illa in muliere breuior est ratione viæ, sed varijs & pluribus anfractibus implicatur ad seminis moram diuturniorem, corpusque varicosum constituit: quæ vero vasa quatuor alia in vterum à renalibus, in D
quibusdam Herophilus obseruauit. In aliis mulieribus non vidit Galenus, sed tantum in simiis, & ea rarius, lib. de sectione vteri cap. 3. nisi forte Herophilus deceptus fuerit ex altera vasis deferentis portione, quæ cum venis Hypogastricis in vterum absumitur. Miror Fallopium inficiari communionem testium & vasorum præparantium, quia digiti interuallo ab se inuicem disiuncta sunt. Semper obseruaui quatuor vel quinque surculos inter duas membranas ad testiculos perreptantes, qui materiam seminificam deferunt, & iam elaboratam ad eiaculantia deuehunt, & ita peritiores Anatomici sentiunt.

DE VASIS EIACVLANTIBVS.

CAP. XXVIII. E

Vasa duo eiaculantia à præparantibus producuntur, rugosa sunt & flexuosa propter viæ breuitatem, circa testes lata & capreolorum modo crispata ad seminis elaborationem, vbi paulùlum à testibus recesserunt, in duos ramos diuiduntur, Altero ampliore & breuiore in cornua vteri desinunt; Altero verò angustiore & longiore per latera vterini corporis inter duas membranas excurrente, ad eius ceruicem iuxta os interius terminantur. Illo surculo semen eiaculantur mulieres in vteri fundum, altero dum conceptione facta, contractus est vterus eiusque os interius exquisitè conniuet, semen in ceruicem effundunt. Meatus hic virginibus ita exiguus est, vt nisi accuratè

A accuratè fecueris oculos effugiat; In grauidis atque puerperis amplissimus, propterea grauidæ in coitu magis oblectantur, quia per longiorem ductum semen spirituosum excurrit. Hunc meatum primus obseruauit Fernelius ex Herophili sententia, notauit Varolius, eleganter descripsit doctissimus Laurentius, Fernelij verba ea sunt loquentis de vtero. Alij vetustissimum Herophilum sequuti è testium inuolucris iter esse censuerunt, in neruosam vteri ceruicem iuxta illius os interius, alij è testibus tum in ceruicem tum in capacitatem vteri vias duci volunt, quorum ego sententiæ subscribo. Idem lib. 6. Pathol. cum agit de Gonorrhæa mulierum, ait, semen profluere non ab vteri capacitate, sed à Vasis spermaticis in vteri ceruicem. Vas autem eiaculatorium ex vtroque latere recipitur, à corpore cauo oblongo & in extremitate disciſſo, ſempetque clauſo concidentibus in ſeſe fimbrijs huius foraminis, quæ tamen diductæ & explicatæ tubæ æneæ orificium exprimunt;
B Ideo à Fallopio Tuba vteri appellatur, & dubitat in institutionibus Anatomicis, num duo hæc corpora spiraculorum aut caminorum vicem gerant, per quos vteri fuligines intra abdominis cauitatem exhalent, sed cum faciliot sit exitus per apertum vteri ostium in istis corporibus fistulosis & quodammodo anfractuosis semen ad vsus necessarios asseruari puto, quia in dissectionibus semper semine turgidula reperiuntur. Tuba hæc vteri eleganter descripta fuit à Ruffo Ephesio & parastatam varicosum appellat: fœminas, inquit, varicosis affectoribus carere Herophilus existimauit, nos vero in pecudis vtero è testibus nata vascula, atque vtrimque varicis instar reuoluta conspeximus. Hæc autem in vteri cauum perforatum subibant, è quibus mucosus quidam humor, si quis exprimeret emanabat, magnaque erat opinio hos seminarios esse canales & eorum generis qui varicosi nuncupan-
C tur. Hactenus ex Ruffo.

DE TESTICVLIS MVLIERVM.

Cap. XXIX.

Fœminei testes plurimum à musculis differunt. Sunt enim substantia molliores, magnitudine minores, situque contrarij in abdomine consistunt, Lumborum musculis insidentes, figura sunt lati & depressi, superficie externa inæquali, propter multiplices glandulas vesiculis intertextas, in quibus aquosus hu-
D mor continetur, qui violenter agitatus testem distendit, & cum magno impetu erumpit authore Vesalio. Denique structura differunt, quia vnicam habent tunicam ipsis validissime adnatam, communis à peritonæo producta laxior, Epididymis testiculi muliebris dici potest. Muliebris testiculus nullo cremastere musculo suspenditur, sed à lato ligamento firmatur & continetur, quamuis Oribasius illum admittat, Nonnulli inquit, inter quos est Chius, volunt æquales testium appendices, qui Cremasteres dicuntur testiculis committi, id quod nos proprijs oculis intuiti, in muliere cui intestina in scrotum descendetant, historiæ mandauimus, in qua cum Chirurgiam exerceremus, testiculus antè cecidit, laxatis videlicet Vasis, ipsum continentibus & cum iis cremastere prolabente.
E

AN MVLIER CASTRARI POSSIT.

Cap. XXX.

Locvs hic postulat vt quæstionem Anatomicam à paucis discussam examinemus, si mulier castrari possit; Id olim factum fuisse literarum monumenta testantur, Athenæus lib. 12. Dipnosoph. author est Xanthum literis mandasse, Andramitim Medorum regem fœminas primum castrauisse, quibus Eunuchorum loco vtebatur, Eiusdem sceleris ab Hesychio & Suida Gyges accusatur. Et in Arabia gens est, Creophagos vocant (teste Alexandro ab

Alexandro) quibus nedum viri sed & mulieres Iudaicè excindi solebat, quo exemplo aliquando mulieres in Ægypto exscindebantur. Itaque constat de facto, sed de modo operandi maior oritur difficultas, vt pote si detracto vtero vel auulsis testiculis mulieres castrarent, vtroque modo mulieres in maximum vitæ discrimen adduci certum est, Galenus lib. 1. de semine cap. 15. scribit in Asia & superioribus regionibus vsque ad Cappadociam suibus testes abstrahi, quod non pari securitate administrari potest in mulieribus, ob sedem in qua collocati sunt, & societatem quam habent cum alijs partibus. Nam vtrumque ilium exscindere necessum esset ei, qui fœminas castrare voluerit, opus periculosæ plenum aleæ. Sed maius periculum imminet vtero detracto, etsi hoc fœliciter cesserit cuidam pecudum castratori, qui filiam adulterij suspectam vtero violenter extracto more pecudum castrauit, vt deinceps ad prolem inepta foret teste Vuiero. An queadmodum infibulatis naturalibus equarum, quas concipere & parere nolunt, ferreis nimirum circulis ordine traiectis quibus naturalia clauduntur: ita mulieres olim castrabantur? Sic enim veterem mulierum castrationem interpretatur Dalechampius notis ad lib. 12. Athenæi, & eodem modo Zelotypos Italos vxores à riualibus conseruare audio.

DE PROSTATIS MVLIERVM.

CAP. XXXI.

RECENTIORES Anatomici in mulieribus glandulosos prostatas non agnoscunt, quos tamen Galenus lib. 2. de semine capit. vltimo & aliis locis admittit. Sola magnitudine à virilibus differentes, Vteri ceruici accumbunt & eumdem atque in maribus vsum præstant; humorem enim continent qui venerem excitat, & in coitu titillat, tum effluit mulieribus, cum in coitu vehementius oblectantur. Et qui concumbunt, eum circa penem effundi percipiunt; denique lentore suo instar olei meatum humectat, ne exsiccatus considat, prohibeatque lotij & seminis excretionem. Solus inter Anatomicos recentiores Picolominus prostatas in mulieribus constituit. Sed hoc illi parum in rebus Anatomicis exercitato condonandum est; Quid autem pro glandulosis prostatis accipi debeat, non video, nisi fortè interius vteri orificium carnosum, & veluti glandulosum, quod cingit altera vasis eiaculantis portio.

DE VTERO.

CAP. XXXII.

QVEMADMODVM semen infructuosum remanet nisi terræ conuenienti mandatum fuerit, ita semen virile nihil ex se produceret, nisi loco accommodato exciperetur & conseruaretur. Ad eum finem natura vterum comparauit, in quo vtriusque seminis miscellanea, insita ipsius partis virtute suscitatur, & ad actum promouetur, opus admirabile & tanquam ab animali quodam profectum. Sic enim vterum appellat Aretæus lib. 2. cap. 11. Viscus propè animatum & velut animal quoddam in animali. Epicurus existimabat vt ouum, sic vterum ante animantes extitisse, vt esset in quo surgerent & crescerent authore Censorino libro de die natali. Hanc ridiculam opinionem probauit Epicureus Poëta lib. 5.

Crescebant vteri terræ radicibus apti,
Quos vbi tempore maturo patefecerat ætas
Infantum, fugens humorem, aurasque potiscens,
Conuertebat ibi natura foramina terræ,
Et succum venis cogebat fundere apertis,
Consimilem lactis.

Vterus

A Vterus autem non à tellure suum ortum ducit, sed à semine in prima partium conformatione. Deus enim hominem perfectum vt reliqua animalia creauit. Telluri quidem comparatur propter consimiles actiones, quas in generatione hominis exercet. Quare Lucretius lib. 2. partes genitales viri & mulieris vomerem & sulcum vocat & Plutarchus viri & mulieris coniugium γαμήλιον ἄροτον appellat, Ad hoc eleganter allusit festiuus Martialis lib. 7. Epig. vlt. Et Diogenes in adulterio deprehēsus, ecquid ageret interrogatus? inuerecundè respondit ἄνθρωπον φυτεύω. Porro vterus variis nominibus apud Græcos appellatur; nunc δελφὺς, nunc ὑστέρα, μήτρα, quorum explicationem tradit Oribasius lib. 24. Collect. & Moschio in harm. Gynæciorum. Sed Aristoteles lib. 1. de Hist. Animal. capit. 13. ὑστέραν vocat partem vuluæ interiorem. μήτραν vero ceruicem & ostium vteri. Vterus Latinis nuncupatur quod in eo loco velut in vtre fœtus contineatur, vnde & Lucilio vter tantùm
B dicitur, quob nomen propriè conuenit fœminis authore Plinio lib. 2. capit. 17. Vterus in fœminis loci vocatur, in reliquis vulua: licet li. 8. capit. 14. Asinæ vterum tribuat. Cum igitur vterus concipiendi gerendique fœtus instrumentum sit: situm istis actionibus accommodatum obtinuit. Intus enim reconditus est, vt insitus vteri calor ab internis partibus foueatur, atque ab externis iniuriis tutus & securus existat. Ad eum finem in imo hypogastrio ossibus vndique minuto locatus fuit, tum etiam vt in grauiditate, coxarum cameræ veluti fundamento subnixus, facilius ad partum vsque gestaretur. Addit Gal. lib. 14. de vsu part. hanc vteri sedem necessariam fuisse ad vsum venereorum, Sperma recipiendum, fœtus incrementum, & perfecti enixum, nec alium locum in toto animalis corpore ad ea officia commodiorem inueniri posse. Ne autem vicinorum ossium duritie læderetur,
C tur, inter rectum intestinum & vesicam iacet. Fortassis etiam vt calore excrementorum quæ in istis partibus continentur, natiuus vteri calor augeatur & conseruetur. Eius magnitudo non omnibus æqualis existit, in adultis siquidem & florentibus ætate multò maior est, quàm in puellis, vetulis & sterilibus. Puerperis quoque maior apparet, quàm his quæ nunquam vtero gestarunt; Longitudo in adultis, à fundo ad pudendum vt plurimum est digitorum vndecim, latitudo fere quantum tribus digitis metiri possumus. Naturaliter in mulieribus vt reliquis animantibus vnicus est vterus: Rarum enim est & præter naturam in muliere duplicem vterum inueniri, quod olim Romæ obseruatum fuisse refert Iulius Obsequens. Hæc vnitas siue continuitas vteri vulgo diuiditur in partem superiorem & inferiorem, id est fundum & ceruicem: quæ quidem minutius ab Oribasio lib. 24. Collect. & Mos-
D chione distinguntur. Orificium externum πρῶτος πόρος καὶ στόμα dicitur, ab eo quantum 7. aut 8. digitis reconditum est, τράχηλος collum, aditus fundi orificium internum, pars quæ ei adiacet αὐχὴν ceruix, omnis horum concursus χορίον, Vbi autem dilatari in rotunditate incipit vterus, partes laterales ὦμοι nuncupantur, partes paulo superiores πλάγια latera, vbi vtero rotunditas concluditur βυθὸς fundus, Media fere pars fundi superior & interior βάσις μεγίστη, omnis inanitas illa quæ in medio est γάστηρ κόλπος, venter conceptaculum appellatur.

Omnes istæ partes ad figuram vteri constituendam conspirant, oblongam scilicet & orbicularem pyro maiusculo similem. Soranus vterum medicæ cucurbitulæ comparabat: quæ cum in fundo exactè rotunda sit, nullo modo inuersa. In Vesalij & recentiorum picturis reprehendo, quod vteri fundum in cauitatem ipsam phialarum vitrearum modo inuersum exhibent. Cum talis inuersio nulla sit, nisi fortè
E quibusdam acciderit, ob mollitiem fundi & longam stationem, cum ea pars ligamentis non fulciatur. Arabes vteri figuram quadratam esse dixerunt, quod de exteriore vteri facie intelligendum, quæ si cum suis ligamentis latis spectetur, quadrata potius quàm rotunda iudicabitur. *Ex Sylvio.*

Vteri substantia neruosa est & membranea, neruosum autem corpus duobus modis accipitur authore Galeno, com. 39. lib. 3. de vict. acut. vel quòd multis neruis, ligamentis & tendonibus conflatum est, vel similitudine quadam, quia non aliter quàm neruus facile distenditur, & contrahitur, & ea ratione vterum esse neruosum scribit Galenus. Membranosa vero substantia duas membranas complectitur, Internam & Externam, illa carnosa est & venosa triplici fibrarum genere intertexta, cui altera communis à peritonæo circumiecta est, eique adhæret gra- *Galenus multis in*

locis unicâ tunicâ vtero tribuit, alibi duas. Hâc controuersiam animaduertit Rorarius controuers. Galeni contron. 172.

cilium fibrarum interuentu, quibus relaxatis & ruptis, interna tunica delabitur ad A inguina, exteriore tunica quæ firmiter vicinis partibus alligatur, intus remanente, ex Orib. 24. Collect. cap. penult. & Aretæo. Venosam vteri substantiam componunt, venæ & arteriæ. Venæ sunt quatuor, duæ superiores à spermaticis exortæ, antequam testibus distribuantur. Hæ fundum adeunt & interdum perreptant ceruicem. Aliæ duæ inferiores ab hypogastrico ramo. Plures etiam neruos à sexto pari & osse sacro recipit. In venis obseruanda est spermaticarum & hypogastricarum anastomosis, quæ perpetuò reperitur vel in carnosa tunica, vel inter duas tunicas vteri: quò fit vt in prægnantibus interdum magna sanguinis copia osculo vteri clauso per ceruicem excernatur ipso monente Galeno, cum aliàs menstruus sanguis per vteri fundum expurgari soleat authore Fallopio. Præter istam anastomosin alia inuenitur venarum dextrarum & sinistrarum, quam primus Galenus deprehendit, & experientia sua Syluius confirmauit, vtero recens fœtæ mulieris B per tubulum vehementer inflato. Huius anastomosis beneficio ab vtroque vasorum genere sanguis fœtui suppeditatur, quamuis vmbilicales propagines in vno tantum latere radices egerint. Carolus Stephanus negat venas & arterias matricis substantiam ingredientes proprias tunicas seruare, sed eas cum primum implantantur amittunt, & in primam vteri membranam consumunt, in ipsa tamen matricis substantia ductus & canales anfractuosi reperiuntur, quales in spongiis videmus, latiores & ampliores inter vtrumque parietem quàm in extremis. Connectitur & alligatur vterus partibus vicinis, recto scilicet intestino & vesicæ, per tenuissimas membranas, Sed quatuor validissima ligamenta duo superiora, totidem inferiora obtinuit, quibus in sua sede sistitur & firmatur, vt non sit verisimile in affectibus C hystericis vterum loco dimoueri & instar globi cuiusdam ad ventriculum efferri, vt asseruit Fernelius contra Galeni sententiam. Ligamenta superiora latæ sunt & membranosæ peritonæi productiones, quæ in vteri fundum prope cornua inseruntur, expansæ nauigiorum vela referunt, quibus comparantur ab Arethæo, nec ineptè Iulia Augusti filia vterum nauim appellabat. Inferiora ligamenta mulieri tantùm propria, neruea sunt, rotunda & caua, prodeuntque à lateribus fundi, & sursum ad inguina delata, tendines illius loci perforant, illic diuiduntur in permultas partes, quarum quæ breuiores sunt in pectine prope clitoridem oblitescunt, reliquæ in adiposam femoris interni membranam disseminantur: quas dissecando ad extremum vsque pedem persequi licet. Inde causa reddi potest, cur primis gestationis mensibus mulieres de dolore femorum interiorum conquerantur. Author Anatomiæ viuorum inferiora ligamenta ad pedes vsque produci verè scripsit, sed nugatur dum superiora ad mammillas & oculos ascendere tradit. D

DE FVNDO VTERI *eiusque orificio.*

CAP. XXXIII.

DECLARATIS partibus vteri Similaribus, Dissimilares ordine veniunt, quæ potissimum quatuor in toto vteri ductu notantur. Fundus, Orificium Internum, Collum, & Pudendum. Fundus vteri pars est superior & latior vesicæ fundo subiecta, cui E omninò æqualis est altitudine, vix enim in muliere prægnante, vterus vesicæ etiam inanitæ fundum & articulationem ossis sacri cum vltima lumborum vertebra excedit. Non exactè rotundus apparet, sed antè & retro compressus, cum propter vesicæ incumbentis fundum, tum in vt cóceptione faciliùs dilataretur. At in iis quæ pepererunt rotundus efficitur, quia tempore grauiditatis æqualem vbiq; crassitiem assequitur, quam post partum iuxta suam molem retinet & conseruat. Fundi angusta est admodum cauitas, quæ vix fabam maiusculam capit, nullis cellulis vt in brutis animantibus discreta, sola sutura vel potius linea per longitudinem exporrecta & interiore tantùm parte carnosæ tunicæ designata, Vterum in dextras & sinistras partes

A tes dirimit, qualis inest scroto & linguæ, & hoc mulieobris vterus δικόλπος bissinuatus intelligendus est, Huius cauitatis parietes rugosi sunt & asperi, vt admissum semen renaciùs hæreat, & si credimus Oribasio libr. 24. Collect. capit. penult. in sterilibus duo habet amicula vt plurimùm variis modis conduplicata. Externa vero superficies læuis est & æqualis, ad latera vtrimque versus ilia protuberans, propter apophyses papillares, quas Herophilus dimidij circuli reuolutioni assimilabat, Diocles animalium cornibus exorientibus ac proinde Cornua vocabat, Eudemus πλεκτάνας cirros, Praxagoras & Philotimus κόλπους. Verùm cornua vteri Ruffo Ephesio, nihil sunt aliud quàm ipsum exterius sustinentia vasa, id est ligamenta rotunda, quæ fuit Fernelij opinio cùm ait, Astringitur nectiturque vterus coxarum ossibus validis ligamentis quæ ad illius cornua pertingunt, sic enim appellarunt ingentes processus, qui curuatis cornibus similes, vtrim-
B que ab vteri introitu sursum ad ilia coxarumque ossa incuruati retorquentur. Cornuum ea est vtilitas, vt contractæ allanroidis si quæ sit in humano fœtu extremitates ibi finiantur, ex Syluio, vel vt ab istis angulis gemini fœtus dependeant. Obseruauit Fallopius placentam semper vni angulo hærere, Itaque cum sæpissimè gemini fœtus vtero gestentur, duos angulos quibus suspenderentur natura construxit. Author Anatomiæ viuorum, Cornua, fœtus suspensoria vocat. Galenus libr. 14. de vsu part. aliam cornuum vtilitatem tradit, Matricibus, inquit, succus familiarissimus semen est, cuius excipiendi gratia extiterunt, quod cum sit duplex, duplices quoque stomachi siue ductus facti sunt, Ad virile semen trahendum collum vteri, ad semen è propriis testibus educendum
C cornua constructa fuere, quæ propterea vasa semen deferentia excipiunt. At Diocles teste Oribasio processus mamillares eo fine conditos existimabat, vt fœtus antequam in lucem prodiret, prius assuesceret suctioni papillarum, istam opinionem irridet & explodit Oribasius. Recentiores dicunt cornua capacitatem vteri augendam conferre, quam nullo modo propter cornua augeri puto: quum sint potius puncta seu designationes insertionis vasorum spermaticorum, & suspensionis fœtus in vtero. Ego pro cornibus acciperem vteri tubam à Fallopio descriptam, & ni fallor à Ruffo Ephesio adumbratam: cap. 29. libr. 1. quia nuper Parisiis Chirurgus præsentibus medicis in mortua muliere dissecta, pusillum fœtum optimè conformatum in istis vasis inuenit, quæ Mocardum intelligere puto, dum in sua practica Empyrica refert, se vidisse molam genitam extra vterum iuxta ipsius fundum in vasis spermaticis. Fundi seu cauitatis vteri notandum ori-
D ficium angustissimum ne quid noxium eam cauitatem subiret, Galenus balano comparauit, ratione substantiæ crassæ solidæ, vt in partu sine laceratione, commodè distrahi & dilatari posset. Alij Tincæ pisci vel catulino ori simile faciunt, Obseruo in glossis Hippocratis Galenum tribus nominibus appellare, imprimis ἀμφίδιον à similitudine rotundi ferri, quo terra proscinditur, ex interpretatione Ruffi: vel vt placet Galeno quod labris cucurbitulæ simile sit, λόγιον etiam dicitur, ab extremitatibus indumentorum, necnon ὄγμοι à flexuosa extuberantia, ὄγμος enim & μόσχος palmites & clauiculas significant. Qui pleniorem istarum dictionum interpretationem desiderat, ad Oeconomiam Fœsii recurrat. Id os ferè semper conniuet, nisi dum mediocriter adaperitur, non voluntariè, sed naturaliter ad semen recipiendum vel eiiciendum, vel menstrua singulis mensibus excernenda.
E Vt autem exceptum semen facilius retineretur, natura inferiori eius parti tuberculum oblongum addidit, quod superiùs accedens, foramen melius occluderet quàm si beneficio fibrarum circulariter constringeretur, In muliere similem vsum præstat, atque in viris caruncula extremitatibus vasorum eiaculantium apposita. Circa tuberculum pori siue oscula quædam conspiciuntur, quæ videntur esse fines & extremitates vasis eiaculatorij ad ceruicem delati.

DE CERVICE VTERI. A

CAP. XXXIIII.

QVONIAM vterus intus reconditus est, ob eas causas quas modo commemoraui, natura ad excipiendum penem imum mulieris ventrem longo ductu perforauit, quem subit priapus semen suum iuxta interius orificium eiaculaturus. Siquidem Galeni iudicio, & omnium medicorum consensu, nulla fit generatio sine penis intromissione. At nuper vidimus Parisiis mulierem quæ ex laborioso & difficili partu laceratas habuerat partes genitales, Cuius nymphæ & quatuor carunculæ tam arctè coaluerant, vt vix cuspidem specilli foramen admitteret. Nihilominus decimo quarto ab hinc anno concepisse, Intra vteri labra effusum semen vte- B
rus huius pabuli auidissimus attraxit, quemadmodum è profundis cuniculis ceruus serpentes narium inspiratu allicit. Cum instaret partus introducto speculo matricis foramen dilatatum fuit, in eam amplitudinem quæ ad egressum fœtus necessaria erat sicque fœtum perfectum emisit mulier incolumis adhuc & superstes. Exemplum simile vidit industrius & expertissimus Chirurgus Regius Guillemæus, Mulier ἀσθενὲς impotentiæ & frigiditatis accusat maritum coram iudice quod nondum ab eo corrupta & violata fuisset, cum vtriusque partes diligenter inspicerentur, mulier inuenta fuit grauida. Clementina 1. quæst. 15. de consanguin. refertur in Francia olim impraegnatam fuisse quandam, cuius virginitatis claustra omnia firma atque illæsa manserunt, adeoque prægnatam esse virginem non desiisse. Potest igitur fieri conceptio sine penis intromis- C
sione, quamuis vteri ceruix ad eum finem comparata fuerit. Cuius historiam priusquam aggrediar, imprimis de ceruicis spatio & longitudine statuere oportet, quam Fallopius angustis limitibus circumscripsit, dum ceruicis nomine intelligit eam vteri partem orificio interno contiguam. Nos cum Galeno totum illum meatum penis receptaculum pro ceruice accipiemus. cuius substantia interior neruosa est, mollis & spongiosa, vt pro libidine intumesceret & subsideret: exterior carnosis quibusdam fibris intertexta, imò si creditur Arantio Musculus est orbicularis, ceruicem vndiquaque obuoluens, cuius beneficio ceruix dilatata vel constricta voluntariè licet obscurè mouetur. Interior tunica paulatim in dies durior & cartilaginea euadit, ita vt ceruix vteri vetulis & iis quæ sæpius pepererunt, in substantiam asperæ arteriæ omnino similem degeneret, D
authore Herophilo. Proinde mirum videri non debet si interdum osseam naturam acquirat, vt Cornelius Gemma bis in mulieribus obseruauit. Ceruicis interna superficies admodum rugosa est & flexuosa, vt à frigore externo vterus minus offenderetur, Mulieres enim in partu & menstruis purgationibus maximè refrigerantur, inquit Galenus 14. de vsu part. qnia tunc vteri collum rectum & apertum, frigus externum admittit. Ab his rugis accedit altera vtilitas, qua virile pudendum in coeundo validius comprimitur, & mutua partium titillatione veneris voluptas augetur. Orbiculares istæ rugæ in puellis teneriores apparent venulis intertextæ, quarum collisione venerem nondum expertis sanguinem emanare volunt Auicennas & Fernelius.

DE HYMENE ATQVE OBITER de notis Virginitatis. E

CAP. XXXV.

IN parte media & interna ceruicis membrana quædam in virginibus obseruatur, quam virginitatis indicem & testem esse volunt, Alij nullam extare dicunt: nisi præter naturam vt in arthretis & imperforatis puellis, quas sic concteto genitali gigni infausto omine Cornelia Gracchorum mater indicio fuit. Plin. libr. 7. capit. 16. Hæc controuersia cum magni sit in Medicina momenti, quia vulgus credit partes genitales virginis, hac membrana munitas esse: & interdum ex medicorum vel obstetricum

ſtetricum relatione Virgines de fama & honore periclitantur. De hac membrana
A in vtramque partem diſputabo, & per occaſionem inquiram, ſi præter eam membranam alia ſint Virginitatis reſtimonia.

Nihil in arte medica difficilius eſt quàm puellæ Virginitatem detegere, mille ſunt artes quibus hoc verſipelle genus Virginitatem ſimulare ſolet, proinde nihil certius, quàm ipſas partes genitales inſpicere, cum reliqua ſigna debilia ſint & fallacia. Nam ſi alicuius Quartillæ Virginitatem explorare volueris, quæ Iunonem ſuam iratam optat, ſi vnquam ſe meminerit Virginem fuiſſe, quia infans cum paribus inquinata fuit, & ſubinde prodeuntibus annis maioribus ſe pueris adplicuit, donec ad hanc ætatem pervenit; Quid proderit Virginitatis illa exploratio, quam refert Soranus ex ſuffitu florum rumicis, vel lapathi, ex hoc ſi ſe puella comminxerit, ex illo ſe polluerit integramne iudicabis; Nec maiorem fidem adhibeo ſuffi-
B to vel epoto gagati, cuius odor, ſi nares non feriat, vel potius præſentem vrinam non moueat, virginitatem teſtatur. Incertam quoque coniecturam puto, quæ habetur ex lotio, ſi tenue ac pellucidum prodierit cum leui ſibilo. Nec adhuc certior mihi videtur ipſa colli commenſuratio veteribus familiaris, ex qua poſtridiè nuptiarum puellam integram vel corruptam eſſe cognoſcebant, inquit Mercurialis in variis lectionibus, quem morem expreſſit in Epitalamio Catullus.

Apud Petronium Arbitrũ.

Non illam genitrix orienti luce reuiſens,
Heſterno poterit collum circumdare filo.

Quod non abſque ratione factum videtur, ſiquidem vt memoriæ proditum eſt ab Ariſtotele, præcipuè vox mutatur in aſperiorem & minus acutam, quo tempore coitus inchoatur, quare ſi vocem conſeruare volueris, à coitu prorſus abſtine-
C bis, quod deſignare videtur Martialis.

Cantaſti male dum fututa es Aegle,
Iam cantas bene, baſianda non es.

Capiuaccius omnia Virginitatis ſigna incerta eſſe & fallacia demonſtrat in practica. Cuiacius libr. 17. obſeruationum capit. 20. ſcribit, virginitatem cognoſcere rem eſſe difficilem ac pene impoſſibilem, nec huius rei vnquam obſtetricibus delatum fuiſſe arbitrium, quod tamen intelligendum eſt de iure ciuili. Nam ius Pontificium hoc negotium matronis & obſtetricibus commiſit, quarum etiam in rebus venereis conſilium requirit Hippocrates libro de Septimeſtri partu, & libro de carnibus. Ideo Hiſpani vt peririones habeant obſtetrices cadauerum muliebrium diſſectionibus adeſſe cogunt referente Augenio
D in Epiſtol. Mdici.

Itaque cum ex ſignis exterioribus quidquam certi colligere ſit impoſſibile, ad pudendorum inſpectionem deueniendum, ſiquidem natura virgineæ pudicitiæ ſollicita, membranam illic appoſuit Virginitatis cuſtodem, qua ſemel effracta, flos Virgineus perit & euaneſcit.

Nulla reparabilis arte
Læſa pudicitia eſt, deperit illa ſemel

inquit Oenone apud Ouidium.

Hæc autem Cunni puellaris membrana hymen à Græcis per excellentiam eſtappellata, Alexander Benedictus Medicus Eugium vocat, poetæ Zonam caſtitatis, ſic enim apud Catullum paſſim in Epithalamiis ſolutam Virginis Zo-
E nam pro hymene rupto & violato interpretor. Vnde apud Græcos deuirginatæ puellæ λυσίζωνοι dicuntur. Meam opinionem manifeſtè confirmat illud Catulli Epigramma, quo meretrix de amaſio ſuo conqueritur.

Languidior tenera cui pendens ſicula Beta,
Nunquam ſe Mediam ſuſtulit ad tunicam.

Subiungit Poëta.

Et quærendum aliunde foret neruoſius illud,
Quod poſſit Zonam ſoluere Virgineam.

Ab Hymene dictum putant Hymenæum Deum Seruius & Donatus, & ex eorum ſententia, hymen membrana eſt, qua munitur Virginitas quæ primo diſrumpitur coitu.

Cæterum hymen ſic ab oculatis & expertis Anatomicis deſcribitur, vt ſit mem-

brana neruea tenuissima, venulis conspersa, quibus laceratis in primo coitu sanguis effluit. Ceruicis orificio prætenditur, vndique ceruicis parietibus adhærens & A in sui medio foramen relinquens, ad menstrui sanguinis excretionem. Nonnunquam magno sanitatis detrimento continua est, interdum foraminulenta instar cribri ex Vesalio, hanc membranam Arabes, Auicennas & Auerroes agnouisse videntur, dum referunt ante puellæ corruptionem extare in collo matricis panniculos, ex venis & ligamentis valde subtilibus contextos: quos mas suo ariete primo itu disrumpit. Inter recentiores Vesalius & Fallopius peritissimi Anatomici in omnibus Virginibus Hymenem inueniri statuunt, quem Iacobus de Carpo Guinterus Andernacus, Platerus, Picolominus admittunt. Eum ter Columbus obseruauit, eum ostendunt Anatomici Patauini. Semel notauit Riolanus Chirurgus in Virgine nobili dum eius cadauer condiret ad sepulturam. Paræus etsi incredulus B in Virgine annos 17. nata vidit. Quinetiam Vuierius lib. de præstigijs dæmonum asserit se in Virgine quadam istam membranam deprehendisse, idque à pudicissimis matronis resciuisse, quæ in se ipsis hoc pudicitiæ munimentum prima admissione expertæ sunt. Propterea Celsus in sectione calculi fœminarum vult virgini digitos subiici tanquam masculo, hoc est per anum, ob hymenem scilicet interpositum, & pudendum contractius: mulieri per naturalia. Pari ratione clysteribus vterinis, & pessis, in Virginibus abstinemus. Nec moror quid recentiores Anatomici pro hymene substituant, nimirum quatuor carunculas membranulis quibusdam coeuntes, quæ florem Virgineum cariophillo nondum explicato persimilem constituunt, quibus membranis laceratis & carunculis disiunctis & velut attritis, perit flos Virgineus, de quo sic venuste loquitur Catullus. C

Vt flos in septis secretus nascitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contusus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat sol, educat imber,
Multi illum pueri, multæ optauere puellæ.
Idem cum tenui carptus defloruit vngui,
Nulli illum pueri nullæ optauere puellæ:
Sic Virgo dum intacta manet, tum chara suis, sed
Cum castum amisit polluto corpore florem,
Nec pueris iucunda manet, nec chara puellis.

Varolius per hymenem intelligit, membranosam copulam quæ alas pudendi parte inferiori connectit, & in primo coitu relaxatur. Verum istæ laudabiles recentiorum obseruationes naturalem hymenem non tollunt, quem tamen non in D omnibus Virginibus reperiri fateor, quia interdum lasciuæ puellæ inopinatò membranam istam effringunt vt notat Vesalius libro de Chyna, dum venereo œstro agitatæ digito indito, vel quopiam alio instrumento coitum imitantur. Addit Vesalius in quibusdam locis solere obstetrices hanc membranam velut inutilem effringere, quando digitum podici & vuluæ immittunt, vt partes istas connatas aperiant, quemadmodum solent in editis frænum linguæ lacerare. Si requiras vsum hymenis, disces ex Platero. Hymen ostij vteri amplitudinem ante congressum inutilem nonnihil occludit, & summa pudendi latera ligamenti linguæ & præputij instar colligit. Sed virgines eiusmodi membrana destitutas, dicesne corruptas? in puellis vsque ad primam menstruorum eruptionem vt plurimum extare puta: posteà madefactam quauis occasione lacerari, quæ si euanuerit non propterea iudicabis violatam esse virginem, modò angustia pudendi cum E tumore quatuor glandularum remaneat. Scribit Scaliger exercit. 175. in Athlantis iugis occidentalibus quæ pars Sarnag ab incolis nuncupatur, radicem quandam reperiri puellis adeo inimicam, vt si super eam sedeant, aut vrinam faciant, eis perinde rumpatur hymen, ac si à viro essent vitiatæ. Gaudeant honestæ virgines quod Gallia eiusmodi scelarata radice careat, quæ forsan impudicis optabilis esset, vt læsæ pudicitiæ causam huic imputare possent. Nigrorum natio hymeni vt fragili sepimento minus cõfisa, validioribus certioribusque præsidijs filiarum virginalia munire solet, nam suis puellis vbi primum natæ sunt, pudenda consuunt, sic tamen vt vrinæ meatus non intercipiatur, illæ autem

A vbi adoleuerunt sic consutæ nuptum dantur; sed primum sponso ea relinquitur incumbitque cura, vt ferro conglutinata ceruicis labra secet diuidatque. Crudelis custodia quæ tamen hoc deprauato sæculo non foret inutilis, quò virginum pudicitia auro lasciuijs facilè expugnatur, quæquidem vel mentis imbecillitate, vel inuidentia pene virili se vinci patiuntur. Iuppiter cum amplexu Danaes frui non posset imbris aurei modo per impluuium in eius sinum delapsus est. casta est inquit Comicus quam nemo rogauit, quapropter cùm mammæ intumescunt virgines diligenter custodiri debent consilio Aristotelis, Puella tenellulo delicatior hœdi asseruanda nigerrimis diligentius vuis. Vix possum credere quod litteris consignauit Vespurius Florentinus in Antartico solo fœminas etiam post plurimos partus integrum virginaleque corpus præ se ferre, itaut puerperę nulla re differant ab ipsis virginibus, quod canibus atque alijs brutis
B commune est.

DE ORIFICIO CERVICIS *vteri.*

Cap. XXXVI.

Collvm vteri desinit in pudendum muliebre, id est, orificium exterius vteri, quod Latini Vuluam quasi valuam & sinum pudoris appellant. Eius substantia carnosa est ac spongiosa, venulis & arte-
C riolis implicita, vt in coeundo spiritu turgida spatium angustius redderetur, & ità strictius penem amplexaretur, virginibus mollior est & magis pulposa quàm in puerperis: & iis quæ frequentius subagitantur. Eius amplitudo quatuor aut quinque digitorum mensuram æquat. At in iis quæ pepererunt maior; in virginibus tantùm patet (inquit Oribasius) quantùm externum auris orificium. In pudendo plurimæ partes citra dissectionem apparent. Ac primùm pars superior pilosa pubes, huius pilus γυναικομύσαξ pudendi barba dicitur, vt plurimum flaui est coloris, & in mulieribus magis crispus quàm virginibus. Incipit erumpere fœminæ vt mari, anno 14. cum ratio firmior, inquit Theodoretus serm. 3. de prudentia, vitium à virtute discernit. quasi tegere volens natura velamentis naturalibus eas corporis partes, ob quas homines euilescere
D consueuerunt. Rima pudendi σχίσμα dicitur, Cunnus vulgo; Vtrimque rimam ambiunt carnosa quæ πτερυγώματα dicuntur, Celso genitalis mulieribus ambitus? Vesalio pudendi colles, aliis vuluæ labra, Rugosis cuticulis constant cuius extuberantiæ veneris monticuli nominantur. Labiorum inferiorum cutis ligamentosa est, in virginibus tensa, in puerperis verò valdè relaxatur, quæ cutis laxitas & depressio fœturæ signum certissimum est. Post labra intus progrediendo vtrimque occurrit alata & cartilaginea membranula νύμφη Græcis dicta, longa quidem, sed tenuis, nec multum lata, In extremis acuminata, transuersum situm obtinens, & secundum longitudinem sita. Hæ cartilagines nonnullis mulieribus, interdum in tantam molem augentur, vt pudorem deformitatemque inducant. Quarum Chirurgiam tradit Paulus Ægineta libr. 6. Eas olim Ægyptij nupturis
E virginibus antequam prominerent resecare solebant, vt docet Galenus in introductorio. Quod adhuc apud Abderitas seu Præsbiteri Ioannis gentem ex lege Hebræorum obseruatur: vt narrant Paulus Iouius lib. 3. suæ historiæ & Bellonius obseruationum lib. 3. cap. 28. Post alas, quatuor carunculæ myrtoides siue triangulares apparent, virginibus tumidæ elatæ in rubicunde, quibusdam membranulis ita coeuntes, vt in vestibulo orificij propter basim latiorem foramē exiguum (quod annularis digitus vix subire posset) relinquant, sensimque angustius redditur propter earum extremitates inuicem consertas. Ità constitutæ & compositæ carunculæ rosam nondum perfectè explicatam exprimunt. Earum vna anterior & superior vesicæ orificium regit, altera inferior est, Reliquæ duæ interni orificij, latera occupant, omnes simul iunctæ vterū ab aēre & externis corpusculis defendunt, & in coitu maris pudendum titillantes veneris ardorem suscitant & accendūt. Post

carunculas. Fossa quædam satis ampla in parte colli inferiore sita est, eo fine comparata, vt in ceruicem vteri immissum semen, confestim non egrediatur. A

DE CLITORIDE.

Cap. XXXVII.

IN apice vuluæ inter pterygomata quædam particula conspicitur Ruffo & Polluci Clitoris dicta, ab obscœno verbo κλειτορίζειν quod est semen effundere, vel vt interpretatur Laberius puellitari, Columbo dulcedo amoris, Arabibus Albatar, quibusdam Sacandrus, vulgo inquit Rondeletius μύρτα appellatur, apud Gallos *la Landie*. Soranus in B epistola nuper euulgata ad Cleopatram, Landicam vocat; propriè virga muliebris dicitur; quia omnibus ferè partibus constat, quibus virile pudendum, Tria enim recipit ligamenta, neruosa, spongiosa atrioreque sanguine referta, quorum duo lateralia à tubere Ischij oriuntur, Tertium inter hæc duo medium à Symphisi ossium pubis enascitur, ab ijs ligamentis circa terrij exortum simul vnitis, conflatur Clitoridis corpus. quod præterea quatuor musculos obtinuit instar penis virilis, eidem officio inseruientes. Duo superiores rotundi lateralibus ligamentis insident & ab eodem loco prodeunt clitoridem erigentes; Alij duo inferiores lati & plani à sphinctere manant clitoridem dilatantes, vt in coitu ad eam partem libidinis & voluptatis sedem, copiosior spiritus afflueret. Quinetiam vasa per dorsum Clitoridis currentia, non secus ac per pudendum virile obseruantur. Denique vt nihil C deesset in isto pene muliebri, natura extremum Clitoridis in modum balani exornasse videtur. quod tamen peruium non est, sed propter pelliculam quæ loco est præputij, altius apici clitoridis impressam, foraminis vestigium apparet. Extremum istud clitoridis dicitur Tentigo quia perfricatum torpentem excitat facultatem ad seminis effusionem. Cæterum Clitoris in cadaueribus vix apparet, propter molem exiguam quæ concidit dissipatis spiritibus. Sed in viuentibus cum omnia calore & spiritu turgeant manifestè cernitur, præsertim in ijs quæ venerem exercuerunt: In quibusdam visa est collum anserinum & crassitie & longitudine æquare, tumque ἀποδέξις dicitur Ruffo, Paulo, & Ætio, vel κερκώσις id est caudatio, Hippocrati κίων si credimus Mercuriali. Interdum mulieres quando illa excrescit & extra rimam prominet, sese mutuò fricant & subeunt, cuius rei exem- D pla peti possunt ex libr. 3. peregrinationis Leonis Africani & apud Iurisconsultum Paponem libr. 22. tit. 7. Atrest. 2. & Martialem in Tribadum Historia Epigram. 91. lib. 1. Runanus dialog. meretr. in istas fœminas inuehitur. Amythone, Telesippa, Megæra, Athys, Cydnæ, ancillæ erant Sapphus vatis quibus ipsa ad libidinem vtebatur, eas subagitando more virili. Cælius Aurelianus libr. 4. Tribadas vocat fœminas, quæ vtramque venerem exercent, & mulieribus magis quàm viris misceri festinant, & easdem inuidentia pene virili sectantur. Vesalius in examine obseruationum Fallopij prominulas sub labijs vtrimque carunculas veras veteribus celebratas nymphas & clitoridas esse statuit. quibus etiam tentiginis incrementum & affectum, tum earumdem præsectionem attribuit. Fallopij clitoridem reiicit & ad Hermaphroditas monstrosaque corpora refert, sed fallitur Vesalius vel E animo reprehendendi hæc protulit.

Quod ad dissectionem partium genitalium attinet, vt in viro possis apertè intueri collum vesicæ, eique adstantes particulas, ossa pubis disiunges nouacula in medium cartilaginosæ commissuræ mallei plumbei ictibus adacta, ipsisque coxis in posteriora magna vi retortis. Sed priusquam id moliaris penis structuram eiusque musculos spectabis, quæ pereunt & dissoluuntur in ossium pectinis separatione. At si cadauer dissecueris non prius tentabis eorum ossium diuulsionem donec externum vuluæ ambitum diligenter inspexeris, reliquas partes genitales tam viri quàm mulieris eo ordine quo fuerunt expositæ persequeris.

A

DE PARTIBVS THORACICIS.

QVID SIT THORAX, EIVSQVE compoſitio.

Cap. XXXVIII.

PERAGRATA prima corporis regione, ad ſecundam tranſeundum eſt; quæ partes vitales comprehendit, ac thoracis nomine deſignatur. Huius hiſtoriam imitatione Galeni, quinetiam mu- *Lib. 7. Adm. anat.*
B tuatis ipſius verbis aggrediar. Quemadmodum qui loci alicuius naturam enarrat, prius oſtenſis limitibus ad loci deſcriptionem accedunt: Ita fines thoracem definientes antè declarare oportet, quàm interiorem thoracem penetremus. Thoracis apud Medicos varia fuit acceptio; Hippocrates quem Ruffus & Ariſtoteles imitati ſunt, thoracis nomine truncum corporis intelligit, qui medium & infimum ventrem comprehendens à clauiculis ad pubem vſque protenditur, quo ſignificato ſcripſit Hippocrates hepar locatum eſſe in thorace. Anatomici ſtrictius accipiunt thoracis nomen pro eo ventre ſeu cauitate, quæ coſtis circumſcribitur. Configitur autem ad eam ſpinæ partem quæ dorſum dicitur, tanquam ad carinam nauis, quare *Ex Galeno in art. par.* neceſſariò eius longitudo æquabitur dorſo, latitudo erit pro vertebrarum ratione.
C Amplitudo verò thoracis calidioris cordis indicium eſt, vndè cum cordis caliditas exuperans perflauerit ac dilatauerit in primo ſui ortu thoracem, erit eiuſdem caliditati proportione reſpondens. Tota hæc amplitudo dirimitur in partem anteriorem, poſteriorem, & laterales. Pars anterior Græcis, στέρνον dicitur quaſi στερεὸν vt Latinis pectus quaſi ſoludum & compactum: ſoli homini latum, reliquis animantibus carinatum. Depreſſum autem ſeu tabulatum σανιδῶδες phtiſeos & tabis argumentum damnatur. Notauit Galenus lib. 3. de artic. hominem inter animalia latiſſimum habere pectus, deinde ſimiam, quæquidem pectus habet anguſtius homine, latius verò cæteris animantibus. Poſterior pars dorſum appellatur, quod ſit deorſum deuexa, vel quod eius ſpinæ deorſum inclinent. Partes laterales Coſtæ dicuntur. Cæterum thoracis compoſitio vt in abdomine, diuiditur in partes continentes & con-
D tentas. Continentes communes ſimiles ferè ſunt ventri inferiori, excepta tantum mammarum eminẽtia, Propriè ſunt variæ & multiplices, quas in tres ordines commodè diſtinguere licet, Nam aliæ ſunt molles & carneæ, vt muſculi qui incubant coſtis, earumque interſtitia opplent. Aliæ oſſeæ & cartilagineæ, vt ſternum coſtæ. Aliæ membranoſæ vt pleura.

His omnibus obſeruatis ſectionem molieris partium continentium, vt in ventre inferiore præſtitum eſt. Cutim igitur rectâ ſecabis à iugulo ad Xiphoidem cartilaginem, diuiſam ad latera diduces, donec illi ſubiectus adeps conſpicuus fiat, ibi paulò flauior, quàm in aliis partibus. Et ſi cadauer muliebre præ manibus habeas, cutim iuxta mammæ papillam circulariter reſecabis, vt mammæ ſtructuram & conformationem poſſis inrueri. Poſtea ſeparabis adipem à ſubiectis muſculis, quos cauebis offendere. Sed priuſquam adipem prope claues detrahas, muſculum carno-
E ſum auferes, qui exortus à claue toti collo ſupertenſus inferne maxillę affigitur. Remota pinguedine pectoralem muſculum leniter eleuabis, huic duos alios ſubiectos inuenies (ſerrati dicuntur) quos pariter à ſterno eximes. Ex parte ſuperiore ſterni & clauicula derades muſculum maſtoideum, & bronchium iis partibus adhærentes. His peractis ſternum apparebit denudatum quod eximes, vtrinque facta ſectione, qua parte coſtæ ſterno cohærent. Sed diligenter aduertes ne cultrum profundius adigas, potiſſimùm verſus clauem: alioquin venam cauam ſterno adhærentem vulnerares. Sic vtrimque abſciſſum ſternum auferes, vt omnia quæcunq; thoracis capacitas includit recenſeri apertéque depromi queant. Interea notabis interiorem partem ſterni obduci muſculo triangulari, quem carnem eſſe arbitror romenti inſtar illic appoſitam ne mucro cordis duris coſtis illiſus contunderetur.

Quod attinet ad musculos intercostales, de illorum origine & vsu non conuenit inter Anatomicos. Huic cõtrouersiæ occasionẽ dedit Gal. qui diuersis in locis cõtraria prodidit, modò externos intercostales ab inferno latere costæ supernæ educit, modò à superiore parte costæ infernæ deriuat. Priori opinioni fauet Laurentius, posteriori subscribunt Vesalius, Columbus, & Fallopius. De intercartilagineis qui sterni spatia opplent non minor fuit controuersia, cuius authores fuere Arabes, quorum exemplo decepti Vesalius & Columbus, cartilagineos musculos introduxerunt. Cum enim viderent ex Galeno fibras vniformes vsque ad confinium sterni & costarum produci, easque inter spatia sterni immutari; ex varietate fibrarum distinctos esse musculos iudicarunt. Sed aliam huius erroris causam profert Fallopius videlicet externos intercostales tãtò citius in anteriora terminari, quanto longius à vertebris oriuntur: & vicissim internos tantò lõgiùs per interualla sterni produci, quantò breuius à flexura costæ incipiunt. Si quæras cur intercostales externi non protendantur per latitudinem sterni, Id factum duabus de causis autumo, vt musculi intercostales essent inter se æquales, atque vt serratus maior & pectoralis sterno tenacius inhærerent. De actione & vsu maior nascitur difficultas, An ambo vni & eidem actioni inseruiant, An externi distinctam edant actionem ab internis. Galenus lib. de motu muscul. externos inspirationi, Internos exspirationi præesse voluit. Inspirationem autem dilatato, expirationem constricto thorace fieri Romæ docuit publicè, præsentibus Seuero Paulo & Barbato Consulibus. Idcirco lib. de dissectione musculorum exteriores thoracem dilatare, interiores contrahere asseruit. Vesalius omnes intercostales thoracem constringere contendit, sed cum ex Galeno diaphragmati in subsidium veniant, necessariò septi transuersi motum sequentur. At illud contrahitur in inspiratione, ergo omnes intercostales, tam externi quàm interni in id opus conspirabunt, equidem lubentius descendo in Fallopij Arantij opinionem musculos intercostales carnosa esse costarum ligamenta, quibus inter se nectuntur, vel saltem si mouent & agitant costas id non per se, sed tantum per accidens præstare; dum scilicet costæ inuicem colligatæ maiorum musculorum sequuntur motum. Præterea costæ vtroque extremo costis & sterno affixæ, moueri non possunt, nisi per eam articulationem quæ est ad vertebras. At in eo motu inter se adduci vel abduci nequeunt, semperque spatium inter vtramque costam æquale manet. Adde quod musculi costam mouentes, extra thoracem siti sunt, aliunde originem habentes; Musculi autem intercostales inter spatia costarum collocati sunt, quapropter costæ nullo modo ab his musculis moueri possunt.

DE MAMMIS VIRI ET MVLIERIS.

CAP. XXXIX.

COMMVNI loquendi consuetudine viro & mulieri mammę tribuuntur, sed propriè mammas sola mulier habet, vir tantum mammarum notas. Cum enim vsu & actione careant, videntur potius ad decus & venustatem pectoris comparatæ, nè mutilum & informe pectus appareret; quàm ad tutelam cordis, aut vasorum per pectus oberrantium vnionem, siquidem nullos vnquam neruos, nullas venas & arterias ad papillam velut ad centrum pectoris concurrere & coire vidi. Si quis obijciat ex Aristotele posse in illis lac generari, vt in quibusdam viris obseruatum est: Id præter naturam ac ineptum esse ad alendum dicimus, vel potius serosum humorem in obæsis ac humidioribus corporibus reperiri. At mulieris mammæ structura & vsu planè differunt à virilibus, quippe maiores existunt, ex adipe & glandulis conflatæ lac generant alendo puero aptum & idoneum, quibus omnibus dotibus mammæ viri destituuntur. Non in omnibus tamen eadem mammarum magnitudo spectatur, virginibus vt maribus imperfectæ sunt, nubilibus tantum & maturis viro primum erumpunt, figura rotundę semiglobulos inuicem sororiantes decenter referunt; In grauidis & obęsis maiores sunt, in his adipe, in illis lacte turgentes. In effœtis & vetulis sensim flaccescunt, instar vesicę aut corij è pectore propendentes. Cum in maiorem molem excres-

A excrescunt brachiorum agitationem impediunt, propterea Amazones mammam dextram sibi rescabant, vt manum dextram agiliorem haberent. Hippocrates mammam dextram vstulasse scribit, vt omne alimentum huic parti dicatum ad sinistram mammam & manum debiliorem conflueret. Fabulosum existimarem, nec auderem in scripta referre, quod Iuuenalis de mammarum magnitudine memorat, nisi quædam similia legissem apud Historicos nostræ ætatis.

Quis tumidum guttur miratur in Alpibus? aut quis
In Meroe crasso maiorem infante papillam?
Nempe quod hæc illis natura est omnibus vna.

Narrat Aloysius Cadamustus in regno Senegæ fœminas vbi annum circiter decimum & septimum attigere à viris mammas vi distrahi, fune per medium iniecto, itavt ad ventrem vsque procidant. Alter in sua relatione Orientalis Indiæ recitat in
B Insula Arnabonis nutrices mammas adeò proceras habere, vt eas possint in terga reflectere: scribit Aristoteles solis animalibus in pectore sitas esse, quæ partus suos possunt attollere; idcirco homini tantum & simiæ eo situ collocantur, cæteris animantibus in sumine, videnturq; mammæ propter manus in pectore situm habere, vt mulier puerum suum vlnis & manibus comprehensum simul osculari & alere queat, sicque amorem suum erga prolem intendat. Sed huius loci magna commoditas est ad elaborationem lactis. Cum enim mammæ glandulosę more aliarum glandularum sint frigidæ, non possunt lac excoquere, nisi alicuius partis calore foueantur. Incalescunt autem à corde, cui parem gratiam mammæ referunt suo incubatu, thoraci instar filtri appositæ calorem viscerum conseruant dissiparique prohibent.

C Porrò mammarum compositio partibus externis & internis constat. Partes externæ sunt cuticula & cutis, quæ in media mammilla extuberans, papillam efformat, per quam ceu per canaliculum infans labiorum suctu lac emulget ad sui nutritionem, huius corpusculi substantia fungosa est, & sensilis admodum, vt blando contactu & suctione erigi & flaccessere queat. In virginibus instar fragæ rubet, in grauidis atque morbosis mulieribus fusca vel nigricans, subinde mutans colorem cum areola papillam ambientę. Internæ partes sunt glandulæ, multus adeps interiectus, venæ & arteriæ dispersę, quibus fundamenti vice substernitur membrana mammas à subiectis musculis discriminans. Quamuis autem mamma videatur vnum continuumque corpus glandulosum, quędam tamen eximia glandula iuxta papillam habetur, quam reliquæ circumstant irrigatæ omnes venis & arterijs mam-
D marijs atque thoracicis, neruos autem à costalibus accipiunt. Sic exornatę mammę primum lacti generando inseruiunt, deinde contegendo cordi munimentum adferunt, Conferunt quoque ad pectoris ornatum & viri delicias, suauiter enim contrectatę Veneris igniculos accendunt, & torpentem libidinem excitant. Alium vsum excogitauit Hippocrates lib. de glandulis vt excrementitium humorem absorbeant, ita vt si morbus aliquis, aut alius euentus mulieribus mammas ademerit, vox ipsis reddatur asperior, sputatrices euadant, & capitis dolore torqueantur.

DE DIAPHRAGMATE.

E
CAP. XL.

DIAPHRAGMA, vt verbum sonat, est veluti paries interiectus, partes naturales à vitalibus separans. In eo substantia duplex obseruatur, quippe pars media neruosa existit, ambitus verò carnosus, itaut ex duobus circulis substantia diuersis constituatur. Neruosa portio ex influxu neruorum conflatur, & in medio posita vt densitate sua ascendentes culinę vapores repellat, quos carnosa substantia instar spongię ebibisset authore Aristotele. Necessaria quoque fuit ad tutelam & securitatem partium transeuntium venæ cauæ & œsophagi, quę constringerentur ab eo musculo dum contrahitur si totus carnosus fuisset. Tertiam causam adducit Hippocrates, vt sit robu-

ſtius diaphragma minuſq́ue doloribus opportunum. Duplex hæc ſubſtantia vtrim- A
que membrana obducitur, quarum alteram habet à peritoneo, qua parte ventrem
ſpectat, Alteram à pleura intra thoracem. Eſt autem diaphragma verè ſimplex muſ-
culus, vtrique lateri communis, non duplex vt plerique imaginantur: quia propè
vertebras biceps apparet in duas partes diſſectus, ex quibus infernè ſurſum ferun-
tur fibræ; & in vna parte vulneratus altera tantum parte conuellitur. Quæquidem
rationes duplicitatem huius muſculi non oſtendunt; Alioquin quicunque muſcu-
lus bicipiti naſcitur principio geminus exiſteret; fieri quidem poteſt, vt pars læſa
conuellatur, altera ſuo fungente officio, quia ſeorſim neruos admittit, itaut dextra
pars peculiarem habeat neruum, quemadmodū ſiniſtra ſuum, lingua ſimplex cor-
pus ab omnibus iudicatur, nihilominus propter neruos ſeparatos quos ex vtraque
parte recipit, obſeruatum fuit in hemiplegia vnam partem reſolui, altera permanē- B
te integra. Sic in vuluæ malis alteram partem nigreſcentem vidit Alexander Bene-
dictus, altera illæſa. Si recurras ad duplicitatem, quam natura in omnibus partibus
fecit, oſtende cur vnicam veſicam condiderit. Figura ſua rotundum eſt diaphrag-
ma piſcem, quem vulgò Rhaiam vocant, exquiſitè referens, vel reticulum quo pilæ
palmariæ luditur. Huius tanta eſt dignitas, vt contabeſcens febrem hecticam letha-
lem inducat; Inflammatum mentem perturbet phrenitimq́ue adferat, Vulneratum
mortem incutiat. φρένες autem à Græcis dicitur non quod ad ſapientiam conferat,
ſed quia vexatum phrenitim pariat authore Hippocrate. Cuius generationem ſic
docet lib. de Virg. *Sanguis præ multitudine reſilit ad cor & diaphragma, inde cor fatuum fit,
ex fatuitate torpedo, ex torpedine delirium apprehendit.* Verum notauit Hippocrates lib.
3. de morbis, phrenitidi primariæ diaphragma condolere. Vulnera diaphragmatis C
lethalia eſſe ſcriptum eſt ab Hippocrate, quodquidem in parte neruoſa verum eſt
non carnoſa, quæ facilè percuratur, vt animaduertit Galenus, & confirmauit Hol-
lerius. Cur in parte neruoſa repentinam mortem adfert? An propter neruorum of-
fenſionem? An quia intra thoracem nerueo eius circulo pericardium adhæret, ei-
demq́ue circulo intra abdomen diaphragma alligatur, vt notauit Hippocrates. Ve-
teres diaphragmati acceptam referebant mentis ſubtilitatem, atque in eo præcipuā
hilaritatis ſedem conſtituebant: ob hoc in prælijs gladiatorumq́; ſpectaculis mor-
tem cum riſu traiecta præcordia attulerunt, ait Plinius lib. 11. cap. 37. Scribit Hip-
pocrates 7. epid. Thyconem in ſepto tranſuerſo vulneratum riſiſſe. Cæterum cum
diaphragma omnium confeſſione ſit muſculus, omnis autem muſculus capite & fi-
ne conſtet, vbi caput & finem huius muſculi aſſignare liceat inter authores ma-
gna contentione diſceptatur. Sed omiſſa opinionum varietate Hippocratis autho- D
ritate fretus, Galenique iudicio corroboratus atque rationibus inductus à vertebris
lumborum emergere contendo. Tradit Hippocrates lib. de oſſ. ſeptum tranſuer-
ſum iuxta vertebras infrà coſtas propè renem exurgere, hoc confirmat lib. de cor-
por. reſect. à ſpina retro hepar diaphragma productum eſt, Galenus lib. 5. adminiſt.
anat. quæ poſtremi ſunt anatomici labores, quibus vt omnibus Medicinæ libris ac-
quieſcendum eſt, à ſpinæ vertebris deducit. Columbus huic opinioni ſubſcribit,
quæ duabus rationibus ſtabiliri poteſt. Omnis muſculus actioni validæ deſtinatus,
rei fixæ & immobili adniti debet: nam coſtæ à quibus rectus & obliquus deſcen-
dens exoriuntur ſunt immobiles, dum abdomen comprimentes agitantur. Nec e-
nim inſeruiunt deprimendo thoraci cum ſponte ſua decidat, nec nullus muſculus
expirationis opifex exiſtit, vt doctè animaduertit Galenus. Præterea obliquus dia- E
phragmatis ſitus manifeſtè docet hanc originem. Nam aponeuroſes carneæ quas è
directo coſtarum, nimirum vndecimæ vertebræ coſtis oppoſitæ connecti oporte-
bat, ad ſecundam lumborum vertebram deſcendunt ibi tenaciter affixæ. Inuento
diaphragmatis capite ſeu origine, quærendus finis ſiue inſertio, quam in ambitu no-
tharum coſtarum conſtituo, quibus firmatur & adhæreſcit. Sic eductum & collo-
catum diaphragma dum agit & contrahitur in inſpiratione, nothas inferiores co-
ſtas deprimendo conſtringit, vt medium thoracis ſpatium amplius reddat. Sed in
iſta actione diaphragmatis ſolæ carnoſæ partes contrahuntur. Immota parte carno-
ſa, quæ potius diſtrahitur ne coarctet œſophagum, venam cauam & aortā, quæ per
id ſpatium traducuntur. Galenus lib. 8. præceptores ſuos reprehendit, quod non re-

ctè

ctè censuerint solum diaphragma mouere thoracem in respirationibus, attollens
A quidem cum tenditur, collabi autem permittens quando relaxatur.

DE PLEVRA.

CAP. XLI.

QVEMADMODVM totum hominis corpus communis membrana, nimirum cutis succingit, ita intrinsecus membrana quædam omnia animalis membra oblinit & obducit, quæ ab imo ventre ad caput continuatur communi nomine ὑμὴν ὑπεζωκώς vocatur; Verumtamen pro varietate locorum diuersa sortitur nomina, in-
B frà septum peritoneum appellatur, suprà pleura succingẽs membrana ὑπεζωκώς, In capite meninx. De Pleura nunc agitur, quę mẽbrana est, partes vitales comprehendens duplicitate sua, & officio peritoneum exactè refert, vt enim peritoneum duplex est, singulisque partibus quas ambitu suo cõplectitur membranas largitur, ita quoque pleura gemina existit; cuius altera membrana costis subtensa est, altera ipsis costis superiecta, interna omnibus thoracis partibus membranas suppeditat, quas de sua substantia expromit. Vtrimque ad latera sterni sublata mox in dorsi spinam rectà delabitur, quæquidem reduplicatio pleuræ mediastinum siue interseptum dicitur. Non sunt autem contiguæ sibique mutuo appressæ membranæ nisi iuxta spinam infra cor; nam prope sternum tantum inter se distant, quanta fuerit sterni latitudo. Id interuallum non est vacuum & inane, sed
C multis neruorum filamentis implexis contextum, nonnũquam in eo spatio humor præter naturam colligitur, qui tractu temporis vitiatus educi debet perforato sterno, vt notauit Columbus, quem iniquè reprehendit Paræus. Comparatum est mediastinum ad cordis suspensionem, cuius duplicaturæ includitur, ne pondere suo propendens in sese vel in dorsi spinam concidat. Deinde thoracis capacitatem geminam facit, vt si altera cauitas incommodum acceperit, altera salua & incolumis persistat.

DE PERICARDIO.

D
CAP. XLII.

DISTRACTIS mediastini membranis inter eas continetur abditum Pericardium, est autem id membrana cordi circumiecta, καρδιοφύλαξ corditutum capsula cordis nuncupatur, substantia constat membranosa ipsa pleura duriore, etiam si ab ea ortum ducat, nè violenta cordis agitatione percussa vt accidit in palpitationibus, effringeretur. Media tamen est inter durum & molle, nam si mollis omnino facta fuisset, facile ab ossibus thoracis læderetur, si durissima potuisset pulmones offendere, Non proximè cordi adhæret, sed tantum interuallum relinquit, quantum cordis pulsatio desiderat & continendo humori opus est. Intrà Mediastinum latitans basi sua spinæ dorsi alligatur, vertice
E suo diaphragmatis nerueo circulo artissimè connascitur, quod homini peculiare est reliquis animantibus denegatum, ne quidem simiæ attributum. Pericardij vsus est cor ab externis iniurijs tueri, humorémque serosum comprehendere, quo assiduè cor irrigatur & madescit ne motu perenni fatiscat, vel ardore continuo torreatur; huic etiam humori immersum facilius agitatur, minus graue est animanti, nullique parti colliditur. Forsan & adipis concretioni confert, qui multus circa cordis parenchyma congeritur. Vnde roscida hęc humiditas oriatur magna contentione inter Medicos certatur. Hippocrates ex portione potus in asperam arteriam decurrantis generari decernit, argumento quod si porculo sitienti aquam minio tinctam bibendam præbeas, statimque iugules, internos parietes asperæ arteriæ eo colore persusas spectabis. Sed viam monstrari cupio, qua possit humor influere in Pericar-

dium. Rectius sentire videtur Galenus, cum ex sero per vasorum tunicas exundante oriri statuit, quod ex eo probari potest palpitatio cordis ab huius humoris abundantia excitata, non aliter curatur quam exhausto per venæ sectionem humore. Sunt qui velint eo modo gigni humorem Pericardij, quo in æstuante lebete vel alembico vapores sublati, ab operculi frigiditate in aquam conuertuntur, ex corde caloris fonte continui vapores scaturiunt, qui membranæ frigiditate ac densitate aquescentes intra Pericardium colliguntur. Magis abundat hic humor in mortuis quàm in viuentibus, quibus nullum aut per exiguum inesse putat Vesalius, sed necessariò dari probatur eorum exemplo, qui huius humoris inopia tabidi periere, nam quibus per febres absumitur in marasmum incidunt, corde sensim contabescente non secus quàm piscis suo elemento priuatus. A

DE CORDE.

CAP. XLIII.

B

Aperto Pericardio nobilissimum & principale totius corporis viscus apparet, καρδία Græcis, vt Cor apud Latinos dicitur, ex perenni & indefesso motu. In eo multa veniunt citrà dissectionem obseruanda. Imprimis turbinata siue pyramidalis figura in homine magis rotũda & oblonga, quàm in alijs animalibus, authore Hippocrate, quæ quidem obeundæ functioni valde accommodata, in ea parte rotundæ figuræ omniũ perfectissimæ præstat. C Nam eius longitudo ad tractionem plurimum confert, vt rotunditas ad amplitudinem. Oblongum autem fit in contractione vt excludat, Rotundum in dilatatione vt admittat. Magnitudo cordis non in omnibus eadem & æqualis cernitur, pauidis & ignauis animalibus prægrande cor datum est, cæteris pusillum aut mediocre, homo tamen, si creditur Aristoteli, proportione corporis reliquis animalibus grandius obtinuit: quod augeri per singulos annos, ac binas drachmas ponderis ad quinquagesimum annum accedere, ab eo detrahi tantumdem, & ideò non viuere hominem vltra centesimum annum defectu cordis Ægyptij existimarunt. Hęc autem magnitudo comparatione reliquorum viscerum nobilium putà hepatis & cerebri exigua est, quia focus natiui caloris angustior esse debet, vt sit calidior. In ea cordis magnitudine duas partes obseruabis, pars latior basis siue caput dicitur, pars acuminata conus, cuspis & apex, quam cordis partem abiectissimam, vt illam dignissimam Galenus iudicauit. D Cum igitur cor sit vnicum & singulare, cuius ope & influxu partes omnes vegetantur in medio thorace situm est, summis pulmonum fibris ita circumplicatum, vt his vniuersum quasi sepultum conditumque mergatur. Ad læuam tamen papillam salientis cordis motus percipitur, quoniam conus in eam partem magis propendet, solaque basis medium exquisitè occupat. Substantia cordis solida est & densa ægrè patibilis, vt ab humore vix afficiatur. Ideóq; morbis raro vexatur inquit Hippocrates, quem Plinius his verbis emolliuit, solum hoc viscus vitijs non maceratur, nec supplicia vitæ trahit, læsumque mortem illicò affert; cæteris corruptis vitalitas in corde durat. Fortem illam substantiam exigebant spiritus calorque natiuus in corde fixa, & perpetua necessarij motus agitatio; E quæ cum sit validior in mucrone, propterea crassiore & spissiore carne roboratur. Nonnulli ex antiquis Anatomicis, primusque Hippocrates cordis carnẽ musculosam esse prodiderunt, sed cum huius motionis potestas non sit in nobis posita, quia naturæ legibus non nostro arbitrio perficitur, quis non videt cor impropriè musculum censeri & appellari? Hæc omnia licet incredibilem voluptatem intuentibus adferant, maiorem adhuc excitabit diligenter perscrutata cordis conformatio, quę duobus ventriculis, binis auriculis, & quatuor vasis constat. Cordis autem thalami amplitudine & figura inter se differunt, dexter φλεβώδης amplior est altero, propter sanguinem, quem vena caua in eum largiter euomit; carne molliore & pariete tenuiore cinctus, non ad coni extremum protenditur, pulmonis gratia videtur comparatus, quandoquidem solis animalibus datus est, quæ pulmones habent. Sinister

A ventriculus angustior quidē est, sed ad mucronem vsque pertingit, ἀρτηριώδης dicitur
quia vitalem spiritum continet, cuius causa pariete crassiore obuallatur. Vtrumq; si-
num separat interiectus paries porosus & foraminulentus vt à dextro in sinistrū san-
guis permeare possit, vti demōstrauit Gal. l. de nat. fac. c. 15. Ad basim cordis vtrim-
q; prominet appendix membranosa concaua, quæ non ab actione aut vtilitate, sed
ab effigie auricula nuncupatur. Ita conditæ sunt ibiq; collocatæ vt sanguinē & aërē
affatim irruentē excipiant, ne repētino aëris incursu cor extinguatur, aut sanguinis
affluxu suffocetur. Ab his flabelli modo ventilari cor existimauit Hipp. ipsis nimirū
follium instar agitatis atque inflatis, vicissim & concidentibus. Situ & magnitudine
inter se discrepant, dextra latior venæ cauæ orificio adponitur, sinistra minor & du-
rior ac in ambitu instar cristæ gallinaceæ discissa arterię venosæ adiacet. Cordis ba-
B sim subeunt & ingrediūtur vasa quatuor insignia ποταμοὶ καὶ πηγαὶ φύσιος ἀνθρώπου, fontes hu-
manæ naturæ & flumina, quibus vniuersum corpus alluitur & irrigatur. In sinistro
ventriculo reperies arteriā magnam, & arteriā venosam; In dextro venam cauam, &
venam arteriosam. In orificijs eorū vasorum intus valuulas spectabis, tres in singulis
trium vasorū extremitatibus, duas in arteria venosa, ex quibus aliæ intus foras spe-
ctant σιγμοειδεῖς semicirculares appellatæ ijs vasis quæ materiam è corde transmittunt
appositæ, quales in magna arteria & vena arteriosa reperiūtur, Aliæ foris intrò ver-
gunt τριγλωχῖνες tricuspides dictæ, quę vasis materiam admittentibus adnascuntur; ta-
les in vena & arteria venosa habētur. Impediūt ne quod intromissum fuerat refluere
possit, vt alię obstāt ne quod effluxerit è corde in idipsū remigret. Cū in dilatatione
cordis sigmoides deprimūtur vt haustę materię cedāt, triglochines distētę ac cōni-
C uentes clauduntur; vicissimq; in contractione tricuspides recluduntur alijs clausis
& obturatis.

DE PVLMONE.

Cap. XLIIII.

POST administratā cordis Anatomen Pulmonē contemplaberis vo-
cis & respirationis instrumentū. In eo spectabis carnē siue parēchyma
molle, rarū, spongiosum, ac velnti ex spumoso sanguine concretum, ad
hautiendum concipiendumq, aërem aptissimū, quodquidē in iuniori-
bus densius est, in senioribus ratius magisq; excauatum auth. Hipp. Eā
D ptæ se fert molis amplitudinē vt in viuentibus totā cauitatē impleat. At in mortuis
euanascēte spiritu collapsus, exiguus & flaccidus apparet; nec si folle infletur tumo-
rem tantum referet, quantus in viuente extabat. Notauit Plin. quantò minor fuerit
corporibus, tantò maiorem esse velocitatem. Diuiditur à Mediastino in dextrū &
sinistrum, vt vno læso alter illæsus & integer conseruetur. Quilibet rursum in duos
lobos siue pinnas inæquales secatur, quæ inuicē cohęrent per extremitates suas ope
fibrarum membtanarū inter se colligatæ. Hipp. quem imitatus est Gal. contra vete-
rum Anatomicorū opinionē, reiq; veritatem in dextra patte tres lobos constituit,
tertium tanquam puluinū molle venæ cauæ ad cor ascendēti substerni: qui cum in
homine non extet, solis animalibus cōcessus, inde Vesal. occasionē arripuit repre-
hēdēdi Gal, quod Anatomē ex animalibus tantū desctipserit. Syluius fatetur simijs
& canibus datum esse propter thoracis longitudinē; Ideoq; reperiri dūtaxat in ho-
E mine sternū habente ossibus septem conflatū, & ob id sortito thoracē longiorē, vt
venam cauā longo ad cor spatio conuehendā ceu culcitra fulciat ac defendat. De-
pendet autē Pulmo ex aspera arteria sese in mediā eius substantiā insinuāte, atq; in
homine solo naturalitet clauiculis ac supremis costis annectitur; quinetiam vniuer-
so suo corpore pleuræ adnascitur interuentu tenuiū filamentorū, vt thoracis motū
sequatur. Hæc verò colligatio si fuerit arctior, itaut Pulmo immediatè costis adhæ-
reat, molestam dispnœam etiam in sanis hominibus adfert. Figura sua Pulmo vn-
gulam bubulam æmulatur, Hippocrates similem facit testudini: Nam extra gibbus
est, intrò ad spinam cauus. Cæterum per substantiam Pulmonum triplex vasorum
genus distribuitur, nempe vena arteriosa, atteria venosa, & his interiecta asperæ ar-
teriæ bronchia, quæ non sunt amplius sigmoidea vt in superiore parte fistulæ, sed
tessellarum more varijs figuris constructa, quædam enim cartilagines sunt rhom-

boides, aliæ quadratæ, aliæ triangulares, quæ varietas eo fine facta fuit, Ne contracto Pulmone, bronchia pariter constringantur aut conniueant. Interea notabis vasa quæ in Pulmones feruntur statim in ingressu diuidi in duos ramos decussatos, itaut dexter in sinistrum abeat, sinister in dextrum. Neruos autem admittit multiplices à stomachico œsophagi longitudinem perreptante; Ideóque nunquam Galeno concedam Pulmonem sensus expertem esse, vel saltem exiguum sensum habere; quia nerui non in solam tunicam expanduntur, sed ipsam Pulmonis substãtiam subeunt & ingrediuntur. Hæc omnia succingit & obducit membrana prætenuis à pleura propagata, quam negat Galenus aduersus Aristotelem & experientiam tenuissimis foraminulis pertusam, videtur eo fine constructa vt per eam pus & sanies in pectoris capacitate congesta permeare possit, quæ in bronchia Pulmonum rapta, tandem per anacatharsim tussiendo expectoratur. B

DE THYMO. CAP. XLV.

PVLMONIBVS auulsis & extirpatis, in sede thoracis elatissima iuxtà claues, offendes corpus glandulosum molle, in vitulis esu iucundum, quod vernaculè *fagoue* dicitur ἀπὸ τοῦ φάγειν, Græci θυμὸν indigitarũt, siue quod locus is cędi admodum opportunus sit, siue potius in perturbationibus animi spiritus impetuosiore assultu impactus in eum, itidemque reciprocatus, tanquam in scatebra ebulliat atque efferuescat. Venæ cauæ dirempturi vice puluini ad incubitum substernitur. Animaduertit Galenus hanc glandulam in nuper natis animalibus prægrandem esse ob vasorum mollitiem & imbecillitatem. Increscentibus illis vtpotè durioribus ipsam decrescere exsiccatam, itaut in iuuenibus vix illius vestigium appareat. C

DE COLLO EIVSQVE CONTENTIS PARtibus, Aspera arteria, & Oesophago. CAP. XLVI.

COLLVM ad thoracem reuoco, instar collis ab humeris ad caput paulatim assurgens. Ex pluribus partibus extruitur: quarum aliæ sunt continentes, aliæ contentæ. Continentes sunt cuticula, cutis, membrana carnosa, quæ hic veræ carnis speciẽ pręse fert. Quę sequuntur partes, omnes pro contẽtis accipio, quales sunt musculi laryngis, ossis hyoidis, linguę, colli & capitis: quibus ordine dissectis & remotis fistulas duas per longitudinem ceruicis traductas cõspicies, quarũ anterior spiritalis, aspera arteria nominatur. Altera posterior alteriq; subiecta cibalis, œsophagus nuncupatur. In aspera arteria canalis structuram, eiusq; duo extrema obseruabis. Canalis constat annulis cartilagineis, qui dimidiatũ orbẽ referũt, interiectis membranis inuicẽ copulati. Cartilagines autẽ abruptas anteriùs natura collocauit, & hiatum membrana cinctũ œsophago cõiunxit, vt crassioribus esculentis in ventriculum illapsuris mollitie sua cedere posset. Canalẽ succingit extrinsecus membrana fortissima: intus oblinit altera pinguis crassa, nè humoris è cerebro defluentis acrimonia lęderetur. Canalis extremitas inferior vbi peruenit ad iugulum, bipertita in pulmones numerosa ramorum serie spargitur, inter venã arteriosam & arteriam venosam. Canalis extremitas superior asperæ arteriæ caput & epistomium, larynx vulgò dicitur, quinis cartilaginibus constructa: quarum tres insignes laryngis corpus constituunt. Harum maxima & anterior thyroidis dicitur, reliquas duas minores cartilagines includit parti posteriori obiectas. Secunda cartilago crichoidis in basi thyroidis consistit, orbem annuli perfectum referens. Huic insistit intra thyroidem tertia cartilago ab vrceoli, vel oris œnophori figura nomẽ habens arithenoidis. Tres istę cartilagines à circumjectis musculis mouentur motu duplici, alter est clausio & apertio, qui pendet ab arithenoide. Alter dilatatio & cõstrictio cuius opifex est thyroidis cartilago. Sola crichoidis perstat immobilis primis duabus vice fundamenti subiecta. Restant duæ cartilagines Glottis & Epiglottis explicandæ. Glottis intra arithenoidem consistit: rimula quædam est cartilaginosa primum modulandæ vocis instrumentũ. Huic ad latera vtrimque adiacet cauernula,

D

E

uernula, eo fine condita, vt si bibendo vel edendo aliquid in laryngem decideret illic
A retineatur & asseruetur. Atithenoidem quæ laryngis introitus est, contegit, clauditq; altera cartilago oblõga, ex fissura thyroidis educta, quæ à subiecta gloride nomen accepit epiglottidis. Hæc dum respiramus sursum erigitur; Incubat autem laryngi bibendo vel deuorando, ne quid in laryngem incidat & elabatur. Cibũ quoq; à lingua veluti ventilabro purgatum, & laryngis orificio superimpositũ ad œsophagum pontis modo detrudit, auth. Gal. in Isag. Secundũ asperæ arteriæ tramitem canalis alter cohærens eiq; substratus dicitur œsophagus, via cibi & potus ad ventriculum: duabus constat tunicis quæ natura sua pares sunt ventriculo, cuius continuatio creditur œsophagus. Interna tunica membranosa est ori, palato & laryngi communis, exterior carnosa varijs fibris conspetgitur, quarum ope coarctatur, motumq; peculiarem habet, diuersum tamẽ à musculis: nẽ quis existimet cũ Auicẽna
B musculum esse particularem, Huius motus in quibusdam animalibus, vt in grãdioribus piscibus tanta est violentia, vt fame vexati dum alios insectantur ad os vsque stomachũ reuoluant. Sed hic motus in homine fieri non potest: quia spinæ per ligamenta firmiter annectitur œsophagus. Cuius iter & ductus talis est, subtẽsus asperę arteriæ, vertebraris colli ossibus insidet, subiectas habens puluinaris instar glãdulas: sub pulmones demersus, vbi ad quartam dorsi vertebram consedit, ad dextram inclinat: vt cedat aorthę descendenti, dein ad læuam reuersus, diaphragma penetrat subitõ; per illius inferiores processus: atque demum summo ventriculo committitur, quæ commissura & vnio stomachus appellatur,

C

DE PARTIBVS CEPHALICIS.

Capitis diuisio & Cerebri structura declarantur.

CAP. XLVII. & XLVIII.

IAM ad culmen & fastigium corporis humani peruenimus, caput intelligo, tertiam & vltimam nostri corporis regionem, quæ licet dignitate reliquis antestet, postrema tamẽ explicatur, quia diutius putredini resistit. Vniuersum caput prout integrum spectatur, diuiditur in partem capillaram quę τειχωτὸς dicitur (in Osteologia calua nuncupata fuit) & Alteram glabram quæ facies nominatur. Rursum capillata in tres partes
D secatur, quarum prima & anterior ad medium capitis exporrecta, Synciput appellatur. Quæ sequitur pars Vertex. Posterior proiectura Occiput nominatur. Partes laterales auribus & oculis interiectæ Tempora dicuntur. Caput verò quatenus dissectioni subijcitur, in suas partes integrantes resoluitur; quæ sunt Continentes & Contentæ. Continentium quædam sunt Communes, vt Cuticula, Cutis capillata, Membrana carnosa. Proprię sunt externæ, & internæ. Inter externas habentur Pericranium, & Ossa cranij. Internæ sunt duæ meninges cerebrum ambientes. Contentę verò partes cerebrum & cerebellum dicuntur, quibus aliæ partes includuntur, quas ipsa dissectio patefaciet. Cutis in capite crassior est quàm in alia corporis parte, porosa tamen & petuia, vt exitum præbeat fuliginosis excrementis ad pilorum generationem. Cutim sequitur membrana carnosa, cuius adhęsione accidit, vt in
E quibusdam curis capitis ad nutum & arbitrium nostrũ moueatur. Pinguedo nulla interiecta est, ne crassitie sua fuliginosos vapores coerceat. Dum istas partes administrabis, diligenter obseruabis exiles venulas inter cutim & membranam carnosam excurrentes; quod eorum opinionem funditus euertit, qui magna vasa illic collocant, in quibus serosum humorem materiã arthritidis cumulari & congeri arbitrantur. Detracta membrana carnosa pericranium accuratè secabis; Membrana est ossi proximè adhærẽs, quæ in alijs ossibus periostium nominatur. Nascitur à crassa meninge per suturas cranij trãseũte, cuius dilatatione vniuersum craniũ obuelatur, nisi qua parte musculus tẽporalis incubat, quẽ pericranios prætertecta adnares vsq; delabitur. Hæc pericranij productio, quosdã Anat. decepit, qui duplicẽ esse pericraniũ existimarũt, & intra geminas mẽbranas musculũ tẽporalẽ delitescere, quã duplicitatẽ in alijs partibus imaginãtur. Sublata pericranio non aliud offendes periostium

nisi fortè fibras membranosas quę acie nouaculæ deradi possunt. His peractis nudū suisq; operimentis spoliatū cranium apparebit; Cuius historiam ex Osteologia repetes. Prinsquam orbiculatim serra circūdatur, auulsum musculū temporale in faciem reclinabis, vt possis per tempora serrā circumducere. Aperto cranio membranæ duę occurrunt, Greci meninges, Arabes matres vocant, quasi ab his omnes mēbranæ propagarentur. Sunt autē cerebri inuolucra quibus mollis substantia cōstringitur, & ab ossis duritie defenditur. Si spectes ea extrinsecus, dū cerebrū adhuc obuelant, propter venas huc & illuc discurrentes ficus folia eleganter exprimunt. Idcircò apud Aristoph. in ranis Dyonisus cum minatur se capiti lethale vulnus inflicturū, ἀπολέσαιμ' ἂν ἐγκεφάλου θρίω δύω, Scholiast. notat ὁ ἐγκέφαλος τῶν ἀνθρώπων ἔχει ὑφ' ἑαυτὸν ὑμένας ἐοικότας τοῖς τῆς συκῆς φύλλοις, quinetiā Aristarch. Med. eam comparationē approbauit, vt ibidē refert Scholiast. Prima meninx ab Hipp. & Gal. crassa vocatur, ab Arabibus dura mater; exoritur à basi cranij vbi firmiter adhærescit. Parte superiore aliquantulum distat à cerebro, vt id attolli & intumescere queat, nec solis cranij suturis alligatur, verumetiā tota sua superficie medijs ossibus annectitur, vt docet Gal. Idcirco Hip. os modiolo excisum vi auferre vetat, ne mēbrana ossi affixa laceretur; sed expectare iubet donec suppurata meninx sponte decidat. Nec tantum extrinsecus cerebrum amplectitur; sed altius impulsa, primum in vertice capitis reduplicata cerebrū in læuum & dextrū dirimit vsq; ad callosum corpus; Cuius diuisionis figura falcē qua segetes demeti solent repręsentat. Posteriore parte quadruplicata cerebrū à cerebello disterminat. Toto cœlo aberrat Vesal. dum isthęc discrimina fieri negat à geminata membrana, sed simplicem dūtaxat intercedere, nam si digitū intra diuisionē insērueris, vnūquodq; latus mēbrana contectū videbis. In extima parte cerebri ex coalitu meningis duplicatæ canales siue fistulæ formantur, quibus continetur sanguis ad irrorandū cerebrū. Sunt autem canales quatuor, bini laterales exurgunt ab inferiore parte occipitis iuxta spinalis medullæ foramē, & secūdum suturæ lambdoidis tramitem ascendentes, in electissima cerebelli sede, seu potius in cōfinio cerebri & cerebelli inuicē coëuntes, communē canalem effotmant per capitis longitudinem ad summas nares prorepentē. Tertius hic canalis ab Herophil. ληνὸς torcular appellabatur, quod ab eo velut à torculari deriuatur sanguis in partes inferiores. Gal. venam appellat non tam ex substātia, quàm ab officio. Nō desunt qui pro torculari 4. canalium concursum accipiunt, nec ipse Gal. de torcularis loco sibi cōstans est, modò tertiū canalem torcular appellat, modò 4. canalium compitū. Quartus canalis ex concursu duorum priorum educitur, sed more aliorū non exteriorem cerebri substantiā perreptat, sed inter cerebrū & cerebellum profundissimè traducitur. Initio latissimus, mox degenerat in venam quā Gal. magnam vocat. Ab ea innumeræ aliæ propagantur, per interiorē cerebri substantiā dispersæ; ex quibus plexus choroidis contexitur. Canales istos natura cōdidit ad sanguinis venosi & arteriosi permistionem, eiusq; permisti faciliorē distributionem. Cūm enim natura sua frigidum, spiritibus animalibus generandis sit destinatum, calidiore sanguine quam reliquæ partes nutriri debuit. Idcircò natura venosi & arteriosi permistione nouam sanguinis speciem effinxit ad cerebri nutritionem, & quia non erat tutum venas & arterias per mediam cerebri substantiam vagari, ne vasis pondere cerebri compressis sanguinis & spiritus vitalis commeatus interciperetur, natura canales istos per superiora deuexit. Sanguis enim insita grauitate deorsum inclinans ex supernis partibus elapsus facilius distrahitur, sed non roris modo per totam cerebri substantiā dispergitur. Nā ex tertio canali innumeræ venulæ prodeūt per anfractus exteriores cerebri diffusæ atq; penitiorē cerebri medullam penetrātes, vt ex cruētis stigmatis cognosces, quæ medulla cerebri elisa cōspiciūtur. Interea notabis ex Gal. venas & arterias in principio lateraliū canaliū terminari, nec vltrà progredi, & in his canalibus confusum sanguinē, tanquā in proprio vase optimè conseruari. Cū enim duplicem sanguinē cōtineāt vas quoddam cōmune effingi opportebat, quod neq; venæ neq; arteriæ substātiā referret: sed vtriusq; naturæ particeps existeret. Fatetur tamen Gal. venæ potius quam arteriæ speciem præ se ferre. Hallucinatur Fallop. cū venas tantum ad sinus peruenire scribit; vnde quęso canaliū pulsatio nisi ab arterioso sanguine? nā à cerebro nō proficiscitur, cū ipsum nullo motu cieatur nisi præter naturā, dū sese contrahit ad excutiendū quod habet molestū, vt in epilepsia, sternutationibus & cōuulsionibus accidit, neq; ab agitatione arteriolarū plexus choroidis suble-

[Margin letters: A, B, C, D, E]

[Margin note: cap. 4. l. 8. de vsu par.]

A sublevatur, cum sint tenuissimæ ac perexiguo motu præditæ, qui tam magnam ce-
rebri molem superiniectam attollere non potest. Nunquam Fallopius motum cere-
bri obseruare potuit, etiamsi magnam diligentiam adhibuerit. Puerorũ palpitans
vertex decepit Anatomicos. Remota crassa meninge tenuis siue pia mater occurrit
vniuersum cerebrũ proximè circundans complexu arctissimo vt firma cõtineatur
cerebri medulla; Nec eam extrinsecus tantum succingit, sed per anfractus exterio-
res insinuata, & altius quoque demersa, interiores cerebri cauitates oblinit, pluresq́;
particulas efformat. Sublata tenui meninge cerebrum spectatur, quod Praxagoras
& Philotimus nil aliud esse pronunciarunt quam ὑπεραύξημά τι, καὶ βλάστημα τοῦ νωτιαίου μυελοῦ,
redundantiam quandã ac germinationẽ dorsalis medullæ. Rectius Plato in Timęo
principiũ & radicẽ medullæ vocauit, & ob id iniquè reprehensus fuit ab Aristotele,
quẽ Hip. authoritas falsitatis conuincit, etenim ille cerebrum principem partẽ esse
B statuit, quæ cum duabus alijs conformatur, vt nõ aliundè quàm ex se ipso subsistat.
Apud Græcos ex situ nomen accepit, quia capitis olla continetur, ἐγκέφαλον dicitur
proprij nominis inopia, quo Latini abundant cerebrum appellantes quasi cereum,
vel quod ἐν κάρᾳ βρύει in capite pullulat. Substantia cerebri apud veteres Anatomi-
cos cõtrouersa fuit; quidam glandulosam, alij medullosam esse volebant. Hipp. ce-
rebrũ glandulam vocat, ab vsu potius quàm similitudine substantiæ. Quia caluę ca-
pacitate cõcluditur, quæ instar cucurbitulæ trunco corporis imposita, trahit ab in-
fernis quidquid volatile est, nempe expirationes omnis generis, quarum assiduis
haustibus cerebrũ tanquam magna glandula inebriatur. Galen. cerebri substantiã
medullosam esse scribit, qualis nulla in toto corpore reperitur, sed ad tollendã ho-
monimiam μυελὸν ἐγκεφαλίτην appellat, nonnunquam parenchyma. Magnitudo cerebri
C in homine amplior est quàm certis animalibus, vt vnicũ hominis cerebrũ duobus
boum cerebris grandius existat author. Arist. & Ruffo Ephes. quod factũ fuit prop-
ter animalium functionum multitudinem quibus obeundis magna & iugis spirituũ
copia requiritur, qui non possunt aliunde, quam ex abundãti sanguine succrescere.
Multus autem sanguis angusto spatio contineri non potest, ob eam igitur causam
homo cerebrũ amplissimũ obtinuit. Postquam exteriorem ambitum cerebri con-
templatus fueris ad sectionẽ deuenies. Sed prius obserua vt extrinsecus anfractuo-
sum est, innumeris gyris & meandris inscriptũ, in quos tenuis meninx sese altè ad-
modũ insinuat, istos sinus Aristoteles leuitatis gratia factos esse putabat; alij ad fa-
ciliorẽ irrigationem, vt his veluti sulcis cõclusa vasa tutius & commodius per vni-
uersam cerebri substantiam distribuantur. Resecta cerebri substantia duorũ vel triũ
D digitorũ crassitie candidior & durior occurrit substantia, quæ τυλλοειδὲς σῶμα callosum
corpus dicitur, huius portione detracta ventriculos anteriores deteges, quos mem-
brana tenuis & pellucida inter se disterminat, inde septi lucidi nomẽ traxit. His ad-
ministratis contemplare ventriculos anteriores, vt sunt amplissimi, figurã auriculæ
humanæ æmulantur, & ad basim vsq; cerebri descendunt: nulla tamẽ ex parte per-
uios in nares nisi in pueris offendes, sed in choanam tantũ desinere specillo indito
manifestè videbis. Vt autem tertius ventriculus compareat, crus antiquum psalloi-
dis corporis eleuabis retroque euertes, tum ab anterioribus ventriculis inter emi-
nentias tanquam colliculos canalem produci spectabis; Cuius longitudinem per-
sequi non licet nisi sublata fornice. Est autem fornix καμάριον corpus callosum ex tri-
bus cruribus ceu colomnis suffultum, quorum duo posteriora ad basim cerebri per-
E tingunt, alterum anterius inter vẽtriculos cerebri terminatur. Huius corporis idem
est vsus, qui fornicum in ædificijs, quippe cerebri molem sustentat, ne pondere suo
tertium ventriculum comprimat. Rupta per medium fornice eiusque cruribus di-
stractis, plexus siue textus choroidis arteriolarum apparebit, qui per amplitudinem
cerebri diffunditur. Ad illius principium glãdulam inuenies cono & nuci pineæ si-
milem, vnde conarium dicitur, quæ testibus eminentijs imposita pro firmamento
plexus choroidis esse creditur. At secundum tertij ventriculi ductum plures parti-
culas notabis, quibus veteres Anatomici obscœnarum partium nomina propter
similitudinem & ad distinctionem indiderunt. Primæ & maiores eminentiæ quæ
posteriores fornicis columnas amplexantur thalami neruorum opticorum di-
cuntur à Galeno, quos in gratiam eorum neruorum constructos esse statuit.
Sequentes duæ eminentiæ testes vocantur, quibus aliæ duæ subiectæ na-

tes appellantur, earum fissura anus. Sub conario incipit quartus ventriculus, cuius initio apophysis quædam apposita est, quæ propter figuram vermiformis dicta fuit. Nam ex pluribus particulis inuicem colligatis coagmentata, vermis ritu producitur & contrahitur. Ex gloutijs membrana quædam tenuis non tamen imbecilla protenditur, ad quartum vsque ventriculum, apophysi scoloidi affixa & principiũ quarti vẽtriculi circumdat, vt nulla fiat spirituum dissipatio, vti primus animaduertit Galenus lib. 8. de vsu part. cap. vlt. Hunc videtur Fernelius agnouisse, & his verbis designasse, gloutijs vtrimque copulata est tenuis & valida membrana, quę canalis superiora contegit. Quartus ventriculus totus in cerebello latitat, quod altera est cerebri portio duplicatæ meningis interuentũ disclusa; sed in basi cranij coniuncta & continua, extrinsecus versibus quibusdam striata est, intrinsecus substantia constat ipso cerebro duriore. Corpus autem cerebelli fermè totum ex apophysi vermiformi conflatur, qua parte anteriore & posteriore cingitur, itaut duplex esse videatur apophysis scolicoidis: anterior vna in limine quarti vẽtriculi sita, quæ porrecta & extensa mole sua quartũ ventriculum occludit, contracta & retrorsum reuoluta vellit subleuatq; membranam principio quarti ventriculi circumiectam, quocirca tantùm ventriculum patefacit quantùm retrorsum abscedit. Rursum in quarto ventriculo quædam notatione digna spectabis; Imprimis fissuram calamo ad scribendum aptato similem, quæ spiritum animalẽ rectà dirigit in spinalem medullam: deinde in pauimento ventriculi ductum inuenies, qui deducit excrementa in choanam. Hanc intueri non datur donec substantiam cerebri leniter abstuleris. Est autem choana peluis seu infundibulum instar vtriculi aut manicæ Hippocraticæ, ex portione tenuis meningis conflata, in quam omnis confluit deriuaturq; cerebri colluuies, per eius teneritudinem saccata, excipitur à bibulis duabus glandulis in sphenoidis sella collocatis, quæ cerebri excrementis inebriatæ sese exonerant in palatum per vicina foramina. In circuitu sellæ sphenoidis intra duplicaturam crassæ meningis continetur rete illud admirabile; de quo tam magnæ fuerunt inter Anatomicos controuersię. Membranosus est plexus ex arteria carotidę reticulatim intertexta; quem in homine fateor exiguum, quia per mortem dissipatis spiritibus, qui subtiliores sunt quàm in brutis, flaccessit & contabescit, nec eum tumorẽ ostendit quem in brutis præ se fert. Syluius aduersus Vesalium in humano capite reperiri contendit, huiusque inuestigandi rationem docet. Si carotidem in collo inflaueris, id rete cum flatu subsultare conspicies, & sanguinem ex his arterijs si vulneratæ sint eodem flatu velut expui in cranij capacitatem, quod si ferris falcatis ossa temporum deinde lapidosa prudenter secueris, arteriam carotidem totam cum suis omnibus ramis à cranio eximes, ac spectandam exhibebis. Ad Anatomen cerebri pertinet septem neruorũ historia, qui ex basi cerebri scaturiunt. Sed cum in Neurologia fuerint explicati, ab eorum repetitione nunc abstinebo, contẽtus dixisse omnia semel.

DE FACIE.

CAP. XLVIII.

PARS altera capitis glabra facies dicitur, vni homini concessa, reliquis animantibus os vel rostrum. In hac velut in platea corporis sensus omnes collocantur, vt esset pictura conceptuum, speculum intentionum, quauis Momi fenestra certius, ad explorandam hominum indolem, mores & ingenium. Hanc partem Deus elegit, suæque diuinitatis participem effecit, cum in faciem primi parentis spiraculum vitæ inspirauit, & super eam lumen sui vultus signauit, sigillum diuinæ creationis certissimum. Faciem autem latius accipio quam fecit Galenus in Isagoge, vbi faciem vocat eam partem superciliis & mento circumscriptam, frontem ad caput reuocans, quam faciei partem esse constituo: itaut nobis facies dicatur, spatium illud quod à radice capillorum ad mentum vsque comprehenditur, & inter vtramque aurem interiacet. Itaq; faciem in tres partes diuido, frontẽ, maxillã superiorem, & inferiorem. In dissectione partium quæ faciem componunt, diuisione illa partium continentium & contentarum

A tarũ obseruabis. Continentes communes sũt cuticula & cutis, quæ in facie tenuissima est, pueris & mulieribus leuis & polita, post adolescentiam in maribus numerosa pilorum segete decorata, nulla pinguedo nisi in spatijs musculorũ reperitur, carnosa quoque membrana deest, quæ terminatur in mento nec instar laruæ totam faciem contegit vt existimarunt veteres Anatomici. In fronte tamen poteris pro membrana carnosa duos huius partis musculos accipere. Continentes propriæ sunt musculi & ossa. Contentæ quatuor sensuum organa quæ situm habent in facie, cuiusmodi sunt oculi, aures, nares, & os in quo lingua gustus instrumentũ continetur.

DE OCVLO.

B
CAP. XLIX.

INTER partes faciei primus explicari debet oculus, pars corporis pretiosissima quæ lucis vsu vitam distinguit à morte. Quid enim vita nostra nisi miserabilis ærumna, si lucis iucunditate priuetur, tenebroso carcere clauditur anima, nisi per fenestras oculorum lucis vsura fruatur. Et quantum nox tristis est propter Solis absentiam, tantundem cœcorũ vita mœrore & tristitia perfunditur. Vt enim solis lumine reliqua sydera illustrãtur, sic in homine oculorũ beneficio cæteri sensus commodum & voluptatem accipiunt. Oculus inquit Galenus in homine idem est quod Sol in vniuerso. Dulce autem est & delectabile oculis videre Solem qui cæli tristitiam discutit, atq; humani nubila animi serenat, ad eum spectandum natos homines affirmabat Anaxagoras,
C

Pronaque cum spectent animantia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cœlumque tueri
Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus.

Ob eam causam morientibus oculos operire, rursusq; in rogo patefacere Quiritium magno ritu sacrum erat. Ita more condito vt neque ab homine supremum spectari fas esset, & cœlo non ostendi nefas. Cum Angelus Tobiam cœcum verbis amicis solaretur, & ad lætitiam excitaret, respondit ille non esse quod lætetur, cum hoc suauissimum cœlestis lampadis lumen non aspiciat. Narrat Galenus Adrianum Imperatorem iratum, serui cuiusdam sui oculum eruisse: cuius sceleris pertæsus promisit se daturum quidquid ille posceret, tandem multis compellationibus coactus
D respondit, oculum suum optare, cuius iacturam nullum munus æquare posset. hinc illa Luscij ad populum lata rogatio, vt qui oculum sciens & volens effodisset, ipse vtroque oculo orbaretur. Cum igitur oculi tanta sit dignitas & vtilitas, vt ad vitæ simul & vsum & dulcedinem conferat, summa diligentia eorum structura perscrutari oportet. Monet Galenus in historia partium tradenda, ab ijs quæ toti organo communia sunt inchoandum esse, quibus subnecti debent quæ singulis partibus propria sunt. Hoc præcepto instructus prius oculi cõformationem explicabo, quæ sine dissectione spectari potest. Siti sunt oculi in editissimo loco tanquam speculatores eorum quæ fugienda sunt aut persequẽda, in anteriore capitis parte collocati vt motum corporis qui fit in anteriora dirigant. Duo sunt vt ad latera prospiceret, & vnius defectum alter compensaret. exiguo interuallo inter se disiuncti, quod ho-
E mini peculiare notauit Aristoteles. Magnitudo eorum non omnibus æqualis data est, sed vnicuique tanta, quanta ad imagines rerum percipiendas sufficiebat. Maiores & prominentiores oculi deteriores sunt minoribus & in profundo reconditis, quia hebetiore visu præditi sunt, magisque fluxionibus obnoxij. Oculorũ figuram rotundam iudicabis, si solum bulbum spectaueris. At suis musculis adhuc obuolutus figuram potius pyramidalem refert, cuius basis extrorsum vergit, conus introrsum delitescit, eam figuram obtinuit ad capacitatem & mobilitatem promptiorem, corporum enim ἰσοπεριμετρῶν rotundum est capacissimum, faciliusque agitatur quam aliud cuiuslibet figuræ. Rotunditas quoque oculi facit, vt quãlibet magnitudinem comprehendat, dum rectæ lineæ in eum cadentes & in centro concurrentes, quãtò longius distrahuntur maiorem basim intercipiunt, quod alijs figuris non contin-

git, quæ duntaxat æquale sibi spatium percipiunt. Postquam hæc omnia contem- A
platus fueris, ad ipsam dissectionem properabis diuiso prius oculo in partes exter-
nas quæ propugnaculi loco circumiectæ sunt, & internas quæ ipsum oculum con-
stituunt. Externas partes aggrediar à superciliis, quæ Tertulliano dicuntur oculo-
rum exordia. Sunt autem hirsutæ frontis extremitates quibus pars animi fastidio-
si insidet, superbia alicubi conceptaculum, sed hic sedem habet, in corde nascitur,
hic subit, hic pendet. Tota superciliorum structura ex cute, musculis, adipe, & pi-
lis componitur. Cutis crassior &.& durior est, ne pilus vberius luxoriet; cuius pro-
ductio non est recta, sed obliqua vt inflexus aduersa omnia instar muri facilius
propulsaret. Sed eminentia superciliorum conducit potissimum ad excludendum
cœli lumen quo visibilia opprimerentur, propterea quibus claritas lucis molesta
est, frontem corrugant & supercilia deprimunt. Aciem quoque oculorum ab his B
rectà dirigi scripsit D. Basilius, idque probat eorum exemplo, qui rem longe dissi-
tam inspecturi manum concauam oculis obtendunt. Parum adiumenti ex super-
ciliis oculus reciperet, nisi aliis tegminibus occultaretur. Id muneris subeunt pal-
pebræ, quæ oculis prætensæ celeri mobilitate mouentur, vt videndi tenorem non
impediant, & obtutum reficiant. Duplex est in vno quoque oculo palpebra, cute
per medium discissa; vna superior, altera inferior. Illa maior homini & iis animali-
bus data est, quibus inferior immota manet. Auibus contrà, inferior superiorem
magnitudine superat, eaque sola mouetur. In homine vtramque palpebram mo-
ueri obseruaui, motum tamen euidentiorem esse in superiore quam inferiore fateor,
qui licet musculis peragatur, nihilominus ex arbitrio nostro non dependet. tantæ
difficultatis est homini non conniuere, plærisque verò naturale vt nictare non ces- C
sent quos pauidiores accepimus. Palpebrarum substantia cute, carne musculosa &
pericranio constat, limbo cartilagineo cingitur, qui ταρσὸς & ilium dicitur. huic
infixi pili in ordine stantes eriguntur, quibus tanquam vallo quodam muniuntur
oculi contrà leuiorum occursus, & ab oculis emanantes radii diriguntur. In supe-
riore palpebra pili leniter inflectuntur, in inferiore deorsum incuruantur ne vm-
bram oculis inducant. cur natura tarsum effinxerit, triplicem causam assignat Ga-
lenus libr. 10. de vsu part. cap. 9. Cuti palpebræ subiacet musculus orbicularis,
quem obducit pericranios non in ambitu orbitæ terminata, sed ad malas vsque
producta. Ideoque in ophthalmia diffunditur humor quocumque peruadit peri-
cranios. Palpebram claudunt anguli, κανθοὶ Græcis dicuntur, Latinis hirci, quo-
rum interior ad nares maior angulus appellatur; alter exterior ad tempora minor
angulus. In maiore canto glandulam siue carunculam obseruabis intrusam fora- D
mini quod in nares peruium est. quæ cum prohibeat lachrymarum effluxum in-
uoluntarium, ob id lachrymalis dicta fuit apud Græcos ἐγκανθὶς. In tarso palpebra-
rum prope angulos diligentiores Anatomici foraminula duo perquirent (puncta
lachrymalia vocat Fallopius) quæ manifestiora sunt in maiore cantho, & in boum
mortuorum palpebris adhuc euidentiora conspiciuntur. per ea lachrymas stilla-
re dicunt.

DE PARTIBVS JNTERNIS OCVLORVM.

CAP. L.

E

PARTES internæ quæ intra orbitam reconditæ oculum constituunt,
quinque numerantur, Adeps, musculi, Tunicæ, Humores, & Vasa;
ex his bulbus oculi compactus est. Multus adeps oculo circumiici-
tur, vt eo veluti lana obuolutus ab externo frigore muniatur, nec
ossium duritie lædatur: Hic etiam musculos infarcit ad motus facili-
tatem. Nam perpetuo motu incalescens oculus, tandem exaresceret nisi ab adipe
circumfuso humectaretur. Adipi immersam reperies glandulam in parte superiore
exterioris anguli, quæ perpetuo rore madida, irrigat oculum ad mouendi facilita-
tem. Remota pinguedine sex occurrent musculi, quorum ope in omnes loci dif-
ferentias oculus circumagitur. Musculorum historiam ex Myologia repetes. & ne
in horum administratione decipiaris, scias musculum palpebræ superioris leuaro-

A rem intra orbitam contineri. Detractis musculis tunicas oculi conspicies, qua-
rum numerus apud Anatomicos valde controuersus est. Quisque sibi placet in
fingendis tunicis, sed qui peritè & accuratè oculum secuerit, duas tantum com-
munes & veras nanciscetur, corneam, & vueam. Reliquæ non merentur appella-
tionem tunicæ. quid enim aliud adnata quam ligamentum oculo circumiectum,
ne exorbitet? Innominata circulus est membranosus ex aponeurosibus musculo-
rum conflatus, quem Galenus lib. 10. de vsu part. cap. 2. & 8. designauit, vt intel-
ligat Columbus nil in re Anatomica Galenum latuisse, sed rerum omnium semi-
na iecisse, quæ non maiore industria excolimus, & pro nouis obiectamus. Pupil-
laris tunica ambitus est foraminis vueæ, siue pupillæ crepido, quæ licet ab vuea se-
paretur non propterea tunica dici debet. Arachnoidis crystalini tunica nulla est, &
B si credimus Galeno dimidiam & anteriorem crystalini partem contegit, quæ pol-
lita mihi videtur ob crassitiem crystalini, recteque Ruffus à concreto humore cry-
staloidem appellauit, monetque quorundam opinione nō esse tunicam, sed mem-
branosam quandam congelationem. Amphiblistroides tunica humori vitreo mo-
re fibrarum intertexta, non debet inter tunicas referri. Itaque tunicarum natura
diligenter æstimata duas tantum eo nomine dignas cum Celso censeo, corneam &
vueam. Per me tantum licebit præter duas iam commemoratas, coniunctiuam,
pupillarem, arachnoidem & amphiblistroidem adiungere, ne veterū doctrinam
labefactare ac prorsus euertere videamur. Prima tunica ex pericranio producta
coniunctiua siue adnata dicitur. quoniam eius interuentu oculus in antro suo sisti-
tur & adhærescit, ne in violētis motibus exhorbitet, dimidium oculi bulbum suc-
cingit relicto foramine e directo pupillæ, ex candore album oculi ab Hippocrate
C vocatur. quæquidem albedo magna naturæ prouidentia facta fuit, vt à luce Solis
mitius percutiatur oculus. lux enim fortius agit in materiam nigram, quia nigrum
cogit radios, quos album disgregat. Secunda tunica Cornea nominatur, quia cor-
nu duritiem & splendorem æmulatur, posteriore parte crassa & opaca, versus ante-
riora sensim extenuatur, vt purè niteat & instar cornu pelluceat ad excipiendas re-
rum imagines, & visiui spiritus emissionem. Ex varietate substantiæ non nulli duas
esse constituunt proprijs nominibus distinctas, partem anteriorem corneam vo-
cant, posteriorem scleroticam. Sed cum vtriusque substantiæ vna & eadem sit con-
tinuitas, nulla ex parte separabilis, imperitè in duas tunicas dirimitur. Tertia tuni-
ca ragoidis siue chorodis intra corneam continetur. sola hæc inter oculi tunicas
variegata est, vt omnium colorum species præ se ferat. Non vndiq; cingit oculum
D vt cornea, sed parte anteriore fenestrata pupillā efformat, quæ nihil est aliud quàm
foramen vueæ, quod non sinit incertam vagari aciem, & veluti canali dirigit. Hu-
ius foraminis ambitus cuspide scalpelli tractus, orbiculatim abscinditur, Id eviden-
tius in oculo bouis ebullito spectabis. Nam vueæ coronam prorsus separatam inue-
nies, quod experimentum me docuit, ambitum pupillæ distinctam esse membra-
nam ab vuea. cum habeat fibras peculiares, motum quoque proprium, quo pu-
pilla naturaliter coarctatur in luce splendida, dilatatur in obscuro, quod spiritus vi-
siui accessu vel recessu fieri putat Galenus. Ideoq; in senibus spiritu deficiente cor-
rugari, in iuuenibus paucitate spiritus phtisim contrahere. Audiui à patre meo dum
viueret, ἵππον in pupilla non aliter excitari quàm in bulbo oculi, semelque vidisse
intra oculum talem palpitationem, quæ nullis remedijs percurari potuit. Inter pu-
E pillam & corneam locum vacuum esse scribit Celsus, in quo concrescat humor qui
suffusionem parit, hoc spatium agnouit Galenus lib. 10. de vsu part. & spiritu plenū
esse tradit. Intra vueam concluditur humor aqueus, qui ne prorumpat & exiliat ab
ambitu pupillæ stamina trahuntur, quæ humorem aqueum circulariter amplexan-
tur, erumpente humore dissoluuntur stamina, seruata tamen coronæ figura. Hæc
autem compages siue contextus filamentorum tunica ciliaris dicitur, quam pro iri-
de accipiam, donec aliquis ostenderit septem oculi tunicas in eundem circulum
conuenire, qui dicitur iris, inter album & nigrum oculi collocata. Quarta tunica
arachnoidis crystalinum humorem proximè succingit, tenuissima est & instar spe-
culi nitida, vt in eius superficie tanquam in speculo rerum imagines reluceat. Quin-
ta tunica amphiblistroidis siue hyaloidis per substantiam humoris vitrei diffundi-
tur, cuius interiectu concretus apparet, nec fluidus redditur nisi frequenti sectione

solutis filamentis, tum in aquam fluentem liquescit. In tunicis tres humores includuntur, Aqueus, Crystalinus, & Vitreus. Primus occurrit aqueus siue albugineus in anteriore parte oculi positus, vt instar propugnaculi obiectus crystalino, splédorem externi luminis affatim irruentem obtundat, & tanquam conspicilium rerum simulachra crystalino maiora repræsentet. De natura huius humoris inter Anatomicos dubitatur: sunt qui partem oculi viuentem & spermaticam esse volunt, alij excremétum ex crystalini nutritione genitum. Si verum sit eum humorem ex vulnere emissum regenerari, oculorum acie restituta: lubentius eorum opinionem amplector qui excrementum esse statuunt, etenim Galenus in pueris humorem albugineum renatum vidit, etiamsi hoc rarissimum esse moneat, præsertim in adultis. Vidit etiam Columbus eum humorem prorsus effusum interposito spatio redintegratum. Beniuenius in suis obseruationibus similé historiam profert, id adhuc confirmat Langius in epist. insigni exemplo. Verum vt certius experiaris huius humoris reparationem; in pullo púctione oculi extrahatur, videbis intra quindecim dies nouum succrescere. Affirmauit Celsus lib. 6. hirundinibus amissam ex vulnere oculorum aciem interposito tempore restitui, sensim iactura eius humoris reparata. Secundus humor crystalinus siue glacialis dicitur, quod glaciem concretá referat & lumine suo ac splendore purissimo crystallo consimilis existat, totus enim pellucidus est, itaut si litteris scriptis imponatur specilli modo maiores exhibeat: tantaque huic vis inest speculi, vt tam parua pupilla totam hominis imaginem reddat, quæ quandiu in crystalino elucebit, non est augurium timendi mortem in ægritudine, inquit Plinius. Ex ea perspicuitate cognosces crystalini substantiam aqueam esse, quæ tamen non diffluat, sed instar ceræ molliusculæ coacta, rerum simulachra facilius excipit. Crystalini figura rotunda quidem est, nó globosa, & anteriore parte plana vt maiore spatio simulachra rerum omnium admittat, quibus excipiendis non est apta & capax globosa figura, vt docet Gal. lib. 10. de vsu part. At posteriore parte perfectam habet rotunditatem vitreo humori infixam, vt inter duos humores aqueum & vitreum crystalinus consideat. Non propterea medium oculi locum occupat, sed extra centrum locatus pupillæ vicinus est, vt clarior & vberior fiat visio. Clarior, quia simulachra si profundius & altius penetrarent, obscuriora viderétur, vt ea quæ aquis immersa videmus, Vberior, quia si in centro staret, maiorem partem eorum non cerneret, quæ potest intueri. Tertius humor Vitreus appellatur, quia vitro fuso similis; posteriore parte situs est vt puluini mollis instar crystalinum humorem excipiat, ob id consistentiam ceream obtinuit, crystalino tamen molliorem, vt huic immersus crystalinus firmius hæreat, & consistat: quantitate sua duos alios excedit, vt de sua substantia possit alimentum crystalino suppeditare. Vasa quibus alluitur & irrigatur oculus tria sunt, Venæ, Arteriæ & Nerui. Venæ autem & arteriæ sunt externæ, & internæ. Externæ venæ quæ circundant oculum à ramo iugularis exterioris prodeunt, arteriæ verò emergunt ab exteriore ramo carotidis. At internæ venæ & arteriæ partim ex torculari siue tertio sinu prope nares deriuātur, partim ex plexu choroide producuntur exiles fibræ, quæ neruum opticum comitantur. Nerui duo in oculis obseruantur, opticus & motorius, de quibus actum est in Neurologia.

DE AVRE.

CAP. LI.

BSOLVTA oculorum historia ad aures festinat oratio, quarum vsum proximum à luminibus natura nobis dedit, inquit Celsus, imò priorem si credimus Aristoteli, quoniam auditus sensus est disciplinæ, ad excipiendam ab alijs artem, scientiam, sapientiam visu accommodatior, quò fit vt inter eos qui nascuntur visu & auditu priuati, cæci quam surdi doctiores euadant, quá fortassis ratione ductus Xerxes Philosophus animum in auribus habitare credidit: Partium dignitas & vtilitas ex earum iactura cognoscitur; tum demum bona nostra intelligimus, cum eorum iacturam fecimus. At ex surditate grauius accedit

A cedit corporis detrimentum, quam ex cæcitate. cæcitas enim solam videndi facultatem tollit, surditas verò duas simul, nimirum audiendi & loquendi facultates destruit. Non est igitur auris dignitate inferior oculo, siue vtilitatem spectes, siue admirabilem structuram, quæ manifestè ostendit Dei potentiam, nusquam nisi in minimis totam esse. Ingrediamur ergo antrum illud veteribus Medicis inaccessum, & curiosis oculis perlustremus stupendam huius partis architecturam. Sed priusquam vlterius prouehamur; quid in limine huius antri contineatur inspiciamus. Foramen auris dura catilagine circumseptum est; vt ab externis iniurijs minus lædatur. Hæc autem cartilago quæ dicitur auricula in modum vanni expansa sonos facilius excipit & colligit, patula est semperque aperta, vt hic sensus & vigilantibus & nobis dormientibus præ-
B sto sit.

Hæc autem cartilago in homine continua est; in brutis ex duobus pluribusue circulis membranæ nexu inuicem copulatis exstructa, ossi lapidoso alligatur ope robusti ligamenti, quod à pericranio versus os mammillare producitur. Venas recipit à iugularibus, arterias a carotidibus, quorum vasorum scarificationem in cedmatis commendat Hippocrates lib. 6. Epid. sect. 5. part. 21. Valesius in commentariis notat, Sarracenos in plærisque morbis aures posticas scarificare, & ischiadicis omnibus internam auriculæ partem quà cartilago velut replicata tumorem quendam habet, cauterio vrere salutariter, forsan quod ex capite fluat materia, & huius loci vstione Intercipiatur. Galenus libr. 9. secundum locos in antiquis hepatis & lienis morbis, venas ponè
C aures religiosè secari scribit. Nec solis ligamentis affixa continetur auricula, musculis quoque vndique cincta est, vt firmius hæreat, & in sua sede consistat. Ab his tamen interdum obseruatum fuit aures moueri pro arbitrio. Narrat Atheneus libro decimo, Herculem voracem hominem in edendo magis auriculas agitare, quam iniquæ mentis asellum. Cæterum auris externa plures habet particulas nominibus distinctas, quas apud omnes Anatomicos legere licet. In ijs explicandis non immorabor ne videar actum agere; & eandem cantilenam occinere.

DE AVRE INTERNA.

D

CAP. LII.

AVRIS interna ossea, in osse petroso conclusa, distinguitur quatuor cameris seu cauitatibus, varia supellectile instructis. Prima cauitas foris obuia semperque patens (introitus corneolus dicitur) flexuosa est ne aer impetuosè & affatim in membranam irruat, obliqua vt sonus vehementior frangatur, angusta vt animalculis & lenioribus corpusculis aditus intercludatur, obliquè sursum permeat, vt si quid forte inciderit statim relabatur. Terminatur membrana tenuissima quæ myrinx & tympanum vulgò dicitur. In ea tamen tenuitate duritiem summam obtinet, vt acerrima & ve-
E hementissima medicamenta tolerare queat, id monente Galeno sub fin. lib. 6. meth. & lib. 3. secundum locos. Hippocrates siccissimam adhuc facit, vt ab aëre icta clarius perstrepat, nam semper acutius personat quæ exaruit membrana, inquit Hippocrates lib. de princip. madescens enim grauem auditum aut surditatem inducit. Scripsit tamen Galenus auditus subtilitatem sonitus causam esse, præsertim si acuto audiendi sensu æger præditus fuerit. inde colligi potest membranæ summam ariditatem in vitio esse. Secunda cauitas concha dicitur, membranæ septo à priore disclusa, plures particulas comprehendit. Imprimis dorso tympani chorda non aliter intenta est, quam neruus militari tympano quod baculis complodi solet: implicans ipsique membranæ affirmans tergemina officula, ex quibus solus malleolus membranæ inhæret, & ab eo reliqua duo incus & stapes

consecutione & colligatione quadam dependent. Adsunt præterea exiles duo musculi ad motum officulorum comparati, vel potius ad fluxum & refluxum tympani definiendum, vt in Myologia determinatum est, proxime tympano versus superiora foramen angustum apparet, quod dilatatur in alueum amplissimum innumeris cauernulis scatentem apum loculamentis haud dissimilibus: communicare videtur cum mammillaris processus interno specu. Vesalius hoc antrum fodinæ amplissimæ comparauit, quod non est vacuum, sed interno & congenito aere refertum, qui multus in eo spatio reconditur. Huius secundæ cauitatis extremo quod è directo tympani situm est, duæ sunt fenestellæ, quarum altera oualis vestibulum est labyrinthi, altera minor ingressus ad cochleam. Est autem labyrinthus tertia cauitas pluribus diuerticulis abundans, vnde nomen traxit. Cochlea verò quarta cauitas est, à tortili spirataque cochlearum structura nuncupata. Sed de his omnibus vberius in Osteologia tractatum fuit. B
Sic autem perficitur auditio; externus aer primam cauitatem subiens placidè ferit membranam, quæ vibrata sibi connexa officula concutit, tumque imago soni trans membranam imprimitur interno aeri; & ab officulis tanquam graphijs in eodem consignatur: qui recepta soni qualitate per ambages labyrinthi reuolutus, vt maiorem puritatem acquirat, in cochleam traducitur: vbi tandem neruo traditur, vectoreque animali spiritu ad communem sensum omnium formatum & specierum æquissimum iudicem perducitur.

DE NASO. C

CAP. LIII.

Nasus faciei partem constituit, eiusque venustatem complet: quo deficiente informis redditur facies, vnde poeta truncas inhonesto vulnere nares appellat. nec maiore infamia olim mœchi mulctabantur quam narium amputatione, Persæ quid regium naso inesse credebant, nec alios quam nasutos ad regiam dignitatem admittebant, quasi peculiaris quædam dexteritas & prudentia in naso eniteret. nec tantum mentis sagacitas animique generosi virtus ex nasi magnitudine cognoscitur, verumetiam ipsa virilitas demonstratur. Vnde parœmia de nasutorum peculio vulgo trita, Nasi magnitudine concipi mutonis quantitatem. D
Heliogabalus non alios ad libidinem suam exercendam eligebat quam nasutos, ratus eos fore ad Veneris negotia promptiores & alacriores. Quamuis nasi longitudo præferatur simitati, quæ apud Indos laudabilis est; eminentior tamen deturpat faciem, & inhonestam reddit. Decentis longitudinis mensuram definiuit Marsilius Ficinus comment. in libr. Plat. de Amore. Vt nasi tres in longum dispositi vultus vnius impleant longitudinem, longitudo nasi longitudinem labij compleat, aurisque similiter. Nasi historiam partiri lubet vt in oculo & ore fecimus, in externum & internum. Externus componitur ex cute, musculis, venis & arterijs, ossibus & cartilagine. Cutis quæ nasum inuestit tenuis est, cartilagini & musculis contumaciter affixa; vt vix illacera separari queat, ad pinnas vsque progressa introrsum vergit, vt reduplicata margines narium ipsamque columnam constituat. E

Resecta cute musculos administrabis, quorum Anatomen ex Myologia repetes. venas habet à iugulari externa, arterias à carotide; neruos à tertio pari per foramen orbitæ inferiore egrediente. Remotis musculis nasi corpus nudum apparebit, ex duabus partibus natura diuersis constructum. Superna pars ossea est, inferna verò cartilaginea. De ossibus iam actum est in Osteologia, capite de Maxilla superiore. Nunc paucis cartilagines expediam, Ab omnibus Anatomicis quinque numerantur, duæ sunt elatiores ossibus lateralibus adnatæ, quæ licet mediam duntaxat alarum partem efforment, prælonga tamen apophysi

A pophysi ad pomum vsque nasi producuntur. His subiectæ sunt duæ aliæ quæ pinnas narium constituunt, solæ mouentur a musculis. Quinta cartilago nares instar septi disterminans, ab osseo nasi septo exoritur. His omnibus constat nasus externus, at internus complectitur membranam musculosam pinnas narium constringentem, & membranam quæ totam narium capacitatem oblinit & obducit. oritur à crassa meninge per foramina ethmoidis erumpente; parte inferiore pilis abundat quibus in vestibulo nasi positis & erectis, inspiratus aer elutriatur, & aditu prohibentur animalcula. Nasi summitatem claudit & perficit os ethmoides cui mammilaris processus incumbit. Hæc ad nasum internum referri possunt.

B

DE ORE.

Cap. LIV.

PRoxime naribus subiicitur Os, rictus ex transuerso patefactus; cuius vsus in duobus constat officijs, sumendi victus & eloquendi. Apud Galenum duplex extat oris acceptio. Primum denotat labiorum fissuram, quasi cutis antea cohærens intercisa fuerit. Deinde significat totum id spatium, quod diductis labris ad imas vsque fauces extenditur, quo sensu os nunc accipimus. Id exiguum datum fuisse homini propter caninorum dentium paucitatem Galenus existimat & demonstrat libr. 11. de vsu part. cap. 9. Huius partes aliæ sunt externæ continentes, quæ ipsum os constituunt. Aliæ intus abditæ in oris spatio conclusæ. Externæ duplices sunt carnosæ & osseæ. Carnosæ sunt labra eorumque musculi, quos in Myologia descripsimus. Ossa vero sunt maxillæ duæ, quas in Osteologia exposuimus. Pro contentis partibus habentur gingiuæ, dentes, palatum, gargareon, lingua, pharynx & glandulæ, quas omnes ordine membratim percurremus. Gingiuæ carnes sunt immobiles, in eum vsum constructæ, vt dentes in suis alueolis firment & stabiliant. Dentium historia in Osteologia fuit explicata. Palatum pars oris superior est, conuexa & fornicata, vt aere repercusso vox reddatur acutior. Ab extremitate palati dependet corpusculum rubrum fungosum, quod alij carnem esse dicunt, Aretæus neruum humidum appellat. Columbus ex palati tunica reduplicata conflari putat: Fallopio glandulosum est corpus, ego verò carnem potius esse crederem, cum ab extremitate musculorum qui ad id corpus feruntur exurgat. Magnitudo gargareonis æqualis esse debet epiglottidi, nam si minor fuerit nullius erit vsus, si maior incommodabit. Huius particulæ plures vsus ab Anatomicis proferuntur. Confert ad vocis elegantiam & modulationem, impedit ne aer frigidior repente & affatim irruat, instar ventilabri seu flabelli pulverulenta corpuscula discutit & expellit. quas omnes vtilitates in ijs manifestè cognosces quibus gargareon exsectus, aut erosus fuerit. nam vocem raucam edunt, & plærumque pulmone refrigerato aut acrioribus fluxionibus exulcerato (quibus postea sunt obnoxij) tabe consumuntur. Quocirca Galenus monet non esse temerè abscindendum gurgulionem, sed quandam basis partem relinquendam. itaque mirari subit cur Ruffus Effesius hanc partem velut inutilem neglexerit, eaque resecta nullam corporis actionem vitiari scripserit. Non me latet Fallopium inficiari eius erosione, vel amputatione vocem deprauari. scio quoque Nicolaum Florentium litteris prodidisse cantoribus gargareonem exstirpari, vt crassiorem vocem edant. sed plærosque vidi quibus tabo luis venereæ consumptus fuerat, rauca voce locutos. Prætet istos vsus commemoratos, alter est insignis cuius causa conditum, ibique appositum gurgulionem esse affirmarem. obstat enim liquidorum refluxum in nares cum degluttiuntur, quod sæpius expertus sum in puerulis, qui cum gargareone care-

rent lactere non poterant, remeante ad nares lacte quod exugebant. Pharinx A
apud Galenum denotat eam capacitatem, quæ hiante ore ſpectatur, ex qua lingua exurgit, intra ſeptum dentium coercita; interpres animi, guſtus inſtrumentum, in homine quam in brutis perfectius. nihilominus olim in ſacrificijs tanquam profanum membrum non adhibebatur, quam Pyrtacus miſit Amaſidi Regi, vti peſſimam victimæ partem eandemque optimam. nam per eam benedicimus Deo Patri & maledicimus hominibus ad Dei effigiem conditis, vt ex eodem procedat ore benedictio & maledictio. Componitur autem ex carne propria, tunica, venis, arterijs, muſculis & ligamentis. Linguæ ſubſtantia carnoſa eſt ſpongioſa qualis in corpore nulla reperitur; propius ad glanduloſam quam ad muſculoſam accedit, vt pluribus rationibus docuit Arantius: proinde ridiculum eſt linguam muſculum appellare. ſpongioſa eſt vt ſaporum qualitates excipiat, atque de his iudicium ferat. Inde fit vt fumos B
& vapores dominantium in corpore humorum ebibat, inque ſuperficie elaborata referat. Scriptum eſt ab Hippocrate linguam vaporibus ipſam attingentibus concolorem fieri. At ne linguæ ſubſtantia laxior eſſet, & occurſu duriorum corporum offenderetur, tunica ſuccingitur ex tenui meninge producta, quam omnes oris partes peræquè participant. Venas habet duas à iugulari externa, quæ rauinæ dicuntur: totidem arterias à carotide, neruos à tertio pari. Opem muſculorum in omnes loci differentias agitatur & circumducitur, de quibus actum eſt, vnum latum & membraneum quo lingua baſi hyoidis innixa molliter conſtringitur, vt laxitate ſua permittat linguam liberè moueri. Ab eo producitur alterum ligamentum ſub lingua deuectum, quod frænulum appellatur. Id ſi ad mucronem vſque protendatur in puerulis vngue diuellitur, vel C
ſcalpello inciditur: alioqui linguam interdici neceſſe eſt, ipſiuſque lactationis beneficium tolli. Sed aduerte diligenter in ſectione frænuli, ne vicinos linguæ neruos attingas, quibus ictis repentinam linguæ conuulſionem ſuperueniſſe vidi. Corpus linguæ etſi continuum appareat, nullo ſepto diſcretum ad comeſtionis & locutionis commoditatem, diuiſionis tamen index linea ſecundum linguæ longitudinem exporrigitur, quam primus Hippocrates δικῆν appellauit, Galenus quoque duplicem facit linguam, eo quod neque à dextris ad ſiniſtra, muſculus vllus, aut vena, aut arteria, aut neruus tranſeat: neque ex ſiniſtris ad dextra. Sed ex offenſione, fiſſura linguæ manifeſtius intelligitur, quippe partem alterutram apoplexiæ morbo periclitari, & in vuluæ malis nigreſcentem, altera parte illæſa continuis diebus obſeruauit Alex. Benedictus. D
Linguæ vſus plures ab Anatomicis memorantur. Sed præcipuus eſt ſaporum differentias internoſcere, & vocem motibus ſuis in verba diſcernere. idcirco Tyreus cum Philomelæ vocem adimere voluit, vocis explanandæ inſtrumentum liaguam abſcidit. Habet & aliud officium quo contritos & commolitos dentibus cibos colligit, & conglobatos vi ſua deprimit & tranſmittit ad ventrem. ideoque Varro à ligando cibo putat linguæ nomen impoſitum. beſtias etiam in potu adiuuat, protenta enim cauataque hauriunt aquam, eamque linguæ ſinu comprehenſam ad palatum celeri mobilitate complodunt.

A

DE GLANDVLIS QVÆ CONTINENTUR in faucibus.

CAP. LV.

IN faucibus plures glandulæ continentur, quæ fluentem è capite pituitam excipiunt, ne in pulmones continuo tramite decurrat, duæ sunt in radicem linguæ collocatæ, quas à fundenda saliua σιαλοχοῦ, ab alijs ἀντιάδες, Latinis tonsillæ & amygdalæ dicuntur. Earum officium
B est totum os saliua perfundere, qua madescat lingua ad gustatum cibique masticationem. Aliæ duæ penitiores rhyroidi cartilagini incubantes, paristhmia nominantur: quia iuxta isthmum sunt positæ. Sic enim Galenus in Isagoge quatuor istas glandulas situ & nomine distinxit. At Ruffus Ephesius libro 2. cap. 8. senas glandulas in faucibus constituit, quas his verbis delineauit & expressit. *In penitioribus ab vtraque linguæ parte affixa sunt paristhmia, numero sex; corpore glandulosa, figura subrotunda, natura facile mutabilia atque dissipabilia, membranulis quibusdam altius insertis conuoluta, ex his quatuor ab vtroque latere cernuntur, duo vero vix spectari queunt. vocata sunt paristmia quod in angusto meatu sita sint; veteres enim locorum angustias* ἰσθμοὺς *appellabant,* ἀντιάδας *vero nominabant quoniam ore aperto* ἀλλήλαις ἐναντίας *præsertim cum inflammatæ sunt appareant.* Si quis accuratè tonsillas inspexerit vnam-
C quamque in duas dirimi posse deprehendet, sicque non absurdam esse Ruffi opinionem de senario numero glandularum in faucibus latitantium. Sub aurium radice corpora quædam glandulosa reperiuntur parotides dicta, quæ non tantum tendonibus musculorum temporalium munimento sunt, verumetiam excrementa cerebri suscipiunt. ab his propagantur aliæ quæ sub maxilla inferiore ad mentum vsque porriguntur. Animellas vocat Vesalius, in quas velut in propria emunctoria cerebrum sese exonerat.

A

ANATOMICA

B HVMANI FOETVS HISTORIA.

Sectio Sexta.

DE CONSTITVTIONE PARTIVM genitalium in muliere grauida.

C

CAP. I.

VM viderem humani fœtus historiam non satis commodè intelligi posse, nisi prius cognita & perspecta vteri natura, in quo fœtus generatur, conformatur, & absoluitur: Operæpretium duxi partium muliebrium historiam præmittere, prout spectatur in grauida muliere quæ partes istas aliter affectas & constitutas habet quàm alio tempore. Muliebris vteri substantia in alijs carnosa est, solida & dura, in grauidis sensim mollis, fungosa spongiosaq; redditur: itavt in multos cortices cæparum more diuidatur.

D Hæc substantia contra naturam aliarum membranarum, quanto magis distéditur, tantò magis augetur & crassescit, adeò vt instante partu pollicari sit crassitie, vt obseruauit Syluius. Sed circa elatiorem fundi partem duorum penè digitorum crassitiem æquat. Talem substantiã natura vtero tribuit, vt sanguinis & spiritus copiam, pro fœtus vita & nutritione contineret, adnatæq; vtero placentæ roris in modum distribueret. Hanc substantiam à partu per octiduum manere obseruauit Platerus, posteà paulatim ad pristinam soliditatem & duritiem redire. vacuato nimirum sanguine quo intumescebat vterus, non secus ac spongia humore aliquo saturata, angustior minorq; redditur expresso humore. Miraculum hoc naturæ Galenus cognouisse videtur, dum ait in grauidis cum mammis matrices intumescere. Nuper dissecui nobilem mulierem quæ 24. horis à partu decessit è viuis aquarũ copia, qui- *lib. 14. de vsu part. cap. 4.*

E bus abundabat thorax, corde suffocato, Inueni vterum fere ad naturalem magnitudinem contractum, vix enim manus complicatæ amplitudinẽ æquabat, dissecti vteri cauitas exigua erat & adhuc cotyledones siue tubercula granis milij simillima apparebant. Parietes vteri duorum digitorum crassitiẽ æquabant, Præterea in hac muliere quę strumosam habebat mamam dextram, vtrumq; testẽ strumosum deprehendi vtero æqualẽ. Iecur vero multus glãdulis albis & latis foris & intus conspersum erat; totũ deniq; Mesenteriũ & Pancreas strumosum. Sed ad vterũ redeo.

In grauidis vterus gracilibus intestinis incubat, quorũ situm naturalẽ permutat, distractis intestinis & ad latera conuersis; quę statim a partu pristinum locum recuperant, Alij dicunt si fœtus in dextro latere contineatur intestina in sinistrum latus propelli, & contrà. Propterea mulieres partũ exercitatæ duos se gestare Fœtus existimant. Omentum quoq; sursum propellitur, quod si ventriculum circumstat toto grauiditatis tempore mulieres inappetentes sunt.

Eius figura oblongo vasi butyraceo persimilis est, corpus suum rotundum habet, fundum planum & veluti compressum. A

Testes medij vteri lateribus accumbunt; Nam vbi concipit mulier quantum vteri fundum sursum fertur, tantum videntur testes descendere & vasa, ita vt prope in ceruicem incidant, quum puellis absint hæc longissimè ab vtero, & superiores sint.

Fundi seu cauitatis vteri orificium toto gestationis tempore ita conniuet, vt ne quidem specilli cuspidem admittat, duabus ante partum septimanis humore quodam imbuitur, vt sine laceratione distrahi & dilatari posset, in partu enim ita dehiscit & aperitur, vt vna prope cauitas æqualis à fundo vteri ad pudendum appareat cum sic patet; vteri corona dicitur vulgo ab obstetricibus *le couronement de l'enfant.*

Vteri ceruix grauidis sursum tracta & in longitudinem ducta, pressius quàm cæteris arctatur. B

Spermaticæ venæ ambæ multo maiores sunt quàm arteriæ, præsertim parturiente iam muliere, ita vt emulgentibus venis magnitudine sint æquales, Animaduertit Cornelius Gemma vasa vteri post multiplices partus varicosa in mulieribus fieri. Obseruatione digna est dubitatio illa quam mouet Bauhinus in appendice ad librum Rosseti de partu Cæsareo, Num mulieres quæ superfœtare solent, aut plures fœtus quàm duos generant, vterum bipartitum habeat? vidit eius frater in quadam puella vterum bipartitum, qualem canes habent, Obseruauit etiam Syluius in puella vterum veluti bicornem vt in multiparis: Sed id adscribit vteri breuitati testium & spermaticorum vasorum distantiæ longiori. Anno 1599. in scholis Longobardorum, dissecabat mulierem Toignet Chirurgus & Anatomicus peritissimus cuius vterus septo medio diuisus erat. Noui mulieres quæ singulis conceptionibus geminos fœtus proferunt, quod est quibusdam familijs gentilitium. C

DE COTYLEDONIBVS.

CAP. II.

SCRIBIT Galenus lib. de dissect. vuluæ cap. vltim. mulierem eo tempore concipere, quo vasorum vteri orificia recluduntur, quod accidit fluentibus menstruis: tum enim tument ora vasorum, & ob eam asperitatem exceptum semen facilius vteri parietibus adhærescit, quoda- D lio tempore irritum effluit, vnde fit vt ante mensium eruptionem puellæ raro concipiant, propter vteri læuitatem occlusis vasis; quibus apertis & fluentibus menstruis conceptio fit. Hunc vasorum tumorem & apertionem Hippocrates κοτύληδόνας vocat. De quibus non minor fuit inter veteres, quàm recentiores controuersia. Soranus & Erotianus negabant in vtero humano cotyledonas reperiri. Alij pro cotyledonibus, adenosas & glandulosas carnes vasorum orificijs adnatas accipiebant, vt notat Galenus com. ad aph. 45. lib. 5. Idem in Exegesi cotyledonas exponit ora vasorum quæ in vterum descendunt, vt in libr. de Hipp. dissectione docuit. quod etiam pluribus verbis explicat lib. 5. Aphor. Ora vasorum venientium ad vterum ex quibus secunda pendent acetabula nominauit Hippocrates, non sicuti quidam arbitrantur adnatas ipsi carnes glandulosas. Nam vt ipse E inquit 1. de morbis mulierum si acetabula plena fuerint pituita menstrua fiunt pauciora, & Praxagoras in primo de naturalibus, Acetabula inquit sunt ora venarum & arteriarum quæ feruntur ad vterum. Aristoteles in solis cornutis animantibus cotyledonas admittit. Contra veteres Anatomicos Galenus lib. de dissect. vuluæ & lib. de semine disputat, ostenditque ex aliorum anatomicorum authoritate cotyledonas esse vasorum vteri apertiones, vel potius vasorum vteri & fœtus coalitum per anastomosim. Fallopius in obseruatione post longam de Cotyledonibus disputationem tandem fatetur, in vtero humano nullos extare. Idem sensit Arantius libro de fœtu humano. nisi forsan accipias pro cotyledonibus spongiosæ vteri substantiæ poros. Idem Arantius affirmat se varia animantium

A tium genera secuisse, vt veram figuram cotyledonum ab anatomicis descriptam putà vmbilico veneris siue acetabulo similem obseruaret, quam in ouillo tantùm & caprillo genere vidit. Sylvius in depulſ. calumn. Vesalij Cotyledonas pertinaciter defendit, asseritque in muliere parturiente aut recens enixa apertè spectari, si chorion à propria vteri tunica clementer digitis diducatur, sanie quadam & pauco sanguine fluere vasorum oscula, quod si vterum inuersum post hanc separationem inflaueris, foramine per quod fœtum extraxeris probè ligato, Cotyledonas apertius videbis: modo recens mortua sit mulier, & calcat adhuc vterus. Eadem ferè repetit Cornelius Gemma sanctèque affirmat se Cotyledonas vidisse inuerso vtero & per venam inflato. Nicolaus Massa doctus & peritus sua ætate Anatomicus suam de Cotyledonibus vteri sententiam propo-

B nit: non pauci decepti sunt, inquit, credentes cotyledonas esse capita venarum apparentia in tunica extrinseca corporis matricis, sed nota quod cotyledones sunt quædam ligamenta ligantia secundinam matricis substantiæ, quæ ligamenta prodeunt ab ipsis cauitatibus venarum ad substantiam secundinæ, & ipsam alligant matrici, qui Cotyledones non inueniuntur nisi in prægnante: quos plures vidi alligantes secundinam, & separaui ab ipsa matricis substantia. Mihi valde placet opinio eruditissimi viri D. Laurentij, qui totum hoc negotium paucis expediuit & composuit. In vtero Cotyledones non sunt, id est tubercula papillis mammarum similia vt in brutis, sed massa quædam neruea ex infinitis venarum & arteriarum ramusculis miro artificio implicatis, & sanguine velut affuso contexta, eorum vicem gerit. At cur tubera illa Chorion vtero firmiter

C alligantia non habent humani fœtus? an quia tam numerosam prolem non gerit mulier? an quia quadrupedum vterus magis extuberat, qui nisi validioribus vinculis necteretur, vix fœtum posset gestare? hactenus ex Laurentio.

DE MEMBRANIS FOETVS.

CAP. III.

D ISSECTIONIS & generationis ordo iubet à membranis fœtus exordiri, dissecto enim vtero primæ occurrunt, primæ etiam omnium partium generantur authore Hippocrate libr. de genitura pueri, licet Arantius velit esse progenies membranarum abdominis in fœtu, & amnion à peritonæo oriri, vt Chorion à membrana carnosa. Cuius opinioni fauere videtur Hippocrates lib. citato, cum ait ex vmbilico protenso fiunt membranæ quibus fœtus sustinetur. Sed in his plus valet opinio, quàm ἀλλᾶς, quæ duas tantùm tunicas fœtum inuoluentes ostendit: Amnion scilicet & Chorion, Quamuis Galenus præteristas Tertiam adiungat Allantoidem brutorũ propriam. Prima & extrema fœtus tunica Chorion dicta neruosa est omni ex parte fœtũ ambiens, huic superiecta est caro quædam orbicularis instar lienis substãtiæ nigricans, numerosis vasis implicita, cuius magnitudinem secũdum suas dimensiones sic describit Vesalius. Latitudo ex fœtus proportione tanta esse potest, quanta longitudo

E ab ossibus ilium ad mucronatam cartilaginem, amplitudo tanta est, quanta summa interioris vteri superficiei extensio: ipsius crassities facilè pollicis crassitiem æquat. Non ex semine cum aliis partibus generatur, sed ex sanguine, qui post exactum trigesimum diem affluit ad nutritionem & incrementum partium, cuius rei veritas inde patet, quia in abortu triginta aut quadraginta dierum circa vmbilici radices iam factas, nullum huius carnis vestigium apparet. Referam quid de placenta mihi videre contigit. Orbicularis est moles carnea nostræ paropsidi amplitudine æqualis, quæ chorij portionẽ absoluit. nam in abortiuo fœtu triginta dierũ vidi secundã tunicam carneã totũ fœtũ amplexantẽ. Deinde instãte partu vt in grauidis mortuis obseruaui, choriũ crassũ in duas vel tres mẽbranas diuiduũ circa peripheriã placentæ terminatur: sola q; tenuissima mẽbrana subtus expãditur, quę sine laceratione diuelli nõ potest. Placẽtã eo fine factã putat Vesalius, vt venas & arterias fœtus ab vte-

Chorio inquit Volcherus Coiter cõstitui videtur ab externa intestinuli tunica dilatata, vt amnios ex dilatione intestinuli siue substãtiæ sua viscosæ in cornutis manifestũ, exortum à cute dilatata consequitur.

χόριον dicitur ἀπὸ τοῦ χορῶ quod est contineo, vel à χορηγέω quod impertiri significat, quia fœtui alimentum suppeditat.

ri vasis enatas exciperet, fulciret, colligeret, & in pauciores redigeret. Arantius & Varolius alium vsum agnoscunt, maternum scilicet sanguinem elaborare, A vt purior & defœcatior fœtui distribuatur; Ab hoc officio Iecur vterinum vocatur ab Arantio, à Fallopio Placenta, à Columbo Orbicularis affusio, Corpus hoc non rotum affigitur vtero. Fallopius vult semper adnasci alteri parti, in quam desinit foramen à meatu seminario veniens. Ita vt foramen hoc, sit centrum totius spatij occupati à placenta. Columbus in anteriore parte vteri collocat vt propugnaculi vicem gerat fœtumque ab externis iniuriis tueatur. Alij incertum esse huius partis situm & nexum dicunt. Quia nunc parte anteriore, nunc posteriore, modo dextra, modo sinistra iacet. Gemelli communem Placentam habent quæ vtriusque vasa vmbilicalia recipit. Dicam liberè quid de situ Placentæ deprehendi. Placenta primo mense grauiditatis per tenue & breue ligamentum carneũ alligatur alterutri angulo vteri, sed paulo post crassior & carnosior B reddita, toto suo corpore adhæret antico & interno vtero, vt in grauida muliere octimestri mortua notaui.

Secunda tunica & interna fœtui vicina Amnios à candore nominatur, priore multò tenuior cui firmiter adhæret, qua parte sita est Placenta; connectitur etiam fœtui circa vmbilici ex abdomine egressum, in ea tunica aquæ ex vrina & sudore fœtus emanantes; ad parturiginis tempus asseruantur. Hæc inuolucra sibi connata vnum videntur corpus constituere: quod Græci δεύτερα καὶ ὕστερα appellant, Latini Secundas vel Secundinam, Galli *arrierefais*, quòd in parturiendo vltimum sit. Omnibus animantibus naturale est, edito fœtu eiusmodi exuuias deuorare, quibus ipsæ suopte impetu se liberant. Solus vrsus suis membranis obuolutus nascitur, quas mater lambendo reuellit, quod occasionem præbuit quibusdam existimandi fœtum vrsinum informem carnem esse, quæ lambendo paulatim figuratur. Hoc falsum monet Dalechampius qui in vtero grauidæ vrsæ à C venatoribus captæ & exenteratæ, omnes suis membris distinctos catulos & formatos vidit. Id etiam ante animaduerterat Albertus libro 7. de animal. Hoc etiam notauit Scaliger exerc. 6. art. 15. In nostris Alpibus venatores fœtum vrsæ cœpere, dissecta ea fœtus plane formatus inuentus est, & exercit. 183. editos catulos omnes parens lambit vt sordibus puros reddat.

Sunt igitur duæ tantùm tunicæ in fœtu humano, Bruta tertiam habent nimirum allantoidem, cuius necessitatem demonstrauit Fallopius in obseruat. Confirmauit Vesalius. Quoniam brutorum vterus acetabulis abundat, venæ & arteriæ vmbilicales per vniuersum chorion dispersæ sunt, proinde non potest vrina inter D chorion & amnion colligi sine detrimento fœtus, quia eiusmodi vasa nuda à circumstante lotio valde refrigerarentur, & arteriæ dilatatæ nonnihil alieni huius humoris absorberent. Debuit igitur vrina propria & separata tunica contineri, quæ in homine non est necessaria, cum præter chorion habeat placentã illam carneam, cui vasa vmbilicalia insiguntur, propterea commodè inter chorion & amnion asseruari potest vrina. Hoc tamen rationi & autopsiæ repugnat, Si enim ourachus sit solidus & imperuius & vtina per vrethram excernatur, necesse est amnion perforari vt peni lotium eiaculanti viam præbeat sicque cum vrina sudor confundetur. Præterea docet αὐτοψία vrinam cum sudore in amnio contineri, cum extra amnion nullus humor reperiatur. Volcherus demonstrationem Fallopij de necessitate allantoidis in brutis non admittit, quia, inquit, in canibus non inuenitur. Qui- E dam parum Anatomici præter vulgares & consuetas tunicas, aliam interdũ reperiri notant, quæ capitij vel galeæ instar infantis caput obuoluit: si creditur Cornelio Gemmæ separata est tunica amnio multo tenuior, sed tamẽ solidior, limbo purpureo veluti fimbria cincta, atq; sic capiti-toti vsq; ad vmbilicum penitus obuoluta, non sine ingenti periculo pueri, nisi quã celerrimè detrahatur, vt ipse in primogenito suo filio qui galeatus in orbẽ venerat obseruauit. Nascitur ex superabundanti seminis recremento, virtute formatrice in omnem circumferentiã fusã: nam & fœminæ dum tales pariunt, vix vllam seri aut muci copiam sub idem tempus euacuant. Sed peritiores Anatomici portionem esse amnios tunicæ deprehenderunt, quæ interdum collo exquisitè aptatur, propter vmbilicum ea parte circumuolutum: quare cum fœtus non potest istam membranam excutere, cogitur capite

velato

A velato in lucem prodire. Leuinus Lemnius & Paræus id fieri putant in valido & fœlici enisu matris, genitalibus robore naturæ dilatatis. Nam cum partus difficilis est & laboriosus, nunquam fœtus secum eiusmodi membranam proferet, sed restitat illa in via & genitalium angustiis, Sic enim coluber cum senectam exuere vult, se per angusta locorum inferre solet. Mulieres infantibus qui vittati siue galeati prodeunt, bene ominantur, & hanc membranam diligenter asseruari debere dicunt, in signum futuræ fœlicitatis, Lampridius narrat Antonium Diadumenum cum isto velamine natum ab ortu fœlicem fuisse: Credebant enim veteres pileum istud naturale non tantùm puero fœlicitatem portendere, Verumetiam gestanti ad fœliciratem conferre. Id obstetrices rapiunt ait Lampridius & aduocatis credulis vendunt, quo se putant iuuari in declamando & perorando. B Balsamo comment. super canones refert, Prœtum clericum accusatum fuisse, & deprehensum cum isto pileo, quod à muliere acceperat, Ioannes Chrysostomus non semel in sermonibus suis obstetrices obiurgat propter hoc genus præstigias & magicas imposturas. Hactenus veram tunicatum historiam ex fide recentiorum Anatomicorum tradidi, quam Syluius vt Galenum defenderet paulò aliter describit, & in fœtu humano allantoidem constituit contra rei veritatem, propria eius verba referam in Isagoge & lib. depulsi calum. Vesalij exarata. Chorion duabus membranis constat, inter quas vasa feruntur: quarum interna fit tenuissima, externa aliquanto crassior, sed mollior, cruentatæ papyro bubulæ crassitie, mollitie, colore persimilis: nec crassitiem pollicarem habet tempore partus, quo est tenuissima, & ne vnguis quidem crassitiem attingit. C Allantoides tunica ἀλλᾶντι, id est intestino cuidam laxiori vtrimque contracto similis, piscium quorundam vtriculos natatorios refert, si horum cauitatem continuam intelligas: vel potius membranaceam arcuum thecam imitatur, quæ scilicet in medio est laxior, ad fines vero vbi sunt cornua arcuum angustior. Ex Ouracho dilatato vtrimque longius producto gignitur, sed mox paulatim ad fines ambos cornibus insertos contracto, totum fœtum non comprehendit, sed partibus tantum eminentibus capiti natibus pedibus superiecta. Amnios toti fœtui vndique circumiecta tenuis quidem sed crassior & robustior allantoide, quæ non solùm sudorem fœtus acrimonia, & fœtore molestum continere debet, sed etiam fœtus artuum motui obsistere; ne ab eo promptê rumpatur. Rationem inuestigandi membranas repetes ex Syluio libr. 3. Isagoges Anatomicæ.

D

DE VASIS VMBILICALIBVS.

CAP. IIII.

BI membranæ fœtus efformatæ sunt, facultas formatrix ex semine partium omnium fundamenta iacit, sed ne opere in medio deficeret, & sic inopia materiæ irritum naturæ opus remaneret, à cornibus vasa duo capillaria prodeunt, vtrimque vnum, quæ in summam & in posteriorem coagulati seminis partem inferuntur. E Hoc artificium primus obseruauit Varolius, & radices dorsales fœtus appellauit, quæ iactis & absolutis partium fundamentis obliterantur. Earum loco ex fœtu ad chorion venæ & arteriæ producuntur, quas à vasis vteri generari putant Vesalius & Columbus, Galenum in eo sequuti libro de dissecti. vuluæ, & libro 15. de vsu part. capit. 4. & libro de formatione fœtus capite secundo. At libro sexto de placitis à venis & arteriis oriri scribit. Rectius ex semine vmbilicalia vasa produci dicerem, quia ortu & generatione sunt prima, & ab iis venæ & arteriæ corporis propagantur. Ridicula igitur Vesalij & Columbi opinio, cum venarum & arteriarum vmbilicalium oscula non coeant per Anastomosin cum vasis & arterijs vteri, Placenta quidem sanguinem venosum & arteriosum excipit, simulque confundit, vt ex tali permistione, crassus & impurus sanguis venosus ab arterioso renuior

Donec continetur cũ eo sperma mulieris ex duobus additamentis quæ sunt duo cornua similia ossibus dactylorũ & quum permiscentur fit ebullitio prædicta & creatur vesica & panniculus primus, & suspeditur sperma totum tenue cũ duobus additamẽtis, quæ sũt duo cornua & inuenit illic quod alit ipsum dũ permanet sperma vsquequo sumat ex sanguine menstruo, Auicẽnas lib. 3. fen. 21. tract. 1.

putiorque redderetur. Nihilominus in ista sanguinis confusione, venæ & ar-
teriæ proprium sibique familiarem sanguinem attrahunt. Venæ sanguinem ali- A
mentarium ad radices venæ portæ deferunt, Arteriæ sanguinem vitalem deducunt
ad iliacas arterias, Cur autem arteriæ ad cor fontem vitalitatis, vel ad truncum
aortæ non perueniunt? quemadmodum in cornutis & ruminantibus animalibus.
Respondet Galenus lib. 15. de vsu part. ne in isto longiore ductu pendulæ pericli-
tarentur, præstitit eas ad iliacas deduci, quia in isto itinere vesicę lateribus ac-
cumbentes ab omni læsione securę sunt. interim notabis arterias vmbilicales vesi-
cę lateribus affixas, tribus vel quatuor surculis obiter adhærere hypogastricis arte-
rijs; maior vero surculus ad iliacas sursum contendit. Hæc vasa deferendi sangui-
nis munere tandiu funguntur, quandiu fœtus vteri latebris continetur. Nam vbi
lucem aspexit, inutilia tanquam victa & emerita exolescunt, & in ligamenta dege-
nerant, quod admirabilem naturæ sapientiam testatur, quæ partes illas destruit, B
quæ vtilitate sua priuantur. Galenus lib. 6. de vsu part. Cæterum licet hæc vasa in
chorio numerosis radicibus spargantur, extra chorion omnes venæ & arteriæ in
vnum sui generis vasculum coeunt. Vena cum primum abdomen penetrauit
simplex, interdum gemina in hepatis fissuram insinuatur, Arteria ventrem ingressa
statim in duas dirimitur, quæ iliacas arterias adeunt. Itaque intra abdominis ca-
pacitatem quatuor erunt vasa vmbilicalia: si comitem ourachum annumeres, extra
vero abdomen tria, quæ membrana crassa viscida ab Aristotele κελύφος ὑμενῶδες di-
cta includit, locisque distinguit, ne mutua collisione vel angustarentur, vel im-
plicarentur, nihilominus vmbilicus quatuor surculis siue radicibus in medium pla-
centę implantatur, quæ deinde numerosis surculis hinc & inde fructicantur. Com-
ponitur igitur vmbilicus ex vena, arteria, & ouracho. Vena Embryi nutricula la- C
xior est arteriis, initio latior, sub finem angustior, & in morem varicum contorta,
vt diuturniore mora sanguis in longo & flexuoso itinere maiorem elaborationem
acciperet. Si geminæ adsint arteriæ inter vtramque arteriam progreditur, At
ourachus vnicus est suspendendæ vesicæ dicatus, è cuius fundo enascitur. In
brutis perforatus est, & abdomine egressus in duas vesicas oblongas expandi-
tur, quæ allantoidem tunicam constituunt, in fœtu humano solidus est, nullo
foramine peruius, vt docet autopsia, accedente peritissimorum Anatomico-
rum consensu Fallopij, Eustachij, Arantij, Paræi, Varolij, Existimauit Ga-
lenus vrinam in vesica collectam per ourachum apertum in allantoidem deriuari,
atq; per collum vesicæ nullo modo excerni posse, quia angustius est, & obliquum,
Sphinctere constringitur, vt latius explicat lib. 15. de vsu partium. Cuius au- D
thoritate deceptus Varolius tradit vrinam in vesica ad partum vsque asseruari,
quo fit vt recens nati copiosam vrinam effundant, vrachus in fœtu gracilior est,
quàm in adultis, cum enim sit suspendendæ vesicæ subligaculum; sensim cum
reliquis partibus augetur, ita vt in adultis hominibus sit crassior & robustior quàm
in pueris. Præterea cum nulla sit allantois vmbilicus extra abdomen deberet esse
alicubi perforatus ad egressum vrinæ; At superficies vmbilici vndiquaque con-
tinua est, nullo foramine pertusa. ergo solidus est vrachus & imperuius. Quod
vero obijcitur de hydropicorum aquis per vmbilicum excretis, facilè diluitur ex
Varolio. Scribit aquam hydropicorum interdum per venam vmbilicalem effluе-
re, & nonnunquam serum in venis regurgitans ad hepar remeare & per vmbi-
licalem venam excerni: quæ visa est etiam in adultis suam cauitatem retinere,
acsi adhuc venæ officio fungeretur ad nutritionem musculorum abdominis. E
Vt Volcherus in virgine quadam obseruauit & Fabricius Hildanus in homi-
ne quadragenario. Hæc via facilis est vrgente necessitate, quinetiam in qui-
busdam naturalis fuit, qui per anum vrinam reddebant, vt obseruarunt Beni-
uenius & Cardanus. Aut vesica & intestinum discissa erant, (quod citra mor-
tem fieri nequit) aut ad hepar exundans vrina remeabat, Inde per venam
portam in intestina deriuabatur. Non dissimulabo quod de Ourachi com-
positione obseruaui; dum fœtum resecarem; Inueni ourachum soli-
dum, sed in eius medio neruulum candidissimum, quem ab interiori ve-
sicæ tunica produci deprehendi; Exteriorem vero Ourachi membranam ab

A externa vesicæ tunica propagari. Videtur id Galenus obscurè significasse introductorij cap. 11. à Venis, quæ secundas implicant, binæ prodeunt venæ, ab arterijs itidem binæ arteriæ, & à neruis neruus vnus, mutuo in vnum congressu, meatum Ourachum appellatum absoluunt, qui infantis vmbilico inseritur ex quo & enascitur, & suspensus est. Ab ymbilico autem venæ ad iecoris portas sanguinem in fœtibus transmittunt, Arteriæ vero iuxta vesicam crassiori arteriæ, neruus hic spinæ inseritur. Vmbilici longitudo admirabilis est, quæ licet in fœtu dum magnitudine muscæ cernitur recta sit & breuis, vixque in fœtu vnius mensis digito longior, in dies tamen vsque producitur, ita vt in partu extensus vmbilicus fere nostratis vlnæ longitudinem æquare possit, interdum in ea laxitate se inuertit & contorquet fœtus, itaut nodus in medio contrahatur, qui fœtus atrophiæ & mortis causa esse solet: propter commeatum alimenti interceptum. Ea vmbilici longitudo non absq; magna vtilitate facta est. Sanguis enim & spiritus per longiorem ductum delati exquisitius elaboratur, Accedit altera vtilitas vt fœtus in omnem partem secure & commode se mouere & contorquere possit, Tertiam vtilitatem assignant Varolius & Arantius vt in partu secundæ & fœtus alternatim exeat, quæ simul egredi non possunt sine magno fœtus & matris incommodo. Huius longitudinis beneficio cum laboriosus est, & difficilis partus, fœtus in vestibulo matricis detentus, per vmbilicales arterias viuit, quę si breues extitissent ante fœtus egressum effringi potuissent. Confert etiam hæc longitudo ad secundarũ eductionem, vt patet ex Hipp. lib. de superfœtat. Si secundinæ non facile exciderint fine ndæ sunt maxime ad fœtũ appendere, vt paulatim absque vlla violentia trahantur: mulierē in sella perforata collocabis, & fœtum super vtrem humore trepido plenum impones, vt mucrone tenuissimo compunctus, vter sensim considat, ac vna fœtum & quę ab eo pendent inuolucra deorsum trahat. Ne autem in tanta longitudine vmbilicus ruptioni esset obnoxius, nodis quibusdam ad robur distinctus est, non interceptus, ex quibus obstetrices mulieris fœcunditatem cognoscunt. Cum mulier primum partum edidit, inquit Eucharius Rhodion, ex Auicenna, Vmbilicus infantis inspici debet, qui si in parte qua proximus est, rugas seu nodos non habet, mulieri deinceps sterilitatem portendit. Sin verò rugas & nodos ostendit, tot partus ac liberos Matri promittunt, quot numero nodi seu rugæ in eo deprehenduntur, his alij addunt rugas eas si modico spatio inter se distent, modica pariendi interualla significare, si longius longiore etiam temporis interuallo matrem concepturam atque parituram esse. Præterea rugæ si rufescant, masculos partus: si candidiores sint, fœminas significare. Quæ omnia ridicula putat Columbus, cum in extremo fœtu tot vel plures nodi appareant quam in primo. Verum ne vmbilicus incerto vagoque ductu fluctuaretur, natura illum à sinistro tempore, ad dextrum per mediam frontem circumduxit, inde per occiput obliquè reflectitur, vsque ad sinistram ceruicis & iuguli partem, deorsumque supra pectus progreditur: donec in medium ventrem inferatur, hac reuolutione vmbilicus caput firmat & continet, ne ante perfectam maturationem, suo pondere deorsum decumbat. Quod si fœtus, dum exitum parat, vmbilicum per superiorem capitis partem excutere nequeat, sed ad iugulum descendat, collo obuoluto ac si laqueum gestaret egreditur, quod mulierculæ mali esse ominis vaticinantur. Cum primum ab ergastulo vteri fœtus emersit, resecatur vmbilicus nodoque religatur, quod solerter & industriè faciendum, nam penis & vterus vmbilici proportionem sequuntur: In fœminis breuior vmbilicus vterum ad conceptionem ineptum reddit Vterus laxior immoderatum coeundi desideriũ affert, inquit Conciliator. Huius rei veritatem facile est per Anatomē demonstrare. Vesica vtero incubat eiusq; ceruici tenaciter adhærescit, per Ourachum vesica suspenditur, vesicæ igitur tensionem vel relaxationem sequetur vterus. Præcisum vmbilicum non nulli valere dicunt aduersus colicos dolores, eiusmodi remedium Rhases & Trallianus commendarunt, eoque tanquam amuleto vtuntur. Alexāder Benedictus memoriæ prodidit vmbilicum infantis sponte deciduum, quoquomodo in cibo vel potu sumptum, restibilem fœcunditatem conciliare. In brachijs gestatum conceptum inhibere. Idem promittit sorbitione secundarum arefactarũ & contritarum conceptus iuuari. Hippocrates lib. 1. de morbis mulierum secundinam laudat ventri appositam, non assumptam ad prolis fœcunditatem.

DE CONFORMATIONE FOETVS. A

Cap. V.

Ex Galeno lib. 15. de vsu part.

NIHIL in tota Anatome magis torsit & exercuit doctorum ingenia, quàm nostri corporis conformatio, quam multò facilius est verbis explicare, quàm reipsa construere. Nostra tamen verba sapientia nostri conditoris longè inferiora sunt, vt ne quidem ea exponere possimus, quæ ille nullo negotio condidit. Hanc paucis accipe ex Gal. lib. 14. de vsu part. Vbi matrix eiaculatum viri semen excepit, in sese contracta suum orificium exactè resi- B
gnat, qui vero humor internam vteri superficiem oblinit, in membranam conuertitur, qua spiritus formator vndique conclusus, motus suos naturales expromit, tria puncta procreans partes principes referentia, quę caloris impetu inflata & distenta, suos ventres efformant. Cor, thoracem, Cerebrum, caput, Iecur ventrem. Postea reliquæ partes figurantur & conformantur, tumque sensim affluit tenuis sanguis ad earum incrementum.

Auicennas generationis & conformationis partium progressus tam minutè persequitur, vt diceres illum operantem naturam spectasse. Primùm semen vtero exceptum, sex primis exactis diebus in spumosum quid & butyro simile immutatur, mox post tres dies quasi sanguinis guttæ & rubra filamenta apparent, exactis quindecim
diebus à conceptu, fœtus coagulatum sanguinem refert. Post alios duodecim spe- C
ctatur caro, cum trium præcipuorum viscerum distinctione: Postea spinalis medullæ initium cernitur, tandem post dies nouem caput ab humeris distinguitur, & laterum extrema ac venter sensu manifestè discernuntur, atq; ita fœtus absoluitur, interdum tardius, nonnunquam celerius.

Scribit Galenus libro primo de semine Hippocratem quatuor formationis tempora constituisse. Primum tempus est γονὴ, in quo semen coagulatum duntaxat cernitur, Alterum κύημα rudem aliquam partium delineationem ostendit, in tertio substantia carnosa perficitur, in quarto perfecta est omnium partium descriptio, tumq; fœtus παιδίον nominatur: Hæc tempora certis dierum spatijs definite est impossibile: coniecturis tantùm ex abortiuis fœtibus assequi licet. Vidit Hippocrates in geni-
tura sexto die conceptionis excreta, quasdam partes delineatas. At negat Auicen- D
nas quidquam ante septimum diem discretum apparere. Tantum tribuit septimo diei: cuius vim & impetium ipsemet Hippocrates lib. de Septim. partu in conceptione, abortu & partu agnoscit, Eadem inquit, temporum in conceptione, abortu & partu ratio, quæ in morbis, sanitate & morte partim secundùm dies, partim secúdùm menses, partim secundùm dies quadragenarios, partim secundùm annum, quare sicut in morbis maximè possunt primi & septimi: ita & in fœtibus non dies modo, sed & quadragenarij circuitus & menses. Cum igitur tanta sit septimi diei authoritas, probabilior videtur altera Hippocratis Historia, fœtum scilicet septimo die habuisse conspicuas oculorum regiones, aures, brachia, crura manuum pedumque digitos, pudendum, & membra reliqua quæcunque corpus habere debet. Si
vera sit hæc narratio; cur alibi asserit, fœminam non ante quadragesimum secun- E
dùm diem conformari, marem verò triginta diebus absolui, quod probat ex abortiuis fœtibus. Multæ mulieres puerum abortiuum ante trigesimum diem edidere, sed eum prosus indistinctum atque inarticulatum, qui vero post eum diem aut ipso die eiecti fuerunt, visi sunt omnes bene figurati compositis articulatisque partibus. Sic verò se res habet etiam in puella ad portionem duorum quadraginta dierum, si quando abortu perierit. Viris doctis non placet Hippocratis sententia, de vario formationis tempore in maribus & fœminis; Non enim femella tardius masculo efformatur, alioquin diuersum esset, marem vel fœminam pariendi tempus. Nam si duplicatum formationis tempus, sit tempus parturiginis, necessario sequitur fœminam tardius moueri: & in lucem prodire. At videmus quotidie mares & fœminas ijsdem nasci temporibus. Itaque non est absolutè vera Hippocratis sententia de

A formatione fœtus. Fieri tamen poteſt vt in mare & fœmina diuerſa ſint formationis tempora, ſed vterque eodem tempore ſuam formam & perfectionem conſequetur. Reprehenditur etiam in Hippocrate, quod genituram ſeptimo die perfectam & omnibus membris delineatam in aqua conſpexerit: cum in effluxionibus nihil tale apparuerit oculatiſſimis viris, qui diligenter & curioſè id peruestigarunt. Negat Galenus ſtatim atque in vterum iniectum eſt ſemen, ſiue primis conceptionis diebus, alterutrum pudendum formari. Quarto vel quinto menſe figuratur, vt ex abortiuis fœtibus deprehendi. Itaque falſa eſt Hippocratis ſententia, Si genituram in aquam conijcias omnes partes diſcretas & figuratas apparere. Ariſtoteles lib. 7. de hiſtor. animalium cap. 3. ſcribit fœtum maſculum quadrageſimo die formari, & eſſe magnitudine formicæ maiuſculæ omnibus partibus iam diſcretis, etiam oculis & genitalibus enatis, atque iſta omnia ſi in aquam frigidam fœtus immittatur manifeſtè
B ſpectari. Straton Peripateticus, & Diocles Caryſtius, vt refert Macrobius commẽt. in Somnio Scipion. dicebant quinta hebdomade, id eſt trigeſimo quinto die, humanam figuram fingi magnitudine quidem apis, ita tamen vt in illa breuitate membra omnia & deſignata totius corporis lineamenta conſiſterent. Fernelius fœtum quadrageſimo die perfectum vidit, quo tempore recentiores obſeruarunt minimi digiti magnitudinem & longitudinem æquare, ſub finem tertij menſis palmari eſt longitudine, & circa quintum pedali, ſicque creſcit in dies ad partum vſque.

C

DE SITV PVERI IN VTERO.

CAP. VI.

SCRIBIT Ariſtoteles ſitum omnium quadrupedum in vtero extenſum eſſe, bipedum vt auium inflexum, piſcium obliquum, ſolius hominis ſitum contractum eſſe & conglobatum, tum propter loci rotunditatem, tum vt minimum ſpatium fœtus occuparet nec tam altè aſcenderet, atque vt in partu facilius deorſum inclinaret, ſed quomodo partes compoſitas habeat in eo ſitu, inter medicos controuertitur. Hippocrates libro de natura pueri ſcribit, puerum ita in vtero collocari, vt manus habeat ad genua, caput pedibus pro-
D pinquum, quod tamen difficile eſt iudicare, niſi fœtus in vtero inſpiciatur. At lib. de octimeſtri partu aſſerit fœtum in vtero caput habere ſublime, hanc locorum diſſenſionem quidam ex Ariſtotele componunt, vt caput primo geſtationis tempore ſit ſuperius, poſtremis menſibus deorſum inclinet. Galenus iacentis fœtus in vtero ſitum ita deſcribit: Caput in elatiore vteri parte continetur, brachijs ac tibijs contractis, genua cubitis ſunt proxima, manus manui ſuperpoſita, tibiaque altera alteri ſubijcitur, pedeſque introrſum ita ſunt reflexi, vt plantis clunes attingant, quò fit vt recens nati tibias introrſum flexas, pedeſque maximè ad interiora curuatos habeãt, quod deligatione propter partium mollitiem facilè corrigitur. Fernelius aliter fœtus ſitum in vtero deſcribit. Infans vtero geſtatus incuruus totus ac contractus talos ad nates adaptat, manibus genua apprehendit, inque caput ſic demittit, vt oculi manus pollicibus veluti affixi hæreant. Naſus verò inter genua procumbit. *Auth. lib. de ordine partiũ, qui adſcribitur Galeno.*
E Vnde fit vt oculi genubus affectis condoleant, propter veterem illam ſocietatem. Bochelius non putat fœtum ita conglobatum eſſe, vt genubus faciem attingat, quia figura hæc, cum ſit extrema omnium, eſt laborioſiſſima: ſed eam omnino artuum figuram ſeruat, quæ inter extremam flexionem & extenſionem media ſit minimè laborioſa. Platerus fœtum in vtero ſic compoſitum deſcribit, brachia pectori admouentur, & manus dextra ſub dextra aure, ceruici expanſa, ſiniſtra verò ſupra ſiniſtram mammam & faciem ſemiextenſa eſt, pedes ſurſum attracti, ventri applicatur, vt pes dexter calce nates, latiore verò parte reflexa pudenda occultet, ſiniſter verò pes humerum dextrum tangat. Columbus tres tantùm infantis poſitiones obſeruauit, quarum prior frequentiſſima eſt, capite deorſum verſo & inclinato. Secunda rarior capite ſurſum elato. Tertia rariſſimè cernitur, cùm fœtus tranſuerſus iacet

in priore situ infantes capite præcedente in lucem prodeunt, in secundo pedibus & A
Agrippæ nominantur, in tertio natibus omnes faciem coccygem versus habent. Ideo falsum conuincitur, quod de diuerso marium & fœminarum situ narrat Fernelius. Prior, inquit, abdominis pars in matris abdomen, posterior in dorsum vergit, si mas oritur, Nam fœminæ aduerso situ collocantur, Anteriore parte matris dorsum recipiunt, Posteriore abdomen, Proinde cadauera fœminarum prona in aquis, masculorum supina fluitant. Notat Carolus Stephanus gemellos contrarium situm obtinere, Vnum in posticam vteri partem conuersum esse, Alterum anteriorem vteri partem spectare. Varolius contra omnium Anatomicorum opinionem asserit, puerum non iacere supinum, sed lateri sinistro inniti, ita vt dorsum fœtus dexterum matris hypochondrium, abdomen sinistrum hypochondrium respiciat. B

DE NATVRALIBVS FACVLTATIBUS.

CAP. VII.

Perfectis & absolutis partibus nutritur fœtus, vt singularum partium moles alimenti accessione augeatur. Ista nutritio non eodem modo perficitur, quo nobis editis in lucem. Nam fœtus in vtero per vmbilicalem venam alimentum trahit, extra vterum ore sumit alimentum, in vtero sanguinem maternum C
prolectat, editus in lucem lacte vescitur: Vtrumque alimentum agnoscit Hippocrates lib. de natura pueri, & sanguinem in fœtu per vmbilicum ad hepar deferri testatur. Alcmæon antiquus Philosophus qui inuentor Anatomes perhibetur, putabat corpus Embryonis spongiosum esse & laxum & per vniuersum corporis ambitum sanguinem exsugere. Democritus & Epicurus existimabant fœtum ore alimentum sumere, quod ipsemet Hippocrates voluit lib. de carnibus (si germanus sit Hippocratis liber) quod adprobauit author libri, an animal sit quod in vtero continetur. Sed cum fœtus aquis vndiquaque circumfundatur, si ore alimentum sumat, fieri non potest quin simul cu alimento vrinam suam remetiatur, Propterea obseruarunt recentiores fœtui quadrimestri nondum ora naresque patere. Non aliam igitur in fœtu alimenti viam agnoscimus, præter vmbilicalem venam, quæ sanguinem ad hepar αἱματώσεως officinam deducit, vbi D
noua coctione elaboratus, suisque excrementis repurgatus, per vniuersum corpus distribuitur, Non Alemonæ Deæ beneficio, quam veteres nutriendi fœtus curam suscipere credebant: Sed partim hepatis robore amandatur, partim singularum partium vi attractrice prolectatur, vt iacturam triplicis substantiæ resarciat, & cuiusque partis molem iusta magnitudine augeat. In fœtu duplicem coctionem admittimus, αἱματώσιν & ὁμοίωσιν. Alij tertiam addunt χύλωσιν, quia in ventriculis abortiuorum vt Catulorum, porcellorum candidissimus Chylus inuenitur. Volcherus opinatur sanguinem maternum per venas mesaraicas fœtus ventriculum ingredi, ibique nouã coctionem subire, quia ventriculus statim atq; conformatus est, actionem suam officialem exercet: Hoc agit quod natus est agere. Cuiusque coctionis sua sunt instrumenta, Quidam primæ coctionis excremẽtum faciunt atrum illum sanguinem E
qui ad parturiginis tempus asseruatur in intestinis. Varolius crassi & impuri sanguinis excrementum esse statuit, quod in intestinis randiu moratur donec inspirato aëre motus intestinorum peristalticus excitetur. Quidam negant meconium hæmatoseos esse excrementum, sed superfluum sanguinem quem obstetrix, vbi fœtus emersit contracto vmbilico intropellit ad fœtum animandum, vnde quibus maiore copia sanguis repulsus fuerit, abundantius meconium excernunt. Istud excrementum per nouimestre spatium quo fœtus in vtero delitescit, in appendice cæci intestini colligi, putant Varolius & Bauhinus, atque huius particulæ vsum pueris perquirendum esse, quia nobis editis vna cum vasis vmbilicalibus exsiccatur. Plures abortiuos fœtus secui, quibus gracilior erat hæc particula, quàm adultis hominibus.

A nibus. Nec aliud est appendix ista, quàm nodus trium ligamentorum, quæ colon intestinum amplexantur, Nam diuulsis & separatis ligamentis appendicem oblitterari videbis.

Secundæ coctionis excrementum est vrina, quę per renes in vesicam percolatur, & per vrethram in amnion excernitur.

Tertiæ coctionis excrementa sunt Sudor, & Sordes, vtrumque per habitum corporis effluit, Sudor in amnio tunica cum vrina permiscetur, sordes cuti externę adhærent, ita vt fœtus lutosa quadam & subflaua pellicula obductus appareat. Hic se offert non leuis de sudore dubitatio, quo modo tenellus Embryo sudorem emittat, quem homines non nisi violento motu profundunt, si sudor sit excrementum tertiæ coctionis, siue è præcordijs humidis & calentibus in habitum corporis effunditur, vt voluit Fernelius: non prodibit antequam fœtus nutriatur. At quadragesi-
B mo die vix formicæ magnitudinem excedit, nec adhuc alitur, attamen humoris sex septemuè vncijs circumfunditur, quas fœtum tam pusillum per sudores deposuisse non est verisimile. Mercatus lib. de morbis mulierum existimat, esse pingue quoddam recrementum ad salutem Infantis à natura excogitatum. Ego vero hunc humorem generari puto, partim ex vtroque semine, partim ex materno sanguine: quia semen humidius, aquosius conformationi ineptum est, vt videre est in caseis qui coagulari non possunt, nisi secreto sero. Cum vtrumque semen fermentatione quadam crassescit & compingitur, vapores excitantur qui in amnio concrescunt. Altera huius humoris causa est serum, quod vbi sanguinem ad venas capillares perduxit, suo munere perfunctum, per habitum corporis digeritur. & per poros cutis in
C amnion tunicam exudat, vel potius ipsum serum in vesicam refluens per penem excernitur. Negat Theophrastus lib. de sudoribus infantes sudare, quia nondum cutim porosam habent; In illis serosus humor per aluum aut vesicam effluit. Theophrasti opinionem confirmabit Galenus lib. 2. de Temperam. vbi quærit cur infantes pillis careant, quia inquit meatus adhuc nullus in cute reperitur. Est igitur probabilius aquosum illum humorem in amnio contentum, prima sua origine ex coagulatione spermatis secretum colligi, atque fœtus vrinæ accessione in dies accrescere. Cuius humoris in vteri gestatione magna est necessitas, fœtus enim aquis innatans leuior est, & in partu effractis tunicis, collum vteri humore perfusum eluctantem puerum commodius finit elabi, quod si ante tempus parturiginis effluat, fœtus in sicco remanens vel extinguitur, vel partus laboriosus consequitur. Vt notauit Hippocrates. Apposite Democritus apud Plutarchum fœtum suis aquis in-
D natantem naui comparabat, quem vmbilicus velut anchora nauem sistit.

DE VITALI FACVLTATE FOETVS.

CAP. VIII.

VITALIS facultas nihil aliud est, quàm actio cordis ad spiritus vitalis generationem. Actio ista perficitur perenni motu cordis, quod si quiescat, vt nonnulli arbitrantur: nulla erit in fœtu vitalis facultas, aut saltem otiosa manebit, donec inspirato aëre frui
E possit. Hoc si verum sit paulò diligentius inquiramus. Peripatetici vt vitam à nutritione non distinguunt, ita nec vitalem facultatem à naturali. Duo tantùm principia facultatum constituunt, Naturam & Animam. Proinde duas tantùm facultates sedibus, instrumentis & actionibus differentes, Naturalem & Animalem admittunt. At medici solius hominis animam contemplantur, non animam in genere vt physici, quam in tres facultates Sedibus, Instrumentis & Actionibus differentes diuidunt, Animalem in cerebro collocant, Vitalem in corde, Naturalem in hepate: earum omnium ἐνέργεις & integritas vitam constituit, quæ simul atque conformatum est corpus fœtui inspiratur, tum enim singulæ facultates suis officijs funguntur. Naturalis in nutritionem & accretionem occupatur, Vitalis in generandis spiritibus, Animalis in sensu & motu. Si igitur Hepar & Cerebrum suas actiones exercent, cur otiosum erit cor,

cuius actio ad vitam æquè necessaria est, atque solis ad mundi conseruationem. In A corde natiuus calor velut in foco conseruatur: proinde animalium quæ corde carent calor est tepidus, qualis in domibus æstate percipitur, sed quemadmodum domus accenso igne calidior redditur: ita animalium corpus ex corde caliditatem acquirit maiorem ea, quæ iecori & venis insita est. Itaque nisi cor ad augendum calorem moueretur, fœtus suis excrementis per nouimestre tempus spatium immersus, aut putresceret, aut saltem grauiter læderetur. Præterea si fœtus moueatur & sentiat, necesse est à corde sanguinem arteriosum cerebrò suppeditari, ad generationem spiritus animalis, quia sanguis venosus impurus generandis spiritibus istis ineptus est, ob eas igitur causas cor in fœtu moueri oportuit. Id manifestè docet Galenus li. 6. de placitis Platonis & Hippocr. cap. 6. & lib. 6. de vsu part. Si arterias quæ circa vmbilicum sunt, vel laqueo constringas, vel digitis comprimas omnes continuò quę in secundis sunt, pulsu omni atque agitatione vacare conspicies. At si motionis B principium vterus exhiberet, contrarium accideret. Vis igitur pulsifica arteriarum à corde manat. Quidam doctrina & eruditione clarissimi cor in fœtu otiari & quiescere volunt: quia si mouetur ad vitalis spiritus generationem, necesse est illi materiam suppeditari, aërem scilicet & sanguinem. At fœtus vtero conclusus non respirat otiante pulmone, dissimilis quoque vasorum cordis structura, quomodo igitur moueri poterit? Non esse necessarium aërem ad generationem spiritus vitalis multis in locis demonstrauit Galenus, nec potest aër ad cor permeare, cũ nulla sit communio bronchiorum cum riuulis arteriæ venosæ, tantùm inspiratur ad refrigerium pulmonis, qui refrigeratus suam qualitatem inspirat cordi. Scribit Hippocrates lib. de natura pueri fœtum in vtero respirare, quod non crediderim. Respirationis vicem gerit perspiratio: cuius beneficio fœtus per vniuersum corporis habitũ aquarum quibus immergitur, tepidos vapores attrahit, vel potius spiritum ex venis vmbilicalibus per mutuas Anastomoses quas habent venæ cum arterijs. Cuius rei certissimum experimentum affert Galenus lib. 6. de vsu part. cap. vlt. Constrictis vmbilicalibus arterijs mouentur arteriæ fœtus, cessant venis laqueo interceptis. Cum autem natura in fœtu, vt in editis per easdem vias sanguinem cordi subministrare non posset, admirabilem vasorum structuram excogitauit: cuius beneficio cor sanguinem admittit & elaboratum ad vitalitatem partium refundit, & quoniam vmbilicales arteriæ sanguinem arteriosum viarum incommodo & longitudine ad cor deferre non poterat, hunc in iliacas arterias regerunt, qui deinde per aortæ continuitatem ad cordis basim delatus, à valuulis ibi affixis aditu prohibetur, repulsus ad pulmones diuertit, per canalem qui aortam venæ arteriosæ connectit. Cum igitur D cor arterioso sanguine nullo modo fruatur, alia via peruestiganda quæ sanguinem cordi communicare possit, Venæ cauæ truncus superior patentissimo ostio cordi adaperitur vt sanguinem copiosum in dextrum cordis sinum effundat: Iuxta istud ostium foramen satis insigne apparet, quod arteriam venosam contiguam penetrat, ad eum finem efformatum, vt sanguinis venosi portio ad pulmones transmittatur. Sanguis verò venosus dextro ventriculo cordis exceptus per medium septum in sinistrum illabitur, vbi vitalitatis characterem accipit: quem deinde per aortam eiusque tubulos siue ramulos vniuerso corpori distribuit, quo singularum partium fugax viuacitas recreetur. Fœtu in lucem edito eiusmodi vasorum vsus aboletur. Canalis enim exsiccatur & foramen tam exquisitè clauditur, vt talem structuram extitisse neges, quamuis autem suum vsum in alium permutarint, eandem tamen E substantiam retinent quam ab ortu acceperunt. Vena arteriosa propter suam originem ab aorta, arteriæ tunicam retinet, non vsum vt in fœtu. Arteria venosa, quia videtur suum ortum traxisse à vena caua, venæ tunicam seruat, non vsum. Motu quoque & pulsatione caret, etiamsi læuo cordis ventriculo inseratur. Huius rei demonstrationem profert Galenus lib. 7. de vsu part. cap. 9. Si mortuo animali per Laryngem insufflaueris implebis asperas arterias & pulmonem distendi, manifestè videbis, cum interim arteriæ leues magnitudinem suam retineant. Cæterum si fœtus ore non respiret, quî fit vt adhuc ergastulis vteri conclusus vocem eiulantis distinctam emittat, non tribus tantùm diebus ante partum, sed & mẽse & amplius vt pluribus historijs probat Libauius lib. de Vagitu vterino. Albertus Magnus lib. 10. de animalibus & Solinus ca. 3. referunt embryones quosdam plorasse in vtero. Liuius lib.

Ex Galeno lib. 15. de vsu part.

A lib. 24. narrat infantem adhuc in vtero matris Io triumphale clamasse, quod dictum sit aduersus Aristotelem, qui cap. 10. lib. 7. de historia animalium negat fœtum vagire, antequam vtero egrediatur.

DE FACVLTATIBVS ANIMALIBVS.

CAP. IX.

NIMALIS facultas est actio cerebri ad voluntarias functiones edendas, quæ duplex statuitur, princeps & ministra, princeps in tres diuiditur, imaginantem, ratiocinantem, & recordantem: Ministra quoque duplex, mouens & sentiens. Animales facultates principes in fœtu otiantur, ex Galeno libro de formatione fœtus cap. 3. cum nulla imaginationis, nulla cogitationis & memoriæ sit necessitas. Itaque puelli vt corpore sic anima imperfecti nascuntur: quia facultates animæ non ante suo funguntur officio, quàm instrumenta perfecta fuerint. Solæ ministræ facultates agunt nimirum sentiens & mouens. Mouetur enim fœtus in hanc vel illam partem, vigilat quoque & dormit, vt notat Auicennas, quin etiam matris doloribus compatitur, & frigus ventri materno affusa aqua persentiscit, sic enim vitam infantis explorat Cardanus.

Ad sensum pertinent somnus & vigilia, versantur enim περὶ αἰσθητὸν τὸ πρῶτον αἰσθητικόν. Num autem fœtus dormiat & vigilet, controuertitur. Non putat Auicennas fœtum istas functiones adhuc exercere, matres tamen referunt se manifestè percipere vigilantis fœtus motum, eiusque sopiti & dormitantis quietem. Præterea quæritur an Vigilia prius insit Embryoni quàm somnus, Respondet Montuus Embryonem animal non esse antequam sentiat, atqui somnus sensuum quies dicitur, ergo vigilia præcedit somnum. Morionis tempus Hippocrates in maribus constituit tertium mensem, in fœminis quartum. At Fernelius motionis tempora incerta esse pronuntiat, quia siue mas siue fœmina geritur, aliæ prægnantes semper die quadragesimo, aliæ mense tertio, aliæ nonnisi medio gestationis cursu fœtum loco dimoueri sentiunt. Eadem quoque prægnans alias secundo & quadragesimo die, alias quarto mense primos motuum insultus obseruat, cum quasi volitantis muscæ excussionem, vel titillationem percipit. Tanti caussa discriminis non sexui, sed robori, bonæque constitutioni fœtus, vel prægnantis naturæ tribuenda est.

DE PARTV.

CAP. X.

OETVS circa nonum mensem iam factus grandior copiosiore egens alimento & spiritu, diutius concludi non patitur: proinde primum sese conuoluit, caputque declinans pudendo offert crura, ac reliquos artus in sublime distendens. Id autem nonnunquam molitur vno mense ante partum, ac sic se inuertens nihil effringit, quod laxior sit vmbilicus duos plerumque cubitos longus: instante partu ad eam actionem multa concurrunt, Imprimis æqualis fœtus & fœtæ contentio, Fœtus enim actionem istam inchoat, disruptis membranis crebra manuum & pedum agitatione. Vterus partim humoris effusi acrimonia stimulatus, partim puelli pondere grauatus, sua vi expultrice sarcinam istam excutere conatur, suumque orificium, quod per nouem menses exquisitè connixerat, ita recludit vt per id fœtus elabatur. Quomodo id fiat ignorat Galenus & admiratur. Recentiores authoritate Hippocratis & Auicennæ ossium pubis diductionem agnoscunt, quam alij reijciunt nec fieri posse contendunt. Mater verò huic operi non mediocriter opitulatur, cohibito spiritu, contractis intensisque epigastrij musculis.

Secunda naturalis partus conditio est, vt fœtus in caput exeat, cuius figuræ hanc affert rationem Hippocrates, quia superiores puelli partes grauiores sunt ex vmbilico appensæ tanquam ex statera, Adde quod caput primò exiens reliquis partibus viam parat, reliquum enim corpus facilè sequitur qua caput egressum est, Sic igitur fœtus liberè sine vllo partium impedimento prosilit, facie semper ad podicem matris conuersa, ne ab ossibus pubis nasus comprimeretur. In exitu propter lociangustiam, secundas exuit & inuertit, quæ & mox fœtum sequentes vmbilicum foris habere cernuntur. A

Tertia conditio est, vt legitimo tempore prodeat, septimo vel nono mense, nisi enim septimum mensem expectauerit, vitalis esse non potest: nondum post conformationem sufficienter auctis & roboratis partibus. Si igitur istum terminum præuertat, Abortus vel effluxus nominatur, abortus si fœtus dearticulatus appareat: Effluxus si semen liquidum vel coagulatum intra septimum diem excernatur, inquit Aristoteles lib. 7. de histor. animal. quo tempore ad prolem numerosam vitandam conceptum semen eijcere permittit, quod Hippocrates Psaltriæ cuidam meretrici consuluerat, hoc tamen facinus Christiana religio prohibet, & graui supplicio expiat, quia iudice Tertulliano libro de anima, capite 9. procurare ne fœtus nascatur, non solùm habetur pro homicidio, verumetiam pro homicidij properatione. Frequentissimum & ordinarium pariendi tempus est, nonus mensis, si tamen in decimum aut vndecimum protrahatur, nihilominus legitimus erit partus, quamuis Hippocrates statuat decimum mensem terminum gestationis longissimum, At videmus aliquando naturales partus in 12. 13. 14. 15. menses vsque ad biennium incidere, vt innumeris historijs demonstrat Schechius in obseruat. Medi. Fœtus ex vtero in lucem proiectus vitam ab eiulatu auspicatur, cum propter ambientis aëris contrarietatem, tum vt vagitu suo testetur miserrimum vitæ genus quod ingreditur. Fabulosum puto quod refert Plutarchus eos non vociferari quos mater in naui peperit, neque credo fœtum carere vnguiculis, si mater salsioribus cibis vsa fuerit: si talis in lucem prodeat, vitalis esse non potest, authore Hippocr. lib. de superfœtatione. Quidam malè ominantur matri & puello, si ipse vbi in lucem prodierit rideat. Nam Hercule risus præcox ille celerrimus, nulli ante quadragesimum diem datur. Legimus tamen Zoroastem eodem die quo natus est risisse, præsagio futuræ scientiæ. Cutis in puello vsque ad quadragesimum diem rubicunda est, quippe albescit partim aëris inspirati, partim ambientis beneficio. Oculi omnium puerorum statim à partu cæsiusculi sunt, postea mutantur in eam naturam quæ futura est, quod in cæteris animãtibus non euenit, inquit Arist. cap. 1. lib. 5. de generat. animal. Cum nascitur infans, si vena quæ in cubito est pulsauerit, furiosus ille & iracundus euadet, si sensim mota fuerit, lentus. Hipp. lib. 2. epid. B C D

VTRVM IN PARTV OSSA PVBIS distrahantur.

CAP. XI.

VÆSTIO est inter Anatomicos valde controuersa, dum rationibus certatur neglecta experientia, quæ sola hanc litem potest dirimere. Ad eam igitur tanquam ad veritatis tribunal prouoco, sed prius rationes quibus istorum ossium diuulsio eluditur proponam, Iisque paucis satisfaciam, Si ossa pubis in partu laxarentur, frustra natura hæc à virilibus in peluis capacitate, atque exitus spatio differre voluisset: sunt enim ossa Ilium in mulieribus ampliora, eorumq; costa longius ad latera exporrigitur. Pubis ossa breuiora linea inter se committuntur, & inferni partes sub ipso connexu magis à se inuicē distant, quod spatium à Cordæo Crena vocatum, eo fine conditum est, vt partus tempore vretra eò se reciperet, ne ab exeunte puello læderetur. Mulieribus Ischij spina antror- E

sum

A ſum reflexa, peluis exitum ampliorem, quàm in viris efformat, & ne capitis magni-
tudo partum remoraretur, Natura quibuſdam ſuturis frontem & occiput donauit
quarum beneficio in vteri limine caput anguſtarum faciliùs erumpit. Præterea non
eſt veriſimile oſſium compagem firmam & ſtrictam laxari, quæ ſcalpello acutiſſimo
vix poteſt ſeparari. Quod ſi oſſa pubis in partu abſcederent, id tactu facile eſſet ex-
plorare & ab ea relaxatione mulieres claudæ impotentes redderentur, ſcribit Hip-
pocrates lib. 3. de fracturis, Oſſa quę bina inter ſe coniunguntur vbi dehiſcunt, non
facile in priſtinum locum redeunt, ſed neceſſe eſt oſſibus ſic diductis partem reddi
tumidiorem, His & ſimilibus rationibus oppugnatur oſſiū pubis relaxatio. Quibus
ita breuiter reſpondeo. In oſſium pubis & ilium conformatione naturæ erga mulie-
res ſingulare beneficium apparet, quæ omni arte parturientium doloribus proui-
B dit, oſſium pubis ſymphyſim ad partus facilitatem laxari voluit, plures ſuturas in
fœtu non eo fine conſtruxit, vt caput in partu contractius euaderet. Magna oſſa ca-
pitis ex varijs partibus compoſuit, quæ integra & continua efficere non poterat.
Fateor quidem in viris cartilagineam copulam oſſium pubis duram eſſe, quę tamen
ſi culter per copulā exactè ducatur nullo negotio ſeparatur. At in mulieribus mol-
lior eſt, & in grauidis paulò ante partum vnctuoſo humore imbuta craſſior. Tactus
& viſus manifeſtè percipiunt oſſium pubis diuulſionem. Nam ſi puerperæ mulieris
alterum crus attollas, ſpinam oſſis pubis alteri eminere conſpicies. Quod obijcitur
de claudicatione falſum eſt, & locus ille Hippocrat. cubiti & radij diuulſione intel-
ligendus, quæquidem oſſa ab inuicem diſtracta difficillimè reuniuntur & copu-
lantur. Supereſt authoritate & experientia rei veritatem confirmare. Non adducam
C in medium Hippocratis & Auicennæ opinionem omnibus notam. Authores alios
appellabo, imprimis Aetium qui tetrab. 4. ſerm. 4. cap. 22. ſcribit oſſa pubis nimium
conſerta pariendi difficultatem facere, dum in partu dilatari non poſſunt, neque e-
nim velut in viris ita in mulieribus oſſa pubis conſeruntur, ſed forti copula conne-
ctuntur. Iacobus Carpus in ſua Anatome Aetio fauet, oſſa ancharum in pectine a-
periuntur ſeu ſeparantur ab inuicem in partu naturaliter cum alio tempore ſint fir-
miſſimè vincta. Idem ſtatuit Alexander Benedictus libr. 5. ſuæ Anatomes capit. 3.
quo tempore fœtus amplior eſt, ſponte hiant, & ad fœturam conſentiunt. Pecten,
addit & os ſacrum, Ea tum à partu paulatim in naturam ſuam redeunt: altero ex ijs
vel pluribus renitentibus partus difficiles fieri, & ſi cætera tutò reſpondeant. Sub-
iungit Ariſtoteles teſtimonium, Cum mulieres, inquit, parturiunt dolores, multas
quidem in partes incumbunt, & plurimis ad alterutrum femur, aliæ lumbos dolent,
D aliæ imum ventrem. Syluius in Iſagoge Anatomica ſcribit in recens fœtis aut par-
turientibus cartilaginem oſſa pubis connectentem molliorem eſſe & laxiorem, vt
vi parua ſecando facilè ſeparetur. Fernelius lib. 6. Pathol. inter cauſas difficilis par-
tus recenſet oſſium pubis firmiorem compactionem, quamuis lib. 7. Phyſiologiæ
cap. 10. neget contra Auicennam in partu oſſa pubis diduci, ſed in ſuis opinioni-
bus inconſtans fuit Fernelius, & interdum eorum quæ ſuſtinuit obliuiſcitur, vt
cum agit de mola lib. 7. Phyſic. ſine maris congreſſu generari aſſerit. At lib. 6. de
partium morbis ſibi contradicit, atque nullam vnquam viſam fuiſſe mulierem ſine
mare molam concepiſſe aſſeuerat. Galenus quidem admiratur infantis exitum,
quod nulla vulnerata particula, neque membro exarticulato prodeat, ſed non im-
probat oſſium pubis relaxationem. Gorræus commentar. ad hunc locum Hippo-
E cratis lib. de natura pueri, Mulieres in partu toto corpore laborant vehementiſſi-
mè, & maximè lumbos coxaſque dolor occupat, ſiquidem coxæ illis diducuntur.
Notat quidem laxari iuncturas non exarticulari: Solui tamen iure dici poſſunt,
quod ſumma illa diſtentio ſpecies quædam ſolutæ continuitatis eſſe videatur, Sed
quid opus teſtibus in re tam manifeſta? ſola experientia fidem faciet, cui medicus
plus debet tribuere quàm rationibus. Ter vidi præſentibus Medicis & Chirurgis,
cartilaginem quæ oſſa pubis colligat digiti latitudine diductam: Non probo Paræi
opinionem, qui lib. de generat. hominis ca. 13. negat oſſa pubis in partu diſtrahi,
cum tamen admittat diuulſionem oſſis iliū, ab oſſe ſacro, quæ difficilior eſt, poterit
hæc cōtrouerſia ipſo ſēſu cōponi, accipe perfectæ mulieris oſſa iliū antè inter ſe per
Simphyſim & retrò oſſi ſacro iūcta. Si per hoc foramē ampliſſimū caput infantis re-
cēs nati libere traducatur, fatebor oſſa pubis nō diduci: alioquin ſuſtinebo nō ſine

maxima ossium pubis dilatatione fœtum egredi, quia spatium illud angustius reddit caro circumiecta. A

COMPARATIO PERFECTI FOETVS humani & infantis cum perfecto homine, in qua ossium & partium internarum discrimen declaratur.

CAP. VLTIMVM.

GALENVS in re difficili ab Hippocratis dictione tanquam à Deo B voce semper auspicatur. Ab eo igitur imitatione Galeni nostri sermonis ducam initium.

Ex Hipp. li de natura pueri. Conformatio fœtus eo procedit ordine, vt primùm carnes, deinde ossa generentur, quæ tum duriora fiunt & excauantur virtute spirituum, cum fœtus in membra distingui digeriquè incipit. Vbi autem ossa cauitatem adepta sunt, attrahitur è carne quicquid pinguissimum est. Ac quemadmodum summa arborum postrema scinduntur & diriminuntur in ramos, sic tandem extrema ossa finduntur, digitique puerorum in manibus & pedibus à se inuicem abscedunt. Ac demum extremis eorum partibus vngues adnascuntur.

Ossa quorum vsus est in fœtu necessarius prima apparent, cuiusmodi sunt, costæ, C maxilla inferior, clauis vtraque, os hyoides, femora, tibiæ, brachia; quæ omnes partes in fœtu quadragesimali osseam duritiem habent, quia his opus habet infans cum primum in lucem editus est, ad deglutitionem & inspirationem. Aristoteles Rachim omnium ossium principium esse statuit. Et Columbus in publico theatro demonstrauit, Rachim primam ex ossibus conformari, vt sit reliquorum fundamentum. Cætera ossa cartilaginea sunt, vt sternum, maxilla superior, extremæ manus & pedes; Ossa tamen ilium, scapularum, & os sacrum, & quæ lata esse debent, iam aliquod in medio rudimentum ossis habent. Grandiora enim ossa non ab extremitatibus, sed à medio sui corporis osseam naturam acquirunt. Inde versus fines producuntur, donec istam magnitudinem obtinuerint. In principio nullæ Apophyses & Epiphyses apparent. Crescente fœtu Apophyses emergunt cartilaginosæ, quarum nullæ nisi exacto biennio in ossa perfectissima degenerant. Ista mutatio cum fiat calore per motum & attritum articulorum in pueris ambulantibus excitato, non incipit ab osse, cui connectitur, sed à centro vbi primum acquirit soliditatem, inquit Vesalius, in exam. obseruat. Fallopij. Verum hæc naturæ arcana coniectura potius quàm αὐτοψίᾳ & scientifica demonstratione cognoscuntur, cum nemo operantem naturam inspexerit. Quomodo ignoras, inquit, Ecclesiastes, quæ sit via spiritus, & qua ratione compingantur ossa in ventre prægnantis, sic nescis opera Dei qui fabricator est omnium. D

Cum autem prisci viderent partium informationem non esse opus humanum atq; ex ossibus reliquarum partium figuram dependere, quandam Deam fecerunt, cœloque locarunt, quæ ossium curam susciperet. Dea inquit Arnobius lib. 4. quæ durat & solidat infantibus paruis ossa, Ossilago, ipsa memoratur. E

Galenus lib. de formatione fœtus capit. 3. scribit cerebrum, & quæ ad faciem spectant omnia postrema formari, quo tempore brachia & crura absolutam iam distinctionem acceperunt, & omne etiam quodcunque membrum ad perfectam constitutionem peruenit. Nam capitis os post omnia alia ossa concrescere perspicuum est, cum adeo tenue sit & imbecillum circa syncipùt, vt per ipsum in lucem nuper editis infantibus cerebri agitationem, non solùm tactu, sed etiam visu percipiamus. Galeni opinionem falsitatis conuincit experientia, quæ docet, caput cum reliquis partibus conformari, & in quolibet formationis tempore semper reliquis partibus grandius apparere. Proinde iure Albertus Magnus libro quarto de Anima. scripsit, Hominem in vtero

A ro solam habere capitis magnitudinem: forsan legerat apud Aristotelem libro secundo de generatione animalium, capite 4. & quarto de partibus cap. 10. pueros esse in vtero pumiliones quia caput habent proportione sui corporis valde magnum, contrà quàm in brutis animantibus accidit, quæ in vtero partes superiores inferioribus maiores habent: quia vbi natæ sunt, pedibus indigent ad victum quærendum. Cur autem homini caput cæteris partibus grandius natura concesserit, hanc affert rationem Mercurialis. Caput sedes est animæ, quæ simul atque corpori infunditur suum domicilium architectatur, exornat & amplificat, quod tamen ad tertium vsque mensem malè figuratum cernitur, simile prorsus simiæ capiti, quale vidit Volcherus Coiter in abortiuo fœtu qui vix longitudinem digiti æquabat, caput erat pro ratione corporis valde magnum, oblonga figura, simiæ capiti non dissimile. Obseruauit Fernelius in fœtu quadragesimali caput par auellanæ, manus quàm pro reliqui corporis ratione. Fœtus in lucem editus eam ferè
B capitis magnitudinem per annum retinet, quam secum attulit in mundum, sed ossa quæ ante partum erant tenuia & mollia sensim indurantur, excepta parte illa superiore capitis ad concursum futuræ sagittalis & coronalis, quæ membrana est, nec ante induratur & in os mutatur, quàm cerebrum siccius euaserit: & si credimus Aristoteli non corroboratur ante primum sermonis exordium, ista pars vulgo fontanella dicitur, Aristoteli βρέγμα, à Plinio palpitans vertex nominatur, quia vni homini infantia palpitat, Zoroastro tantum palpitabat, vt impositam manum repelleret futuræ præsagio scientiæ. Plin. libr. 7. cap. 16. Capitis os quod caluariam vocant sero admodum induratur, quia sensim feruidi fumidique
C vapores exalant: quod nulli ex cæteris animantibus sanguine præditis, præterquam homini euenit. Aristo. lib. 2. de partib. Animal. cap. 7.

Ossium capitis Symphyses tam laxæ sunt & hiantes vt harmoniam potius quàm suturam referant, Sagitalis semper ad summas nares excurrit vsque ad septennium. Os frontis in duas partes separatur, & interdum os occipitis, si linea sagittalis à summis naribus rectà secundum capitis longitudinem ad spinalis medullæ foramen descendat authoribus Vesalio & Syluio. Quod pernegat Fallopius in obseruat. Anatom. Admittit quidem in iis qui nondum semestre vitæ spatium excessere, os occipitis in apice quamdam diuisuram obtinere, quæ nunquam ad spinalis medullæ foramen peruenit. Temporum ossa suturam habent, quæ squammosam partem à lapidosa disterminat. Lambdoidis sutura varia est & multiplex, occipitale os vt plurimùm in quatuor partes dirimens: prima est ma-
D ior & superior, secunda & tertia foraminis magni latera efformant, continentque coronas, quarta additamentum illud constituit quod sphenoidi committitur. Ex pluribus ossibus conflatum fuit occiput, vt ex eorum interuallis cartilago efflueret quæ instar ligamenti caput primæ & secundæ vertebræ connectit: Ossa syncipitis integra sunt nisi quod superiore parte ad concursum sagittalis & coronalis hiatum insignem relinquunt, quem fontanellam nominari diximus.

Ossa temporum manifestè secernuntur in lapidosas & petrosas partes, quarum in fœtu diuersa est compositio: Nam meatus auditorius in osse petroso exsculptus totus est cartilaginosus, quemadmodum & osseus iste circulus cui tympanum alligatur, qui sine coctione facilè separatur.

Officula tria nimirum incus, malleolus & stapes, sunt siccissima & durissima,
E æqualisque magnitudinis atque in adultis.

Mammillaris processus nondum apparet, neque adhuc styloides apophysis cernitur.

Quarta apophysis ossis temporum quæ intra caluariam consistit, in puerulis ab osse squammoso prorsus secernitur, & acie cultelli facilè auellitur, suaque sede dimouetur: vt etiam in adultis indicat diuisionis rudimentum.

Os ethmoides totum cartilaginosum est, cuius medium cristatum primò fit osseum.

Os sphænoides quatuor partibus coalescit, quæ non sunt ita obscuræ, quod voluit, Falloppius vt prorsus obliterentur. Duæ ossis partes alares processus constituunt, tertia neruis opticis traiiciendis destinatur, quarta sellam equinam continet. Sinus in osse frontis, antro sphenoidis, & maxilla superiore nulli sunt, quo-

niam hæc ossa à primo ortu solida generantur, vt materia extendendis & amplificandis ossibus præsto esset dum cerebrum augetur. A

Inferior maxilla per harmoniam in duas partes diuiditur, quæ tandem coalescunt peteunte harmonia.

Palatum in pueris ex quatuor ossibus construitur, quæ disterminant tres suturæ; sunt enim duæ transuersæ, quarum vna ad vtrumque caninum dentem producitur, quam Vesalius & Volcherus in pueris tantum patere volunt, in adultis aboleri, quod falsum docet αὐτοψία.

Altera sutura in fine palati iacet inter apophyses, pterygoides, & dentem postremum, quæ interdum in maioribus craniis reperitur.

Dentes formati intra gingiuas latent & eo modo perficiuntur, quem ex Eustachio recitaui, sectione de ossibus.

Ossis hyoidis basis affea spectatur, vt fulciret linguam, & deglutionis organa firmaret, cornua vero sunt cartilaginea. B

Omnes vertebræ à ceruice vsque ad coccygem numerando, per integrum annum ex tribus portionibus conflantur, prima corpus vertebræ, reliquæ duæ foramini latera constituunt, atque processus cartilagineos expromunt. Nonnunquam prima ceruicis visa est Fallopio quinque partibus constructa, Secunda vertebra præter illas tres portiones omnibus vertebris communes, quartam habet nempe epiphysim odontoidem. Coccix cartilagineus vsque ad septimum annum permanet, quo tempore osseus euadit.

Costæ omnes sunt osseæ, versus extrema cartilagineæ.

Scapularum ossa à quibus brachia dependent perfecta cernuntur, in ambitu nonnihil cartilaginea, cuius naturæ sunt acetabuli labra & ancyroides epiphysis. C

Sternum constat ossibus mollibus cartilagine multæ inter se disiunctis, quorum septem totidem costas excipiunt, Octauum os ingratiam cartilaginis xyphoidis fuit conditum. Hæc ossa vsque ad septennium distincta manent sensimque solidiota redduntur. Celeriùs ossium speciem superiores quàm inferiores, & mediæ secundum latitudinem citius quàm extremæ partes assumunt. Humeri processus inferni sunt cartilaginei, huiusque naturæ particeps est trochlea quæ citissimè in os conuertitur.

Cubiti duo processus qui trochleæ obuoluuntur, in edito fœtu apparent cartilaginei, sed anterior citiùs induratur, posterior olecrânon dictus ad septennium manet cartilagineus.

Carpi ossa dum fœtus nascitur ex vna cartilagine conflantur, cum osseam duritiem acquirunt à se inuicem separantur. Octauum os carpi postremò fit osseum. D

Ilij ossa in pueris ad septennium ex tribus partibus componuntur, quas veteres Anatomici propriis nominibus designatunt.

Tres processus superni femoris, nempe caput & trochanteres duo in puerulis & recens natis facilè separantur, inde cognosces epiphyses esse, quæ progressu temporis in apophyses degenerant. Processus etiam inferni femoris sunt cartilaginei, quemadmodum in tibia & fibula. Patella in principio tota cartilaginosa est, & pluribus mensibus talis permanet.

In pede omnia tarsi ossa ad plures menses vt in carpo cartilaginea sunt, excepto calcis osse, quod in medio quid ossei ostendit.

Nec tantum ossa fœtus & infantis ab ossibus perfectorum hominum differunt, verumetiam partes internæ, structuræ varietate plurimum inter se discrepant. Ventriculi anteriores cerebri priori parte pueris quàm plurimis, aliarum ætatum paucis, in foramina ethmoidea peruij sunt. E

Ex Galeno. Pulmo totus est ruber, quia non mouetur, nec aerem inspirat: Motu enim & aeris influxu albescit.

Vasa cordis in fœtu aliter constructa sunt, aliisque officiis inseruiunt, vt in historia fœtus demonstraui. Vasa habet fœtus in ventre inferiore dicta vmbilicalia, quæ magnum vsum & commoditatem illi præstant, cùm vtero gestatur, vt in historia fœtus declaratum est.

Iecur sua magnitudine vtrumque hypochondrium opplet.

Eustachius Renes glandulosi sunt instar pineæ nucis, ex pluribus glandulis conglobati.

Vesica

Vesica magna est in fœtu ventriculi ambitum tripla magnitudine superās, Paulo aliter constructas partes internas multiplici fœtuum dissectione deprehendi
A anno Domini 1605. fœtum circiter semestrem ab obstetrice ablātum accurate dissecui, Omnibus externis partibus perfectus & absolutus erat, iam os erat discissum, patebant nares, aures foris descriptæ, sed nondum perforatæ. Palpebras vnitas obseruaui vt in talpis, subrus oculis optimè conformatis, quos tamen in fœtu quadrimestri iam apertis palpebris videram. Latebant intra peritonæum testiculi inguinibus proximi. Vesica dura & solida erat, sed exigua cauitate prædita. Ourachum fili crassitie magnum notaui. Renes pineæ nuci similes ex pluribus glandulis conglobatos vidi. Manifesti erant oureteres. Iecur sua amplitudine vtrumque hypochondrium occupabat. Vena vmbilicalis in venam portam inserebatur, & ventriculus parte sua superiore huic venæ adhærebat mucoso humore distentus. Tenuia
B & superiora intestina liuida erant ratione humoris nigricantis contenti. Ampliora crassis intestinis quæ humore albicante turgebant, pulmones candore niuem superabant, atque ipso iecore solidiores apparebant. Cordis substantia rubicunda erat, minus tamen quàm in adultis, & auricula sinistra cordis, dextrâ (quæ tota albicans est) amplior apparebat, maioremque sanguinis copiam continebat. Anno Domini 1608. vidi fœtum vnius mensis, quem malum germen adhærens suffocauerat. In eo partes omnes externæ iam descriptæ & conformatæ erant, quæ tamen non apparebant nisi merso in aquam fœtu. Tum licebat intueri oculos duobus punctis nigris designatos, pro auribus duo apparebant foramina, ipsis oculis inferiora: Os iam patebat, tota manus perfecta erat, in digitos secta, pedes tamen erant imperfecti, breuiores manu, nec in digitos fissi. Inter femina rimulam obseruabam, quæ
C locum vuluæ referebat: Internæ partes obscurè visebantur. Vmbilicus imo ventri inserebatur, radix dorsalis (per quam placenta tenuis adhuc alterutri angulo vteri appenditur) opposita erat Vmbilici radicationi. Chorium totum carnosum spectabatur, eiusdem substantiæ cum placenta: cuius substantiæ aliquid retinet cum dilatatur in eam amplitudinem quæ cernitur in partu. Placenta chorij portionem constituit & absoluit, vt in dissectione grauidarum obseruaui. Anno sequenti alterum fœtum inspexi bombycis magnitudine, eique figura planè similem, exceptis artubus qui velut filamenta candida, è trunco corporis explantata apparebāt. Manus quidem in digitos diuisa erat, pedes autem integri. Suis tunicis inuolutus erat, aquæ flauescenti circiter ad vncias tres immersus. Corporis vero superficies muco velut albumine oui obducta, quæ cultri cuspide sublata, mēbranæ speciem refere-
D bat. Totus vmbilicus mucosus erat, ex tribus filamentis conflatus, quæ membrana circumdabat à chorio propagata. Caput reliquo corpore grandius apparebat. Pro oculis bina foramina, quibus interiectum erat spatium naso destinatum. Aurium foramina oculis paulò inferiora. Quæ quidem omnia non nisi fœtu in aquam merso conspiciebantur. Cæterum id in membranis notatu dignum obseruaui: Chorij dimidiam partem carneam & rubeam, Alteram mediocriter candidam extrinsecus tomentosam, ob radicamenta venarum & arteriarum, quibus interfusus sanguis concrescit in eam molem carneam, quæ placenta dicitur. Chorij vero portio carnea & rubicunda sensim increscens vsque ad septimum mensem, in membranam crassam & candidam degenerat, qualis spectatur in secūdarum excretione. His finem facio, quod decursa & planissime exposita iam videantur omnia,
E quæ ad historiam humani fœtus Anatomicam pertinent.

FINIS.

[illegible]

Procul his in [illegible] quibus [illegible]

[illegible] oculi [illegible] inferiora [illegible]

[illegible] ad dimidiam partem carnis [illegible]

[illegible] carnea & rub[illegible]

[illegible]

IOANNIS RIOLANI

AD

FERNELII LIBRVM DE ELEMENTIS

COMMENTARIVS.

PRAEFATIO AD IO. MAZILIVM, ARCHIATRVM REGIVM.

VIX dum emerseram è subselliis medicorum, & scholę difficultates interrogando vicissim & respondendo, toto biennio superaram (medicorum decus Mazili) cùm de medicina docenda cœpi cogitare: Quærenti autem mihi quis autor potissimum deligendus esset, qui summa totius medicinæ capita, breuiter, & perspicuè complexus esset, nullus occurrit qui fœliciùs hoc perfecerit, quàm popularis noster Fernelius, quem propter singularem doctrinam ad imitationem mihi ipse à primis annis proposui. Hic enim, vt scis, Philosophiam exulantem veluti postliminio reuocauit, & rediuiuam excitauit: Cúmque cæteri, ferè, ex lacunis tantùm haurirent & vix vmbram physicæ aspicerent, Ille vnus ad solem oculos erexit, & fontes ipsos adiit, ex quibus amœnissimos suæ medicinæ hortulos irrigaret: quæcunque ab alijs omissa, vel negligentiùs tractata, vel copiosiùs disputata sunt, in artis corpus tam ingeniosè coegit, verbis tam benè lectis & signatis omnia docuit, vix vt scias in eius scriptis vtrum magis admireris sermonis elegantiam, an rerum scientiam: quibus in Remp. literariam meritis & officiis, nostræ patriæ est laudi, exteris omnibus admirationi: ausímque hoc ad eius commendationem addere: vt Neocles in vterum matris Epicuri omnes atomos sapientiæ vndique concurrisse dicere solebat: Ita naturam rariores suas dotes in vnum Fernelium tam liberali manu profudisse, vt nihil habeat hæc ætas, quod antiquioribus seculis possit inuidere. Hunc igitur præ aliis enarrandum suscepi, nec non auxi Commentariis quos in aliquot annos premo, ne audaciæ suspicionem incurram: audax enim facinus molitur, qui tanti viri inuenta illustrare, audacius, qui nouis illum conatur exornare. Interea hunc veluti emissarium in vulgus effero, vt ipse post tabulam delitescens, coniiciam de cæteris quodnam sperare possim iudicium: quem tibi imprimis nuncu-

po, non vt nominis tui fauore à Zoilorum calumniis sit tutior (neque A enim curo quid quisque dicat) sed vt viris bonis & doctis, inter quos, vt sol inter stellas, refulges, per te sit commendatior, nemo Fernelio similior: Vos communis patria coniunxit, æqualis doctrina ad parem fortunam, & quem summum optare potest medicus, æqualem dignitatis gradum euexit. Horis succisiuis, dum respiras à seuerioribus musis, si ad hæc nostra animum conuerteris, audentiùs cæteros quotidianis vigiliis cultiores emittam. Viue diu & vale.

B

COMMENTARIVS DE ELEMENTIS.

QVID ET QVOTVPLEX MEDICINA.

Sextus Empiricus aduersus Mathematicos.

MEDICINA ἰατρικὴ primum dicta est ab ἰῶν, id est, venenis, acsi tota in alexipharmacis consisteret: Cœpit tandem latiùs fundi, & ex subiecto, C Ars salubrium, insalubrium, & neutrorum definiri. Ex fine: Ars sanitatis seruandæ, præseruandæ, vel restituendæ: Quam definitionem mirificè commendat Auenrois. Fiet tamen perfectior, & numeris omnibus complebitur vtriusque coniunctione, hoc modo: Medicina est ars quæ homines sanos seruat, neutros præseruat, ægros sanat. Inde medicinæ practicæ tres partes consurgunt, ὑγιεινὴ, προφυλακτικὴ, θεραπευτικὴ (qua pharmaciam & Chirurgiam comprehendo) omnibus communis est διαιτητικὴ, quia tam sanis & neutris, quàm ęgris necessaria: quibus si theoriam vt rationem experientiæ adieceris, medicinæ corpus perfeceris: Appello medicinam contemplantem, quæ hominis naturam & affectus considerat: quæ naturam, Physiologia dicitur, quæ affectus, Pathologia: huic subsunt Aitiologia, quæ affectuum causas, & σημειωτικὴ, quæ eorundem signa exponit. D

Adiectio deficientis, amotio exuperantis Hipp.

6. cap. 1. Methodi.

Verùm, quærat aliquis, in his partibus medicinæ docendis quis ordo tenendus? Respondeat Galenus: Omnes philosophi qui propter naturę scientiam olim sapientes dicti sunt, vno consensu affirmant, non esse accedendum ad curationem morborum non cognita prius humani corporis natura, quam Physiologia ex professo exponit. Non enim hic scientia est corporis naturalis, sed humani corporis angustiis circunscripta: non quatenus mobile vel naturale, sed qua ratione est sanum vel ægrum. Sic ergo finiatur: Physiologia est ars quæ hominis sani vel ægri continentia, contenta, & impellentia contemplatur: appello continentia, partes & earundem elementa, ex quorum mixtione emergunt temperamenta: contenta verò, humores: impellentia, spiritus & facultates: facultas enim impellit, spiritus impulsionis minister est: His veluti finibus vniuersa Physiologia concluditur, de quibus ordine disseremus ducto E initio ab elementis.

SCHOLION.

GALENVS duobus modis medicinam docuit, copiosè, & compendiosè, ea enim quæ infinitis libris diffusè scripserat in compendia contraxit. In arte parua, libro de constitutione artis, in libellis Isagogicis, duobus libris ad Glauconem: vt quemadmodum Cosmographi vniuersi ambitum exigua tabella concludunt, sic totius medicinæ rude quoddam exemplar ob oculos poneret. verum in istis compendiis plurima desiderantur, Asiatico enim Galeno non facile fuit tam multa paucis complecti: Fernelius medium tenuit docendi modum, neque enim tam prolixus est quàm Galenus in macrologis

gia, neque tam concisus quàm ille fuit in micrologia: attamen medicinæ corpus omnibus partibus completum non reliquit: nam in eius medicina ὑγιεινὴ desideratur, neque simioticem omnibus numeris absolutam dedit, quia prognoseos vix meminit in qua præcipua laus & perfectio medicinæ: neque diagnosim satis accuratè explicauit, quandoquidem dignotio morborum non tantum ex pulsu, & vrina sumitur, sed etiam ex deiectionibus, sputis, sudoribus, respiratione: quorum nullam fecit mentionem: quinimo criseon & dierum criticorum non meminit, quibus nil occurrit in docenda & facienda medicina frequentius; hunc defectum suppleui in medicinæ compendijs. Instat vt de medicinæ præstantia aliquid præmittam proemij loco: Artes autem potissimum commendantur à subiecto vel à fine. Atqui homo est subiectum proprium & adæquatum medicinæ, subiectum reductionis in cuius gratiam de mixtis omnibus, mineralibus, plantis, animalibus, & eorum partibus, in artis progressu disseritur, quo nihil habet præstantius mundus sublunaris, est summum naturæ opificium, animal plenum consilij & rationis: Solus discurrit, solus numerat, solus habet manus, instrumenta sapientiæ, solus est erecto in cœlum vultu, vt solus cœlos & cœlorum motorem contempletur. finis sanitas: quam qui negat esse rem pretiosissimam, inquit Hippocr. non sapit. Quæret hîc aliquis, ad quam partem medicinæ pertineat doctrina simplicium: An debet venire ad scholam medicorum candidatus medicinæ, iam instructus historia plantarum, animalium, & fossilium? Physici enim vt Arist. & Theo. hanc materiam accuratè descripserunt: vt autem Plato præ foribus suæ scholæ inscribebat, Nemo huc ingrediatur ignarus geometriæ, ita possunt medici eos qui suæ artis mysterijs initiari cupiunt statim in limine admonere, Nullus imperitus physicæ huc ferat pedem. Vbi enim desinit physicus, incipit medicus: medicina est ars subalterna physicæ: primò quia conclusiones Physicæ sunt principia medicinæ: Quæ demonstrauit Physicus medicus assumit, tanquam certa & indubitata: Secundò: quia subiectum medicinæ est tantum particula subiecti physici, nempe corporis naturalis: An potius corpora physica considerant medicus & physicus, sed ratione longè diuersa: Physicus absolutè & per se, medicus prout sunt alimenta, aut medicamenta, in libris simplicium considerantur vt medicamenta, in libris de alimentis boni aut mali succi, vt alimenta. Fernelius in Physiologia eorum non meminit, sed in libris Therapeuticis de omnibus qua ratione prima, secunda, tertia aut quarta qualitate nos afficiunt copiosè tractauit.

DE ORIGINE ET ANTIQVITATE medicinæ pauca obiter.

ALIVD *est remediorum, aliud medicinæ originem quærere: Remedia enim connata sunt mundo: nam quid aliud est mundus quàm sylua remediorum? Quocunque te vertis occurrunt infinita remedia: Nihil est quod homo non referat ad vsum suæ vitæ. Cùm itaque materiæ ineuitabili necessitate sit obnoxius morbo, partim quòd constet naturis contratrijs, partim quòd illum circunstat aër, qui contrariarum qualitatum vicissitudine illum immutat: Natura autem belluas doceat suos morbos curare: quis dubitet non tantum illa magistra, sed etiam suadente ratione proximos parentes quoties morbis vexabantur, toties ex isto penu prompsisse remedia: Natura, quæ φιλάνθρωπος perhibetur, bestijs patefecit remedia, hominem celauit? profectò quo propius primi parentes ad originem mundi accedebant, eo paucioribus morbis torquebantur; & remedia habebant puriora, vtpote elementorum mutua transmutatione minus inquinata, eáque acutius quàm nos agnoscebant.*

Credibile est ipsos pariter dictisq; iocisq;
Altius humanis exeruisse caput.

Sed quis eorum tantam remediorum copiam primus in artem redegerit non est facile diuinare. Attamen verisimile est Ægyptios longe ante Græcos medicinam excoluisse, illi enim ab Aristotele omnium bonarum artium primi inuentores perhibentur: Artes autem quædam sunt necessitatis, vt effectiuæ, aliæ commoditatis, vt actiuæ, aliæ honestatis vt contemplatrices: medicina si vsum spectes est effectiua, proinde necessaria, itaque probabile est illam ab Ægyptijs primùm fuisse inuentam, Accedat amœnitas cœli, & soli fertilitas, luxuriat enim Ægyptus copia plantarum, quæ illos, operum naturæ diligentissimos scrutatores, ad sui studium inuitabat: neque dubito ante Æsculapium Græcis cognitam fuisse medicinam, sed primorum medicorum perijt memoria, propterea quod non fuit scriptis mandata: Græci ab Æsculapio primam originem medicinæ repetunt, quod nullus qui prior in ea excelluerit historiarum fide celebretur: Hippocrates remedia quæ ab illis acceperat primus in artem coegit, & singulis morbis singula remedia accommodauit, propterea non immeritò primus autor medicinæ perhibetur.

PARTIVM MVLTIPLEX DIVISIO.

CAP. I.

Differitur primùm de parte quia elementum est pars mixti.

VINTO philosophiæ ea propriè dicuntur vnum, quorum est vna substantia, continuatione, forma, vel ratione: vt autem mundus causa partium, cùm primarum, cœli scilicet & elementorum, tum secundarum, seu mixtorum, varius admodum & dissimilis apparet: omnino tamen & perfectè est vnus. Ita corpus humanum, partibus penè infinitis diuiduum & multiplex, earum harmonia, continuatione, atque etiam vnione formæ, vnum est & simplex.

Partes verò sunt homogeneæ vel heterogeneæ, si mauis, ὁμοιομερεῖς vel ἀνομοιομερεῖς, similares, aut dissimilares. Similares vocantur, quæ in similes, eiusdémq; rationis partes diuiduntur. Natura ex elementorum varia mistione homogeneas primum facit, deinde ex illis heterogeneas. Artifex verò compositum in heterogeneas primum diuidit, deinde in homogeneas, in quibus quoniam dissectio conquiescit (sunt enim primæ partes totius integrantis) humani corporis elementa non raro nominantur.

Diuiduntur etiam in simplices & compositas: hæ vt notiores sunt nobis, quia primùm sensibus occurrunt, ita dignitate priores: Natura verò, causa, origine & tempore, secundæ, quia ex simplicibus veluti ex materia constantur. Vnde soluitur illa quæstio: An actio prius & potius conueniat parti similari quàm dissimilari, simplici an compositæ: quia enim, vt materia ad formam, similaris refertur ad dissimilarem, functiones primò per se dissimilaribus conueniunt.

Sunt qui aliter partes diuidunt in organicas & similares, quibus ego sic resisto. Membra eiusdem diuisionis, quia contraria & ex aduerso posita, numquam simul de eodem affirmari possunt. Atqui eadem pars, vt vena, causa materiæ, similaris (materia enim ad sensum simplex & similaris est, cùm re vera sit composita ex dissimilibus naturis) ratione figuræ est organica, sola enim conformatio facit instrumentum. Malè igitur partes his differentijs diuiduntur: diuidendæ sunt potiùs in organicas & informes, nil enim refert si organicam dixeris an formatam, quia instrumentum, siue sit artis, seu naturæ, in alterius vsum destinatur: propereáque Aristoteles illud docet definire vsu & officio potiore, vt manum apprehendendi, linguam non gustandi (hoc enim vilius est) sed loquendi instrumentum. At vsus requirit materiam certo modo conformatam, quo sublato desinit esse instrumentum. Sunto igitur partes organicæ aut informes. Possunt etiam partes diuidi ex materia in spermaticas & sanguineas. Ex officio, in communes & priuatas: appello priuatas, quæ sibi natæ sunt: Communes quarum publicum est officium, vtile speciei, vt testium, vel indiuiduo, eique vel toti: vt cordis, hepatis, cerebri, vel alicui tantum parti, vt venæ mesenterij, hepati: illæ, partes principes dicuntur, hæ, principum ministræ: quæ diuisiones sunt huius artis magis propriæ, quia superioribus corpus physicum, his hominis corpus diuiditur.

Diuisio Fernelij.

SCHOLION.

HYSIOLOGIA *est scientia rerum naturalium: Appello hîc res naturales, non quæ natura constant, hoc est materia & forma, sed quæ hominis naturam constituunt, in his primas tenent elementa, primæ & simplicissimæ partes mixtorum. Propterea pars diuiditur primum, deinde definitur: Sed cur diuiditur priusquam definiatur? quia omne omonymum prius diuidendum est quàm definiatur: partis autem nomen est omonymum, quia propriè pars est totius integrantis, per similitudinem transfertur ad totum vniuersum, vt est quarto metaphysicæ: Aristoteles diuidit in similares aut dissimilares: Auicenna in simplices & compositas: Fernelius in organicas & informes (conformatio enim instrumentum facit) An reciprocantur istæ diuisiones, ita vt similares omnes sint simplices & informes, vicissímque omnes informes simplices & similares? Minimè verò inquit Fernelius, quia, exempli gratia, vena est pars similaris, & ad sensum simplex, conformata tamen,*

tamen, instrumentum quippe distribuendi sanguinis. Omnes quidem dissimilares sunt compositæ & conformatæ, non vicissim omnes conformatæ, sunt compositæ & heterogeneæ.

QVID PARS. CAP. II.

QVIA de partium diuisione satis multa diximus, priusquam ad elementorum doctrinam accedamus, dissoluenda sunt quæ de partibus in scholis solent disputari. Constituenda est autem definitio pro fundamento, quæ sit breuis, hoc est cuius nulla sit particula, quæ non habeat aliquod secretionis momentum, & definitū possit ab aliquo separare: quæ sit etiam adeo clara & perspicua, vt suo lumine omnes falsitatis tenebras discutiat, eiusmodi erit si definiatur: *Corpus toti cohærens, communiq; vitæ coniunctum, & ad illius functionem, vsumue comparatum.* Corporis enim nomine excluduntur spiritus, quia hic corpus solidum & dimensum requirimus, cui Platonici opponunt ἀσώματον, quo dæmones corporeos esse dicunt.

Humores, corpora quidem sunt dimensa, nonnihilque habent eminentiæ & soliditatis, sed naturam habent fluentem, non cohærentem.

Quæ toti adnascuntur, vt tophi, verrucæ, cohærent certè, sed non participant vita: quę quidem licet sit communis tumoribus præter naturam, quia tamen incommodant potiùs corpori, quàm vsum vllum præstent, partium nomine non censentur: quo enim tempore partes suo vsu & agendi facultate priuantur, deponunt nomen partis, nec nisi homonymωs antiquo nomine appellantur.

Dicet aliquis, Arist. Galenus & Auicenna, aliquando spiritus & humores appellant partes: An latiùs vsurpant nomen partis pro eo omni, quod ad vitam necessarium est, cùm tamen id solum, quod constituit, mereatur nomen partis? An potius partes quidem sunt corporis, non corporis viuentis? vt enim partes substantiæ, substantias esse necesse est; sic partes corporis viuentis viuere, quasi verò, dicet ille, anima non sit vbique tota, proindéque per humores & spiritus effusa: Respondendum, illis non vt subiectis, sed vt instrumentis inesse, nec essentiam suam, sed vim duntaxat & qualitatem illis impertiri: Si mauis, membrum definietur: pars solida corporis viuentis, quatenus sanabile: solido enim humores & spiritus excludentur.

De pilis & vnguibus noua suboritur quæstio: accretio enim & nutritio sunt motus animæ, quia calor dum conatur sese propagare & amplificare, nullum in agendo teneret modum, nisi à meliore & ordinatiore causa eius impetus sisteretur: At quidam sunt fines accretionis in vnguibus & pilis, vt in aliis partibus, anima igitur illis alimentum suggerit, & dat incrementum, proindéque sunt partes corporis viuentis. Respondendum, illa per additionem nutriri & augeri, non aliter quàm accrescit aceruus, aut elementum appulsu nouæ & congeneris materię, qui modus accretionis non est verior eo qui fit per inflationem, quo vtres, mare, hydrops, augentur: Vera enim accretio fit penes omnes dimensiones simul, éstque consequens nutritionis, nutrimur enim alimenti substantia, augemur eiusdem quantitate: at humor excrementitius, non est alimentarius. Cùm ergo constet pilos & vngues nutriri excrementis, illos neque propriè nutriri, neque accrescere fatendum est. Nónne vides vt ægris ab humorum copia, quinetiam mortuis, vngues & pili solito longiùs accrescunt; languida aut intermortua natura, ideóque hoc non naturę, nedum animæ opus esse? quibus si peruicax aliquis sibi non satisfactum putat, ille discat ex Galeno, pilos & vngues, quia corpori non constituendo, sed iam cōstituto adueniunt, cum adiuncto partes postgenitas, vt cristam galli, non propriè & simpliciter partes appellari. Aut non esse partes corporis sanabilis, quia sponte cadunt, tunduntur, raduntur, quin eradicantur, sine vlla offensione corporis.

Arist. 2. de anima contra Empedoclem.

Pili & vngues sunt operis veluti parerga, ex humoribus enim resiliunt vt ex incude fauillæ, aut fuligo ex camino.

Altera quæstio mouetur de medulla: Sitne pars corporis viuentis. Spinę quidem medullam, quia eiusdem est naturæ cum cerebro (illa enim aut à cerebello vt placet Galeno, aut à cerebro ipso, vt contra Galenum contendit Vesalius, exoritur) nec tantum animata est, sed motoriorum neruorum principium, nemo partem esse dubitauerit: sed quę cauitatibus ossium tam maiorum quàm minorum includitur, quoniam illis est pro alimento, nil autem quod nutrit, pars est eius quod nutritur, quia partem manere oportet, alimentum verò facessit in substantiam nutriti, non mere-

Lib. 7. cap. 4.

tur nomen partis: Si cui fortè videatur excrementum potius quàm alimentum, cámque nil aliud putet quàm reliquias alimenti in sinum ossis à natura reconditas, vt illud alioquin siccius humectet & molliat, ne tam facilè frangatur: Ille cogitet secum, quàm sit similis ossi, illique nutriendo conueniens: Nec obstet, quòd medulla sit calida & humida, os frigidum siccum, quia alimentum primo dissimile, alteratum, quàm mox fit simile. Verum sit excrementum sanè, erítne potius inter partes numeranda? De adipe idem controuertitur: Cùm enim fiat ex meliori portione sanguinis vt placet Arist. hoc est ex pingui, oleosa, leui, & tenui, vt est apud Galenum 2. de temp. à nonnullis in partium catalogum refertur, quia tamen cogitur frigore, pars autem, naturæ & caloris opera consurgit, inde videtur eximenda. Enimuero si humor in venis restãs, quia non cohęret, sit indignus nomine partis, quo iure adeps extra venas frigore concretus pars erit? Accedat quod nutrit partem non esse, adipe autem vt & medulla per inediam partem nutriri: tum partes omnes circumscriptas esse, adipem & medullam minimè. Sed hęc plus satis de partibus, ad institutam disputationem de elementis iam aggrediamur.

2. de part. anim. c. 6. & lib. 3. cap. 9.

SCHOLION.

ID omne quod integrat & constituit totum, generali significato meretur nomen partis, quo sensu Hippocrates corpus humanum resoluit in continentia, contenta & impellentia: partes, humores, & spiritus: Fernelius, vt excludat contenta à censu & Catalogo partium, definit partem: Corpus toti cohærens, communique vita coniunctum & ad illius vsum comparatum: humores quia non cohærent toti, videntur indigni partis nomine: nisi forte crystallinus pars oculi censeatur: excrescentiæ, vt verrucæ, & quæcumque toti inutiliter adnascuntur, non potius sunt partes corporis quàm fungus arborꝰ, communi vita non participant, quia non nutriuntur communi alimento: idem est Aristoteli viuere quod nutriri: Pili etiam non viuunt, quia eodem modo, hoc est excrementis nutriuntur: neque propriè & secundum omnes dimensiones simul accrescunt, sed in longum duntaxat, per appositionem, vt lapides: veruntamen quædam partes videntur datæ ad ornatum, vt pili, aliæ ad cõmoditatem, vt vngues, ad minima quæque apprehendendum: aliæ ad necessitatẽ, vt cor & pulmo: & Galenus inter morbos partium enumerat affectus pilorum, vt alopeciam, canitiem, caluitiem: Cæterum dubium est si mortuis pili crescant: Quibusdam enim placet ita videri, quod carnis mole detumescente pili ad radicem vsque detegantur: Aliis placet extremo naturæ conatu à calore & spiritu multam fuliginem excitari, quæ foras expulsa, pilos auget: siue medulla sit excrementum, siue alimentum, non meretur nomen partis.

QVID ELEMENTVM, ET QVOMODO differat à principio.

CAP. III.

8. de placit.
3. de cœlo.

ELEMENTVM Galeno: est prima & simplicissima pars eius cuius est elementum. Arist. minima pars mixti indiuidua specie. Fernelio: Corpus simplex ex quo quidque primum constituitur, quia corpus, differt à principio, quia simplex, à parte similari, necnon à semine & sanguine, quę aliquando Galenus nostri corporis partes appellat & elementa: Appello simplex, non tantum immistum, sed etiam specie indiuiduum: est autem indiuiduum specie, quod in partes specie differentes diuidi non potest. An non, quærat aliquis, elementum in materiam & formam diuiduum? At illa differunt specie: Respondendum, elementum ratione quidem in materiam & formam diuiduum & separabile, vtriúsque enim in elemento sua & separata est ratio, materia perpessionis, forma actionis est causa, nunquam tamen separatim, vt elementa extra mixtum existere: atque vt breuiùs & faciliùs dicatur. Elementa actu, principia sola ratione sunt separabilia: Mixtum in sua elementa tandem soluitur, elementum in sua principia nunquam, nisi mentis opera, quę vtriúsque distinctas rationes & essentias differentes ap-

tes apprehendit. Ne mireris autem, si Galenus passim abutatur nomine elementi, illius enim non est vna acceptio, vt ab Arist. quarto Philosophiæ explicatur.

SCHOLION.

ELEMENTA sunt primæ partes mixtorum, quia in illa postremo resoluuntur: Ex ijs autem vnumquodque primum constituitur in quæ postremò dissoluitur. Quidni in materiam & formam? quia ratione sola comprehenduntur: non sensu, est aër sensibilis in quem abit quidquid est aërium in nobis; est terra, cui redditur quod terrenum est: non est materia prima in quam occidat singularis quæque materia: est communis & sola ratione in singulis concipienda: Intelligitur, non sentitur: Imo verò spurio tantum intellectu percipitur, vt est primo physico, quia tantum per similitudinem quam habent res naturales cum artificialibus.

QVOT SINT ELEMENTA, ET QVAE SIT cuiusque qualitas naturalis.

CAP. IIII.

MVNDVS inferior duabus causis assiduè commutatur, necessitate, & quia melius: quoniam enim solus Deus est per se, cætera per Deum, permanentiora sunt, quia sempiternitati viciniora, quæ ad illum propius accedunt: mutabiliora verò, quæ ab illo longius absunt: at sublunaris mundus ab eo distat longissimè, omnium igitur maximè mutabilis: deinde cœlestis, minimè omnium supracœlestis & intelligibilis, nouem distinctus Hierarchijs, quarum melior illa est & diuinior, quæ principio perfectionis propior. Ille ipse opifex vniuersi, confusionem detestatur, estque autor ordinis, ordo autem describitur priori & posteriori, quare ad decus & perfectionem vniuersi, quin ad prudentiam & maiestatem opificis, quæ cernitur in operis varietate, quasdam partes mundi, priores proindéque constantiores, alias posteriores, easque mutabiliores & ignobiliores esse conueniebat: Hinc cœlo supposita materia loco tantum mobilis, elementis propter adiunctam priuationem, transmutabilis. Hinc datæ sunt cœlis concordes, elementis discordes formæ, quia enim non patitur simile à simili, alioquin idem ageret in semetipsum, quia nihil est similius quàm idem sibi ipsi: elementarem verò mundum transmutari oportuit, ex contrario coagmentandus fuit. Prima autem contraria sunt forma & priuatio, sed quæ sint rerum omnium communia, neque sensu, sed ratione talia esse cognoscantur. Prima repugnantia ad sensum perspicua, illa est, quæ primo & communi sensu, nempè, percipitur: tractabiles primæ qualitates sunt: Calor, frigus, humor, siccitas: illæ igitur medico prima erunt contraria, non absolutè, inquam, sed ad sensum prima. Ex quibus iam non erit difficile numerum elementorum inuenire: Natura enim primas qualitates vt locis seclusit, ita subiectis separauit. quatuor duntaxat qualitates primæ, Calor, frigus, humor, siccitas, totidem igitur erunt illarum prima subiecta. Primum calidum, ignis, primum frigidum, aqua, primum humidum, aër, primum siccum, terra: appello primum calidum, cui calor primò, per se inest, & quia tale, hoc si calidissimum, aut absolutè calidum appellâris, diuersis verbis idem planè dixeris. Quo fundamento, illa quæstio à Stoicis contra Peripateticos tanta contentione pugnata de aëris & aquæ proprijs qualitatibus facilè componetur. *Arist. 9. sapientiæ.*

Stoici tribus argumentis contendunt aërem esse frigidissimum: Primò quia maximè omnium refrigerat, etiam insufflatus, aut flabello ventilatus, cùm cetera incalescant motu: quam refrigerandi vim tum potissimum manifestat, cùm per maximos æstus temperat ardorem cordis. Secundò: quòd illa qualitas sit naturalis, quę permanet ceteris abiectis, at aër sponte refrigescit, ceteris qualitatibus depositis tanquam ascititijs & alienis: quę duo argumenta in aquam potius quàm in aërem conuenirent. Tertiò, sanè potentiori, quòd in media regione, vbi aër ab omni contagione liberior, sit frigidissimus. Peripatetici respondent medium aërem, ex acci- *Quæritur aërne, an aqua sit primum frigidum.*

denti tribus causis esse frigidum, propter anti peristasim, ptopter quietem, & propter vapores eò assiduè concurrentes: est autem vapor, aqueus, vt exhalatio, aëria: Opponunt autem Stoïcis inuicta duo argumenta. Prius, quòd nunquam natiua qualitas suum subiectum in aliam naturam permutet, sed conseruet potius & ab externis iniurijs defendat: Atqui frigus cogit aërem & in aquam transformat, non est igitur illius propria qualitas. Posterius, quòd calidus sit, non ergo frigidus: Calidum esse, sic demonstrant: effectus retinet naturam suæ causę, atqui aër fit à calore, aqua enim calore rarefacta, aerescit, vt aër frigore densatus, a quescit: aqua igitur primum frigidum, aër primum humidum iudicetur. Sed enim, natura non coniungit contrarium contrario, sed vtrique medium interponit, aër autem calidissimo igni contiguus est, non est igitur frigidissimus. Si quis resistat, eo quòd aqua magis humectat, aër refrigerat: Respondendum: humorem & siccitatem, cùm sint qualitates patibiles & materiales, quippe cùm ex his vt materia constent mixta omnia, perpessione definiri, non virtute agendi. Nam si quod magis humectat sit primum humidum, pari ratione quod magis calefacit, erit primum calidum: at ferrum candens maximè calefacit, quia vis caloris augetur in materia solidiore, quod in aqueo humore perequè perspicuum est, humectat enim magis quàm aër, causa densioris materię, non formæ, humidum autem est quod difficilè sua, facilè aliena superficie circumscribitur: atqui eiusmodi est aër, tenuis enim cùm sit & cuncta rerum permeabilis, difficillimè suis terminis continetur: quia autem facillimè cedit, & quamuis in partem ducitur, ad continentis figuram sese vltrò accommodat, quadrati cubili quadratus aër, rotundi, rotundus. Contrario modo siccum definitur, quod suis terminis facilè continetur, alienis difficillimè: quo modo, quis ignem dixerit siccissimum? siccat quidem magis quàm terra, sed calore, non siccitate, si mauis, quia calidus, non quia siccus, siccant enim calida humoris tantum desiccatione, terra per se & quia talis, quare etiam si energeiam spectes, erit absolutè sicca: Vnicum autem siccissimum, quia non potest affectio propria differentibus specie subiectis primò per se conuenire. Verùm pergamus, & quaternarium elementorum numerum altero argumento concludamus.

Bilis magis calefacit quàm spiritus, qui perhibetur calidißimus, quia πρῶτον δεκτικὸν caloris.

Ignis non est siccißimus, sed terra, quare partes in quibus abundat, temperamento dicuntur siccæ.

Vnum est absolutè leue in summo, alterum absolutè graue in imo, duo interiecta, comparatè grauia & leuia: appello absolutè graue, aut leue, quod vbique tale est: Vbiuis fuerit ignis, nisi violentia teneatur, in superum euolabit, terra vndequaque in inferum deuoluetur, at aqua in terra leuis est, & sponte ascendit, alibi, etiam in suo loco, grauis: aër in sua regione, multò potius in loco supero grauis, alibi leuis, quod experientia tibi manifestum euadet, si vnum vtrem inflaueris: non enim innatabit tantum aquis, sed etiam grauia pondera sustinebit: In aëte verò si cum altero inani æqua lance libretur, præponderabit: non alia ratione, nisi quòd est plenus aëre, aër autem in suo loco grauis, quia humidus, humor autem grauat. His qualitatibus non differunt inter sese quatuor elementa, neque enim differt terra ab aqua, quia illa sit grauior, nec aër ab igne quia ille sit leuior, quoniam intensio & remissio non pariunt differentes species, sed quia calida, frigida, humida, sicca, quę sunt specificæ & essentiales qualitates, quarum causa elementa transmutantur, fiuntque partes mixtorum. Vbi licet admirabilem naturæ prudentiam contemplari, quia enim transmutantur facilius quæ symbolo qualitatis communicant, sic qualitates dispensauit: vt quæ continenti inest eminenter, leuiter & remissè contento, inferiorive conueniat. Ignis calidissimus, aër calidus, aër humidissimus, aqua humida, aqua frigidissima, terra frigida.

Hoc argumento patet summũ aërem non esse ignem elementarem.

SCHOLION.

PHYSICVS duobus modis considerat elementa, primo, prout sunt partes mundi, secundo vt sunt partes mixti: sunt autem partes vniuersi, prout certum situm & ordinem in illo obtinent: Atqui prout sunt grauia aut leuia certum locum obtinent in vniuerso: absolutè leue in summo, absolutè graue in imò, comparatè grauia & leuia in locis intermedius: Quæcunque enim hîc sunt leuia, natura duce tendunt sursum quemadmodum grauia deorsum. Plato graue & leue non definiuit motu, vt Aristoteles, sed quiete. Graue enim definiuit, quod quiescit in imo tanquam in loco proprio: leue quod in summo: partes quidem mouentur

uentur vt reuniantur toti, sed totum ipsum quiescit, quia non appetit alium locum: hæc consideratio planè est physica: Considerantur verò à medicis quia ratione sunt calida, frigida, humida, aut sicca: quia considerantur vt partes mixtorum, miscentur autem, non quia grauia aut leuia, sed qua ratione calida aut frigida: Graue enim & leue qualitates sunt materiales, calidum & frigidum formales.

QVATVOR ELEMENTA CONCVRRERE ad fabricam nostri corporis.

CAP. V.

VT pistor ex farina aqua subacta panem, figulus ex argilla molli poculum effingit, sic natura ex terra humore aqueo perfusa res suas facit. Illa enim terrenam siccitatem, in pulueres alioquin dissipabilem, humore veluti glutine continet: vicissimque humorem per se naturáque sua fluentem, terra veluti repagulo cohibet & sistit: Hinc poëtæ fabulantur, Prometheum (quem Platonici Dei prudentiam interpretantur) primum hominem ex luto produxisse. Atqui mutatio omnis est à contrario, quare cùm ignis repugnet aquæ, aër terræ, quatuor elementa ad hominis fabricam oportuit conuenire. Nónne vides vt cadauer aërij primum & oleosi, deinde aquei humoris exsiccatione cinerescit? exsiccatur autem ignei caloris efficientia, ergo vt in dissolutione quatuor eleméta sunt manifesta, sic eadem ad compositionem cócurrere & congredi non est dubitandum. Hoc specialius ita demonstremus: Ijs constamus, quibus nutrimur, nutrimur autem mixto, non vno & simplici elemento, nutriunt quidem aquea, vt vinum, non aqua, multo minus si pura & immista esset. Adhæc, semen vtero conuenienter exceptum, ex sanguine fœtum efformat: quando sanguinem dicimus, quatuor humores significamus, nec refert si sanguinem aut quatuor humores dixerimus. Qui contra controuersiam quatuor elementis analogicè respondent; bilis igni, pituita aquæ, sanguis aëri, melancholicus humor terræ. Item humores quatuor fiunt ex alimento percocto, alimentum mixtum est & quatuor elementis temperatum, ergo quatuor elementa, vt nutritionis, ita generationis nostræ sunt primordia. Quod Hipp. δι᾽ ἀδυνάτε consectarióque absurdo ita demonstrauit. Si homo constaret vnico elemento, non doleret: quidni? quia dolor est tristis sensus Galeno, Peripateticis, solutio continui cum sensu: at sensus insidet sensorio: quod certo modo oportet esse temperatum. Continuum sunt qui interpretantur συνεχὲς, vt sit dolor διάλυσις συγκείσεως solutio permistionis.

Vos aqua, vos tellus cuncti aliquando tenebit. Homerus: eò enim redeunt omnia vnde primum exorta sūt.

Arist. lib. de sensu.

Gal. lib. de plenitud. cap. 10.

Lib. de hominis nat.

SCHOLION.

PROBABILIVS *est perfectè quàm imperfectè mixta concursu quatuor elementorum generari: Atqui meteora quamuis imperfectè mixta constant quatuor elementis, etiamsi vnum manifestè dominetur, vt aqua in pluuia, aër in vento: Ergo ad constitutionem hominis, perfectissimè mixti, omnia concurrunt.*

Item partes humani corporis, quædam sunt calidæ, vt sanguineæ, hepar, lien, musculus, caro omnis: aliæ frigidæ, vt exangues, albæ, spermaticæ: Aliæ humidæ, vt cerebrum, adeps, medulla: Aliæ siccæ, vt ossa. Atqui à qualitatis elementaris dominatu tales perhibentur: Accedat duo esse principia nostræ generationis, semen & menstruum: atqui sanguis, substantia aqueus, ratione fibrarum est terrestris, semen ratione caloris & spiritus igneum magis & aërium est, vt mittam humorem pinguem potius aërium esse quàm aqueum: Ergo hoc sit ratum, hominem constare quatuor elementis: Argumentum Hippocratis non concludit quatuor esse elementa, sed plura vno: Dolor enim fit perpessione, patitur autem vnumquodque à contrario, proinde homo, cùm sæpe doleat, non tantum ab externa, sed etiam ab interna causa, contrarijs naturis constat: Adde dolori, vt & morbo, contrarium opponi remedium.

ELEMENTORVM SVBSTANTIAS, *non tantum vires in nobis inesse.*

CAP. VI.

Calidum & ignis sunt vnum, humidum & aër, eadem, quia absolutè humidum idem quod humidißimum.

NOSTRVM corpus constare quatuor elementis, grauibus rationum momentis euicimus, instat vt mixtionis modum exponamus: Prius tamen inquirendum est in eorum opinionem: qui elementorum duntaxat qualitates in nobis remanere existimant, qui ne videantur damnari indicta causa, primùm proponam eorum argumenta, deinde singulis ordine respondebo. Elementa, inquiunt, Hipp. appellat, Calidum, frigidum, humidum, siccum, quasi verò concretis accidētium nominibus subiectum cum affectione non includatur: equidem calor abstracta est qualitas, at Calidum, calorem, in subiecto significat, quod etsi varium est & multiplex, vnum tamen absolutè primum, cuius participatione cætera sunt calida. Vrgent alio argumento: etiam in vniuerso, non extat vllum elementum purum, quomodo igitur integra & cum suis formis ingrediuntur mixtionem? Certè media extremorum contagione infici non negarim, sed extrema non video quid obstet esse pura. Terrę quidem exterior facies imbre perfusa madet, in salutem animantium, sed in centro credibile est, illam esse siccissimam & grauissimam. Ignem quoque contiguum Lunæ leuissimum esse, tenuissimum & calidissimum. Hinc enim est, cur neque luceat, neque vrat, quia ad vtrumque opus est densitate. Nam rara quia non habent partes vnitas (virtus autem dispersa minor est quàm vnita) sunt inefficacia, aut certè minus actuosa. Aspicis vt astra suo splendore sunt conspicua, reliqua cœli parte occulta? Viden, vt stipulæ imbecillior sit calor quàm tigni, flammæ, quàm carbonis? Verùm faciamus omnia esse inquinata & confusa, singula tamen suis rationibus sunt distinguenda, aliaque ignis, alia aquæ natura necessariò est concipienda. Obiiciunt postremò, mixtione singulorum formas vanescere, solas qualitates reseruari: Verumtamen singula elementa per mortem redeunt in pristinam naturam, repetuntque sua loca, quod non possunt absque formis: illas igitur habebant in mixto, non actu quidem, sed potentia: quomodo insunt quatuor humores in massa sanguinis, dicitur enim inesse actu, quod definitè & separatim inest: at elementorum formæ in mixto sunt indistinctæ & indefinitæ, insunt igitur, sed potentia sola.

Astrum quia densior pars sui orbis, videtur.

Quid actu, quid potentia inesse.

SCHOLION.

PLACET *Aristoteli elementa misceri secundum qualitates, Galeno, & Stoicis penes substantias, quia primæ qualitates sunt accidētia quæ sine subiecta materia subsistere non possunt: Mixtionis hic est modus: Terra est basis omnium, totam terram aqua subit & ab illa vndique perfunditur: vtrumque permeat cuncta rerum permeabilis aër: Omnia quoquouersum peruadit ignis, sicque nulla mixti particula manet immixta: designa acu quam voles particulam, omnium elementorum mixtione constabit: Quod si lynceis essemus oculis, quando fit mixti dissolutio, videremus singula eò reuerti vnde profecta sunt: Terram terræ reddi: aquam aquæ: hoc autem non possunt absque substantia. Imò verò substantiam cuiusque elementi dicimus reuniri toti: neque propterea secundum substantias miscentur elementa: quia miscentur alteratione præcedente, alterantur actione & perpeßione mutua, agunt inter sese & repatiuntur vicißim non substantiis; substantiæ enim nihil est contrarium, sed qualitatibus, quarum causa inter sese pugnant. Ignis non repugnat aquæ, quia ignis, inquit Aristoteles, sed quia calidus: Quid multa! etiamsi tota totis elementa misceantur, tamen substantiæ ipsæ ratione qualitatum miscentur, quia earum occasione sibi inuicem aduersantur. Ad hæc quatuor elementis subest materia prima, & cōmunis, hoc tantum differens, quod quæ subest formæ ignis, est leuis, rara, perspicua: quæ verò terræ, grauis, densa, opaca, quando summus calor ignis à frigore terræ & aquæ retusus est: vicißim frigus aquæ & terræ à calore ignis contemperatum, qualitatum materialium vnione, materia fit vna: sublata repugnantia facilis est vnio formarum: sic mixtione quatuor contrariorum elementorum consurgit totum vnione materiæ & formæ vnum: formæ elementorum*

sublata

A *sublata causa, discordiæ non minus sunt concordes quàm vegetans, sentiens & rationalis anima: siue substantias specie differentes informent, plantam, belluam & hominem, siue in homine vniantur.*

DE ELEMENTORVM PERMIXTIONE *diligentior inquisitio.*

CAP. VII.

Docvimvs elementa ipsa misceri, iam quid sit mixtio & quæ propriè misceantur, ostendamus. Definitur ab Arist. mixtilium alteratorū vnio. Vt enim non ex quouis ligno fit Mercurius, sic non omnia apta sunt B permisceri. Oleum, quia lentum, non bene miscetur aquæ, neque plumbum æri, quia æs solidius est, quàm vt à plumbo diuidi & penetrari possit, sed quæ sibi inuicem cedunt & quaquauersum penetrationem admittunt, ea propriè mixtilia vocantur. Sunt autem in omnem partem peruia, non quæ pluribus rimis fatiscunt vt pumex: sed quæ nata sunt inter sese agere vicissim & pati. Priusquam enim misceantur, vniri debent, vnionem præcedit alteratio, alterantur actione & perpessione mutua, agunt autem non candore aut leuitate, sed calore, vel frigore, humore, vel siccitate, quas qualitates cùm integras & summas afferant ad pugnam, ignis enim calidissimus accedit, aqua frigidissima, mutua tamen pugna infringuntur. Ignis ardorem, aquæ frigus hebetat, vicissim frigus aquæ ignis calor retundit: humorem aeris, terræ siccitas debilitat: siccitatem terræ aerius humor C contemperat & frangit: quid multa? primo conflictu calida pugnant frigidis, humentia siccis, ad extremum omnia concordi pace ligantur. In quo naturæ summum & planè diuinum opus elucet, quæ ex tanta rerum discordia incredibilem concordiam eliciat (φιλεχθεῖν, hoc est discordem vnionem vocat Galenus) quam ars quantum potest imitatur, dum aqua vinum diluit, aut metalla tota totis, pharmaca pharmacis commiscet. Verùm hanc mollium & liquidorum artificialem mixtionem, verius confusionem dixeris, vt siccorum cum siccis, tritici cum milio, pisorum cum fabis, appositionem: neque enim sicca siccis permiscentur, sed vnum alteri apponitur, nec liquida cum liquidis, vt aqua cum vino, sed confunduntur. Differunt appositio & confusio, non tantum quia illa sit siccorum, hæc humidorum: sed etiam, quia apposita manent cum suis terminis, fiuntque tantum vnum D contiguitate (liceat mihi loqui impuriùs, & bene sentire) confusa verò fiunt vnum continuitate, ex aqua enim & vino fit materia & quantitas vna, quæ est vnio mathematica, retinent tamen integras & immixtas formas; (nam vnum ab altero separare hederæ vase, ex Catone docet Plinius) quare vera & physica vnione (quæ est formarum) crama non est vnum. At quæ natura permiscet, non tantum mathematicè, sed etiam physicè, fiunt vnum: non enim continuantur tantùm, verumetiam formis vniuntur. Ne dixeris igitur elementa in mixtione corrumpi, non enim in illa tandem mixtum solueretur: sed neque integra manere, suos enim actus retinerent, essentque in nobis ignis calidissimus, aqua frigidissima: sed, qui medius est inter vtrunque modus, permisceri, hoc est alterari primum, deinde vniri: Inalterata sunt in cramate vinum & aqua, quia contraria qualitate non pugnant, quare non E propriè vnita, minimè permixta.

Mixtilia quæ dicantur.

Hoc cōtra Empedoclem & Democritū disputant Arist. & Gal.

Transmittit vinum, aquam retinet.

Primus Hip. docuit elementa permisceri, Empedocles & Democritus apponi tātum.

SCHOLION.

Ernelivs *definit mixtionem, diuersorum in vnum & idem concretionem, quæ definitio, vt dicam liberè, mihi non placet, quia concretionis nomen in Democrito & Empedocle Aristoteles reprehendit, éstque verbum methodicorum proprium authore Galeno, qui atomorum coagmentationem syncrima nuncupabant. Accedat, quæ miscentur non tantum diuersa esse debere, sed etiam contraria: hac definitione naturalis mixtio non potest distingui ab artificiali: quæ apponuntur, vt ramenta cineribus, & quæ confunduntur, vt lixiuium cum vino, hac definitione miscentur, quemadmodum & mixtiones simplicium ad compositionem vnguenti.*

MODVS MIXTIONIS exponitur. CAP. VIII.

A

Gal. ad lib. Hip. de nat. hom.

MAGNA dissensione certant Stoïci cum Peripateticis, an elementa κατὰ σώματα, penes substantias, an κατὰ ποιότητας, penes qualitates tantùm misceantur. Placet Stoïcis substantias ipsas & formas elementorum, permisceri, Peripateticis solas qualitates: quibus fauet Galenus, sic autem illi obiiciunt Stoïcis: elementa ὅλα δι᾽ ὅλων, tota totis commiscentur, atqui non possunt substãtię substantiis permisceri sine penetratione dimensionum: deinde, quæ miscentur, prius remitti necesse est, vt actione & perpessione mutua temperentur; intentio & remissio sunt qualitatum proprię, non formarum, miscentur ergo qualitates, non formæ. Respondent Stoïci, dimensiones sese penetrare non esse absurdum. Causam enim continentem, quam Zeno nominatim ignem appellabat, dispersam esse per vniuersum, eiusque præsentia nullam mundi particulam esse destitutam: lumen quoque, cùm sit corporeum, corpus perlucidum, vt vitrum, vndique permeare: quibus videntur hęc attestari: Primò, quòd elychnium totum oleo perfundatur. Secundò, quòd accrescat corpus & in omnes dimensiones simul extendatur, alimento in omnes corporis particulas effuso: Tertiò, quòd vas plenum cineribus, non minus aquæ contineat quàm si vacuum esset: Postremò, quòd sudor corpus & cutem peruadat. Verùm ignem Stoïcorum, vt animam mundi, Platonicorum scriptis celebratam, Aristoteli multis argumentis refellunt, quæ nos collegimus lib. de anima mundi. Lumen verò non esse corpus Aristot. aduersus Empedoclem demonstrauit, nec defuerunt qui intentionalem tantum qualitatem, non realem esse defenderunt, tantum abest vt illud corpus esse iudicarent. Lana aqua madens, aut elychnium oleo perfusum, aëre excluso, in capacitates liquorem admittit, quo totum imbuitur, sic per cineres aqua diffunditur, eius tamen magna portione exhalante: sudor laxioris cutis meatus præterfluit, eoque copiosior, quò cutis laxior. Sed considera, quæso te per sacras Musas, lector, quanta consequutione absurdorum premantur, qui duo corpora sese penetrare arbitrantur. Omne corpus quantum & dimensum; quia continuum, infinitè diuiduum est, infinitè diuidui non datur minimum, quare minimorum per minima transitu, vt illi loquuntur, non fit permixtio dimensionumque penetratio. Quòd si minima & indiuidua Democriti corpuscula, xysmatis & ramentis minutiora ab Arist. tot locis tam doctè & subtiliter confutata ponerentur, corporum substantiæ tanquam in nihilum redactæ, sese mutuo destruerent.

Lege Aphrod. lib. de mixtione.

B C D

Modus mixtionis soli Deo & naturæ misfcenti cognitus, Gal.

Facessat igitur Stoïcorum commentum, & elementa penes qualitates permisceri concludamus: prius tamen alterum illorum argumentũ diluamus. Formę, inquiunt, non intenduntur, neque remittuntur, quid si respondero formas quidem perfectas, quales mixtorum, non intendi, imperfectas verò, quales primorum & simplicium corporum, intendi & remitti posse? quot sunt docti & celebres Physici, qui elementorum formas non alias agnoscunt, quàm primas qualitates? Id enim inquiunt quod definit, & definitum ab omni alio separat, forma est specifica & essentialis, elementa autem non aliter differunt, quàm primis qualitatibus, quæ idcirco specificæ nominantur, ecquid aliud ignis, quàm primum calidum? quânam alia qualitate agit, quàm calore? At qualitas actiua est formalis: faciamus tamen ignotis quatuor formis atque substantiis elementa differre, an ipsę formę remittuntur? minimè verò: sed elementa qualitatibus primùm alterata, deinde formis vnita, permiscentur, quæ præterea solent quæri & disputari, explicantur libro de Temperamentis.

E

FINIS.

IOANNIS

IOANNIS RIOLANI

AD

FERNELII LIBRVM DE TEMPERAMENTIS

COMMENTARIVS.

PRAEFATIO AD MARC. MIRONIVM ARCHIATRVM REGIVM.

HÆC quæstio multos ſuſpenſos & ſollicitos tenet (Myroni doctiſſime) quî fit, vt medicus olim honoratus, hodie viuat inglorius: Audi quæſo te per ſacras Muſas quarum Numen tu colis, cauſam dubitationis: Honoratur medicus propter neceſſitatem, neceſſaria eſt eius opera ſæuiente morbo, nam quo frequentiores & grauiores morbi, eò medici honoratiores. Morborum mater intemperantia, plures enim occidit gula quàm gladius, quare cùm hodie lautiùs & diſſolutiùs viuatur quàm vnquam anteà: nam Hippocratis tempore mulieres arthritide non laborabant, quia frugaliùs viuebant: mirum, cur maiores noſtri, honores, etiam diuinos, ſuis medicis, vt Apollini & Æſculapio, detulerint, hodie nullo numero habeantur: An quia ſeneſcente mundo ſimul artium dignitas vileſcit? minimè credo, eſſet enim hoc malum cæteris artibus vbiq; gentium commune: An non eſt verum maiores noſtros paucioribus & minus periculoſis morbis conflictatos, quia gulæ temperarent? Equidem parcè & tenuiter viuebant, nondum enim inuentis frugibus, cùm glande veſcerentur, & aqua pro potu vterentur, ignorato vſu vini, cùmque carnes coquendi, & obſonia præparandi artem ignorarent, quid eos præter neceſſitatem ad paſtum impuliſſet? quid erat quod odoris ſuauitate nares, & ſaporis iucunditate palatum irritaret? Ecquis noſtrum in iſtas victus anguſtias redactus non ſobriè & temperatè viuat? Nunc verò cum naturæ beneficio habeamus omnia ſuauiora, præterea arte condita & apparata, quis veterum ſi reuiuiſcat, illorum dulcedine non capiatur? diſpeream niſi digitos abligurirent. At ex glande, aqua, crudis alimentis, natura non poteſt miniſterio ſui caloris alimentarium ſuccum extrahere, ſiue quod ſit impar coquendo, ſiue quod abundent ſpumoſo illo recremento, quod ſolet primum elixatione ſeparari: Quare nil dixerit à veritate abhorrens, qui hoc paradoxon poſuerit: veteres quidem frugaliùs quàm nos, non ſalubriùs, haudquaquam feliciùs, vixiſſe: ſit tamen, neſcio quo modo, vt

Vitio malignitatis humanæ vetera in laude, præſentia in faſtidio eſſe ſolent. Tacitus.

retroacta suspiciamus, eáque omnia præstantiora iudicemus quæ nostram ætatem longius præcesserunt. Cererem & Bacchum quod meliorem victus rationem inuenissent, illi ipsi maiores nostri in Deos retulerunt. Orpheum quod suos à ferino victu ad ciuiliorem adduxisset, dictus ob hoc lenire tigres, rabidósque leones, pro Heroe coluerunt. Qui istorum inuentorum beneficio magno vitæ commodo fruuntur, & inuentoribus quotidie benè precantur, qui glande & aqua porcos saginant, qui noui orbis incolas prisco illo modo viuentes, ad humaniorem vitam reducunt, nihil tamen habent in ore frequentius, quàm primum seculum huic non aliter quàm aurum ferro præstitisse: digni sunt isti admiratores antiquitatis ea vita quam scripto & voce tantoperè commendant.

An ergo circulatorum & agyrtarum fraudes incusabimus, qui specie secreti, & si Dijs placet, medicis occulti remedij, plebeculam miserè ludificant, eáque præsidia infamant quæ multis fuere saluti? Imò verò isti carnifices temeritate & ignorantia, quam miserabilis euentus consequitur, augent nostræ artis dignitatem: ars enim temeritati, vt contrarium contrario opposita, splendescit.

Itaque præstat in multitudinem medicorum contemptus causam reiicere, nam quæ rara chara, & res quantumuis preciosæ, copia vilescunt: at prima ętate perpauci erant medici, iíq. chirurgi simul & pharmacopœi: vbi primum cum luxu morbus, cum morbo honos & merces, cum vtroque numerus medicorum accreuit, externis bonis elati, putarunt alienum à maiestate suæ artis, operi manum aduouere, quare autoritate qua valebant apud Principes, sibi chirurgos & pharmacopœos crearunt, quibus agendi formulam, vt architecti suis operarijs, dictarent. Sed illi paulatim, vecordia & negligentia medicorum, hoc iugum seruitutis excusserunt: eóque tandem creuit licentia, conniuente magistratu & vulgo decipi volente, vt hodie, nisi extremo & deplorato morbo, medici opem non implorent. Inde fit, magno artis nostræ ludibrio, vt tot sint hodie medici, quot chirurgi & pharmacopœi.

Medendi scientia, propter immensam profunditatem, est longa, inquit summus magister artis, nihil est enim in natura quod medicum scire non expediat, & ad vsum hominis transferre: Praxis difficilis, quia præcepta artis non regulæ Polycleti, sed Lesbiæ normæ sunt similia, hoc est, pro circumstantijs personæ, sexus, ætatis, temporis, regionis, immutanda, neque enim satis est ad benè medendum differentias & modos temperamentorum cognoscere, sed ἰδιοσυγκρασίας, singulorum dissimiles & proprias temperaturas, oportet obseruare, quas si ad vnguem perspectas haberemus, non minus benè, inquit Galenus, quàm olim Æsculapius medicinam faceremus. His causis motus Hippocrates, in epistola ad Democritum, negat quéquam hoc tam breui vitæ curriculo artis perfectionem consequi posse, tantum abest vt Thessali, & vani cuiusdam promissoris industria, intra paucos menses edisci possit: facile quidem est esse medicum, sed esse bonum medicũ difficillimum, ne dicam impossibile. Quousque ergo sycophantæ quam non didicerunt artem impunè exercebunt? Quousque splendor nostræ artis falsitatis & ignorantiæ tenebris opprimetur?

Nun-

A Nunquámne ἀλεξίκακος aliquis exorietur, & tutelaris Deus è machina nobis affulgebit, cuius numine & autoritate, erepta dignitas recuperetur? Tu tu, Mironi esto vindex nostræ libertatis, fac vt medicinæ restituatur suus honos. Singulas artes proprijs finibus circumscribe, ne quis in alterius possessiones inuadat graui multa prohibe. Debes hoc nobis, quia iustum petimus, Reip. salutare, & toti ordini necessarium in quo tu principatum tenes. Tu potes, quia tui est iuris, & merito tuæ doctrinæ, virtutis, & officij, Regis gratiam, ad hoc perficiẽdum necessariã iniisti: quod si feceris, crede mihi, omnibus non medicis modò, sed chirurgis simul & pharmacopœis
B benefeceris, quibus alioquin, propter artium confusionem & officiorum summam perturbationem, contemptum, ignominiam, ad extremum immedicabilem ruinã prædico. Interea, vt constet de meo erga te obsequio, neque putes te in hominem ingratum olim beneficium contulisse, tibi hunc commentarium inscribo dum maiora & te digniora molior, in quo si paulò liberiùs videar à sententia Fernelij nonnunquam recedere, condonabis hoc philosophicę libertati, non enim considerandum quis dicat, inquit Plato, sed quid dicatur, omnibúsq; promiscuè fides debetur, vt ait Arist. qui verum, & cum ratione loquuntur. Vale, & me in ordinem
C tuorum adscribe, tibi enim sum & ero in perpetuum deuotus.

COMMENTARIVS DE TEMPERAMENTIS.

AN TEMPERAMENTVM MALE FINIERIT Auicenna. CAP. I.

D Ex iusta & æquali mixtione quatuor elementorum vna qualitas exurgit, quam Auicenna nominat tẽperamentum, quia omnes differentiæ temperamentorum ex ea qualitate quæ vicit in mixtione, nomen, definitionem & diuisionem accipiunt: Dicimus enim temperamento Calidum, vt sit hoc pro multis exemplum, in cuius mixtione vicit calor: Temperatum, in cuius mixtione qualitas vna alteri non præpollet. Hanc formalẽ qualitatem, Auenrois appellat formam mixti, à qua sententia Gal. non videtur refugisse, qui temperamentum vocet substantiam facultatis, hęc enim tria, substantia, facultas, functio, ita se consequũtur, vt functio ex facultate, facultas ex forma seu temperamento proximè dependeat, quòd aliquando naturam, aliàs substantiam partis ille idem appellat. Fernelius tamen hanc definitionem reprehendit, ac si cæteras qualitates aboleri illa vna superstite quæ omnes victas tenet, ex illa necessariò sequatur: quo posito, in-
F quit, tolletur de mixto repugnãtia, qua quidem sublata, non video quæ causa senij & interitus afferri possit, si modo insita repugnantia sit cõnata necessitas moriendi. Aut quo tandẽ modo singula in suas naturas reuerti poterunt post dissolutionẽ? vnde suas qualitates reassument? quibus argumentis quãtum vrgeatur Auicẽna docti viderint. *Gal. 1. de sanitate tuenda.* Ex primo enim absurdo malè deducto cætera dependẽt. Ecquis verò hoc admiserit, si qualitas vna vicit in mixtione, aliæ abolentur? Verũtamen vt in legibus sic in definitionibus, quia posterior abrogat priorem, si Fernelius ipse temperamẽtum melius finierit, audiamus. Temperamentum, inquit, est concentus & proportio mixtionis. At, inquit Aristotel. si quis definiat verbo metaphorico reprehẽdatur, quia obscurè definit, vt si quis definiat per cõcentum. Adhęc si temperamentũ sit concentus mixtionis, mixtio autem alteratorum vnio, erit vnio vnionis: Pręterea temperamentum

quoddam est temperatum, alterum intemperatum, idque salubre, aut insalubre, at hoc nemo concentum appellarit. Adhæc, multa simplicia & immixta dici solent temperata, vt aër, & ventus. Prudentiùs ergo Galenus, neque temperiem neque intemperiem definiuit, cum vtrumque sit homonymum, non enim æqualiter eadémque ratione dicuntur de æquali & inæquali, temperato & intemperato, salubri & insalubri, vt desinant ἄρξαντι illi obtrectare quod neutrum finierit. A

SCHOLION.

AVICENNA definit temperamentum qualitatem natam ex mixtione primarum qualitatum: Auenrois formam mixti, Galenus principium facultatum naturalium: verum videntur quædam facultates pendere à temperamento, vt primæ & secundæ, quæ manifestæ dicuntur, quia ipso sensu perspicuum est à qua qualitate dependeant: Aliæ a forma mixti, vt tertiæ & quartæ, quæ occultæ dicuntur, quia neque sensu, neque ratione constat, cui vires istæ acceptæ ferendæ sint; propterea vires & proprietates occultæ nuncupantur: In re quaque distinguendam formam à temperamento, hoc signo coniicimus, quod piper & pyrethrum, exempli gratia, temperamento sint calida, nósque calefaciunt, quod in eorum mixtione calor vicerit, verum piper non debet calori quod sit piper, vnumquodque enim per suam formam id est quod est, alioquin vnumquodque saltem eodem gradu calidum, piper iustè dixeris, forma nata est ex vnione formarum elementarium, quæ etiamsi nobis sint incognitæ, tamen necessariò ponendæ sunt, temperamentum verò ex mixtione quatuor primarum qualitatum exurgit, proinde magis mihi probatur Auicennæ quàm filij Rois definitio. Definitio Galeni est ambigua, quia forma & temperamentum sunt duo principia distincta facultatum naturalium: forma occultarum, Temperamentum manifestarum: proinde non dixerim simpliciter temperamentum principium facultatum naturalium, sed cum adiuncto principium facultatum quarum actio manifesta est, formam earum quarum causa ignoratur: videmus ὅτι, quærimus διότι. B C

AN CONTRARIA IN IDEM CONFLVANT, & vnde singulorum vires æstimentur.

CAP. II.

DISCEPTATVR hic quæstio Galeni & Auenrois contentione nobilis: An in mixto remaneant summæ qualitates. Hoc Galeni placitum Auenrois duobus argumentis refellit: Priore, quòd inde sequatur, duo contraria esse simul; Posteriore, quod autore Aristotele vnum contrarium alterius D permixtione tempetetur, quare contraria non possunt esse temperata & summa, quorum vnum qui dixerit, alterum negarit: Fernelius, Arist. mentem interpretatur de viribus, non de qualitatibus elementorum, ac si voluerit vires vnius contrarij alterius permixtione retundi, non qualitates: quæ quidem interpretatio, vt dicam liberè, mihi non placet, quia etiam contraria inefficacia, vt album, nigrum, extremi sapores, & odores, mixtione temperantur, nec ausim summè calidum affirmare quod modicè calefacit, dicitur enim primo gradu calidum, quod exiliter, extremo, quod summè calefacit, refertque actio vim & naturam qualitatis à qua dependet. Ad primum argumentum quid respondet? Si actione & perpessione mutua ad mediocritatem adducantur, inquit, quomodo non corrumpuntur, nec tantum extrema inuicem pugnant, vt calidum frigido, sed media cum extremis, & inter sese per- E æquè, quæ etiamsi contemperentur, nihilominus contraria erunt simul.

Hoc responsum, quis non iudicet indignum: Fernelio? Nam media neque tam inter se pugnant quàm cum extremis, nec tam cum extremis, quàm extrema inuicem, quia contraria sunt quæ plurimùm distant, nec aduersatur flauum viridi nisi quod vnum alteri oppositum habet rationem extremi, atque haud scio quid sit
Arist. 5. Physic. perinde certum & confessum, quàm contraria pari gradu recedere à medio, neque enim summè calido repugnat primo gradu frigidum, nec summus calor quouis frigido extinguitur: Falsum ergo illud conclusum. Itaque si remissæ, etiam summæ qualitates permiscentur: Mixtionem enim alteratio præcedit, Alteratio est qualitatum mutatio, Annon, inquit, extrema sunt in medio, fortassis, sed temperata, non vt extrema & contraria, adieci fortassis, quia medium definitur negatione vtriusque

extremi,

A extremi, vt neutrum corpus quod neque sanum est, neque ægrum, adiaphoron, quod neque bonum, neque malum: alij respondent extrema esse in medio, potentia, non actu, confusè quippe & indefinitè, quomodo nil vetat contraria esse simul, quid multa? repugnantia rerum à formis & qualitatibus ipsis, potius quàm ex viribus duci debet. Contraria enim sunt, quæ in eodem genere plurimum differunt, maxima autem differentia à formis ipsis sumitur, non à formarum viribus: cum inefficaces nihilominus repugnent, vt candor nigrori: Ergo ad alteram huius capitis partem transeamus. *Arist. 9. sapientiæ.*

Vires elementorum, inquit, non sola mole, neque solo gradu qualitatis, sed vtroque simul æstimentur, doctè. Cur enim flamma minus vrit quàm carbo? causa rarioris materiæ: Cur exigua flamma minus quàm luculenta? causa qualitatis: Am-
B bo si fuerint paria, erit par & æqualis virtus.

SCHOLION.

NOBILIS est quæstio inter Aristotelem & Galenum, si primæ qualitates in mixto summæ permaneant, an refractæ: non alter quàm calor & frigus in tepido, albedo & nigredo in medijs coloribus. Placet Aristoteli retusas esse, quia alterantur priusquam misceantur, agunt enim inter sese vicissim & patiuntur, summum calorem ignis retundit frigus aquæ, summum frigus aquæ debilitat calor ignis, vnde temperies: Respondet Fernelius minui quidem vires non qualitates: acsi possit esse summum frigus quod summè non refrigerat: Summus calor qui remissè calefaciat: verumtamen definitio ne cogitatione quidem est separabilis, Definitur autem summum frigus quod summè refrigerat, eritque summum frigus in opio quod leuiter frigefacit, summus calor in euphorbio qui non admodum
C *calefaciet. Item contraria erunt simul in eadem parte subiecti: nam cùm vnaquæque mixti particula sit mixta, subsistent simul summus calor & summum frigus. Sanè qui dixerit quidpiam posse esse calidissimum simul & frigidissimum, ille eodem iure poterit dulcia, vt mel & saccharum, dicere acerrima simul & acerbissima. Verum ne videantur indicta causa damnari qui patrocinantur Galeno, quibus nitantur argumentis expendamus: Calor & frigus inquiunt sunt abstractæ qualitates. Atqui candor vnius diei non est magis, aut minus candor quàm centum annorum, vt est primò ethicorum: Respondeo qualitates in abstracto, non intendi, sed in concreto: est enim vnum altero candidius: iustus altero iustior: quamquam non sit vna iustitia minus iustitia quàm altera; Definitionem iustitiæ peræquè participant: Ratio est in promptu: quod intensio & remissio nascantur ex permixtione contrariorum, permiscentur autem in communi subiecto, proindeque qualitates permixtæ, sunt concretæ, non amplius abstractæ, ideóque intendi & remitti pos-*
D *sunt: Non fuit illis satis dixisse qualitates summas misceri, talésque in mixtis permanere, sed etiam vtramque singulis elementis inesse summam affirmarunt: ignem esse calidissimum simul & siccissimum, quia remitti non potest qualitas nisi à suo contrario, vt siccitas ab humore, proinde qui dixerit ignem remissè siccum, ille eundem humidum cogetur confiteri. Quæ quidem ratio in elementis tantum locum habet, quatenus permiscentur, non prout absolutè & per se spectantur, nam dicuntur habere vnam qualitatem remissam, comparatè ad summam, vnicum enim est summum in quóque rerum genere, si terra sit siccissima, vt est reuera, ignis non potest esse siccissimus: siccat suo calore nihilque est siccitas quàm lima caloris: eam ob rem calor siccus magis calefacit quàm humidus, denique secundariò, atque vt dicitur, ex accedenti est siccus.*

TEMPERAMENTORVM QVOT differentiæ. CAP. III.

E EX ea qualitate quæ vicit in mixtione, nomen & differẽtia temperamenti sumitur: Atqui in mixtione, aut vna tantum qualitas vincit, vt calor, hinc colliguntur quatuor simplicium temperamentorum differentiæ, Calidum, frigum, humidum, siccum: Aut vna alteri coniuncta, vt calor humori vel siccitati, frigus alterutri. Hinc nascuntur totidem differentiæ temperamentorum coniunctorum, Calidum humidum, Calidum siccum, Frigidum humidum, Frigidum siccum, neque enim aut calor frigori iungitur, aut humor siccitati. Imò quidam negarunt dari Calidum humidum, aut Frigidum siccum temperamentum, quia calor humorem absumit, frigus humorem inducit: quibus respondendum est: à calore quidem humorem consumi, & à frigore humorem

produci, ſed paulatim & cum tempore, non confertim & ſimul, primigenium enim humorem natiuus calor vno ſeculo populatur; Aut humorem non à quouis calore abſumi, ſed à calore ſicco, nam tepidum dulcis aquæ balneum humectat, quod vel idiotis notum eſt, qui inſolatione ſqualidi, & ſiti propemodum enecti, in lauacrum aquæ tepentis vbi primum ſeſe immerſerunt, laxam cutim & os humectum ſentiunt: Nec quoduis frigus humectat, Aquilo enim, haud dubiè frigidus, deſiccat. A

Dixerit potius aliquis, nullum eſſe temperamentum ſimplex, præſertim in hominum genere, ſed calorem omnem neceſſariò humidum eſſe aut ſiccum, frigus quoque alterutri neceſſitate coniunctum, nec humorem aut ſiccitatem dari abſque calore aut frigore, cùm ne in elementis quidem ipſis aut humoribus ſolitaria qualitas reperiatur. Imò, ſi credimus Galeno, vtraque ſumma, quare, omne temperamentum, aut eſſe calidum humidum, quale ſanguineum, aut calidum ſiccum, vt bilioſum, aut frigidum humidum, vt pituitoſum, aut frigidum ſiccum, vt melancholicum, B quibus ſi addideris εὔκρατον, in quo omnes elementorum qualitates, vt in ſanguine omnes humores, æqualiter permiſcentur, temperamentorum differentias breuiter & perſpicuè comprehenderis. Fruſtrà enim in plura diducitur quod æquè commodè in pauciora cogi & contrahi poteſt. Habent tamen ſingula latitudinem & differentiam maximam, cùm cuiuſque qualitatis ſint quatuor gradus. Item aut ſiccitas ita iungitur calori, vt calor ſit remiſſus, illa intenſa, vel contrà, calor intenſus, ſiccitas remiſſa. Hinc temperamentorum diſſimilitudines, in rebus etiam ſpeciei & rationis eiuſdem, propemodum innumerabiles.

SCHOLION.

PRIMÆ qualitates infinitis modis permiſcentur, vnde naſcuntur in mixtis, quin etiam in vnica hominum ſpecie, innumerabiles temperamentorum differentiæ: vix enim duos reperias eodem planè modo temperatos: cauſa tantæ diſſimilitudinis inde nata eſt, quod cuiuſque qualitatis maxima ſit latitudo, quam quatuor gradibus maiores noſtri, facilioris doctrinæ gratia, diſtinxerunt, ſinguloſque gradus in tres ordines diuiſerunt. Hæc tamen varietas temperamentorum, ad eam medicinæ partem releganda eſt quæ tractat de remedijs, quia nobis hoc loco tantum de hominum temperamentis diſſerere conſilium eſt. Inter quos etiamſi ſint alij alijs calidiores aut frigidiores: nemo tamen tam calidus eſt quàm euphorbium, nec tam frigidus quàm opium: quia comparatione cæterorum mixtorum natura facit hominem temperatiſſimum: Itaque prætermiſſis gradibus & ordinibus ſingulorum temperamentorum, contenti erimus ſumma complecti genera. Ea autem ſunt nouem, quatuor ſimplicia, totidem compoſita, & vnum eucraton, in omnium medio conſtitutum. C D

QVID IVSTITIA, QVID PONDERE temperatum. CAP. IIII.

Ariſt. 2. Phyſ. & 4. Metaphyſ.

VT differunt cauſa & modus cauſæ, ſunt enim quatuor genera cauſarum, materia, forma, finis, efficiens, ſex modi, qui in ſingula cauſarum genera conueniunt, per ſe, per accidens, Actu, potentia, Prius, poſterius, vniuerſale ſingulare, Solum coniunctum, proximum remotum: ſic aliud eſt temperamentum, aliud modus temperamenti, ſunt enim nouem, niſi malis quinque, genera temperamentorum, duo tantum modi: Abſolutè enim vel comparatè dicitur vnumquodque temperamentum. Quare cùm ad quæſtionem homonymam non ſit ſimpliciter reſpondendum, ne in ſophiſtarum reprehenſionem incurramus, quærenti rei alicuius temperaturam, non erit ſine diſtinctione reſpondendum: Omnia enim quamquam abſolutè & per ſe temperata, ad hominem relata, intemperata videbuntur. Abſolutè calidum, aut temperatum, dicitur rurſum duobus modis, exquiſitè, aut in ſuo genere: appello temperatum exquiſitè, in quo elementa ſunt æqualiter commixta, miſcentur autem æqualiter, aut quia ſit omnium par quãtitas, qui modus non eſt poſſibilis, quia paucus ignis æquare poteſt viribus magnam terræ molem, cum calor ſit actuoſiſſimus, ſiccitas ignauiſſima, nec dubium eſt terram, vt lignum, à pari igne cito conſumptum iri, ſicque fore ortum & accretionem ignis, interitum terræ, cum tamen in mixto manere oporteat E

ἁπλῶς dicitur, aut κυρίως, Gale. vocat ἀκριβῶς aut καθόλου Ariſt. 1. de Ortu.

A oporteat quæ miſcentur. Præterea, cùm mixtum moueatur ad nutum elementi prædominantis, ſi omnum elementorum in mixto par & ęqualis eſſet quãtitas, ſtaret immotum, nam ſi deſcendat, terræ aut aquæ dominantis pondere mouebitur, ſi aſcendat, ignis aut aëris leuitate feretur. Hoc ergo reliquum eſt, vt qualitatibus æqualiter miſceantur, qualitatibus inquam non materialibus, vt grauitate & leuitate, ſed formalibus, calore, frigore, humore, & ſiccitate, quamquam ne hanc quidem vſque adeo exactam æqualitatem facilè quiuis admiſerit, nam cutis omnium temperatiſſima, ad frigus & ſiccitatem videtur paululum inclinare. In cuius mixtione etſi vnum elementum alteri non præualeret, hanc tamen mixtionem iuſtitiæ potius dixerim, quàm ponderis. Iuſta enim natura geometricè res ſuas diſpenſat, vtque iudex honores & pœnas, duo Reipublicæ præmia, pro facti & perſonæ merito diſtribuit inæqualiter, cuidam plus, alteri minus: In ea tamen diſtributione inæquali ſumma conB ſiſtit æqualitas, neque enim ſuum cuique redderet, ſi arithmeticè nulla perſonæ, aut meriti ratione illa diſpertiret. Ita Deus naturæ, ſuorum operum quædam calida, alia temperata, & in ſingulis generibus alia aliis dum facit temperatiora, γεωμετρίζει. Quemadmodum enim ciuitas non poteſt conſtare ſolis medicis, neque ſolis araroribus, ſed medicis & aratoribus, quoque ſunt plura hominum diuerſas artes tractantium genera, eò ciuitas eſt honoratior: Ita mundus (ampla ciuitas cuius nos ſumus incolæ & ciues) non debuit conſtare rebus eodem modo temperatis: Imò verò quò plures ſunt diſſimilitudines temperamentorum, eò maieſtas, miniſtra natura, temperantis Dei, magis reſplendet: Nam ſi functiones ſequuntur temperamentum: Illas autem diſſimiles eſſe conueniat ad decus vniuerſi, prudentiam opificis, & ſpeciei commoditatem, non eſt dubium oportuiſſe ſingula non vno modo temperari: Benè tempeC ratum dicimus, quod naturæ ſuæ conuenienter, naturæ verò conuenienter temperatũ, quod proprias functiones obire poteſt: Optimè tẽperatum quod omnes actiones, naturales, vitales, & animales, habet perfectas: Natura enim ſingulis formis dat cõuenientem materiam, & exercendis functionibus accõmodata inſtrumẽta, formę optimę corpus optimè temperatum & conformatum, qualis cum ſit hominis forma, conſequens eſt illius corpus eſſe temperatiſſimum. Hoc cum ſit opus iuſtitiæ, non temerè Auenrois & Auicenna temperamentum ponderis excludunt, quod Fernelius aſtruit duobus argumentis: Priore, quod nihil prohibeat qualitates ſummas tam exquiſitè miſceri, vt mixtio non magis in vnum quàm in alterum contrarium propendeat: ſed petit principium, quia accipit in argumentum quod Auenrois ponit in quæſtione, negat enim qualitates ſummas permiſceri, propterea quod illas prius alD terari oportuit, neque negat elementorum qualitates miſceri poſſe æqualiter, etſi nihil tale in natura reperiatur, ſed idea ſit potius temperamenti, qualis oratoris à Cicerone, Reipub. à Platone, ſapientis à Stoïcis, fingitur, quæ ſit menſura & regula omnium temperamentorum, verùm negat hoc genus temperamenti eſſe ponderis, in quo ſit elementorum pondus omnino inæquale: adeo vt de verbo magis quàm de re videatur eſſe controuerſia. Poſteriore, quia non ſit progreſſus ab extremo vno in alterum niſi per medium æqualiter diſtãs ab extremis, vt os ab initio humidiſſimum, non poteſt effici ſicciſſimum niſi prius ad naturam & temperiem exquiſitè mediam deducatur. Ex pueritia calida humida, ad extremum ſenium, frigidum ſiccum, non ſit progreſſus niſi per adoleſcentiam, mediam & temperatam: Ita calidiſſimum, prius tepidum reddi neceſſe eſt, quàm fiat frigidiſſimum: ſed in puncto illo exquiſitè meE dio, non plus momento natura ſubſiſtit, quare videtur potius cauſa doctrinæ poni, quàm actu dari exquiſitè tẽperatum, niſi fortè ſuam habeat latitudinem & id in quo nulla qualitas ad ſenſum exuperat, pondere temperatum appellemus: medicus enim eſt ſenſualis phyſicus, idque ſæpenumerò dicit non eſſe, quod ſenſu non deprehendit.

Ariſt. 2. de anima & lib. de ſenſu ſcribit ſenſorium tactus eſſe terrenum, quod quidam de neruo non cute interpretantur.

Homo in ſua ſpecie tẽperatus, eſt in vniuerſa ſubſtãtia temperatus, quare καθόλου & κυρίως.

Temperatum ad põdus eſt imaginarium, non tamen ineptè & temerè confictum.

SCHOLION.

Naturne temperamentum ad pondus? Diſtinguo: ſi finiatur pondere temperatum in quo ſit elementorum par quantitas, tale ne cogitatione quidem fingi poteſt: verum ſi finiatur in cuius conſtitutione omnes primæ qualitates æqualiter permiſcentur: etiam ſi fortaſsis nil extet tam exquiſitè temperatum, tamen nil vetat animo concipi, vt ſit

aliorum exemplar & menſura: vt quæcumque ad illius naturam propius accedent, temperatiora A *iudicentur.*

Fortaſſis inter homines extat aliquis, præſertim in adoleſcentia, ſaltem aliqua parte, vt cute, tam benè temperatus: verum quia qualitates actiuæ producunt paſſiuas, calor ſiccitatem, frigus humiditatem, non poteſt diu ſtatus iſte perdurare: vt vt ſit, videtur hoc eſſe opus iuſtitiæ, omnia proportione non Arithmetica, ſed Geometrica temperantis: Iuſta enim natura, dum facit omnia in ſuo genere perfecta, prout poſtulat vſus cui deſtinantur: (finis enim regit actiones naturæ) mineralia non ita ac plantas, neque has vt animalia temperat: hominem verò exquiſitiùs, quia meliori fini illum deſtinat, & inter homines quoſdam accuratiùs, vt vnus imperet, alter ſeruiat: proinde ad pondus & ad Iuſtitiam temperatum, non videntur differentiæ quæ ex aduerſo poſitæ diuidant temperamentum, quia numquam vna de altera affirmari poſſet: Exquiſitè autem, ſeu ad pondus temperatum nihil vetat dici iuſtè temperatum.

B

HOMINIS TACTVM DISCERNENDI temperamenti legem eſſe & iudicem.

CAP. V.

Phyſicus abſolutè & per ſe rerũ temperamenta conſiderat, medicus ratione noſtri, ſumus enim nos menſura temperamentorum.

DECEBAT animal ſapientiſſimum rerum differentias temperamentorumque ſimilitudines & diſſimilitudines internoſcere, quia in hoc vertitur principium humanæ ſapientiæ, non poſſunt autem dignoſci abſque aliquo medio & inſtrumento: Itaque tribuendum erat homini, naturæ inſtituto ſapienti, temperamentorum aliquod Critirion. Arbi- C ter autem vni parti addictus non poteſt integrè iudicare, lingua enim bile perfuſa renũtiat amara omnia, Per vitrum viride credũtur omnia viridia, quinimò intellectus, ſi haberet quaſdã notiones & ſpecies rerum inſitas, non intelligeret omnia, quare iudicem temperamentorum ex omnium qualitatum mediocritate conſtitui oportuit, neque potius in vnam quàm in alteram partem inclinare: Eiuſmodi creditur eſſe cutis interior hominis temperati, eſt enim actiuis & paſſiuis temperata: In paſſiuis, quia conſtat neruo duro, & carne molli: in actiuis, quia eſt neruus ſanguine perfuſus, neruus autem frigidus eſt, ſanguis calidus: Adhæc ſenſus fit perpeſſione, paſſio omnis à contrario, extrema pugnant medio, quare temperata eſſe debuit, vt ſua temperie omnes intemperies, & exuperantias qualitatum tractabilium, tam primarum, quàm ſecundarum, internoſceret. Dicet aliquis, quo modo igitur cognoſcet temperata cum ſint ſimilia? priuatione non habitu, quæcumque enim nec calida D ſentiet aut frigida, nec humida aut ſicca, temperata iudicabit. Cutem manus præſertim intelligo, non eam quæ tegit volam, illi enim durus tendo ſubtenditur, & attritu continuo denſatur, ſed eam potius quæ ineſt extremitatibus. Eſt autem manus inſtrumentum ſapientiæ, ſoli homini propterea tributa à natura, quia ſolus ſapit: Manus inquam, eſt inſtrumentum inſtrumentorum, fruſtrà enim naturam veluti nouercam incuſamus, quòd cæteras animantes armârit, & aliquo vitæ propugnaculo munierit, quo ſe ab externis iniuriis defendant, hominem verò inermem produxerit: quandoquidem manus eſt potentia omnia inſtrumenta. Nullum eſt quod illius opera homo ſibi non affabrefaciat, manu tangit & apprehendit, ingenio comprehendit omnia, quid multa? Eſt inſtrumentum tactus, tactu tractabiles qualitates diſcernuntur, vt viſu colores, ſoni auditu, odores odoratu, ſapores guſtu, E ſenſus enim non errar in proprio obiecto. Atqui quo tactilia, eodem temperamenta iudicantur. Ergo cutis, cùm ſit tactus ſenſorium & tractabiles qualitates diſcernendi inſtrumentum, Temperamentorum critirion appelletur. Cute, vt aurifex Lydio lapide, aurum purũ ab adulterino, natiuum à factitio, Architectus amuſſi, obliquum à recto, (eſt enim rectum iudex ſui & obliqui) homo rerum omnium temperamenta dignoſcit, Eſtque menſura rerum ſublunarium, quia quod præſtat, aliis debet eſſe pro regula.

Cutis eſt inſtrumentum tactus, quare qui ſunt tactu exquiſitiore, vt temperatiores, ſic ingenioſiores iudicantur. Ariſt. 2. de anima.

A

SCHOLION.

Vstvs & tactus sunt sensus necessarij ad vitam, quibus nullum animal sine manifesta vitæ iactura carere potest, vtroque enim vtilia ab inutilibus, vt alimenta à venenis, discernit: vt hæc deuitet, illa persequatur: Qualitates verò tractabiles, vel sunt primæ, vt calidum, frigidum, humidum, siccum: vel secundæ, ex illis progenitæ, vt durum, molle: Durum sicci, molle humidi dominatu: Atqui quo sensu tactiles qualitates, eodem temperamentorum primæ differentiæ distinguuntur; hoc esse natura calidum, illud frigidum tactus discernit: Esto igitur tactus temperamentorum critérion; quemadmodum & eorum quæ sui tangendi copiam faciunt: Quo instrumento? profectò magna contentione pugnatur de sensorio tactus: Aristoteles ipse videtur suis interpretibus dedisse occasionem disputandi, modo enim ait cor esse sensorium tactus, modo carnem, modo neruum: distinctione B *opus est, nam cor est primarium, atque, vt ita dicam, originale siue radicale principium, quia neruos inde oriri existimauit & sentiendi vim per neruos ad cutem influere, quod de cerebro affirmant medici: caro est medium internum, quando enim Aristoteles scribit contactum fieri absque medio, intelligendus est de externo: non fieri scilicet per aërem aut aquam, sentit enim neruu ministerio vi sensifica influente à cerebro ad interiectam carnem: Præstat autem constituere tactus sensiterium: constat enim subiecta carne infinitis neruulis conspersa, vtroque coniunctim, non diuisim, tractabiles qualitates & temperies tactus discernit.*

DE SINGVLARVM PARTIVM corporis humani temperatura.

C

CAP. VI.

Iximvs quid, & quotuplex temperamentum, quoque instrumento sit vnumquodque discernendum. Proximum est, vt singularum partium temperamenta hoc modo & ordine proponamus, vt Cutis in medio omnium calidorum, frigidorum, humidorum & siccorum constituatur, & quæcumque ab eius moderatione longius abesse videbuntur, intemperatiora iudicentur, sic in ordine calidorum vtrum altero calidius, & quodnam sit calidissimum cognoscitur: In quo Galenus sibi non videtur constare, qui primo de Temperamentis scripserit sanguinem esse calidissimum, eiusdem operis secundo, Cor, libro de inæquali intemperie, bilem, alibi spiritum, qui sanè videtur vt tenuissimus & leuissimus, ita calidissi- D mus, non quòd maximè omnium calefaciat, sic enim bilis calidior, sed quòd sit primum subiectum caloris.

De Cordis temperatura docti decertant, Auenrois contendit, illud non per se, sed à spiritu, motu, & arterioso sanguine, calidum esse. Verum cum sit fons spiritus & caloris, fiatque ex materni sanguinis calidiori portione, magis consentaneum videtur illud cum Galeno temperamento calidum, quàm frigidum iudicare. Vtroque sanguis minus calidus est, post hunc caro simplex, sit enim ex sanguine resiccato, nec nisi illius causa in calidis habetur. Hanc sequitur caro visceris, quam Erasistratus παρέγχυμα, sanguinis suffusi concretionem appellabat. Auicenna carnem iecoris, carne simplici, qualis in gingiuis, & glande pudendi, maximè verò ea quæ musculorum fibris adnascitur, calidiorem esse putat, propterea quod à fibris refrigeretur: Potentius illud argumentum, quod hepar sit principium sanguinis, propterea enim qui- E dam illud sanguine, proinde carne, calidius esse demonstrant. *Ordo calidorum.*

Vt spiritus, quoniam igneus, calidissimus, sic pituita, eo quod sit aquea, frigidissima perhibetur: nec refert si ab Auicenna dicatur similis sanguini: Ille enim ad substantiæ similitudinem respexit, propter quam pituita dulcis facile in sanguinem trãsmutatur, non ad symbolum qualitatis. Ad pituitam proximè accedunt pili, vt terra ad frigus aquæ, sed quia non sunt partes corporis viuentis, à Fernelio subijciuntur. Os ergo secundum in frigidis nominatur, deinde cartilago, Cartilaginosum ligamentum, tendo, membrana, arteria, vena, nerui motorij & sensorij, spinæ medulla, impropriè sic dicta, cum medulla sit pinguis & liquabilis, fiatque proximè ex sanguine, (vnde in pueris rubra cernitur) dura etiam mollit & resoluit, quæ sunt caloris, non frigoris indicia. Deinceps est cerebrum, de cuius temperamento *Ordo frigidorum.*

non conuenit Galeno cum Aristotel. Galenus ducit argumentum à tactu, Fallax argumentum, nisi regatur ratione. Ea enim quæ per se calida aut frigida sunt, ab his quæ per accidens talia sunt, non discernit tactus, sed ratio. Aristotelei ergò respondent, illud spiritu, motu, & expirationum continuo appulsu incalescere, substantia sua & temperamento frigidum, his argumentis ostendunt: Primò, quod sit pars spermatica: secundò, quod nutriatur sanguine pituitoso: tertiò, quod effectus frigidos producat, mucum, coryzam, raucedinem, catarrhum, oculum, neruum, somnum: quartò, quod eius tota substantia sit terrestris & aquea, friatur enim, & in pulueres igne comminuitur, aqua expirante: Pro Galeno pugnare videtur hæc ratio: Natura accommodat instrumenta facultatibus, & formæ conuenientem materiam supponit, atqui animali facultati frigidum est planè dissentaneum, frigus enim ignauum est & ad omnia animę opera planè ineptū, efficax & actuosus calor, quare non est verò simile, prudentem naturam, in habitaculo frigido, arcem rationis, sensusque & motus principium collocasse: An non est hoc admirabilius quàm animatum esse semen? An ex naturæ prudentia sumenda est argumenti solutio? Illa enim facit quod melius est, at si cerebrum spiritu, motu, & fumo assiduè incalescens, præterea sua substantia esset calidum, cum sit friabile, facile & leui occasione in pulueres solueretur. Itaque externus iste calor insito frigore fuit contemperandus, vt fieret aptum melioris animæ domicilium. Accedit quod spiritus vitalis alioqui feruentior cerebri frigore fuit contemperandus. A B

Lege Gal. l. de oculis vbi etiam docet cur oportuerit esse humidum.

In ordine frigidorum postremus est adeps, pinguedo enim est nota naturæ frigidioris, quem tamen calidum videntur hæc argumenta demonstrare: Primò, quod fiat ex pingui & oleosa portione sanguinis, sitq; illius & seminis materia communis. Cur enim castrata animalia pinguescunt? quia portio illa sanguinis, quam natura in semen transmutabat, in pinguedinem concrescit, atqui semen fit ex meliori portione sanguinis. Item liquatur & inflammatur, nihil autem tale, potest esse frigidum. Respondendum, illum quidem ratione suæ substantiæ esse calidum, frigidum verò causa efficientis, fit enim frigore partium spermaticarum, vt membranarum, ad quas appellens pinguior sanguinis portio, consistentiam accipit. Sic Aristoteli conciliandus est Galenus, ille enim, omne pingue calidum esse scribit quinto problemate octauæ sectionis. Hic verò, frigidum, 2. de temp. C

Distinguendus etiam adeps à seuo, hoc enim fit ex parte sanguinis magis terrestri, propterea tardiùs liquatur, ocyùs concrescit. Hinc cornigera cum sint ficciora, abundant seuo; cætera quia sunt humidiora, vt sues, adipe.

Arist. in lib. de hist. ani.

Galenus proponit regulam, per quam facilè quisque partes humidas à siccis internoscat: Quæ enim contactu duræ deprehenduntur, inquit, siccæ, quæ molles, humidæ iudicentur: Dicet aliquis, durum dicitur tribus modis, siccitate, concretione, repletione. In tympanite venter, in phlegmone pars affecta, repletione dura est, gelu concretione, os siccitate. Item, cera per se sicca, liquata tamen mollis sentitur, & metallum fusum si tetigeris, humidum esse affirmabis, non ergo protinus si quid durum, siccum, nec si quid molle, humidum dici debet. Respondet, durum repletione magis propriè ἀντίτυπον, renitens, appellari, durum verò concretione in corpore viuentis animalis reperiri non posse, quia non possit tam vehemens esse frigus, vt humores conglaciet, potest quidem pinguior portio saguinis in adipem concrescere, sed cum sit aëria, congelari non potest: quare reliquum esse, vt quæcunque pars contactu dura deprehendetur, siccitate dura iudicetur. Adhæc, non potest in nobis vigere tantus calor, vt quemadmodum ignis artificialis metalla, ita solida & consistentia omnino fundat. Itaque possis audenter partes ad tactum molles humidas affirmare. Hac regula Galenus pulmonem suo temperamento humidum pronuntiat, quem tamen constat nutriri bilioso sanguine, vnumquodque autem nutritur simili, quare ex accidenti tantum, propter fluxiones quibus est opportunus, quia rarus, spongiosus, depressus, & irrequieto motu calefactus, humidus videtur Arabibus, nisi fortè primo naturæ instituto humidus sit, ne continuo motu incalescens exsiccetur. D E

Gal. 5. de facult. simpl. cap. 5.

Addit Gal. restrictionē, mollia inquit, humida si mollities sit cum tepido calore, nam mollities liquati plūbi est cum calore vehementi.

Ordo

A

Ordo humidorum.		Ordo ſiccorum.
Pituita		*Os*
Sanguis		*Cartilago*
Adeps		*Ligamentum*
Seuum		*Tendo*
Cerebrum		*Panniculus*
Spinæ medulla		*Arteriæ*
Caro	(*mammillarum*	*Venæ*
Pulmo	(*teſtium*	*Nerui motorij*
Hepar		*Cor*
Renes		*Nerui ſenſorij*
Linguæ Muſculus		———
———		*Cutis*
Cutis		

Vterque ex Auicenna.

B

SCHOLION.

Quæ controuerti ſolent de temperatura partium corporis humani hoc capite paucis explicantur: Omnia ferè ſunt dubia & incerta, nam Auenrois contendit cor eſſe frigidum natura, quamuis contactu calidum ſentiatur, quia pluribus partibus frigi- C *dis conſtet, venis, aorta, valuulis: quæ præponderarent illius carni: reſpondeo iſtas partes non eſſe de ſubſtantia cordis: inſeri quidem cordi, illud non conſtituere.*

De ſanguinis temperie non videtur quæſtio definita, nam Hippocrates ſcribit eſſe frigidum, Ariſtoteles aqueum: Galenus calidum, quia talis ſentiatur: quid ſi Ariſtoteles reſponderet incaleſcere à ſpiritu, quo vaneſcente mox refrigeſcit: quaſi ſponte redeat ad temperiem naturalem: verùm Ariſtoteles ipſe quæſtionem ita diſſoluit: vinum & ſanguis, quamuis ſubſtantia ſint aquea, energia tamen ſunt calida. De temperamento pulmonis non ſatis conuenit inter doctos: Auenrois enim contendit eſſe calidum ſiccum, quia nutritur ſanguine bilioſo, eadem autem ſunt principia conſtitutionis quæ nutritionis.

Galenus ſcribit eſſe humidum, argumento ducto à tactu, quod mollis ſentiatur; verum Auenrois reſpondet eſſe mollem ex accidenti, quia diſtillatione humeſcit: Autor libri de corde ſcribit D *eſſe frigidum, quia inſpiratum aërem tranſmittit ad temperandum ardorem cordis, ac ſi illum ſubſtantia ſua refrigeret, non tanquam flabellum impellat. Inſpirat frigidum non aliter quàm follis, eùmque expulſione vehementi magis magiſque refrigerat.*

Venarum quoque & arteriarum temperies vocatur in quæſtionem, nam Auenrois & Auicenna inter partes frigidas enumerant, quia ſunt ſpermaticæ; Galenus, ducto argumento à tactu, mauult dicere calidas, quemadmodum & cerebrum calidum, etiamſi ſit ſpermaticum: fallit ſæpè tactus niſi regatur ratione.

DE VNIVERSI HOMINIS temperamento, neque viuens omne calidum eſſe.

E

CAP. VII.

QVæri ſolet cur φιλάνθρωπος natura, non fecerit hominem omni parte, ſed cute ſola temperatum. Reſpondetur, vt expedit vniuerſo partes habere diſſimiles, ita μικροκόσμου particulas, diſſimili modo temperandas & conformandas fuiſſe, vt haberent ſingulæ proprias & differentes functiones. Vnius enim temperamenti vna eſt functio, hinc homogenea, vnam & ſimplicem habent actionem, heterogenea, variam & diſſimilem, eóque diſſimiliorem quò perfectiora. Rerum enim perfectio, formis, formarum verò, facultatum & functionum varietate æſtimatur. Præſtantiores quippe iudicantur, de phyſicis loquor, ne quis cœleſtes formas aut metaphyſicas obiiciat, quæ plures functiones poſſunt exercere:

Inanimata, quæ sola regit natura, animatis hac ratione sunt imperfectiora. In animatorum genere belluæ præstant plantis, necnon belluæ belluis, plantæ plantis, quæ plures obeunt functiones. Hominem igitur animalium omnium præstantissimum, vt plures facultates & functiones decent, ita plures partes dissimili modo temperatę: Ex omnibus tamen communis vnaque temperies consurgit, vt ex mixtilium alteratione vnio, quæ temperamentū totius appellatur: Siccitatem ossis, sanguis, sanguinis humiditatem, os, ita vicissim contemperat, vt ex contrariis temperamētis fiat vnum: Quemadmodum enim totum nihil est aliud quàm suæ partes, vnitę & simul sumptę, ita temperamentum totius, nihil est quàm temperamenti partium omnium vnio. Hoc quale sit in re quaque, cutis indicat, qualis enim res sentitur, si modo nec ipsa, nec manus tangentis medici fuerit alterata, tale esse rei temperamentum probabile est, non tamen necessarium, nam multa animalia vt ὀστρακόδερμα, cute sunt sicca & prędura, carne molli: Vides vt lactis triplex sit substantia temperamentis distincta? Serum, frigidum humidum, caseus, frigidus siccus, butyrum, calidum humidum, totum verò lac temperatum, aliquantum ad frigidum humidum inclinans? Viden' vt compositi medicamenti vna sit forma nata ex simplicium mixtione, distincta tamen à simplicium singulorum viribus & formis? Ecquid aliud species quàm singulorum communio? differt tamen ab illis seorsim sumptis. Prudenter ergo Galenus admonet, ne ex vnius partis temperatura totius temperamentum coniiciamus. Hoc mixti temperamentum, cum temperamento viuentis nemo confundat, omne enim viuens, quatenus tale, est calidum humidum, quia his principiis vita subsistit, nam quidquid viuit nutriri necesse est, nutrimur cocto primum alimento, coquitur calore moderato. Tum ex primis qualitatibus duæ sunt, ita loquar, positiuæ, calor & humor, totidem priuantes, frigus & siccitas: humoris priuatio: Vita est habitus, mors priuatio, hæc ergo priuantibus: Illa, hecticis qualitatibus finienda est: Atqui multa, etiam dum viuunt, temperamento sunt frigidissima, vt cicuta & Salamandra, hęc enim luculentum focum extinguit, illa calidissimum cor refrigerat. Aliud ergo viuentis, aliud mixti, temperamentum: Alia sunt vitæ, alia mixtionis principia.

Gal. tamen siccitatem humore efficaciorem dicit.

SCHOLION.

Estne totius & partium idem temperamentum? quidni cum idem sit totum quod suæ partes, si modo coniunctim sumantur non diuisim: quamuis enim singulæ habeant proprium temperamentum (quia omnes partes conspirant in vnum, laborántque pro conseruatione totius ex qua suam pendere natura duce præsentiant) ex omnibus resultat vnum temperamentum, quod non est huius aut illius partis, sed simul omnium: neque enim syndesmo tantum, sed etiam vnione formæ sunt vnum, quantumuis differentes: quæ communis forma, vt partes omnes perficit, sic ex earumdem temperie & harmonia profecta videtur non aliter quàm temperamentum cuiusque partis ex mixtione primarum qualitatum: nisi ipsamet harmonia potius videatur: Quid ergo est temperamentum partis? qualitas elementi ex mixtione prædominantis, qualitas exuperans in mixto. Quid est temperamentum totius? harmonia temperamentorum partium humani corporis: natura calidus dicitur, cuius si non plures, saltem præcipuæ partes sunt calidæ, vt cor, iecur: ita de cæteris sentiendum.

Quæritur secundo loco, An omne viuens calidum: negat Fernelius, quia multa viuentia, vt papauer & Salamandra, sunt adeo frigida vt stupefaciant: Salamandræ sanguine si manus illeueris, candens ferrum impune contrectabis: Si sanguis, thesaurus vitæ, caloris & spiritus viuifici primum subiectum, sit frigidissimus, potestne Salamandra dici calida? an sanguis tamdiu calidus est quamdiu viuit Salamandra, qua mortua, quia euanuerunt calor & spiritus, nihil prohibet quin sit aqua frigidior: De cicuta idem videtur sentiendum: quamdiu viuit non habet succum summè frigidum; quia à vitali calore temperatur, quo extincto summè refrigerat. Potestne subsistere paucus & languidus calor cum summo frigore? quidni? quia contrarium quod valde exuperat, alterum perimit. Respondeo calorem vitalem esse cœlestem, proinde agendo non repati ab elementorum qualitatibus: Itaque principia vitæ distinguenda sunt à principiis mixtionis: Temperamentum viuentis à temperamento mixti. Differunt etenim quæ seorsim existunt, quorúmque vno pereunte alterum manet: atqui sublatis per mortem fatalem vitæ principiis, nihilominus manet mixtionis temperamentum: piper mortuum, est calidum, lactuca frigida & humida: Antonius Parmensis contendit his argumentis necessariò vtrumque temperamentum esse distinguendum:

cuius

A *cuius opinionem refellit Gentilis, alter interpres Auicennæ, quia non sit consentaneum in cicuta frigidissima tantillum calorem tamdiu dominari: quod non est mirum si calor vitalis sit cœlestis: Cæterum Fernelius existimat ex principijs vitæ & mixtionis exurgere temperamentum totius: Oriri ex harmonia vtriusque temperamenti, viuentis & mixti, qua de re docti viderint: hoc posito: temperamentum malè definiuit, concentum mixtionis: Debuit enim finiri, concentus vitæ & mixtionis: Deinde quomodo seruari poterit temperamentum frigidum siccum, quale est melancholicum: adde quod calidi humidi erunt temperatissimi, quia maior in illis harmonia.*

VT TACTVS NON SIMPLICITER singularum partium temperamenta discernat.

B

CAP. VIII.

NON placet hæc Galeni sententia: Calidi & frigidi solus tactus est iudex, humidi & sicci cum tactu ratio. Dicitur enim calidum, actu, aut potentia quomodo cathartica omnia, piper, calx, & cinis, calida sunt: Atqui, hoc, non tactus, sed ratio discernit. Calidum actu, aut per se, aut per aliud dicitur, atqui, arteria per se frigida, contactu calida iudicabitur, debet autem calidum esse per se, quod substantia & temperamento tale dicitur. Ergo vt humidi & sicci, ita calidi & frigidi cum tactu iudex sit ratio, nec prius quidpiam temperatura calidum affirmes, quàm sitne per se, an per aliud tale, diligenter exploraris. Equidem pugnare ratione contra sensum, vt niuem nigram docere, quia sit C aqua frigore concreta, frigus autem concretione denigrat, vt nubem densans: calor verò adustione, furoris est, sitque stupidus necesse est, qui neget ignem esse calidum: sapienter enim Diogenes, cùm audiret Zenonem sex illis argumentis quæ leguntur 6. Physic. ex publico suggestu demonstrantem, omnia quiescere, nil moueri posse, surrexit, & per scholam deambulauit, vt sensu & experientia sophistæ argutias refutaret, sed sensuum iudicio modus aliquis statuẽdus est: Rem esse calidam solo contactu percipio, neque ad hoc rationis opem imploro, verùm sitne actu an potentia, per se an per accidens calida, cum ratione cognosco.

2. de temp.

Aliud est calidum, aliud calefactum, &c. hoc per aliud, illud per se & natura tale.

SCHOLION.

ACTVS, potentia, per se, per accidens, sunt primæ differentiæ entis Metaphysici: per se tale dicitur quod natura sua tale, per accidens quod ascititum est: Actu tale sensus percipit, ratio potentia tale. Aqua actu calida, aut vt melius dicam, calefacta: talis tangendo D *percipitur. Calx & Euphorbium videbuntur media hyeme contactus iudicio frigida, quæ tamen assumpta & à viuentis calore potentia eorum occulta in actum deducta actu calefaciũt: Per accidens tale, abeunte aduentitia qualitate redit ad naturam: aqua enim calefacta paulatim refrigescit calore vanescente: falletur igitur qui calefactum, per se calidum dixerit: Atqui tactu tale sentitur, ergo calidi & frigidi tactus non est fidelis nuntius, sola ratio quod est per se tale, ab eo quod per accidens distinguit, actum à potentia.*

MVLTIS CAVSIS INGENITVM temperamentum mutari.

E

CAP. IX.

NATVRA est quouis habitu adepto permanẽtior. Habitus enim longa consuetudine firmatus, est altera natura, atqui habitus inueteratus & tempore cõfirmatus difficilè dimouetur. Ergo multo difficilius est natiuum tẽperamentum quàm acquisitum immutare, quod iis medicis perspicuum est, qui experientia didicerũt naturæ vitia difficillimè curari. Possunt tamen vt pingues, inedia, curis, vigiliis gracilescere, ita graciles otio & delicatiore vita pinguescere, tandemque naturalem habitum in contrarium permutare, sed non cito, nec facilè, natura enim est firma & constans, imò, dicet aliquis, si centies milles in altum lapidẽ proieceris, nunquam eò sponte ferri assuescet, ac proinde immutabilis. An naturæ nomine veteres solam materiam designabant, materiales autem qualitates, immuta-

ri quidem non possunt, sed temperamentum est qualitas formalis, propterea ægrè A quidem, sed arte, consuetudine, mutata vitæ ratione, aliquando tandem poterit immutari? Arbor enim de Perside in Ægyptum traslanta, venenatam qualitatem salutari permutauit. Fernelius partium solidarum temperiem alterari & peruerti posse fatetur, in alteram naturam degenerare posse non admittit, qua de re docti viderint.

Gal. 3. de caus. symp.

SCHOLION.

Aeris qualitatibus alteratur temperamentum, manifestius alimenti, tandem enim assimilat sibi substantiam nutriti, vt experimur in vitiligine: longo enim vsu frigidioris alimenti refrigeratum iecur pituitosum gignit sanguinem, cuius diuturno vsu caro ipsa alba qualis cancrorum, redditur, Boeti & Thessali coturnicum esu purgantur, quia elleboro nutriuntur, & in Arcadia, caro bubula ineunte vere purgat, quia tum boues medicatis herbis vescuntur: Atqui caro non acquireret vim purgandi nisi esset in suo temperamento multum immutata, ex carne viperæ subacta cum farina, paratur pasta pro elephanticis, qua nutritæ gallinæ acquirunt viperarum temperamentum: Quid multa? tales sumus qualis sanguis, quia transit in substantiam partis, neque tantum alterat aut peruertit temperamentum, sed etiam in contrarium transmutat, vt patet vitiliginis exemplo. B

QVID ÆTAS, QVOT ÆTATVM differentiæ, vtque illarum progressu cuiusque temperamentum vertatur.

CAP. X.

C

TRIBVS causis ius naturę persoluendum est, & omni homini fatali necessitate moriendum. Constamus enim elementari materia, quam distinguit à cœlesti & trāsmutabilem reddit δύναμις ἀντιφάσεως. Tum nostrum corpus conflatum est ex naturis contrariis. Postremò, calor est agens physicum, & finitæ virtutis, repatitur enim agendo, vnde fit, vt non possit æqualem, minus eundem, humorem in eius locum quem assiduè populatur, reponere: His causis toto decursu vitæ assiduæ & graues mutationes accidunt, ex quibus sumuntur ætatum differentiæ. Ætas enim est spatium vitæ, aut mensura mutationum naturalium quæ toto vitæ curriculo contingunt. Toto autem vitæ & durationis tempore, natura patitur quatuor insignes mutationes, tótidem igitur sunt ætatum D discrimina: de quibus author lib. definit. medicarum ferè sic statuit.

Fernelio 5. sunt ætates, adolescentia ad ann. 25. Iuuentus ad 40. constans ætas ad 50. Prima sene. ad 65. Postrema ad summum diem.

Vita nostra vno seculo terminata est, quod spatium si quis excedat, idem facit quod aurigæ, qui præscriptam metam excurrunt: Huius seculi sunt quatuor quadræ, singulæ viginti quinque annis, plus minus, circumscriptæ: Adolescentia est analoga veri, & sanguinea: Iuuentus respondet æstati, estque biliosa: Inclinans ætas (cor enim ad quinquagesimum annum quotannis accrescit vna drachma, viribus, non mole æstimanda) autumno similis est & melancholica: Senectus hyemi finitima, atque pituitosa. Humor autem qui dominatur, refert & indicat temperamentum, quare prima ætas, calida humida, secunda, calida sicca, tertia, frigida sicca, postrema, frigida humida, iudicetur: sic enim fit mutatio ex contrario in contrarium per media. Adolescentia, infantiam, pueritiam, pubertatem; & eam quæ nomine generis appellatur, includit. Iuuentus virilem & florentem ætatem comprehendit. E

Auicenna adolescentiam terminat anno 30. iuuentutem 40. ætatem declinantem 60. senect. extremam vitæ periodo.

Hic sese offerunt magnæ dubitationes, quibus non sit facile sese expedire, nam Galenus damnat calidum humidum temperamentum, tamquam putredini & morbo magis opportunum, estque reuera calor humidus, autor putredinis, cuius iniurias frigidis & siccis propulsamus.

Veruntamen, si frigidum siccum temperamentum sit pessimum, calidum humidum erit optimum. Tum nostra vita in calido humido posita est. Temperamentum autem quod est similius principiis vitæ, consentaneum est esse melius: Néc prætereundum, à Galeno sanguinem, ver, adolescentiam, calida humida, aliàs temperata nominari, ac si calidum humidum temperamentum, cum temperato confuderit, & optimum esse iudicarit, superioribus ergo respondetur: à calore quidem humido,

A putredinem induci, sed externo & alieno, insito verò res omnes à carie vindicari, quandiu enim viget, tandiu illæ solutæ putredine perdurant, quin aër ipse, natura calidus humidus, nunquam putret, nisi fortè quiete, vaporum contagione, aut cœlorum influxu à sua temperie recesserit. Non videtur tamen sic, planè soluta quæstio. Nam calidi humidi natura, vt sanguinei, hircum olent, eorumque excretiones omnes, deiectiones, vrinæ, sudores, fœtent, quæ sunt certissimæ notæ putredinis, maximè verò si sanguis fuerit corruptus, vt in synocho putri, nec dubium est sanguinem, quia sit calidus humidus, omnium facillimè putrere. Vndique angustiæ, nisi constituta distinctione temperamenti, in id quod mixti, & alterum quod sit viuentis, litem componamus: quam distinctionem videtur Galenus negligentiùs considerasse. Hinc nascitur altera quæstio. Veteres, inquit, negabant dari posse temperamentum calidum humidum, aut frigidum siccum, quia qualitates actiuæ producunt B passiuas, calor siccitatem, frigus humiditatem. Fernelius contrà, non putat calidum siccum, aut frigidum humidum vllum existere, quod magis admiror, cum ex Galeno quatuor simplicia, totidem composita, & vnum symmetron agnouerit. Responderet credo, aliud esse ætatis, aliud natiuum temperamentum, hoc enim mixtionem sequitur, illud principia vitæ: doctè quidem, sed quid vetat aliquam partem ætatis esse calidam & siccam? quia iuuentus habet multum humoris primigenij, cuius priuatione ætatis temperamentum, siccum appellatur.

Gal. 8. meth. cap. 7.

Age verò, Fernelij sententiam diligentiùs expendamus, continet enim multarum quæstionum fundamenta: Ætatum, inquit, tria sunt tantum temperamenta, calidum humidum, frigidum siccum, & his interiectum, temperatum. Cur ita? quia C temperamentum ætatis sequitur vitæ principia, illa autem sunt duo. Calor situs in humore primigenio, quem vt forma materiam, regit, informat, & perficit. Primo tempore natiuitatis, vtroque abundamus, indies enim siccescimus, humore illo paulatim absorpto, nascentes morimur, finisque ab origine pendet. Verùm ab humore copiosiore, energia caloris sopitur & obtunditur, vnde sensim emergens, vires acquirit, habetque principium, incrementum, statum (quo Fernelius describit ætatem temperatam) & declinationem: minutus pabulo, languet, eodem priuatus, marcescit, hinc frigus & siccitas: Prima igitur ætas, est humida magis quàm calida, Secunda, calida magis quàm humida. Vtraque tamen calida humida, quo ferè modo Galenus pertritam illam & paribus ferè rationum momentis in contrarias partes disputatam quæstionem: Síntne pueri, an iuuenes calidiores, dissoluit: Respondet enim pueros substantia & quãtitate caloris natiui, iuuenes energeia & qualitate, esse D calidiores. At iuuenes à Galeno dicuntur sicci, sic est, quia pueris comparati, sunt minus humidi, non absolutè & per se.

Occurrit noua, nec prætereunda quæstio: Galenus scribit ætatis inclinantis temperamentum esse melancholicum, quod demonstrat comment. ad 30. aphor. lib. 3. quia vt multa melancholia colligitur autumno, propter bilem æstu retorridam, sic eadem iuuentutis feruore adusta, ætate declinante, degenerat in melancholiam: Quæ si ita sunt, non tantum Galenus agnoscit temperamentum frigidum siccum, sed nominatim melancholicum. Cumque ætas inclinans proximè iuuentutem excipiat, non videtur ætatem mediam & constantem agnouisse. Tamen vt dicam liberè, sententia illa Galeni non caret dubitatione. Aliud enim est excremento, aliud natura & temperamento melancholicus, aliud etiam humor melancholicus, aliud atra E bilis, mihi enim non videtur natura melancholicus, qui insolatione, ratione victus, aut per ætatem, abundat atra bile, sed ille mihi est temperatura melancholicus, in cuius conformatione vicit melancholia, quod demonstrabo, si prius hanc quæstionem obiter attigero. Senes solidis partibus esse siccos in confesso est, aliquis tamen illos frigido & humido esse temperamento ita probabiliter contenderit. Talis tandem redditur constitutio nostri corporis, quale est quod quotidie sumitur alimentum. Hoc enim cum tempore nos immutat, sibique temperamentum assimilat, atqui pro humore primigenio alimentarius ille qui sufficitur, est crudus & aqueus, hac causa, anasarca, aut leuce, laborantis, temperamentum, est frigidum humidum. Nam frigidum hepar pro sanguine pituitam facit, quam in suam naturam cum tempore corpus transmutat, est enim vt lepra melancholica cãcer, sic pituitosa, œdema totius corporis: Itaque nihil valdè à ratione alienũ dixisse videbitur, qui adolescentiã, sanguineã,

2 de temp.

iuuentutem, biliosam, ætatem inclinantem, melancholicam, senectutem, phlegmaticam defenderit. Ego tamen malim his quatuor differentiis natiuum temperamentum diuidere, quàm vt barbari loquuntur, ætatiuum. A

SCHOLION.

AETAS non est curriculum vitæ, sed curriculi mensura: vt enim tempus non est duratio, sed mensura durationis cuiusque rei: sic ætas est tempus quo vitæ spacium distinguimus: distinguitur autem totum illud spacium, principio, incremento, statu & declinatione: principio tantum habemus calidi innati quantum postea vnquam, accrescit enim penes qualitatē non substantiam, aut quantitatē, nisi ex accidenti, ratione subiecti maioris, seu extensione materiæ: Postquā ad iustum & naturæ cuiusque viuentis cōueniens peruenit incrementum, aliquandiu in eodem statu manet, deinde declinat, vergitque ad interitum, imminuto caloris pabulo. Vt enim animalia initio vitæ abundant humido primigenio: Ita in fine, eiusdem priuatione marcescunt: nisi mors violenta præoccupet naturalem, hæ sunt quatuor insignes mutationes quæ toto vitæ curriculo contingunt in vitæ principijs. Principio includuntur infantia, pueritia, & pubertas: Incremento adolescentia & iuuentus: statu, virilis & consistens ætas: declinatione senectus triplex, cruda seu viridis, decrepita, & media, illis vt medium extremis, interiecta infantia ad annum vsque septimum extenditur, hanc excipit pueritia, quæ ad annum decimum quartum diffunditur: Tum pueri incipiunt pubescere, lanugo incipit in mento efflorescere: pubertatem sequitur adolescentia, quæ ab anno decimo octauo durat vsque ad vigesimum quintum, in quibusdam ad trigesimum: hæc ætas videtur tēperata, quod vtriusque principij vitæ magna tum sit æqualitas: Pueri enim magis sunt humidi quam calidi, iuuenes magis calidi quam humidi: Adolescentes vtriusque moderatione temperati. B

Cæterum internæ causæ fatalis interitus apud Galenum sunt tres, naturalis siccitas, paulatim absumpto humido primigenio, Triplicis substantiæ perennis dissipatio, solidæ, humidæ, & spirituosæ, & prouentus excrementorum ineuitabilis: Apud Aristotelem duæ sunt duntaxat, repugnantia & excretio, repugnantia inquam: Quia quæcunque constant contrarijs, insito principio tandem interire necesse est: excretio duplex, effluuium perenne, & copia excrementorum: Polypos cito mori propter copiam excrementorum scribit quarto de historia animalium. C

Adolescentiam iuuentus excipit, quæ ad annum trigesimum quintum, ad summum ad quadragesimum extenditur: sequitur deinde ætas consistens, sic dicta quod nulla in vitæ principijs, vix vlla in facie aut habitu, corporis mutatio percipiatur: quæ ad quinquagesimum vsque annum producitur: à quo iam incipit ætas declinans, principium senectutis, qua ætate ossa prædura sentiuntur, præ nimia siccitate, caro fibrosa, cutis arida & ad modum cribri peruia, instar ruinosi ædificij: Sunt quidem humidi humore excrementitio, priuatione radicalis, exucti. D

Cæterum hæc thesis solet disputari, An in omni animantium genere mas sit fortior & calidior fœmina: quia inter aues rapaces fœmina solet esse robustior, magis animosa, & ad venatum aptior, quæ sunt intensi caloris certa argumenta: Leæna quoque leone, & vrsa vrso ferocior perhibetur: Veruntamen videtur iste impetus iracundiæ ab impotentiore animo procedere, qui non possit regere primos animi motus, non à feruore sanguinis maiore, quandoquidem veluti rabie percitæ, præsertim dum catulos alunt, in obuium quemque furiosè irruunt, sed pugnando non perseuerant, vt leones & vrsi: Aues quidem rapaces, tam mares quam fœminæ, calido sunt temperamento, sed maribus tantus inest ardor, vt impediat accretionem, qua causa sunt minores & graciliores: qui quidem ardor cum in fœmellis temperetur, crescunt magis, & animæ functiones potentius exercent: Hypotesis, an vir muliere calidior, disputabitur libro de procreatione hominis. E

TEMPERAMENTVM NVLLVM biliosum, sanguineum, pituitosum, aut melancholicum dici debere.

CAP. XI.

FERNELIVS in eorum reprehensionem excurrit qui differentias natiui temperamenti quatuor humoribus expresserunt, ego verò qui Gallorum vernaculo & familiari sermone, quotidie audio humorem, pro natura & temperie cuiusque propria vsurpari, hoc non temerè olim assertum esse coniicio. Constamus enim duobus principiis, semine, vt efficiente, sanguine materno, vt materia, sangui-

A nis massa quatuor humores iucluduntur. Vt autem semẽ ex portione sanguinis frigidiore, frigidiores, ex calidiore, calidiores partes efformat: Ita si fortè tota massa sit biliosior, quid vetat totum qnod inde consurgit biliosum appellare? Præterea ex alimento solet natura humorem temperamento congenerem generare. Videas enim in naturis admodum calidis, bilem, in frigidis, pituitam dominari: non dico pituitam quam procreant externæ causæ, vt otium, hyems, tegio, frigidius alimentum, sed eam quæ connascitur, & quamquam variè ætate, morbo, aut similibus causis alteretur, nobis commoritur: finge enim duos, vnum frigidioris, alterum calidioris naturæ, si cætera sint paria, huius quàm illius sanguis faciliùs à calidis incalescet, illius verò, à frigidis refrigescet, nihilominus qualis à natura factus est, talis toto vitæ curriculo nuncupatur, sanguineus quippe vel biliosus. Temperamentum enim dependet ex elementorum mixtione, atqui coniuncta & vera nostri ortus elementa sunt semen
B & sanguis. Ignis enim, aër & aqua, sunt elementa mixtorum omnium cõmunia, non animalium perfectorum propria, ergo pro natura, proportione, & qualitate humoris in generatione vincentis, nihil prohibet quendam temperamento sanguineum, biliosum, pituitosum aut melancholicum nominare: Melancholicus inquit Galenus in libris de diæta, est nomen temperamenti: Vbi ille idem, Hipp. inquit, temperamenta designat quoties hos natura biliosos, illos verò melancholicos esse dicit: Si tamen magis placent differentiæ temperamentorum quæ vulgò probantur, illas habeto, hoc vnico conclusas syllogismo. Quot modis dicitur vnum contrarium, totidem & alterum. Atqui, intemperies quædam est totius, quædam partis, vtraque, vel æqualis, vt febris hectica, vel inæqualis, vt diaria & putris: Hæc tursum vel simplex, calida, frigida, humida, sicca: Aut coniuncta, calida humida, calida sicca, frigida
C humida, frigida sicca, nuda an cum materia iam nil refert. Ergo temperamentum quoddam est totius, alterum partis, vtrumque temperatum vel intemperatum: Hoc vel simplex, calidum, frigidum, humidum, siccum; vel coniunctum, calidum humidum, calidum siccum, frigidum humidum, frigidum siccum: Illud vel exquisitè, quod ad pondus, vel naturæ & actioni congruentet, quod ad iustitiam temperatum dici solet.

SCHOLION.

D *SVNTNE in hominum genere quidam temperamento bilisi, aut pituitosi? Quidni? quia natura est fixa, & mutari nescia, sanguis autem, bilis, pituita, & melancolicus succus non tantum per ætates mutantur, sed etiam per anni tempestates, quinimò per quatuor diei tempora: Respondeo eum non dici temperamento biliosum, in quo bilis exuperat. Nam si vescatur cibis in bilem verti paratis, vt cæpis, alliis, porris, synapi, abundabit quidem in eo bilis, non propterea natura biliosus erit, sed accidente: Is demum dicendus est temperamento biliosus, in cuius ortu vicit bilis: Duo enim principia ad hominis generationem concurrunt, semen, & maternus sanguis, sanguinem cum dico, quatuor humorum congeriem significo: Atqui fieri potest vt in massa bilis exuperet, quid ergo prohibet quin istum, quod plurima constet bile, natura biliosum nuncupemus? Partes principes, cor imprimus & iecur, natura composuit ex sanguine biliosiore, qualis in massa redundabat.*

FINIS.

E

IOANNIS RIOLANI

AD

FERNELII LIBRVM

de Spiritu & Calido innato

COMMENTARIVS.

PRAEFATIO AD

SOCERVM SVVM SIMONEM

PETREVM *Medicum Parisiensem.*

OPTABAT Euripides, vt vel muti essemus, vel res communi sermone nobiscum loquerentur (Petree doctissime.) Ea enim quibus homo communi opinione belluis pręcellit putabat illi data esse in crucem & sollicitudinem perpetuam, quia ratio scientię flagrans desiderio nunquam otiatur, sed etiam inter dormiendum aliquid agitat: Sermonis studium propter varietatem & confusionem immensum, solidam contemplationem peruertit. Ego verò pro sermonis beneficio, optarim potius animorum inter sese, & cum rebus, interiorem collocutionem, scilicet vt alter in alterius animo scriptas notiones, rerumque interiores formas & proprietates intueri posset. Sed quia non licet frui tanta beatitudine, priusquam animus, qui hîc hospes agit, liber in patriam redierit, tum enim consors diuorum, absque discursu & sermone in caussis effectus primò obtutu aspiciet, nil erit tam obscurum, quod eius lumine non splendescat, nil tam inuium & inaccessum, quò subtilitate sua non peruadat; Ei qui nunc supra vulgus sapere, & aliis doctrina prælucere volet, suadeo imprimis, vt propriam ipse naturam diligenter consulat, nascimur enim admodum differentes, nec singulis eadem vis ingenij; Plumbeus animus aptior est ad mercenaria, argenteus ad forensia, solus aureus nascitur ad contemplationem: Naturam qui nactus fuerit sui propositi & consilij ducem, artis magistros loquentes & mutos deligat, quorum auctoritas possit esse loco rationis; Horum industria bonitatem naturæ vt fœcundum agrum ingenuis artibus excolat, nec vnquam permittat, vt inanis dies abeat, in qua non foderit aut ararit, nõ hora prius effluat, quàm aliquam lineam duxerit, sic excultum & elaboratum ingenium vsu & exercitatione tandem compleat, solus enim vsus artificem facit. Candidatus

A datus Medicinæ, ne externa quæram exempla, præter aptitudinem (nihil enim tentandum inuita Minerua) afferat ad scholam, philologiæ simul & philosophiæ non mediocrem cognitionem, scientia enim rerum, verborum ornatu fit illustrior & commendatior, sic præparatus, si summos artis magistros diurna nocturnáque manu euoluerit, haud dubiè euadet in eum medicum, qualis sermonibus omnium perhiberis, qui possit

Virus ab infectis abscindere partibus ægri,
Mitiáque affectis imponere pharmaca membris.

B Quæ cum sint doctrinæ tuæ seminaria (medicorum sapientissime) hæ sanctissimæ & paternæ monitiones, quibus soles me ad Medicinæ studium inflammare, & currentem incitare, quia siue de arcanis Philosophiæ, siue de methodo medendi tecum ago, nunquam nisi doctior recedo, vt eò refluat, vnde primum fluxit & ad autorem suum redeat scientia, Platonis exemplò, qui nominibus eorum per quos profecit suos dialogos inscripsit, auspicio tui nominis hunc Commentarium in vulgus emitto, faxit Deus vt istam sementem in proprios natos aliquando cum fœnore refundam, ne generum à tua virtute, fide & eruditione degenerem C delegisse videaris. Viue diu & vale.

COMMENTARIVS
DE SPIRITV ET CALIDO INNATO.

D *CALOREM QVENDAM NOBIS, CVNCTISque viuentibus inesse, eúmque diuinum.*

CAP. I.

VM ille sit seruator qui fuit autor vitæ, æthereus autem tepor, qui diurno circumactu Solis excitatus quotidie cœlitùs affluit, sit communis sublunarium omnium parens, haud dubiè ad operis sui conseruationem operam omnem conuertit. Illo vigente florent, eodem languente contabescunt omnia: Aspicis ineunte vere dū Sol ad nos redit, vt terra se resoluit in flores, & arbores fronde virent noua, autumno verò cum primum recedit, vt illæ defrondescunt? Verè calor redit ossibus, & vitalis spiritus afflatu animalia ad procreationem excitantur: cuius quidem caloris potentia dum viE derent Stoïci etiam in subterraneis animalia generari, nullámque mundi particulam eius præsentia destitutam, non dubitarunt illum primæ & continentis causæ, quinetiam Dei, titulo salutare, qui præsens mundum mundanáque omnia conseruet, eadem absens corrumpat. Nam si vel momento abesset, illico syntaxis mundi solueretur: Finge fato aut violentia in animali calorem extinctum, quid aliud quàm ponduis iners & inanis truncus remanebit? At mundus Platonis opinione est primum & maximum animal. Enimuerò quid magis inimicum vitæ quàm frigus? quid ad naturæ aut animæ functiones minus idoneum? quid stupidius animali, quod natura genuit temperatura frigidiore? quid ad mores efformandos pituita ineptius? Dicet aliquis, etiam media hyeme vermes in niue generari, autor est Arist. de ortu anim. itaque non solus calor vitalis. An in terra sub niue à concluso illic & per antiperi-

ftafim aucto calore generantur? an cœlo tepidiore, vt plena luna liquata niue? an A eadem vetuftate putri? Equidem non negarim iftum calorem viuentibus inæqualiter diftribui, datur enim vt fit animæ ad obeundas functiones inftrumentum, fiue difpenfetur ab anima mundi, quam Auic. propterea Arabico nomine Colcodæam appellauit, fiue à materia, pro vt conuenit, à fecundis caufis præparata participetur: Vegetantis animæ paucæ funt neque admodum nobiles functiones: Stirpibus ergo à natura in terram defixis, paucus calor fatis eft, nobiles verò & fentientes animantes, ad motum copiofiore opus habuerunt.

Ifte calor immixtus mifcet, nam mixtilia prius alterari neceffe eft, alterantur actione & perpeffione mutua, cœleftia non repatiuntur agendo, quia nihil habent commune cum elementis, nec illis natura dedit efficax & corrumpens, fed tantùm priuans contrarium, vt tenebras luci: nam vnum vni contrarium eft: frigus autem aduerfatur igneo calori. Ergo, dicet quifpiam, duplex in viuentibus calor, vnus cœ- B leftis, alter elementaris, quidni? quia, vt Philofophi loquuntur, non funt entia fine neceffitate multiplicanda, vnus autem ad numerum calor, variè affectus poteft effectus, quantumuis differentes: nam quod contrario modo affectum eft, habet rationem caufæ contrariæ: Calor ficcus denfat, humidus laxat, immoderatus corrumpit, temperatus conferuat, ficcus affat, humidus elixat. Tam dubiæ igitur quæftionis veritatem diligentiùs expendamus: neque enim iuftum eft tantum aquarum tranfiri ficco pede.

Ignis tres funt fpecies, lux, carbo, & flamma: lux eft ignis lucens, non vrens, fic oculus à Platone dicitur igneæ naturæ: carbo eft ignis vrens, non lucens: flamma, & lucens, & vrens, natiuus calor vtri fimilior, flammæ an luci? Elementaris enim eft flammeus & incendiarius: cœleftis verò lucidus, atque beneficus. Elementaris non C potius fine pabulo, quàm Vulcanus abfque baculo fubfiftit: cœleftis non nutritur, fit enim nutritio affimilatione, affimilari autem non poteft elementare cœlefti, eftque proprium caducorum nutriri, fi modò nutritio fit repletio vacuati: Atqui natiuus calor inopia pabuli marcefcit, quomodo ergo cœleftis? Effe tamen cœleftem hæc argumenta conuincunt: viuit & nutritur Salamandra, nutritio fit alimenti coctione, coctio à calore, quo? an temperamenti? minimè verò, vicit enim in eius mixtione frigus, fibique calorem mancipauit.

Item pyrethrum temperamento calidiffimum, viuit calore moderato, nónne vides vt animal huius caloris priuatione moriatur, temperie nondum diffoluta?

Eft igitur in viuentibus calor duplex: vnus agens & formalis, qui elementarem D variè permifcet: non tantùm analogia, propter diuinos effectus, fed origine & effentia cœleftis, qui tamen in elementari mundo quodammodo fiat elementaris: vt enim aftris elementa, vt calor Soli & Marti, frigus Saturno, cœlefti modo infunt: & in Deo omnia funt eminenter, fic cœleftia funt in elementis modo elementari: propter adiunctam materiam tranfmutabilem: Alioquin non eft facilè iftum fcrupulum, quòd calor cœleftis nutritur, eximere.

Cæterùm non poffum, quin admoneam, temerè Platonem reprehendi à Galeno, quòd calorem natiuum ignem appellarit: nam Platonis opinione non eft vna fpecies ignis: Hippocrates quidem febrem appellat ignem, & febricitantes, igne correptos dicit, fed difputatori agendum eft ad mentem refpondentis.

SCHOLION. E

NIMA eft per quod, calor, quo viuimus: Anima enim minifterio caloris fuas obit functiones: quandoquidem habitus priuatione cognofcitur; cuius abfentia ceffant naturæ & animæ functiones, eiufdem præfentia exercentur: Atqui extincto natiuo calore, corpus iacet vt truncus, fine vlla functione: erat igitur calor primum naturæ & animæ inftrumentum: frigus inquit Galenus, ad omnia naturæ opera planè eft ineptum; quod fi intendatur, ftuporem, quinetiam fenfus & motus priuationem inducit, coctionem peruertit, nutritionem, accretionem, & procreationem: Quam Galeni & Auicennæ fententiam Aponenfis conatur euertere multis argumentis: primò, quia quodam temperamentum eft frigidum, actio autem à temperamento, quia functio pendet à facultate, facul-

A *facultas à temperie qualiſcumque illa ſit, vt patet in papauare, & cicuta: ſecundò, quia*
quædam partes noſtri corporis temperamento ſunt frigidæ, Imò quædam à frigore generantur, vt
adeps à frigore membranarum, liquatur calore, ergo concreuit frigore: multa quoque foſſilia,
vt lapides generantur à frigore, quemadmodum & nix, grando, pluuia. Atqui generatio eſt pri-
mum & præcipuum opus naturæ: Itaque non ſolus calor opifex nec ſolus naturæ & animæ fun-
ctionum miniſter: Quidam reſpondent frigus quidem concurrere ad actiones naturæ, ſed per ac-
cidens duntaxat, non primò per ſe. Tantum enim hoc afferre commodi: quod ignis ardorem cō-
temperet: quia ſolus calor temperatus miniſtrat animæ, intenſus, vt febrilis, aduerſatur naturæ:
Alij frigus interpretantur remiſſum calorem, eo enim ſenſu ab Ariſtotele dici priuationem ca-
loris: verum frigus non videtur ens priuatiuum, ſed poſitiuum, qualitas quippe reipſa exiſtens,
quæ hyeme ita ſe manifeſtat, vt ſtupidus ſit qui illius vim non ſentit, & ignauum eſſe deffendit.
B *Alij itaque malunt reſpondere, omnes actiones perfectas perfectorum animalium fieri à calore,*
imperfectas verò & ignobiliores rerum minus perfectarum, fieri poſſe à frigore: vtvt ſit: Calor
eſt primarium animæ & naturæ inſtrumentum, Cœleſtiſne an elementaris? Si ſol & homo gene-
rant hominem, ſol & bos bouem, ſi ſolis calor etiam ſolus abſque ſemine plantas quamplurimas,
quin animalculorum infinita genera producat, quis dubitet calorem noſtri opificem cœleſtem af-
firmare? Si agente cœlo, patientibus quatuor elementis fiant hîc omnia, ſi quatuor elementis vta-
tur tanquam materia ad procreationem rerum ſublunarium, quis dubitet duos calores ad fabri-
cam noſtri corporis concurrere, elementarem, vt materiam, cœleſtem vt efficientem, qui vta-
tur elementari, vt Phidias cera? Adhæc quandiu vixerunt papauer & Salamandra aſſumptum
alimentum coxerunt, & coctum tandem ſuæ ſubſtantiæ aſſimilarunt: At hæc opera ſunt caloris,
non elementaris, qui frigori mancipatur, ergo cœleſtis: Item euphorbium, etiam mortuum, eſt
cauſticum: atqui viuebat non illo ſummo, ſed benefico & mediocri calore: ſit igitur hoc conſti-
C *tutum, in viuentibus vtrumque calorem concurrere, cœleſtem & elementarem: hunc vt mate-*
riam, illum vt efficientem: elementarem miſceri & à ſuo contrario retundi, cœleſtem immix-
tum miſcere, quia miſceri non poteſt, cum ſit aſymblitos, alterius generis quàm elementaris: ma-
teria enim cœlorum eſt loco tantum mobilis non tranſmutabilis.

SPIRITVM QVENDAM CVNCTIS viuentibus datum eſſe, qui vitæ calorem continet.

CAP. II.

QVÆRITVR caloris primigenij primum ſubiectum, quo Ariſt. 6. Phi-
D lo. docet definire & diuidere accidentia, quia vnumquodque eo per
quod eſt finiri debeat, videtur tamen Gal. hoc onere ſe liberare, quan-
do calorem definit, ſubſtantiam quæ ſemetipſam mouet, quamqui-
dem nominatim, ſanguineam & ſeminalem appellat aduerſus Lycum,
alibi ſpiritum, 5. ſimpl. ſanguineam ſubſtantiam ſimúlque aeriam vnà cum ſpiritu.
Excuſandus tamen quòd calidum, non calorem innatum finierit, ſi modo excu-
ſari poſſit, qui concretum accidens ſubſtantiam appellat: cuius primum ſubiectum
qualecunque illud ſit, vnicum eſt & ſimplex, affectio enim vni primo per ſe cōuenit,
cæteris per illud, vt color corpori per ſuperficiem, proprietas ſingulis per ſuam ſpe-
ciem: Quare non negarim ſemen, ſanguinem, ſanguinea viſcera, ſpiritum, humo-
rem primigenium, caloris eſſe ſubiecta, ſed ex illis vnicum eſt primum, cui primò
E per ſe conuenit, & quatenus tale: Hoc quale ſit ita conſideremus: Calor eſt effi-
cax, vigétque mobilitate ſimul & tenuitate, vt poſſit promptiùs animæ miniſtrare,
quare conſentaneum eſt, naturam illum in ſubiecto his officijs apto & conueniente
colocaſſe: Ecquid verò ad hoc ſpiritu conuenientius! illo quid mobilius? quid
tenuius? quid efficacius? diuino calori quid ſimilius? quem idcirco quidam lucis,
alij ſpiritus vehiculo huc illabi defenderunt, quemadmodum enim, inquiunt, vita-
lis calor è corde dimanat & effunditur in totam molem corporis, ſic à Sole, qui pro-
pterea ab Homero cor mundi nominatur, vectore ſpiritu opifex calor defluit, cuius
vſum & neceſſitatem antequam oſtendamus, de nomine pauca diſſeramus. Videtur
enim Scaliger P. Melanchthonem iniquè ſubſannare & ſupinæ ignorantiæ inſimu- *Spiritus in-*
lare, quod intellectum hominis, ſpiritum appellaſſet. Nam Platonici animam mun- *tus alit,*
di ſpiritum vocant, nec dæmones appellare ſpiritus illis, vt neque Chriſtianis, no- *& cætera*

quæ de anima mundi scribit Platonicus poëta 6. Æneid.

uum est & insolens, quinimò tertia persona Trinitatis, Spiritus sanctus ab ijsdem A nominatur. Stoïci non dubitant substantiam animæ spiritum appellare, de quibus ita scribit Gal. comm. 5. ad 6. Epid. Stoïci solent naturam vocare id quo stirpes reguntur, animam verò quo animalia, vtriusque substantiam ingenitum spiritum, differre tamen qualitate inter sese arbitrantur, animæ enim spiritum sicciorem, naturæ humidiorem esse, vtrumque autem vt permaneat, non solum alimento, sed etiam aëre indigere. Physici quod spiratur spiritum appellant, at Democritus & Epicurus videntur aërem habere loco non entis, dum mundi spatium plenum aëre, inane esse affirmant. Quare etiam Physicis spiritus visus est incorporeus. Platonici tamen Christiani corporum duas differentias constituunt, vnum solidum, alterum spirituosum, hoc negant teneri legibus Physicis, mouetur enim momento, non aliter quàm lux aut radius Solis, tum solida peruadit, cum duo corpora sese penetrare absurdum videatur, quomodo dæmones esse corporeos quidam ex Platonicis affir- B mant. Psellus tamen illos solidum corpus habere duobus probat argumentis: priore, quòd ipsemet viderit cineres combusti dæmonis: posteriore, quòd in inferis crucientur, dolor autem non sit absque sensu, vt neque sensus absque sensorio: potuit eodem argumento intellectum hominis demonstrare corporeum, qua causa fortassis dubitauit Augustinus, an in mortuis remaneat facultas sentiendi, verum communem & interiorem sensum illis superesse, constans est doctiorum opinio: Quid autem de ignis specie, & perpessionis modo illi respondeant, non est huius loci & instituti explicare. Redeo ad sensum Physicum, vsumq; & necessitatem spirituum iam demonstro. Natura non solet nisi medio aliquo veluti vinculo vnum contrarium alteri copulare, atqui mortale & immortale differunt plus quam genere, quare corpo- C ri caduco, non est consentaneum incorporeum & immortalem intellectum vniri sine medio, quod quidam ex Peripateticis, sensum, alij appetitum appellarunt, mortalitate enim ad corpus, incorporeitate ad intellectum, accedunt, suntque naturæ inter vtrúmque mediæ: sic dæmones Dei & hominum mediatores à Platonicis perhibentur, quia perpessione cum hominibus, immortalitate cum Deo communicát. Eadem ratione quidam lucifugos spiritus negant in alios quàm atrabilarios insilere, eóque illud Athenagoræ detorquent: ὅταν ὁ δαίμων ἀνδρὶ πορσύνῃ κακά, Si cui dæmon apparat malum, τὸν νοῦν ἔβλαψε πρῶτον, illius mentem prius peruertit. Fernelius ex Platonis Phædro tres animi currus huc appellat, per quos mundanus, ciuisque generationis efficitur, primum vehiculum accipit à suo creatore, Deo deorum, cœlesti enim substantia inuestitur, per quam reducatur in patriam: Secundum aërium & spirituosum dij minores illi contribuunt, quo per mundum sublunarem vagus oberrat, vt puri- D ficetur si quam insignem labem in corpore contraxit, priusquam reuolet in sedes, quæ nihil impurum & inquinatum admittunt: Hoc intermedio animus corpori (quod est tertium vehiculum) cœlum terræ, iungitur, & ex naturis contrariis, si non essentia, syndesmo fit vnum. Nam si vacuum esset spacium cœlo & terræ interiectum, aut solido corpore, non peruio & pellucido plenum, inferior mundus à superiore non regeretur, quídni dicet aliquis? quia regitur motu, influxu & lumine, vt autem non fit visus nisi per medium, illudque diaphanes, ita si vel inane esset cœli & terræ spacium, aut non perspicuum, cœlum non illuceret terris, nec illas tepore & influxu suo foueret. Cum enim medium inane sit tanquam non ens, ita res haberet, ac si sese tangerent extrema, atqui non fit visio absque medio, eóque pellucido, ergo neque irradiatio. Cuius medij & vinculi ratione qui patibilem hominis intellectum E dixerit, cùm natura & essentia sua sit impatibilis (omne enim quod per se & essentia sua patitur, necessitate caducum est) me iudice magnis quæstionum difficultatibus liberabitur. Hoc etiam mediatoris spiritus officium si quis ad belluas transferat, nil alienum dixerit ab Arist. sententia, quando enim in corpore seminis spumoso, spiritum, in spiritu calorem diuinum & cœlestem contineri affirmat, videtur & primum caloris subiectum, & animæ simul cum corpore vinculum designasse. Sit ergo spiritus, corpus æthereum, caloris ac facultatum sedes ac vinculum, primúmque obeundæ functionis instrumentum. Qui singulis partibus connatus est, assiduè dissipatur, sed eius defectum supplet qui per arterias à corde cõtinenter influit, est enim vt calor, ita spiritus natiuus duplex, vnus insitus seu fixus, alter influens & vagus, hunc fouet & reparat aër qui assiduè inspiratur.

Vt radius Solis aërem & aquam, sic spiritus neruorum substantiã in instanti percurrit.

Gal. Argumento primo secundum refellitur, nam si vsti cinerescũt, quomodo in inferis non vruntur?

Arist. 8. sapientiæ.

Legendus ad hæc Leonici libell⁹ de tribus animorum vehiculis.

Hoc respõdendum Psello.

2. de ortu animal.

Finitur à Galeno corpus tenue & calidũ, primũ naturæ & animæ instrumentũ.

SCHO-

SCHOLION.

A *SOLA substantia per se existit, accidens per substantiam: subiectum verò accidentis quoddam est primum, cui primò per se inest, & quatenus tale, vt ignis caloris, terra siccitatis, superficies coloris: hoc Aristoteles solet appellare primum capax: est alterum subiectum cui accidens inest tantum participatione, seu vt loquuntur scholæ, secundariò: sic proprietates insunt speciei primò per se, singulis per speciem: superficies primum coloratur, corpus per superficiem: Calor natiuus est accidens in ordine qualitatum, proinde alicui subiecto primò per se inest, cæteris ex accidenti, cui? qualecunque illud sit debet esse tenue, mobile, perspicuum, vt calor promptius naturæ & animæ ministret. Atqui solus spiritus eiusmodi est, humores enim sunt crassi & ad motum inepti: partes ad caloris officia longè ineptiores. Esto igitur spiritus caloris primum subiectum, naturæ & animæ primum instrumentum: quem æthereum verius dixeris, quàm aërium, siue æther ab αἴθω deriuetur, siue ab ἀεὶ θέω, vtraque enim causa veteres cœlum appellasse æthera, scribit Aristoteles in libris cœli: est enim præcalidus, & valde mobilis. Quidam Peripatetici de cœlo huc influere tres spiritus affirmarunt, naturalem, qui rebus inanimatis sit pro forma: Vitalem qui sit forma viuentium, vt plantarum & belluarum: intellectualem qui sit hominum proprius: Eadem ferè fuit sententia Stoicorum, cum spiritum tam animæ quam naturæ communem substantiam esse voluerunt, hoc tantum discrimine, quod spiritus humidior natura, siccior anima, distinctius nuncupetur. Plato diuinum & immortalem intellectum corpori terreno, & caduco vniri existimat intermedio spiritu: hoc vinculo vtrumque copulari; neque enim fieri posse existimat vt naturæ tam differentes sine aliquo medio vniantur: Atqui spiritus est mediæ inter vtrúmque naturæ, perspicuitate enim & agilitate accedit ad naturam cœlestis intellectus, corporeitate ad corpus.*

C *Sit igitur vinculum animæ cum corpore potiùs quam anima: quæ est incorporea, etiamsi Aristoteles propter similitudinem quam habet cum luce, intellectum τὸ φῶς nuncuparit. Et Deus prima lux: fons luminis à quibusdam nominetur. Plato in Phædro fingit intellectum à Deo deorum immediatè creatum substantia cœlesti mox inuestiri, cuius vehiculo perreptat cœlos: vt autem fiat eius generationis & descendat in mundum sublunarem, à dæmonibus alterum vehiculum assumere: Inuoluitur enim aura tenui per quam fit incola nostratis mundi, eáque intermedia vltimo vehiculo, nempè terrestri corpori coniungitur, hos amictus & veluti vestimenta illic appellat ὀχήματα, currus, vehicula: Quæ cum Argenterius scribit à Fernelio temerè conficta, satis ostendit quàm parum fuerit versatus in doctrina Platonicorum, apud quos vix quicquam occurrit frequentius: Bessario contra Trapezuntium cõtendit eandem ferè fuisse mentem Aristotelis, quando scribit in semine contineri genitorem spiritum, cui vt primo subiecto insidet, calor analogus cœlesti: secundo de ortu animalium.*

D

CORPORVM QVAE INCENDVNTVR exemplo materiam tum caloris tum spiritus in nobis cognosci.

CAP. III.

QVIA nihil est ad docendum popularius exemplo, calorem natiuum aërio & pingui humore foueri ignis artificialis similitudine Fernelius hoc modo declarat: Ligni in foco ardentis duæ sunt primæ & præcipuę partes, terra quæ adusta carbonem, & aër qui flammam producit, hæc nisi continuo aëris appulsu recreetur, marcescit: ignis enim duobus

E modis corrumpitur, extinctu, vel marcore. Extinguitur à suis contrarijs frigore, vel humore, est enim calidus siccus, copia verò suffocatur, marcescit, moderato aëris afflatu prohibitus, inopia pabuli, aut maioris ignis præsentia, non enim minor perficitur à maiore, vt contra Cardanum scribit Scaliger, sed corrumpitur, vt inuictis argumentis demonstrat Gal. lib. 10. de vsu part. cap. 13. Quod autem continuo aëris non caliginosi, ab illo enim potius corrumpitur, sed puri & sicci concursu nutriatur, declarant medicorum cucurbitulæ, circunstans enim aer per rimulam sese vltro insinuat, vt eum repararet quem calor exhausit, nisi malis duos tractionis modos constituere, similitudinem substantiæ, propter quam magnes trahit ferrum, electrum paleam, & fugam vacui: quia enim natura vacuum, vt ens, non ens, forma priuationem abhorret: in locum vacuati necessariò alterum succedit, qua causa for-

Arist. probl. 25. sect. 3.

Lege etiam ca. 3. lib. de caus. morb.

Gal. 9. de Vsu part. addit tertium modũ tractionis à calore, quem Auic. reducit ad fugam vacui.

tassis calor trahit: flamma enim oleum in elychnio populatur, in absumpti locum fuga vacui alterum succedit. Vt vt sit, flammam aër conseruat, aqua verò extinguit, A ob idque in aerio spiritu tanquam in primo subiecto natiuus calor insidet: cuius tamen substantia dissipabilis & euanida, quia conceptam flammam diu seruare non potest, aerius & oleosus humor vtrique pro fulcro & fundamento substituendus fuit. Talis enim humor fouendæ flammæ est admodum conueniens, non aqueus, à quo extinguitur, non aer, in quo ocissimè dissipatur: nam cum expirationum duo genera sursum attollantur, vapor, aqueus, & exhalatio, aeria: hæc meteorôn igneorum & aeriorum, illa, aqueorum fit materia; exhalationum autem quædam sunt tenues & siccæ, vt fumus, ex quibus fiunt venti, aliæ pingues & vliginosæ, quales è terræ partibus viscidis excitantur, ex quibus fiunt cometæ, qui aliquando tres totos menses perdurant, flamma scilicet in materia pingui & tenaci consistente. B

Spiritus insidet humori oleoso non aliter quàm flãma cãdelæ, eámque simili modo absumit.

Ergo calori spiritum subesse, spiritum verò aere nutriri, vtrumque oleoso humore, veluti fulcro sustineri constituamus. Velim tamen obiter Lectorem admonere, eum calorem, quem tam sollicitè Fernelius cœlestem & diuinum esse contendebat, hîc flammæ non luci comparari: at, inquam, ignis elementaris est flammeus, cœlestis, lucidus: differunt sententia Peripateticorum, quod hic sit seruator, ille vstulator, nisi flamma temperata, analogia respondeat cœlesti, temperetur autem humore non quouis, sed aerio, quomodo calor natiuus reuera erit elementaris, cœlesti tantum analogus.

Talẽ se vidisse temporibus Neronis scribit Seneca.

Vt lucernæ lux olei, sic calidũ innatum alimẽti copia; inopia, aut priuatione corrumpitur.

Præter humorem oleosum, quem viuentis esse communem confirmant Chimistæ, quando igne suo de omnibus, quæ vixerunt, quin etiam de rebus inanimatis C oleum educunt, insunt nobis alij duo, alimentarius illi congener, & admodum affinis, singularum partium proximum alimentum, & aqueus, quo terrena partium siccitas, pulueris instar alioquin dissipabilis, veluti visco continetur. Terra enim & aqua per se ad formationem sunt ineptissima, vtriusque nexu natura facit formabilem, & ad impressionem quamuis aptam materiam. Humor aqueus, nec non aerius, mixtorum omnium sunt communes, alimentarius verò viuentium est proprius, cùm nutritio fit opus animæ: differunt etiam, quod illi sint congeniti, elementa quippe nostræ generationis, alimentarius verò postgenitus, reique constitutæ aduenit, non constituendæ: fortassis non absurdè dixeris humorem aquosum, naturalem, oleosum, vitalem, alimentarium, vitali succenturiatum. Has humorum differentias in viridis ligni combustione faciliùs possis obseruare: caligo enim primum expirat, aquæ soboles, quin aqua ipsa per extrema distillat: deinde flammam adustus aer D suscitat: ille verò qui in pruna calorem fouet, donec exarescat & in cineres resoluatur, est succulentus & alimentarius, quo priuatum & exuctum lignum, extrema tandem caries inuadit. Humor vitalis aliquando post adurentes febres cum lotio redditur, signum & causa mortis, nisi vromantæ liquata pinguedo illudat.

Aerius nõ est proprius viuentiũ, vt scribit Fernelius cũ à Chimistis oleũ de rebus inanimis extrahatur.

Lignũ putre & mortuũ in quo oleosus humor absũptus est exhausto tandem succulento cinerescit.

SCHOLION.

Calor natiuus non aliter fouetur humore primigenio quam flamma oleo, vt ergo flamma marcescit nisi nouum oleum in absorpti locum reponatur, ita vitalis calor tabescit nisi iactura radicalis alimento reparetur. Item, vt flamma äere nuntritur, imò, nihil est quàm aer incensus, ita aerio humore, non aqueo, natiuus calor conseruatur: vtque flammam circunstans aer, cedit illi in pabulum, sic succulentus & alimentarius humor penuriam radicalis resarcit seséque calori præbet deuorandum. E

Cur viride lignum non ardet, siccum verò cito inflammatur? quia viride lignum abundat crudo, & aqueo humore, quo in fumum verso succedit aërius, verum flammæ fomentum; cui reparando accedit circunstans aer non aliter quam alibilis succus in locum primigenij: Quæcumque igitur abundant humore pingui, copiosam flammam emittunt: cur lignum putre non ardet? quia exuctum & humore primigenio priuatum.

A *HVMIDI PRIMIGENII DEMONSTRATIO.*

CAP. IIII.

IN humore oleoſo, qui vulgò radicalis dicitur, quia caloris & vitæ ſit ra-
dix, ſpiritus inſidet, vt in ſpiritu calor, quibus calidum innatum definitur:
Eſt enim Humor oleoſus, ſpiritu & calore perfuſus. Extrema refrigeratio-
ne ſolus calor extinguitur, ſpiritu ſaluo & incolumi, per ſyncopen ſpiritus
exoluitur, humore primigenio ſuperſtite, at hoc exhauſto, cum ſpiritu calorem, cum
vtroque vitam aboleri neceſſe eſt, deſtructo enim fundamento non poſſunt ſtare
quæ ſuperſtruuntur. Extremo ſenio aliquis ſupereſt, quo vt in modico oleo tepe-
ſcens flamma perdurat, vtque oleo ſi aquam permiſceas extinguetur flamma, ita ſi
B non ſucculentus & alimentarius, ſed aqueus, reponatur in locum primigenij, quem
continenter calor populatur (vt in hydrope) mors eſt in propinquo, non enim
vita conſiſtit abſque calore, nec calor abſque humore, aerio inquam & oleoſo, cùm
ab aquoſo vt à contrario extinguatur.

Spiritus ille vitalis qui vulgò cõplantatus dicitur, in humore primigenio radices agit, inde radicalis nominatur.

SCHOLION.

*IN calido innato tanto & tali conſiſtit cauſa breuioris aut diuturnioris vitæ: Tanto,
quia qui plus habẽt olei ſunt vitæ longioris: Tali, quia humor primigenius debet eſſe pin-
guis, craſſus, lentus: pinguis, ne facile cõcreſcat aut congeletur: concreſcit quidem oleum,
non gelatur, craſſus, & lentus, ne tam cito reſiccetur: Hinc plantæ in genere ſunt viuaciores ani-
malibus: Cicero primò de legibus meminit palmæ Deliæ quam ab Vlyſſe viſam, vt eſt Odyſſeas
ſexto; ad ſua vſque tempora ſcribit duraſſe: eadem cauſa plantæ ſylueſtres diuturnioris ſunt vitæ
C quam domeſticæ. Quæ in arido ſolo naſcuntur, quam quæ in paluſtri, quia hæ dilutiorem habẽt hu-
morem vitalem: Denique, plantæ quibus ineſt humor tenacior vt olea, platanus, cupreſſus, quer-
cus, diutius viuunt: reſiſtit laurus iniurijs hyemis, quia abundat humore ingelabili: Ex animali-
bus terrena ſunt viuaciora aquaticis, quia piſcibus ineſt humor dilutior, mares fœminis, quia fœ-
minæ habent humorem aquoſiorem, niſi fortè per accidens aliter eueniat, vt in paſſerum genere,
mares enim quia ſalaciores citius intereunt: Vigilijs quoque immoderatis, inædia longiore, curis,
labore immoderato, ambientis ardore, contingit humorem iſtum inaniri citius, vnde cita mors:
cur Æthiopes vix excedũt annum trigeſimum vt ſcripſit Aſclepiades, Septentrionales verò
attingunt ſæpe annum centeſimum? quia ambientis ardore Æthiopibus abſumitur humor radi-
calis, qui Septentrionalibus frigore condenſatur: Quamuis ergo temperato cælo vita in longius
produci ſoleat, minuatúrque ambabus exuperantijs, tamen per accidens fieri poteſt aliquando vt
in cœlo & ſolò frigido vita ſit longa. Cur in Ponto Echini exiliores, in Torona grandiores? In
D Ponto macriores, propter frigus, in Torona ſucculentiores propter teporem maris. Cur in Lybia
ſerpentes, qui alioquin, quia frigi, debent eſſe exiles, tamen tam magni viſuntur vt ab illis boues
deuorentur? quia loci calore frigus internum temperatur, creſcunt autem moderato calore. Quid
multa? quæ plus habẽt calidi innati non cuiuſuis, ſed pinguis, craßi, lenti, ſunt vitæ lõgioris: quãuis
per accidens, vt prædictis cauſis, aliquãdo aliter fiat: cur mulus equo & aſino viuacior? quia ſteri-
lis: Cur in canibus Laconicis mas ocius moritur quam fœmina? propter venationis maiorẽ laborẽ.*

DE TRIPLICI PARTIS SIMILARIS SVBSTAN-tia & de cæteris humorum differentijs. CAP. V.

VT elementum non eſt abſolutè ſimplex, quandoquidem conſtat con-
iunctione materiæ & formæ, ſed cum adiuncto corpus ſimplex appel-
E latur, quia in alia corpora non eſt diuiduum, ita pars ſimilaris ſimplex
perhibetur, etiamſi ex diſſimilibus naturis, vt quatuor elementis & to-
tidem humoribus conflata ſit, propterea quod in multas eaſque natura
& ſpecie differentes partes non eſt diuidua. Gal. lib. de Opt. Conſtit. eam partem ſi-
milarem vocat, quę ſenſu eſt ſimplex, quo modo, lib. de diff. morb. venã inter partes
ſimilares enumerat, quam diſſimilarem affirmat lib. de inæquali intemp. quia conſtet
tunica & fibris, partibus ſpecie differentibus. Fernelius cũ Galeno in libris methodi
triplicem conſtituit partis ſimilaris ſubſtantiam, ſolidam, carnoſam, & ſpirituoſam:
Solidam interpretatur fibras, ſunt enim terrenę, earumque cauſa ſanguis concreſcit,
eò citius quò fibroſior, vt bubulus quàm ceruinus. Carnoſam appellat, fibris cir-
cumiectum, & in carniformem ſubſtantiam concretum ſanguinem: Cuius multæ

Vena ad sẽsum simplex, re & ratione cõposita est.

sunt differentiæ, alia enim simpliciter caro vocatur, qualis in gingiuis & glande pudendi, alia cum adiuncto lacertosa, vt quæ musculorum fibris innascitur. Spirituosam verò spiritum fixum, & singulis partibus congenitum. A

SCHOLION.

CONSTAMVS partibus, humoribus, & spiritibus: spiritus insunt humoribus, humores partibus, quæ siue fuerint simplices, siue compositæ, constant triplici substantia: solida seu fibrosa, humida seu carnosa, & spirituosa: fibræ, sunt terrena filamenta, operis instituti veluti prima lineamenta, quarum contactu sanguis paulatim concrescit in substantiā carneam. Noli mirari si substātiam ossis authore Galeno carnem nominemus, nam si propriè loquendum sit, vt venarum & arteriarum substantia est membranosa, ita ossis ossea, musculi carnea: Cæterùm fibras toti architecturæ primum substerni his argumentis demonstratur: Primò quod sint terrenæ, terra autem sit basis totius operis: Secūdò, quod in valde sene vix quidpiam supersit præter fibras: primùm autem fuit in constitutione quod postremum manet in dissolutione: Tertiò, B *quod dum aperta vena sanguis vasculo excipitur, fibræ petunt fundum ac si naturaliter substernantur sanguini vt terra liquidis. Quod autem fibrarum frigore sanguis concrescat, primus Hippocrates scripsit, libro de principijs, Aristoteles verò hoc argumento demonstrauit: Sanguis cui vel ademptæ sunt fibræ vel à natura denegatæ, vt damarum & ceruorum, non coagulatur: qui autem plures & crassiores habet fibras, vt bubulus, mox coit: vnde fit, vt sanguis tauri veneni modo interficiat, fibrosissimus enim cum sit, mox concrescit, obstruit, caloris & spiritus vitalis commeatum impedit: fibræ igitur sanguinem in carnem transmutant: vtrique affigitur atque implantatur naturalis spiritus, qui inde fixus seu implantatus dicitur.*

Instat vt de secundis humoribus paucis disseramus: Constamus humore triplici, aqueo, aerio, & eo qui veluti illi succenturiatur, alimentario: hic subdiuiditur in primum & secundum: sanguis qui includitur venis est primus humor alimētarius: secundarij verò potius coctionis gradibus C *quam specie differunt: sunt autē quatuor: Insitus, Ros, Gluten, Cambium: Nutritio enim fit primum appositione, deinde agglutinatione, ad extremum assimilatione alimenti: sanguis in minoribus vasis elaboratur & iam ad nutritionem futuram præparatur, insitus verò incipit nominari, quando per eorum substantiam est diffusus: inde quia roris instar stillat, non aliter quam sudor per cutem, Ros nominatur: neque enim tantum per anastomosim, apertis venarum osculis, fit nutritio, sed etiam per diapedesim naturalem, (resudationem aut transcolationem verè dixeris). Cùm primum è vasis excidit glutinis in modum adhæret parti nutriendæ, incipitque fieri glutinosus vnde tum Gluten nuncupatur: Ad extremum naturam suam cambit permutátque nostra, vnde cambium nominatur: hic humor, varijs coctionis gradibus apparatus, primigenij iacturam resarcit: Obijciet aliquis solum sanguinem nutrire: fateor, sed qui coctus & variè præparatus tam diuersis nominibus appellatur. Estne specie vnus & idem humor? ita videtur, quia perfectum & imperfectum non mutant speciem, vnusque est & continuus motus à rore ad cambium:* D *Si essent quatuor humores specie differentes, interciperetur motus & in singulis humoribus sisteretur, quasi adepto nouo fine, data noua forma: Atqui à prima ad vltimam pergit continenter: Vnus igitur est humor variè quidem alteratus, non in differentes species transmutatus: Auicēna horū humorū primus autor perhibetur, illos tamen ex quatuor gradibus siccitatis descriptos à Galeno septimo methodi cap. sexto, videtur collegisse, vt inuentum suo autori reddatur.*

QVID INNATVM CALIDVM, QVAE EIVS substantia. CAP. VI.

SVPPVDET me ταυτολογίας, omnia enim semel, at millies inculcatum est, calorem natiuum esse diuinum, eumque in spiritu positum, vtrumq; in humore oleoso à quo temperetur, non est enim flammæ conuenientius E pabulum, nec adeò tenax & permanens caloris subiectum: hæc tamen ἀσύστατα calorem natiuum esse cœlestem, & flammeum, nutriri & esse diuinum semel & iterum monuimus, quare quam attigimus quæstionem resumamus. Duo sunt originis nostræ sensibilia & coniuncta elementa, semen & sanguis maternus: cum dico semen non tantum spumosum corpus intelligo, sed calorem in vitali illo spiritu, cui indita est facultas formatrix: Ex materia corpulentiáve seminis fiunt partes spermaticæ, ex sanguine verò carnosæ: vtrique suus inest calor, isque temperatus, vter cœlestis? semen fit ex puriore portione sanguinis, natiui caloris elaboratione, quò iure ergo seminis calor cœlestis est, sanguinis elementaris? nisi dicatur cœlestis, non quòd cœlitus in testes ad prolem influat, sed ratione virtutis & naturæ

per-

A perfectioris, est enim purior & magis coctus sanguis. Hoc tamen præter cætera me sollicitat & transuersum agit, quod Solis tepore plantæ & animalcula citra controuersiam generentur, an verò perfecta animalia, quæ cum semine Deus naturæ oriri voluit, caloris cœlestis, an potius elementaris efficientia nascantur, controuertatur, ac si deterior sit nostra conditio: Equidem certè desino mirari si quæstione diligenter subducta & examinata, Fernelius cum Aristotele opificem calorem origine cœlestem asserere maluerit quàm cum vulgo elementarem. Sit tamen de problematica quæstione liberum cuique iudicium, quia eadem manent medendi præcepta vtrumuis defendatur.

SCHOLION.

B *CONCRETIS accidentium nominibus accidens cum subiecto includitur, vt calido calor in suo subiecto, primo calido calor in suo primo subiecto: hoc autem in viuentibus spiritus est, subsistens in humore pingui, non illo quidem alimentario, sed primigenio: quia alimentarius adest & abest, manere autẽ oportet subiectũ caloris ad extremum vsque diem, qui quidem humor cum partis solidæ substantiam constituat, sine dubio in solidis partibus radices agit calor natiuus: Quod facilè intelligetur si ad humanæ generationis primordia animum cogitationémque referamus: Genitor enim spiritus cui insidet vis conformatrix, ex crassamento seminis ducit corporis prima lineamenta, quæ paulatim affluentis sanguinis concretione in iustam molem assurgunt, quod volebat Galenus aduersus Lycum, cum scriberet substantiam calidi innati esse spermaticam & sanguineam: Esto igitur calidum innatum: humor primigenius spiritu & colore perfusus potissimum in solidis partibus cohærens.*

C
QVID NATVRA MEDICIS ET quæ sit eius substantia. CAP. VII.

QVOD in genere & indefinitè tractat Physicus, medicus ad suum subiectum accommodat, natura autem definitur à Physico, insitum principium motus per se, non per accidens, quare quódnam illud sit in homine, pro officio medicus inquirit. Est quidem calor sensibile principium motus, sed non primum: ministrat enim facultati, quam pro natura habendam esse sic demonstro. Efficiens est id vnde initium motionis. Tria autem sunt motionum omnium principia, mens, ars, & facultas: Deus mente prospicit mundo, & contemplatur, nos discurrimus & philosophamur. Arte cerdo suit D calceum, diabathrarius detritum resuit, facultate ignis vrit, aues nidos struunt, quæ sunt naturę, non mẽtis aut artis operationes, mens enim & ars sunt principia externa, sola facultas est insitum principium motus. Non videtur tamen Gal. in illa conquieuisse, sed temperamentum magis propriè naturam appellasse, quia pendet facultas ex temperamento. Verùm subtilius philosophanti, temperies, cum sit qualitas, natura autem substantia, non erit primum principium motus, sed natura quædam prior concipienda est quæ permiscet & cõtemperat elemẽta ad generationem mixtorum, φύσις enim à φύω dicitur, estque forma illa non exterior, aut assistens, sed interior, totum informans & perficiens, quam vix scias an Fernelius spiritum, an calidum innatum, vt Gal. lib. de tremore & rigore, an animam ipsam appellet, differre tamen animam à natura ijs perspicuũ est, qui norunt animæ motus à naturalibus differre, quod animæ E motus sint liberi & indefiniti, qui enim potest ambulare, ille etiã potest nõ ambulare, naturæ verò fatales & definiti, ignis enim non potest non calefacere, lapis non moueri deorsum, nisi generalius naturam etiam voluntarij motus principium appelles cũ Galeno, quo sensu integræ & inculpatę sensus, motus, imaginationis, cogitationis & memorię functiones, dicuntur, fieri secundũ naturam, vitiosę verò cõtra naturam.

Cur Gale. calorem, facultatẽ, & temperamentum diuersis locis appellet naturam.

Arist. 5. Metaph. distinguit naturam à facultate, quòd natura sit principium ad intra, facultas ad extra, vt in igne est vis calefaciendi, natura est calidus, vis calefaciẽdi ad alterum refertur, natura absolutè & per se est principium insitũ motus.

SCHOLION.

ALIQVANDO Hippocrates calidum innatum appellat naturam, idem facit Galenus in libris de marasmo, & de tremore: At libro de natura hominis eam definit, rei cuiusque temperamentum, quam definitionem omnibus præfert Galenus commentario ad illum aphorismum, naturæ quædam ad æstatem, aliæ ad hyemem melius habent: Verumtamen libro de definitionibus medicis: definitur vis quæ per se ipsa nostri est opifex & conser-

Hipp. 6. Epidemiõ calorẽ confundit cum anima.

uatrix: quam vim Auicenna Colcodeæ, Platonici spiritui mundano tribuerunt: Stoïci calori A *diuino vt Peripatetici, hoc tamen discrimine, quòd Stoïci vitalem istum ignem substantiam permanentem constituerent, Peripatetici qualitatem quotidie vanescentem quæ nouæ cõtinuo influxu reparetur: hæc natura quamquam communis, alicui tamen materiæ vbi primum sese adiunxit fit particularis: adiungit autem se materiæ cum iam à secundis causis præparata exhibetur.*

VT ÆTATVM INCLINATIONE innatum calidum status mutationes subeat.

Cap. VIII.

VÆRITVR, sintne pueri an iuuenes calidiores, quæstio contrariorum argumentorum, paribus ferè momentis à Galeno disputata est. B Primò, quod sint duo vitæ & conformationis principia, semen & sanguis, vtrumque calidum humidum, etsi semen sit magis igneum, & aerium, sanguis magis aqueus & terrestris: Atqui pueri vtroque magis participant: Itaque sunt calidiores. Secundò, quod multum appetunt & coquunt. Tertiò, quia vt est in aphorismo: Qui crescunt habent plurimum calidi innati, quippe quod sufficiat nutritioni simul & accretioni: quibus aduersarij respondent: Pueros quidem plurimum habere calidi innati, ratione humoris copiosioris, iuuenibus tamen inesse calorem vegetiorem, propterea, illos plurimum accrescere, quorum humidior sit natura, eadem causa plurimum appetere, quia enim propter mollitiem, humor quamprimum diffluit, minimúmque retinent, ad sensum inanitionis sequitur ingluuies & inordinata appetẽtia. Iuuenes autem calidiores duobus signis osten- C dunt: Priore quod sint robustiores, robur autem à calore: Posteriore quod abundet pituita in pueris, bilis in iuuenibus, nam pueri pituitam vomunt, iuuenes bilem, & frigidis morbis vt plurimum pueri tentantur, iuuenes calidis, hinc pueri somnolenti, iuuenes peruigiles, quibus argumentis qualitatem & energiam caloris in iuuenibus abundare demonstratur, non quantitatem, cuius causa puerorum calor contactu ipso blandus est & halituosus, iuuenum acer & mordax: Vtrumque in ætate media seu adolescentia temperari, ob idque non iniustè hanc ætatem à Galeno & Auicenna temperatam vocari, consentaneum est: non enim tum caloris vim humoris primigenij copia obtundit, vt in pueris, nec eiusdem energiam resiccatio intendit, vt in iuuenibus, sed æquali vtriusque mixtione temperies consurgit, ad quam proximè & continẽter sequitur desiccatio, tãdem ad exsiccationem caloris priuatio. In D iuuentute humor radicalis incipit minui, in senectute paucus superest ad vitam. hinc senes habitu corporis humidi & pituirosi, solidis partibus, sunt sicci: Si quis instet, quod vigiles dicantur ab Hippocrate, respondendum, illos ratione curarum & sicci cerebri tales esse; non natura aut temperamento. Fernelius cum Gal. fatalis interitus, quique lege & necessitate naturæ, non violentia, contingit, causam facit humoris primigenij priuationem: Dum enim calor sibi & toti prospiciens humorem istum absumit, præter institutum, atque vt illi loquuntur, ex accidenti, ruit ad interitum, ac patitur manibus vulnera facta suis. Ego verò cum Auicenna, naturalis interitus primam & præcipuam causam potius dixerim impotentiam caloris: Est enim finitæ virtutis, & repatitur agendo, cum sit agens Physicum, quare vsu paulatim atteritur. Ex quo illud solutum & explicatum volo, possítne arte vita perpetuari: Athe- E næus dipnosoph. 7. cap. 15. meminit herbæ Glauci, quam cum degustasset Anthedonius, factus est immortalis, velim scire vbi gentium iste viuat: Apuleius non dubitat multas herbas à natura produci, quarum beneficio immortalitas acquiri possit. Meminit etiam Galen: quorundam, qui humorem oleosum docent conseruare nouumque perpetuo in absumpti locũ substituere, quin multi hodie hoc inani promisso se venditant credulæ turbæ & ea de re efferunt libros in vulgus: Verùm hanc sophistarum arrogantiam ridiculam & falsam, imò verò impossibilem hoc suadetur argumento, quòd quicquid in locum humoris natiui arte sufficitur, id opera caloris transmutari necesse sit, qui cum vsu & diuturnitate temporis alteretur, mirum atque iterum mirum, si æqualem & eundem surrogare possit, hoc est aerium & pinguem, non dilutum & aquosum.

Cur puerorum calor humidus sit, iuuenũ siccus.

Calor per accidens hostis sui.

Priuatio humoris radicalis pendet ab impotentia caloris.

A SCHOLION.

DVÆ sunt ætates extremæ, pueritia, calida humida: senectus, frigida sicca: mediæ ætates prout ad alterum extremum propius accedunt, calidi humidi, plus minus participant: plus humidi quæ ad pueritiam accedunt vt puberes, plus caloris quæ ab illa plusculum recedunt vt iuuenes, vtriusque priuatione tandem frigidi & sicci, qui absunt longissimè vt senes: vtra ætas temperata? adolescentiáne an ætas consistens? Distinguo: Adolescentia est temperata in substantia & quantitate calidi innati: Ætas consistans in qualitatibus, quia ex iuuentutis ardore præcedente, & proximo senectutis frigore temperatur: paucum tamen habet humidum quia adolescentia transacta paulatim siccessimus, eo quod constamus duobus principijs siccantibus: Terra & igne, siccat autem calor, humidi radicalis consumptione, quo fouetur vt flamma oleo: cuius penuria non aliter B *marcescit quam flamma in elychnio olei defectu: Potéstne ista iactura arte reparari? Ex calidis humidis alimentis quidni succus alibilis in illius locum substituetur? potest quidem ad tempus aliquod vita prorogari: nam Hærodicus cum esset valetudinarius, optima vitæ & victus ratione ad centesimum annum vitam produxit, non perpetuari: Tardari potest fatum, non impediri.*

VT INNATVM CALIDVM PER ANNI tempora & per regiones mutetur & multiplex illius appellatio.

CAP. IX.

SOL duodecim signa Zodiaci percurrens, describit annum: cuius qua- C tuor sunt tempestates, seu insignes & ordinariæ mutationes in aere, malignæ enim & pestilentes sunt extraordinariæ, nec naturæ lege eueniunt, quia nec semper nec stato tempore. Ver Hippocrati calidum humidum, Galeno temperatum, pueritiæ, si malis, adolescentiæ, tum sanguini, analogum. Æstas calida sicca, proportione respondet iuuentuti, nec non bili. Autumnus frigidus siccus, si placet, intemperatus & inæqualis, ætati inclinanti, nec non melancholiæ similis est, dies enim, etiam vernus, in quo viciſſim calor & frigus vigent, autumnalis, veluti inæqualis appellatur. Hyems frigida humida, cum senectute & pituita valdè cognatam habet naturam. Hinc Vere sanguis dominatur, Æstate bilis, Autumno melancholia, Hyeme pituita.

Hinc sanguinei opportuniores sunt morbis à sanguine, vt hæmorrhagiæ, anginæ, pleuritidi, & aliarum partium inflammationibus: Biliosi, aurigini, phre- D nitidi, herpeti, erysipelati, causo: Pituitosi, hydropi, febri quotidianæ, œdemati, capitis & stomachi grauitati: Melancholici, cancro, elephantiasi, maniæ, melancholiæ, quartanis & erraticis febribus. Verùm quærat aliquis, cum Sol in signis hybernis, terris sit vicinior, præsens autem calefaciat, absens refrigeret, quomodo hyems frigida? respondetur, calorem non pendere à vicinia Solis, sed à mora diuturniore supra terras, & radio magis directo, at in signis æstiuis diutius nobis illucet, tum perpendiculares emittit radios, hyeme obliquos, propterea æstiuus Sol est calidior hyberno.

Adhæc ventres hyeme calidiores esse propter antiperistasim autor est Hyppocrates, cui consentit experientia, tum enim plus appetit & coquit natura: Eadem causa in cellis vinariis, & apogæis augeri calorem, sensuum fide testatum habemus. Poterit E aliquis quærere quam ob causam igitur hyeme abundat pituita, quandoquidem est nota frigidioris naturæ? Respondendum hoc fieri, partim ratione alimenti frigidioris, partim venarum imbecillitate, refrigerantur enim ab aere circunstante: Quæritur etiam, cum simile simili seruetur, cur æstate langueat natiuus calor? respondetur, æstiuum calorem non esse similem natiuo, sed potius cōtrarium, illi enim nón aliter, quàm excessus medio repugnat, sic maius lumen extinguit minus. Cur ergo plantæ virent, arbores frondent æstate, hyeme sopito veluti calore defrondescunt? quia calorem habent imbecilliorem, quàm vt circumstantis frigoris iniurijs possit resistere, æstiuus autem est illis salutaris, quia medium definitur proportione agentis ad patiens, sunt autem plātæ tam frigidæ, quàm æstas calida: Hinc animalia, quæ tota hyeme dormiunt, vt glires & vrsi (φωλεύοντα ζῶα nominantur) ad anni tempora eundem ferè in modum se habent, à quarum temperie nō lōgè recedunt: Quæ fortassis co-

Calor natiuus est humidus, æstiuus verò siccus & flammeus.

gnito regionum temperamento euadent notiora: Age ergo, cur Æthiopes, qui degunt in cœlo calido, sunt imbelles & effœminati? quia vt hîc fit per æstus caniculæ, natiuus calor perpetuo solis ardore dissipatur; Cur Scythæ cum inhabitent terram egelidam, nihilominus sunt feroces & animosi? quia violentia frigoris ambientis, calor coactus in precordia, illis animos & robur addit. De temperata regione dici vix potest quanta contentione certetur; Cuique enim charus est fumus patriæ: Galenus extollit quartum clima, vbi Hali & Albumazar constituunt terram prophetarum, quidam paradisum terrestrem appellarunt, Auenroïs commendat quintum, Manardus sextum: Mihi, vt Auicennæ, sub æquatore videtur & feracissima terra, bis enim quoque anno terra fruticatur, & saluberrima habitatio: Auenroïs enim argutias, quibus equinoctialem plagam habitari non posse contendit, Lusitanorum quotidianæ nauigationes satis refellunt. Illic venire feliciùs omnia, arbores grandiores, animalia cuiuscunque generis, nostratibus longè proceriora, quæ ex India Orientali huc afferuntur satis indicant, idemque in historiam, Herodotus primùm & Strabo retulerunt, legendus etiam Aponensis differentia 67. A B

SCHOLION.

QVI crescunt plurimum habent calidi innati, quia substantia in illis augetur, quantitas non qualitas, humor non calor: hyemè contra, augetur qualitas calidi innati, non quantitas: circunstans enim frigus, partim quod impediat transpirationem densata cute, partim quod à circunferentia ad centrum calorem impellat, illius vim & qualitatem intendit: substantia verò non potius hyeme augetur quàm minuatur æstate. Obijciet aliquis, par est ratio hyemis & æstatis, quæ cœli retorridi & egelidi: Atqui Æthiopibus, qui viuunt in cœlo retorrido, substantia minuitur, calidi innati causa cito intereunt, Septentrionalibus, vt Scythis, vita longa, propter calidi innati diuturniorem conseruationem: Ergo æstate minuitur substantia calidi innati, augetur hyeme: Respondeo, apud nos calorem æstiuum, neque tantum, neque tandiu vigere: hîc non adeò vrit vt calorem absumat, neque tam permanens frigus vt impediat difflationem. C

NATIVI TVM CALORIS, TVM SPIRITVS differentiæ: hósque partibus singulis insitos aliunde influentibus gubernari. CAP. X.

QVEMADMODVM in vniuerso calor, nec non spiritus geminus est, vnus illi connatus, alter quotidie cœlitus influens, qui illius dissipati subinde vanescentis defectum suppleat, sic nostro corpori spiritus vnus est insitus, qui fixus dicitur, alter vagus, qui in eius subsidium à corde per arterias continenter emanat. Vtque mundum periturum affirmat Plato in Theæteto si Sol momento quiescat, quia spiritum & calorem suo motu excitat, sine quibus vix momento perstaret, ita si cor suo motu prohiberetur, protinus animal interiret, quia per motum, cum spiritu calorem vitalem producit, quorum beneficio vita perdurat. Insiti spiritus Fernelio tot videntur esse differentiæ, quot partium nature & temperamenta. Nam vt ille ait, si substantia partis conflata sit ex solido, humore, & spiritu: quot erunt partium naturę, tot erunt spirituum differentię, sunt autem singularum partium proprię & differentes naturę, ergo specie differentes spiritus. Eodem argumento demõstrari potest cuiusque particulę proprium esse calorem, eumque ab altero specie differētem: at perfectum & imperfectum, vt loquuntur Philosophi, non mutant speciem, nec intensio & remissio faciũt species differentes: inest certè quibusdam partibus vt calidioribus, calor maior, frigidioribus minor, quibusdam datus est spiritus perfectior, omnes tamen partes, atque adeo vniuersam molem corporis, numero, proinde specie, vnus & idem spiritus agitat & gubernat, quod de spiritu mundi affirmare solent Platonici, qui tamen modo & proportione, vnicuique se accommodat. D E

Cuiusque facultatis proprius est spiritus, ergo quot facultates, tot spiritus.

Qui influit, triplex perhibetur, pro ratione facultatum quibus ministrat. De naturali tamen magnæ quæstiones mouentur.

Quidam enim illum his argumentis de catalogo spiritum expungunt. Primò, quod illius nullus sit vsus nedum necessitas, non enim vt sit vehiculum alimenti

cum

cum singulæ partes insita facultate proprium trahant alimentum, quis ergo? Vt de-
A ferat ab hepate facultatem naturalem, quemadmodum à corde vitalis vitalem, è cerebro animalis animalem. Secundò, quòd nullus illi locus proprius tributus sit à natura, quasi hepar illius non sit fons & principium, vt cor vitalis, cerebrum animalis. Tertiò, quod nulli sint ductus per quos feratur: quasi verò vt animalis per neruos, vitalis per arterias, ita naturalis per venas, vnà cum alimentario sanguine in vniuersam molem corporis non feratur, nisi placet ab illo potius vehi sanguinem: maximè omnium vrget hoc argumentum: Spiritus est æthereus, tenuis, & perspicuus, qui verò perhibetur naturalis, est halitus sanguinis, crassus, & caliginosus: Hippocrates tamen etiam flatus appellat spiritus, vnusque altero, vt elaboratior, ita purior est & lucidior, animalis vitali, vitalis naturali: quare de nomine parum laborandum est, si modò de re constet. Hæc digniora sunt quæstione, quomodo spiritus in dissitas partes influat, momento & sine penetratione dimensionum. Cui tamen corporum di-
B stinctione iam respondimus, & nos ea de re subtilius disseremus in opere de abditis rerum & morborum causis, vbi illud Galeni examinabimus: si spiritus esset æthereus, tenuis & pellucidus, citra impedimentum momēto quoquouersum peruadens, nec præsens repleret, nec absens vacuaret: Deus enim vbique est repletiuè. Quare ad reliqua pergendum, si prius hoc explicaro: Spiritus tam vitalis quàm naturalis vnicuique parti insitus est, hic ad nutritionem, ille ad vitam, animalis verò totus influit ad sensum & motum, quia non est necesse partes omnes sentire & moueri. Equidem partes sine spiritu vitali non viuere, vt placet Aristoteli, non caret dubitatione, quia ad hepar nulla arteria pertingit. Respondendum, vt cor è vena caua haurit sanguinem, vicissim per eosdem ductus vitalem spiritum illi rependere, atque vt aiunt, ἀντιπαρέχειν.
C

Lege Manardū epistola prima lib. 16.

Reuera spiritus naturalis est vehiculum alimenti.

Lib. de tremore & rigore.

SCHOLION.

VT vnica est animæ substantia tribus facultatibus distincta, vna vita: sic vitæ principia videntur non tantum specie, sed etiam numero eadem, vnus humor primigenius, vnus spiritus fixus per totum corpus diffusus, perfectum enim & imperfectum non mutant speciem, intentio & remissio non pariunt differentes species, est vnus vna in parte, vt in parte principe perfectior, vtiùs efficacior, vnus tamen omnes artus regit, vt spiritus mundi mundana omnia. Præter fixum, & singulis partibus connatum, est influens triplex, naturalis, qui facultati naturali ministrat; vitalis, qui vitali; vt animalis animali: de naturali tamen influente dubitatur, videtur enim sine vlla necessitate introductus, cum sufficiat vitalis influens ad vitam in qualibet parte conseruandam: Cum enim assiduè fixus
D *dissipetur, breui membrum suo calore & spiritu orbatum tabesceret, nisi perenni fluxu ista iactura resarciretur, quam penuriam cum reparet vitalis, quæ necessitas est naturalis influentis?*

NATVRALEM SPIRITVM FIERI materiam vitalis, vtque spiritus & aliæ substantiæ partibus ingenitæ alantur.

CAP. XI.

QVÆRI solet an spiritus nutritur: non nutriri hoc suadetur argumento, quod assiduè dissipetur, manere autem oporteat quod nutritur, quia nutritio fit
E assimilatione, assimilatio immutatione alimenti in substantiam nutriti. Item nutritio est repletio vacuati, ecquid autem de impartili spiritu vacuatum est, quæ nam fingi posset illius portio absumpta, quæ congeneris appulsu reparetur? adhæc solum solidum, idque viuens, nutritur: spiritus nec solidus est, nec viuit. Nutriri tamen Hippocrates & Galenus non semel scripserunt, nutritionis abutentes nomine, sic pulmonem aëre inspirato, & calidum innatum frigido nutriri, hoc est, refici & recreari apud Hippocratem scriptum legitur. Fernelius non recreari modò manentem, sed absentem reparari hoc modo ostendit: Cùm vniuscuiusque partis substantia ex tribus naturis composita sit, solido, humore, & spiritu, Hepati congenitus est spiritus, cuius ministerio, sua proprietate halitum sanguinis in naturalem spiritum permutat. Hic per venam cauam vnà cum sanguine traiicit ad dextrum sinum cor-

dis, vnde per meatus non admodum occultos si dissecti canis cor palpitans aspexeris, fertur ad sinistrum, vbi non tantùm aëre inspirato temperatur, firque vitalis insita cordi proprietate, sed etiam ex eodem in pulmonibus præparato, fomentum accipit, & incrementum, inde per arterias distribuitur, in vniuersum corpus: illa autem portio, quæ per ceruicis arterias fertur ad basim cerebri, in plexu retiformi elaboratur, quem illic de industria natura, veluti labyrinthum, fabricauit. Quoties enim materiam aliquam exactè vult elaborari, longam moram illi in coctionis instrumentis machinatur: mox in cerebri ventriculos per contextum alium, choroïdum appellatum, admittitur, vbi fit animalis, & ex aëre per nares tracto, fouetur, augeturque. Quam fuisse Hippocratis & Erasistrati sententiam scribit Gal. cap. 5. lib. de Vsu respir. eamque confirmat 9. de Vsu part. cap. 4. probabiliùs quàm Columbus, qui existimat in antro ossis sphœnoidis congregari aërem inspiratum, ex quo cerebrum spiritum facit animalem ad sensum & motum, atque ad omnes functiones animales cōparatum. Ex his patere arbitror, quàm doctè Argenterius contendat, non esse multos spiritus, qui differant specie: vt enim alimentum noua coctione nouam formam, proinde nouam denominationem accipit: nemo enim prudens chylum confuderit cum sanguine, ita qui ex halitu sanguinis ab hepate procreatum spiritum eundem cum eo dixerit, qui in corde nouam formam & appellationem acquirit, magnum chaos inducit: motus enim formationis non est vnus & continuus, sed quiete interruptus: quiescit autem natura, adepta noua forma: nam in rebus naturæ forma, & finis re ipsa eadem sunt, ratione tantùm differunt, atqui motiones adepto fine terminantur, ergo cùm differentes formæ pariant differentes species, tres sunt spiritus, non tantùm numero, sed etiam specie differentes, naturalis, vitalis, animalis.

Hoc efficacibus argumentis probat Gal. ad finem lib. 3. de Facult. nat. & lib. 6. de Vsu part.

Argenterius negat tres esse coctionis species.

SCHOLION.

NATVRALIS spiritus genitus in hepate cum sanguine per venas distribui creditur ad conseruationem singularum partium, cuius ea portio quæ ad dextrum cordis ventriculum transmittur, fit materia spiritus vitalis. Imò vero totus sanguis qui eo confluit, halitus specie permeat ad sinistrum ventrem, vbi insita cordis proprietate, & charactere facultatis vitalis impresso, fit vitalis: Accedit illi noua materia ex aëre inspirato & in pulmonibus præparato perfecti: vna portio per aortam dispensatur partibus omnibus ad vitam, altera per arterias soporarias mittitur ad cerebrum, vbi fit animalis, animalium functionum minister, vt vitalis vitalium, naturalis naturalium: vt autem materiam vitalis auget inspiratus aër, ita materiam animalis, qui naribus attrahitur: Qui ore attrahitur duos habet vsus, qualitate sua ardorem cordis contemperat, substantia verò nouam materiam suggerit cordi ad generandam copiam spirituum vitalium: Ne mireris si feruorem vitalis caloris in corde veluti in fornace æstuantis, aër refrigeret: nam etiam diebus canicularibus est frigidior eo sanguine qui ventriculis cordis continetur, quòd non semel expertus sum in viuentis canis dissectione.

FINIS.

IOANNIS

IOANNIS RIOLANI

AD

FERNELII LIBRVM

de Facultatibus Animæ.

COMMENTARIVS.

PRAEFATIO AD

HENRICVM DESCOVBLEAV

Episcopum Madeacensem.

RTIVM perfectio tribus notis æstimatur (Antistes dignissime) dignitate subiecti, subtilitate docendi, & vsu potiore: prima quidem nota, Physicus præstat Mathematico, ille siquidem in substantiis versatur, hic quantitates tantum, vel continuas, vt Geometra: vel discretas, vt Arithmeticus, contemplatur. sed vicissim secunda Physicus à Mathematico superatur: Certior enim est demonstratio, quæ materiæ circunstantiis, motu, loco & tempore liberior, quia ex illis, si quæ rebus inest fallacia, dependet: Tertia verò Politicus, post eum Medicus nulli alteri secundus, excellit: Est enim vt Magistratus ciuilis societatis: sic medicus, sanitatis ciuium omnium, cuiuscunque sint ordinis, sexus & ætatis, seruator & custos, qua detracta, quid potest in hac vita esse gratum & iucundum? Omnibus eminet sacrosancta Theologia: quicquid enim laudis & perfectionis habent singulæ aliæ disciplinæ, id totum vna comprehendit: res longè diuiniores contemplatur, atque etiam demonstrat subtiliùs, quia rei simplicioris accuratior est demonstratio: quò enim magis in materiæ circunstantias inclinat, eò fallacior est, & minus constans; Vsus idem ferè qui Medicinæ, hæc medetur corpori, illa animæ, vtrunque cùm Opifex ad tempus sociârit, sic vni prospiciendum est, vt alterum non negligatur; Videntur enim Samanei grauissimè peccasse in naturam, quod, cùm persuasum haberent, corpore valente animum ęgrotare, ne animus corporis illecebris caperetur, sibi ipsi violentas inferebant manus. Nam in hoc consistit huius vitę fęlicitas, vt sit mens sana in corpore sano: atqui pars Medicinæ, quæ tractat de anima, simul vtrunque pręstat: dum enim intellectus essentiam & immortalitatem demonstrat, vnumquemque ad virtutis & scientiæ studium, in quibus posita est animę

ſanitas & perfectio, incitat & inflammat. Dum verò eiuſdem exponit facultates, ſanitatis corporis principia deſcribit: Ergo in hanc partem, vt A
inter paucos eruditus Fernelius omnes ingenij vires intendit, ſic ego certatim in eodem exercitationis genere τέχνασμα, ſummum artis opus ingenij mei ſpecimen edere propoſui: alterum meditor in opere de abditis rerum cauſis.

Quod qualecunque ſit, tibi conſecro (Præſul honorande) quia viſus ſis mihi potiſſimum eius partis Philoſophiæ ſtudioſus: quoties enim de ſeriis & reconditioris Philoſophiæ quæſtionibus communicaſti mecum, feciſti autem frequenter, toties intellexi te ardere iſtius ſcientię deſiderio, & ex familiaribus colloquiis magnum quiddam ſpirare cognoui, quæque B
maiores tui belli gloria & fortitudine nobiliſſimæ veſtræ familiæ attulerunt ſtemmata, te virtute, doctrina, & pietate exornaturum præſagiui. Enimuerò cùm ingenuè educatus, deinde in Ioannis Valerij I. C. Græcè & Latinè docti, diſplicinam traditus, philologiam & Philoſophiam non leuiter attigiſſes, quid aliud, quàm te tandem aliquando in Theologum doctrina & virtute inſignem euaſurum prædixiſſem? neque me fefellit coniectura: nunquàm enim te Regis frater conſultiſſimus in primarium Eccleſiaſtem, & Eleæmoſinarium delegiſſet, niſi ad nobilitatem generis, C
doctrinam & virtutem adiunxiſſes. Deus illum Galliæ & tibi, te viciſſim, illi, & tuis, ſeruet incolumem.

COMMENTARIVS DE FACVLTATIBVS ANIMÆ. D

Quid Anima. CAP. I.

ARISTOTELES primum docet, quid non ſit animus, & in veterum opiniones diligenter inquirit, quas omnes in tria veluti capita contraxit. Omnes enim inquit, ſenſu, motu, aut corpore animæ vim & naturam expreſſerunt: Sit tamen ſenſus & motus principium, ſed cùm vtrumque ſit affectus corporis, nec horum altero, ſed ratione, ſumma vis animæ contineatur, neutrum dici poteſt, multò minus corpus: quia duo corpora eſſent ſimul ſeſeque penetrarent, cùm anima tota ſit in qualibet parte: quo ſi non ſentient ſe vrgeri Stoici, quibus dimenſiones ſeſe penetrare abſurdum non videtur, quique ſpiritum animalem cum anima confundunt, premendi erunt his argumentis: Primò, quòd per ſyncopem vacuato ſpiritu animali, anima permaneat: Secundò, quòd E
ſpiritus ſua corpulentia replet & diſtendit, nec non tenſione dolorem facit, quod nemo prudens de anima affirmârit: Tertiò, ſpiritum animalem nutriri, animam nuſquam: Quartò, quòd ſit inſtrumentum animæ, & principium quo, non quod: Quintò, quòd animus intelligat ſemet ipſum: Poſtremò, quod eadem ſui parte contraria ſimul & eodem momento comprehendat: quæ cum ſint à natura corporis aliena, eſto incorporea animæ ſubſtantia. Nec nos commoueat illud Epicuri, Quod mouet & tangit corpus, corporeum eſt: etſi hoc theorema ab Ariſtot. demonſtratum ſit in libris de Motu: nam vt Deus mundum, ſic animus ſuum corpus mouet ἐνεργητικῶς ſeu κατ' ἐντελέχειαν, non σωματικῶς. Neque nos potius abducat ab hac ſententia Hippocratis auto-

A authoritas, qui vt dicat ſuis principiis, calido & humido, conſentanea, auſus eſt animæ ſubſtantiam ex igne & aqua conflare, 1. de Diæta: quinimò 6. Epid. calorem appellat animam, alibi naturam, tolerabilius quidem nihilo doctius, quia eſt animę & naturæ inſtrumentum. Galenus ſubſtantiam animæ non tantum ſibi ignotam ingennè confitetur, ſed eam definire, non putat eſſe ſapiētis. Viues adiunxit rationem, quod non habeat facultatem ſuperiorem, per quam ſemetipſam intelligat: qua me indice opus non habet, cùm cætera directè, ſe verò per reflexionem cognoſcat. Hoc pace Galeni dixerim. Philoſophi diſquiſitione dignum erat, ſítne animæ ſubſtantia elementaris, cœleſtis, an ſupercœleſtis. Plato & Ariſtoteles dum illam non eſſe elementarem demonſtrant, quia nec vno elemento conſtet, nec craſi & harmonia multorum, eam diuinum quiddam præ ſe ferre ſubindicant: verùm ſítne cœleſtis an ſupercœleſtis, non ſatis apertè demonſtrant, niſi fortè quando Plato ſcribit in Timęo,
B Intellectum propterea quòd à Deo deorum immediatè creatur, impatibilem & immortalem eſſe: Appetitum verò quia fit à dæmonibus, patibilem & caducum, duas vnius animæ partes, vel potius duas animas eſſentia differentes in nobis agnoſcat, (nam mortale & immortale quia differunt pluſquam genere, non poſſúnt coire in eandem naturam) vnam ſupercœleſtem, alteram ſublunarem. A qua ſententia non longè recedit Ariſtoteles: quando enim ſcribit animam in generatione cum ſemine traduci, ſolam mentem cœlitùs aduenire, cuius ſolius energia ſit ſeparabilis, videtur intellectum ſic ab anima ſeparare, vt anima ſit forma Phyſica, tantaque neceſſitate corpori alligata, vt illi connaſcatur & commoriatur: intellectus verò vt ſolus extrinſecus accèdit, ita ſolus à morte ſuperſit, metaphyſicus quippe & in ordine diuinorum poſtremus. Age verò, quam ille animæ definitionem excogitauit, ſubducamus, &
C ad examen rationis ſiſtamus. Anima ſapientum omnium opinione eſt ſubſtātia, cum ſit pars ſubſtantiæ, non accidens: mille enim accidētia nunquam vnam ſubſtantiam conſtituerent: quæ? non materia, quia anima eſt motus & actionis principium, materia verò perpeſſionis, multo minus compoſitum. Ergo forma: atqui forma eſt entelechia, actus primus, vt ſcientia, non ἐνδελέχεια, actus ſecundus, vt contemplatio; hæc enim eſt duplex, vna inchoata & imperfecta, quæ formam præcedit, altera perfecta, quæ vt effectus cauſam, formam conſequitur, vtraque eſt accidens: ſuccenſendum enim M. Tullio quod impoſuerit Ariſtoteli eiuſque opinione animam eſſe motionem perennem ſcripſerit, nam Ariſtoteles hoc præter cætera in Platone reprehendit, quod eſſentiam animæ αὐτοκινησίᾳ expreſſerit: naturam habet in quiete non in motu, ſit igitur animus entelechia. Verùm figura etiam eſt entelechia operis artifi-
D cialis, figulus enim perfecto poculo τέλος ἔχει, non aliter quàm natura per nouem menſes fœtu in vtero efformato, adiectum propterea, Phyſici corporis, ſed forma etiam Phyſici ſimilaris, tam ſimplicis, vt elementi, quàm compoſiti, vt lapidis, entelechia eſt: non tamen anima, ſed natura dicitur, cuius ergo phyſici anima entelechia eſt? organici: materia enim à ſecundis cauſis præparata & ad functiones obeundas conuenientibus organis inſtructa, tandem animatur: ſed cadauer etiam eſt phyſicum organicum: Cuius tamen inſtrumentis cum nulla inſit ad vitam ſeu functiones animæ aptitudo, propter harmoniam & temperiem morte diſſolutam, qua Galenus deſcribit eſſentiam facultatum: Eſto anima primus actus phyſici, organici, potentia viuentis: quam definitionem vt ingenioſam & numeris omnibus completam Galenus ſuſpicit: Fernelius tamen, organicum, vt ſuperuacuum reſcindit, quia omne poten-
E tia viuens, ſit organicum, forte etiam quod ſemen, nondum organicum, non tantum potentia, ſed, ſi credimus Galeno, actu ſit animatum: Mihi non placet quod entelechiam pro genere Ariſtoteles vſurparit, nouo enim & obſcuro, quinetiam homonymo, genere definit, quod neſcio an in ſubſtantiarum ordinem referri poſſit, cùm ſit commune rebus artis, formæ enim rerum mathematicarum, earum ſunt entelechię, quas eſſe accidentia Ariſtoteles poſtremis libris Philoſophiæ contra Pythagoreos & Platonicos demōſtrauit: Deinde definiendum eſt genere proximo, forma autem eſt coniunctum genus animæ, Entelechia formæ, ſi modo ſit quinta quędam, & ab elemētarib⁹ quatuor diſtincta eſſentia: Ad hæc, quærebatur phyſica & realis animæ ſubſtantia. In hac ſalebra hærebant ſapientiores, Ariſtot. noui nominis nouo commento, ſe tanta quæſtione liberauit. Ego breuius & popularius dixerim, animam eſſe formam corporis animati, animatum enim ex motu etiam plebei diſcernunt ab

lib. de Subſt. facult. lib. de Vſu reſpir. 6. ſimplicium.

lib. de Form. fœtus, & in lib. de Cauſ. ſympt.

Corruptè Cicero videtur legiſſe in definitione animæ apud Ariſt. ἐνδελέχειαν, non vt oportuit ἐντελέχειαν, eſt enim forma & habitus, nō motus ad formam.

Anima Fernelio eſt perfectio viuentis, vel cauſa & principium functionis, melius dixiſſet principium facultatum, facultates enim ſunt principia functionū: eſt autem definiēdum prioribus natura, deſcribendum notioribus nobis.

inanimato: Cur autem forma physica non absolutè, vt metaphysica, sed comparatè finiatur eo quod informat, vt anima vegetans forma plantæ, sentiens, belluæ, rationalis, hominis, Aristoteles ipse sexto suæ sapientiæ demonstrauit. Similes sunt simitati, vt enim simitas naso definitur (est enim nasi cauitas) ita formæ Physicæ proprio subiecto quod informant, vt natura forma corporis similaris, ita anima conformati. A

SCHOLION.

IN homine vt in proprio subiecto tota medicina vertitur, cuius corpus & animum physiologia contemplatur: Corpus in continentia, contenta & impellentia resoluit: animā in facultates & functiones: Essentiæ enim medicus non est admodū sollicitus, quia nihil confert eius cognitio ad bene medendum: Omnia autem artis cuiusque præcepta ad finem consequendum referri debent: tamen si liceat in tantarum caligine obiter aliquid proferre, parum rationi consentiens, existimo, calorem & spiritum, duo animæ instrumenta, è cœlis deriuare cum Aristotele, animæ autem substantiam elementarem putare, cùm semper præstet instrumēto quisquis eo vtitur, Citharœdus citharistæ, nauta naupego, Galenus mauult suspendere iudicium quam de quæstione tam obscura definitè pronunciare: humanæ sapientiæ non infima laus est fateri se multa nescire: satis sit hoc loco eam definire formam corporis animati, si malis principium primum facultatum & functionum omnium. B

QVOTVPLEX ANIMA.

CAP. II.

C

TOT sunt animarum differentiæ quot species animantium, Atqui animatorum tres tantum sunt species, planta, bellua & homo, si modò plantas anima regit, non natura. Galenus enim in hac quæstione mauult Stoicis fauere, quàm Peripateticis; Vna igitur anima plantas informat, quæ vegetans dicitur, altera belluas perficit, eaque sentiens, tertia homines, nempè rationalis; quæ inter se ita sunt affectæ, vt posterior includat priorem: quæcunque enim ratiocinantur, eadem sentiunt, proinde vegetant, non est tamen sensus hominis forma, sed facultas tantùm ministrans rationi: Vnius enim rei vnica est forma, cuius imperio inferiores quotquot sunt mancipantur: vtque triangulum cōtinetur quadrato, duoque sunt in tribus, potentia & indistinctè, non actu & definitè, sic vegetantem sentiens, vtramque rationalis includit. Plato tres quoque differentias animæ constituit, Concupiscentem, Irascibilem & Ratiocinantem: Galenus totidem, naturalem, vitalem & animalem, sed illi humanam tantum, non omnē animam vt Aristoteles diuiserunt. Differentia enim quę diuidit genus, speciem aliquam constituit. Cupiditas autem & ira, facultas vitalis & animalis, non constituunt nouas species, nec subiectā specie differentia informant. Ira enim nullius animalis est forma & perfectio summa, nullique separatim inest, nec vitalem facultatem summam & rectricem in animalis vlla specie reperias. In Platonis diuisione duo prætereà videntur censura & animaduersione dignissima; primum quòd cupiditas & ira sint species appetitus, proindeque membra subdiuisionis, non primæ diuisionis, nam cupiditas, est cibi & potus, nec non veneris: Ira autem vindictæ appetitus. Alterum, quòd tres animas vt sedibus seclusit, cupiditatem enim in iecore, iram in corde, rationem in cerebro collocauit, sic easdem essentiis differre voluerit, cùm tamen vna & simplex anima, solis facultatibus distincta, totum hominem informet, vbique tota, & omnibus facultatibus instructa, quæ in extremo etiamnum digito, vt in cerebro, discurreret, si haberet illic omnia quæ sunt ad discurrendum necessaria. Quemadmodum enim sentiens anima totam belluam informat, vbique tamen non sentit, puta in parte destituta neruo, sic rationalis anima nulli particulæ deest, in qualibet tamen non pereque ratiocinatur, quia non habet vbique phantasmata ad discursum necessaria. Quod si temperies sit primum & præcipuum ob eundē functionis instrumentum, atque, vt philosophi loquuntur, id sine quo non: Illa autem sit propria cuiusque particulæ, quid mirum si facultas aliqua vni parti concessa sit, quæ alteri denegatur? aut si vni per se primò conueniat, naturalis hepati, vitalis cordi, rationalis cerebro, D E

cerebro,

A cerebro, cæteris participatione: Fernelius animæ partes à facultatibus distinguit, quòd pars substantiam constituat, proinde sit inseparabilis, facultas in modum accidētis adsit & absit: deinde quod pars seorsim subsistit, vt anima vegetās in planta fine sensu, sentiens in bellua sine ratione, facultas minimè: quid multa? animæ sunt tres partes, vegetans, sentiens, rationalis: vnaquæque pars habet suas facultates. Verumtamen anima est totum, vt physici loquuntur, potestatiuum: quia facultatibus ranquam partibus diuiditur, alioquin indiuidua, quia incorporea. Anima vegetans, prout informat plantam est totum quoddam, cuius partes sunt vis procreandi, nutriendi, & augendi, quas si tu referas ad primam diuisionem, erunt partes partium: Quare singula argumenta breuiter expendamus: facultates abolentur, vt procreandi, & augendi, partes nunquam: quid si negem toto curriculo vitæ animam, vlla facultate imminutam? accidit enim corporis & instrumentorum vitio vt omnino non B videat, aut deprauatè videat. Nam si seni dederis oculum iuuenis, videbit vt iuuenis. Cur ergo dices, anima potens augere, ab anno trigesimo feriatur: Solus enim crocodilus ad extremum diem vsque adeo augetur, vt plerumque magnitudine excedat duodeviginti cubita: Vana autem est potentia (loquor de physica, non geometrica) quæ non educitur in actum: respondeo hoc fieri duabus causis, priore, quia frustra & nullo vsu augeret: Cùm enim suum opus ad iustam & naturæ conuenientem magnitudinem perduxit, inutiliter augeret, habet enim extremum quo referebatur: posteriore, quod totum alimentum absumat in nutritionem, animal enim gradius, amplius vult nutriri: Simili argumento potuit thesis confirmari: In semine inest facultas procreandi, atqui illa in puero ad annum pubertatis otiatur, Ergo facultas potest adesse & abesse: Respondeo infanti non deesse facultatem procreandi, sed quæ C vitio seminis non possit sese in actum promouere, fœcundum enim semen debet esse crassum & corpulentum, puero autem nullum in est, aut liquidum & incoctum. Non est hic prætereundum passim in physicis materiam solo potentię nomine ab Aristot. designari, quia, vt ille scribit octauo philosophiæ, quemadmodum materia, sic potentia, est principium perpessionis: At Plato, meâ opinione doctius, facultatem actione definiuit, vimque perpessionis maluit impotentiam nominare: Ita enim facultas formam vt facultatem functio, hoc est vt effectus suam causam proximè & immediatè sequitur, quod cum Aristoteles ipse in metaphysicis demōstraret, exclamauit Aphrodisæus, à natura mortali nil potuisse dici aut excogitari diuinius: Enimuero quid afferri potuit efficacius contra veterum mathæotechniam, qui formas omnes, quin deos ipsos de sinu materiæ primùm erupisse constanter asserebant? quo poD tentiori argumento demonstrari potuit non tantum Deum esse, sed esse substantiam immortalem & impatibilem? Nam si forma sit agendi, materia verò patiendi principium, quis prudens materiam principium formæ nuncuparit? aut si tam dissident forma & materia quàm actus & potētia, actio, & perpessio, forma vt per se naturaque sua immaterialis, sic impatibilis est & immortalis, præterea instrumentum imperfectius est vtente, at forma calore vtitur tanquam instrumenro, Ergo cùm opifex calor Aristotelis opinione sit cœlestis, multo potius forma physica cœlestis erit. Cuius substantiam, nemo philosophus dixerit temperamētum, aut ex temperamento, nam calidum, humidum, frigidum, siccum, vt est quarto meteorωn, in mixtis habent nomen & rationem materiæ.

Fernelio membra primæ diuisionis sūt partes, subdiuisionis, facultates.

Gal. nono de decretis Hip. & Plat. cap. 9. fauet etiā Platoni.

Hæc sunt sapientiæ Peripateticæ speciosa principia, quibus videtur viris, alioquin E doctis, animæ rationalis immortalitas demonstrari, quasi ista omnia non sint formis naturalibus, etiam rerum inanimatarum, communia, quas Aristot. in lib. de motu, & sexto philosophiæ, demonstrat non oriri, neque interire, quia ortus & interitus sunt mutationes compositi, non simplicis naturæ, sed connasci materiæ & eidem commori: qua de re plura scripsimus lib. de formis.

SCHOLION.

FORMÆ Phisicæ definiuntur & diuiduntur subiecto primo quod informant, vt anima forma corporis viuētis, Atqui viuentiū tria sunt genera, planta, bellua & homo. Totidē igitur sunt animarum prima genera: vegetans forma plantæ, sentiens belluæ, rationalis hominis: quas animæ primas differentias prout afficiunt subiecta specie differentia, animæ partes aut species non malè dixeris: Diuisiuæ enim generis sunt, constitutiuæ speciei: cum verò sin-

gulæ species ea ratione qua propria subiecta informant considerantur, vt vegetans anima plantam, sentiēs belluam, rationalis hominem, tum in facultates, non autem in partes aut in species diuiduntur: Animæ vegetantis non dixeris tres esse partes, nutricem, auctricem, & pocreatricem, sed facultates tres: Animæ belluinæ proprias facultates sentiendi scilicet & mouendi, non propriè nec Philosophicè dixeris partes. Potentia ratiocinandi, est prima & præcipua vis animæ humanæ: Animæ rationalis immediatum paincipium: his omnibus modis facultas potest definiri. A

ANIMÆ VEGETANTIS FACVLTATES explicantur. CAP. III.

QVÒD anima vegetans sit fotma plantæ, à Galeno φυτικὴ nominatur: Cuius sunt tres facultates, procreatrix, altrix, & auctrix: alimentum est obiectum omnibus commune, diuersa tamen ratione. Iis enim nutrimur & augemur quibus constamus, fœtus fit ex sanguine, eodem nutritur, & augetur, quò respiciens Aristoteles naturalem facultatem à communiori, non digniori, officio, θρεπτικὴν appellauit, communiori inquam, nulla enim est quæ perfectione possit æquare procreantem, cùm sola nos reddat immortales: Procreatrici ministrant alteratrix & formatrix, res enim suas natura facit, alterata primum, deinde conformata materia. Ad conformationem pertinent, figura, cauitas, asperitas, & læuitas. Differunt, quòd procreatio sit motus formæ, nutritio materiæ, accretio quantitatis: deinde quòd procreatio conferat seruandæ speciei, nutritio & accretio indiuiduo, postremo quòd omne animal quandiu viuit necesse sit nutriri, non augeri, minus procreare: Animal enim Hippocratis sententia vltra septem dies sine alimento viuere non potest, quia triplicis substantiæ, spiritus, humoris, & solidi, perennis fit dissipatio, quæ nisi reparetur alimento, illud interire necesse est. Dicet aliquis, Democritus & Demetrius solo panis odore, Chamæleon vento, multos dies vixisse perhibentur, refertque Gellius ex Plinio, esse gentem in Aphrica quæ solo aëris inspiratu viuit: Sed similes Pythagoreorum nugas, eo loco Aristoteles refellit, quo nullum mixtum nutriri posse vno & simplici elemento ex eo demonstrat, quod vnumquodque nutriatur simili: Nónne vides agricolas in eum finem agros stetcorare, vt terræ & aquæ permixtione oriātur plantæ & nutriātur? Non nego spiritus per syncopen dissipatos odoratis refici, sed non intelligo, vt solida substantia, quæ assiduè consumitur, odoris afflatu reparetur. Æquè falsum est & puerile commentum quod Laërtius scribit ex Dicęarcho, sine alimento Pythagoram ἄσιτον quadraginta totos dies durasse. Cum enim à Chilonæis, vel vt aliis placet à Crotoniatis tanquam seductor posceretur in pœnam, confugit ad tēplum, velut in asylum, vbi sine cibo & potu quadraginta dies latuit, ad extremum, vnà cum templo concrematus interiit: falsum inquam & ab illius discipulis in perpetuam magistri memotiam confictum, quos scimus illi clanculum per amica lunæ silentia ad vsum vitæ necessaria ministrasse. Quod verò scribunt Getmani, non ita pridem à mille millibus hominum visam esse Spiræ mulierem quæ per multos annos non comederit, piè credo, sed rara non sunt artis: vt enim ea tantum dicuntur opera naturæ quę semper aut plerumque fiunt, mōstra autem quia rarò eueniunt, præter naturam sunt: Sic metaphysica voco quæcunque extraordinaria Dei prouidentia contingunt, est enim natura ordo sensibilis mundi: nisi quis ita malit, quemadmodum æger nulla vitæ iactura, imò sæpè manifesto sanitatis commodo, longam inediam perfert, quia calor languidus habet intus quod agat, sic glires & vrsi, dum tota hyeme dormiunt, nutriuntur: est illis somnus pro cibo: Ita si quis natura sit frigidiore, vt phlegmaticus, tamdiu famem tolerare posse, quàmdiu calor in conficienda pituita, sensimque in sanguinem transmutanda occupabitur. Verùm pergamus, paulò enim liberiùs à proposito egressi sumus.

Ælianus in varia historia.

Nutritio Galeno est assimilatio alimenti, mihi verò assimilati vnio, non est enim motus qualitatis, vt ille ait, sed substantiæ, nam vt procreatione noua forma acquiritur, sic nutritione noua materia: qua forma conseruatur, nisi vt nomen qualitatis Sroïci cum Platone latius fundunt quàm Peripatetici: sic Galenus alterationis & assimilationis: nam si proptiè & philosophicè loquendum sit, ταυτότης, est vnio substantiæ, ὁμοιότης qualitatis.

Acctetio

Accretio est extensio materiæ in omnes dimensiones simul, vtrumque est opus
A animæ, non caloris, nisi vt instrumenti, obiectum enim sine modo populatur, sese-
que in immensum propagare & amplificare conatur, at sunt accretionis termini cui-
que rei à natura præfixi, quos vltra citraque nequit consistere rectum: impetus ergo
caloris à causa meliore & ordinatiore regendus fuit, & intra fines mediocritatis con-
tinendus; Hac descriptione, excluduntur rerum inanimatarum accretiones, quin-
imò rerum animatarum, quæ fiunt penes vnam aut alteram dimensionem, non
enim dixerim pueros longo morbo confectos, quod extendantur in longum, accres-
cere. Existimo enim cum Auicenna, non fieri incrementum nisi accessione copio-
sioris alimenti, vt sufficiat primum nutriendo, (est enim opus naturæ magis necessa-
rium) deinde augendo animali. Cur ergo pueri toto morbi tempore parcè & tenui-
ter nutriti accrescunt in longum? quia partes solidæ, quibus insita est auctrix facul-
B tas, in morbi declinatione abundantius nutriuntur. Cur post adolescentiam non ac-
crescunt amplius in longum? quia sicciora ossa extendi non possunt. Quæsitum au-
tem iamdiu nec satis definitum, quid sit apud Aristotelem augeri rem pœnes formã,
non materiam, accretio enim est motus quantitatis, quantitas affectio est materiæ,
non formæ. Tum accretio sequitur nutritionem, nutritur autem corpus, non ani-
ma: An quemadmodum animal descrescit languentibus animæ viribus, sic ado-
lescente anima accrescit? an nutritio & accretio sunt motus animæ, vt agentis, ma-
teriæ, vt patientis? an formam non essentialem, sed accidentariam, seu figuram in-
tellexit? Ego, vt dicam liberè quod sentio, neque formam augeri existimo, neque
materiam, sed compositum. Animal enim est quod sentit, non anima, neutrum enim
separatim sentit, nutritur, augetur. Quod ita demonstro: auget anima, corpus au-
C getur, accretio definitur vtroque simul, vt motus mouente simul & mobili, ergo est
mutatio totius non partis, animalis, non animæ, aut corporis. Quibus ita constitutis,
non possum satis mirari, cur Galenus formam quæ regit plantas, maluerit cum Stoï-
cis naturam, quàm cum Peripateticis animam appellare: eoque magis miror, quòd
ille ipse eum Pythagoreis & Platonicis plantas sentire iudicarit: Non enim tantum
animatum est quod sentit, sed etiam animal: Præterea si consentiente Galeno, natu-
ralis facultas vna est ex partibus quæ primum diuidunt & constituunt animã, mirum
cur illam animæ titulo dedignetur: Excusatur quòd vt appetitus, ita sensus quidam
sit naturalis, de quo postea commodiùs & opportuniùs dicetur.

Animal nutritur qualitate, alimenti, acrescit quantitate; nutritur alimento tali, augetur quanto.
Arist. lib. 2. de anima.
Plantæ nutriuntur & augentur, at hæc sunt opera animæ, ergo sunt animatæ.

SCHOLION.

D *Animæ vegetantis tres sunt facultates, pocreatrix, altrix, & auctrix: procrea-*
trix dominatur in vtero toto tempore gestationis, illique seruiunt altrix & au-
ctrix: nutriendo enim & augendo natura fœtum perficit: edito fœtu procreatrix
aut disparet, aut delitescit ad tempus: nisi non ad speciem primis annis vim suam
referat, sed ad indiuiduum: nam dentes profert, fracta ossa obducit callo, quin-
etiam venæ aut cutis portionem abscissam restaurat, nondum procreat simile, quia angustiora
sunt vasa spermatica, semen aut nullum aut infœcundum: Auctrice ad tempus vsque adoles-
centiæ completum, debentur primæ partes, quia nutrix illi ministrat, videtur enim hic præcipuus
scopus naturæ, vt opus suum ad iustum & speciei conueniens incrementum deducat, quod asse-
quitur ministerio nutricis, postquam optatum finem consequuta est: Auctrix aut vanescit aut
in materiæ sinu otiosa delitescit, solaque nutrix remanet, quæ ad extremam vsque diem sola con-
seruat opus naturæ: Nullum enim animal sine alimento diu potest viuere: potest non procreare,
E *potest non augeri, sed non potest non nutriri: sola facultas altrix à primo die natiuitatis ad extre-*
mum absolutè necessaria est, aliæ ad certum tempus, atque vt dicitur secundum quid: Procrea-
trici ministrant Alteratrix, & Conformatrix: Alteratrix apud Galenum non tantum acci-
dentaria, sed etiam essentiali qualitate rem immutat: nam vim seminificam inditam testibus, &
lactificam mammis, chylificam ventriculo, sanguificam Iecori, ille refert ad alteratricem, quin-
imò ossificam & venificam, quæ sunt substantiæ mutationes: Qualitas in Aristotelis doctrina
est nomen accidentis, A Galeno, vt à Stoïcis distinguitur in accidentariam & essentialem: Al-
teratio est vtriusuis mutatio: Auctrix materiam extendit secundum omnes dimensiones simul,
qua definitione excluduntur à cathalogo naturalium accretionum tres modi improprij: Primus
quando rarefactione: secundus quando additione: tertius quando tensione seu repletione res ac-
crescit: hoc modo creuisse dicitur venter sub ascite, per additionem crescunt lapides, crescit &

acervus : rarefactione , aqua feruore in vaporem resoluta : sed tum ortus est aëris, interitus A *aquæ, quia manere oportet quod accrescit. Quo argumento Aristoteles demonstrat corpus viuens augeri penes formam, non materiam: materia enim assiduè fluit, manente forma.*

QVATVOR FACVLTATVM subsidio altricem indigere.

CAP. IIII.

VEMADMODVM planta radicum fibris, vt animal ore, de terra tanquam de penu & ventre, quod vtile est, naturæque suæ conueniens B exugit, atque tandem in substantiam suam conuertit: Ita singulis partibus insita est facultas quod effluit de massa sanguinis veluti delectu & iudicio attrahendi, hac vi cerebrum pituitosum sanguinem allicit, pulmo biliosum, splen melancholicum, caro eum qui simpliciter sanguis appellatur, allectum, aliquandiu retinent, quiete enim & mora opus est ad coctionem, tandem assimilant sibi, & vniunt, postea reliquias alimenti ablegant & in vacuam partem deponunt. Altrici ergo facultati quatuor aliæ ministrant, Attractrix, Retentrix, Assimilatrix, & Expultrix: Omnium vnus & communis finis, nutritio : Tractum enim retinetur, vt assimiletur, assimilatur vt nutriat & nobiscum fiat vnum. Trahendi sunt duæ causæ, substantiæ similitudo, & fuga vacui: dolor enim per accidens trahit, calor trahit fuga vacui : substantiæ similitudine vna quæque pars creditur C trahere proprium alimentum: Hac tamen causa alimentum potius ferri ad partem aliquis ita probabiliter contenderet : Tractio, vt docetur septimo physicæ, est motus violentus, atqui violenti motus causa violenta & præter naturam est: Ergo sympathia non est causa tractionis. Deinde simile sponte sua ferri ad simile scribitur in libris cœli, sic ferrum moueri ad magnetem Cardanus existimat, cui hac parte consentit Scaliger falsarum opinionum Cardani censor alioquin criticus: Ego verò neutri facilè acquiesco: Nam quid similius magneti quàm magnes ipse? at non mouetur ad magnetem, ergo multò minus ferrum: Adhæc vt elementa mouentur ad sua loca, tanquam ad finem & perfectionem, (vnumquodque enim melius habet in suo loco, corrumpitur in alieno) Ita magnes quia seruatur scobibus ferri iisque veluti nutritur, (nam si tu magnetem in ferri scobes reposueris, tractu temporis eius portionem absumptam videbis) potius moueretur ad ferrum, quàm ferrum ad magnetem. D Permanendum igitur in veterum sententia à Platone verbis planè aureis in Ione descripta, & ab Aristotele septimo physicæ, nec non ab illius interpretibus, & à Galeno comprobata, ferrum trahi à magnete propter similitudinem substantiæ, quam prodit ferteus magnetis color. Trahendi enim duo sunt modi, obiecto fine, & efficiente, omni denique ratione differentes: Medicamentum trahit excrementum, vnaquæque pars alimentum: Ecce differentia obiecti ; deinde medicamentum trahit vt excernat, alioquin ἐκκοπεσφάγον, & merdiuorum pars trahit vt fruatur tracto : adest finis dissimilitudo. Non est enim absolutè verum quod scribit Galenus, omne trahens eo fine trahere vt fruatur tracto, sed eget distinctione : postremò propter sympathiam, non quoduis promiscuè, sed cum delectu alimentum simile trahitur à parte: Anthipatheia & contrarietate, medicamentum trahit excre- E mentum, non enim videntur eadem causa alimentum à parte, & excremētum à medicamento trahi: magnes ergo propter sympatheiam trahit ferrum vt fruatur tracto; quandoquidem eo, vt diximus, seruatur : Theamenes illud antipatheia repellit: quam substantiæ similitudinem, eâdemque opera vim tractricem, impediet, qui alterutrum oleo, aut allij vel ocymi succo, illeuerit, aut adamantem circumposuerit: restituetur autem propriæ naturæ, si vngatur hirci sanguine; causam explicamus in opere de abditis rerum causis.

SCHOLION.

A SCHOLION.

Vt plantarum, sic animalium partes cum delectu trahunt naturæ suæ conueniens alimentum, similitudine substantiæ inquam non aliter quam magnes ferrum, Aliæ calore solo, Aliæ fibrarum rectarum ministerio: Vt coquatur mora est opus: proinde illic aliquandiu debet retineri: retentum coquitur, tandem assimilatur, homogenea cogit calor, heterogenea excernit: nihil enim tam simile quod non habeat aliquid dissimile: Itaque quatuor facultates ministrant nutrici, attractrix, retentrix, assimilatrix, & excretrix, quibus continentur appositio, agglutinatio, & assimilatio, quia attractum, & retentum apponitur, per moras coctum, agglutinatur: coctione enim crassescit, & lentorem acquirit alimentum: ad extremum assimilatur.

B *PRÆTER EAS QVATVOR NON ALIAM quandam esse naturalem appetendi facultatem, aliam internoscendi, aliam secernendi.*

CAP. V.

AVENROIS imponit Galeno quòd vim secretricem ignorarit, scribit enim lib. de differentiis symptomatum, sæpe serosum reddi sanguinem vitio secretricis, eiusque alibi non semel meminit, sed videtur illam partim sub tractrice, partim sub retentrice comprehendisse, quia dum pars trahit quod vtile est, inutile verò relinquit; haud dubiè vnum ab altero secernit, & solo naturæ instinctu, sine iudicio, vtile ab inutili distinguit: hanc vim, *2. Collect. cap. 16.*
C natura viuentibus omnibus concessit, quòd sit necessaria ad vsum & conseruationem vitæ, cuius actionem si quis referat in sensum aut appetitum, non laboro: vt enim appetitus est duplex, vnus naturalis & rerum omnium communis, quo materia formam, elementa sua loca, quin res omnes sui conseruationem appetunt: Alter animalis, viuentium proprius, cuius tres sunt species: voluntas, ira, & cupiditas; sic sensus quidam est naturalis, rebus inanimatis communis, cuius vis cernitur in discretione boni & mali, vtilis ab inutili: Alter animalium proprius, qui à Galeno definitur, dignotio alterationis factæ in sensorio à sensibili, qua distinctione ab Aristotelis reprehensione quidam Pythagoreos & Platonicos vindicant: Plantas enim non sentire duobus argumentis demonstrat, priore, quia sensus apprehendit qualitates immateriales, plantæ non sine materia: Posteriore, quia sensus organica facultate *2. De anima.*
D exceptas qualitates retinet, easdem illico planta transmittit: quę si Galenus diligentius expendisset, non tam facilè in Platonis opinionem concessisset. Porrò Stoïci volunt plantas neque esse animatas neque animalia, Peripatetici, animatas quidem, non animalia, Platonici, non tantum esse animatas, sed animalia: verum de nomine videtur maior quàm de re contentio: Aristot. enim duodecimo suæ sapientię, vbi lectis verbis & apodicticè de Deo scribendum erat, illum nominatim appellat animal, excusatur tamen quòd illic generalius ζῶον appellet viuens, cum Platone: non sentiens, vt solet passim: est enim ζωὴ vita, non sensus, quomodo Deus à Platone frequenter vocatur animal: Similis omnino est de sensu & appetitu contentio: Aristoteles enim pressius & angustius, alij latius & generalius vtrumque nomen vsurparunt, quàm doctè alij viderint, Aristot. videtur mihi loqui distinctius, & minori
E confusione rem explicare.

SCHOLION.

SCRIBIT Aristoteles materiam appetere formam vt res turpis pulchritudinem: quod reprehendit Iustinus martir, quia appetere proprium sit animæ: respondent pro suo magistro Peripatetici: Appetitum quendam esse animalem, alterum naturalem, quo elementa appetunt sua loca, vnumquodque natura duce sui conseruationem, nec non sibi simile; sic plantarum & animalium partes appetunt alimentum: verum ventriculus, qui non sibi tantum appetit, sed in communem vsum, quique ideo accepit neruos eximij sensus quorum beneficio vbi primum sentit se sugi, (ac si hoc signo dignoscat cæterarum partium indigentiam) appetit nouum alimentum: Duplicem habet appetentiam, vnam animalem per neruos sextæ coniugationis à cerebro ad stomachum deriuatos: Alteram qua ipse appetit sibi, instar cæterarum

partium, eámque naturalem: Atqui facultates dignoſcũtur functionibus: Eſt ergo appetẽdi quæ- A *dam facultas naturalis ſingulis partibus inſita, quæ ſeruit nutrici, non minus quam attractrix aut retentrix: Reſpondeo hunc appetitum non eſſe proprium viuentium, ſed etiam rebus non viuẽtibus communem, proinde inter facultates nutrici ſeruientes cenſeri non poſſe. Elementis non ineſt facultas appetendi ſua loca, alioquin etiam in ſuis locis ea appeterent, quia naturalis facultas, vt eſt congenita, ita inſeparabilis: facultatem quamdam diſtribuentem quidam ſimili argumento introducunt: Potentiæ diuiduntur actionibus: Atqui priuſquam ſanguis nutriat diſtribuendus eſt. Eſt ergo diſtribuendi facultas aliqua: Reſpondeo partim ab hepate veluti onus expelli, partim à ſingulis partibus attrahi proinde vtráque comprehendi poſſe: De ſecretrice maior eſt quæſtio: Nam Empedocles duas efficiendi primas cauſas conſtituebat, concordiam & diſcordiam: concordia quæ erant in vnum adducta diſcordia ſecreuit, eúmque in ordinem ſingula elementa digeſsit quem mundum appellamus, Tum nihil erat quod attraheret, nihil quod expelleret, Secretricis igi-* B *tur hoc opus fuit: nónne calor cogit homogenea, heterogenea ſecernit? ſic à ſemine plantæ & animalia generantur; ſecernit enim calor vtile ab inutili, illud retinet, hoc excludit, eadem vi conſeruantur, alimenti enim portionem naturæ ſuæ congenerem ſingulæ partes alliciunt quod non poſſunt abſque ſecretrice: Nónne vides cauis hepatis ſubeſſe veſiculam quæ vt ſanguis purus & defecatus diſtribuatur fel ſecernit, vt lien limum? Ecquid eſt aliud criſis quam humoris morbifici iam cocti ſecretio? vnde cutis felle ſuffunditur niſi vitio ſecretricis? Reſpondeo hoc contigiſſe attractricis impotentia: quia veſica fel non traxit, aurigine cutis fœdata eſt: Quia lien non traxit fecem, ſuperuenit icterus niger, ſic atrophia contingit, quia membrum alimentum ad ſe non trahit: Sit igitur hoc conſtitutum: ad quatuor facultates Altricis animæ miniſtras, cæteras poſſe reuocari.*

Secretrix ad alterationem pertinet quæ calore ſeparat heterogenea, nulla habet propria inſtrumenta; proinde eſt inſita facultas.

ALIIS PARTIBVS ALIAS FACVLTATES C
eſſe valentiores, illisque propria quædam functionum inſtrumenta deſtinata eſſe & attributa.

CAP. VI.

CVM facultas pendeat à temperamento, ſit autem vnius particulæ vnicum temperamentum, quomodo fit vt eidem parti inſint facultates contrariæ, trahendi, puta & expellendi? Reſpondetur vt in polychreſtro medicamẽto ſimplicia ſuas vires retinent, ſic in mixto manere qualitates, quæ vt contrariæ ſunt, ita poſſunt contraria. Calor enim & frigus vtuntur humore, & ſiccitate tanquam inſtrumentis, eorumque cauſa contrarios D effectus producunt. Euidentius multò natura in eadem parte ſubiecti pro varietate fibrarum, trahit, retinet, expellit. Eam enim partem natura trahere voluit, cui rectas fibras congenuit, ſi cui obliquas dedit, illam ad retinendi officium deputauit: quæ verò tranſuerſas obtinuit, deſtinata eſt excretioni, quæ omnes ſimul habet, trahit, retinet, ſimul & excernit. Iis ſignis non eſt difficile, quæ ſit vis & actio partis conijcere: pars enim trahit, quę habet rectas fibras, & viciſſim quæ nata eſt trahere, obtinuit rectas fibras. Ita de cæteris ſentiẽdum eſt, iis exceptis, quæ ſibi trahunt, vt oſſa & cartilagines: trahunt enim ſolo calore: At ventriculus, exempli gratia, in communem vſum trahit, & retinet: quare maiori robore & auxilio opus habuit.

SCHOLION. E

VT omnes partes nutriri neceſſe eſt, ita quatuor altricis miniſtris opus habent: verùm quædam ſolo calore hæc præſtant omnia, aliæ vtuntur præterea ſuarum fibrarum miniſterio, rectis trahunt, obliquis retinent, tranſuerſis expellunt: Vterus toto geſtationis tempore grauem fœtum cõtinere debuit, propterea accepit multas fibras obliquas, quemadmodum & ventriculus, qui alimentum debet retinere donec fuerit conuerſum in chylum: Tranſuerſas quoque, quibus perfectum opus excludant: Oeſophagus non habuit opus obliquis, qui cibum & potum mox debet tranſmittere, non continere, ſed rectis quibus attrahat, & tranſuerſis, quibus expellat: Trahit verò dum ſe contrahit, fitque breuior, expellit veluti compreſſus: Obliquæ fibræ retinent ſeruando in parte æquabilitatem, neque enim comprimunt, vt tranſuerſæ, nec contrahunt, vt rectæ.

A EXTERNAE SENTIENDI FACVLTATES *explicantur.* CAP VII.

Actenvs de naturali facultate, instat vt de animali disseramus: cuius partes sunt, sensus, motus, & quæ principes appellantur, imaginatio, ratio, memoria. De singulis ordine dicemus, ducto initio à sensu. Hunc Plotinus definit sympatheiam vitæ communis ad partes suas. Aristotel. popularius, alterationem sensorij à sensibili. Obijcit Galenus, sentiunt ergo aer, aqua, & speculum, quandoquidem à sensibilibus alterantur, quasi verò sint sensoria. Vrget alio argumento, nobis aliud agentibus sæpè accidit, vt transeuntis imago humore crystallino, veluti speculo excepta, non videatur. Itaque B concludit, definiendum potius, dignotionem alterationis factæ in sensterio. Dissensio tamen sensus distinctione conciliatur: vnus enim est exterior & particularis, cuius externum est obiectum & singulare, qui mouetur tantùm ab eo, quod adest, quódque præsens est, alter communis & interior, cuius obiectum internum est & commune: sentire enim est singulorum, sensus communium & vniuersorum, hic est, qui absentis rei imaginem conseruat. Externum Aristotel. definit vi perpessionis, soli communi dignoscendi vim concedit: non enim oculus videt, sed interior anima per oculum: nam si facultas sensorio esset insita, cum vtroque simul oculo rerum imagines excipiantur, nihil vnum & simplex videretur.

Sensus externi sunt quinque, interioris veluti satellites & excubitores, singuli sensoriis & obiectis differentes, duo necessitatis, sine quibus nullum animal potest C viuere, tactus & gustus: Tres commoditatis, visus, auditus, odoratus: duo ad esse, tres ad bene esse. Anima enim colores videt per oculum, aure sonos excipit, naribus captat odores, sapores gustat lingua, tractabiles qualitates tam primas quàm secundas cute percipit, de quibus ordine disseremus, ducto initio à visu, quia cæteris præstat, siue agendi spectes celeritatem, solus enim fit momento, siue vsum & vtilitatem. Nullus enim ad intelligendum tot rerum species suppeditat. Illius opera cœlum aspicimus, cuius perfectionem nemo vnquam auditu consequatur. Eius obiectum, instrumentum, & medium: deinde videndi modum, percurramus, & summa rerum capita persequamur.

De visu.

D Visibile non potest vno nomine exprimi: quædam enim videntur per medium illustratum, vt color, alia per opacum, vt splendor: nam bumbix, nicedula, squamæ, & oculi piscium, videntur in tenebris. Ignis colore interdiu, noctu splendore conspicuus est: quid multa? instrumenta visus præcipua sunt, spiritus & humor crystallinus, influit spiritus visiuus per neruum cauum, opticus ab vsu nominatur, qui originem habet à primo pari neruorum. Plato in Timæo respiciens ad spiritum, instrumentum visus scribit esse igneum: Aristoteles verò lib. de Sensu, spectans humorem crystallinum, fortè etiam totius oculi naturam & temperiem considerans, organum visus contendit esse aqueum. *Omnia sūt colore aut splendore, aut vtroq; simul conspicua.*

Medium, est corpus diaphanes, simplex, vt cœlum, aer, aqua: vel mixtum, vt glacies, vitrum: quæ omnia, quamquam genere distincta, in hoc tamen commu- E nicant, quòd sint perspicua, luminisque præsentia illustrentur: hinc lumen, actus perspicui, ab officio notiore, definitur: differt à luce, quòd lux sit lumen in suo fonte, lumen lux in alio. Porrò, vt ait Auempace, lux necessaria fuit propter colores: videri enim non possunt sine medio illustrato. Hinc Auenrois negat in tenebris colorem remanere: color enim, inquit, habet suum actum in eo quod aspiciatur, videri autem non potest absque lumine. quæ opinio iampridem explosa est: colorata enim res est, etsi à nemine videatur, satis est si sit aspectabilis. Pergit tamen vir argutissimus hoc modo. atqui non est aspectabilis, nisi per medium illustratum: ergo habet color suum actum à lumine. *Galenus fauet Platoni 7. de Placitis, cap. 7.* *Actus coloris nō est in eo quod aspiciatur, sed quod aspici possit.*

De modo videndi nobilis est quæstio, inter Platonem & Aristotelem. Ille enim existimat nos videre emittendo, hic verò recipiendo. Galenus Aristotelem his argumentis oppugnat, primò, quia montis quanta est magnitudo, recipi non potest,

adeò angusto pupillæ foramine: secundò quia res vna à tam multis simul & eodem
momento non videretur, quibus non est difficile respondere: magnitudo enim non A
videtur per se, sed per colorem, cuius sola species immaterialis per oculum, non aliter quàm imago in speculum, admittitur. Cùm ergo species sit indiuidua, quia incorporea, quid vetat illam totam exigua pupilla simul à multis deprehendi, cum innumeris specillis eiusdem rei quanta & qualis est imago, simul repræsentetur? Hæc magis vrgent, catoplebas & basiliscos interficere visiui, eiusque venenati, radij emissione: quomodo striges & lamiæ creduntur fascinare: sic enim Platonicus Poëta:

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

Quod Triballis fuisse gentilitium historiis proditum est. Nec prætereundum, Indorum regem dono misisse ad Alexandrum puellam, quæ veneno à primis annis nutrita, illum aspectu interficeret: Annon mulier per lunares purgationes visu specu- B
lum inficit, aut lippus ophthalmiæ contagem in aspicientem transmittit, quia spiritus visiuus à vapore putri inficitur, malique seminarium concipit? an non animalia multa, vt noctuæ, feles, capræ, serpentes & vespertiliones (quod de Tiberio narrat Suetonius, idémque sibi adolescenti contigisse scribit Cardanus) vident noctu optico radio aerem sufficienter illustrante? an non Aphrodisæus ipse quanquam iuratus Peripateticus in Problematibus quęrẽs, cur quidam cominus vident, non eminus, alij contrà: respondet eos, quibus paucus est & tenuis spiritus, acutè videre, sed cominus & è propinquo tantùm, quia in aere crasso obtunditur radius, extinguitur in frigido: Alios verò, quibus multus est & densus, quia tenuatur motu, & paulatim acuitur, procul videre, non propè? Suntque huius generis permulta
Problemata, quæ nemo possit aliter quàm emissi spiritus dissimilitudine explicare. C
Sic Aristoteles 2. Cœli, non stellas scintillare, sed nostrum radium propter distantiam: & Iridem fieri nostro radio à centro nubis relato ad Solem, scribit 3. Meteor. Idem, Antipheronti propriam effigiem obseruari solitam scribit in lib. de Sensu, quòd cùm esset visu admodum infirmo, aer esset illi pro speculo, à quo nimirum visiuus spiritus referretur. Ob hæc accusatus inconstantiæ à Galeno, quam interpretes excusant, quod ita loquutus sit ex aliorum sententia: Suam enim, inquiunt, opinionem Aristoteles solet proprio & conueniente loco demonstrare, alibi loquitur cum vulgo: Auenrois eius opinionem duobus argumentis confirmat, prius est ipsiusmet Aristot. Omnium sensuum eadem est ratio: Audimus, olfacimus, gustamus, tangimus recipiendo: Ergo, eo modo videmus: Posterius est Aphrodisæi. Nil videretur flante vento: quidni? quia opticus radius simul cum aere agitatus integram D
rei speciem ad oculum referre non posset. In quam sententiam toties incidit Galenus, quoties motum esse actionem affirmat, sensum verò perpessionem.

Controuersia me iudice sic poterit componi: Spiritus proculdubiò necessarius est ad videndum, qui cum externo lumine coniunctus propter ὁμοιοπάθειαν, vt est in Timæo, species referat, & ad interiorem sensum transmittat: quod Aristoteles ipse non negat. Quidam enim, inquit, iuxta tempora vulneratus, sectis neruis opticis, repentè visum amisit, non externi luminis, sed interioris priuatione, non aliter, quàm extincta lucerna. & Auenroïs: In tenebris, inquit, fricatus oculus, micat, propter internum lumen: nec fingi potest, vt feles & noctuæ in tenebris videant sine oculi irradiatione. In pupilla, inquit Lactantius, scintillæ luminum accensæ continentur, eáque fracta perditur visus: Non dixerim tamen spiritus substantiam ferri
extra oculum ad videndum, sed qualitatem solùm, nempè splendorem. Ergo non E
absurdè videtur Platoni fieri emittendo, non minus doctè Aristoteles contendit fieri recipiendo: fit enim partim recipiendo, recipitur autem species, humore crystallino tamquam speculo animato, videtúrque per spiritum si non à spiritu: Partim emittendo, non spiritum, sed radiosam visiui spiritus seu luminis interni qualitatem. Quidni spiritum? quia non sufficeret tot rebus tandiu, & ad tam distans inspiciendis, vt stellas firmamenti, quandoquidem finitum omne detractione finiti tandem exhauritur.

De auditu.

A Sonus est obiectum auditus, aura tenuis & quieta, quam membranula includit, analoga pupillæ, eiusdem sensorium: quæ quò tenuior est & quietior, eò auditus acutior; Neruum auditorium, quem habet à quinta coniugatione Aristoteles prætermisit, qui tamen tam necessarius est ad audiendum, quàm opticus ad videndum: per hunc enim colores, per illum, soni vehuntur ad communem sensum. Internus aer percussus ab externo percussionem transmittit ad cerebrum per neruum auditorium. Medium, aer, vel aqua, vno nomine διαφὲς, Meatum auditorium de industria sinuosum fecit natura, vt esset sensorium ab externis iniuriis tutius, nec tam facilè à sono grauiore læderetur. Ob id enim qui merguntur, ad extremum audiunt, quod difficillimè aqua subeat per labyrintheos anfractus.

B Sonus est collisio solidorum: nam fuste percussus, aut leuiter commotus aer, non sonat, quòd si resistat, habet rationem solidi: resistit autem si quis eius diffultum & dissipationem vehementia aut celeritate motionis anteuertat. Hac causa Boreas est sonorus; ἀπὸ τῆς βοῆς, à boatu, boatus ab impetu, eadem causa ingens ille strepitus in nubibus excitatur qui tonitru nominatur: Simili causa crepitant castaneæ eliso flatu: ventus per anum leniter exclusus non strepit, cum violentia verò expulsus & natibus constrictis, non aliter quàm nucleus compressis digitis elisus, crepitum edit. Vox est sonus ab animali certis organis naturæ dearticulatus. Sermo, est vox nuntia & interpres propriæ cogitationis: sunt enim aues multæ vocales, vt psitaci, picæ, quæ humanam vocem tam benè exprimunt, vt si tu illas non videas, homines loqui putes, non aues: sed dant sine mente sonum, nec sciunt quid dicant & loquantur.

C Homo, vt solus discurrit & numerat, ita solus, sermone vtitur: sic ferè Aristot. in Problem. & 4. de Historia animal. vt intelligatur iniustè accusari à Galeno, quòd vocem cum sermone confuderit: quamquam Plutarcho videtur φωνὴ dici παρὰ τὸ φωτίζειν, quia sit interpres mentis: Vocem ergo ille non distinguit à sermone.

Modus audiendi est admodum dubius & obscurus: non enim quemadmodum videmus momento, etiam stellas firmamenti, quia crystallinus humor vt speculum imaginem, propter schesim, excipit inalterato medio: sic sonos auditu percipimus, sed cum tempore & successione κατὰ ἕξιν. argumento est, quòd ventilatus aer impediat auditionem. an verò commotus, sonos trãsmittat ad aures, an potius species, immaterialisque qualitas eò conuolet, dubium est: Ergo speciem tantùm soni ad aures peruenire existimo: primò, quia vna vox à multis simul percipitur: secundò, quia audimus, non videmus, per medium solidum, propter continuitatem aeris externi

D cum interno: quomodo autem posset vox integra, si materialis audiretur, solidum permeare?

Cæterùm pisces esse mutos, etiam prouerbio celebratur: Athenæus tamen libro octauo, in Clitore flumine vocales esse affirmat. Sed credibile est, sonum quem edunt, attritu branchiarum, vt in Achæloo flumine, illi, vt plerisque alijs, imposuisse: Aristoteles solùm Scarum & Suem fluuiatilem scribit vocem edere: verùm de Auditu satis multa.

De odoratu.

Sensorium simile est suo sensibili, cùm sit potentia tale, & sensione ex vtroque

E quodammodo fiat vnum, atqui odor exhalationi calidæ siccæ, vt sapor vapori, similis est: vt ergo visus sensorium Platoni igneum, Aristoteli aqueum est: auditus verò vtrique aerium, sic odoratus dici debuit igneum: propterea enim vt per hyemem nil aut minimum exhalat, ita minimum odoris redditur, neque illum ex accensis odoratis, quæ vt plurimùm sunt calida sicca, efflatum percipiunt, qui sunt humidiore vel frigidiore cerebro: non dissimili causa, calidius cerebrum, paucis exceptis, vt rosa, camphura, & santalis, offendunt odorata. *Galenus abusiuè passim appellat vaporẽ.*

De sede sensorij non conuenit Galeno cum Aristotele: hic enim illud intra nares sub interiore membranula cartilaginibus obducta constituit, ille intra caluariam: sibi tamen non vbique constat: nam 3. de Loc. affect. videtur illud reponere in anterioribus ventriculis cerebri. at 7. de Placit. non in ipsis, inquit, ventriculis, sed in

-extremitatibus, quò narium meatus pertingunt; Carunculas spongiosas, papillis similes, in fine narium positas appellat. A

1. Collect. Quomodo ergo, quærit Auenrois, odor alimenti, qui cum vapore cerebrum petit, non percipitur? An oppleti meatus sensum odoris impediunt? An odor admixtione vaporis corrumpitur? An odor naribus captandus est externi aeris inspiratu? propterea enim naris, odoris deferens instrumentum appellatur.

Medium est aer, vel aqua, prout natura cõmuni participant, quam primus Theophrastus, δίοσμον appellauit: vt enim color videtur per medium diaphanes, sonus per διηχὲς auditur, sic odor per δίοσμον percipitur, vnusque ad numerum aer pro diuersa ratione, tot nominibus appellatur. Cur nos vt pisces sub aquis non odoramur? quia purum & immixtum aerem inspirare non possumus.

Hoc sensu vincimur à multis animantibus, ijs præsertim, quæ ex rapinis viuunt, ad hoc enim exquisitum habent odoratum, vt odoris sensu ducantur ad prædam. B

Nos aper auditu, linx visu, simia gustu,
Vultur odoratu præcellit, aranea tactu.

Vincuntur tamen à nobis, quòd obiectorum differentias perfectius diiudicemus, in quo summa est sensus perfectio.

Hinc factum est, vt odores non propriis, sed saporum nominibus appellentur, quibus reuera proportione respondent. Est enim odor, sicci sapidi in humido affectio quædam, cum insipida, vt aer, aqua, lapis, aurum, sint inodora. Atque etiam ex sapore fit odor, vt exhalatio ex vapore, nempe tarefactione: vtrumque autem fit humidi & sicci permixtione, verùm in odore siccitas, in sapore humiditas dominatur, sine qua nihil est sapidum. Si quis obiiciat acria & caustica, vt piperata, gustari: Respondendum ea dum vellicant linguam sua acrimonia saliuam excitare, qua internuncia sapor gustatur: arida autem lingua sapores nõ discerni. Age verò de saporum differentiis pauca per occasionem subiungamus. C

De gustu.

Aristotelis opinione duo sunt extremi sapores, dulcis & amarus: Illi pinguis, huic, salsus affinis est. Intermedij sunt, acer, austerus, acerbus, acidus. Apud Galenum acerbum & acre sunt primæ & extremæ differentiæ saporum. Hæc fuit causa dissentionis, quam non est difficile componere. Aristoteles enim saporem prout gustabilis est diuisit: atqui gustus sapores ea ratione primùm apprehendit, qua sunt dulces, aut amari: nam quæ gustantur, aut specie quadam dulcedinis oblectant, aut amarore contristant: Galenus verò per se, habita ratione temperamenti, eorum differentias considerauit. Atqui acria sunt feruentissima, acerba frigidissima, dulcis in medio est, calore & frigore temperatus. In cæteris alterutrum dominatur, vt in acido & adstringente, frigus: in salso & amaro, calor. Ergo ab vtroque bene diuiduntur, pro ratione tamen diuersa. D

Lingua est instrumentum gustus, extrema illa parte, in quam nerui tertiæ coniugationis inseruntur: habet enim neruos molles à tertio pari ad gustandum, vt duros à septimo, ad motum.

Non videtur medium esse necessarium: gustus enim est quidam tactus, contactus autem fit absque medio.

De Tactu. E

Si sensus diuidantur differentijs obiectorum, sint autem tractabiles qualitates tam differentes, vt nihil magis, mirum si tactus sit sensus vnus. Respondendum, omnes in hoc vniri, quod sui tangendi faciant copiam: Obiectum igitur vnum est, etsi diuerso modo sentiatur, vt molle, quia cedit tangenti: durum, quia resistit, proinde sensus ad numerum vnus, ratione est multiplex. De sensorio non conueniunt inter se Peripatetici, minus cum Medicis. Placet Aphrodisæo & Auicennæ, interiori cute tractabilium qualitatum differentias sentiri, propterea quòd illa puncta, illico sensus doloris percipitur. Simplicius sensorium tactus reponit in corde: verùm cor Aristotelis opinione est interioris sensus principium, non exterioris, fortassis illum fefellit homonymia sensus communis: alia enim ratione interior sensus est communis,

A nis, quàm tactus: hic omni animali, ille externis quinque communis est. Cutis, ministerio spiritus pellucidi excipit obiecti qualitatem, receptam ad primum sensorium transmittit neruorum ministerio. Vbi autem mollior est & temperatior, vel plures, aut acutioris sensus neruos excipit, vt in extremis digitis, & in vola manus, quo plurimorum neruorum fit concursus velut in centrum, ibi perfectius sentit.

Dicet aliquis: Si cutis temperata, quomodo sensorium tactus terrestre? Aut cùm partes terrenæ, vt ossa, pili, vngues, non sentiant, si cutis terrestris, quomodo potest esse organum sentiendi? respōdetur, sensorium dici vel aqueum, vt visus: vel aerium, vt auditus: vel igneum, vt odoratus; vel terrestre, vt tactus: non quia elementis omnibus non sit temperatum, sed quia vnum prædominatur, vt humor in gustu: quandoquidem sola humida sapida, nec sine humore sapor gustatur: terra in tactu, quia soliditatem aliquam & consistentiam habere debent, quorum differentiæ contactu
B discernuntur.

Veteres saporem appellabant χύμον, idest liquorem.

Medium externum nullum est, internum spiritus, & neruus per cutem dispersus, quo priuatæ partes, non sentiunt.

SCHOLION.

HACTENVS animæ vegetantis facultates, pergendum ad sentiētem: sunt autem quinque sensus exteriores, obiectis & sensorijs differentes, interiores tres, Cōmunis sensus, imaginatio & memoria: quos omnes nobiscū habent cōmunes animalia perfecta. Differunt externi ab internis quod externorum externū sit obiectum, interiorū internum: mouentur enim sensus externi tantum eo quod adest quodque præsens est: Interiores verò etiam absentium imaginem retinent: De externis primo loco disseramus initio ducto à visu: est enim omniū præstantissimus, quia vitam à morte distinguit vsura lucis: eius obiectum color nominetur, nam splendor est qui-
C dam color, est autem color extremitas perspicui in corpore terminato: Sensorium Crystallinus humor quo veluti speculo imagines, colores excipiūtur: medium, corpus diaphanes actu illustratum: cum ergo facultates sensuum externorum, obiectis & sensorijs distinguantur, definiatur visus: vis oculo congenita qua colores discernit per mediū pellucidū actu illustratū: Quo modo cæteri sensus definiendi sunt, vt auditus facultas discretrix sonorū auri insita: odoratus, Facultas indita processui māmillari ad discernendos odores, Gustus facultas discretrix saporū linguæ insita. Tactus, facultas interiori cuti connata per quā tractabiles qualitates tam primas quam secūdas distinguit intermedio neruo. Quādo enim scribit Aristoteles cōtactum fieri sine medio, de externo intelligendus est, Internum enim agnoscit in libris animæ. Videtur mihi quinque sensoria quinque mūdi primis & simplicissimis partibus respondere: Visus cœlo, eo enim sensu à Platone dicebatur Igneus: Odoratus igni, quia odor exhalatio quædā est, exhalatio autem ignea: Auditus aeri: Gustus aquæ:
D Tactus terræ: spiritus perspicuitate, splendore, irradiatione, accedit ad naturam lucis quæ materia cœli à veteribus putabatur, autoribus Iamblico & Simplicio: lux autem est prima species ignis, proinde ratione spiritus, visus non absurdè dici potest cœlestis.

Estne vera hæc Epicharmi sentētia? sola mēs audit: Cætera sunt cæca & surda. Estne sentiēdi facultas insita sēsorio an à cerebro vectore spiritu animali influit? Cōtrarijs argumētis quæstio potest disputari, nam cū excellens sensibile corrūpat sensum, vt tonitrui vel bōbardarū sonitus auditū, albedo immodica visum, videtur facultas cōsistere in tēperie sensiterij, cū hac læsa illa lædatur: verū obstructo neruo optico vidēdi beneficiū eripitur, quia prohibetur influxus visiui spiritus. Accedat quod animus aliud agēs sæpe trāseuntē nō videat, nec loquentē audiat, etiāsi illius effigies excepta fuerit crystallino, nō aliter quā animato speculo: videtur mihi vtrumq; verū, connatum esse spiritum visiuum oculo, nihilominus nouum à cerebro influere qui illius dissipationem resarciat.

E Quæri etiam potest an auditus sit sensus disciplinæ: Visus enim videtur plures rerum differentias nobis suggerere ex quibus intellectus plures eásq; nobiliores notiones efformat. Astrorū enim motum, splendorem, situm, pulchritudinem oculus intuetur, quæ non ita possis auditu percipere: primi artium autores qui posteris tot & tam diuersa scripta reliquerunt, ea visus, non auditus ministerio perceperunt, & nos ex istis magistris mutis possumus eadem addiscere: nam viua vox vtilis quidem non necessaria, quandoquidem plurimi extiterunt αὐτοδίδακτοι, Epicurus ipse αὐτομαθὴς perhibetur: optimus est sese qui nouit cuncta magistro: Aristoteles tamen auditum appellat sensum disciplinæ: fingatur, inquit, aliquis cæcus à natiuitate qui acutè audiat, alter surdus à natiuitate qui acutè videat: vtrum existimamus fore sapientiorem? Respondet cæcum euasurum doctiorem, quia numquam ex magistris mutis artes potuit ediscere nisi prius viua voce singularum vocum significationes comprehenderit: hanc controuersiam ita composuit Aphrodisæus, inueniendis artibus magis confert visus, iam inuentis addiscendis auditus.

INTERIORES SENTIENTIS ANIMÆ facultates. CAP VIII.

A

Philoponus hanc vim separat à communi sensu, & φαντασίαν appellat.

HACTENVS pro instituti mei ratione satis de sensibus externis disserui: instatvt interioris facultates exponã. Cuius necessitas ex hoc colligitur, quòd solus dissimilium obiectorum differentias internoscat: visus enim colorum dumtaxat differentias percipit, auditus sonorum. At sonorum & colorum dissimilitudines non visus, vel auditus, sed communis & interior sensus agnoscit. Præterea animus videt colores per oculum, verùm non eadem facultate, qua videt, cognoscit se videre, sed communi sensu, in quem, veluti lineæ à circumferentia ad centrum, vndique conueniunt externorum quinque sensuum obiecta: sedens enim pro tribunali in anteriore cerebro, quæ sensus externi B foris perceperunt, excipit. Quæsitum est, an sit vnus & simplex: cùm enim obiectorum varietate sensus fiat multiplex, & ille versetur in tam multis differentibusque obiectis, non videtur esse vnus. Respondendum quia vna & eadem operatione simul & indiuiduè disparatorum, vt coloris & soni, differentias percipit, non aliter quàm visus albi & nigri. Illum propterea re & numero esse vnum. Auenrois, Vt recipiens, inquit est multiplex, vt iudicans, vnus. Alij verò vt punctum, quod extrema lineæ coniungit, momentum quod duos motus, instans quod duo tempora, præteritum cum futuro copulat, re & numero sunt vnum, ratione multa: sic primũ sensum per se vnum, ratione multiplicem affirmant.

Auenrois & Auicen. consentiunt cum Aristotele.

Viues phantasiam confundit cum sensu communi, sequutus Themistium. Differunt tamen Aristotel. opinione, quod interior & princeps sensus, ab externis, haustas rerum species excipiat: exceptas verò phantasia retineat: est enim vis retentrix imaginum, quas ab externis sensibus interior accipit. Propterea quidam vtrumque C locis discludunt, quia enim, siccitas ad retinendum, humor ad patiendum aptior est: Cerebrum autem, interna parte siccius, in superficie humidius est, idcirco foris animam sentire, subtus, in ventriculis anterioribus imaginari existimant: Differtã discursu & cogitatione, vt scientia ab opinione, verisimile à vero, phantasma ab intelligibili: Præterea intellectus aut nihil, aut quod verum est apprehendit, imaginamur sæpè quæ nec sunt, nec esse possunt.

Auicenæ sententia phantasia componit & diuidit non iudicat.

Auicenna & Auenrois, phantasiam in anterioribus ventriculis fieri existimant, rationem in medio, memoriam in postremo: hoc præsertim argumento, quod læsa memoria restituitur admotis occipiti remedijs, quæ tamen Galenus apponit capiti D nullo partis discrimine. Vrget alio argumento: Differunt primis subiectis autore Galeno, quæ seorsum existunt, quorumque vno pereunte alterum manet, Atqui imaginatione læsa ratio incolumis seruatur, potestque illis integris lædi memoria, vt aliquot historijs Galenus demonstrauit, & nos quotidianis exemplis testatum habemus: Quidam respondent, falsam esse propositionem, quia non tantum in eodem primo & communi subiecto, sed vt iam docuimus, in eadem particula subiecti, differentes facultates existere possunt, quas vt vna anima differentibus vtens medijs & instrumentis, vt pùta spiritu, calore, frigore, humore, siccitate, denique temperamento, obire potest, sic earundem qualitatum immoderatione perire possunt: Ergo cum princeps anima quæ insidet cerebro, ad memoriam vtatur calore, vt agente, siccitate vt patiente, quid mirum si summo frigore aut humida intemperie offendatur? Si spiritus animalis & temperati caloris ministerio imaginetur, & discurrat: Cur E miramur illo per phrenitidem à fumis biliosis vltra modum aucto, rationem perturbari? atque vt expediam vno verbo, læsa temperie, qua vt instrumento obitur actio, quid mirum si actio ipsa peruertatur? addunt alterum argumẽtum quod iugi & continuo spirituum appulsu vis ratiocinãdi perturbaretur: Galenus tamẽ in medio ventriculo rationem habitare docet tertio de placitis, vbi interpretatur de sapiẽtia quam peperit ratio habitans in medio ventriculo cerebri, quod fingitur à Poëtis, Mineruam de vertice Iouis prodiisse: pergamus: non enim minutis punctis omnium quæstionum difficultates persequi constituimus, sed summa sequi fastigia rerum. Cum phantasia sensibus perceptas rerum species contineat quis vsus memoriæ? quorsum in tantam multitudinem sine necessitate facultatum numerus exereuit? Annon do-

A ctius Galenus: Eadem, inquit, facultas quæ imaginatur, etiam recordatur & rerum impressiones conseruat: minimè verò, nam phātasia sensibilia tantum, non constanter, nec diu, continet: In memoria verò, velut in thesauro reponuntur & conseruātur ad vsum intelligibilia: vt taceam locis seiungi nec eadem cerebri parte vtrúque fieri, aut simpliciorem esse & materiæ circunstantijs liberiorem memorandi quàm imaginandi functionem, aut absentis rei imaginem phantasia cognosci, memoria cognitam reduci in animum, adde quod, sola præterita meminimus, etiam præsentia fingimus & cogitamus. Differt memoria à recordatione, quod nos soli recordemur cum discursu, belluæ cum imaginatione (qua reguntur vt nos ratione) rei anteactæ meminerunt. Memoria tamen, aut definitur potentia & perpessione, thesaurus notionum; aut actu & operatione, rememoratio præteritorum, ex eo enim vestigio quod
B permansit, intellectus rem visam, auditam, fictam, cogitatam, totam reuocat in memoriam, coloris enim, gesticulationis, aut memorabilis & insignis cuiusdam circumstantiæ recordatione, homo, à viginti annis fortè non visus, redit in memoriam: sic integer versus recurrit ex primæ syllabæ memoria: quo fundamento nititur ars memoriæ, propterea dicta notoria, proprias enim notas sibi quisque describit, quæ rerum quas notant, memoriam reducant: Miracula verò memoriæ quæ fidem historiæ & veritatis superant, aut falsa sunt, aut non fiunt naturæ ordine. Valent certè memoria qui sunt cerebro calido sicco, similibusque iuuatur, & amissa restituitur, puta confectione ex anacardis, sed quæ veterum & recentiorum scriptis feruntur, tam longè absunt à communi ordine, vt mihi sit suspecta autorum fides. Multi enim quia raris & monstrosis exemplis lectorem demulceri sentiunt, talesque merces fuisse semper vendibiliores intelligunt, portentosis fabulis sua scripta refarciunt, quas
C ipsi domi comminiscuntur, illisque agendis se interfuisse deierant, vt à posteris autores talium historiarum appellentur? Quæ enim causa, Herostratum ad templi Dianæ incendium induxit, eadem veteres Physicos ad opinionum monstra, historicos, ad fabularum incredibilium commenta, theologastros, ad perturbationem status Ecclesiastici incitauit, quæ verò spe gratiæ & quæstus adulatores de principibus mentiuntur, vt Vespasianum cæcis visum restituisse, Pyrrhum dextri pedis pollice lienosos sanasse, Alexandrum odorum halitum spirasse, legenda sunt tanquam à Poëtis profecta.

Scitum est illud Æliani, cum Corinthij Medeæ natos interfecissent, pretio Euripidem conduxerunt, vt facinus scripto tegeret, & in matrem, Medeam reiiceret. Vicit tādem hominis vnius auctoritas omnium historiarum fidem & veritatem. Sed
D ad rem, paulo enim liberius à proposito egressi sumus.

Ad communem sensum pertinent somnus & vigilia, contrariorum enim, præsertim priuantium, commune est subiectum, est autem somnus, impotentia sensus, non exterioris, est enim primus effectus somni, sed interioris: vtriusque vicissitudo necessaria est ad vitam, nam per vigilias dissipati spiritus reparantur somno, vtq; membra motu fatigata, quiete redeunt ad naturam. Ita diurnis functionibus lassas facultates, moderatus somnus recreat, & ad operandum reddit alacriores. Argenterius vult videri solus sapere, qui omnium refutatis opinionibus, tandem vigiliam refluxu caloris à corde, somnum eiusdem in præcordia cōcursu, definit: quod quidem veteribus quibusdam placuisse scribit Galenus commentario ad secundum aphorismum lib. 2. sed opinionem tam insulsam putat, vt non dignetur refutatione, de hoc iactet
E suum, aut tanquam nobile & nouum inuentum nobis postea obtrudat, Homo, vt de Auenroi quidam scripserunt, magis argutus quam doctus. Enimuerò metu & syncope, calor cum spiritu in viscera se recondit, somnus propterea non obrepit: Sed de somno erit postea oportunior differendi locus, de somnijs pauca inseramus.

Somnium aut est diuinum, quale à Deo, aut dæmone immitti creditur Arist. reclamante, quod sceleratis & impijs, non minus quàm bonis & sapientibus obuersentur, nam si simile simili vnitur, & suum contrarium vnumquodque fugit: Intelligens autem & sapiens animus similior sit Deo, ipsissimæ sapientiæ, quàm rudi & omnium rerum atque bonarum artium ignaro, bonis quam sceleratis, mirum cur idiotis potius appareat quàm intelligentibus, aut promiscuè malis ac bonis. Placet transcribere quod non extra rem, scribit nebulo iste & impostor omnium hominum qui vnquam extiterunt perniciosissimus, Agrippa: In magnis, inquit operationibus *Lib. 3. occultæ Philosophiæ. cap. 32.*

maximè possunt simplicitas ingenij, firma credulitas, & constans silentium, quo- A
circa pueris & ex humiliori plebecula obscuris homunculis, vt plurimum dæmones occurrunt: constantes autem animos, audaces & à timore alienos fugiunt atque contremiscunt. Et eiusdem libri cap. 62. Influet cœlitus diuina virtus, sacris ritè peractis, modo non desit firma credulitas, ac veneratio religiosa, cum metu & horrore coniuncta, id enim proprie sonat religio: ô scelus! ô portentum in Syrtes, vel potius in eà mundi latera quæ nebulæ malúsque Iuppiter vrget, relegandum! O magistrum perniciosum, qui de sua schola virturem, doctrinam, pietatem amandat! Viden' vt à magia ceremoniali sapientes excludantur, solique idiotæ ad superstitionem admittantur? Vides vt dæmon non alios suis sacris initiari, iureiurando obligari, sibique nomen & fidem dare patiatur quàm ignauos, credulos, imperitos? his solis se communicat, solis apparet, & assumpto animalis alicuius, vt magi aiunt, hirci figura, illis se videndum & palpandum præbet, addam ridiculum, sed dignum miseratione B
si verum est quod lamiæ & striges victæ quæstionis dolore, nonnunquam vltrò, confitentur: putidus hircus adorari vult, flexis genibus, exosculato podice. Atheus, heus scelus & vomica Germaniæ, si dæmon fugit doctos, animosos, constantes, aut tibi non præsto est, aut es idiota superstitiosus, ignauus, inconstans, credulus. Gratias ago diuinæ & humanæ sapientiæ, quæ me sociarunt Deo, & à dæmone separarunt. Verùm pergamus.

Somnium aut est diuinum aut humanum, hoc animale aut naturale, naturale analogum est humori dominanti, propterea medico ad diagnosim & prognosim vtile, cuius extant plurima exempla apud Galenum: Sanguinei, iucunda, melancholici funesta & tristia sunt insomnia, Biliosi cruenta furorisque & incendij plena, Pitui- C
tosi ignaua & aquosa: Illi se vri, aut in aere pendere de cruce sæpe somniant, hi se natare aut submergi putant, ac si anima in aquoso cerebro extinguatur.

Animale vt plurimum sequitur diurnas cogitationes. Ennio in somnis obuersabatur Homerus, de quo vigilans sæpe cogitaret, solebatque Zeno suorum auditorum mores & ingenium ex somnijs, certius quàm Pythagoras ex vultu conijcere: Nam si vt ille ait,

Omnia quæ sensu voluuntur vota diurno,
Corpore sopito reddit amica quies,

Profectò vt bonorum diurnæ cogitationes sunt bonæ, malorum peruersæ, sic illorum bona & virtutis plena, horum vitiosa esse somnia consentaneum est. De diuino sic scribit Iamblicus libro de mysterijs Ægyptiorum.

In Æsculapij templo accipiuntur somnia quibus morbi curantur, ipsaque ars cu- D
randi, somnijs est reperta diuinis: Exercitus Alexandri mox periturus morbi discrimen euasit, acceptis per somnum remedijs à Dionysio Deo: Lysander rex Aphutim vrbem obsederat, in somnis iussus ab Ammone, obsidionem soluit: multáque fiunt quotidie similia, supra rationem & fidem humanam. Somniorum interpretes tanti olim habiti sunt, vt hi soli ὀνειρῶν, verum dicere, putarentur, inde ars, onirocratice, cœpit appellari.

Iosephus & Daniel fuerunt olim insignes somniorum interpretes.

SCHOLION.

ANIMA sentiens est forma & perfectio summa belluarum, ea enim reguntur non aliter quam homines ratione. Si qui hominum spreto rationis consilio, sensuum imperio suam vitam committant, belluarum modo viuere dicuntur, non hominum. Illa autem sedens in cerebro sentit præsentia, meminit præterita, imaginatur præsentia, præterita, & futura, aliquando quæ nec sunt, nec esse possunt: Tanta est phantasiæ libertas. Sensus interior externorum ministerio cognoscit quid rerum agatur foris, singuli enim sua sensata per neruos, qui à cerebro in eum finem ad singula sensoria demittuntur, ad interiorem transmittunt: Cuius solius est dicere, ego vidi, ego audiui, quia solus absentis rei imaginem retinet: externi enim mouentur tantum ab obiecto præsente. Oculus videt, auris audit, sed non cognoscunt se videre aut audire, quia cognitio ista fit per reflexionem, solus interior reflectitur in se: Differt sensus hic à phantasia, quod sentiamus tantum vigilantes quia per somnum cum interiore externi omnes sensus veluti ligantur, imaginemur potissimum dormientes: Accedat quod sensus vtriusque obiectum extare aut extitisse oportet: imaginabile verò sit, quod neque fuit vnquam, neque esse potuit. Item imaginationis suæ & opinionis quisque est dominus non sensus, quia nõ sentimus quid E

quando

A *quando, & quoties volumus: Ad sensum interiorem pertinent somnus & vigilia, ad imaginationem insomnia. Homerus fingit immitti somnium à Ioue ad Agamemnonem quo moueatur de futuris periculis, de hoc tamen Aristoteles dubitat, quia non sit consentaneum illa tam malis quam bonis, indoctis potius quam doctis cômunicari, quia soli viri boni sunt* θεοφιλέστατοι, *vt illius vtar verbo: Plato in sympo sio, Deum amoris interuentu nobiscum communicare aureis planè verbis scriptum reliquit: Cum ergo improbos oderit, éstne eorum ita sollicitus vt dormientes admoneat imminentis periculi? Galenus secundo de motu musculorum videtur phantasiam cum memoria confundere, quia vtroque absentium rerum imagines retinētur. Verum sensus interior ab externis illas excipit, exceptas phantasia retinet, memoria conseruat, vt habeat animus obiectū internum ad quod se conuertat quoties lubet, nec precariam opem externorū sensuum cogatur implorare, qui non mouentur nisi obiecto præsente: Præterea meminimus tantum præterita, imaginamur futura.*

B *DE APPETITV ET MOVENDI FACVLTATE.*

CAP. IX.

APPETITVS aut est naturalis, rerum sublunarium cômunis, aut animalis, sic dictus quod animalium sit proprius: ille ἔφεσις dicitur, hic ὄρεξις, ὀρέξεως autem ἐστὶν εἴδη τρία, ἐπιθυμία, θυμός, βούλησις. Appetitus animalis tres sunt species, cupiditas, ira & voluntas, distinctæ sedibus & officijs: Cupiditatis enim sedem natura posuit in iecore, iracundiæ in corde, vbi sanguis æstuat propter appetitum vindictæ. At voluntas, cuius causa homo est αὐτεξούσιος, & sui iuris, residet in cerebro: Impetus ille naturæ quo grauia deorsum, leuia sursum feruntur, ῥοπὴ, inclinatio sensus communis, per quam belluæ iucunda & vtilia vitæ persequuntur, ὁρμὴ, voluntatis verò insita ad virtutem propensio, σπουδὴ nominatur: Expetendorum enim sunt tan-
C tum tres differentiæ, vtile, iucundum & honestum, vtile etiam inanimata instinctu naturæ persequuntur, hoc, & iucundo, mouentur belluæ, homines vtili, iucundo simul & honesto. Honestum, vt est hominis proprium & rationis opus, ita debet esse regula vtilis & iucundi, id enim solum vtile & iucundum haberi debet, quod sit cum virtute & honestate coniunctum.

Ad motum duo requiruntur, quod mouet & quod mouetur. Est autem motus actus mobilis, non mouentis, cuius decem differentiæ constituuntur à Platone decimo de legibus, illic enim functiones animæ, vt discursum, memoriam & imaginationem, appellat motus. At Aristotel. opinione solum corpus est mobile, rerum verò incorporearum actiones, energeias appellat, non motus: quin motum, mutatione, vt speciem genere, comprehendit: Omne enim quod mouetur idem mu-
D tatur, non contrà, quia motus fit tantum in aduersis extremis, mutatio etiam in contradicentibus: Nam ortus & interitus, sunt mutationes, ortus, non entis in ens, interitus entis ad non ens, non motus. Galeno, motus est simplex aut compositus, simplices sunt duo, delatio & alteratio, totidem compositi: Ortus interitus, acretio decretio. Oriuntur enim res alterata primum, deinde formata materia, accrescunt aucto loco simul cum quantitate: Aliud enim φορὰ, aliud μετάβασις, quia multa moueri possunt in eodem loco, vt plurimum cœlum, quod circumagitur, non mutat locum, nisi fortè per partes, quæ enim pars mane est in oriente, vesperi erit in occidente, sed continuè mouetur loco, fortassis non in loco, nisi ipsum sibi sit locus aut spacium aliquod supra firmamentum cum Pythagoreis ponamus, in quo mundus respiret.

E Hic nos progressus tantum causas, & modum meditamur: Sunt autem duæ precipuæ: Finis & efficiens, finis est ὀρεκτὸν, quod desideratur. Eius enim persequendi gratia, aut noxium fugiendi, animal mutat locum. Efficiens est appetitus, quandoque brutus & inordinatus, illum enim Aristot. appellat κινητικὴν ἀρχὴν, Auenrois phantasiam: Nam cum primùm tangitur appetitus alicuius rei desiderio, & quidpiam vtile, iucundum aut honestum existimat, animal protinus ad illud persequendum excitatur: mihi sane vt Auenroi, videtur phantasia, id vnde initium motus, nam, & si quidpiam, reuera vtile, iucundum, aut honestum fuerit, nisi tamen illud esse tale animal opinetur, illud non appetit, neque persequitur: At si reipsa nec vtile fuerit, nec iucundū vel honestum, verū tale esse existimetur, appetitur tamen atq; perquiritur.

Aristot. non agnouit aliud instrumentum motus quàm spiritum vitalem: At Galenus animalem à cerebro per neruos influere vult ad musculos, quibus versus

ſuum principium retractis, fit motus. Eſt ergo muſculus primum inſtrumentum A
motus, neruus & ſpiritus ſine quibus non. An verò facultas motrix & ſenſifica per ſe, an vectore ſpiritu affluat, parum refert, quia ſpiritus neque corporum, neque motuum phyſicorum legibus tenetur. Dignius eſt quæſtione quod Auenrois obiicit: Inſecta mouentur ſine muſculis, ergo muſculus non eſt primum & neceſſarium inſtrumentum motus. Reſpondetur, vt natura perfecta animalia cum ſemine oriri voluit (nam ſol & homo generant hominem) imperfecta verò ſponte prodire, & ex fimo, ſolis tepore procreari: Ita non quæuis, ſed perfecta duntaxat lacertorum opera moueri; opus enim perfectius inſtrumentorum maiorem apparatum deſiderat. Pergit tamen vir argutiſſimus: In perfectis exeritur lingua, penis arrigitur, nauſeat & ſubuertitur ventriculus ſine muſculis, ergo neruus non muſculus eſt primum & neceſſarium inſtrumentum motus: An motus ſunt imperfecti, muſculus autem eſt B
principium motus perfecti in perfectis animantibus?

Fernelius hoc in Ariſtot. reprehendit quòd facultatem motricem comprehenderit appetitu, contenditque motum differre à ſenſu & appetitu, primo quòd alij ſint nerui ſenſorij à motorijs. Hi ſunt duri, quia ad motum opus eſt robore, & à ſpina ortum habent: illi molles, quia ſenſus fit per paſſione, & à ſyncipite oriuntur: Item zoophyta, vt oſtrea & ſpongiæ, appetunt, non mouentur: Reſponderet Ariſtotel. illorum eſſe naturalem, qualis plantarum, non animalem, appetitum: deinde, vt mouentur, ſic appetere imperfectè: Eum verò appetitum cui coniuncta eſt cognitio obiecti, eſſe autorem progreſſionis: Addit Fernelius alterum argumentum, Paralyticis eripitur mouendi facultas ſaluo & integro appetitu. Phreneticis appetitus læditur motu permanente, at differunt quæ ſeparatim exiſtunt: quid tum poſtea? C
Ex ijs ergo perſpicuum eſt, aliunde quàm ab appetitu vim mouentem gubernari, vnumque ab altero diſtingui: Operoſius probatum eſt quod Ariſtotel. non negat: Appetitum enim differre à motu quis ignorat? Sed non video quomodo demonſtratum fuerit quod quærebatur, nimirum principium motus non pendere ab appetitu: non enim qui dicit appetitum eſſe autorem & efficientem motus, appetitum cum motu confundit.

Ego appetitum, ita ſtatuo principium motus, vt φύσεως principium ſit ὄρεξις, elementa enim ſurſum aut deorſum mouentur quia appetunt locum tanquam finem & perfectionem, melius quippe habent in proprijs locis, corrumpuntur in alienis, ὁρμὴ regit brutus & ſenſualis appetitus, στοργὰς rationalis, omnium virtutum moris fundamentum. Ergo vtriuſque motus, tam naturalis quam animalis, ſic appetitus eſt autor, vt naturales motus appetitus naturalis excitet, animales & arbitrarios, animalis, D
hic tamen, vt diximus, non mouet niſi præceſſerit phantaſia boni: ideoq; malim in phantaſiam referre primum progreſſionis principium.

SCHOLION.

VM plantæ appetant vtilia ſuæ vitæ eaque deligant, multo potius animalia: appetitus in belluis eſt plane ſenſualis, in homine participatione rationalis: quamuis enim aduerſetur rationi, tamen ſi illi bene monenti pareat fiet tandem rationalis: Eſtne diſtinctus à ſenſu interiore? videtur phantaſia contineri, quia non ſemper expetitur quod per ſe & natura ſua bonum eſt, ſed vt plurimum apparens: quod exiſtimamus bonũ, quamuis reuera ſit malum. Progreſſio ſequitur appetitum vt appetitus phantaſiam, cum enim opinamur quidpiam bonum, illud appetimus, appetitum perſequimur: mouet autem cerebrum animali virtute, qua etiam ſentit: niſi quod motus principium demittit per neruos motorios ad muſculos quibus verſus ſuam originem retractis fit motus: vim ſenſificam per molles neruos ad ſenſoria: Porrò ne mireris ſi Ariſtoteles cõtentus ſpiritu, neruos & muſculos prætererierit: quia nõ tantum inquirebat quibus medijs & inſtrumentis animalia perfecta mouerentur, ſed etiam imperfecta, vt inſecta: hæc autem fere omnia ſolus ſpiritus animalis agitat, pauca neruorum & muſculorum miniſterio mutant locum. Medici animali facultate motricem & ſentientem includunt, vt ſpecies genere, ſed motionis & ſenſus principia non tam accuratè explicant quam Ariſtoteles: contenti ſunt dixiſſe vim motricem à cerebro per neruos influere, efficientem curioſius non inquirunt. E

QVAM

A *QVAM VNAQVAEQVE SENTIENDI FAcultas sedem habeat, quod agendi instrumentum, neque omnes omni inesse animanti.* CAP. X.

Cerebrvm esse primum & commune sensorium affirmat Plato in Theæteto & in Phedone, Aristot. verò sensum interiorem posuit in corde: Cuius opinionem Galenus aduersus Archigenem sic refellit, primo: quod nihil sit perinde certum & apud medicos confessum, quàm parti primo per se laboranti admouenda esse remedia: Atqui ad veternum & immoderatas vigilias, quæ sunt læsiones interioris sensus, capiti prospicitur, non cordi: Ergo medici etiamnum iurati Peripatetici, quod scripto probant, opere refellunt: Secundò, quod origo neruo-
B rum tam sensoriorum quàm motoriorum sit à cerebro, nil enim refert si motorii à spinæ medulla exoriantur, quia vt loquuntur Philosophi, Causa causæ est causa causati: Cerebrum autem est principium spinalis medullæ, ergo etiam motoriorum neruorum: Aristoteli tamen neruos oriri à corde, hoc argumentum persuasit, quod idem sit principium animæ & animalium instrumentorum: ponebat autem cor principium esse animæ: vnde consequi putabat, illud esse neruorum, venarum & arteriarum principium. Huic opinioni cum Erasistratus iunior, fauisset: resipuit tandem ὀψιμαθής, factus prudentior: Fefellit Aristotelem fortassis, fibrarum multitudo, hæc enim filamenta, credibile est illum pro neruulis habuisse: Venas, tamen ab hepate, arterias à corde, neruos à cerebro exoriri, constans est medicorum opinio. Quidam pro Aristotele respondent, radicaliter atque virtualiter in corde principium esse ner-
C uorum, non materialiter, cum enim colore, substantia, & temperamento, referant substantiam cerebri: probabile est illos inde scaturire, sed quia vis formatrix cum calore & spiritu primum fluxit & quotidie deriuatur à corde, non absurdè formaliter à corde, materialiter à cerebro neruos oriri asseuerant. Quæret aliquis, cum cerebrum sit expers sensus, sit autem pertritum. Illud esse magis tale propter quod vnumquodque tale, quomodo sentiendi principium? An quia cerebrum, non aliter quàm cor, assiduè mouetur, non sentit, meninx verò sentit, non mouetur, ideo Cerebrum motus, non sensus, meninx sensus, non motus principium erit? An logicum theorema in causis tantum homogeneis verum est iisque coniunctis, non remotis? Sol enim non calidus calefacit, nec soles generat, sed hominem aut crabronem: Ad cotem acuitur gladius, cùm sit exors ipsa secandi, quippe cùm sint causæ heterogeneæ & homonymæ, non enim synonymos & cognomines producunt effectus, cu-
D iusmodi cum sit cerebrum, quid prohibet in eo sensus & motus fontem ponere, ex quo vis sentiendi & mouendi manifestè dimanat?

Dignius est quæstione, quomodo se consequantur sensus & motus, certè quando diuersis instrumentis vtrumque agitur, non est mirum si vnum pereat altero superstite, puta cum nerui gustatorij à tertio, qui mouent linguam, à septimo pari oriantur; tertiæ verò coniugationis nerui ab anteriore, septimæ, à posteriore cerebro exortum habeant, quid mirum si lingua gustat sine motu, aut mouetur sine gustu? sed cum eodem neruo animus mouet & sentit, qui fit vt vnum absque altero possit abesse? An hoc accidit quia contrarijs causis læditur, motus, humida, sensus sicca intemperie? cum enim motus sit actio, sensus perpessio, ad facilè patiendum, mollities instrumentorum desideratur, ad agendum verò robur & siccitas. Hume-
E ctato instrumento perit motus manente sensu, eodem resiccato manet motus abeunte sensu. An hoc mirum non est, cùm dissimiles sint facultates? eiusdem nerui fibræ quædam inseruntur in musculum, aliæ in cutem, his sentit, illis mouet. Hoc tantum habet dubitationem vtrum prius pereat, quod posterius remaneat: respondet Galenus eum qui potest maius posse minus, qui non potest minus non posse maius: Atqui maior vis requiritur ad mouendum quam ad sentiendum, quia motus est actio, sensus perpessio, ergo peribit motus manente sensu: Si non possit sentire non poterit mouere.

Placet ad superiorem disputationem hæc pauca adiungere. Potentia definitur maximo: potentior enim est, qui plus & maius potest, nec dubium est eum, qui potest attollere centum pondo, posse etiam viginti. Contrà, Potentia definitur

minimo, qui enim poteſt minimum videre, vel audire, poteſt maximum, non contra: Vtrumque Ariſtotelis: diſtinguenda ergo potentia: vis enim agendi maximo, A patiendi minimo, finitur, atque perficitur, quo argumento patet ſenſum eſſe perpeſſiuum.

SCHOLION.

PLACET Galeno cerebrum eſſe primum ſenſus & motus principium: verum cum cerebri nomine aliquando ſola medulla deſignetur, aliquando cum medulla partes coniunctæ, vt venæ, arteriæ, nerui & duplex tunica, tenuis, & craſſa: Quaeritur vtro ſignificato ſit ſenſus & motus principium: Equidem Galeno medulla eſt motus & ſenſus principium: verùm Fernelio videtur motus duntaxat, non ſenſus autor: hoc argumento, quod non ſit conſentaneum id alijs dare quod ipſummet non habet: atqui cerebrum mouetur quidem, ſed non ſentit, meninges verò exquiſitiſſimè ſentiunt, non mouen- B tur: Itaque concludit, medullam eſſe cauſam motus, non ſenſus, piam & duram matrem, ſenſus, non motus: Quid ſi cerebrum dicatur ſenſus cauſa homonyma? Cauſaliter, ſi malis effectiuè ſentire: nam ſol quamuis non calidus actu, ſed potentia duntaxat, inferiorem mundum calefacit, & cos non acuta acuit, ſemen animat fœtum quamquam potentia ſola animatum: ſic cerebrum actu non ſentiens, ſed potentia ſola, alijs dare poteſt quod non habet: vis enim ſentiendi ad effectū refertur, non ad proprium ſubiectum. Alij reſpondent ex Galeno primo de cauſis ſymptomatū, nullam partem carere ſenſu quæ mouetur: Cerebrum verò ſentire hoc ſigno demonſtrant, quod qui vulnus in capite acceperunt, ſentiunt iniurias frigoris: Obtuſius tamen ſentit, propter mollitiem: humoris enim copia vis ſentiendi hebetior redditur: quid multa? Vna eadémque vis inſidens cerebro mouet, & ſentit, verùm diuerſis inſtrumentis: Maior vis includit minorem. Quæcunque enim mouentur ſentiunt, non contra, quia Oſtrea, mituli & Conchylia omnia ſentiunt, non mo- C uentur. Galenus manifeſto argumento ſuam doctrinam confirmat ſeptimo de placitis: In neruis duplex ſubſtantia conſideratur: Duplex tunica, & interior medulla: Tunicas accipiunt à tunicis cerebri, medullam à medulla: Atqui ſi membranas tantum incideris intacta medulla, pars in quam neruus inſeritur nihilominus ſentiet, & mouebitur, ſi verò medullam diſcindas vtróque mox priuabitur: Ergo cum habitus priuatione dignoſcatur, cerebri medulla vtriuſque eſt efficiens, ſentiendi vim largitur meningibus: Tantum abeſt vt illis tanquam primis ſubiectis inſideat vis ſenſifica: Tamen videtur hæc ratio fauere Fernelio: Phrenetis eſt inflammatio meningis, potiſſimum tenuis, Atqui phreneticis intenditur motus, minuitur ſenſus: Ergo meninx eſt cauſa ſenſus: Reſpondeo hoc fieri per accidens: Cùm enim ſenſus fiat perpeſſione, & ad facilè patiendum inſtrumenti mollities requiratur, quid mirum reſiccatis & induratis neruis ſi minuatur ſenſus, intendatur autem motus? D

DE INTELLIGENTIAE FACVLTATIBVS.

CAP. XI.

TRES ſunt facultates animæ, Naturalis, Vitalis, & Animalis: huius rurſum aliæ tres, ſenſus, motus, & quæ ἡγεμονικὰ nominatur, qua comprehenduntur, memotia, phantaſia & intellectus, qui ab Ariſtotele diuiditur in agentem, & patientem, Patiens intellectus à Latinis capax, materialis, poſſibilis, & potētialis appellatur. Animus enim nudus accedit, ſimilis tabulæ nudæ, in qua nihil adhuc depictum eſt, omnium tamen formarum & notionum capax, non enim creatus ab æterno:

Spiritus éque feris humana in corpora tranſit,
Inq; feras noſter. ----

Quia conformatio materiæ inepta eſt ad excipiendam formam adeò nobilem & di- E uinam: vt enim anima culicis elephantem non poteſt regere, nec anima elephanti culicem, ne violetur formæ ad materiam, agentis ad patiens proportio: ſic intellectum hominis immigrare in belluarum corpora, anile eſt commentum. Neque placet illa excuſatio, à Pythagoreis μετεμψύχωσιν, confictam ad purgationem animarum. Nam purgari illic intellectum, falſum eſt: cùm purgatio non fiat, niſi ſpontè reclamante conſcientia: in ſordes autem ſenſus & appetitus altius immerſum, quomodo poteſt pœnitere anteactæ vitę? Hoc tamen conſtituto principio, certum numerum animorum creatum ab æterno, noſtra ſcientia nihil eſt aliud, quàm reminiſcentia: res enim ſuas Deus naturæ non ſinit feriari, ſed ſingulis formis agendi vim ingenerat, non otioſam. Intellectus ergo priuſquam ſubiret corpus

&

A & cœlitus afflueret, intelligebat, proindeque multis notionibus excultus, corpus ingreditur, quę tamen densitate materiæ ad tempus iacent sepultæ. Quemadmodum verò elementa dicitur mouisse, qui subtraxit impedimentum, & Philosophum ad contemplationem induxisse, qui illum à somno excitauit: Ita sublato corporis impedimento, dum intellectus excitatur à somno generationis, præscita reuoluit, atque recordatur, quod demū est scire Platoni. At Aristotelis opinionē, animus simul cum corpore creatur: quę opinio Christianis magis placuit: inanis ergo accedit, sed omnium capax notionum, quas ministerio sensuum paulatim acquirit: vis enim agendi à sensibilibus obiectis promouetur ad actum, vnde fit vt cuius rei deficit sensus, eiusdem desit scientia: nunquàm enim naturā cœcus de colorum, nec surdus de sonorum differentiis iudicabit: Hanc vniuersalium notionum ex frequenti sensuum obseruatione colligendarum facultatem, Peripatetici vocant intellectum capacem, id
B autem quod singula innumerabilia concludit in vnum, & ex tam multis vnam communem notionem efformat, agentem intellectum appellant: qui quidem an re & essentia, an sola ratione differant, magna dissensione disceptant: Quidam duos esse intellectus demonstrant, quod Aristoteles scripserit, patibilem esse mortalem, agentem verò immortalem: mortale autem & immortale non possint coire in eandem naturam. Alij, Cùm res omnes creatæ constent actu & potentia: solus enim Deus est actus purus, ex vtroque vnum intellectum componunt: qui an sit singulorum suus & proprius, an vnicus, omnium hominum communis, non minori contentione disputatur. Nemesius autor est Manichæos communem intellectum mordicus propugnasse, pro quo multa scribit Auenrois Comment. 5. ad 2. de Anima: sed quid
C ille sit, an Deus ipse, vt placet Aphrodisæo, an inferior quædam vis subiecta Deo, quæ, diffusa per vniuersum, à materia, prout conuenit, pręparata excipiatur, non est inter Peripateticos definitum: Videntur tamen communis intellectus patroni, introducere animam mundi, quam omni studio explodunt Peripatetici. Sed vocare omnia ad examen rationis, & de singulis subtiliter philosophari non est huius loci & instituti, ne parergon opus ipsum superet: quare redeo ad propositum.

Intellectus est simplex, aut coniunctus: Simplex dicitur, qui res simpliciter vt sunt, apprehendit, ἀνυπόθετος à Platone, ἀναπόδεικτος ab Aristotele vocatur, definiturque ἀρχὴ τῆς ἐπιστήμης, principium scientię, alibi ἀρχὴ ἀρχῶν, principium principiorum, appellatur: ad quem respicit, dum metaphysicam verius intelligentiam appellari scribit, quàm scientiam, quia ὂν ᾗ ὄν, ens vt est, quod ἁπλῶς ὄν, absolutè ens, ibidem nominat, contēplatur. Cōiunctus verò intellectus, non absolutè ens, sed ens cum alio cōpre-
D hēdit: aliud enim est hominem per se simpliciter intelligere vt est, aliud cum adiūcto, vt est hoc, mortalis quippe aut scientiæ capax. Ad hunc intellectum pertinēt apodicticæ omnes disciplinę: demōstratio enim est syllogismus epistimonicus: sciētia verò est habitus cōclusionis per causam: Ergo differūt obiectis, simplicis enim intellectus est obiectum simplex, coniuncti coniunctum: Præterea agendi modo, res enim intelligimus indiuiduè & momento: At esse hoc, diuiduè, & cum tempore, quia discursus est quidam motus, ex vno quippe ad alterum progressus. Accedit quòd intelligentia simplex sit expers veri & falsi, quę sunt propria intellectus discurrentis, cuius quidem duo sunt officia, coniungere & diuidere. Coniungit dum aliquid in aliquo, vt in homine risum, concipit: inde nascitur affirmatio in voce: diuidit verò, quando vnum ab altero seiungit, hinc dependet negatio in voce: sermo enim exterior est
E interioris tantum imago. Quod mens primum coniunxit, affirmatur voce, quod seiunxit, negatur. Si verè & vt in re est coniunxit, vel diuisit, vera est affirmatio aut negatio: est enim veritas adæquatio mētis cum re, estque propositio vera, quæ quod est in re, falsa, quæ aliter quàm sit in re enuntiat: qui simplicia simplicibus nectit, & propositiones facit, logisticus: qui propositiones propositionibus connectit, Syllogisticus appellatur.

SCHOLION.

HACTENVS *vegetantis primum, deinde sentientis animæ facultates, sequitur vt quæ sint rationalis animæ vires paucis explicemus: Vna autem in inueniendo consistit: Altera in iudicando: quibus logicæ naturalis partibus Stoïci artificialem diuiserunt, vt haberet in natura fundamentum: inuentionem videtur Plato in Charmide, & Aristoteles primo*

de demonstratione ingenium siue solertiam nominare, quandoquidem solertiam definit, ingenij A *in inueniendis medijs promptitudinem: Ille enim solers & ingeniosus iudicatur, qui habet ingenium præsens in excogitandis mediis, siue proponantur quæstiones de rebus agendis, siue contemplandis: Iudicium verò est rationis altera pars, quæ inuenta media examinat ponderátq;, vt deligat ad vsum meliora: Illius tota vis consistit in discretione veri à falso, boni à malo: non desunt qui Aristotelis intellectum patibilem interpretantur inuentorem, agentem verò indicatorem: Patiens enim opera sensuum notiones colligit, ex quibus agens vniuersalia theoremata efficit, quibus scientiæ omnes constant.*

Diuiditur etiam intellectus in Theoriticum & practicum, ille contemplationes regit, hic actiones: Differunt, quod contemplator habeat verum pro fine, Actor bonum, vtile, iucundum vel honestum: Practicus intellectus est autor artium moralium, ethicæ, œconomicæ, & politicæ: Theoriticus verò artium naturalium vt Physicæ, & Medicinæ: Mathematicarum quoque, vt Geometriæ, & Arithmeticæ & Metaphysicæ. B

DE VITALI FACVLTATE QVAM Aristoteles eandem atque naturalem existimauit.

CAP. XII.

GALENVS libro de Motu musculorum facultatem diuidit in naturalem & animalem, quo loco videtur vitalem comprehendisse naturali, eamque animali, vt voluntarium inuoluntario, opposuisse. Veruntamen libro de Difficultate respirandi, Vitalis facultas, inquit, non habet superiorem dominum, sed libera planè existit, vbi vitalem faculatem animali similiorem affirmat, quàm naturali: quare alij vim animalem interpretantur, quę fit ab anima: facultas enim est insitum principium functionum: functionum autem duo sunt insita principia, natura, & anima. Itaque facultas omnis aut est naturalis, quæ fit à natura: aut animalis, quæ ab anima. Aristoteles libro tertio de Partibus & quarto de Ortu animalium vitalem comprehendit sub naturali, quia eo principio animal viuit quo nutritur: Cor enim, primum viuens, vltimum moriens, vt caloris & spiritus, ita vitæ & nutritionis fontem esse iudicauit: Cuius influxu & fauore, nulla pars potest carere citra vitæ & nutritionis iacturam. Quòd si animæ substantia, vna & simplex, solis facultatibus diuidua & multiplex, alicubi resideat, vnde singulis partibus vitæ principia, spiritum & calorem, iusta proportione dispenset, quæ pars obsecro, huic officio magis, quàm cor conuenire potuit? Quo quidem posito, D illud inde consequi putauit: Cor, vt naturæ, vitæ, & animæ, ita naturalium, vitalium & animalium instrumentorum, venarum, arteriarum, simul & neruorum esse principium. Idem videtur sentire Hippocrates libro de Carnibus, vbi asserit, cor esse principium arteriæ magnæ, & venæ cauæ: manifestius lib. de Corde, vt mittam lib. de Morbis, cor sanguinis, proinde vitę & nutritionis fontem appellari. Eadem scribit Galenus lib. Definitionum, magnaque ingeniorum contentione pro Aristotele pugnant Auenroïs & Auicenna.

Causa tantæ dissensionis, mea quidem opinione, hæc fuit: Quòd Aristoteles, vt decebat Physicum, omnem animam, plantæ, belluæ, hominis, diuisit in vegetatem, seu naturalem, sentientem, & rationalem: quęcunque autem vegetat, viuunt, eoque principio viuunt, quo vegetant, hoc est, quo nutriuntur, accrescunt, & sibi simile E procreant: non est ergo facultas vitalis distincta à naturali. At Galenus pro Medici persona & officio, animam hominis duntaxat diuisit: Cuius tres sunt facultates sedibus differentes, naturalis, sita in iecore, vitalis in corde, animalis in cerebro. Quamobrem iecur naturalium instrumentorum & nutritionis, cor vitæ & vitalium, cerebrum animæ & animalium, principium esse conclusit. Naturæ instrumenta sunt venæ & sanguis: Vitæ, arteriæ, spiritus, calor: Animæ, nerui tam motorij quàm sensorij, per quos anima de cerebro motus & sensus facultatem, vehiculo spiritus animalis transmittit.

Age verò, cur imperfectorum animalium, vt insectorum, abscissæ partes aliquandiu viuunt, & mouentur? Albertus enim vidit cicadam, quę auulso capite, diu, & altius solito, cantarit: perfectorum verò, vt bouis & hominis minimè? An quia in

A perfectis animantibus anima cōpositior est, & pluribus instructa facultatibus: quod autem magis vnum est & simplex, faciliùs cōseruatur? An potius in animantibus perfectis vita perstat beneficio facultatis vectore spiritu cum calore à corde ad singulas partes influentis, quem vbi primùm partes non participant, vt in animæ deliquiis experimur, statim occidunt? Viuunt autem plantæ & insecta, insita partibus facultate, non egent influente, quia crassiores habent & minus dissipabiles spiritus naturales, quibus solis viuunt, & naturæ functiones omnes obeunt. Hac causa exerta boui lingua, videri potest toto ferè die palpitare. Auenroïs tamen vidit victimam, quæ abscisso capite Sacrificuli manus effugit, & per templum diu cucurrit. Si quis interroget, cur insectorum partes, viuant quidem, non diu: respondendum, quia carent vitę & nutritionis instrumentis.

B

SCHOLION.

CVM animæ primum vegetantis, deinde sentientis, ad extremum ratiocinantis facultates expositæ sint: Cur de vitali tam studiosè deinceps differitur? nónne vt vita nutritione, ita vitalis altrice continetur? animal qua facultate nutritur eadem viuit, Tandiu enim viuit quamdiu nutritur, moritur cum cessat nutriri, nunquid principium vitæ dici debet quod præsentia sua vitam largitur, absentia mortem? At inquam tandiu animal viuit quamdiu nutritur, itaque ab Aristotelicis vita non immerito nutritione continetur: vita est permansio caloris in humido, atqui permanet calor in humido beneficio alimenti: Cor Arist. vt vitæ, ita nutritionis radicale principium: Ibi enim prima sedes facultatis vbi est origo primi instrumenti. Atqui calor & spiritus, prima vt vitæ, ita nutritionis instrumenta, sedem præcipuam habent in corde, ergo nutriens & viuificans.

C

MEDICOS PLATONEM SEQVENTES, vitalem facultatem à reliquis disiungere.

CAP. XIII.

VITALEM facultatem adeò distinctam esse à naturali & animali, vt neutra comprehendi possit, Fernelius ita demonstrat: Cor assiduè mouetur, vt suo motu cum spiritu calorem excitet vitæ seruatorem, atqui motus iste non est animalis, quia nobis etiam inuitis, vt inter dormiendum, mouetur: Deinde anima, siue ipsa fatigetur, siue potius hoc accidat imbecillitate instrumentorum, & resolutione spirituum, qui per vigilias
D continuè dissipantur, ad tempus feriatur & quietis vicissitudine suos motus interrumpit: At cor iugi & perenni motu vigilantibus & dormientibus nobis attollitur, & deprimitur. Ergo illius motus non est animalis: Non potius naturalis, quæ soli nutritioni addicta sit.

At heus, doctissime Ferneli, motus omnis aut est ab anima, aut à natura, differunt quòd naturæ motus sint definiti, animę verò liberi & indefiniti, vnde exorta est illa inter doctos contentio, moueatúrne cor ab anima, an à natura: quibusdam videtur moueri ab vtroque, attolli ab anima, deprimi à natura: Nam inclinatione ponderis grauia concidunt: eriguntur à causa meliore: alij putant contrariorum motuum, systoles quippe & diastoles, animam esse efficientem: natura enim vnum potest, anima,
E contraria: malè ergo negas esse animalem, quia non fit arbitrarius: animalis enim generalius dicitur à Peripateticis quia fit ab anima. Verumtamen cætera argumenta subducamus: Ea inter sese differunt, quæ seorsim existunt, atqui os viuit & nutritur sine sensu, veterno solus sensus eripitur, Paralysi, motus cum sensu: Cachexia malè fit, Atrophia, omnino non fit nutritio: Tabidis nil superest, præter vitam, cuius beneficio corpus à putredine vindicatur: illis enim anima est pro sale: finge propter obstructionem venarum partem aliquam non nutriri, illa nihilominus à corde per arterias cum calore spiritum, cum vtroque vitam recipiet, à cerebro verò per neruos sensus & motus facultatem. Adhæc cùm pestis hominem inuadit, aut venenum cor impetit, sola vitalis facultas læditur, aliis illæsis, etsi tandem trahantur in consensum: Ergo facultas vitalis neque animali, neque naturali continetur, sed sunt tres facultates reipsa, non tantum ratione differentes. Aristoteleus fortassis ad-

mitteret, animæ humanæ tres esse facultates differentes, naturalem, vitalem & animalem: sed negaret esse primas omnis animæ differentias, quia non possit dari vllum A animal quod viuat, & non nutriatur, neque vicissim vllum, quod nutriatur, & non viuat: quinimò hoc signo animal viuere dignoscimus, quod nutriatur: si non nutritur, non viuit, vnde nata est quæstio: Sitne vita effectus, an causa nutritionis, exempli gratia: an fœtus primis diebus viuit quia nutritur, an potius nutritur quia viuit, an vnum non est alterius causa? Vitæ generalior est acceptio, quàm vitalis facultatis: viuunt enim plantæ sine facultate vitali.

SCHOLION.

QVÆSTIO est magni momenti in facienda medicina, vbi sit sedes & origo trium facultatum à quibus nostrum corpus regitur, quia functione læsa, principio succurrendum est, ibi topica sunt admouenda: verisimile est naturam ibi posuisse sedem B *facultatis vnde exoriri voluit proprium illius instrumētum, vicissimque in ea parte à qua originem ducit actionis proprium instrumentum probabile est facultatem residere: Atqui nerui, (sensus & motus instrumenta) à cerebro manifestè ortum habent, arteriæ facultatis vitalis & pulsificæ propria instrumenta (nám calor & spiritus sunt omnium cōmunia) à corde, vbi est aorta, truncus arteriarum: quemadmodum vena caua propè iecur: Ergo medicis, sensuum fide huius quæstionis veritatem explorantibus, potius quàm philosophis credendum est: Animalem facultatem sedere in cerebro: Vitalem in corde, naturalem in iecore.*

TRES ANIMÆ FACVLTATES sedibus atque locis discludi. C

CAP. XIIII.

CVM anima sit entelechia corporis organici, quo vtitur tanquam instrumento ad obeundas functiones, instrumentum autem tam artis, quàm naturæ, certo modo conformatum & temperatum esse conueniat, hoc soluto, animæ functiones perire necesse est, proinde sitotam animam, & facultatibus omnibus instructam opifex in cordis sinum, veluti in proprium habitaculum intrusit: illo malè affecto, omnes animæ functiones aboleri consectarium est: quod falsum esse pestilens contagio satis conuincit: vitalis enim facultas sola læditur, aliis intactis. Tres ergo facultas sedibus à natura seclusas esse, euidentius demonstremus. Hepar est officina sanguinis, cui data est vis D sanguifica: at sanguine partes omnes nutriuntur, ergo Hepar vt sanguinis, ita nutritionis, est principium: Hîc tantisper consistendum, dubia enim sunt & controuersa omnia: Nam venas opifices esse sanguinis, quidam ex hoc demonstrant, quod habeant vim σπερματοποιητικὴν, seminificam, vt scribit Galenus. ad 2. Epidem. Comment. 46. quare multò potius αἱματοποιητικὴν, sanguificam. Respondetur, istam facultatem accedere venis ab hepate: Sed absurdum est agens efficacius ab imbecilliore vim agendi mutuari, atqui venis inest vis maior & præstantior: maioris enim est operæ semen, quàm sanguinem elaborare. Præterea multa pituita dulcis in venas confluit, quæ ad iecur non refluit: quid ergo reliquum est, quàm vt illic alteretur, & in sanguinem cōmutetur? accedat & illud: Idem principium efficit, quod conseruat, atqui sanguis in venis conseruatur, è quibus cùm primùm excidit, nisi nutriat, & in partis substan- E tiam mutetur, corrumpitur: In illis ergo generatur. Quidam propterea non à carne & parenchymate hepatis, sed ab illius venis chylum in sanguinem transmutari affirmant. At venarum omnium vna est natura: sunt autem membranæ exangues, albæ, frigidæ: Sanguis est concolor parenchymati, quare probabilius dixerim chylum à carne hepatis alterari, & in sanguinem mutari, perfici tamen in venis, accepta & influente ab hepate facultate.

Illud quoque dignum quæstione: An omnes partes nutriantur sanguine: Nam semen & sanguis sunt distincta principia, atqui vt sanguineas sanguis, ita spermaticas partes semen nutrit: Omnes ergo non nutriuntur sanguine. Respondetur, semen fieri ex sanguine, quare si non proximè, saltem mediatè omnes nutriri sanguine. Cōtrà, iis nutrimur, quibus constamus, atqui constamus quatuor humoribus, non solo

A sanguine. Respondetur: nomine sanguinis quatuor humores comprehendi: Cerebrum enim nutritur pituitoso sanguine, pulmo bilioso, lien melancholico, caro & musculus eo qui simpliciter sanguis appellatur. Contrà, nutritio fit sanguine per venas ad partem influente, atqui ad ossa nulla vena pertingit. Respondetur, illa per διάδοσιν, emanationem aut transumptionem nutriri, neque enim eo solo qui per oscilla venarum aut arteriarum effluit, sed etiam eo, qui per tunicas resudat, & roris instar distillat, partes nutriuntur, transumptiuè: sic crystallinum humorem vitreus, vitreum nutrit rete mirabile.

Verùm pergamus, cerebrumque sensus, motus, & principis animæ principium esse pro Platone contra Aristotelem demonstremus. Imperat cerebrum, cor obsequitur, ergo præstat cordi, etsi ad vitam sit magis necessarium: atqui in parte corporis principe consentaneum est partem animæ principem habitare. Item somnus fit sopito B sensu: sopitur autem cerebro vaporum copia veluti vinculo præpedito & ligato, qui si præter naturam contingat, vt in lethargo, aut lædatur ratio, vt in phrenetide, quis tam iners Medicus malè affectum cerebrum illicò non suspicatur, illique, non cordi, admouet remedia? meritò ergo Galenus reprehendit Archigenem, quòd, vt diceret Peripateticæ sectæ consentanea, cor commune & primum sensorium appellabat: principe tamen sensu malè affecto, capiti prospiciebat, non cordi. Age verò ex instrumentis ipsis sumamus argumentum: Venæ sunt instrumenta nutritionis, arteriæ vitæ, nerui sensus & motus, atqui venæ ab hepate primùm oriuntur, arteriæ à corde, nerui à cerebro, vt sigillatim Fernelius ex Galeno sic demonstrat: Maiora minorum sunt principia, atqui vena magna in hepate radices agit, ibique truncus videtur, multò maior eo, qui fertur ad dextrum sinum cordis. Singula tamen subducamus: C nam omnium rerum inductione, in operibus naturæ & artis, minora esse maiorum principia perspicuum est, flumina nonne vides paruis de fontib⁹ orta? Ad hæc effectus est congener suæ causæ, atqui iecur est pars sanguinea, vena, spermatica: non est ergo consentaneum venam esse sobolem iecoris. Præterea, vt est lib. de Formatione fœtus, vena origine præcedit iecur, scilicet vt per eam feratur sanguis, ad hepatis generationem, non ergo à iecore oriuntur venæ, sed implantantur iecori: frustra enim obiicitur, quòd solueretur substantia iecoris, quia est maior naturæ, quàm artis industria. Summa totius quæstionis in hoc vertitur: An cordis prior sit ortus, quàm hepatis: In eo enim quod primum oritur, primam animæ facultatem residere verisimile est. Atqui cor primùm oriri Auicenna docet duobus argumentis: Ego dixerim partes principes, cor, iecur & cerebrum, simul inchoari, non simul perfici. Ea enim D pars prius perficitur, cuius maior est vsus, & efficiens potentius, atqui, vt ille docet, primis diebus maior est vsus cordis, opifex calor in suo fonte vegetior est: ergo cor prius perficitur, quàm iecur & cerebrum.

Galen. 10. de Vsu part.

Galen. 6. de Placitis.

Lege Gal. 3. de loc. aff. & 1. de Causis sympt.

Fen. 2. tertij canonis.

Neruos oriri à corde Erasistratus iunior, (vt iam dixi) pro Aristotele defendit: sed ætate & vsu rerum doctior, ab hac sententia resiliit, & in Medicorum opinionem concessit, laudo: Colore enim, substantia, & temperamento, cùm referant substantiam cerebri, nullusque neruus in cor inseratur, solùm pericardion germina subtilium neruorum recipiat, illos à cerebro pullulare non est dubitandum, etiam arterias oriri à corde, apud omnes in confesso est. Itaque Fernelius concludit, esse tres animæ humanæ facultates ita sedibus differentes, vt naturalis in hepate resideat, vitalis in corde, animalis in cerebro. Venas ab hepate exoriri, Arterias à corde, ner-
E uos à cerebro.

RATIONVM QVAS ADVERSARII proponunt confutatio.

CAP. XV.

QVi iurarunt in verba & mentem Aristotelis, negant eius doctrinam superioribus argumentis conuelli: Quæstionis enim veritatem, inquiunt, Aristoteles ratione, non sensu æstimauit, sensus autem neruos oriri à cerebro, venas à iecore, arterias à corde, indicat quidem, sed vt illi loquuntur, materialiter: ratio verò, primum & formale principium esse in corde manifestè

demonſtrat. Porrò Ariſtoteles à Platonis ſententia, qui cupiditatem in iecore, iram in præcordiis, rationem in cerebro collocauit: videtur de induſtria refugiſſe, ne tres in nobis animas cum illo ponere cogeretur. Quanquam Ficinus à Peripateticis hoc imponi Platoni affirmet, quòd in homine tres animas, vt locis, ita ſubſtantiis differentes poſuerit. A

Comment. ad 4. de Repub.

QVID VITALIS FACVLTAS cæteris præſtet, quibus inſit, quo accedat ordine, quid vita.

CAP. XVI.

FACVLTAS animalis tota influit à cerebro, naturalis & vitalis, partim ſunt inſitæ, partim influunt: Plantas & animalcula, quibus natura cor denegauit, quæ toti connata eſt facultas, conſeruat: perfectiora verò animalia, quibus cor datum eſt, facultate influente, citra iacturam vitæ carere non poſſunt, cuius beneficium ſi quæ violentia nobis eripiat, mox vitam cum morte commutamus: Qua cauſa euenire diximus vt plantarum abſciſſæ partes aliquandiu viuant, de corpore humano pars auulſa, illico tanquam ſtipes, iaceat immota: ad quam videlicet nulla amplius facultas à corde tranſmittatur. Non ignoro beneficio & vitali iſto calore priuatum corpus aliquandiu viuere, vt per ſyncopem, ſed cùm aſſiduè diſſipetur, niſi nouus accedat in auxilium, qui recreet languentem, & deficientem reparet, animal paulatim concidit, tandemque tollitur è viuis. Viuunt ergo plantæ ſingulis partibus inſita facultate, homines, fortis & naturæ melioris, & hac, & influente: proinde cùm vita ſit actus animæ, vt anima corporis, melius hîc definitur conſeruatio facultatum, quàm à Ludouico Viue, conſeruatio inſtrumentorum animæ, facultates enim priores ſunt inſtrumentis, & ex illis functiones proximè dependent. Age verò, contrariorum contrariæ ſunt cauſæ & definitiones, atqui animal interit pereuntibus animæ facultatibus, omnes autem pereunt ſublata vitali; addam ex Galeno, animal nunquam mori niſi cor per ſe, aut per conſenſum, afficiatur: Ergo viuit facultatum permanentia & duratione, perdurant verò & conſeruantur vitalis præſentia, ſiue ſit inſita, vt plantis, ſiue influat, vt animalibus perfectis. Viuunt plantæ ſolo actu animæ vegetantis, nempè nutritione. Viuunt diuinæ mentes actu intelligentiæ, nempè contemplatione Belluæ, actu ſentientis animæ, qui vegetationem includit: Homines actu rationis ſeu λογισμῷ, qui vegetationem & ſenſionem præſupponit. Itaque vita non eſt pars animæ, cum ſeparatim non exiſtat, nulliuſque viuentis ſit forma, ſed actus cuiuſuis animæ, vt obiter obſeruetur quod iam ſupra notauimus, à Galeno non diuidi omnem animam, in naturalem, vitalem, & animalem, ſed humanam duntaxat, vbi longè ſpecialiùs vitalis facultas vſurpatur quàm vita. B C D

DE FACVLTATVM CONCENTV, & principatus ordine.

CAP. XVII.

ET ſi natura tres tres facultates locis diſcluſit, omnes tamen tanta ſocietate coniunxit, vt mutuis ſtent auxiliis, vnaque alteri condoleat: Naturalis ſuggerit alimentum ad vitam neceſſarium, Vitalis ſpiritum & calorem cum fœnore illi rependit, Animalis, præter alia, hoc vtrique retribuit, quod perenni inſpiratione & expiratione temperet ardorem cordis. An verò vna alteri commoriatur, dubium eſt: poteſt enim abeſſe animalis, aliis remanentibus, nam paralyticus viuit ſine ſenſu & motu, Phreneticus læſa ratione, memoria, & imaginatione: Apoplectico ſola ſupereſt ſpiratio, eaque perexigua, nonnunquam inſenſibilis. Ecſtatico tranſpiratio eſt pro inſpiratu: Quare reſpondetur aliquam facultatem parti eripi poſſe aliis ſaluis, non toti, ſaltem non omnino: Tantus enim eſt facultatum animæ concentus, vt vna planè ſublata, cæteras quàm E

mox

A mox in ruinam & societatem interitus trahat: eo tamen ordine, vt illa prius condoleat, quæ arctiori iuncta est fœdere: Æquum enim est, vt quæ rebus secundis maius percepit auxilium, maius in aduersis sentiat incommodum.

In œconomia partium corporis hic ordo etiam atque etiam obseruandus est, vt quæ naturæ ordine & origine prima est, dignitate sit postrema. Dum homo formatur, primum viuit vita plantæ, deinde belluæ, ad extremum fit capax rationis: Prima facultas facit nos esse & viuere, posteriores verò faciunt, vt melius simus & perfectius viuamus, quare prima est magis necessaria, minus perfecta: posteriores, minus necessariæ, magis perfectæ.

SIMPLICEM ESSE ANIMAM QVÆ HIS *partibus continetur, hincque Aristoteleorum rationes dissolui.*

B

CAP. XVIII.

VNIVS rei vnica est & simplex forma, quia vnica perfectio summa. Nostræ quidem formationis multi sunt gradus, sed cum à priuatione ad formam vna & continuata motione natura progrediatur, ex quo enim conceptum semen fœtum inchoauit, non quiescit, donec illum ad optatum finem perduxerit & naturæ suæ conuenienter perfecerit, nullo tempore formationis anima vegetante aut sentiente fœtum informari sic demonstro: forma & finis in rebus artis differunt, vt puta, forma domus, est synthesis par-
C tium, & artificiosa structura, finis, habitatio: ars, est scrinij forma, finis, pecuniæ conseruatio: At in rebus naturæ, reipsa eadem sunt, sola differunt ratione, quo enim tempore materia ad formam promouetur, finis appellatur, vbi tandem introducta est, materiamque perficit & informat, tum forma incipit nominari. Ergo vt vnicus est finis totius formationis, ita vnica est & simplex forma.

DE MORALIBVS FACVLTATIBVS.

CAP. XIX.

D ARISTOTELES diuidit animam hominis in appetitum & rationem, quas partes ob id differre docet Galenus, quòd perpetuum sit inter eas duellum: vt equus sessorem, sic appetitus rationem conatur deturbare, si tamen vicerit ratio, illúmque sibi mancipârit, fit fundamentum virtutum moris, atque adeo honestatis: Virtutes morales sunt decem, Fortitudo, Temperantia, Magnificentia, Magnitudo animi, Clementia, Veritas, Vrbanitas, Affabilitas: Virtutes autem mentis, sunt quinque, Intelligentia, Scientia, Sapientia, Ars, & Prudentia: Intelligentia, est habitus principiorum, scientia, conclusionum, sapientia, principiorum simul & conclusionum: ars efficiendorum, prudentia agendorum: De triplici appetitu, voluntate, ira & cupiditate, iam satis multa.

E

A

DE IMMORTALITATE ANIMÆ DISPVTATIO PHILOSOPHICA.

Ix adduci possum, vt credam eandem esse mentis & animæ substantiam, quia sola mens extrinsecus accedit, vt est 2. de ortu animalium, B sola energiam habet separabilem, vt scribitur 11. Sapientiæ, sola metaphysica, vt est 2. de anima: Quod si animus per se, sine corporis adminiculo, contemplatur, nihil prohibet quin à corpore separatus viuat, imo verò liberius & perfectius viuat atque contempletur: Si verò tanta necessitate alligatus est corpori, vt energiam habeat inseparabilem, neque possit absque illo propriam functionem exercere, haud dubiè est mortalis: At, inquam, sola mens energiam habet separabilem: ergo sola immortalis: nisi malis: Quemadmodum in Deo duplex est ratio, vna simplicissima substantia: Prior absoluta qua intelligit se, & in se omnia, est enim primum ens, prima causa, potentia autem primi entis quidquid est continetur, vt inferiores causæ suprema. Posterior comparata, qua prospicit nobis & vniuersum gubernat: quæ quidem separabilis est, intelligebat enim antequam C mundus esset, eoque interempto intelliget, neque de illius essentia & perfectione quidquam decedet, alius enim non erat antequam sensibilem mundum creare, & creatum regere inciperet; mundo quidem ex illius fauore & præsentia plurimum perfectionis accedit, imò si quid habet, id totum illi acceptum debet, at mundus nil illi vicissim rependit, nisi forte, si liceret diuina ad nos transferre, & mimogramum Deum cum Epicuro fingere, curam & laborem: Nisi malis, inquam, duas similiter esse rationes & habitudines animæ: Vnam qua corpus mouet, regit, & informat: alteram qua per se, suo lumine, primas causas primaque principia, nec non semetipsam, contemplatur: Tota prior ratio separabilis est, tantum enim abest vt animus perficiatur corpore, cùm illius grauitate à propriis functionibus auocetur. Ergo non modo intelligit extra corpus, sed multò perfectiùs quàm in corpore: Qui fieri potest, D dicet aliquis, cùm absque phantasmate non possit intelligere, phantasmata autem sensuum ministerio colligantur? Respondeo, mentes separatas & metaphysicas non intelligere discurrendo & ex vno alterum, ex effectis causas, colligendo: sed intuitu primo in causis effectus aspicere, non aliter quàm oculus primo obtutu colores intuetur: atqui animus extra corpus est metaphysica forma, proinde immaterialis & impatibilis substantia: Detestanda enim Cardani sententia: Intellectum, qui accedit extrinsecus, notiones interpretantis, notio enim est accidens, cum possit adesse & abesse, aliudque νοῦς Aristot. aliud νόημα. Age verò, quia immortalitas animę tanti est in vita humana momenti, vt sublata spe immortalitatis religio funditus ruat, qua detracta, ordo reip. subuertetur nec à furore populi tutus erit magistratus: melius enim in officio continetur metu sempiterni supplicij quàm temporarij. In hanc E disputationem tantisper excurramus, hinc sumpto exordio.

D. Thomas in Aristot. doctrina contendit animam esse immortalē. Ioan. Duns mortalem: cui fauit Ponponatius tolerabilius quam S. Portius, qui conatur docere etiam intellectum esse mortalem.

Mortalitas animæ religionem tollit, proinde virtutis & vitij, quæ sperare debent mortales, sempiterna præmia vitam in cœlis, mortem in inferis, duo religionis fundamenta: Atqui Aristoteles scribens ad Antipatrum, non tantum inquit, decet principem subditos vincere sapientia, sed etiam pietate & religione: ergo iudicauit, animā immortalem: Item dubitat ethicωn primo: An mortuos afficiant res viuentiū: Et an possint calamitates viuorum mortuorū beatitudinem & tranquilitatem impedire, quid autem his quæstionibus ineptius, si à morte nullus supersit sensus? Perge, nec tam quid visum sit Aristo. disquiramus, quàm quid videri debuerit, non enim æquum est hominis vnius authoritatem, omnium gentium consensui anteponi: Habemus

Epistola extat apud Plutarchū lib. de profectu morū.

A bemus hoc ex fide maiorum, Christi voce traditum & per manus hæreditaria veluti successione ad nos deuolutum, cur ergo Aristotelis sola authoritate commouemur? Aristoteles omnes difficultates, rationis calculo subduxit, & opinionum liberum examen cuique reliquit, ergo illum, etiam nolentem, ad immortalitatis animæ confessionem rationum pondere pertrahamus. Animus est αὐτοτελὴς, seipsum perficit: αὐτοκίνητος, mouet semetipsum: Omnia directè, etiam sempiterna, intelligit, seipsum per reflectionem: atqui à natura mortali non potest intelligi immortale, si modo intelligibile intellectione fiat actu vnum cum intelligente. Et ens per se, non in alio: Habet à se suum actum: Est principium: est substantia simplicissima: proinde ingenita & incorruptibilis: ex quo enim genita? In quod occidit? cum interitus sit dissolutio partium natura coniunctarum? Item vnumquodque interit insito aut externo
B principio: insito, si fuerit finitæ virtutis, externo, si habeat contrarium: atqui intellectus vis est infinita, quia res infinitas, quin infinitum ipsum comprehendit: non habet externum hostem: ergo immortalis. Viuens quidem potest mori, sed mortem cadere in vitam, quis prudens dixerit?

Ad hæc tempus est mensura motus, proinde mobilium, at mens immobilis, quia incorporea, motus autem est affectio corporis, ergo non est temporaria: dicam apertius: Ea sola sunt caduca quæ sunt in tempore, ea autem dicuntur esse in tempore, quæ tempus mensurat: atqui animus est mensura temporis, non tempus animi: ergo est supra tempus, neque illius sentit iniurias. Est æuiternus, vt Angelus, non temporarius, factus quidem, sed immortalis: tempus enim est mensura caducorum, quæ cœperunt & desitura sunt: sempiternitas eorum quæ neque cœperunt, neque
C desitura sunt: æuum eorum quæ cœperunt quidem, sed nunquam desitura sunt. Non est prætereunda sensus & intellectus dissimilitudo: Sensum enim corrumpit excellens sensibile, vt splendor aciem oculi perstringit, & sua tenuitate spiritum visiuum dissipat: Intelligibile, quò perfectius est, eò magis intellectum perficit: scientia enim rerum metaphysicarum excultus animus longè præstat popularium artium perito. Præterea naturæ mortali, non est propositum optimum pro fine: appetitus enim, quem regit ratio, non est vanus, præsertim cùm à Deo sit insitus. At homo, natura duce, Dei visionem & fruitionem expetit, idque omnes, & loco summi boni, & primum in votis habet, nisi quis fortè humanitatem omnem exuerit, nihilque spiret diuinum, sed serpat humi, & pecudum more appetitu regatur, non ratione. Omnes enim, quibus Dei Spiritus affulsit, momentaneam hanc vitam traducunt in ęrumnis, & casus humanę vitę patienter ferunt, spe melioris & diuinioris. Nefarios & sce-
D leratos, quoties ad se redeunt, & mentem adhibent in consilium, toties synderesis, id est vermis conscientiæ, & tacita prauæ vitæ testificatio, terrefacit, & aliquando ad semitam virtutis reducit. Ergo conuicti ratione & authoritate, animam esse immortalem nobiscum fateantur: quid aliud indicant metus mortis, & appetitus nominis sempiterni. Quòd si dubia & problematica esset quæstio, præstaret tamen immortalitatem asserere: non tam quòd tutior sit, & vtilior Reipub. hæc assertio, quàm quòd extinctum cum corpore animum ex falsa immortalitatis opinione nullum dedecus & supplicium manet: si verò superstit à corpore, magna laus est hoc præuidisse, nec frustrabitur assertor spe glorię, quam in altera vita ab ęquissimo virtutis & vitij remunerafore expectauit. Qui verò de naturæ suæ præstantia tam malè senserit, vt nihil à morte superesse iudicans, de futura vita desperârit, proprio iudicio reus est sempiter-
E næ mortis, dignus est qui expleto munere reddatur tenebris.

FINIS.

IOANNIS RIOLANI

AD

FERNELII LIBRVM

DE FVNCTIONIBVS

& Humoribus

COMMENTARIVS.

ALIMENTI IN VENTRICVLO confectio. CAP. I.

HACTENVS de Facultatibus, instat vt de Functionibus eodem ordine A dissetamus, naturali, animali, vitali. Est enim facultas causa & ordine naturæ prior, quia in omnibus, quæ fiunt, potentia præcedit actum, nilque fit, quod fieri non potuerit. Naturales functiones sunt, procreate, nutrire, & augere: de procreatione hominis liber proximus disputabit: nunc de Nutritione disseramus. Nutrimur autem coctis, non crudis, estque nutritio finis coctionis. A coctione igitur functionum doctrinam inchoemus, quam Aristoteles paulò generalius, omnem tam artis quàm naturę coctionem complexus, definiuit, actum caloris in qualitates patientes. Qua definitione efficientem simul & materiam comprehendit: coctio enim omnis à calore, quæ coquuntur, quia humida aut sicca sunt, coquuntur: Cuius tres differentias constituit, maturationem, elixationem, & assationem: Elixatio fit à calore temperato in humido, assatio à calore valdè sicco; maturitas partim ab insito, partim ab externo, insito humido, externo sicco: fructus enim æstate ad maturitatem perueniunt, partim suo, partim ambientis calore. Ab vtroque calote humor in abscessibus & turberculis suppuratur. B Medici distinctius πέψιν distinguunt à πεπασμῷ materia, forma, fine, quidam efficiente: Coquitur enim aut materia vtilis, vt alimentum, aut inutilis, vt sanies in tuberculis, sanguis putris in synocho, ecce materiæ dissimilitudo. Alimentum coquitur, vt retineatur ad nutritionem, excrementum, vt excernatur: ecce finium differentia; forma verò est definitio. Definitur antem à Galeno πέψις Alteratio nutrientis in propriam qualitatem eius, quod nutritur. Quia tamen vt qualitatis, sic alterationis nomen est ambiguum. Stoicis enim & Platonicis, quibus fauit Galenus, est qualitatis, non tantùm aduentitiæ, vt Peripateticis, sed etiam essentialis mutatio. Hanc difficultatem vt Fetnelius vitaret, coctionem definiuit, perfectam substantiæ conuersionem in alimento factam à calore natiuo. Sunt qui pepasmi autorem putant externum, non natiuum calorem. Nam febris coquit, vt ex Galeno citant ad hunc Aphorismum: Grauedo cùm febre tutior: & febrem superuenire conuulsioni bonum, quia morbificum humorem coquit calor febrilis. Respondetur, externum ex accidenti tantùm coquere, quia absumit humorem noxium, cuius absentia natiuus calor redit ad naturam: non enim prius humor suppurat, quàm natiuus calor vicerit externum, & peptico cataplasmate coctio procuratur, dum spiritus & calotis natiui difflatio prohibetur.

A hibetur. Huc pertinet illa inter Physicos disputata quæstio, vtrum animalcula, quæ
ex putredine eruuntur, vt vermes & pediculi, apes ex tauro, scarabæi ex asino, à pu-
tri calore excitentur, an à cœlesti, qui est analogus natiuo. Media enim hyeme in sub-
terraneis cùm generentur, non videtur tepor Solis illorum opifex, quasi quotidie
Sol terris non illuceat, qui author & efficiens generationis omnis lib. 2. de Ortu per-
hibetur. Ergo ad institutum reuertamur.

Πέψεως tres sunt species, chylosis, alimenti mutatio in chylum: αἱμάτωσις, mutatio
chyli in sanguinem: & ὁμοίωσις, sanguinis in substātiam partis assimilatio. Prima fit in
ventriculo, secunda in hepate, tertia in singulis partibus. Cuiusque sua & propria est
præparatio. Alimentum enim manditur primùm, quia diuisa minus resistunt agenti
calori, quàm solida & compacta (agit quippe diuidendo, diuidit per poros in substā-
B tiam sese insinuando, quod in lignis quæ vruntur sensu ipso ita esse obseruamus: quę
enim rara & patentiores habent meatus, citius ab igne patiuntur, quàm crassa & cō-
pacta) propterea dentibus primùm atteritur, & comminuitur, hinc ruminantia, vt
cornigera animalia, quæ non habent dentes in maxilla superiore (quorum materia
abiit in cornua) duos habent ventres, primum pro dentibus ad præparandum ci-
bum, quem Græci πρόλοβον, Latini ingluuiem appellant, alterum ad coquendum. Ari-
stoteles ob id talia animantia dicit esse vitæ breuioris. Adiuuat quæ in glandulis col-
ligitur dulcis, & temperata pituita, cuius tepore perfusum mollescit & incalescit iam
contritum alimentum, cuius quidem pituitæ qualitas tam suauis est & benigna, tam
amica & familiaris naturæ, vt venenis resistat: perimit enim serpentem, qui ieiunus
illum conspuerit, valetque mansum triticum ad coquenda tubercula. Tritum & re-
C mollitum minore negotio deglutitur: est autem deglutitio opus gulæ: habet enim
duas tunicas, interiorem, qua rectarum fibrarum ministerio trahit alimentum, &
exteriorem, à qua transuersis fibris compressum deprimitur, & ad ventriculum de-
turbatur. Vnde obiter demōstratum volo, deglutitionem esse opus naturæ, vt visum
est Galeno lib. 3. de Facultatibus naturalibus, & 5. de locis affectis, non animę, vt
placet Auicennæ, quia fibris agitur, non musculis & neruis.

Ventriculo exceptum, petit fundum, ibique subsidet: ventriculus autem se in an-
gustum cogit, vt illud vndique comprehēdat, ne fluitet. Nam si non subsideret, sed à
flatibus elatum innataret, aut si prauum & molestum esset naturæ, ventriculus resu-
pinaretur ad excretionem, aut virtute prostrata relaxaretur, sicque coctio vel omni-
no non fieret, vel malè, hoc est, imperfectè aut deprauatè fieret. Mirareris quàm ar-
ctè comprimantur & coeant in vnum, cauitatum omnium quamuis dimidio vix
D plenarum extrema, fuga vacui. Dum hæc aguntur, pylorus clauditur, ne liquidior
portio effluat ante perfectam coctionem. Cuius tempus quidam seprem horarum
spatio definiunt: coctionem enim quatuor, distributionem tribus horis absolui exi-
stimant: ideoque septem horis dormire præcipiunr. Quæritur si ventriculus ipse co-
quat suo calore, an verò sit instrumentum primæ coctionis, non aliter quàm olla eli-
xationis: est enim chylosis elixationi similis, quia fit à calore humido. Certè cùm
constet substantia neruosa, sitque pars spermatica, non videtur insito, sed circum-
iectarum partium calore coquere: habet enim iecur à dextris, lienem à sinistris, po-
stica parte venam cauam, & musculos dorsales, antica, omentum, quod esse cali-
dum inde coniicies, quòd pinguedine constet oleosa & inflammabili. Verumtamen
duas habet tunicas, exteriorem carnosam, vt sanguinis tepore coquat, interiorem
E neruosam, vt facilè dilatetur, neque copia alimenti distentus rumpatur: totus autem
est intextus venulis, quare non est destitutus calore, eóque haud dubiè coquit, adiu-
tus externis, quæ diximus, præsidiis.

Difficilis autèm, nec prætereunda quæstio, si ventriculus coquat suo calore, ad-
iutus à circunstante, quò calidior, eò melius coquit, saltem solidum alimentum
melius conficit, nam biliosus venter melius coquit bubulas carnes quàm ouillas,
quia agens debet esse analogum patienti. Assat & corrumpit ὀπτησία, vt horarios fru-
ctus, ἑψησία verò elixat, cur ergo leo calidior struthiocamelo, non coquit fer-
rum? Eiusmodi multa occurrunt, quorum manifesta causa reddi non potest: quis
enim euidentem causam attulerit, cur coturnix veratrum, sturnus & capra cicutam
conficiunt? (namque videre licet, pinguescere sæpè cicuta barbigeras pecudes, ho-
minique est acre venenum) hyoscyamus nutrit sues, serpentibus gaudent cerui,

hirundines cantharidibus, formicæ homini intolerabiles cruciatus afferunt, si A
vorentur: at vrsus, si quo morbo tentetur, eorum vsu conualescit, Agatarcides quosdam populos locustis vti pro deliciis commemorat, quos breui & horrenda corporis agitatione mori affirmat. Quibusdam placet, animalia, quæ sunt ventre carnosiore διάπεπτα coquere, eaque causa à struthiocamelo ferrum coqui, à sturno cicutam. Fernelius causatur ἰδιοσυγκρισίαν quam plurimi ignorantiæ asylum nominarunt. Aliud quæritur: An ventriculus nutriatur chylo: hoc scripsit Galenus libro 3. de Facult. naturalib. qui tamen omnes partes nutriri sanguine passim demonstrauit: quidam respondent, interiorem tunicam nutriri chylo. Verùm eadem sunt principia ortus & nutritionis, interior tunica ventriculi non fit ex chylo: ergo eodem non nutritur. Adhæc interior tunica ventriculi iam grandioris fœtus, nutritur, & accrescit, non chylo, quia per vmbilici venam non ore, capit alimentum. Quare B
Galenus abusus est nomine nutritionis: Appetitus enim quidam naturalis, alter animalis, hunc satiat qualitas, illum sola substantia alimenti: animalem satiari chylo, quin vesiculam felle, tam certum est, quàm falsum naturalem appetitum eodem expleri, nec opus habere sanguine.

Porrò veteres quidam Physici, vt est quarto meteor.ῶν σῆψιν pro πέψις vsurpârunt, putrefactionem cum coctione confuderunt: quorum opinionem sic expressit Athenæus, Conuenientiores sunt nocturnæ epulę omni corpori, quia luna ad coctionem plurimùm confert: est enim coctio quædam putrefactio, illa autem manifestè putrefacit: quo sensu Empedocles vinum, aquam in vite putrem, id est coctam, finiebat: impropriè sanè, nam omnia putrent externo, coquuntur interno calore, seruantur coctione, corrumpuntur putrefactione. Putrefactio enim est mutatio materię pu- C
trentis ad corruptelam, Pepasmus ad perfectionem. Sed cur veteres alimentum putrere coctione existimabant? quia odoris saporisque gratiam amittit, Hoc sensu Hipocrates scripsit lienteria alimentum reddi ἄπεπτον, idest incoctum.

SCHOLION.

NVTRIMVR *alimentis primum contrariis, quæ tandem post coctionem & præparationem longam non tantum fiunt similia, sed etiam suam substantiam permutant nostræ, fiuntque tandem partes viuentis: Plantis quia similior est succus quem per fibras de terra sugunt, non ita multiplici egent præparatione, nec opus habuerunt tot coctionis officinis, tam vario apparatu: Prima coctio fit in ventriculo:* D
vbi substantiæ proprietate potius quam calore vertitur in succum cremori similem quem chylum nominamus: Chylosin præcedit præparatio solidi alimenti: quæ fit in ore, facilius enim coquitur alimentum cum in minimas particulas fuerit diuisum, calor comminuta facilius coquit: propterea si quis suæ sanitati bene consultum cupit, nunquam cibum transglutiat nisi præmansum accuratè, hoc est anterioribus dentibus diuisum, & molaribus contritum: sic præparatum, ventriculus rectis suis fibris attrahit, attractum arctissimè complectitur, & proinde melius coquit si fuerit palato gratum: Quod auersatur, peius & difficilius coquit: etiamsi per se sit coctu facilius, quia non ita arcte complectitur.

VT E VENTRICVLO PER INTESTINA & venas mesaraicas in iecur fiat alimenti distributio. E

CAP. II.

PERFECTO chylo, illico pylorus ea naturę prouidentia recluditur, qua vterus perfecto fœtu. Ventriculus autem satiatus chylo, reliquum velut onus deponit in intestina: non eo fine (inquit Fernelius) vt alias partes nutriat, hoc enim facit pręter institutum. Quasi verò non sit pars publica, cuius officium toti sit commune. Coquit fortassis sibi primò, aliis secundariò: non tamen pręter institutum, quia factus est & destinatus in eos vsus: Instrumento autem vsus est pro fine, finis pro forma & essentia. Habet igitur coctionem duplicem, vnam communem vt instrumentum, mutationem scilicet alimenti

in

A in chylum: Alteram propriam qua ratione similaris est, nempe sanguinis in propriam substantiam conuersionem. Nam tertiæ coctionis quæ fit in singulis partibus quo iure ventriculus erit expers? Chyli intestinis excepti succulentam & alimentariam portionem mesenterio velut manu iecur trahit. Vt enim planta radice de terra per fibras, sic iecur per mesaræi venas de ventriculo capit alimentum non tantum sibi, sed alijs partibus distribuendum, reliquias transuersis fibris consecutione in aluum, vt in sentinam, deponit. Videas enim in tenesmo & dysenteria, mordacem humorem ad crassiora intestina deturbari: hepar interea chylum à tenuibus attrahere. Vt autem superior, sic inferior venter (ita enim Hippocrates & Galenus nonnunquam appellant intestina) recreentur chylo, sanguine tamen per venas mesaræi confluente nutriuntur. Vnde nata est illa quæstio cùm venæ mesaraicæ sint dicatæ ducendo chylo, quî fieri possit vt per easdem, exiles & angustas, eodem tempore contrario motu feratur sanguis: An diuersis venis vtrumque agitur? Superiores chylum
B ad hepar conuehunt, inferiores sanguinem ad intestinorum nutritionem? An non est absurdum per eundem tubum fieri motus contrarios, si modo sit vtrinque quod trahat? inde nata est altera quæstio, chylus qui in venis mesaraicis ruber aspicitur permixtione sanguinis, an venarum sanguifica proprietate talis redditur: Nam qui hanc contendunt inesse venis, potissimum inde sumunt argumentum, quòd omnium venarum eadem sit vis & proprietas, sanguificam autem inesse venis mesaraicis. Ego quidem hanc vim illis concesserim, quia omnem coctionem præparatio antecedit, neque fit ortus nouæ substantiæ nisi alteratione præcedente, quia natura non fert subitas mutationes, sitque motus omnis ab vno extremo ad alterum per medium. Vbi autem chylus sanguinis rudimentum potest accipere, præterquam in
C mesenterio: sed non inde efficitur, omnium eandem esse facultatem, quia venis spermaticis data est facultas sanguinem vtcumque in semen transmutandi: (illic enim præparatur rudimentum seminis) non tamen in alijs venis dealbatur. Accedat quòd aliæ venæ perficerent sanguinem, non hepar, mesaraicæ præpararent. Porrò ἀνάδοσις tribus causis melius fit, si vasa lata (angustia enim tardatur) si humor qui trahitur sit tenuis: ea enim causa vinum album permeat citiùs, quàm rubrum, & hoc dilutum celeriùs distribuitur, quàm merum, quia aqua est pro vehiculo. Inde Aristoteles accidere existimat, vt merum leuiter dilutum citiùs inebriet, cùm ocyus ad cerebrum feratur: robur trahentis aut mittentis est causa primaria, illæ adiuuantes, aut sine quibus non. Iam se offert noua, nec sicco pede transeunda quæstio, excretio fecis aut vrinę, sitne motus animę an naturæ: motus enim qui fit musculorum mi-
D nisterio, animalis, qui fibrarum, naturalis iudicatur. At alui proluuies excernitur, sphinctere relaxato, eodem constricto, retinetur. Respondetur, quædam excerni à natura, vt bilem à sua vesicula, alia ab anima, vt sputum, alia partim ab anima, partim à natura: Sphincter enim & musculus rotundus videntur dati potissimum ad retinendum, ne continuo effluuio à rebus agendis abducamur: quamuis enim natura excretionem moliatur quantitate aut qualitate materię irritata, tamen si nobis dicendum sit apud principem aut in senatu, ad tempus vim illam naturæ cohibemus. At excernimus dilatato musculo: dilatatur autem fibrarum adminiculo, nec dubium est plurimum in hoc valere fibras transuersas, iuuatur tamen cohibito spiritu & compressis musculis thoracis & abdominis. Quare motus partim naturę, partim animæ est. Partes trahunt alimentum vt fruantur tracto, nec dubium, coctio-
E nem pręcedere attractionem, hanc verò sensum indigentię: de quo video inter doctos constare. Quî fit igitur (inquit Fernelius) vt helluones satiatis partibus nouum alimentum continenter appetant? Quidam respondent contraria nata esse afficere idem subiectum, singulis autem partibus non inesse sensum indigentiæ, sed soli ventriculo, quia sit comes appetitus animalis, non naturalis, proinde nec repletionis: quid ergo mirum, si appetant sine modo? An partes alimentum non trahunt, sed potius eò peruadit ea naturæ inclinatione, qua leuia sursum, grauia deorsum feruntur, & simile simili vniri appetit? Nam probabilius est alimentum ad partes omnes ferri quàm medicamentum, quia illud familiare, hoc verò dissentaneum naturæ. At medicamentum præsertim si vehemens fuerit, vt colocynthis, elleborus, quoquouersum peruadit. An ratio est dispar, vis enim tantum, non substantia medicamenti, corpus permeat, nec fertur ad partes remotas, ad quas alimenti substantiam

peruenire necesse est. At illa grauis, coctione enim crascescit, quomodo igitur na-
turæ inclinatione fertur sursum? Respondendum, quemadmodum vapor quamuis A
sit grauis, calore attollitur, ita chylum ad iecur, sanguinem à iecore ad omnes par-
tes ferri à spiritu & calore, naturæ non tantum communis, sed etiam particularis pro-
uidentia. Vnumquodque enim appetit perfectionem: At alimentum post multas al-
terationes tandem assimilatur parti & cum ea fit vnum, quódque erat inanimum, fit
pars viuentis, proinde particeps vitæ. Eò igitur vt ad finem & perfectionem sponte
mouetur. Erasistratus eò trudi voluit compressione vasorum quomodo partes onu-
stę in vicinas sese exonerant, sed modum non causam ἀναδόσεως, exposuit.

SCHOLION.

CVMPRIMVM ventriculus suum opus perfecit, illud in intestina deponit distribuen- B
dum iecori: non quod illa ad iecur chylum transmittant, quasi illi prouideant & pe-
nuriam sanguinis præsentiant, sed trahente iecore distribuitur chylus per venas me-
senterij, quomodo trahentibus singulis partibus fit aßimilatio. Quod autem chylus in
intestinis magis magisq; elaboretur duobus argumentis conijcimus, primo quod constent eadem
substantia cum ventriculo, fiat autem chylosis insita ventriculi proprietate: Secundò quod ali-
mentarij clysteres, quales ex lacte, iusculis, vino, parari solent in intestinis non aliter quam in
ventriculo iecori præparentur atque illic in chylum conuertantur.

Mesenterium est corpus membranosum infinitis venulis conspersum, quarum duo sunt offi-
cia, primum distribuere chylum iecori, alterum sanguinem à iecore deferre ad nutritionem inte-
stinorum. Hinc fit vt chylus post dissectionem ruber appareat: quamquam non desunt, qui chy-
lum in venis mesaraicis præparari & vtcúmque in sanguinem mutari volunt, ea vi & proprie- C
tate qua sanguis in venis spermaticis dealbatur.

Placet Fernelio superiores venas mesenterij dicatas esse distribuendo chylo, inferiores verò,
quæ desinunt in crassa intestina, humorum inutilium excretioni, hoc argumento quod sub Diar-
rhæa & dysenteria humor mordax, inde feratur in aluum. Quasi à superioribus quandoque non
descendat qui tenuia intestina etiam exulcerat. Adhæc alibiles clysteres non transcendunt ieiu-
num, à iecore tamen iam ab intestinis in chylum versi attrahuntur: Ergo etiam inferiores venæ
mesaraicæ seruiunt distribuendo chylo, nec tantum inutilia per inferiores, sed etiam per superiores
venas excernuntur.

Quærit deinde quî fieri poßit vt in Helluonibus venæ plenæ sanguinem trahant, non trahunt
nisi appetant, non appetunt, nisi inanes, vt repleantur. Erasistratus volebat sanguinem di-
stribui compreßione vasorum: Alij volunt eo ferri sponte vt fiat particeps vitæ, alij natura- D
lem tractionem esse, non animalem: proinde vt ignis obiectum lignum non potest non vrere,
ita partes necessario præsens alimentum attrahere: verum trahunt vt fruantur tracto, iam sa-
tiatæ cur nouum appetunt.

SANGVINIS ET HVMORVM IN IECORE procreatio. CAP III.

CHYLVM ab intestinis & venis mesenterij præparatum iecur per venam
portam trahit & in sanguinem transmutat; Venas habet exiles ne chy-
lus transuectionis celeritate effugiat coctionem, ad hanc enim opus est
mora. Vim tamen sanguificam nemo si sapit, attribuat venis, cum sint
partes frigidæ & albæ, sed parenchymati, cum sit concolor sanguini, E
nam à parte propria fit actio instrumenti: Atqui caro pars est propria hepatis, non
vena. Ergo à carne chylus in sanguinem mutatur, non à venis: hoc tamen parit dif-
ficultatem, quòd actio physica fiat per contactum: Chylus autem venis conclusus
à carne iecoris minimè tangatur. Quidam respondent, venam portam vel eiusdem
ramulos cum trunco cauæ non continuari, sed interiectam esse carnem. Quòd si
continuentur, nihil tamen prohibere chylum contentum venis calore & vi carnis
sanguifica coqui & in sanguinem permutari, non aliter quàm alimentum in ventri-
culo calore circumstantium partium in chylum mutatur: hoc autem obiter dignum
consideratione, quòd hepatis caro sine fibris concreuerit, sanguinemque ex chy-
lo, suo temperamento & calore perficiat, cùm tamen sanguis tantum per fibras con-

A crescat. Sanguinis portionem sibi assimilat, eóque verè, non vt venter chylo nutritur, reliquum per venas in totum corpus transmittit. Sanguinem cum dico, non tantùm primum naturæ filium qui consistentia mediocris, colore ruber, temperamento calidus humidus, si ad cutem referatur, per se verò temperatus est, intelligo: sed totam massam, quæ cum illo pituitam & vtramque bilem includit. Quemadmodum enim in musti feruore quod igneum & tenue attollitur, flos vini dicitur, fæx subsidet, ita in sanguinis elaboratione ignea pars fertur sursum, terrestris deorsum, illa bilis, hæc succus melancholicus nominatur. Vtrumque permisceri sanguini necesse fuit, quia nonnullas partes bilioso, alias melancholico sanguine nutriri oportebat. Tum, vt Constantinus loquitur, quod humores sint filij elementorum, sanguinis enim massa constat quatuor naturis, quæ quatuor elementis proportione respondent: Terrestri, quæ melancholia dicitur, aquea, quæ pituita, ignea, quæ bilis, B aeria, quæ per excellentiam sanguis appellatur. Mitto insipidum sanguinem bile veluti sale fuisse condiendum, vt auidiùs appeteretur. Pauca tamen bile, & pauco melancholico humore: propterea natura prouida duo instrumenta fabricauit, quæ sanguinem repurgarent: cauis hepatis cystim supposuit, quæ fel trahat, cōtineat, quinetiam eodem oblectetur, tantum potest naturæ nomen, eò tamen non nutriatur, sed sanguine per venas, quæ cysticæ dicuntur, affluente. Illa felle turgida per meatum cholidocum, in ecphysim sese exonerat, ac veluti clystere naturali excretricem ad officium excitat. Lienem verò à sinistris posuit, vt parte caua per ramum venæ portæ limum attraheret (fæculentam sanguinis portionem) exceptum per venulas quibus constat, in totam suam substantiam effundit ad nutritionem. Sicut enim agricolæ in agris serunt lupinos, vt humorem amarum trahant, solúsque dulcis tritico C superfit, ita natura lienem prope hepar posuit, vt attracto limo relinqueretur alijs partibus purus, dulcis, & defæcatus sanguis. Verùm ne lien crasso & terrestri sanguine obstrueretur, natura illi adiunxit plurimas arterias, quarum calore & motu præparetur, atque tenuetur. Ideo enim aues aut nullum, aut perexiguum habent lienem, quòd volatu sanguinem attenuent: vt est apud Aristotelem secundo, de historia animalium. Hinc fit, vt iecur crassiori sanguine nutriatur, quàm lien, quamuis lienaris subniget, hepaticus verò ruber appareat. Ad appetentiam excitandam humoris melancholici austeram & acerbam portionem lien transmittit ad ventriculum, quæ frigore & astrictione illius actiones roboret, & appetentiam excitet. De via non satis constat: Alijs placet per exiles ramos qui à fastigio lienis feruntur ad fundum ventriculi: Alijs per ramum venæ portæ qui desinit in lienem, surculum ad stomachum D ferri, quo veluti corona cingitur, qui me iudice probabilius sentiunt, quia sedes appetitus est in ore non in fundo ventriculi: nemo autem existimet eo ventriculum nutriri, Nam in illius sinum admittitur, & alimenti reliquijs permixtus tādem in aluum deponitur.

Pituita (vt de illius ortu & substantia quemadmodum de cæteris nonnihil dicamus) eam habet rationem in massa sanguinis, quam crudus & aqueus humor in musto: propterea humorem crudum Philippus appellabat. Auicenna sanguinem incoctum, Galenus ad primum prognosticōn excrementum alimenti semicocti, verùm de illius sede, & origine non liquet. Nam Galenus libro de semine eam constituit in pulmone, libro de natura & ordine cuiusque partis in cerebro, libro de humoribus & de atra bile in ventriculo: At in arte parua, iecur, inquit, frigidum pro E laudabili sanguine pituitam facit. Distinguenda ergo pituita in naturalem, & excrementitiam, naturalis est dulcis & alimentaria, potestque coctione in sanguinem mutari, quinimò per inediam nutrit: hanc fieri in hepate non est dubium: excrementitia verò aut generatur in cerebro, ex vaporibus alimenti illic refrigeratis, aut in ventriculo, ex aqueo alimento & crudiore chyli portione, quam, vt vitetur confusio, non pituitam, sed aqueum, serosum aut pituitosum excrementum appello, quam quidem esse inutilem hoc demonstrat, quod appetitum deijciat, qui eadem vomitu reddita, recuperatur.

SCHOLION.

A

ATTRACTVM chylum iecur sanguifica facultate sibi congenita in sanguinem conuertit. Sanguinem cum dico, quatuor humores intelligo; neque enim refert si secundam coctionem αἱμάτωσιν *dixeris, an* χύμωσιν*: Vt sanguis purus distribuatur prouida natura supposuit cauis hepatis vesiculã, quæ fel sugat. Ex aduerso lienem, qui limo illum repurget, renes, qui serum emulgeant. Nutriuntúrne istius sanguinis excrementis? Distinctione opus est: nam cistis fellis nutritur sanguine quem per cysticas venas exugit. Fel enim exquisitè est amarum, nihil habet alibile permixtum: Atqui solis dulcibus nutrimur, amaris animalcula, vt vermes, interficiuntur. Itaque non nutritur felle: At lien & renes cum limo & sero alibilis sanguinis non nihil attrahunt, quod retinent sibi ad nutritionem, reliquum velut onus amandant: Interest quod cum corpus renum sit densum, non coctione, sed transfusione sola, & partium distractione sanguinem separant. Lien verò mollis, rarus, spongio-* B *sus, quem attraxit crassum & fœculentum sanguinem paulatim coquit, coctione alibilem portionem ab excrementis secernit: Illam retinet in alimentum, hanc verò ad ventriculum transmittit, si credimus Galeno ad iuuandam coctionem simul & retentionem alimenti: Ita enim scribit quintò de vsu partium: melancholicum excrementum ventriculum intendit, & contrahit in seipsum cogitque cibos exactè complecti & continere quousque fuerint percocti: Addit Auicenna tertiam vtilitatem, vt aciditate sua excitet naturalem famem. Acidis enim augeri famem, & appetentiam excitari quotidie experimur, dum & sanis & ægris languentem appetitum exsuscitamus acidorum vsu; vt omphacio, aceto, succo citri, & arantiorum, oliuis: Quinetiam* βουλιμίαν *excitat acidus humor si redundet in stomacho. Quo argumento me iudice refelli potest Cardanus qui existimat melancholicos omnium longißimè inediam perferre, videtúrque iniustè subsannari à Fuschio Auicenna, quod ad duas Galeni vtilitates hanc tertiam ad-* C *iecerit: Sed cur tam sollicita fuit natura appetentiæ in stomacho excitandæ? quia non tantum sibi, sed in communem vsum totius debet appetere.*

OMNES HVMORES SIMVL GIGNI & ab vno eodémque calore. CAP. IV.

QVÆRITVR vnde pendeat humorum dissimilitudo, ab efficiente, an à materia: Placet Gal. tertio de facultatibus naturalibus & Auicennæ fen. prima, primi canonis, bilem ab intenso calore gigni, pituitam à remisso, sanguinem à moderato, hoc argumento quod verè sanguis abundet, æstate bilis, hyeme pituita. Tum quòd in adolescentia sanguis do- D minetur, in iuuentute bilis, ætate inclinante melancholia, extrema & decrepita senecta, pituita. Fernelius verò potius tantæ varietatis causam refert in alimentum, quia non sit cõsentaneum eundem calorem eodem tempore & in eadem parte, contrarios effectus producere. Potest quidem idem calor solis linteum simul dealbare, & cutem denigrare, lutum indurare, ceram remollire: sed causa dissimilitudinis patienti accepta fertur, non agenti; estque sol agens vniuersale, hepar verò particulare. At alimento vt quatuor elementa sic quatuor humores continentur. Quid mirum igitur, si ab eodem agente terrestris portio in melãcholiam, aquea in pituitam, ignea in bilem, aeria & pinguis in sanguinem vertatur? Age verò faciamus villicum florente ætate & robustum vesci allijs, porris, cæpis, denique valde calidis & in bilem mutari paratis alimentis, biliosúsne calor ex biliosis alimentis nihil præter bilem ef- E ficiet? absit: sed quatuor simul humores procreabit, quamuis chylus maiore sui parte esset biliosus, ergo quamuis frigidum sit iecur, nihilominus bilem, quantumuis calidum, pituitam plus minus pro varietate alimenti procreabit. Non enim negarim ex eodem alimẽto iecur calidum plus bilis gignere quàm frigidum, sed vt plurimum intensio & remissio caloris pendent à varietate alimenti, hyeme enim propter ἀντιπερίστασιν, augetur calor hepatis, abundat tamen pituita, propter frigus alimenti, cuius causa difficilius coquitur. Nam qualitate sua retundit vim caloris: Substantia verò compacta (quia frigus constringit) magis resistit: Quid multa? efficiens quidem plurimum potest in humorum generatione prout intenditur, remittitur aut temperatur, plus tamen potest materia, quia calor est ὁμογενὴς, materia verò quamuis ad

sensum

A sensum similaris, substantia tamen & compositione est heterogenea, nisi ita malis: Humores naturales ab eodem calore eôque temperato simul, & eodem tempore effici, non naturales verò ab intenso aut remisso: Aut humorum differentiam pendere quidem ab alimento, verùm potiùs à calore: Demonstratio Galeni est eiusmodi: Si mel bilem gigneret, non intensus calor: in naturis omnibus peræquè bilesceret, at qui in calidis tàntum, non in frigidis naturis vertitur in bilem: ergo potius ab efficiente quàm à materia dependet humorum dissimilitudo. Audiendi autem non sunt qui quatuor humores eiusdem esse naturæ nec specie differre contendunt; sed intensione tantùm & remissione caloris: Pituitam quippe esse crudum, bilem, feruidum sanguinem. Atqui intensio & remissio non faciunt species differentes. Proinde non erunt quatuor humorum differentiæ: Quod quàm sit absurdum demonstrant humores à natura alieni. Non enim dicuntur contra naturam, quòd sanguinis temperiem excedant aut ab illa deficiant, sed quòd ab humore naturali degenerent, vt bilis

B vitellina quæ est similis vitellis ouorum consistentia & colore, à naturali bile. Pituita vitrea, frigore, gipsea crassitie, à dulci & alimentaria distinguuntur. Sunt igitur quatuor humores non tantum materia, sed enim forma, proinde specie & tota essentia differentes.

SCHOLION.

AN vnus & idem calor simul & eodem tempore tam differentes humores producit, an potius remissus pituitam, intensus bilem, temperatus sanguinem? Respondetur: pituitam quidem excrementitiam fieri ab imbecillo calore, bilem contra naturam ab immoderato: sed quatuor humores naturales, fieri ab vno & eodem calore: causam tamen

C tantæ dissimilitudinis acceptam potiùs ferendam materiæ dissimili: Cum enim chylus constet quatuor elementis quæ quatuor humoribus proportione respōdent, ignea portio bilescit, aquea pituitescit, terrestris in humorem melancholicum vertitur, aeria & pinguis in sanguinem. Quod enim idem calor solis contrarios effectus simul producat, vtpotè, induret lutum & ceram emolliat: tribuendum est materiæ potius quam efficienti.

VT SANGVIS A IECORE DELAPSVS per venam cauam in omnes corporis partes diffundatur.

CAP. V.

NON est in homine particula quantumuis exigua quæ non testetur pru-

D dentiam sui opificis, hoc tamen in primis mirādum, quòd sanguini singulis partibus in alimentum distribuendo, innumerabiles tubos creârit, quibus non aliter quàm ab hortulano plantæ, totum corpus irroretur: Nam partes in quarum substantiam nullæ venæ aut arteriæ feruntur, vt cerebrum, nutriuntur transsumptiuè, trahendo ex venis vicinis alimentum. Est igitur vena ab vsu & officio potiore potius definienda instrumentum ἀναδόσεως, quàm perficiendi sanguinis cum actuario. Ita enim mihi persuasum est, Auicennam vim sanguificam non aliam venis tribuisse ab ea, quam ab hepate recipiunt. Coctio enim illa sanguinis, quæ fit calore, spiritu & proprietate venarum, est tantum præparatio ad assimilationem, ita enim diximus cuiusque coctionis propriam esse præparationem. Vt vt sit, sanguis dilutus sero (quod propterea Hipp. alimenti

E vehiculum definiuit) à cauis hepatis ad conuexa, inde ad venam cauam ascendentem & descendentem mittitur, vt hac inferas, illa suparas partes nutriat. Serum defunctum hoc officio, per eosdem tubos remeat ad venam cauam, inde à renibus per venas, & arterias veluti emulgetur (ob id emulgentes nominantur) per vasa tam ampla cum sero permixtum sanguinem, prolectant, quem pro alimento retinent: Serum verò vt excrementitium & inutile per vreteras in vesicam deponunt. vt concipias secretionis modum, dissecti renis opificium diligenter contemplare: videbis enim illic percolari & veluti è stillicidio stillare: In vesicam delapsum, ne remeet, impedit ductus obliquitas (quibusdam videtur superpositum operculum:) quantitate aut qualitate molestum; eo modo redditur quo stercus: est enim mictus motus naturæ potius quàm animæ. Nam musculo rotundo continetur, vt proluuies alui sphinctere, quod est opus animæ, quo relaxato transuersis fibris se comprimit ad

excretionem, quod est opus naturæ. De secundis alimentarijsue humoribus quamuis alibi à nobis scriptum sit, non erit tamen alienum noua quædam inserere: Vt an A
sint: Nam Aristot. secundo de partibus, sanguinem appellat vltimum alimentum, & sanguine partes omnes nutriri Galenus millies inculcauit. Respondetur alimentarium humorem nihil esse præter sanguinem magis elaboratum. Verùm inde noua quæstio emergit, differántne specie à sanguine? Non videtur, quia humor alimentarius sit sanguis alteratus, solúmque immutatus, tantum abest vt differant specie insitus humor, ros, gluten, cambium: reuera videtur mihi vnicus humor, caloris tantum & coctionis gradibus distinctus.

SCHOLION.

Sanguis eo quo dixi modo depuratus distribuitur ad nutritionem partium omnium, qui cum fit coctione incrassatus ne tardius venas permeet, diluitur sero: quod Hippocrates idcirco vehiculum alimenti nominauit: Erasistratus apud Plutarchum quinto sympofiacωn eadem ratione potum appellat cibi, præsertim solidioris, vehiculum: Cum sanguinem ad partem nutriendam perduxit, nisi soluatur in sudores, refluit in venam cauam, vnde à renibus emulgetur, & in vesicam refunditur. Quæsitum est an vrina sit excrementum renum, negat Gal. aduersus Lycum, quia excrementum propriè dicitur quod coctione ab alimento separatur, atqui renes propter substantiæ densitatem separant serum à sanguine, transfusione non coctione, itaque vrina non est renum, sed hepatis, non tertiæ, sed secundæ coctionis excrementum: verùm natura ad anadosim prius vtitur sero, quàm per colatum, fiat lotium, vt felle ad irritandam excretricem, fæce ad appetentiam excitandam. Interim dum sanguis venas permeat resudat semper aliquid, roris instar, quod singulæ partes assumunt pro alimento. C

QVOT COCTIONVM GENERA, QVIS cuiusque proprius sit humor, Quod excrementum.

CAP. VI.

Non est necesse, quid & quotuplex sit coctio repetere, de loco tantum secundæ coctionis, quia inter Aristotelem & medicos non constat, inprimis differendum est. Placet enim Aristoteli sanguinem in corde fieri, non in hepate, quia vt vitæ, ita nutritionis, proinde sanguinis sit fons, & principium. A cuius opinione tribus argumentis abducor, primo, quia totus sanguis non fertur ad dextrum sinum cordis, vtpote qui per lumbos à vena caua descendit ad nutritionem partium infernarum; nec venæ portæ vlla est communio cum corde: Adde quod pisces etiamsi abundent sanguine, nulla tamen vena in eorum cor inseritur. Secundo, quòd illic pateant valuulæ ad excipiendum, non ad transmittendum. Tertio, quòd vmbilici venæ, per quas fœtus nutritur, implantantur iecori, non cordi. Accedat, vitalis quidem facultatis non altricis animæ principium esse. Occurrit secundo loco quærendum, an omnis coctio fiat incrassando. De pepasmo non dubitatur, sed πέψις videtur fieri tenuando, quia chylus alimento tenuior est, sanguis chylo, ros sanguine. D

Sed notandum est secretionem præcedere, id autem quod secretum est dum coquitur, incrassari: Quare non esse sanguinem cum chylo, nec rorem cum sanguine conferendum, cum ros secretus à sanguine dum coquitur fiat crassior, ita de sanguine dixeris. E

De cuiusque coctionis excrementis, quæ controuerti solent, tertio loco exponamus. Vrina videtur Aristoteli excrementum primæ coctionis, quia materia potulenta seri forma ad hepar illius opinione traijcit. At multa animalia meiunt quæ non bibunt, vt glires & cuniculi, ergo potus non est substantia vrinæ: sed herbis humidis nutriuntur, ex quibus in hepate seri copia educitur. Medicis ergo placet esse excrementum secundæ coctionis, quia vt in generatione, sic in coctione natura humida siccis permiscet, continétque chylus vtrumque confusum & indistinctum. Secernitur autem dum à renibus per venas & arterias emulgentes attrahitur: Vnde nata est altera quæstio, an vrina fiat in hepate, an verò in renibus. Responsum tandem

dem est & conclusum, fieri in hepate materialiter, in renibus verò formaliter, non
A enim prius formam & denominationem accipit quàm fit in renibus percolatũ. Vnde ab Actuario in libro de vrinis colatura sanguinis definitur. Sudoris & vrinæ communis est materia. Nam serũ quo sanguis per venas vehitur, nisi refluat, resoluitur in sudores. Vnde nata quæstio. Sítne sudor secundæ an tertiæ coctionis excrementum. Nam si in hepate genitum sit serum, & inde ad vsum communem in venas transferatur, non potest esse excrementum tertiæ coctionis, quandoquidem coctionem sequitur, non præcedit excrementum. An vt vrina fit in renibus formaliter, ita sudor in venis capillaribus, vtrumque verò in hepate materialiter? Nam quemadmodum serum non appellatur nomine vrinæ, donec in renibus fuerit à sanguine secretum, ita non meretur nomen sudoris, priusquam in exiguis venis tertia coctione ab alimentario sanguine fuerit separatum. Præter communia illa, singularum partium
B propria sunt excrementa: Vt cerebri, crudus ille & aquosus humor qui per nares & palatum destilat, quem non potius velim dici pituitam, quàm quæ fit in ventriculo ex crudiore chylo, quia calore cocta & elaborata ista aqua, mutatur in tophum, non in sanguinem, cùm tamen ex pituita cocta fiat sanguis, eáque per inediam nutriamur: Nisi fortè generalius omnem humorem frigidum humidum pituitam appelles, quod veteribus vsitatum scribit Galenus lib. 2. de Differ. febr. cap. 6. Si quis primæ coctionis cruditatem, pituitam nominare velit, non destituetur patrocinio: Nam Galen. lib. 3. de Temperamentis, & Comment. in lib. Hippocratis de Natura hominis, nominatim appellat pituitam, manifestius libro de Atra bile: Prima (inquit) coctione fit pituita in ventriculo, ex alimento crudiore, quam cùm calor in sanguinem mutare possit, non fuit necesse vt bili & melancholiæ, ita pituitæ repurgandæ,
C proprium instrumentum à natura fabricari.

SCHOLION.

CVR ineuitabilis excrementorum prouentus? quia nihil est tam simile nobis quod non habeat aliquid dissimile: Caloris autem est cogere homogenea & separare heterogenea, quod præstat singulis coctionibus: Primæ excrementum est siccum & feculentum, idque aliorum comparatione multum, quia alimenta quibus nutrimur abundant terra: Alui ista proluuies, stercus nominatur. Secundæ coctionis tria sunt excrementa, fel, limus, & vrina. Tertiæ totidem, duo crassa, sudor & sordes, & vnum tenue, quod specie halitus per insensilem transpirationem assiduè difflatur: Diocles contendebat sudorem accidere præter naturam, nec
D *sanos vnquam sudare nisi à morbifica causa præsente aut imminente: Sudorem enim vehementi exercitio, ardore solis, balneo, hydrotico assumpto, aut hypocausto excitatum, esse violentum: Sudor criticus accidit ægris à morbifica causa: denique perfectè sani non debent sudare. Idem memini me legisse apud Zenophontem in Institutione Cyri: Persæ, inquit, turpe existimabant spuere, quia sputi materiam exercitio & frugali vita consumi volebant.*

DE SANGVINE, VTQVE IS CONsistat in venis. CAP. VII.

ET non sunt in vniuerso elementa pura, sed confusa ad generationem mixtorum, maximè verò ad hominis, cui creata sunt omnia, commoditatem. Quia terra siccissima neque aqueo humore perfusa, nihil pro-
E duceret, neque nutriret. Ita sanguinem in hepate purum & immixtum generari non expediebat, quia his nutrimur, quibus constamus. Sunt autem sensibilia & coniuncta ortus nostri duo principia, semen igneum & aereum, tum sanguis maternus, aqueus & terrestris, nec dubium est quasdam partes ex biliosa menstrui portione, vt pulmonem: alias ex pituitosa, vt cerebrum: alias ex melancholica, vt lienem: alias ex propriè dicto sanguine, vt carnem musculi & hepatis generari. Iisdem igitur alimentarium sanguinem constare necesse erat. Enimuero si alimentum sit mixtum, & quatuor elementis temperatum, proindéque chylus qui illius coctione nascitur, partibus constet heterogeneis, ignea, aeria, aquea, terrestri. Quis inde vnius naturæ sanguinem exoriri putet? non potius ex terrestri portione melancholicum, ex aquea pituitosum, ex ignea biliosum, ex aeria &

temperata cum, qui simpliciter sit sanguis? Quorum omnium vsus homini vsque adeò necessarius est, vt vno planè sublato, protinus animal è viuis tolli Hippocrates existimet lib. de Nat. hom. Age verò non vno & eodem sanguine partes omnes nutriri popularius demonstremus, etiamsi Aristot. 2. de historia animalium existimet, solùm sanguinem nutrire, solùm concludi venis: Cæteros humores esse tantum sanguinis excrementa, non alimenta. Partium omnium non est vna natura, sed diuersa sunt, vt suo loco docuimus, temperamenta: At videmus plantas succo, non eodem nutriri, sed brassicá salso, absinthium & colocynthidem amaro, oxalidem acido, arundinem Indicam, quæ fert saccharum, dulci: ergo partes omnes non potest idem succus nutrire, sed singula suo temperamento congenerem requirunt. Placétne sensu demonstrationis veritatem cōprobemus? Vt Paracelsus dehinc mutire non audeat, desinatque nos qui ex Hipp. & Gal. præceptis medemur, humoristas tanquam inani titulo, cui res non subsit, nominare. Frustra enim aduersus hominem subtilius philosopharemur, qui bonas artes de limine numquam salutauit, nec in Philosophiæ rudimentis solidum fixit vestigium. Aperta vena mittatur sanguis, excipiatur vasculo, subsidebit mox crassa & fæculenta portio, innatabit tenuis, subflaua, spumosa, vtrique interiacebit rubra, vt loco ita consistentia media, omnibus admixta crudior portio: non est igitur sanguis similaris, sed tota massa ex differentibus humoribus conflata. Quòd si quæ per crises in morbis biliosis, melancholicis & pituitosis excernuntur diligēter inspexisset, si quæ vi medicamentorum educuntur, si tumorum & abscessuum differentias considerasset, puduisset illum tam impudentis propositi. Dato enim eo quòd sit contra naturam, alterum quòd sit secundum naturam necessariò ponendum est. Sed cur laboro in eo refellendo, quem omnes Academiæ vt hominem natum in perniciem generis humani, iuratum & capitalem hostem veritatis, humanæ vitæ & sanitatis temerarium periclitatorem de suis Scholis exegerunt? Redeo ad institutum: sanguis ab alijs humoribus hoc internoscetur signo: quòd solus, vbi primùm è vasis exciderit, concrescat, & in grumum vertatur: concrescit autem ratione fibrarum, non aliter quam lac coagulo, quod Hippocrates & Aristoteles hinc demonstrant, quòd numquàm concrescat, cui vel ademptæ sint fibræ: vel à natura denegatæ, vt ceruorum, damarum, & camelorum. Obiicit Fernelius, si careret fibris, non nutriret: quia nutritionem præcedit concretio: habet igitur aliquas, quamuis paucas, quas accipit à ventriculo: Hic cùm sit neruosus & fibrosus, prima coctione chylo suæ substantiæ imprimit vestigia: sanguis tauri epotus, præsens est venenum, quia cùm sit valdè fibrosus, non tantùm ipse illicò concrescit, sed reliquum sanguinem coagulat, tale quiddam morbo contigisse Fernelius in dissectò cadauere obseruauit. Themistocles taurini sanguinis haustu sibi ipse mortē attulit, & exul vitam finiuit. Midas author e Plutarcho eodem veneno seipsum peremit.

Hippocrates 4. De morb. pro humore melancholico nominat aquam cuius sedē cū ponit in liene intelligit melācholiam dilutam quæ hydropem creat.

SCHOLION.

NVTRIMVR mixtis, quæ constant quatuor elementis, ex quibus hepar totidem humores producit, ex ignea portione bilem, ex aquea pituitam: ex terrestri melancholiam, ex aeria, sanguinem: Itaque falluntur inquit Gal. lib. de plenit. quicunque putant solùm sanguinem venis contineri: Hippoc. non minus necessarios ad vitam existimat tres alios humores quàm sanguinem, vnóque per Diarrhæam excreto, vitam eripi constanter asseuerat: Non desunt tamen qui cum Aristot. solum sanguinem venis contineri contendunt, quia solus nutrit. Cerebrum enim non nutritur pituita, sed pituitoso sanguine, nec pulmo bile, sed bilioso sanguine. Humores alij à sanguine, sunt extra vasa, potißimum suis conceptaculis conclusi, vt bilis in sua cysti, melancholia in liene, pituita in ventriculo, vnde à medicamentis attrahuntur: Distinguuntur hac potißimū nota, quòd sanguis qualiscunque fuerit, melancholicus, biliosus, aut pituitosus vbi primum excidit è venis, concrescit; humor numquam: Sic primo deiectionum intuitu poßis internoscere si sanguis an humor melancholicus sit reiectus, coagulatur autem ratione fibrarum quas accepit à ventriculo: Hepar enim fibras non habet. Eam ob causam fit, vt insigne vitium primæ coctionis secunda non emendet: Crudior enim chylus caret fibris sine quibus, vt non concrescit, ita nutrire non potest: Multi plethorici, quamuis abundent sanguine, atrophia contabescunt, quia valdè imbecillo sunt ventriculo: Quæret

aliquis,

A *aliquis, quidni sanguis concrescit in venis cum sit illic fibrosus, venæ ipsæ fibrosæ? Fernelius hoc attribuit proprietati substantiæ venarum à natura concessæ: Aristot. responderet vnumquodque conseruari in proprio loco, locus enim locato est instar formæ: Atqui vena est locus sanguinis, itaque illius est conseruatrix.*

SANGVINEM IN VENIS NON TRIVM, sed quatuor humorum permixtione contineri, quotque eius sint differentiæ. CAP. VIII.

NON tantùm sanguis laudabilis est alimentarius, sed etiam qui à natura recessit. Interest tamen, quòd ille bene nutriat, hic vitiosè, vt in vtroque ictero, vel vtraque lepra, alba & nigra. Non desunt, qui sanguinis
B appellatione pituitam & vtrámque bilem contineri, nullumque in nobis esse purum, & propriè dictum sanguinem, lactis similitudine demonstrent. Vt enim à butyro, caseo, & sero, aeria, terrestri, & aquea portione, nulla est distincta quæ lac nominetur, sed vno lactis nomine tres illas substantias simul designamus. Ita sanguinem cùm dicimus tres tantùm humores indicari existimant: possunt eodem exemplo docere, non omne mixtum constare quatuor elementorum permixtione, quia in lacte nulla sit ignea substantia. Nos verò quasdam partes, vt carnem, eo qui propriè sit sanguis nutriri iam docuimus. Cumque succus melancholicus per se sit niger, bilis, flaua, pituita, alba: vnde quæso rubor massæ sanguinis accedit, si non à rubro & vero sanguine? Qui tantum abest vt desit, cum cæ-
C teros copia longè superet: ea enim proportione natura humores dispensauit, vt sanguineis animalibus plus dederit sanguinis, quia illius ad vsum vitæ maior erat necessitas, deinde pituitæ, tum melancholiæ, minimum bilis, Aphrodisæo tamen reclamante. Cuius rei ex eo coniecturam facimus, quòd lienem dicatum melancholiæ repurgandę, natura capaciorem fecerit cysti fellis: tum quod limus copiosior in fundo vasculi subsideat quàm flos natet in summo: Accedat ossa esse plura ducentis, quę omnia crassiori sanguine nutriuntur. Quid multa? vt sanguis esset temperatus, humorum & qualitatum omnium permixtione constare debuit, qui elementis proportione responderent. Quomodo autem sint in massa, actu an potentia controuertitur. Ego, vt elementa quatuor in mixto, potentia tantùm & indefinitè illic esse existimo. Id enim est actu quod definitè, id autem definitè est, quod propriam formam retinet. At humores in venis formas & qualitates non potius retinent, quàm simpli-
D cia in composito medicamento. Neque enim bilis illic est amara, melancholia, acida, alioquin totus sanguis amaresceret, qui tamen dulcis sentitur, sed vt ex qualitatum elementarium proportione forma mixti consurgit, sic ex omnium humorum iusta temperie nascitur naturæ & vitæ conueniens quædam qualitas, quæ non est huius, nec illius, sed simul omnium, cuius causa totus sanguis dicitur temperatissimus. Si quis obiiciat cholagogo bilem, plegmagogo, vt agarico, pituitam, melanagogo, vt senna, melancholiam vacuari: Quod autem secernitur, prius adfuisse. Idem obiicit, ac illi qui quatuor elementa contendunt esse in mixto, quia post dissolutionem in proprias sedes & naturas redeunt. Neque enim nos negamus esse, sed potentia, non actu.

Quid autem sit potentia, quid actu inesse, qui non intelligunt, magnas dissen-
E siones excitant: An medicamentum de venis humores non trahit, sed de conceptaculis, vt liene melancholiam, bilem de cysti, pituitam de cerebro & ventriculo, aut extra vasa præter naturam consistentem? Nam corpus sanum medicamentum liquefacit, quia non habet in quod agat. Totius quippe sanguinis natura est sollicita, nec minore cura bilem pulmoni, quàm sanguinem carni retinet. An in vasis indefinitè non bilis, pituita, melancholia, sed sanguis biliosus, pituitosus, melancholicus distinctius dici debet: bilis verò melancholia & pituita in conceptaculis, aut extra vasa? Nam si per febres biliosas aut pituitosas sanguis causa quadam interna, vel externa factus est biliosior, aut pituitosior, nónne multò potiùs in sanis & minore confusione ita nominabitur? Non naturalis autem dicitur sanguis, qui à sua temperie recessit, à qua si leuiter defecerit, adhuc nomen sanguinis retinet: si verò longissimè, vt in alteram naturam degenerat, ita diuerso nomine appellatur.

SCHOLION. A

QVI negant esse ignem elemẽtarem mixta tribus tantum elementis constare coguntur confiteri: proinde tres tantum humores illis analogos venis contineri: quod declarant lactis similitudine, in quo tres tantum substantiæ obseruantur, butirum, caseus, & serum, verum hoc exemplo non efficiunt quod volunt, quia lac nihil habet fellis, ne amarum & alendo ineptum reddatur. Habet tamen cremorem propriè dicto sanguini analogum, vt serum pituitæ, caseum succo terrestri. Itaque demonstrant fel abesse à massa, non alimentarium sanguinem, quod erat illis demonstrandum: verùm quid futilius quàm à massa sanguinis sanguinem tollere? Cùm enim pituita sit alba, bilis flaua, melancholia nigra, vnde rubor toti massæ si nõ à sanguine! Sit igitur hoc ratum quatuor humores venis contineri ea proportione vt plurimum sit sanguinis, deinde pituitæ; qua de re nemo ambigit: ve- B *rùm sitne plus bilis an melancholiæ controuertitur. Aphrodisæus secundo problematum contendit minimum esse melancholiæ, quam sententiam defendit Rabi-moses, auctoritate Galeni: verum Fernelius duobus argumentis probat minus inesse bilis, Primò quia Gal. sanguinem comparat musto, Atqui plus subsidet fæcis quam natet floris, minimum igitur bilis continẽt sanguis: Secundò, quia natura nil facit frustrà: Atqui fecit longè maius & capacius instrumentum quòd lieni repurgando destinauit: Itaque verisimile est plus inesse melancholiæ quam bilis: cur bono dices, fel posuit in massa cum amara non nutriant? An vt felle veluti sale conditus sanguis auidius appetatur? An vt sanguis, alioqui crassior, attenuetur vt quoquouersum facilius peruadat? Fortassis pulmo biliosi sanguinis, hoc est cui bilis permixta est, dulcem portionem attrahit, amaram, vt excrementum relinquit, vel si bilem trahat in alimentum simul cum sanguine, illa alterius est naturæ quam fel quod cysti continetur, vt excrementum bilis naturalis: Quòd si* C *quæret aliquis, vt cum pauco felle multum lac amarescat, sanguis dulcis sentiatur? An amaror pauci fellis larga dulcedine sanguinis obtunditur, præsertim cum bilis naturalis nõ ita sit amara ac suum excrementum: An potius tres humores sunt in massa potentia non actu, veluti mancipati sanguini, qui non aliter in sanis prædominatur quàm qualitas quæ vicit in mixtione? An sola dulcia nutriunt; hoc est quæ habent aliquid dulce quod partes secernunt ab amaro? an amara coctione tandem dulcorantur?*

PITVITÆ ET VTRIVSQVE BILIS differentiæ. CAP. IX.

HVMOR Physicis est illa aeris & aquæ patibilis qualitas, aliena superficie, non sua, terminabilis, cuius dominatu liquida & mollia omnia facilè cedunt tangenti. At Medicis liquidum omne, quod corpore nostro continetur, serum, mucum, vrinam, sudorem, sputum, sordes, sanguinem, pituitam, vtrámque bilem, in more est humorem appellare, Auicenna specialius definit corpus fluidum in quod alimentum primo vertitur: est autem humor omnis alimentarius, aut excrementitius. Alimentarius aut est primus, nempè sanguis: aut secundus, insitus scilicet, tos, gluten, cambium: excrementitius verò est naturalis, aut contra naturam. Appello naturalem, qui fit naturæ instituto à causa naturali: Hic partim est vtilis, vt fel ad irritandam aluum, & detergendam ab intestinis pituitam, aut acida melancholia ad appetentiam excitandam: partim inutilis, vt stercus, lotium, sudor. Non naturales verò dicuntur, qui E præter institutum naturæ à causis non naturalibus gigni solent: vt bilis vitellina, porracea, æruginosa, glastea, atra bilis, quæ fit omnium humorum putrefactione, adustione, vel incineratione. Item pituita acida, salsa, aut ratione materiæ & consistentiæ tenuior, crassior, vitrea, gypsea. Bilis ergo, vt omnia contraham in pauca, & facilius exponam, vel est alimentaria, quæ sanguini permixta est ad nutritionem partis biliosæ, vt pulmonis: quæ colore est flaua, aut propter admistam pituitam pallida, substantia sua tenuis & ignea, proinde calida sicca: pallidam facio naturalem, & alimentariam: quia, vt scribit Galenus 10. Simpl. & lib. de Atrabile, bilis quæ in naturis calidioribus est flaua, in frigidioribus pallida est. Bilis, inquam, vel est alimentaria, vel excrementitia, eaque vel vtilis, quæ continetur cysti ad iuuandam excretionem fæcum: aut præter naturam, vt vitellina, sic dicta, quòd

A colore & consistentia sit similis vitellis ouorum, quam facit ex flaua per adustionem retorridus calor: ille enim dissipata parte tenuiore pro flauo colore inducit igneum. Vnde patet, male Auicennam, fen. 1. eius causam & originem referre in admixtionem pituitæ, aut melancholiæ. Sic enim, vt diximus, pallida bilis nascitur, non vitellina, quam cùm sensus ipse ardentem deprehendat, mirum cur humorum frigidorum permixtione eam constare iudicarit. Hinc bilis maioris & minoris famæ, quæ febrium peperit differentias. Nam à pituita bili permixta, quæ maioris est famæ, & frequentior, tertianam notham: A melancholia bili permixta, quæ est bilis minoris famæ, quia rara est talis coniunctio, quartanam continuam oriri existimat. Caloris intentione vitellina mutatur in porraceam, deinde eadem causa in æruginosam, tandem in glasteam, ad quam referenda est cærulea. Est enim glastum cœruli coloris.
B Omnes autem, porraceam dico, æruginosam, & glasteam, vno viridis nomine possis comprehendere hoc tantùm constituto discrimine, quòd glastea ad nigrum magis inclinet: fiunt autem vt plurimùm in calidiore ventriculo propter frequentiorem vsum alimenti calidioris, vt salsi, acris, piperati, porri, alij, sinapi: Iuuant plurimùm causæ externæ quæ calfaciunt, & exsiccant, vt exercitatio vehementior, insolatio, vigilia, inedia. Hactenus de bile, nunc de succo nigro.

Galenus crassam & terrestrem portionem sanguinis, quæ quartum humorem constituit, μέλανα χυμὸν appellat, vt μέλαιναν χολὴν, atram bilem, eum qui fit contra naturam, qui solus melancholiæ nomine propriè significatur. Ita enim ille ad finem lib. 1. de Temperamentis: Senes non sunt melancholici, quia sunt frigidi, melancholia autem est calida sicca. Differunt autem vt fæx vsta à non vsta: nam succus niger, vt terra, est frigidus siccus: atra bilis, calida sicca, quia in adustis omnibus, vt in calce
C & cineribus, permanent ignis reliquiæ, quas Græci ἐμπυρεύματα appellant, Latini igniculos: Aristoteles ergo ad succum nigrum respexit, quando lib. de Somno & vigilia scripsit melancholiam esse φύσει ψυχρὸν: vtrámque tamen nigram esse memineris, quia nigror contingit contrarijs causis, aut à frigore per condensationem, quomodo nubes, quò densior est, eò nigrior, pellucentia abeunte ob spissitudinem: Aut per adustionem, vt carbo, Aphrodisæus Problemate 92. vtrumque ab effectis separauit: humor enim melancholicus vlcera facit, non maligna, aut erodentia, placidámque melancholiam inducit: At atra bilis in mammis cancrum, in crure vlcus chironium, quod Nomades à depascendo nominárunt, profert & exuscitat. Trallianus quartanam febrem, quæ primò inuadit, & quam securam dixit Hippocrates, fieri vult à succo nigro: symptomaticam verò, quæ succedit continuis & ardentibus
D febribus, bile flaua tandem in atram degenerante, ab atrabilario. Age ergo, cum Fernelio confusionem omnem distinctione proposita discutiamus: Melancholicus humor aut est alimentarius, aut excrementitius: hic vel vtilis, qualis acidus, quem lien trahit, & ad ventriculum transmittit: aut contra naturam, qui fit omnium humorum, succi nigri, bilis, sanguinis & pituitæ salsæ putredine, adustione, incineratione. Cur enim Hippocrates lib. 2. Prognost. impetiginem, lepram, scabiem, pruritum, scribit fieri ab humore melancholico, libro de morbis, à pituita salsa? Respondetur, pituitam salsam facilè degenerare in melancholiam: quare ex hac, vt proxima, illa vt remota materia, generari. Omnium pessima, quæ fit ex flaua bile: adeò enim est acris, mordax, erodens, vt in terram si ceciderit, illam fermentet, & in bullas attollat. Ab hac quæ fit dysenteria, lethalis, & deiectiones nigræ
E lethales, quia aut fiunt extinctione caloris, aut humorum adustione. Galenus lib. de Atra bile, cap. 3. affirmat se non vidisse vnum, qui nigra deiecerit, & seruatus sit. Quod intelligendum est de bile exquisitè atra: nam sæpe per vomitum & per aluum succus niger redditur salubriter: quia natura illius copia grauata sese criticè, & periodicè exonerat: Hocque naturæ robustæ est signum in morbis & naturis melancholicis.

Obiter tractanda non vulgaris quæstio: Cùm melancholia sit terrestris, crassa, frigida, sicca, proinde ad motus omnes tam animæ, quàm corporis inepta. Mirum, cur Aristoteles melancholicos dixerit esse ingeniosos: An ingenij vna vis cernitur in celeriter addiscendo, altera in constanter retinendo: hac autem excellunt melancholici? Quia siccitas necessaria est ad retinendum, vt humiditas ad facilè memorandum. Ob id enim melancholici sunt obstinati, pertinaces, opinio-

ne immobiles. An altero problemate quæstionem explicauit, dum eosdem εὐστό- A
χους appellauit? Vt enim sagitarius frequenti eiaculatione tandem attingit cyno-
suram: ita melancholici varia rerum & notionum agitatione verum assequun-
tur. Qua causa, melancholicorum veriora sunt insomnia. Adde frequenti mo-
tu cerebrum incalescere: An melancholia non frigida, sed temperata & bile per-
fusa addit ingenium? nam haud dubiè biliosi habent celeres animi motus, quos
melancholia veluti frænat & cohibet: An melancholia quædam est ὑπὲρ φύσιν, supra
naturam, animalis veriùs, quam naturalis, qua præditi, ἐνθουσιαστικοὶ nominantur?
Hoc enim sensu Plato videtur in Ione, vates, Prophetas, Sibyllas, somniorum
interpretes, melancholicos appellare. Phauorinus apud Gellium appellat He-
roûm Pathos.

Pituita aut est alimentaria, aut excrementitia, hæc vtilis, vel inutilis. Vtilis vt B
serum, quo sanguis pro vehiculo diluitur, inutilis diuiditur in acidam & salsam. Aci-
da fit à cruditate, eo modo, quo crudum pomum est acidum, salsa verò putredine,
aut bilis vel seri ea permixtione & proportione, vt pituita vincat, alioquin amaro-
rem, non salsedinem præ se ferret. Ratione autem materiæ seu consistentiæ quatuor
habet differentias: est enim tenuis, vt ichor: vel crassa, vt mucus: vel vitrea, quòd
vitro fuso colore & consistentia sit similis, quæ colicos dolores & intollerabiles cru-
ciatus excitat, vel gypsea, quæ in articulis ad calculi duritiem concrescit.

SCHOLION.

HVMOR *est corpus liquidum natum ex mixtione quatuor elementorum: qui aut* C
est naturalis aut contra naturam. Naturalis, alimentarius vel excrementitius,
excrementitius inquam, vtilis vel inutilis: vtilis vt fel ad detergendam ex inte-
stinis pituitam, & irritandam excretricem: limus ad appetentiam excitandam:
inutilis vt vrina, stercus, sudor. De naturalibus primo loco differemus, vt qui
sint contra naturam facilius cognoscatur. Bilis alimentaria fit ex tenuiore portione chyli: An
ab immoderato calore vt visum est Galeno: an potius à temperato vt Fernelio iam disputatum
est, naturam redolet sui parentis. Est enim in qualitatibus calida sicca, in substantia tenuis & le-
uis, colore flaua, sapore amara, si humor quomodo sicca? Nihil vetat quidpiam esse actu humi-
dum, potentia siccum: Quæ ab istis conditionibus degenerabit non naturalis iudicetur, & quo
longius ab illis aberit, eo magis aduersabitur naturæ: cur vitellina non est naturalis? quia
consistentiam habet crassam, & exquisitè fulua est, similis vitello oui veteris, non recentis: D
Crassescit autem, si credimus Auicennæ, humoris frigidi & crassi, vt pituitæ, & melancho-
liæ; permixtione: Alia fuit Galeni sententia; contrarijs causis inquit commentario ad secun-
dum prognosticôn humor crassior redditur, vel frigore cogente vt pituita, vel calore resoluente
vt bilis vitellina, resolutis enim partibus tenuioribus, id est sero bilioso, & crassiore remanente,
ex naturali bile, fit vitellina, vt scribit lib. de atra bile: resoluitur autem à calore vehementi: co-
lor fuluus pugnat pro Galeno contra Auicennam. Quo loco generetur bilis non naturalis non sa-
tis conuenit inter doctos. Auicenna putat partim in ventriculo; partim in venis generari; quæ
fuit sententia Gal. Ita enim scribit lib. de atra bile: Bilis pallida, flaua, & vitellina in hepate &
venis generantur, porracea verò, æruginosa, & cerulea partim in hepate & venis, partim in ven-
triculo ratione alimenti, vt betæ, braßicæ, porrorum, cæparum: In venis à calore adurente. Por-
racea nonnumquam à sanis reuomitur etiam quibus temperatus est ventriculus, non vitio calo-
ris, sed alimenti: propterea quidam non absurdè eam nominarunt pituitam viridem. Est enim si- E
milior pituitæ, quam bili: Si quando videas bilem flauam reuomi, coniectura est eam ab hepate
ad ventriculum confluxisse.

Quæri solet si vt elementa, ita quatuor humores vicißim transmutentur; respondendum ge-
nerationem humorum esse rectam non reciprocam, vt elementorum: ex pituita enim fieri potest
sanguis, qua ratione pituitosi, longißimè inediam ferunt: ex sanguine bilis flaua, ex flaua atra,
non vicißim ex fulua regenerari potest flaua, ex flaua sanguis, ex sanguine pituita: potest quidem
vsu refrigerantium ardor bilis temperari, aut ex non naturali fieri naturalis, sed in sanguinem
mutari nunquam.

A
DE ANIMALIBVS FVNCTIONIBVS.

CAP. X.

HÆc eò pertinent, vt demonstret spiritum animalem esse primum animæ in obeundis functionibus instrumentum, qui pro varietate functionum diuidi possit, & diuersis nominibus, vt visiuus, sensorius, motorius, appellari.

Duo itaque corpora.

Corpora læuia ictu sonant, caua reflexione: Aer enim sonorus rectà fertur, nisi
B reflectatur, quomodo in locis cauis & cauernosis fit Echo: non videtur autem collisione solidorum semper sonus excitari, quia de viridi ligno crepitante flamma oritur, rupta castanea strepit, in nube ingens strepitus excitatur, non aliter quàm à sclopetis, dum à pyrio puluere globulus æneus eliditur. Aphrodisæus mouit hanc quæstionem. Cui tandem respondet, aerem percussum, si resistat, habere rationem solidi. Cùm ergo eliditur magno impetu, non est mirum, si strepitum edat. Sic ab auriga fuste percusus, si celeritate ictus aëris dissipationem anteuertat, sonitum edit, quia habet rationem solidi.

At quibus.

Vt animalia, quæ habent corneos oculos, colores obiectos illico vident, nisi for-
C tè dum dormiunt: Tum enim in orbitam veluti in vaginam oculos recondunt: ita insecta quæ habent alas continuas, non diuisas, odores è longinquo sine vlla respiratione percipiunt: quia instrumentum habent nudum & patens odoribus, quod propter ἕξιν & habitudinem mutam illicò afficitur.

Lumen neque corpus est.

Quidam lumen & radium volunt esse corpora, non tantum solida & dimensa, sed spirituosa, quæ non tenentur legibus physicorum corporum: hæc enim successione & in tempore mouentur, illa momento sine penetratione dimensionum. Alij volunt esse qualitates intentionales, non reales: Alij reales quidem qualitates, sed non substantias. Quia vt nihil ex nihilo fit: ita in nihilum nihil reuerti potest, lux autem no-
D ua quotidie nobis affulget, quò igitur prior abiit?

SCHOLION.

*I*NFLVATNE *vis motrix à cerebro per neruos vectore spiritu, an per modum irradiationis, quæstio est problematica, de qua vtrinque verisimiles rationes afferuntur: Qui deffendunt eam transmitti vectore spiritu, his nituntur argumentis: primo: quod facultas sit accidens, proinde subiecto aliquo indiget in quo existat, non habet autem conuenientius quam spiritum: Secundo quod si nerui comprimantur aut vinculo aliquo constringantur, aut obstruantur, facultas ad partem deferri non possit: Quid ita, nisi quod spiritus permeare non potest? alioquin facultas, cum sit immaterialis, non aliter quam radius vitrum, quantumuis solidum neruum vtpote transparentem, permeat? Aduersarij*
E *vtrique argumento sic respondent: primo quando facultas excipitur neruo pellucido, subsistere in subiecto proprio & conueniente, quemadmodum radius cum excipitur aqua, aere, aut vitro: secundo pellucentiam nerui, obstructione aut compressione impediri, propterea facultatem non affulgere, quemadmodum nec radius per densam nubem aut caliginosum aerem: ipsi autem opinionem suam his argumentis communiunt, quod non sit consentaneum cerebrum tantam spirituum copiam sufficere posse quanta desideratur ad sentiendum simul & mouendum, nam eodem momento video, audio, gusto, olfacio, tango & progredior: simul & in quamcumque volo partem digitos omnes manuum vel pedum inflecto, perseuerántque diu & continuantur istæ motiones: probabilius itaque videtur solam facultatem per modum irradiationis quoquouersum demitti, eo modo quo magnes tangit ferrum: quæ est sententia Galeni sept. de Decretis Hipp. & Plat. Alij tamen rursum instant: neruus opticus manifestè est cauus quemadmodum cauernosus: de cæteris dubitatur, quamuis enim post mortem facta dissectione cauitas sit insensibilis, tamen vi frigoris*

denſari neruum, qui à calore viuentis dilatatur: cui bono, ad quem vſum cerebrum ex vitali ſpiritu facit tantam copiam animalium niſi vt ſentiendo, & mouendo inſeruiant? neque neceſſe eſt A *aſsiduè nouum tranſmitti, quia qui eſt per neruum diffuſus, aliquandiu ſufficit obeundæ functioni: Quæritur ſecundo: ſenſuſne fiat in proprio an in communi ſenſorio, reſpondendum fieri in proprio, non ſine facultatis communis influxu: Animalis enim facultas tam ſenſifica quàm motrix, non eſt inſita ſenſorio, verum ſi ſenſus ſit alteratio ſenſorij à ſuo ſenſibili, vt placet Ariſtoteli, ſentitur obiectum in proprio ſenſorio à congenita facultate, ſi verò ſit dignotio alterationis factæ in ſenſorio, vt videtur Galeno, oculus non videt, ſed interior ſenſus per oculum: non ſentitur dolor in cerebro, ſed à cerebro, ſentitur in parte affecta, cur maior dolor obſcurat minorem? quia trahit ad ſe influxum.*

SENSVS INTERIORIS FVNCTIONES. B

CAP. XI.

AVICENNÆ ſententia phantaſia componit, ſed ſine iudicio. Nam nobis dormientibus rerum ſenſibilium retentas imagines ſæpe connectit, ſed falsò, ſine delectu: vnde monſtroſa & ridicula inſomnia.

Vel ouis lupum.

Platonici hoc adferunt in argumentum, vt demonſtrent animo inſitas eſſe boni & mali notiones, quòd infans fugiat noxia, vt ignem & aquam: vtilia verò, vt mammas, perſequatur. Sed non vident hoc eſſe belluis nobiſcum commune. Nam vix C dum nati pulli ſcalpturiunt, & roſtro oblatum cibum impetunt, ac diſcernunt. Quod autem auiculæ, rapaces volucres, vt miluum & vulturem, fugiant, ouis lupum, fortaſſis non accidit propter inſitam notionem, ſed propter naturalem ἀντιπάθειαν: hoc enim etiam commune eſt plantis: nam vitis oleæ optimè maritatur, non lauro, non braſſicæ, talis eſt inter ceruum & ſerpentem ἀντιπάθεια.

Sub hæc autem.

Memoriam belluæ habent nobiſcum communem. Nos tamen ſoli recordamur, quia recordatio non fit ſine diſcurſu & enumeratione temporis. Aſſeruantur autem memoria non tantum quæ interdiu ſenſibus percepta ſunt, ſed etiam quæ imaginatione nobis dormientibus ficta & cogitata. Argumento eſt quòd excitati ſæpe ſomnia narremus. D

De ſomno &c.

Somnus fit primo ſenſorio vaporum copia obſtructo: quod eſt Ariſtot. cor, Galeno cerebrum: ſomnus verò præter naturam, vt lethargus, ab humore frigido.

Si arctior.

Vt ſomnus interioris ſenſus, ita ſomnium imaginationis eſt opus: quod potiſſimùm fit poſt primam coctionem, eique ſoli fidendum monent ſomniorum interpretes: Principio enim ſomni oppletur cerebrum copia vaporum: propterea imagines E aut turbulento, aut tumultuario motu agitantur, aut obliterantur: hinc fit, vt pueri cùm ſint humidiore cerebro non ſomnient, nec temulenti. Quamuis autem naturæ & animæ ſit viciſſitudo, nobiſque dormientibus naturales functiones vigeant, animalibus ſopitis: Omnes tamen, quamuis obſcuriùs, operantur. Nam & phantaſia fingit, audiuntur latratus canum, quin pullicum morſus ſentiuntur. Galen. 2. de Motu muſculorum ſeipſum dormientem longè ambulaſſe affirmat, ſæpe etiam fit, vt tum ratiocinemur, & ſi nobis docendum ſit aut diſcendum, ad hoc aduertamus. Prius admonui quę ficta ſunt, in memorię theſauro reponi. Ergo omnes quinque functiones nobis dormientibus, quamuis obſcurè, anima exercet.

SCHOLION.

A

SCHOLION.

AVICENNA & Albertus vt exteriores, sic interiores, quinque sensus constituunt quos habemus communes cum belluis. Primus cognoscit & discernit disparatorum sensibilium differentias, vt colorum, sonorum, odorum, qui communis sensus nominetur, quia externi quinque sunt illius veluti satellites, explorant quid foris agatur vt illi renuncient: Secundus sensatorum species retinet: Tertius iam illas inter se connectit & diuidit; & aliquid in aliquo, vt accidens in subiecto, considerat: qui cogitatio nominetur: Quartus: quæ nullo vnquam sensu percepta sunt dignoscit; Aestimatiua hac facultate ouis metuit lupum quem nunquam vidit, auiculæ miluum aut vulturem, mures felem: Sensatorum, imaginatorum, cogitatorum, & æstimatorum thesaurus memoria: Quidquid enim anima sentiens percepit, finxit, cogitauit, æstimauit, memoria conseruat ad vsum.

B

VT FIANT APPETITIO ATQVE morales actiones. CAP. XII.

LIBRO superiore admonui mihi non probari diuisionem appetitus in naturalem, sentientem, & rationalem, sed omnem vel esse naturalem, vel animalem: huius tres esse differentias, cupiditatem, iram & voluntatem: rationalem nullum esse per se, & natura sua, sed tantum participatione, quando est obediens rationi.

Turbido motu.

C In appetitu animali insunt facultates, habitus, perturbationes: hę sunt motus animæ tumultuarij, vt exponit Galenus cap. 7. lib. 4. de Placitis: libro autem de cognoscendis animi morbis earum differentias explicauit.

SCHOLION.

IN tribus partibus principibus resident totidem facultates non tantum physicæ, naturalis quippe, vitalis & animalis, sed etiam ethicæ: concupiscens in iecore, irascibilis in corde, arbitraria in cerebro: quæ sunt animalis appetitus tres differentiæ: cupiditas alimenti nec non veneris: Ira vindictæ, Voluntas desiderabilis appetitus. Cupiditatem alimenti excitant fames & sitis, cibi & potus penuria: libidinem seu pudendorum titillationem amor seu concupiscentia pulchri concitat, aut copia seminis, hæc vt materialis: illa vt formalis causa. Iram exsuscitat appetitus vindictæ vt formale principium, feruor sanguinis vt materiale: voluntatem mouet bonum, si non per se saltem apparens: Quando vna quæque harum facultatum in appetendo tenet modum, longa vitæ consuetudine contrahitur tandem habitus laudabilis, fitque appetitus fundamentum virtutis moralis: ex moderata cupiditate esculentorum & potulentorum nascitur temperantia: Temperans enim dicitur qui in cupiditate tenet modum, similis, qui nouit gulæ moderari: continēs dicitur qui veneris stimulos rationis formula compescit: Fortis qui primis motibus iracundiæ resistens quando & quibus decet irascitur: Clemens qui iniuriarum cum ratione obliuiscitur. Addidi cum ratione, quia iniuriæ quædam sunt publicæ, vt quæ fiunt Deo patri, familiæ, quas qui non vlciscitur Aristotelis opinione tam est in vitio quam si patriam aut parentes deserat: Aliæ priuatæ, & leues quas remittere est hominis māsueti, sic vindicandus Cicero à reprehensione Lactantij: reprehenditur enim quod cum laudasset Cæsarem in oratione pro Marcello eo quod obliuisceretur iniuriarum à Pompeianis acceptarum, tamen in officijs definit virum bonum, qui prodest omnibus, nocet autem nemini nisi lacessitus iniuria. Veterem iniuriam qui negligit inuitat nouam.

D (beside "malis causa") E (beside "oratione pro Marcello")

DE PROGRESSIONE ET TACTIONE. CAP. XIII.

ANIMALIS spiritus non tantum fit ex vitali qui per soporarias arterias ad plexum retiformem à corde transmittitur, illicque in arteriolis præparatur, sed etiam ex aere qui naribus inspiratur, vt docet Galenus capite quarto libri de vsu respirationis. Quemadmodum enim vitalis partim fit ex naturali, partim ex aëre inspirato, & in pulmonib° elaborato: sic animalis partim ex vitali, par-

tim ex aëre naribus attracto: Cerebrum autem vt cor, dilatari & comprimi sensus satis conuincit; Dilatatum, in ventriculos anteriores præparatum spiritum vitalem adducit, nō aliter quàm cor per diastolem è pulmonibus trahit aërem: dūm verò cōprimitur, eumdem iam factum animalem & perfectum per neruos anteriores & molles mittit ad sensum, per ductum autem manifestum in posteriores sinus ad motum: inde enim per spinam ad motorios neruos defluit. Admirabilis autem est valuula epiphysis quæ sese aperit constricto cerebro vt viam faciat spiritui, eodem dilatato clauditur, ne remeet spiritus. Lege Galenum libro nono de Placitis. A

SCHOLION.

ARBITRARII *motus duo sunt principia, vnum quod imperat: nempe voluntas: Alterum quod veluti instrumentum illi obsequitur, nempe musculus: quamquam enim alia sint motus instrumenta, vt neruus, musculus tamen est præcipuum: præterea conuulsio dicitur paßio musculorum: voluntas est principium liberum & indefinitum, ad vtrámque partem contradictionis peræquè affectum, qui enim potest ambulare eadem facultate potest non ambulare, vt incipit, ita cessat animal quando vult moueri: Cur lassatur tandem cum cœlum à sua forma continenter sine vlla defatigatione moueatur? An quia cœlum mouetur ab intelligentia aßistente, animal ab anima informante? Animal continet motorem intra se, cælum extra se. Notum autem dictum Archimedis, si esset extra firmamentum, se mundum minima digiti impulsione circumacturum: An quia anima sentiens est minoris virtutis quam intelligentia cœlestis? an quia mouet intelligentia sine instrumentis corporeis, fatigatur autem anima mouendo, instrumentorum vitio? nam musculi diuturni motus laborem ferre non possunt: mouetur enim animal illis versus suum principium retractis, cōtractionem verò seu tensionem diu perferre non potest: propterea æqualis situs membri minus solet esse molestus: Tensiuus valde laboriosus: Accedat perennis dißipatio animalium spirituum, quæ non potest perpetuo resarciri.* B C

DE MENTIS FVNCTIONIBVS.

CAP. XIIII.

EMPEDOCLES existimabat animum quinque primorum elementorum, cœli, ignis, aëris, aquæ, terræ harmonia constare, vt simile simili, cœlo cœlestia, elemento elementaria cognosceret. Anaxagoras verò illius simplicem, immistam, & immaterialem esse substātiam. Cuius opinio potior visa est Aristoteli, quia sensus & intellectus eadem sit ratio. Sensus autem non bene pronunciaret de suis sensibilibus, nisi omtium expers esset: quia per vitrum viride putatur omnia viridia: Ergo non esset intellectus omnium notionum capax, si quam insitam haberet: Nec elementa perciperet, si elementis constaret: Ille verò vel est simplex, vel coniunctus: Hic theoriticus aut practicus: Differunt fine, & obiecto. Contemplationis enim finis veritas: Actionis verò bonum, priuatum, vel commune: familiæ, aut ciuitati: Obiectum verò τὸ πρακτόν, vt theoretici θεωρητόν: Prudentia est domina rerum agendarum, vt sapientia eorum quæ intelliguntur, seu contemplabilium. Est autem sapientia intelligentia principiorum, & scientia conclusionum. D

SCHOLION.

SENSVS *singula apprehendit, intellectus vniuersa: sensu indiuiduorum duntaxat accidentia cognoscuntur: intellectu, essentia, & quæ ex essentiæ principijs manant proprietates: horum non illorum est scientia, partim quod sunt infinita, partim quod aßiduis mutationibus obnoxia: An eorum quæ sciuntur par & æqualis veritas? minimè verò, nam veritatis fundamentum pendet ex rebus quæ intelliguntur. Atqui res quædam sunt contingentes, vt sublunares, aliæ necessariæ & immutabiles, vt cœlestes & supra cœlestes: scientia rerum cœlestium & supra cœlestium est certior quam naturalium, vt metaphysica, quam physica, quia intellectus rem qualis est comprehendit.* E

A *PRINCIPES ANIMÆ FACVLTATES non esse sedibus distinctas.* CAP. XV.

MOVET quæstionem quam attigimus libro superiore: An, vt placet Arabibus, principes animæ facultates sedibus ita sint disclusæ, vt in anterioribus ventriculis animus imaginetur, in posterioribus recordetur, in medio discurrat. An ita sint per totam cerebri substantiam diffusæ, vt in qualibet particula omnes exerceat. Hoc placet Galeno. Quod autem illi obiiciunt, seorsum subsistere, vnaque sublata, alias remanere, sic soluit Fernelius: Fieri posse, vt inæqualiter dispensetur: Perfectè discurrat, qui labili sit memoria.
B Quid ergo mirum, si leui occasione illi pereat memoria, saluo iudicio? At obiicerent ex Galeno facultatem pendere à temperamento, quod cum sit vnius particulę vnum & idem, mirum si possint esse differentes facultates, quarum vna sublata altera permaneat. Melius me iudice quidam responderunt, animum primarum qualitatum ministerio variè operari: Fieri autem posse, vt vna qualitas à suo contrario offendatur, alia illæsa. Quare non esse mirum, si vnam amittat functionem, aliis manentibus. Nonne vides in pomo differentes esse qualitates, quarum vna possit perire, aliis manentibus? Faciamus vetustate saporem & odorem illi deperire, an propterea minus calidum aut coloratum? Si mel minus dulce, an propterea minus flauum? Ætius & Auicenna tres facultates sedibus distinctas esse existimant.

SCHOLION.

C *ESTNE verior Galeni quam Auicennæ sententia? Animam vbique & in qualibet parte totam, omnes functiones principes in qualibet cerebri parte exercere? verùm quemadmodum Deus qui vbique est, in sole tamen potissimum dicitur desidere, quia illic manifestius operatur, essentia enim per actionem dignoscitur: sic princeps animus præsertim cerebro creditur insidere, quia nobilioribus functionibus suam præsentiam illic manifestat, quamuis autem sine discrimine imaginetur, discurrat, & recordetur in qualibet cerebri parte, tamen quia euidentius in anterioribus imaginatur, in medio discurrit, in postremo meminit, idcirco sedes facultatis cuiusque ita distingui solet: hinc Gal. syncipiti admouet topica quæcumque actio læsatur, quia per suturas, illic patentiores, facilius peruadunt: Auicenna mauult imaginatione læsa syncipiti, memoria deprauata occipiti, discursu malè affecto vertici topica applicari: Recentiores practici fauent Auicennæ, non peccabit tamen*
D *qui Galenum imitabitur.*

CALOREM NOSTRVM PERPETVO refrigerationis pabulo & expurgatione indigere, alioqui extingui ipsum & extabescere.

CAP. XVI.

ALIAS ex Aristot. docuimus, ignem duobus modis corrumpi, extinctu aut marcore: extingui verò aut frigore, quod experiuntur qui hyeme per niues iter faciunt, aut humore: Nam etiam si olei maiorem copiam in elychnium effuderis, flammam extinxeris. Ignem aqua non tam frigore
E extinguit quàm humore. Argumento est, quòd ab aqua etiam calidissima extinguatur. Sic magna fumi & fuliginis copia noster calor sæpe obruitur: marcescit autem maioris ignis præsentia, ea causa qua lumen maius extinguit minus, vel inopia pabuli, nutritur enim natiuus calor frigido moderato. Accipit enim ab aëre circumstante, qui continenter transpiratur, & expiratur, duas vtilitates; illius qualitate tēperatur ardor cordis, substantia verò reparantur spiritus primum vitales, deinde animales. Substātia enim ad refrigerationē cor opus non habere Gal. duob. argumentis demonstrat libro de Vsu respirationis: Primo, quòd cohibito spiritu tantum abest, vt temperetur, cum extinguatur calor, vt docet exemplo serui barbari, qui hoc modo seipsum suffocauit. Altero: quod si expiretur, certum sit remedium. Dicet aliquis, si aër, vt Aristoteli placet, sit calidus, non, vt Galeno, frigidus, mirum, si

qualitate sua ardorem cordis temperet. Respondetur, circumfusum aërem quātumuis calidum, A qualis æstiuus diebus canicularibus, esse frigidiorē calore cordis. Deinde flabello agitatum aut leuiter commotum, refrigerare, nec refert quod obiicitur, omnem motum calfacere. Hoc enim intelligendum est si quid resistat, quo modo aër sæpe vehementiori motu, vt rotæ vehementi & frequenti conuersione, inalescit. Pisces quidam habent pulmones & respirant, vt delphini, balenę & cetacei multi. Quare spiritu eos refrigerari cōsentaneum est. Alij verò pro aëre aquam per branchias trahunt, quæ sunt illis loco pulmonum, cuius qualitate refrigerantur: multi contendunt aquæ permistum aërem, ex quo fiant & reparentur spiritus.

SCHOLION.

RESPIRATIO duas habet partes, inspirationem & expirationem: inspiratus aer in pulmones attrahitur, partim vt natiuum calorem temperet, impediátque ne in B *cordis officina veluti in fornace perenni motu exardescat & in ignem vertatur, partim vt ex aeris inspirati substantia fiat spiritus vitalis: Aer enim qui nos circunstat impurus & vaporum contagione inquinatus, in pulmonibus præparatur, vbi pars purior secernitur & in sinistrum ventriculum per arteriam venosam transmittitur: Expiratione, partim impurior portio excluditur, partim fuligo, quæ veluti de fornace coctione expiratur: Vtrouis horum priuetur animal, periclitatur: nam si liberè non expiret, calor fuliginis copia: non aliter obruitur quam modicus ignis in camino fumi copia, sic seruus seipsum suffocauit retento spiritu: Cur arca aut dolio conclusus moritur, nisi pateat aëri aliquis aditus? quia conclusus aër qualitate sua non temperat calorem cordis, sic pisces in parua aqua moriuntur, illis enim a qua eum vsum præstat, quem nobis aër.*

Transpiratio est respiratio quædam, ad quam verisimile est Pythagoram respexisse quando scri- C *pserat plātas respirare: cuncta enim rerum permeabilis aër per occulta spiracula sese insinuat, quo abunde pisciū & exanguium animaliū natiuus calor vētilatur: sanguineis nō potest esse satis, quia vegetiorem habent calorem: propterea vtroque beneficio opus habent, transpiratione, & respiratione. Transpirationis quemadmodum & respirationis duæ sunt partes, quarum idem est vsus, qui enim poros cutis subit aër calorem quoque refrigerat, fuliginosa verò excrementa per eosdem meatus insensibiliter difflantur: ratione enim potius quam sensu difflatio concipienda est.*

PVLSVS ET RESPIRATIONIS VSVS, vtque inter se distent. CAP. XVII.

ALIAS monuimus cordi inesse duas facultates, vnam ethicam, nempe irascibilem, D alteram physicam, nempe vitalem, qua cor assiduè deprimitur & attollitur, vt motu cum calore influente faciat spiritum vitalem: dilatatio διαστολὴ, constrictio συστολὴ nominatur: pulsationi analoga est respiratio, cuius duæ sunt partes, inspiratio, & expiratio. Vsus fere communis pulsationis & respirationis. Quemadmodum enim cor simul cum arteriis dilatatur, vt per διαπνοῶν aërem trahat, quo temperetur ardor cordis: ita pulmone dilatato in eundem vsum aër inspiratur: Vtque corde cum arterijs compresso, vstæ materiæ superfluitas omnis, vt fuligo & fumus, excernitur: sic constricto pulmone expiratur. Adde quòd circunstans aër est impurus & caliginosus. Præparatur ergo in pulmone, & elaboratur, vt sola portio pura & syncera ad cor feratur pro generatione & materia spiritus vitalis, reliquum expiratur. Quæsitum est, an respiratio sit motus animalis. Nam Galenus libro de difficultate respirandi dicit esse vitalem, quia parti- E bus agitur vitalibus, pulmone & thorace, non quod fiat à facultate vitali: fit enim lenis respiratio à solo diaphragmate: Vehemens verò, qualis efflatio, opera intercostalium musculorum, ad quos per neruos à cerebro affluit animalis spiritus. Motum verò sæpe ex Galeno diximus esse animalem, qui neruorum & musculorum ministerio peragitur. Verùm animalis dicitur duobus modis: aut qui fit ab anima quomodo diximus omnem motum esse naturalem, aut animalem: quia fit à natura vel anima: Aut arbitrarius, quando vtraque pars contradictionis est nostræ potestatis. Possum enim ambulare si velim, vel non ambulare, at non possim, si velim non spirare. Quare Auenrois secundo collect. contendit non esse motum arbitrarium, sed Gal. exemplo serui barbari, qui sibi mortem attulit cohibito spiritu, docet liberum esse cuique non spirare.

A spirare. Propterea Auenrois vrget aliis argumentis, quod tussim reprimere in nobis non sit, sed est motus præter naturam. Addit etiam nobis dormientibus, vt cor pulsat, sic pulmonem attolli & comprimi. Arbitrarium verò motum electionem & cognitionem obiecti præcedere. Quidam respondent quod prius notauimus, animales omnes functiones exerceri inter dormiēdum quamquam obscurius, & imperfectius. Videtur magis vrgere hoc recentiorum argumētum, quòd motus arbitrarios sequatur tandem lassitudo propter animalium spirituum dissipationem, cōtinenter autem respiremus sine vlla defatigatione. Cui respondendum est, respirationem constare inspiratione & expiratione, vtrique interiectam esse quietem: Deinde tam copiosum affluere spiritum à cerebro, vt dissipari non possit.

B

SCHOLION.

PVLSVS vt respirationis tres sunt causæ continentes: vsus, facultas, & instrumēta: vsus idem: vt enim inspiratu, in pulmones veluti in folles, ita dilatatis arteriolis quæ desinūt in cutem, circumfusus aër ad cor attrahitur: vtque expiratione, sic compressis arteriolis fuligo excluditur. Denique respondet diastole inspirationi: verum instrumenta sunt diuersa: Respiratio enim lenis fit à solo diaphragmate, vehemens verò, cum thorace dilatato & depresso pulmone: Dilatatur verò & deprimitur thorax à musculis intercostalibus, quorum alij seruiunt expirationi, alij inspirationi. At pulsus instrumenta sunt cor & arteriæ: facultates non eædem. Nam respiratio ad facultatem animalem pertinet quia agitur musculis, & descendit à cerebro per neruos ad thoracem facultas motrix:
C *Pulsus ad vitalem: Itaque possumus respirationem intendere, & remittere, tardare, accelerare: pulsationem cordis & arteriarum non possumus. Auenrois quia respiratio non est omnino libera, cogimur etenim dormientes respirare, contendit esse mixtam ex naturali & animali.*

QVA RATIONE FIANT RESPIRATIO atque pulsus. CAP. XVIII.

HOc capite duo tantum sunt notanda: vnum arterias simul cum corde dilatari, quia illi implantantur: quæ est sententia Gal. libro de vsu pulsuum, quam libro secundo de prædictione ex pulsibus confirmat experientia. Si enim, inquit, vna manu cor, altera arterias tetigeris, facilè obseruabis vtrū-
D que simul dilatari, & comprimi. Alterum quod Fernelius neget vim pulsificam eandem esse cum vitali, quia vitalis omnibus partibus per arterias communicatur, solæ autem arteriæ cum corde pulsant: sed videtur facultas vitalis pulsatione arteriarum & cordis ad omnes partes transmitti: Fui breuis in explicatione functionum, quia multa iam sunt enarrata Commentario de facultatibus animæ.

SCHOLION.

PLACET Galeno arterias impleri vt folles non vt vtres, dilatari scilicet vt impleantur, non repleri vt dilatentur: Dilatatæ igitur vndique trahunt à corde cum spiritu facultatem vitalem, quam quoquouersum transmittant: Aërem circumfusum simul attrahunt qui cor refrigeret. Qui fieri hoc potest, inquit Auicenna, cum sint motus
E *contrarij? vnum foris intro feratur, alterum intus foras: Aut quomodo non sese impediunt? Quæstio multo potius mouebitur de venis mesaraicis, qui fieri potest vt chylus per easdem venas mittatur ad iecur simul & sanguis ad intestinorum nutritionem, nam sanguis & chylus sunt corpora solida, aër & spiritus minimè: etiam si facultas vitalis vectore spiritu influat, non per modum irradiationis: sic enim minus se impediunt: Quæritur etiam si vis pulsifica differat à vitali, Gal. demonstrat differre hoc argumento: quod si in arteriam calamum immittas, eámque arctè constringas, facultas vitalis liberè influet per calamum, arteria quæ deinceps est non pulsāte: Quidam putant pulsificam esse insitam arterijs & specie distingui à vitali: tamen videntur tantum distingui ratione: originem enim primum sumunt à corde vbi est fons vitæ simul & pulsationis: verùm vt est lib. 6. de placitis facultas vitalis influit per cauitatem, pulsifica per tunicas arteriæ.*

FINIS.

IOANNIS RIOLANI

AD

FERNELII LIBRVM
DE PROCREATIONE HOMINIS
COMMENTARIVS.

PRAEFATIO AD

SIMONEM MARION, REGIS
Patronum eloquentissimum.

ZOROASTER in magia hominis fabricam & perfectionem contemplatus (patronorum disertissime) tandem exclamat: ὦ τολμηροτάτης φύσεως ἄνθρωπε τέχνασμα: ac si diceret, tum naturam facinus audax molitam, cum primum de hominis architectura cogitauit: Cum enim non minoris sit artis & industriæ multa in vnum cogere, quàm vnum in multa diuidere, homo autem corpore, corporum: animo verò animatorum omnium elementa, vires, & functiones contineat, non puto Deum minus operæ & industriç adhibuisse cum hominem primum creauit, quàm cum vniuersum, nec videtur magnus mundus opificis sui sapientiam certius testari, quàm paruus: magnum ergo miraculum est homo: cuius corpus si in minimas particulas resoluas, singularúmque vsum & functionem consideres, nulla occurret, quantumuis exigua, quæ sui opificis sapientiam non demonstret: Si ad vires animi respicias, eúmque plenum consilij & rationis quæcunque in cœlis & terris aguntur, oculo interiore aspicere, tacitus apud te cogites, facilè cum Zoroastro exclamabis: O homo audacis naturæ opificium mirabile! Si verò principia & modum generationis, si casus & euentus humanæ vitæ animo reuoluas, vix occurret quidquam imperfectius, nascitur enim loco putido, inter lotium & stercus, ex duobus excrementis, semine & menstruo, qui primo ambientis occursu, ac si futuræ vitæ præsentiat mala, ingemiscit: Quæ quoties tacitus apud me cogito, toties beatum reputo, quem iuuenem dij è viuis sustulerunt: quinimò optimum non nasci iudico, aut quàm ocyssimè aboleri. Ecquis enim est tam iniquus rerum æstimator qui legens Polycratem cruci affixum, Crœsum Cyri, Cyrum mulieris imperio subditum,

A Tammurlanum vt Baiazeti dorso tanquam scabello quoties cõscenderet equum: Priamum obstrictum, Dionysium Corinthi, non exclamet potius, nil homine in terris viuere infœlicius?

Hanc rerum & opinionum dissensionem facilè componet, qui primordia & progressus humanæ generationis vno libello ingeniosè à Fernelio descripta legerit, quem meorum commẽtariorum accessione auctiorem, ausim dicere illustriorem, tibi inscribo, vt liberius fruatur vsura lucis, atque vt exstet mei in te amoris & obseruantiæ monumentum. Amo enim te & colo propter raras ingenij dotes, singularem eruditionem: nam quo-
B ties de hominis, quinetiam vniuersi, fabrica colloquuti sumus, ego autem ex veterum scriptis multa proferrem non pertrita, tu secretiora reponebas, eáque tam disertè & perspicuè explicabas, vt totum vitæ tempus in solidioris philosophiæ studio transegisse, vnúsque de tam multis causidicis eloquentiam cum philosophia coniunxisse mihi videreris. Multi quidem in senatu audiuntur loquentes, pauci eloquentes, quia iuuentus nescio quo malo, studiosior verborum quàm rerum, multum habet loquentię, eloquentię & sapientię parum: Opto senatui centum Mariones, totidem Galliæ ornamenta.

C

AD LIBRVM FERNELII DE PROCREATIONE HOMINIS COMMENTARIVS.

SEXVVM DISTINCTIO VNDE SIT & quid de semine sit ab Aristotele proditum.

D

CAP. I.

VT melius est esse quàm non esse, ita præstat semper, quàm ad tempus esse: Natura autem, non impedita, facit semper quod melius, quia nil facit temerè, sed omnia certo fine, finis autem & bonum sunt vnum: Cur ergo Deus non fecit omnia sempiterna? An hanc gratiam inuidit mundo sublunari? at vnicè bonus est, boni autem non est inuidere: An potius ita constituit quia melius, non particulari, sed communi naturæ? Deus enim est causa ordinis, natura ordo ipse vniuersi, ordo autem constat eodem & diuerso, priori &
E posteriori, quare cùm nihil sit pulchrum absque ordine, hanc dissimilitudinem postulabant, maiestas opificis, quæ cernitur in operis varietate, & pulchritudo mundi: Præterea Platonis opinione duo sunt prima & communissima rerum omnium principia, ταὐτότης, causa durationis & sempiternitatis, nam permanentius est quod simplicius & magis vnum, vt Deus quàm Angelus, & hic quàm cœlum, si non alterabile, saltem loco mobile: Cœlum verò eadem causa permanentius quàm elementa, & quæ sunt ex elementis. Alterum principium ἑτερότης dicitur, estque principium transmutationis, ea enim sola transmutantur, quæ constant dissimilibus naturis, hinc simplices & immateriales naturæ, quales diuinæ & metaphysicæ formæ, sunt sempiternæ: physicæ verò, quia concretæ & materiales, necessitate sunt caducæ: Motus firmamenti à Timæo dicitur, motus eiusdem naturæ author conseruationis; Motus verò plantarum, motus dissimilis naturæ efficiens transmutationis. Adhæc, vt vnicus

eſt actus purus & ſimplex, ſic vnica eſt forma, natura ſua impatibilis & immortalis, A
quæ nec externum, nec internum habet hoſtem, cuius quidem participatione, cæte-
ra ſunt & perdurant: Angeli enim, quia creati, natura ſua & origine ſunt mortales,
gratia tantum & beneplaciro creatoris perſtant: Atqui non poſſunt, nec debent om-
nia eſſe pari gradu, nec peræquè ſui opificis ſempiternitatem participare: Ergo quę-
dam vt abeſſe longiùs, ira mutabiliora eſſe oportuit: Eiuſmodi ſunt ſublunaria, qui-
bus ne Deus omnino defuiſſe videretur, fecit vt quę eadem numerò permanere non
poſſunt, propter [illegible] & connatam moriendi neceſſitatem, ſaltem in ſpecie perdu-
rent: Seruatur autem ſpecies, perenni ſucceſſione ſingulorum, vno enim mortuo
non deficit alrer, ſuccedit verò vnus alteri beneficio procreationis, quare facultas
procreandi mortali naturæ data eſt in ſubſidium, vt ſuppleat naturæ defectum: Ani-
mal enim natura & origine mortale, conatur relinquere ſibi ſimile, & idem ſpecie in B
locum ſuum reponere, ſtudio immortalitatis. Vita mortuorum, poſita eſt in memo-
ria viuentium, viuitque pater in filio vt artifex in opere.

Hinc Plato ſacra fecit naturæ quod cœlebs vixiſſet, nec ſatis habuit ad nominis
ſempiternam memotiam, opera mentis, victura memoria ſeculorum omnium, po-
ſteris dediſſe, ſed indoluit quod viuam ſui non relinqueret imaginem: inde Roma-
Athenæus. nis ius multorum liberorum, & apud Lacedæmonios, mulieres die quodam feſto,
omnes qui liberis operam non dediſſent, ſuo iure poterant colaphis cædere, vt igno-
miniæ metu, amore ſobolis propagandæ caperentur: Hanc vim, etiamnum lapidi-
bus ineſſe contendunt Clearchus, & Theophraſtus, quos refellens Themiſtius, aut
conſortio tantum nominis pariunt, inquit, aut alia forma quàm viuentia: Ea enim
ſola propriè dicuntur procreare, quæ tanguntur ſtudio immortalitatis. Plantæ ta- C
men, neſcio ſi ſtudio immortalitatis, ex ſemine, non obſcuriùs quàm belluæ, ſimile
producunt, ſed abſque congreſſu, & nulla ſexus differentia, niſi fortè vt à Platonicis
quidam deorum mares, alij fœminæ perhibentur, quia aſtra, quæ deos iuniores ap-
pellabant, inæquales habent vires, efficaciora autem mares, imbecilliora fœminas
vocant, ſic eiuſdem ſpeciei actuoſiores plantas, maſculas: inefficaces, fœminas nun-
cupemus: At belluæ eiuſdem ſpeciei, obſcœnis partibus & inſtrumentis generatio-
nis diſtinctæ (vt mittam barba, criſta, calcaribus, dentibus exertis, voce graui, lato
pectore, hirſutie, aut pilorum duritie, mares diſcerni) vt faciant vnum, vniuntur: mas
enim in alio, non in ſe generat, fœmina in ſe non in alio.

Non eſt tamen neceſſarius congreſſus ad procreationem, nam plurima animalia de
putredine excitantur, vt ſcarabei ex aſino, apes ex tauro, veſpæ ex equo, ex oleribus D
erucæ, ex caprifico vermiculi qui pſenes appellantur: ex aqua putri culices, ex vappa
ſenipes, ex luto vermes: ex limo ranæ, & quod mirabilius, hirſuti vermes in niue ve-
tuſtiore, in Cypro quoque beſtiolas pennatas, medio igne naſci, muſcis grandiori-
bus maiores, autor eſt Ariſtot. quinto de ortu animalium, quas pyrautas & pyran-
ſta vocari ſcribit Plinius, Sextus Empiricus inter Zoophyta recenſet: Plutarchus in
Cleonide ex medulla hominis mortui naſci ſerpentes ſcribit: Si quis cõtendere ve-
lit non omnia quidem animalia, verùm perfecta, neceſſariò maris & fœminæ con-
greſſu oriri, hoc reſponſo ſibi ſatisfactum putet: non omne genus animalis ſexu di-
ſtingui, nam cãtharis nulla fœmina, neque vultur, nec ſcarabeus, nec phœnix, in quo-
dam piſcium genere inquit Plinius non ſunt mares: Pręterea Ariſt. tertio de ortu ani-
maliũ ſcribit, vt vultures, ſic equas in Hiſpania ſolo Fauonij afflatu impleri, perdices
Athenæus. autem ſi aduerſę maribus ſteterint, ventuſq; inde afflet vbi mares ſtant, plerumque E
etiam, ſi tum libidine turgent, ſola voce maris, implentur: Eadem ferè cauſa multæ
aues columbando concipiunt, dicuntur autem columbare dum hiante ore & exerta
lingua coeunt, tum enim mas in fœminam fœcũdum ſpiritum immitit, quem ſi quis
ſemen appellarit, me iudice, non habebit Ariſt. repugnanrem: Semen enim conſtat
materia, nempè ſpumoſo excremento, quod ille vocat κύημα, & forma, quam genito-
rem ſpititum appellat. Hunc ſolum nomine ſeminis, meritò ſanè, deſignat: ſpuma
enim non videtur ſemen, niſi homonymωs, ſi modo ſemen ſit, Spiritus calidus,
per ſe mobilis, potens ei generare ſimile à quo proceſſit. Spuma eſt excrementum
vltimi alimenti, ſeu purioris ſanguinis, qui partes omnes ſi non primò, vt carnem, ſal-
tem alrerationis interuentu, vt ſolidas & ſpermaticas, nutrit: Excrementum, inquam,
non ſubſtantia ſua ſuperuacuum, vt calculi & vermes, nec qualitate, vt ſtercus,
ſudor,

A ſudor, lotium, ſed quantitate ſola, vt menſtruus ſanguis. Enimuerò cum immoderatiore concubitu aliquando reddatur cruentum, taleque in vaſis ſpermaticis plerunque appareat, quis neget corpus ſeminis eſſe benignum, & vtile tertiæ coctionis excrementum?

SCHOLION.

SINGVLI homines tandem aliquando ius naturæ perſoluunt, homo tamẽ immortalis manet indeſinenti ſucceſsione: Vno enim mortuo non deficit alter: ſuccedit autem viuens mortuo procreatricis beneficio, quæ ſola animal reddit immortale: contribuunt autem ad procreationem mas & fœmina, hæc menſtruum vt materiam: ille ſemen vt efficiens: Negat enim Ariſtoteles mulierem emittere ſemen: cuius genus ita inueſtigat libris de ortu animalium: Aut eſt colliquamentum, aut alimentum, aut excrementum: Hippocrates li-
B *bro de ſemine exiſtimat lumborum agitatione augeri natiuum calorem à quo ſucculentus humor funditur & veluti colliquatur, ex quo materia ſuggeritur ſemini, quod ita eſſe perſuadetur, quia profuſione ſeminis totum corpus extenuetur quaſi exuctum, & exhauſtũ: quam opinionem Ariſtoteles refellit quia multi continentes, quibus genitalia turgent multo ſemine, exonirogimum dormientes patiuntur: pollutionem nocturnam, ſine vlla corporis ſuccuſsione, quos ſi mortuos diſſecueris, obſeruabis eorum vaſa ſpermatica plena ſemine: Non videtur potius eſſe alimentum, quia alimentum deſtinatur indiuiduorum conſeruationi, ſemen ſpeciei: Itaque reſtat vt ſit excrementum: Eſt autem excrementum quoddam inutile, vt lotium, quoddam vtile, vt menſtruum, hoc quantitate ſola eſt excrementum, illud etiam qualitate: veriſimile eſt ſemen eſſe benignum & vtile excrementum, cuius nam excrementum? oportet enim alicuius eſſe excrementum: vltimi alimenti: quod etiam ſi Ariſtoteles appellet ſanguinem, medici tamen diſtinctius pro varijs co-*
C *ctionis gradibus ſecundarios humores conſtituunt, inſitum, Rorem, Gluten, & cambium: Eſto igitur ſemen glutinis ſuperfluitas quæ relinquitur poſt agglutinationem per vaſa deferentia, vbi præparatur, deſcendit ad teſtes, vbi fit ſemen: hinc moderato congreſſu homo leuatur, excreta illa ſuperfluitate: Immoderato læditur quia glutinis portio alendo corpori deſtinata illi ſurripitur: hinc macies & extenuatio totius corporis.*

SEMINIS MATERIAM IN SOLIDIS partibus progigni, vtque ex illis teſtium vi ſecernatur.

CAP. II.

D IS nutrimur, quibus conſtamus: ſunt autem ortus noſtri duo ſenſibilia principia: partes enim carnoſæ fiunt ex ſanguine reſiccato, ſolidæ ex materia ſeminis, itaque partes carnoſas ſanguis reſiccatus nutrit: ſpermaticas idem coctione dealbatus, & in corpus ſeminis tranſmutatus; in vaſis enim ſpermaticis talis iam conſpicitur, eaque ſinuoſa induſtria natura fecit, vt mora longiore materia ſeminis præparetur, præparata in teſtes non tranſmittitur à facultate excretrice, ſed à teſtibus innata proprietate rapitur, hac conſequutione: Vnicuique parti inſitũ eſt, quod proprium & conueniens eſt attrahere, vt iecori chylum, lieni limum, veſiculę fel; hac vi, teſtes per vaſa ſeminis à vena magna, quę lumbis aſſiſtit, materiã proliciunt. Cõmunes enim ſunt vię excretionis & diſtributionis. Atqui à magnis venis ad capillares defertur alimentum ſingulis partibus apponẽdum, & agglu-
E tinandum: Ergo tertię coctionis excremẽtum à ſingulis partibus per venulas in maiores, tãdem in cauam defluit, vnde teſtes ſugunt materiã ſeminalẽ: ſuccuſſione enim lumborũ & corporis totius agitatione liquatũ non affluere ad teſtes, cõtra Polybium Ariſt. hoc argumẽto demõſtrauit, quòd mortuum ab exhauſto, ſi ſecueris, nil omnino ſeminis illic aſſeruaſſe obſeruemus. Dicet aliquis: Piſces & ſerpentes generãt abſque teſtibꝰ: ergo teſtes non ſunt neceſſarij ad generationem. Reſpõdetur, neceſſarios eſſe in his, quæ naturę inſtituto teſtes habent, eſſe autem Medico intra fines ſui ſubiecti conſiſtendum. Quare neminem abſque teſtibus generare, teſtes autem ſemen, modò dicto, attrahere conſtituamus. Verùm cui? ſibine, toti, an vtrique? Nam lien, fęcem, cyſtis fel, trahunt, primum ſibi, vnde toti hoc commodum accedit, quòd ſanguis purus & defęcatus ad ſingulas partes in alimentum apellat: at Gale. ſententia, teſtes pinguem & ſucci plenum ſanguinem ſibi trahunt in alimentum, cuiuſque

autem coctionis cùm sua sint excrementa, ex reliquijs alimenti testium, putat suppeditari semini materiam, non omnem: quid enim esset absurdius? sed ex parte: Reli- A quàm ex toto deciduam, hæc argumenta conuincunt: primùm quòd claudi claudos gignãt, & multi morbi sint hæreditarij, vt elephantiasis, arthritis, phthisis. Alterum, filiorum cum parentibus similitudo. Adhæc cùm seminis corpus sit homogenes, & vnaquæque illius portio, quantumuis exigua, sit semen, quid mirum si omnia sint in omnibus, non actu & definitè, vt Anaxagoras voluit, sed potentia & indefinitè?

SCHOLION.

CVM semen sit vltimi alimenti superfluitas, quædam autem partes sint rubræ & molles, aliæ albæ & solidæ, an omnium, an tantum spermaticarum? Fernelius conatur persuadere à solidis tantum partibus esse deciduum. Ego verò etiam à san- B guineis, quia præcipuæ partes vt iecur, lien, cor, sunt sanguineæ, si à toto, potissimum verò à partibus principibus, materia seminis deriuatur, quidni à sanguineis quoque? A minoribus venis in maiores, tandem in cauam vndique confluit: vnde à testibus attrahitur: dextra enim spermatica haurit de magna vena veluti de fonte, sinistra ex emulgente tanquam de riuulo: nemo autem existimet propterea detrahi aliquid singulis partibus de ordinario & consueto alimento, nisi fortè immodica venere, nam satiatis, quod superest minores venæ veluti excrementum in maiores amandant: Cur castrata animalia pinguescunt? boues enim sunt pinguiores quàm tauri, capones, quam galli; oues quam arietes: quia vltimi alimenti reliquiæ abeunt in pinguedinem: Cur ita? quoniam à testibus non attrahuntur: Cur salaces & veneris appetentiores macrescunt? quia testes reliquo corpori alibilem succum eripiunt.

C

DE TESTICVLIS ET EORVM PRÆSTANTIA.

CAP. III.

QVÆSITVM est, debeántne testes inter partes principes numerari. Quæstioni occasionem dedit Galenus, qui modò ait, modò negat: Hoc tamen modo à repugnantia vindicatur. Dignitas partis æstimatur officio & vsu: est enim pars ptinceps, cuius publicum est officium, vsus communis: habet autem vsum toti communem, vel quæ indiuidui singulis pattibus necessaria est, vel quæ speciei conseruandæ vtilis: Priore modò, cor, hepar, & cerebrum, sunt partes principes, quarum vsu & officio cæteræ subsistunt, posteriore testes: sine quibus ho- D minum genus periret: singulorum enim indesinenti successione species seruatur: fiunt autem singula semine in testibus formato: illic enim formam & perfectionem extremam acquirit, partim calore circunstantium vasorum, partim insita proprietate. Solet autem quæri, an sint indiuiduo, vt speciei, necessarij. Respondetur: illos secundum quid, vtor lubens castrensibus verbis philosophicæ militiæ, non absolutè necessarios: carere enim illis possumus, non tamen sine manifesto detrimento: quandoquidem hoc veluti foco, & caloris fonte priuati, venas & arterias habent exiles, pulsus paruos, gracilem vocem, corpus glabrum, aque, vno verbo dicam, euirantur: faciunt ergo non vt viuamus, sed vt melius & commodius viuamus: Eunuchi quidem arrigunt, vt affirmat apud Terentium meretricula, sed inani flatu, nec dubium est illos seminiformem quendam liquorem emittere, sed infœcundum, à quibus E cum Turcæ compressas virgines oseruarent, quas illorum fidei & custodiæ committebant, testes illis reliquerunt, sed veretrum amputarunt, suo & Eunuchorum commodo: sic enim intacta & illibata manet virginibus pudicitia, & eunuchis virilitas relinquitur, quæ prius cum testibus eripiebatur.

Fernelius semen à toto deciduũ viribus non mole contẽdit, Aponensis contra à toto materialiter, à testibus virtualiter.

SCHOLION.

SVNTNE testes iter partes principes numerãdi? non videtur, quia pars princeps dicitur, cui vt primo subiecto facultas aliqua insidet earum quæ corpus gubernant: naturalis hepati, animalis cerebro, vitalis cordi: Atqui procreatrix cõtinetur naturali, itaque partes principes sunt necessariæ ad vitam, testes vtiles quidem, non necessarij: faciunt enim non vt viuamus, sed vt melius viuamus: Galenus in hac quæstione fuit dubius, nam sexto de

placitis

A *placitis tres tantum constituit partes principes, quibus in arte parua adiungit testes: distinguenda igitur pars princeps, nam vel talis dicitur quæ necessaria est ad conseruationem indiuidui, vel quæ ad conseruationem speciei: postremò hoc significato testes sunt partes principes, quia sunt generationis præcipua instrumenta, procreatione autem species conseruatur. Ecquis probat Aristotelem vim seminificam testibus denegantem, eùmque tantum vsum illis tribuentem quem præstant radij, quos textores suis telis appendunt vt illas tendant? non enim tantum quibus execti, attriti, aut collisi, sed etiam quibus refrigerati & maleficiati testes veneris sunt impotentes: At qui testes habent pendulos, quorum pondere cor tenditur & vasa seminaria dilatantur: sunt igitur testes magnæ glandulæ quibus inest vis seminifica, non aliter quam mammis lactifica, ventriculo chilifica, hepati sanguifica.*

QVÆNAM SIT SEMINIS COMPOSITIO,
B *quid testes ad eius confectionem conferant.*

CAP. IIII.

QVIBVSDAM placet semini duos actus inesse: vnum absolutum, per quem est id quod est: alterum comparatum, & aliò relatum, à quo habet vim procreandi: mihi verò vnicus videtur, distinctus tantum ratione: à qua enim forma fit & denominatur semen, ab eadem habet vim procreandi: posuimus enim corpus seminis non esse semen, nisi homonymos, sic fructus & semen differunt, quòd fructus dicatur, qua ratione ex altero est: semen verò, quatenus aliud ex eo: nam pro diuersa illa ratione, vnum & idem C granum tritici semen & fructus appellatur. Quod ergo illi dicunt, acceptum ferendum testibus, quòd sit semen, à spiritu verò genitore, qui trium spirituum viribus, fortè etiam substantiis concurrentibus in vnum, conflatur, proindéque omnium possidet vires, hoc habere, quòd sit prolificum, non probo: nam eo ipso quod semen est, habet vim efficiendi, atque procreandi. Hæc vis vnde illi accedat, diligentius inquiramus: nam Simplicius communem, atque, vt barbari loquuntur, naturantem naturam appellat, Themistius cum Alexandro, particularem. Simplicius affert de Stoïcorum officina promptum argumentum, quod non sit consentaneum naturam rationalem tanta arte & industria ab irrationali natura produci. Cuius opinionis videtur autorem habere Platonem, qui particularem naturam concausam duntaxat esse voluit, & instrumentum melioris naturæ, quam appellat spiD ritum mundi. Hic est, qui vbique locorum fœcundus de putredine infinita animalcula producit. Aristoteles tamen pro anima mundi Solem suo tepore omnes nostratis mundi particulas, à secundis causis præparatas animantem, sapientius reposuit, vt libro de Anima mundi, inuictis argumentis demonstraui: Ille enim habet seminarium omnium formarum, eásque prouidentia mirabili dispensat: Ille cum semine bouis bouem, cum hominis semine hominem generat, atque si omnes homines ad vnum periissent, si credimus Auicennæ, posset ex luto, suo calore nouum reformare, animaque sua animare: ignis enim Promethei est calor Solis, cuius intelligentiam Hebræi Michaëlem, Græci Apollinem, Latini à iuuando, Iouem appellârunt: nec παντοτεχνία tribuenda est materiæ, vt placet materiariis physicis, sed efficienti vt Plato scripsit, Aristoteles demonstrauit. Itaque ranis & piscibus sæpenumerò pluisse non est mirum, cum Sol in aere, vt in aqua & terra, E sit fœcundus, dum modò idonea illic suppetat materia. Si addidero quòd Heraclides affirmat apud Laërtium, suo tempore hominem, & Auicenna spectatore, bouem ex aere medio cecidisse, videbor fabulas recitare: multa tamen vero similia in hanc sententiam scribit Plutarchus libro de Facie Lunæ, vbi Pythagoreorum fabulas confirmat, qui affirmant globum Lunæ habitari. Sunt qui terram viuentium interpretantur.

SCHOLION. A

Seminis duæ sunt partes, materia & forma. Appello materiam spumosum excrementum quod ex reliquijs tertiæ coctionis deponi in venam magnam, & inde à testibus attrahi docuimus: formam verò genitorem spiritum cui vt primario subiecto vis procreandi insidet quem solum insectorum mares in fœmellas emittunt: Materia cum sit similaris habeátque partes omnes eiusdem nominis & rationis, & à toto deriuetur, in quaque sui particula refert ideam totius: eo enim sensu apud Aristotelem Anaxagoras homiomeriam primum rerum omnium principium cōstituebat eandémque πανσπερμίαν, *rerum omnium seminarium appellabat: omniáque in omnibus, si non proxima, saltem remota potentia: ne quis posthac miretur mole tam exigua tantam vim includi, & totius operis exemplar tam pauca materia contineri: spiritus genitor, vt eo redeat discursus vnde deerrauit: ex trium spirituum vnione consurgit. hepar enim naturalem per venas: cor vitalem* B *per arterias: cerebrum animalem per neruos, quos obseruauit Vesalius ad testes deriuari: Hipp. per arterias ad spinam, quibus ponè aures incisis sterilitas inducitur: hic vt ex omnibus conflatur, sic omnium vires possidet quibus partes omnes conformat, vitali vitales, animali animales, naturali naturales: Quæ si ita sint, non tantum materialiter, sed etiam formaliter semen à toto deciduum est, omnésque partes ad generationem aliquid contribuunt.*

DE SEMINIS NATVRA, PRÆSTANTIA, AC viribus, ídque omnium tum spirituum, tum facultatum causam esse.

CAP. V. C

Qvemadmodvm quædam nigrescunt calore, vt carbo: alia frigore, vt nubes, ita quædam albescunt coctione, vt lac, pus, semen: alia frigore, vt nix, grando: nam vt mammæ menstruum in lac conuertunt, & dealbant, sic testes in vasis spermaticis præparatum sanguinem commutant in semen, quod Pythagoras spumam sanguinis finiebat: quò spectans Galenus 1. de Semine, non ignorasti, inquit, Aristot. semen vitalis spiritus plenum esse, illud namque spumæ perbellè assimilasti, docens ab eo bullas quamplurimas visum præ tenuitate fugientes, & in vnum coeuntes excitari: neque fabulam ignorasti, qua fingitur Venerem natam ex spuma, cuius talis est origo: Humida omnia si motu & agitatione incalescant, vertuntur in spumam, eamque copiosiorem excitant, si crassa & viscida, vt albumen oui: Calor enim excitatus motu, pro- D ducit spiritum, qui humorem inflat, & attollit in bullas: atqui corpus seminis est humor viscidus, nam si fortè ceciderit in terram, ambientis frigore dissipato spiritu, illicò in humorem pituitæ similem facessit: non est tamen pituitosus & aqueus, sed aerius potius & pinguis humor: proinde sua substantia calidus & humidus, ex accidenti frigidus. Spiritus verò genitor, magnitudine perexiguus, imò non dimensus, viribus est immensus, quas dum attentius contemplaretur Galen. neque conciperet, vt animatum fieri possit ab inanimato, ausus est scribere, semen non tantùm potentia, sed etiam actu esse animatum: Vt enim, inquit, calorem, qui potentia inest calci, nemo non dixerit calorem, sic animam, quæ latet in corpore seminis, cur non licebit animam appellare? Tantisper hîc consistamus: hæc enim doctrina continet magnarum rerum fundamenta, plurimúmque refert, si anima cum semine traduca- E tur, an cœlitùs infundatur. Infundi enim contra Lactantij & Tertulliani opinionem Patrum concilijs statutum est. Galenus cum Stoïcis non putat naturam rationalem posse fieri ab irrationali, faciamus ita esse, erítne propterea semen actu rationale? Hoc posito, quid erit aliud hominem fieri, quàm corpus conformari & ita dicam organizari? quid si rationalem naturam interpretemur cœlestem. & planè diuinam substantiam, quam ad generationem hominis docuimus cum homine concurrere, aut hominem ipsum non hominis semen! Nónne Sol non calidus calefacit, & cos non acuta acuit? Nónne quæ agunt ἐνεργητικῶς, agunt perfectiùs, quàm quæ παθητικῶς? at hæc quam habent affectionem, imprimunt patienti, illa verò, quam non habent ἐντελεχείᾳ sua excitant. Ergo maior erit seminis perfectio, si dicatur ἐνεργητικῶς generare, &, cùm rationale non sit, facere nihilominus rationale: præstátque illud potentia,

quàm

A quàm actu dicere animatum. Potentia autem quædam præcedit actum, qualis in ignorante dum capax scientiæ dicitur, alia formam sequitur, cuiusmodi est in sapiente, dum dormit: hoc modo iam docuimus, non esse semen animatum, sed neque ipsum animari potest: stultè enim diceretur capax animationis, quare formali potentia, eò quòd animare possit, vt Sol non calidus calefacere, esto semen animatum: nam quod fit, nondum est: animatur autem fœtus à semine, estque anima finis generationis: Atqui finis est causa externa: Ergo malè Themistius illam ipsam sibi domicilium architectari iudicauit. Enimuerò si semen sit actu animatum, & ex vtriusque parentis semine formetur fœtus, ex duobus actibus fiet actus vnus, cùm tamen doceant Philosophi differre synthesin à γενέσει, quòd natura generet, ars componat: componit autem artifex, dum ex multis actu existentibus facit vnum actu, generat
B natura mutatione potentiæ in actum: Ergo cùm id solùm denominet, quod præsens & actu inest, nemo, si sapit, dicat semen simpliciter, sed cum adiuncto, potentia animatum: potentia inquam formali, non materiali. Adhæc si sit actu animatum, est animal: At anima est actus corporis organici. Themistio fauet hoc argumentum Galeni. Vitulum vix dum natum cornu petere, pullum equinum calcitrare nondum solidis vngulis: catulum, licet infirmos dentes habeat, mordere, volucres è nidis statim euolare, abundè testantur animam, quæ his partibus vtitur, earundem vsum prænosse, ac si ipsamet eas fabricarit, non ab alio fabricatis vtatur. Respondetur hæc fieri πεφυκότως ἀπὸ τοῦ πεφυκέναι, quia natum sit ita fieri: singulas enim particulas vt natura aliquo fine & in certos vsus gignit, ita vim illis ingenerat, vsum & functionem exercendi, vtque infans primo natiuitatis momento, oculo videt colores, aure so-
C nos audit, sapores, odores, & tractabiles qualitates discernit, sic manibus apprehenderet & pedibus ambularet, si mollities materiæ pateretur, veteres hanc vim τὸ πεφυκὸς seu naturam appellabant. Quærenti enim cur ita fieret, nil aliud respondebant, quàm natum esse ita fieri.

SCHOLION.

HVMOR viscidus, vt albumen oui, si diu agitetur vertitur in spumam: atqui materia seminis est humor viscidus, itaque clunium, quinetiam corporis totius longa & vehementi agitatione spumescit: motu enim augetur calor, à calore aucto excitatur multus flatus, quo dum humor turget facessit in spumam: hinc semen à Galeno igneum & aerium dicitur, igneum ratione caloris &
D spiritus: Aerium, ob humorem pinguem & oleosum: spiritus iste genitor dicitur, quod habeat vim conformandi, hoc est instrumenta omnia dearculandi, seruata in singulis iusta proportione, in figura, magnitudine, numero & connectione: Quæ omnia facit prout postulat vsus, cui vouet instrumentum: vsus enim est pro fine, finis autem opificis actiones dirigit, est id cuius causa efficientes agunt omnia: Conformatricis istius facultatis præstantiam admirans Galenus non dubitat illam diuinam, & rationalem nominare, quia tanta cum ratione facit omnia, vt manifestum sit eam dirigi à causa aliqua rationali, siue illa sui vestigium aliquod impresserit semini, siue spiritum non aliter quam pictoris manum moderetur: Platonici inferiores causas volunt esse instrumenta superiorum: Huic quæstioni attexenda est altera, si semen viuat, & quomodo, an vt planta tantum, an vt animal: cum enim sit tertiæ coctionis excrementum, non videtur viuere: quod si partes ipsæ à toto decisæ non viuant, estne consentaneum semen à partibus vt quid inutile derasum viuere? verumtamen exceptum vtero nutritur materno sanguine, procreat alte-
E rata primum, deinde conformata materia: At hæc animæ vegetantis sunt opera: Itaque viuit vita plantæ: vt semen proiectum in terram profert aliquid simile, nam vt ex vno grano tritici renascuntur infinita, ita vna seminis eiaculatione formatur fœtus, qui primum vegetat vt planta, nutritur quippe, crescit, deinde verò conformatis sensuum organis incipit sentire & moueri vt animal: In qua quidem structura, physici nihil agnoscunt diuinum & admirabile, quia semen tam ratione materiæ quam formæ profert exemplar sui operis: si spiritus genitor possideat omnium facultatum vires, quid mirum si totum differentibus partibus animalibus, vitalibus, naturalibus constitutum proferat? si tantillum materiæ quod à iecore manat vim procreandi similem afferat, Aliud quantulumcùmque fuerit quod à corde profluit conferat eandem facultatem, quid mirum si ortum semen tantum opus & tanta industria perficiat?

DE FOEMINARVM SEMINE. A

CAP. VI.

TESTES, propter exuperantiam caloris, prominent maribus, quos,
vt talpæ oculos propter eiusdem inopiam, mulieres intus reconditos
gerunt: quibusdam enim virilitatis insignia, quæ ante annos puberta-
tis delituerant, rupta repentè membranula eruperunt. Eadem causa
mutus, qui videbat hostem insidiari Crœso, & iam districtum ensem
regis ceruici imminere, exclamauit: ô homo, ne occidas Crœsum: non est alia
causa cur podagrici & paralytici multi, qui prius beneficio progressionis priuati mi-
serè decumbebant, subito instantis mali, vt ruinæ domus nuntio, terga verterint,
& celeri fuga suæ vitæ consuluerint: Omnium materia communis, idem efficiens, B
spiritus quippe & calor: finis diuersus: libidinis enim stimulus calorem cum spiritu
traxit ad pudenda: Vrgens necessitas vtrumque ad resolutum membrum, officiosus
animus ad impeditam linguam transmiserunt. Sed ad rem: natura nil facit frustrà:
cum ergo sit opus testiculorum semen efficere, mirum cur Aristotel. qui videret fœ-
minis datos esse testes à natura, eas semen emittere ignorarit. Respondetur: illum
mulieribus humorem spermaticum, qualem pueri, spadones, & qui laborant go-
norrhœa, profundunt, non propriè dictum semen concessisse: cùm enim fœmina
Aristot. opinione, sit mas læsus & occasionatus, atque vt ille loquitur, πεπηρωμένον ἄῤῥεν;
corpore frigido & imbecillo, animo impotenti, haud dubiè ad virum comparata,
eam habet rationem, quam materia ad formam, nec crassum & corpulentum, sed C
tenue & dilutum semen emittit, quale si vir reddat, sterilis iudicatur: non aliud viduæ
per ὀνειρωγμῶν effundunt, non aliud Obstetrix eduxit, spectante Galeno digito in
sinum pudoris immisso: eadem causa magister amoris odit concubitus, qui non
vtrinque resoluunt, & alibi damnat festinam venerem, vt fiat vtriusque seminis
concursus: virilis, vt formæ & efficientis: muliebris, vt materiæ quo vtatur, velut
Phidias cera.

SCHOLION.

*MARIS & fœminæ congressu animalia perfecta generantur; Mas Arist. opinio-
ne contribuit efficiendi principium, fœmina materiam: fit enim fœtus à semine
virili ex menstruo: Gal. tamen secundo de semine manifestis argumentis demon-
strat, fœminam quoque semen emittere: primò quod habent testes & vasa sper-* D
*matica, natura autem nihil faciat frustra: Secundò, quod viduæ quæ veneris con-
suetudinem intermiserunt, si suffocentur ab vtero, redeunt ad se excreto humore albo, & crasso:
Accedat, quod sine viro, pudendorum sola confricatione, semen emittant: respondent peripa-
tetici nomen seminis in Aristotelis doctrina esse homonymum, quod habet vim generandi simi-
le, genituram ab illo nominari eámque à solo mare procedere: fœmina quidem emittit seminifor-
mem liquorem, non semen: Hippoc. verò non tantum existimat fœminam emittere, sed etiam à
muliere fortius quam à mare: dari enim potest quædam mulier quodam viro calidior, ab hoc
quod exibit semen erit fœmineum, ab illa verò, masculum. Respondent Peripatetici rara non
esse artis, tradi enim præcepta physica de his quæ fiunt semper, saltem vt plurimum: Atqui ra-
rum est fœminam esse calidiorem viro: Itaque maneat hoc ratum & confessum, à viro solo emit-
ti prolificum semen, à muliere dilutius, quod in ortu habeat potius rationem materiæ quam effi-* E
*cientis, virili enim cedit in pabulum, alioquin cur mulier non generat in se si subsit cum menstruo
prolificum semen? Aristot. existimat viri semen exceptum vtero conuerti in spiritum qui ex
sanguine materno fœtum efformat: medici vero à genitore spiritu ex spumoso excremento tam
viri quam mulieris partes spermaticas (vt fibras) veluti operis totius prima lineamenta pro-
creari, sanguineas ex sanguine. An spiritus iste opere perfecto dispareat committátque introdu-
ctæ formæ opus suum regendum: An potius ipsemet manet in opere, vt idem sit seruator qui
fuit genitor?*

*Si anima transmittatur cum semine vt placet Lactantio & Tertulliano, non absurdè Stoi-
ci spiritum animæ substantiam appellabant: si verò cœlitus infundatur, vt patrum concilijs sta-
tutum est, alius est ab anima: huc pertinet quæstio magna Peripateticorum contentione pugna-
ta. An anima sibi ipsi domum ædificet an ab alio iam facta vtatur: Nam si extrinsecus adue-*

niat

A *niat opere perfecto, vtetur iam facto, si traducatur cum semine, sitque eadem cum spiritu, ipsa sibi efficit domicilium: Videtur mihi mens ab anima distinguenda, sola enim mens, extrinsecus accedit, cum cæteræ omnes formæ connascantur & commoriantur materiæ, sola mens metaphysica, proinde incorporea, & immortalis, non est facilè nec est cuiusuis benè dubitare, difficilius multo dubia soluere.*

DE MENSTRVO. CAP. VII.

SOLA animalia viuipara, eáque non omnia, congerunt crudum sanguinem, comparatione mulieris paucum, quòd in pilos magna portio absumatur, quem menstruum vocamus, quod singulis mensibus excernatur. Colligitur autem quod ita expediat seruandæ speciei, excernitur
B quod hoc postulet commoditas indiuidui, suppressus enim graues morbos inducit, nisi transferatur ad procreationem & nutritionem fœtus: materia eadem quæ alimentarij sanguinis: efficiens, frigidior natura, & otiosa vita: calidiores enim & quæ exercentur, pauciorem aceruant: Excretionis non est tempus definitum: quibusdam enim fluxit nono ætatis anno, quæ eodem conceperunt, vt plurimùm tamen anno pubertatis fluit, copia tum primum grauante, & calore venas dilatante, quibus etiam causis tum pueri semen emittunt: menstruæ enim fluxionis videtur naturalis, & eadem, quæ aliarum fluxionum causa, nam quoties excretrix facultas quantitate aut qualitate materiæ irritatur, toties menses, nisi quid impediat, vt obstructio aut impotentia excretricis, exeunt. Atqui sanguis prima lunæ quadra, eò quod sit calida & humida, dominatur: Secunda, calida & sicca, bilis: Tertia,
C frigida & sicca, melancholia: Quarta, frigida & humida, pituita: Itaque nec certum, nec idem omnibus videtur tempus fluxionis constitutum: In melancholicis enim naturis, melancholica lunæ quadra turget, & commouetur melancholia, bilis excandescit in biliosis, luna biliosa: Quòd si ratione & exemplis certandum sit, prima potius quadra, quam postrema vt visum est Hipp. menstrua fluere sic aliquis demonstrarit: Luna in menstruum, vt in alios humores habet imperium. Atqui humores, luna calida, qualis est crescens, aut plena, turgere potius & commoueri, hęc abundè declarant: quod ostrea, & mituli, quin medulla in osse, sanguis in venis, cerebrum in cranio augentur simul cum luna, & eadem decrescente minuuntur: Oceanus tum intumescit, & epilepticos paroxysmus inuadit, polypus in nare apparet luna plena, noua vt plurimùm disparet: Enimuerò cùm agat luna calore &
D lumine, aucta autem causa augeatur effectus, nõne probabile est calida potius quàm frigida luna menses fluere, præsertim cùm frigus astringat, & ad omnes tam naturæ, quàm animæ functiones sit ineptum? nisi vt Boreæ & Austri flatu contrario catarrhus excitatur, sic luna tam frigida quàm calida menstrua fluxio prouocetur: Auster enim, quia humidus, humectans, quia moderatè calidus, dilatans, mouet fluxionem: Boreas verò dum collectam excludit, comprimendo.

Menstrui malignæ qualitates, quæ feruntur ex Plinio, aut sunt falsæ, aut in menstruum malè affectum conueniunt: est enim quantitate, non qualitate excrementum, quo nutriri non posset fœtus, si venenatas vsque adeò qualitates haberet: non nego mulierem, cui menses naturæ conuenienter fluunt, non tentari dolore articulorum, non pleuritide, peripneumonia, Asthmate, apoplexia, lethargo, sputo san-
E guinis, synanche. Eosdem verò retentos, syncopem, leucophlegmatiam, icterum, phrenetidem, causum, conuulsionem, rigorem, maniam, epilepsiam: elephantiasim denique inducere: Sed suppressi, quia non difflantur, & à calore suo deseruntur, putrent. Eadem sunt, quin maiora multò, retenti seminis incommoda, quò enim quidque nobilius est, dum integram seruat naturam, eò redditur deterius, cum ab illa recedit: non est propterea semen malignum excrementum: nónne vides toto gestationis tempore vt retineantur ad nutritionem fœtus? si quibus enim tum temporis fluunt, quod raro contingit, è venis ceruicis, non ab vtero fluunt, alioquin abortirent. Quibusdam placet benigniorem menstrui portionem cedere fœtui in alimentum, reliquias manere, & post partum excludi, de quibus prædicta maleficia interpretantur: quod etsi probabiliter dicatur, vix tamen concipio, vt tantum venenum tandiu reseruetur innoxium fœtui. Ad hanc quæstionem duas pertritas ad-

iungamus: priorem, vtrum mulier sit frigidior viro: Posteriorem, vter maiorem in coitu sentiat voluptatem: Parmenides enim, vt est apud Arist. calidiores hoc argumento demonstrabat, quod abundent sanguine: nisi enim qui redundat, singulis mensibus vacuetur, malè habent. At menstruum non est simpliciter, sed cum adiuncto, crudus sanguis, proindéque inopiam caloris non vbertatem indicat: Afferunt alij probabilius argumentum: Quod absens refrigerat, præsens calefacit. Atqui dum fluunt menses, mulier refrigeratur: Ergo retenti, calorem augent. Respondendum, febrilem augeri, non natiuum, nec aliter calidiores esse retentis mensibus, quam febrientes sanis. Doctius ergo Empedocles, earum naturam frigidiorem iudicauit, ex corpore molli & glabro, animo effœminatiore: propterea enim maiores nostri eas in tutorum potestate esse voluerunt, nec vlla ciuili administratione fungi, quod nec corpus haberet venerandum, nec animum: eósque ridiculo verbo Græci γυναικοκρατουμένους, Latini vxorios appellárunt, qui à fœmina, vt galli à gallina, se subigi patiuntur. De altera quæstione videtur cum Tiresia sentiendum, qui expertus vtrumque sexum, exortæ inter Iouem & Iunonem controuersiæ designatus arbiter, pro mulieribus tulit sententiam: nam vir depletur, mulier impletur, percipítque voluptatem, tam emittendo, quàm recipiendo, vterus quippe feminę, vt famelicus venter edulio, delectatur: ne tamen inuolent fœminæ in meos oculos, & quam Tiresias incurram pœnam, non temerè de controuersia statuendum. Maior voluptas dicitur, aut quæ diuturnior, qua causa Philoxenus postulabat sibi dari collum gruis, vt ex tactu & mora longiore maiorem caperet voluptatem: Aut quæ acutior: Eo itaque reuocanda quæstio, sítne cameli, toto die concumbentis, voluptas maior, quam passeris momentanea: nam viri acutiorem esse, hæc demonstrant: Spiritus titillator est autor venereæ voluptatis: at virile semen est calidius & spirituosius: Item exquisitior est tactus, propter duos neruos eximij sensus, qui in glandem inseruntur: vt ergo prurigo scalptu, ita titillatio quæ fit pudendorum confrictu & agitatione, viris acutiorem affert voluptatem: Age verò, instituto conuenientius exemplum proponamus: Biliosi breuior quidem, sed acutior est voluptas, pituitosi diuturnior, sed languidior, vtra maior? certè cum eadem sit ratio contrariorum, dolor autem sit maior, qui acutior: fieri enim debet confertim, estque indolens alteratio, qualis exsiccatio hectici, quæ fit sensim: videtur maiorem biliosus, quàm pituitosus voluptatem capere in congressu. Audiui ego viros naturæ frigidioris, qui iurarent, se plus laboris quàm delectationis sentire in coitu. Atqui quam biliosus ad pituitosum, eandem vir ad fœminam habet rationem. Ergo viri vt acutior, ita maior voluptas, quàm mulieris.

A B C D

SCHOLION.

Galenus secundo de semine non tantum muliebri semini, sed etiam menstruo vim aliquam efficiendi attribuit, quod tamen cõparatum virili materiale potius quam formale, patiens non efficiens videbitur: Appello menstruum crudiorem sanguinis portionem, quæ ab anno pubertatis ad annum circiter quinquagesimum singulis mensibus excernitur à natura, quibusdam affatim exeunt, quæ intra duos aut tres dies repurgantur: Alijs paulatim quibus repurgandis vix sufficit vna septimana: hac purgatione omnes leuantur, si modo & ordine procedat, nam siue excedat, siue deficiat morbum parit: Cur anno pubertatis incipiunt fluere? Quia prius exiles sunt venæ, quas tum primum calor incipit dilatare: adde quod puellarũ corpora plurimum difflantur difflatione crudioris huius sanguinis, congeriem impedire: puberes autem manifestam sentire mutationem hoc indicat, quod tum primum mammæ illis tumeant, vocem mutant, edúntque inæqualem, quod est Aristot. hircire, non hircum olere, aut hircorum modo lasciuire, quædam liberalius purgantur vt quæ frigidioris sunt & humidioris naturæ, & quæ in otio degunt: quædam parcius, vt calidæ siccæ, & quæ exercentur: Digerit enim & dissipat calor superfluam illam portionem: si subsistierint expectandum tempus ordinarium consuetæ fluxionis vt habeas naturam adiutricem. E

A ## DE SEMINIS CONCEPTIONE, ET PRIMA *hominis constitutione.* CAP. VIII.

FABVLATVR Protagoras apud Platonem hominē primum à natura factum
fuisse Androgynum, antica parte virum, postica fœminam, diuisum posteà à
Prometheo, quia commodius visum est opifici, vt seiunctæ partes vmbone
vniātur: Huius cōiunctionis finis, quibusdam videtur voluptas, qui ob id negant vl-
los concubitus caueri à natura, sola lege quosdam illicitos: Hi sunt, Epicuri de grege
porci, qui id solum existimant bonum quod iucūdum, humanarumq; actionum ex-
tremum finē constituunt, corporis, non animi voluptatē: Nos verò in meliore scho-
la instituti, fatemur naturā speciei sollicitam mēbris generationis, Veneris illecebras
B indidisse, ne congressum, turpem alioquin, animalia auersarentur, omnia enim dira
cupido agit in furias, sed voluptas est accessoriū cōgressus, finis, soboles ad quem na-
tura belluas ducit, nos ratio: non ergo quæuis voluptas à natura conceditur, sed quæ
sit cum ratione & honestate coniuncta, & ad alium finem referatur: Gulæ enim vo-
luptate frui licet, ad necessitatem, non ad delectationem. Porrò vtrum semen in si-
num & capacitatem vteri iniiciatur, vt pro Hipp. disputat Gal. contra Arist. Hero-
philum, Dioclem, Praxagoram & Philotimum: An ad os vteri consistat vnde in ca-
pacitatem attrahatur non aliter quàm serpens à ceruo, vnde ἔλαφος dicitur, non vt qui-
busdam placet à celeritate, in contrarias partes paribus ferè rationum momentis dis-
putatur, nám semine concepto, tam arctè clauditur vterus vt ne graphij cuspidem
admittat, ergo concūbente tum muliere quò semen euadet? quidam respōdent mu-
C lieres, præsertim pingues, vtero hiante tempore eiaculationis superfœtare, proinde
ad tempus aperiri os internum vteri: vtrumuis dicatur, non magnopere referre exi-
stimo: Præstat quid sit conceptio: & signa concepti seminis explicare: neque enim
conceptio, vt existimat vulgus cum Auicenna, est comprehensio virilis seminis ab
vtero, sæpe enim per tres dies retentum effluit, sed retēti ad officium promotio: Nam
tum propriè mulier dicitur concepisse, quando quæ latet in semine vis procreandi,
insita vteri virtute, ad opus excitatur: Conceptum semen indicant quæ sequuntur:
Voluptas in coitu solito maior: propterea horret, strider, & tota conuellitur, non
enim temerè, Democritus appellabat coitum, paruam & momentaneam epilepsiam,
Extremorū refrigeratio, eò concurrente calore: Vt fias certior, mulier ante somnum
bibat melicratum, nam si conceperit, sentiet tormina: augebitur coniectura si con-
D sueto tempore menses non fluant, si mammæ turgent, si appetentia deiicitur, aut
deprauatur: Quidam existimant, si dextra mamma tumet, marem, si sinistra, fœmi-
nam designari: Si pulsus vehemens & velox, si mulier prius dextrum pedem mouet,
& cùm surgit, potius dextro brachio innititur, mas coniicitur. Considerandum
etiam atque etiam cuius inguinis venæ sint tumentiores, ea enim parte probabile est
sanguinem aceruari in nutritionem fœtus. Ad conceptionem hæc requiruntur: pe-
nis iustæ magnitudinis, longiore enim tractu semen refrigeratur, breuior non potest
ad internum os vteri semen iniicere: visi sunt tamen, qui propter cancrum, resecto ad
tres digitos pudendo, prolem susceperunt, vteri valida attractrice, quin Auenrois au-
tor est, quasdam à viro in balneo emissum semen vtero traxisse, & concepisse: Sed ra-
ra non sunt artis, eiaculandi enim facultas tam necessaria est ad conceptionem, vt se-
E men pudendo veluti lachrimante, haud confertim, emissum, non comprehendatur,
multo minus concipiatur. Præterea debet esse multum, crassum, corpulentum, nam
paucum, tenue, dilutum, est infœcūdum: erit mediocre, si in aquam cadēs petat fun-
dum: Vterus verò sit temperatus, quia humidior seminis fœcunditatem, vt terra pa-
lustris, obruit, siccior alimentum non suggerit, calidior, calorem seminis non minus
quàm frigidior corrūpit: moderatus enim calor, tam excessu quàm defectu corrum-
pitur: hinc rutæ, iuniperi, aut hederæ, non minus quàm papaueris, vsu frequenti pro-
les impeditur: frequentior etiam coitus impedit procreationem, siue quòd ceruix
vteri frequenti attritu fiat callosa, & nulla tandem voluptas sentiatur, namque volu-
ptates commendat rarior vsus, siue quod facultas vsu elanguescat, quibus causis me-
retrices raro concipiunt: Sunt qui nexu ligulę concubitum impediri posse affirmant,
quod genus incantamenti attigit Virgilius, dum scribit.

Necte tribus nodis trinos Amarylli colores A
Necte Amarylli modo, & Veneris dic vincula necto.

Eiusdem meminit Augustinus tractatu tertio in Ioannem. Albertus verò, in cuius nomine virga lupi ligata fuerit, inquit, non concumbet. Villanouanus, acum quæ syndonem ad sepeliendum mortuum consuerit, infixam lecto, affirmat virum reddere Veneris impotentem. Quod, acsi verum esset, N. Florentinus accidere putat, quia spiritus per sympathiam afficiantur, vnde conturbata phantasia, terrifica fingit spectra, quorum metu penis flaccessit, calore in præcordia retracto: Vitari autem ista maleficia scribit idem Villanouanus, si vir pronubum annulum permingat. Hæc quàm vera sint, disputo in opere de abditis causis: Quo capite quæro: an verba sint efficacia, vbi de figuris, characteribus & amuletis multa planè metaphysica: Nunc physicum pensum exoluamus: An mulier sit sterilis his signis conijcies: Pannis tecta, ex aromatis, vt myrrha, & styrace, suffitum infernè excipiat, si mauis ex B iisdem fac pessum, & suppone, si odorem percipiat, non est sterilis. Quidam ex croco in aqua saluiæ diluto parant collyrium, quod in magnum oculi angulum instillant, affirmántque mulierem fœcundam esse, si naribus odorem, lingua saporem collirij sentiat, hæc tamen non esse sterilem ab obstructione, non absolutè aptam esse ad prolem, ostendunt.

SCHOLION.

NATVRA marem à fœmina generationis instrumentis distinxit: vterus viri semen excipit non aliter quàm terra plantæ, exceptum deducit in actum, non tantum calore, sed connata proprietate: quod est concepisse, est enim vterus conceptionis instrumentum: si ad septimum diem semen intus permanserit, inquit Arist. sept. de hist. animal, conceptum esse certum est: Sex primis diebus quia seruat adhuc suam formam ab Hipp. genitura nominatur, à die septimo ad secundum mensem cõceptus: antequam incipiat moueri & palpitat, infans appellatur: Ad conceptionem requiruntur, imprimis idonea instrumẽta, id est benè temperata & cõformata: nam vterus intemperatus aut malè conformatus, nõ concipit. Testes sunt infœcundi si frigidi aut perexigui: Penis breuior, aut iusto longior est ineptus ad prolem, qui fuerit benè temperatus & conformatus, debet arrigere, intromittere, eiaculari: erigitur penis cum neruus cauus tumet multo flatu: vt intromittat, desideratur longua arrectio: nulli arrigunt, & intromittunt, non eiaculantur, sed lachrimante veluti pudẽdo semen illis effluit: An in sinum vsque vir semen eiaculatur vt placet Gal. an potius ad interius os vteri subsistit, vnde sugitur ab vtero vt visum est Aristoteli: Fernelius fauet Aristoteli, eiusque sententiam Oribasij testimonio confirmat: hoc modo mulier superfœtat: vterus enim quamuis tempore gestationis arctissimè clausus, tamẽ se aperit instar mi- D *tulorum aut ostreorum, vt pabulo suo fruatur, mox se claudit: non ergo per vteri cornua grauida semẽ emittit, nam toto nouimestri spatio quo semen istud euaderet? præstat elidi ad orificium internum, vnde refluit nisi sugatur eo quo dixi modo: quod est superfœtare: rarum in hominum genere: Auicenna victus quæstionis difficultate negat grauidam semen emittere.* C

PRIMA ANIMALIS CONFORMATIO.

CAP. IX.

NATVRA fecit vterum rotundum, quod hæc figura sit capacissima, neruosum, vt facilius dilataretur, omni etiam genere villorum intertexuit, vt rectis semen attraheret, obliquis retineret, transuersis feminis opus, stato tempore foras excluderet, quod cum diu contineri vellet ad perfe- E ctam elaborationem, fecit illum interiori parte asperum: Procreationis, me iudice, talis est modus: Comprehensi feminis spirituosæ & efficaces partes concurrunt in centrum, crassiores in superficie manent, quibus resiccatis fiunt membranæ, non aliter quàm panis, aut placentæ crusta in furno: cum enim spuma sit viscida, facile à circumstante calore in tunicam concrescit: vt autem arbor triplici cortice, sic fœtus triplici tunica, tegitur: Allantoide, Chorio, & Amnio, quarum vsum & necessitatem suo loco exponemus. Partes igneas & aerias concentratus spiritus, in substantiam suæ similem conuertit, vnde nascuntur impellentia, quorum ministerio vis procreandi ex crassiori portione seminis, partes spermaticas, ex menstruo sanguineas conformat: An verò spiritus iste genitor dispareat opere perfecto, an maneat in opere, mancipatus meliori formæ, postea disquiremus. Hunc per totum

totum semen effundi vt agat contagione, quod vult Fernelius meo iudicio, non est
A necesse: Deus enim Pythagoreorum opinione, in centro manens, regit vniuersum, nec est particula mundi illius præsentia destituta: sanè quæ agunt, tangere necesse est, sed physico, si non Mathematico contactu, sic magnes tangit ferrum, qualitate & viribus, non quantitate, si mauis, non proximè, sed mediatè.

SCHOLION.

CONCEPTO semine genitor spiritus vt intẽdat vires ad operis sui perfectionem sese recipit in centrum: Imprimis autem sibi fingit inuolucrum quo, non aliter quam cerebrum vtraque meninge, inuoluitur: quod deuterium nominant, vulgo secundina: quod tribus constat tunicis, prima quæ proximè fœtum attingit & totum inuoluit, ἄμνιος appellatur: secunda, quæ circundans amnium vterum contin-
B git eique per acetabula, quæ cotilidones appellantur, adhæret, χόριον nuncupatur: vtrique interiecta ἀλλαντοειδὴς, quæ fasciæ modo cingit medium fœtum à cartilagine mucronata ad pubem: Constat duabus tunicis inter quas fœtus per οὐραχὸν, vrinam deponit: ex venis & arterijs vteri plurimæ enascuntur quæ per χόριον dispersæ tandem in duas magnas venas totidémque arterias coeunt quæ vmbilicales appellantur: per venas, fœtus trahit alimentum, per arterias calorem & spiritum, ex his venis & arterijs cum οὐραχῷ, constat vmbilicus: ἄμνιος sudorem excipit vt allantois vrinam: Cur fœtus vt secundæ & tertiæ, ita primæ coctionis nullum reddit excrementum? quia non excipit ore alimentum, sed vt dixi, per vmbilicales venas quæ inseruntur iecori, nutritur: nam parte caua per venam portam maternum sanguinem sugit instar plantæ: nigrum illud & pici simile quod infans statim à partu deijcit, Aristot. μηκώνιον appellat, Gaza papauerculum: est crassus & liuidus sanguis quem per venas mesaraicas natura in intestina deposuit: ve-
C rum pergamus, concentratus spiritus ex crassamento fibras ducit, veluti prima operis lineamenta, quarum interstitia replet sanguine, qui resiccatus fit caro.

Dispareátne opere perfecto accessione melioris formæ vt placet Aristoteli non aliter quam architectus absoluta domo, habet enim rationem efficientis: Atqui duæ tantùm sunt causæ internæ, quæ manent in re constituta, materia & forma: totidem externæ; finis, & efficiens. An manet vt ministret animæ? An potius anima ipsa est vt placet Stoicis? quam idcirco traduci cum semine & sibiipsi domum ædificare Peripatetici melioris notæ Aphrodisæus, & Themistius existimarunt, verum si anima sibi ipsi domicilium ædificat, quid fiet noui, quid erit aliud procreare quam materiam detornare atque vt ita dicam organisare?

VT DE PARTIVM CORPORIS PRINCIPATV, ita & de conformationis ordine magna contentione certetur.

D

CAP. X.

QVO ordine partes conformentur non conuenit inter Galenum & Aristotelem: nam Aristoteles cor, quia primum viuit, vltimum moritur, primum formari existimat: Enimuerò si vna sit, simplex & indiuidua animæ substantia, & aliqua in parte resideat, in qua dignius & commodius locari potest quàm in corde? In medio vis maior, vnde facilius in omnem partem effunditur: non quod velim cor esse medium rei, æqualiter distans ab extremis, hoc enim modo vmbilicus est medium, nam cẽtrum dicitur, à quo ad circumferentiam ductę lineę sunt æquales, si autem in hominis decussati vmbilicum circini pedẽ vnum defigas, alterum vndique circumferas, circulum describes: sed medium perfectionis,
E quo modo sol, est cor, & medium mundi: Cor enim non tantum dignitate & perfectione, sed etiam prius est causa, cum sit fons vitæ & caloris, reliquæ autem partes fiant à calore vitali: demus Galeno partes principes simul inchoari: In hoc tamen vertetur quæstio, vtrum cor ante iecur perficiatur, cerebrum enim postremum perfici nemo dubitat: Commune est Aristot. & Gal. fundamentum: eam partem prius perfici, cuius vsus est magis ad vitam necessarius: Assumit verò Galenus, maiorem esse hepatis quam cordis necessitatem, quia vt sanguinis, ita nutritionis sit principium: Addit hepar esse sedem facultatis vegetantis, hominem autem primum viuere vita plantæ: operosiorem esse cordis quàm hepatis structuram & compositionem: qua de re satis multa scripsimus libro de facultatibus animæ: ad reliqua pergamus: Vnumquodque simile, inquit Hippocrates, se refert ad simile, densum ad den-

sum, rarum ad rarum, humidum ad humidum, spiritus verò ex illis tale quiddam A constituit, quale erat illud à quo decesserunt: ex biliosa seminis aut menstrui portione partes biliosas facit, ex pituitosa pituitosas: eadem enim sunt nutritionis, quæ ortus principia, quædam partes nutriuntur biliosa portione sanguinis, vt pulmo, aliæ pituitosa, vt cerebrum, quasdam igitur ex biliosa, alias ex pituitosa, molliores ex molliori, duriores ex duriori, seminis & menstrui portione formator spiritus componit. Mas vt plurimum trigesimo, fœmina quadragesimo die delineantur: Quærat tamen aliquis, si calor qui fœminam genuit eam nutrit & auget, qui fit vt tardius formetur quàm mas, ocyus accrescat? Respondetur: hoc fieri ratione materiæ mollioris & obsequentioris: non videtur tamen sic planè soluta quæstio, nam eadem ad numerum materia subest accretioni & formationi: An materia mollis, est sequax, & dilatabilis, non formabilis, cum prius sit resiccanda. Quæri solet: cùm vnumquodque retineat naturam sui principij, semen autem calidius sit sanguine, qui fit vt non B tantum partes sanguineæ spermaticis calidiores, sed etiam spermaticæ, temperatura sua frigidæ iudicentur? An tactu quidem tales sentiuntur, reuera tamen calidiores hæc argumenta conuincunt, quòd illis resectis totum corpus refrigescat, & marasmus ab illis incipiat? An efficientis potius habenda est ratio quàm materiæ, coguntur autem frigore? An potius fiunt à calore, sed cuiusuis, materiæ solidioris longa & difficili elaboratione dissipetur? agens enim physicum eò magis patitur, quò patiens contumacius est & magis resistit. Dissensio sic componitur, ratione substantiæ, non viribus & qualitate, spermaticas calidiores: substantiam appellant materiam non formam. Huic quæstioni affinis est altera: Cur soluta cõtinuitas partium spermaticarum non possit, vt sanguinearum, reuniri: in pueris quidem & naturis C mollioribus, exiguæ & tenellæ partes calescunt, at magnæ, in adultis, numquam, sed aliquid simile, vt callus regeneratur: An vitio efficientis? opere enim perfecto placet Galeno vim formatricem disparere: At nos docuimus vitio instrumentorum, non formæ impotentiam accidere: An potius inopia materiæ? at nutriuntur & accrescunt semine, quod sæpenumero quantitate molestat. Enimuerò cum dentes post nascantur, quis neget materiam & efficientem superesse? dicendum igitur appulsu sanguinis ad partem læsam, anteuerti regenerationem: Oppressa enim natura, eo vtitur pro remedio quod est præsentius & obsequentius: At sanguis copiosus vbique præsto est, citò itaque accurrens ad partem læsam, resiccatur, minimóque negotio in callum concrescit: Quare natura facit, non absolutè, sed pro tempore & vrgente necessitate, quod præsentius & commodius est.

D

SCHOLION.

PLACET Aristoteli primo de ortu animal. & primo de partibus cor esse primum dignitate, ortu, & causa: dignitate, inquam, quia præstat omnibus, cum sit animæ sedes: Enimuerò si qua in parte sit collocanda animæ substantia quæ facultatum ministerio totum regat, vbi melius locari poterit quàm in medio perfectionis & commoditatis? Ortu, quia primum viuit & vltimum moritur: causa, quia calor, & spiritus inde emanant in reliquas partes corporis, est primus fons caloris cuius beneficio omnes partes functiones suas exercent: Galeni alia fuit sententia, hepar enim origine prius esse contendit, quia sit sedes altricis animæ: viuit autem homo primum vita plantæ: ibi verò vegetantem animam potius residere demonstrat, quia hic duo sint trunci venarum, porta & caua, per quas iecur sanguinem E toti dispensat: medici tres partes principes volunt simul inchoari, nam in genitura sex dierum quam psaltria excreuit scamno dissiliens Hipp. consilio, apparebant tres bullæ, trium partium principum prima exordia, prius tamen perfici iecur, quia maior illius sit necessitas, carere enim potest fœtus initio, vitalis spiritus influxu, At non magis quàm planta sine alimento potest viuere. Cur Hipp. contra iusiurandum consuluit psaltriæ, vt è scamno prosiliret ad excutiendum fœtum? studio perquirendæ veritatis: putauit hoc sibi licere primis diebus quia viuit vt planta, nondum homo est, propterea qui abortum primis diebus prouocauit hominem non occidit: nobísne idem licet, minimè verò, quia rei dubiæ veritas iam innotuit: quidni si sit planta? quia homo futurus est, viuit quidem vt planta, sed homo est in fieri si non in facto esse.

DE

A

DE FOETVS PERFECTIONE ET COMplemento. CAP. XI.

Dearticvlata infantis membra paulatim à calore reficcantur, & solidantur, senſorijs autem perfectis, incipit ſentire, mox moueri, duriores enim nerui requiruntur ad motum quàm ad ſenſum, quia motus eſt actio, ſenſus perpeſſio, non eſt autem motus vt neque formationis tempus definitum, licet Auicenna, quin Gal. ipſe formationis & motus tempora ſic inter ſe comparet, vt ad tempus formationis, tempus motionis ſit duplum: Si mas, exempli gratia, formetur vno menſe, mouebitur tertio: Si fœmina, 40. dic formetur, mouebitur circa finem menſis quarti: Nutritur craſſiori ſanguine per vmbilici venas ad hepar, te-
B nuioti & ſpirituoſo ad cor, per eiuſdem arterias tranſmiſſo, non enim ore capeſſit alimentum, ſed illud hepate, vt planta radice, trahit, vnde fit vt nullam aluus reddat proluuiem: Lotium, huius coctionis excrementum, per vrachum natura in Alantoidem deponit, ne acrimonia ſua lædat fœtum, aut vterum irritando, excitet abortum: cum tempus inſtar puerperij, eius effuſione vias dilatat, & lubricas reddit: Sudorem Amnios excipit: Infans iam grandior prodit in lucem, partim vteri conatu, illius enim mole & excrementorum copia grauatus ſeſe exonerare contendit, partim proprio & ſuo motu, ſpirandi enim neceſſitas, inopia alimenti, & anguſtia loci, cogunt illum exitum appetere: Acceleratur verò aut tardatur partus, prout dictæ cauſæ intenduntur aut remittuntur. Quidam ſeptimo, vt plurimum nono, rarò decimo, rariùs vndecimo, naſcuntur: Cur non octauo? Contingit certè,
C non frequenter, neque vitalis eſt, quídni? quia octimeſtris partus difficilis eſt & laborioſus, ſeptimo enim menſe infans quærens exitum, vteri tunicas diſtendit, ſibique ex conatu laborem, matri extenſione dolorem affert: quaſi verò, dicet aliquis, quietevnius menſis vires colligere non poſſit. Agedum queſtionem examinemus: Quod alicubi fit non tantum poſſibile eſt, ſed etiam naturale. Atqui Naxius partus, pro octimeſtri prouerbio celebratur, quod in Naxo inſula octauo menſe fœliciſſimè procedat, idemque Ariſtot. in Ægypto, Auicenna in Hiſpania, accidere affirmant: nec deſunt hiſtoriæ quæ apud Græcos & Romanos octimeſtrem partũ eſſe vitalem ſuadeant: Cùm ergo ſtultum ſit, ratione pugnare contra ſenſum & experientiam, pro antiquitatis reuerentia quid reſpondendum? neque enim conſentaneum eſt, tot tantóſque viros temerè in Hippocratis opinionem conceſſiſſe: Reſpondendum, quod
D aliquando & alicubi fit, non eſſe naturale; ſed quod fit ſemper, aut vt plurimum, vix enim quidquam dari poteſt in natura tam certum & conſtans, quod contrario aliquo exemplo refelli non poſſit, quia naturæ opera, materiæ, motus, loci, & temporis circunſtantijs ſunt obnoxia, quorum cauſa innumerabiles mutationes accidunt, quare quæſtionis veritatem cum ratione diligentius examinemus, & opinionis Hippocraticæ cauſas perquiramus. Quidam cauſantur imperfectionem octonarij, ſed cum actio ſolis formis & qualitatibus conueniat, numerus autem ſit quantitas, neque accidens poſſit eſſe principium ſubſtantiæ, inefficaces eſſe numeros, nec eſſe prima rerum principia ponamus, quod Ariſtot. contra Pythagoreos & Platonicos poſtremis libris ſuæ ſapientiæ demonſtrauit: Accedat Orpheum per octonarium iuraſſe tanquam per numerum quem exiſtimaret omnium præſtantiſſimum.
E Aſtrologi probabiliùs cauſam acceptam ferunt Saturno, ſunt enim ſeptem planetæ, duo benigni, Iupiter & Venus, totidem maligni Mars & Saturnus, reliqui mediæ & ancipitis naturæ: ponunt autem, non demonſtrant, Saturnum primo menſe dominari, Iouem ſecundo, Martem tertio, Solem quarto, Venerem quinto, Mercurium ſexto, Lunam ſeptimo, quæ à Latinis Lucina, à Græcis ἄρτεμις nuncupatur, quòd ſuo tepore facilitet partum, inde fieri putant, tum vt infans exitum quærat: octauo menſe, vices redeunt ad Saturnum, qui cum ſit frigidus ſiccus, proinde principiis vitæ, calido humido, contrarius, clauditur os vteri, nec ſine moleſtia prodire poteſt in lucẽ: non diſſimili cauſa natus quarta Luna pro eo qui infœliciſſimè natus eſt prouerbio celebratur, habet enim eaſdem cum Saturno qualitates, areſcente autem vulua & algente, non poteſt partus non eſſe difficilis & laborioſus. Supereſt magnum naturæ miraculum, quod ſtata die valuæ dehiſcant, à partu mox occludantur:

Hoc, inquit Gal. fieri videmus, ſed quomodo fiat admirari tantum poſſumus: Aui- A
cenna appellat opus ſupra mirabilia omnia mirabile: Quidam putant os ſacrum loco
moueri, alij oſſa pubis diduci, alij os coccygis retrahi & verſus poſteriora inflecti,
ego malim ſuſpendere iudicium, quàm temerè pronuntiare: quare ad reliqua per-
gamus. Data porta infans procedit in caput, (eos enim qui in pedes exeunt ab ægro
partu Latini Agrippas, vt Cæſares qui cæſo matris vtero extrahuntur, appellarunt)
crebra & vehementi calcitratione Amnio primum, mox Allantoide diſruptis, dein-
de Chorio ab acetabulis quibus alligatur diſtracto & diuulſo. Singulis àuulſionibus
puerpera ſentit dolores, quibus non temerè vulgò perſuaſum eſt, partum adiuuari.
Cum verò mas in vtero abdomen, fœmina dorſum reſpiciat, haud dubiè mas exit
facie in podicem verſa, fœmina ſitu contrario. Quod ad extremum ſubiungit Ferne-
lius ex Arabum doctrina, ſi mulier concipiat fluente menſtruo, naſciturum elephan-
ticum, non omnibus doctis probatur, quia vix ac ne vix quidem tum mulier con- B
cipit, propterea quòd fluore ſemen deturbatur, quòd ſi fortè concipiat, illico ſiſti-
tur fluxio ad procreationem: Iudæis tamen non licet tum vxores contrectare, me-
tu iſtius impuritatis, quam haud dubiè Moſes præuiderat. Quidam lunarem partum,
ſeu miſerum, & infauſtum interpretantur, qui fluentibus menſtruis conceptus eſt,
fluunt autem ſæpius Hipp. opinione, quarta Luna.

SCHOLION.

*AVICENNA totum tempus geſtationis in tria tempora diſtinguit, quia totidem inſi-
gnes mutationes fœtus patitur in vtero: Conformationis, motionis & partus: quæ ita* C
*inter ſeſe confert, vt ad tempus conformationis (τύπωσιν vocat Hipp.) tempus mo-
tionis ſit duplum, Ad tempus verò motionis tempus partus ſit triplum, exempli gra-
tia, ſi mas conformetur die trigeſimo quod eſt tempus breuiſsimum, mouebitur ſexageſimo, exibit
in lucem centeſimo & ſexageſimo, hoc eſt menſe ſeptimo lunari, ſi verò conformetur die quin-
quageſimo, quod eſt conformationis tempus longiſsimum, incipiet moueri die centeſimo, prodibit
trecenteſimo die, hoc eſt vndecimo menſe lunari. Denique prout celerius aut tardius confor-
matus fuerit, celerius quoque aut tardius exibit: Quæ etiamſi probabiliter dicantur, & nitantur
authoritate Galeni, commentario quarto in librum de alimento, tamen hanc temporum pro-
portionem duo argumenta videntur refellere: Prius, quod octauo menſe fœtus non minus erit vi-
talis quam ſeptimo aut nono: quod ita demonſtro: authore Hippocr. conformari poteſt die qua-
drageſimo, proinde mouebitur octuageſimo, fruetur vſura lucis 240. die, hoc eſt mēſe 8. Poſterius,
quòd cum, vt plurimum mares formentur die 30. fœminæ 40. erit maſculini partus ſeptimeſtris,* D
*fœminæ nouimeſtris: Atqui maribus & fœminis idem geſtationis tempus à natura definitum eſt:
geſtantur paſsim tam mares quam fœminæ nouem menſibus, ergo falſa eſt trium temporum geſta-
tionis proportio: Sed cur octimeſtris partus non eſt vitalis? Hipp. adfert duas cauſas, primam
quod infans affectet exitum menſe ſeptimo, exeátque fœtus ſi robuſtus fuerit, alioquin opus ha-
bere vnius menſis quiete vt recreet vires, quia nouum laborem tam cito perferre non poteſt: Se-
cundò quod octauus menſis incidat in quartum quadragenarium, qui eſt infœlix, partus enim eſt
quædam criſis, indicatúrque non aliter quam morbus: Atqui vt morbi acuti malè iudicantur
octauo die, ſic longi octauo menſe: Ergo cum partus longis morbis reſpondeat, octimeſtris eſt
ſymptomaticus potius quam criticus: Aſtrologi cauſam tribuunt Saturno, primo menſe ſuum
imperium fœliciter exercet, quia ſiccitate retinet, opus eſt autem ſiccitate ad retinendum ſemen:
ſed eadem qualitas partui eſt inimiciſsima: Ergo cum octauo menſe imperij vices ad Saturnum* E
*redeant, non poteſt partus non eſſe infauſtus. Hipp. menſem ſeptimū conſtituit fœlicis partus ini-
tium, decimū verò eiuſdem terminum: Montuus tamen affirmat ſe nouiſſe Pincernam Henrici
ſecundi, Galliæ regis, qui natus quinto menſe, viuebat tamen robuſtus in ætate adoleſcētiæ. Ariſt.
putat geſtari poſſe ad menſem vndecimum: hæc diſſentio nō tantum phyſicos, ſed etiā imperatores
in ſententias cōtrarias diſtraxit: nam Adrianus pronūciauit pro Ariſt. vndecimo menſe partum
edi poſſe. Iuſtinianus verò cum Hipp. negauit fœturam in tam longum tempus trahi poſſe: Matri
longa decem tulerunt faſtidia menſes: refert tamen Plinius ſecundus, Lucij Papirij prætoris edi-
cto adiudicatam fuiſſe infanti bonorum poſſeſsionem contra ſecundum hæredem, cum mater aſ-
firmaret ſe vtero geſtaſſe tredecim menſibus, quod fieri poſſe ſic demonſtrant. Ad partum tria
concurrunt: mater, vterus, & infans: mater cohibito ſpiritu & muſculos abdominis compri-
mendo iuuat partum, vterus à fundo ad os ſe prouoluit, vt onus excutiat: Infans appetit exitum*

coactus

A *coactus necessitate aëris, cibi, loci: nam grandior ad caloris ventilationem eget respiratione, alimento solidiore, & copiosiore, loco capaciore: Si ergo fœtus fuerit paruus, frigidus, imbecillus, quæ erit exeundi necessitas? non grauabit vterum, neque illum ad excretionem sollicitabit: ipse nulla aëris, loci, alimenti solidioris necessitate cogetur: itaque gestabitur perdiu, vt ambientis occursum subitum potentius ferat: quod si partus respondet conformationi, caloris autem & formatricis impotentia, necnon humoris contumacia conformetur tantùm 50. aut 60. die, exibit vndecimo aut duodecimo mense: Contra: si calor fuerit tam potens, conformatrix adeò robusta, materia tam obsequens vt die vigesimo dearticuletur: nascetur quinto mense: sed rara non sunt artis, præcepta physica traduntur de his quæ si non semper, saltem vt plurimum fiunt.*

QVIBVS CAVSIS NATI SIMILES sint parentibus. CAP. XII.

B

GALENVS secundo de semine tribus modis natos similes esse parentibus ostendit: specie, sexu, effigie. Similitudinis speciei causam videtur potius in materiam referre quàm in formam, quia enim fœmina plus materiæ contribuit quàm mas, semen quippe & menstruum, si animalia diuersæ speciei congrediantur, vt hircus cum oue, aut aries cum capra, asinus cum equa, equus cum asina, vulpes cum canicula, canis cum vulpecula, illa semper suæ speciei cognominem fœtum producit: Quod non est vsquequaque verum, Scribit enim Plutarchus ex Aristotele in mirabilibus: Aristonem, puellam honestam & formosam ex asina suscepisse, cui inde Onosceli nomen fuit: Idem ex Agesilao refert, Fuluium Stellium, ex equa venustam filiolam Hipponam nomine
C genuisse: obiter autem velim lectorem obseruare, si verè affirmet Galenus, in libro de vsu partium, quia breuius est viri pudendum, in loculos equæ semen eiaculari non posse, &, si admittatur, necessariò corrumpi: Aristoteles negat ex promiscuo concubitu vitale monstrum nasci posse, nisi & pariendi tempus, & magnitudo consentiant. Pergamus: Refert Ælianus, in pascuis Nicippi ouem ex leone leonem produxisse. Sanè non audeo referre in historiam quod scribit Plinius, Alcippem ab elephãto compressam, elephantum genuisse, vt neque Pasiphaem ex tauro Minotaurum, semiuirumque bouem, semibouemque virum. Quid plura? non semper fœtus est cõgener matri, nisi quis pro Galeno respondeat, quos proposuimus partus esse monstrosos, qui verò ἐπαμφοτεριζόντων congressu oriuntur, esse naturales, de solis autem naturalibus in scientia rerum naturalium mentionem fieri. Similitudinem sexus refert
D ad dissimilitudinem temperamẽti, ex calido enim vtriusque parentis semine, marem, ex frigido, fœminam exoriri: Alij ex virili potentiore marem, ex muliebri fœminam generari malunt. Effigiem attribuit robori facultatis formatricis: At illa in virili semine robustior, qui fit ergo vt nati sæpius matres effigie referant quàm patres? Respondetur ex Hipp. quarundem mulierum semen esse calidius virili, eamque vim augeri menstruo: à spiritu enim formatore & formabili materia, consurgunt: magnitudo, numerus, situs & conformatio partium (quæ figuram, cauitatem, asperitatem & læuitatem comprehendit) in quibus consistit effigiei similitudo. Fernelius mauult cum Plinio causam referre in phantasiam, quia non putat ratione Gal. explicari posse, cur sæpenumero fœtus, ignoti effigiem præ se ferat, qui nil planè contulit ad generationem: Equidem certè magna est vis phantasiæ in spiritus & humores, formo-
E sæ enim mulieris aspectu, quin imaginatione sola, plurimi illico arrigunt: Auicenna sola vi fortis imaginationis & credulitatis, existimat magos pluuias & tonitru excitare, quod, inquit, vulgus putabit impossibile, sed sapienti non admodum difficile videbitur. Autor est Arist. oues fœtus concolores rei quam attentè tempore congressus aspexerint, procreare: quod non latuit Israëlem: non potest tamen phantasiæ adscribi, quod in posteris & natis natorum renascatur iam in propriis liberis inter mortua progenitorum similitudo, nam in Ælide quæ cum Æthiope concubuerat, non peperit filium forma Æthiopis, sed natus ex filia nepos Æthiops fuit: & cuidam cum punctum esset brachium, non filius retulit hanc notam, sed nepos: Mirabere quæ scribit Plutarchus libro de sera numinis vindicta: Mulier, inquit, Græca, cùm nigrum enixa esset infantem, ob idque adulterij insimularetur, progenies Æthiopis quarta inuenta est: In corporibus quoque liberorum Pythonis Nysibiensis, qui

nuper vita functus eſt, haſtæ figura, ſignum Spartanis conueniens, poſt tanti temporis reuolutionem, tanquam ex altiſſima generis emicuit ſimilitudine: quorum cauſam his verſibus attigit Lucretius lib. 4. A

Fit quoque vt interdum ſimiles exiſtere auorum
Poſſint & referant proauorum ſæpè figuras
Propterea: quia multimodis primordia multi
Mixta ſuo celant in corpore ſæpe parentes.

Vt enim magnes per ordine cohærentes acus in quartam & vltrà, ſuam vim transfundit, ſic natura virtutem formatricem de ſemine in ſemen ſucceſſione tranſmittit. Quæ cùm præter opinionem & expectationem acciderint, iniuſtè videntur attribui imaginationi. Verùm pergamus: Si grauida mulier nouum ſemen concipiat, quod contingit pinguibus, ſuperfœtabit: falsò enim Plinius ſcribit præter daſypodem ſolum leporem ſuperfœtare, quandoquidem equos & mulieres ſuperfœtare experientia compertum eſt. B Gordonius affert exemplum ſuperfœtationis, quod ſimili illuſtrat Dodouæus. Gemellos pariet, ſemine in oppoſitos ſinus vteri, dextrum & ſiniſtrum; æquis portionibus diſtracto: non enim temerè marem dextra, fœminam ſiniſtra parte contineri ſcriptum eſt: non æquè probabile eſt, quod ſcribitur de ſeptem cellulis vteri, tribus dextris mares, ſiniſtris fœminas, media, hermaphroditos contineri: nil enim tale in vtero diſſecto apparet. Trogus autor eſt, ſeptenos vno partu genitos in Ægypto, & in Peloponeſo quater quinos: Auicenna teſtis auritus, non oculatus, mulierem vno partu abortiiſſe ſeptuaginta fœtus iam effigiatos: quod ſi mireris, mirare etiam quod affirmat Albertus: in Germania mulierem centum & quinquaginta reddidiſſe, quorum plurimis inerat motus dilatationis & constrictonis: putabat ſe excreuiſſe vermes, omnes tamen præ ſe ferebant humanam effigiem. C

SCHOLION.

FILII *tribus modis ſimiles ſunt parentibus, ſpecie, ſexu, & effigie: Specie ſimiliores ſunt matri, quia plus contribuit, menſtruum & ſemen: plus tribuit plantis ſoli fertilitas quam coloni induſtria: Si vulpes ineat caniculam naſcetur canis vulpinis tamen moribus: ſimilitudo ſexus pendet ex vtriuſq; parentis ſemine, quæ ſi calida fuerint marem, ſi frigida fœminam producent.*

Similitudo effigiei pendet à victoria alterutrius ſeminis, ſi vincat ſemen paternum, patrem; ſi maternum, matrem infans vultu referet: robuſtius enim ſeu calidius ſemen habet conformandi potentiam vegetiorem. Fernelius mauult cauſam acceptam ferre imaginationi: Galenus imaginationi quoque plurimum attribuit, ſic enim ille lib. de Teriaca: Conſului Æthiopi qui formoſam prolem exoptabat vt pedibus lecti appenderet imaginem pulchræ virginis in quam tempore congreſſus oculos & mentem dirigeret, paruit, nec defuit euentus. D *Extat facetum & elegans epigramma Thomæ Mori in quo ridet Sabinum quod natos ſibi ſimiles pro legitimis agnoſceret, alios vt ſpurios abdicaret; falleris inquit, nam vxor tua cum verebatur abſens ne redires, & thalami coniugalem fidem violantem offenderes: toties tibi ſimilem prolem ſuſcepit, at illa congreſſa tecum adulterum cogitans illi ſimiles, imaginationis vi, effingebat, lege Ariſtotelem 4. de hiſtoria animal. cap. 3.*

VNDE ET QVONAM ORDINE ANIMÆ *facultates conceptui, tanquam genitæ accedant.* E

CAP. XIII.

FACVLTAS quæ connaſcitur, eadem commoritur materiæ, atqui vegetandi & ſentiendi facultates in certo materiæ temperamento eſſentiam habet, quo ſublato, aut malè affecto, actio vel non fit omnino, vel malè fit, vtraque igitur facultas vaneſcit ſoluta temperie & harmonia corporis: ſola mẽs non eget corporis auxilio ad intelligendum, eâque extra corpus liberius contemplabitur, quo veluti ſepulchro, aut carcere concluſa, per feneſtras tantùm aſpicit rerum ſuperficies, ex quibus interiores formas & eſſentias cogitur diuinare. Accedit autem opificis ineffabili prouidentia iam ſenſuum organis inſtructo & præparato corpore

corpore, si quadragesimo die, quarto mense, aut extremo formationis momento, non potest, neque debet à natura mortali definiri: sunt enim diuinæ sapientiæ arcana, quorum scientiam Deus deorum, ne iunioribus quidem diis communicauit. Semen causaliter, si mauis effectiuè animatum, insito animationis principio, informat fœtum vita plantæ, mox belluæ, mens tandem extrinsecus accedit, cui facultates istæ mancipantur: vnius enim rei vnica est forma & perfectio summa.

SCHOLION.

QVAMVIS fœtus primum viuat vt planta, deinde vt animal, tandem vt homo: nunquam tamen planta aut animal dici potest, quia vna & continua motione vnicam acquirit formam: formantur res in tempore, formatæ sunt momento: vegetatio est via ad sensum, sensus ad rationem; quæ sola hominem perficit atque denominat.

FINIS.

IOANNIS RIOLANI

AD

LIBROS FERNELII DE ABDITIS RERVM CAVSIS COMMENTARIVS.

PHILIPPO HVRALTO VICE-COMITI Cheuernij, vtriusque ordinis Regij Equiti, Franciæ Cancellario, Prouinciarum Aurelianensis, & Carnotensis præfecto,

IOANNES RIOLANVS S.

PRÆCLARE Pindarus, virtutem heroum matrem nuncupabat (Cancellarie dignissime) neminem enim inter heroas antiquitas retulit, qui virtute duce, ad tantum honorem sibi viam non fecisset; hic fortitudine, ille sapientia: Virtutes verò cum quædam sint mentis, aliæ moris, ab hisque bonus, ab illis doctus quisque nominetur, non est dubium tam bonis quàm doctis, seorsum ad hanc gloriam facilem aditum patere. Quod si quis probitati scientiam adiungat, si vtraque laude inter suos emineat: quis dubitet eum, dum in viuis agit, omni honore colendum, cum decesserit è viuis, statua decorandum? His

gradibus maiores noſtri in cœlum aſcenderunt: Quibus tu ad eum dignitatis gradum perueniſti, quem ſummum ex virtute ſperare poſſunt mortales in hac vita: Tibi igitur vni debetur quod eſt ſummum in hac vita, (RECONDITARVM CAVSARVM SCIENTIA) quam ad imitationem Fernelij à nobis deſcriptam, tibi nuncupamus: Si probetur tibi, & indoctus erit, & improbus cui non probabitur. A

B

IOANNIS RIOLANI AD LIBROS FERNELII DE ABDITIS RERVM CAVSIS COMMENTARIVS. C

MVNDI ELEMENTA SOLAM materiam genitis quibuſque rebus impertiri.

CAP. I.

E... cognoſcit quidem omnia perfectiùs quàm belluæ imperfectè tamē.

NATVRA belluas ad paſtum abiecit, idque tantùm quod adeſt, quódque præſens eſt intueri voluit: hominem verò meliori ſorte & conditione creauit: Quamuis enim illæ quotidie ſolem mundo illuceſcere, eoque, ineunte vere, ad nos reuertente, plantas reuiuiſcere, vt nos intueantur, D vni tamen homini veluti priuilegio conceſſum eſt, diſcurrēdo cognoſcere, hoc ex illo veluti effectum de ſua cauſa dependêre: Aſtrorum motu, calore & lumine, vniuerſitatem gubernari, philoſophi conſtanter affirmant, ſed quomodo hoc fiat, quæ ſit luminis eſſentia, vtcumque diuinant: tantum abeſt vt perfectè demonſtrent.

Eſt procul à nobis adeo præſentia veri.

Nemo dicitur perfectè ſcire, qui rem in cauſas vſque primas non reduxerit, quotus quiſque eſt qui ſummas rerum cauſas intelligit?

Fœlices animæ quibus has cognoſcere primùm,
Inque domos ſuperas ſcandere cura fuit.
Credibile eſt ipſas pariter dictiſque iocíſque,
Altius humanis exeruiſſe caput. E

Cur de abditis cauſis hoc opus inſcripſerit Fernelius.

Actiones omnes à facultatibus emergere, facultates alicuius eſſentiæ eſſe conſequentes, nemo in naturæ contemplatione mediocriter verſatus ignorat: Sed quæ ſit illa facultatum & functionum parens ſubſtantia, planè ignoratur, philoſopho enim ſatis eſt eam nominare formam: at, inquam, huius formæ realis ſubſtantia quæritur: quam cum ſibi ignotam ſapientiores ingenuè fateantur, quis credat cœleſtium formarum eſſentiam, à quibus promananr ſublunares, illis eſſe perſpectam? At hoc demum ſcire eſt: Itaque prudenter Ægyptij Iſidis ſeu ſapientiæ pedibus ita ſubſcribebant: Nemo mortalis meum peplum adhuc detexit. Arrogantiùs Euchetæ [dicti ex eo Gnoſtici] ſe primarum cauſarum intelligentia tandem Deum æquare poſſe gloriabantur: modeſtiùs Socrates, cum diu multumque in rerum diuinarum & humanarum

A manarum cognitione desudasset, hoc vnum se scire confessus est, quòd nil sciret: vt enim oculus noctuę caligat ad diurnum lumen solis: ita mens nostra ad primas rerum causas. Eadem modestia diuinus Hipp. in morbis diuinum quiddam inesse affirmabat: quod siue occultum & inexplicabile, siue cœleste aut à Deo profectum interpreteris, vt puta flagellum sceleratorum, fortassis ad autoris mentem, haud dubiè ad rei ipsius veritatem aptè & accommodatè dixeris. Cuius opinionis demõstrationem in sequentem librum differemus, æquum enim videtur, vt in omnibus operibus naturæ diuinum quiddam latere primum demonstremus, quia si hoc, priore libro manifestis argumentis euicero, minore negotio in morbis & remediis quoque diuinum quiddam inesse, posteriore confirmabo. Age verò quia in operibus naturæ diuinitatem quærimus, à natura ipsa totam disputationem exordiamur.

B Ægyptios accusauit antiquitas, quòd multas belluas & plantas adorarent.

O sanctas gentes (inquit Satyricus) *quibus hæc nascuntur in hortis*
Numina.——

Qui tamen eorum mysteria penitiùs inspexerit, eos in plantis & belluis naturæ numen coluisse facilè mecum affirmabit. *Iupiter est quodcunque vides, quodcunque moueris.* Ille est in quo sumus, viuimus & mouemur. Est ne credibile bonarum artium primos parentes, à quibus Mosaicę & Christianę religionis primordia dimanarunt, quorum sapientiæ desiderio incensus Plato, tot tantaque terræ & maris pericula subiit, creaturas seipsis abiectiores coluisse, cùm quod quisque veneratur, id seipso præstantius opinetur? Non ergo plantarum & belluarum corpora diuinæ & humanæ sapientię proceres coluerunt, sed interiorem & communem illam formam per quam vegetant

C plantæ, sentiunt belluæ, homines ratiocinantur. Deus enim amictus aëre, peruadit vniuersum, terrasque, tractusque maris, cœlumque profundum: non est vlla mundi particula illius præsentia destituta: nullus angulus in quo non possimus meritò naturę numen reuereri:

Quò fugis Encelade? quascunque appuleris oras,
Sub Ioue semper eris.

Miramur Ægyptiorum loquentes statuas illisque propterea diuinum quiddam inesse suspicamur. Cur non miramur potiùs hominem interprete lingua de diuinis & humanis tam sapienter differentem? An quia hoc ordinarium est, illud rarum & extraordinarium? At monstra quoque sunt rara, opera naturæ à quorum perfectione aliqua ex parte deficiunt, ordinaria: In his tamen extant certiora diuinitatis vestigia. Appella igitur quomodo lubet vim illam ex effectis planè diuinam quam vi-

Quò fugiā à conspectu tuo? Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernū, tu hic ades.

D des diffusam per vniuersum, spiritum seu animam mundi, naturam naturantem, ordinariam Dei potentiam, vim singulorum omnium genitricem & conseruatricem: de nomine parum laborabo, dummodò de re constet, quomodocumque enim nomines, in ipsomet nomine numen aliquod elucebit.

Naturam ars quantum potest imitatur: differunt tamen quòd operibus naturæ insitum sit motionis principium (siquidem ab eo principio mouentur & reguntur omnia à quo procreata sunt) operum verò artificialium principium sit externum. Quāuis enim quædam sint αὐτόματα, quæ videntur à semetipsis moueri, vt horologia & Architæ columba, non habent tamen à semetipsis, neque à primordiis suæ generationis, suarum motionum principia, sed ab artifice, à quo inserta veriùs dixeris quàm insita, adiuncta meliùs quàm congenita. Solis operibus naturæ connascitur mo-

E tionis principium: quod materiam ne dixeris, quia est principium perpessionis, cuius causa res naturales patiuntur omnia. Nam immateriales substantiæ sunt impatibiles: quòd si ignis esset immaterialis, inquit Aristoteles, semper ageret, nunquam pateretur: patitur verò interitque causa materiæ non formæ, quæ etiamsi per se naturaque sua sit impatibilis, patitur tamen interitque causa eius materiæ, cui necessitate alligata est: si quæ forma, inquit ille, functiones suas exercere potest sine materia, haud dubiè est immortalis, vt metaphysica: si verò sine organis corporeis & materia certo modo conformata, nihil possit agere, non sui, sed subiecti vitio peribit: si dares seni oculum iuuenis, maneretque toto vitæ decursu instrumentum integrum & peræquè temperatum, perpetuò videret vt iuuenis: Itáne, dices, formæ omnes sunt ingenitæ & incorruptibiles? sic est: quomodo igitur differunt physicæ à metaphysicis? quia hæ absolutè sunt sempiternæ, quippe cum neque externum, neque

internum habeant hostem: illæ origine quidem cœlestes, causa materię sunt caducę, cui adiuncta sit priuatio, appetitus nouitatis, principium maleficum & corrumpens: Arist. docet formas physicas non generari neque interire, cùm ortus sit partium disiunctarum naturalis vnio, interitus earundem disiunctio: sed connasci materiæ & eidem commori, eo modo quo calor, alioquin immortalis: verùm de forma physica satis: mox de materia paucis disseramus. A

Id ex quo insito & manente fiunt res naturæ eorum materia est: atqui ex quatuor elementis natura res suas facit, eaque in mixtis manent: sunt igitur rerum sublunarium materia communis. Quemadmodum verò ex quatuor primis qualitatibus duę sunt patibiles, humor & siccitas, totidem efficaces, calor & frigus, habentque patientes actiuis comparatæ, rationem materię, ita si comparentur quatuor elementa calori cœlesti, quia illo agente, patientibus quatuor elementis, fiunt hîc omnia, habent rationem materię. Nonne vides vehiculo luminis quotidie cœlitus immitti calorem, qui immistus permiscet quatuor elementa ad generationem mixtorum? Aristoteli sunt quinque elemēta, seu primæ & simplicissimæ partes mundi, cœlum instar formæ & efficientis causæ, cui cætera subsunt, vt materia. Quatuor elementis seu primis partibus mixtorum (neque enim cœlum est pars mixti, quia est immiscibile) subest materia communis, cuius causa vltro citroque transmutantur. Ex aqua fit aër per rarefactionem, vicissimque aqua ex aëre per condensationem, rarescit calore, densatur frigore: in hanc materiam mixta omnia tandem occidunt, ex eaque oriuntur: Sunt quidem elementa corpora physica, ideóque ex materia & forma constituta, sed hæc sola ratione cognoscuntur, quatuor elementa sunt coniuncta, & primùm sensibilis materia mixtorum, de qua nil omnino decedit, quamuis assiduè pereant mixta, & elementa ipsa per partes non tota simul inter sese transmutentur ad generationem mixtorum: quò enim abiret, cùm in nihilum nil dissolui possit, quemadmodum neque ex nihilo quicquam fieri? Alioquin iampridem mundus periisset, qui tamen eam præ se fert faciem, quam retroactis sæculis, B C

Non alium videre patres, aliumve nepotes
Aspicient.-----

REI NATVRALIS FORMAM substantiam esse, non accidens. CAP. II.

NON est mirum si tot tantique nominis Philosophos exercuerit hæc quæstio, vtrum formæ rerum naturalium sint substantiæ, an accidentia: est enim non modò physicæ, sed humanæ sapientiæ fundamentum: in primis autem cuiusque scientiæ principiis constituendis diligenter laborandum, non semel Plato admonuit, quia caduco fundamento quæ superstruuntur, ruunt sua mole: materiarij physici id solum quod substat per se, substantiam appellabant, solam autem materiam per seipsam existere demonstrabant, quia formę physicæ sine materia nunquam existunt: imò verò eorum opinione sunt in materia velut in subiecto, quia sunt in ea non tanquam partes, neque ab ea diuelli separarique possunt: sunt quidem partes totius, non materiæ: Addunt alterum non minùs potens argumentum: formas naturales ex primis quatuor qualitatibus omnes emergere: nam (vt illi aiunt) quatuor primæ qualitates sunt formæ elementorum: calor ignis, humor aëris, frigus aquæ, siccitas terræ: id enim quod alterum definit, & ab omni alio separat, illius forma est, & specifica differentia: Atqui ignis nil aliud est quàm primum calidum, aër primum humidum, aqua primum frigidum, terra primum siccum, id est, quibus primò per se qualitates istæ conueniunt, cæteris participatione: iisdem qualitatibus ab omni alio separantur, nam ignis ex eo quòd sit calidus, ab omnibus quæ non sunt calida distinguitur, hoc ipso verò quòd sit primò per se, si malis absolutè calidus, differt à calidis omnibus: nam vnicum est in quoque rerum genere primò per se tale, cætera per illud talia sunt. Atqui primæ qualitates sunt accidentia: ergo & formæ physicæ, quę ex illis originem ducunt. Ad hæc agendi mouendique principium forma est: At ignis à calore sursum attollitur, materiam enim rarefaciendo tenuiorem & leuiorem efficit, frigus condensando eandem grauiorem reddit, sunt igitur eorum formæ. Præterea sola genera & species in ordinem D E

Ex accidēte non potest oriri substantia.

ordinem

A ordinem substantiarum ab Archyta & Arist. referuntur: atqui genus respondet materię, species composito: differentiæ aut ablegantur ad latus, aut in ordinem qualitatum referuntur: itaque illi formas non existimabant esse substantias, saltem non veras & completas.

Formæ [illegible] qualitates essentiales, ideóque substantiæ sed incompletæ.

Non est pretereundum placuisse Hesiodo, non tantùm physicas, sed etiam metaphysicas formas de sinu materiæ primum erupisse, veteresque physicos, illas excitari de potentia materię credidisse.

Agè, faciamus opificem vniuersi, quem primus Anaxagoras mentem appellauit, ministerio cœli, ex elementis mixta generare, æquum est vt circunferat exemplar eorum quę facit,

Mundum mente gerat, similique in imagine formet.

B Neque enim vilior est artifice, qui tamen operis, quod meditatur Architypon priùs agitat animo, quàm ad fabricam accedat. Atqui operis tam naturalis, quàm artificialis exemplaris forma accidens est, notio quippe in opificis intelligentia, ergo multò potiùs quæ cum materia rem constituit, cùm sit illius tantùm imago. His & similibus argumentis matetiarij physici suam de formis naturalibus sententiam confirmabant.

Platonici verò atque etiam Stoïci, matetiam per se informem (prout à secundis causis, calore potissimum & frigore præparatur) spiritum vniuersi variè participare existimabant, à quo illa informatur atque perficitur. Hęc forma per se communis, dum huic aut illi materię se adiungit, fit singularis, per se vna & simplex, distractione materię fit multiplex: cuius accessione ortum simplicem, eiusdem decessione interitum illi definiebant.

C Calidum hunc spiritum Zeno nominatim ignem appellabat, eumque continentem seu conseruatricem causam vniuersi nuncupabat: eundem in intellectuali substantia, intellectum: in animali, animam: in naturali, naturam appellabat: verùm Peripatetici negant præter quatuor elementa esse in mundo sublunari substantiam vllam permanentem: non ignorant quotidie de cœlo calorem influere, authorem vitæ & generationis, qui tamen non sit substantia manens, sed euanida & dissipabilis, eaque nouæ affluxu perenni, reparabilis qualitas: vt enim à corde ad singulas partes continenter affulget nouus calor cum spiritu, qui fixum assiduè vanescentem reparat: sic à sole (qui propterea cor mundi vocatur ab Homero) perpetuò nouus vectore spiritu dimittitur, qui substituatur in locum decedentis, quo miscente, ex quatuor elementis procedunt formæ rerum naturalium: quas esse substantias, his demõ-

D strant argumentis. Quod substantiam constituit illiusque pars est, substantiam esse necesse est: nunquam enim mille accidentia vel minimam substantiam constituerent. Atqui forma physica est pars mixti, eiusque totam substantiam complet iuncta materiæ. Est igitur substantia: equidem in vniuerso, vt in nobis actiones ferè omnes procedunt à calore, verùm vt instrumento non agente primario: quia vt Arist. docet aduersus Empedoclem, ignis agit sine modo, non potest obiecto præsente naturales suos impetus cohibere, propterea, inquit ille, tegendus est à causa meliore, quę illius inclinationes veluti artifex sua instrumenta dirigat atque moderetur, natura, inquam, in rebus suis generandis & conseruandis vtitur calore, vt artifex suo igne, hanc naturam qui accidens non substantiam esse defenderit, ille eodem iure accidentia esse priota & potiora substantiis affirmabit. Prætereà quod alterum exotnat,

E perficit, definitque, veriùs substantia dici meretur, quàm quod exornatur, peficitur atque definitur. Atqui materia per se informis, turpis, indefinita, formatur, perficitur, & in certam rerum speciem adducitur, præsentia formę: ergo forma physica non tantùm substantia est, sed melior & perfectior quàm materia. Enimuerò cum corpus, si quid habet perfectionis, id totum debeat formæ, vt corpus humanum animę, qui animam accidens corporis dixerit, nónne ille eam corpore abiectiorem esse affirmabit? Itaque materiariis physicis, hoc respondendum est, Primas qualitates non esse formas elementorum: nos tamen illis abuti pro formis, quia verę & substantiales eorum formæ ignorantur, quòd in profundum sinum materiæ sint immersæ, illiusque densis tenebris inuolutæ.

NATVRALIS CVIVSQVE CORPORIS A *simplicem esse formæ substantiam, neque hanc esse ex Subiecti formis ortam, contra Alexandrum.*

CAP. III.

CORPORA physica vel sunt simplicia, vt elementa, vel composita, vt mixta, eáque aut homogenea, aut heterogenea: lapides & metalla, non aliter quàm elementa, sunt similaria: vnaquæque auri particula est aurum, quemadmodum vnaquæque aquæ guttula est aqua, scintilla quæque, ignis: denique eorum pars quælibet, quantumuis exigua eiusdem est nominis & rationis cum suo toto. At heterogeneorum partes, vt stirpium & B animalium, nomine & specie sunt differentes. Alia enim est ratio ossis, alia nerui, alia radicis, alia trunci. Corporis homogenei forma, si placet, natura nominetur, heterogenei, anima: vt corporum physicorum primis differentijs, totidem formarum physicarum primæ differentiæ respondeant, sitque natura corporis similaris forma: anima dissimilaris. Sanè vt corpus similare est vnum & simplex, ita simpliciorem habet formam, paucioribúsque facultatibus instructam: leuia enim sursum feruntur, grauia deorsum, cuius motionis insitum principium physici omnes appellant naturam, quę qualiscunque sit, in singulis elementis citra controuersiam est simplex: in mixtis similaribus videri potest composita, seu exurgat ex temperamento, siue ex quatuor formarum elementarium vnione. Elementa enim ad generationem mixtorum secundum qualitates primùm alterantur, deinde formis vniuntur: Har- C monia quatuor formarum elementarium parit vnam & simplicem formam, quę forma mixti deinceps nuncupetur, quemadmodum ex qualitatibus mutua pugna retusis & ad mediocritatem adductis nascitur temperamentum, quod simplex dicitur vel compositum, prout in mixtione vincit, vel qualitas vna & simplex, vel alteri coniuncta: Calidum enim natura dicitur, in cuius mixtione vicit calor: temperatum, in quo omnes primæ qualitates æqualiter sunt permixtæ. Ex forma mixti, me iudice, procedunt tertiæ qualitates, quę specificæ & occultę proprietates vulgò nominantur: quemadmodum primæ & secundæ, quæ sunt manifestę, à temperamento. Forma mixti, si essentiam spectes, est vna & simplex: si facultates, multiplex: est enim totum potestatiuum, hoc est viribus tanquam partibus diuiduum: quod in totis similaribus, quæ natura tegit, vt in metallis & lapidibus non est obscurum, in D dissimilaribus verò vt plantis & belluis non æquè perspicuum: quia constant multis partibus specie differentibus, quarum omnium sua & propria est forma, per quam singulę sunt id quod sunt: os enim non est os per communem, sed per suam formam, quæ illud à cæteris partibus distinguit: omnes tamen conspirant in vnum, seruiuntque formæ totius, vt artifici instrumenta: natura illis omnibus non aliter vtitur quàm artifex suis instrumentis: fortassis vt ex hepate, messe & nete, vnus concentus exurgit, vna vis & simplex qualitas ex multis simplicibus commixtis: sic ex multarum partium formis in vnum conspirantibus ea nascitur harmonia, quæ forma mixti nominatur in similaribus natura, in totis dissimilaribus anima, in eorum partibus natura veriùs quàm anima. Vtrumque genus formarum naturalium, contemporanei physici, Aphrodisęus & Galenus, si non temperamentum, saltem ex tempera- E mento nasci putauerunt: quin Hippocrates ipse aphorismo quinto sexti epidemiōn, calorem natiuum appellat animam, passim naturam. Ego malim formas mixtorum ex formarum elementarium vnione, quam primarum qualitatum temperie exoriri, nisi ita alicui placeat, naturam à temperamento procedere, vel ipsummet esse temperamentum, animam ex vnitis formis, si malis ex harmonia quatuor formarum elementarium, vel potiùs ex formis partium dissimilarium conspirantibus in vnum: intellectum semper excipio, qui solus extrinsecus accedit: cum cęteræ formæ physicæ connascantur materiæ. Verùm, dicet aliquis, Plato in Phædone demonstrat animam non esse harmoniam: respondeo eundem Platonem in Timæo, vbi philosophatur subtiliùs animam nominatim appellare harmoniam: quam dissentionem componens Proclus: Est harmonia sui, inquit, non corporis: qua de re docti

Placet Fernelio formā mixti esse vnam & simplicem substātiam, quæ tamen ex formis singularum partium nō procedat.

A docti viderint. Hoc enim non potest esse commune animæ plantariuæ & belluinæ, cum in illis non sint partes ita diffidentes, vt in homine ratio & appetitus: mihi non videtur vis & constitutio animæ commodiùs explicari, & veluti ob oculos poni posse quàm harmoniæ similitudine, sed de nomine potiùs quàm de re motæ sunt rixę & contentiones infinitæ.

PARTIVM QVÆ IN COMPOSITO sunt, formas esse veluti quasdam præparationes inducendæ totius formæ, & eas esse multiplices.

CAP. IIII.

B QVAM attigimus quæstionem resumamus, in eáque explicanda paulò liberiùs exspatiemur. An heterogenei totius partes, tam similares quàm organicæ, singulæ temperamento & forma specifica differentes, per quam sunt id quod sunt (neque enim debet caro suo temperamento calido humido, quòd sit caro, alioquin calidum & humidum quodque, protinus esset caro) sed suum τὸ εἶναι acceptum debet formæ, quæ est vera rei cuiusque quidditas: materiæ, alioquin indifinitæ finitio: An, inquam, singularum partium vsqueadeo dissimiles formæ constituant formam totius, An sit quædam forma totius, ab illis omnibus distincta, quæ per omnes partes diffusa singulas exornet atque perficiat? Hoc qui dixerit, cuiúsque partis duas agnoscet formas, vnam propriam per quam est, alteram communem, à qua nouam perfectionem, vt puta vitam accipit: viuunt enim singulæ partes corporis viuentis, animæ præsentia, qua absente, desinunt viuere, seruant nihilominus proprias formas, per quas hoc dicitur os, illud neruus: retinent quoque sua temperamenta, quinetiam proprium modum temperamenti, à quibus multas habent facultates, partim manifestas, partim occultas, quæ latebant, neque sese tum exerebant, cùm subessent meliori formæ, eique, vt instrumenta seruirent; qua quidem abeunte quasi in libertatem assertæ & propriæ naturę redditæ, actiones edunt admirabiles: nam os milui piscis, si credimus Simplicio, trahit ferrum, quod non faciebat anima superstite, sic hepar lupi hepaticos iuuat, pulmo vulpis pulmonarios, vngula alces epilepticos: inferiores enim & abiectiores formæ, quamdiu subsunt meliori, obscurantur: neque tum actus & formæ, sed materię & potentiæ, si malis, patientis, non agentis

C

D causæ rationem obtinent: singulis enim partibus forma totius vtitur tanquam instrumentis ad obeundas suas functiones, neruo duro, ad motum, molli ad sensum, ac si omnium vsus & proprias actiones prænorit: Proinde cum finis sit prima & pręcipua causa in cuius gratiam efficientes agunt: faciátque natura certo fine omnia, & minimas totius particulas proferat, ad certos vsus, verisimile est similarium partium propria temperamenta, necnon conformationem instrumentorum esse præparationes ad meliorem formam: huic tanquam fini destinari totius corporis multiplicem alterationem: Agendi modo sine vllo doctore instructa anima audit auribus, videt oculo, gustat, saporúmque differentias distinguit lingua: denique vtitur vnoquoque instrumēto prout vsus postulat ad quem destinatur, quo argumēto persuadent ipsam sibi præparare & perficere domicilium, nō præparato ab alio, veluti precario vti, tra-

E duci cum semine, sibíque corpus apparare: Primùm bona temperie partium similarium ex quibus totum corpus bene temperatum, deinde instrumentorum iusta conformatione, quorum causa corpus totum iustè conformatum dicitur, postremò omnium vnione, pro qua Fernelius substituit spiritum, cui vt primo subiecto insidet natiuus ille calor, quem esse cœlestem postea demōstrabit: Qui, vt dicam liberè, videtur mihi sine causa à vulgari doctrina recedere, quia ipsemet spiritus est temperator & conformator: calore suo permiscet elementa, manens immixtus, magna cum ratione cōformat, etiamsi sit expers rationis, quia dirigitur ab opifice rationali: huic enim spiritui genitori insidet facultas conformatrix, per quam singula instrumenta ad suos vsus tam bene præparat, vt quicunque hoc diligēter contēplabitur, non possit opificem non admirari, & Deum aliquem tanti opificij architectum non suspicari: hinc Galenus hoc planè diuinum opificium admiratus, cuius nulla sit inutilis particula,

opus verè aureum, quod scripsit de vsu partium, conclusit hymno in laudem summi A illius opificis, cuius sapientiam vnaquæque particula abundè testatur, qua de re erit postea opportunior disserendi locus. Redeo ad Fernelium, qui vnionem partium videtur iniustè præteriisse: vt enim tres sunt primæ differentiæ morborum, intemperies, mala conformatio, & solutio continui: Ita triplex perfectio corporis in quibus sanitas consistit, similarium bona temperies, instrumentorum legitima conformatio & continuitas omnium, quorum aliquo læso nascitur morbus. Temperator & conformator spiritus est animæ primum instrumentum, si non anima ipsa, vt visum est Stoicis: malè igitur tertia preparatio corporis ad suscipiendam animam illi adscribitur.

REI NATVRALIS POTENTIAM *non esse suopte impetu ad formam progredi, sed haud secus atque actum de habitu formam elici de potentia materiæ.* B

CAP. V.

POTENTIA duplex, vna formæ, altera materię, hęc tota cernitur in patiendo, materia enim nullam habet vim nisi facilè aut difficilè patiendi, si quid patiuntur res naturę, id totum causâ materię patiuntur, ipsęmet formę physicę, si essent immateriales, vt metaphysicę, essent impatibiles: patiuntur verò tandemque intereunt causâ materię. Equidem cœlum, quamuis materiatum, est impatibile, sed constat alterius generis materia, nempe loco tantùm mobili, non transmutabili, potentiam ad vbi vocant Latini Aristotelis interpretes, non ad esse. C

Potentia verò formę, est vis efficiendi, totaque consistit in agendo, nam si quid agunt mixta, id acceptum debent formæ: quamuis enim actio & passio sint correlata; vtque nil efficit forma sine patiente materia, ita nil patiatur materia sine agente alia forma, tamen agendi principium à forma procedit, perpetiendi à materia, atque, vt semel dicam, res naturales ratione materiæ patiuntur, agunt vi formæ. Quæret aliquis, Si materia sit principium perpessionis, differatque à forma vt potentia ab actu, passio ab actione, qui fieri potest vt sit verum quod est in ore omnium, formas physicas educi de potentia materiæ? Respondeo, quicquid fit fieri posse, nihilque vnquam factum esse quod fieri non potuerit: denique in singulis quæ fiunt, potentiam semper actum præcedere, quia non ex quolibet ligno D fit Mercurius, sed siue arte, siue à natura fiat quidpiam, aptitudo debet præcedere, quam potentiam naturalem Philosophi nominarunt. Quamuis enim prima & communis materia per se informis & indefinita, formarum omnium sit capax, omnesque vicissim admittere possit, non potest tamen promiscuè & indifferéter, quamuis excipere, quia exempli loco, ad formam perfectiorem vt humanam certis gradibus proceditur, multisque modis corpus præparari debet priusquam illius suscipiendæ fit capax: Variæ præparationes materiæ efficiunt vt hæc leoninæ, illa bubulæ formæ sit capax.

Potentia materiæ de qua formæ naturales excitantur sunt variæ præparationes subiecti.

Quam quidem præparationem materiæ, quidam inchoationem formæ nuncuparunt, quamuis enim res omnes formatæ sint momento, formantur tamen paulatim & progressu temporis, per varias alterationes materiæ: Animatur bos atque E perficitur in tempore, animatus dicitur momento. Vt enim figulus fingit poculum, argillam diu multumque versando, tandemque dum extremam operi imponit manum, fictum perfectúmque poculum dicitur: Ita natura toto gestationis tempore efformat sensim, animátque fœtum, ad extremum, dum imponit finem operi, cessátque opere iam completo, eo ipso momento dicitur fœtus animatus. Hoc ab Aristotele in libris de motu subtiliter demonstrtum Fernelius videtur oscitanter & perfunctoriè legisse, ne quid dicam acerbiùs, dum formas de potentia materiæ non aliter educi putat, quàm actum ex habitu: habitum enim virtutis præuiis multis actionibus iisque inchoatis & imperfectis tandem assequimur: Contractum semel habitum actiones perfectæ comitantur: calefactione inducitur calor in subiectum, quod tandem effectum calidum recalefacit: A caloris habitu quæ procedit calefactio,

A calefactio, éstne similis actui qui de potentia excitatur? Actus consequens potentiam, naturam habet in quiete, non in motu, est habitus ipse, non actio præcedens aut consequens habitum. Equidem potentia præcedit, sed de se non profert actum: At habitus ex se producit perfectas actiones, nam fortis viuit fortiter, liberalis liberaliter, veruntamen potest in hoc esse similitudo, quod quemadmodum ab alia causa vt à voluntate habitus in actum educitur, sic potentia seu aptitudo & capacitas excipiendæ huius aut illius formæ quæ inest materiæ, iam à secundis causis præparatæ, non insito sed externo principio, vtpote caloris cœlestis efficientia, aut virtute procreandi à parentibus profecta & indita semini, educitur in actum: non est igitur similis musico dormienti (vt placet Fernelio) sed ignoranti potiùs. Ille enim excitatus à somno ex habitu musicæ quo præditus est, potest canere, aut musicam docere. At indoctus potest addiscere, non docere: addiscendi potentia, ab aliquo doctore potest promoueri & in actum deduci. Scientia quæ
B imprimitur animo, est habitus, analogus formæ physicæ introducendæ: aptitudo sciendi animæ ignoranti insita, similis est potentiæ propter quam materia est capax huius aut illius formæ præuiæ, eæque inchoatæ & imperfectæ actiones, ex quibus tandem acquiritur scientia, respondent præparationibus materiæ. Itaque non magis placet altera similitudo, qua potentia materiæ illustratur, vt vis purgandi inanis maneret, inquit, nisi promoueretur à natiuo calore, sic insita semini à parentibus vis procreandi, iaceret sepulta, nisi vteri tepore velutià somno excitata in actum educeretur: nam vires habituum, quales insunt catharticis, sunt formales, non materiales, actiuæ non passiuæ, minimè omnium placet ideo præparari materiam vt fiat capax extrinsecus aduenientis formæ, omnes enim formę ex-
C cepto intellectu connascuntur materię: Omnes ab externa causa veluti de gremio & sinu materiæ eliciuntur, non quòd ibi iam re vera insint, vt Anaxagoras volebat, sed quòd alterata sensim & conformata materia excitentur à calore cœlesti eo modo qui deinceps explicabitur.

GIGNENDÆ FORMÆ NE MINIMVM *quidem ante in materia fuisse, neque potentiam quicquam esse formæ, neque ad substantiæ genus referri.*

CAP. VI.

D DISPVTAT Arist. in libris de motu, vtrum sit prius, actus an potentia. Concludit tandem, si quæstionis veritas in singulis quę fiunt sigillatim spectetur: potentiam esse priorem actu quia nihil fit quod fieri non possit: Si verò in genere & indefinitè, Actum esse priorem Potentia, quia materialis potentia non potest semetipsam promouere, sed ab alio actu existente promoueri debet vt cœlo, mente. Atqui vnumquodque existit actu per suum actum, proinde necesse est Actum esse priorem Potentia. Quò pertinet illa quæstio Anaxagorę, an ouium sit prius galina? Ille idem Anaxagoras reprehenditur ab Arist. quod πανσπερμίαν reponeret in sinu materię, quasi omnia essent in omnibus: mauultque summus interpres naturę prima rerum generabilium semina in sole reponere: quia inde primùm efficiendi principium emanat, quod ipsemet subolfecisse videtur Anaxagoras, dum mentem rectricem vniuersi introduxit: verùm, inquit
E Arist. post Platonem, otiosam mentem induxit, cuius nunquam meminit in explicandis causis generationis. Hoc autem potissimùm nomine reprehendendus est, quod formas actu existentes in sinu materiæ posuerit, nam cùm vnumquodque existat sitque actu id quod est per suam formam: illius opinione in elementis veluti in communi materia existunt actu os & caro. Equidem existunt: inquit physicus præceptor, sed potentia duntaxat, eaque non proxima, sed remota, quia ex permixtis quatuor elementis non primò & immediatè, sed post alterationes & materiæ varias præparationes fieri possunt, sic omnia in omnibus, estque materia quiduis potentia.

Omnia transformans sese in miracula rerum:

Per se nihil est rerum, nihil actu: quia fit hoc aliquid, & in certam rerum speciem adducitur per formam: hæc [illegible], præuia materiæ aptitudo, terrarum similitudine potest explicari: cui enim non omnis fert omnia tellus, hîc segetes, illic veniunt

fœliciùs vuę? Respondet Latinus Poëta: quippe solo natura subest, quibusdam terris A
insunt certę proprietates aliis denegatę, balsamum alibi nasci quàm in Syria natura
noluit, si quę fides debetur Plinio & Straboni. Huc pertinent animorum naturales
inclinationes: hic natus est ad stiuam, ille ad rempublicam, in semine (ne lõgiùs exē-
pla petantur) inest anima, potentia non actu, neque enim semen bouis est bos, nisi
potentia, eáque, me iudice, formali potiùs quàm materiali, animare enim potest,
non animari, ideóque causaliter animatum dicitur, si malis ἐνεργητικῶς, effectiuè: An
quo tempore præparatur corpus eodem formatur? Non placet Fernelio, quia anima
est vna & indiuidua, cùm sit incorporea & simplicissima substantia, proinde eius opi-
nione tota simul & eodem puncto temporis in corpus iam pręparatum inducitur,
verùm Aristoteles docet viuentia momento quidem denominari animata, sed pro-
gressu temporis animari, formata esse in extanti, formari in tempore. Ille idem docet B
omnes formas physicas connasci materię, solam mentem extrinsecus aduenire. Ani-
ma facultatibus diuiditur tanquam partibus, ideóque (vt sępe dixi) totum pote-
statiuum à physicis nuncupatur, quę singulę sigillatim non simul acquiruntur,
paulatim, non momento: primis enim gestationis mensibus, embryo vegetat vt
planta, deinde sentit vt animal: vegetando & sentiendo nónne tum exercet ani-
mę functiones? Quę quidem argumenta, etiamsi videantur fauere Themistio,
qui semen actu animatum sibiipsi corpus pręparare, & veluti domum ędificare
existimabat; non fauent tamen, quia quod fit, nondum est, animatur fœtus to-
to gestationis tempore: non ptiùs igitur animatus dici debet, quàm ad finem
perductus sit. Idem enim est finitum quod formatum & perfectum: extremo forma-
tionis momento opifex imponit finem operi, proinde formam inducit: quod vt C
elatiùs euadat, constituamus cum Aristotele, in rebus artis differre formam à fi-
ne: quia exempli gratia forma domus sit synthesis & legitima collocatio par-
tium, finis, habitatio: Architectus ædificat raró sibi, vt plurimùm alteri, figura
scrinij eiusdem est forma, finis verò, pecuniæ aut rei alicuius pretiosæ, conser-
uatio: At in operibus & operationibus naturæ forma & finis reipsa vnum sunt,
sola differunt ratione: quamdiu enim materia formatur, forma est finis for-
mationis, debetque toto illo tempore finis non forma nominari. At cùm pri-
mùm formata & perfecta est, tum primùm forma incipit nuncupari: finis est ex-
tra, veluti exemplar formationis: forma est intra, nempe totum opus informans:
substantia vbique, & in toto, & in qualibet parte tota: non quæ venerit aliunde:
quid enim hoc ineptius? Sed quæ ab externo principio vt pote sole, ex vnione
formarum elementarium (ita enim dici malim, quàm ex materiæ potentia) pro- D
ducta sit: quod ita demonstro: potius ab artifice in opus aliquid extrinsecus im-
mittitur quàm à natura, quia artifex est extra suum opus, natura intra: ars est exter-
num, natura insitum operationis principium: Atqui figulus detornat, figuratque po-
culum, nulla re extrinsecus adueniente, sola mutatione potentiæ in actum: ergo
natura paulatim res suas format, perficítque nulla substantia ad extremum foris
aduentante, sed potentiam actui permutando, hoc est efficiendo tandem, vt ma-
teria sit actu quod poterat esse: sic formæ physicæ connascuntur materiæ, neque
tamen nascuntur ex materia, sed ex insitis materię qualitatibus non accidentariis,
sed essentialibus & specificis, quę comparatæ formæ, habent rationem materiæ: Id
ex quo. E

In semine inest principium animationis, non anima.

NON POTVISSE FORMAM A parentibus fluere, qualis & vnde sit formarum origo.

CAP. VII.

SEMEN prolificum quod à parentibus emittitur, iam anima tota omnibúsque facultatibus exornata præditum esse, multi physici asseuerant: facultates tamen non protinus, & simul omnes exercere, sed prout suppetunt instrumenta, quæ ipsa sibi paulatim effingit: primis enim mẽsibus dominatur vis procreandi, eique seruiunt altrix & auctrix: Altrix suggerit illi materiam, nempe maternum sanguinem, quem instar plantę fœtus sugit

per

A per venas umbilici, ex qua partes primum similares, deinde dissimilares efficiat: conformatis instrumentis incipit sentire & moueri, tandem ratiocinari: Quæ quàm probabiliter dicantur, paucis disquiramus. Neq; enim consentaneum videtur animam sentire posse, à primo die conceptionis, attamen nō sentire vsque ad certum tempus: contra Lactātij, & Tertull. opinionem olim Ecclesiæ proceres constituerunt, illúdq; pro certo teneri præceperūt, animam cœlitus infundi, à parentibus cum semine non traduci, deriuatur quidem à parentibus animationis principium (nam Sol & Homo generant hominem, Sol vt remota, vniuersalis & homonyma causa: Homo, vt coniuncta particularis & synonyma) non anima. Semen, inquam, animatum est tantùm potentia non actu: hanc potestatem partes similares formandi & viuificandi, instrumentarias conformandi, sensuque & motu exornandi, præparatoriam dixeris, si ad B finem referatur: si per se & absolutè spectetur, genitricem, formatricem, conformatricem, quin etiam animatricem. Hæc vis generandi à Sole & homine profecta multiplicat sese, & in alias quam plurimas facultates diducit, amplificatque, partes similares contemperando, & dissimilares conformando: nam similares ex temperie acquirunt facultates naturales: dissimilares, præcurrente temperie, ex legitima conformatione, vitales & animales: hinc similares benè temperatæ edunt actiones naturæ suæ congruentes, instrumentariæ legitimè conformatæ agunt prout vsus postulat, cui destinantur. Quid multa? facultates procedunt ex temperata & bene conformata materia, non quod ipsa de se illas proferat ac si eas suo sinu conclusas teneat, vt volebat Anaxagoras, qui panspermiam in materia reponebat: sed quòd astrorum entelechia suscitentur in materia capace, ex quatuor qualitatibus legitimè temperatis, eo qui sequitur modo.

C

RERVM OMNIVM FORMAS, PRIMASQVE substantias de cœlo duci ex Aristotele.

CAP. VIII.

QVATVOR tantùm sunt elementa mixti, quamuis enim cœlum sit elementum seu prima & simplicissima pars mundi, non est tamen pars mixti, quia etiamsi concurrat ad illius constitutionem: attamen non est, neque fit vnquam illius pars, quandoquidem concurrit vt efficiens, non vt forma aut materia, vt externum non internum principium. D Deus enim elementarem mundum cœlesti proximè coniunxit, quo faciliùs ab eo regeretur. Motus autem indidit illi contrarios vt in sublunaribus contrarios effectus proferret: ortum, interitum & cęteras ab extremo contrario in alterum tam frequentes mutationes, vnum diurnum ab ortu ad occasum, quo firmamentum mouetur quotidie, & secum rapit inferiores orbes: Alterum annuum ab occasu in ortum, qui est proprius septem planetarum, quorum potentissimus & efficacissimus Sol accessu & recessu suo describit quatuor anni quadras, ver, æstatem, autumnum & hyemem: Ineunte vere, dum ad nos reuertitur, tepore suo velut semine replet terram, (est enim semen, non spumosum excrementum, sed calidus spiritus potens generare) hoc spiritu grauida, plantarum incredibilem multitudinem profert, infinita quoque animalcula etiam de putri fimo exsuscitat: Tum animalia perfecta in furias E ignemque ruunt, quia genitalia multo semine turgida illis pruriunt, titillante spiritu genitore, ne sit otiosus, propter quem ardent miro desiderio concumbendi: Quas Veneris illecebras dispergit primus opifex ad conseruationem vniuersi, conseruatur enim perenni successione singulorum: (vno mortuo non deficit alter) perpetuatur autem successio procreatricis facultatis beneficio, quæ sola omnes omnium rerum species reddit immortales: viuentia imperfectiora solus calor Solis procreat ex materia capace: Ad perfectiorum generationem cum Sole desiderantur indiuidua, quę intermedio semine procreant sibi simile, bos bouem, leo leonem: materiam seu corpulentiam seminis parentes contribuunt: genitorem spiritum, cui, vt primo subiecto vis conformatrix insidet, Sol impertit: neque enim consentaneum est à Sole fieri abiectissima quæque vt Scarabeos, hominem à solis elementis produci: Scarabei partem esse cœlestem, hominis elementarem. Timeus, vt Aristoteles, duos quo- *Aristotel. posuit in sole panspermiam seu*

formarum omniumseminarium, Platoni spiritum mundi quem ideo Auicenna videtur colcodeam, id est, dispensatorem formarum nominare.

quę cœlorum motus agnoscit, vnum firmamenti, quem appellat similis naturæ, seruatorem vniuersi, alterum planetarum, quem appellat motum dissimilis naturæ, quia causa est transmutationis & interitus: Si Planetæ, vt stellæ fixæ, non proprio, sed firmamēti duntaxat motu cierentur, non transmutarentur, neq; interirent vnquā sublunaria; sed per motum similis naturę, conseruarentur in eodē statu. Cur ergo, dices, indidit cœlis contrarios motus? quia voluit elementa & elementata assiduè transmutari. cur ita? Potuit enim hominem creare immortalem: Respondeo, vt essent plures vsque adeo mirabilis opificij spectatores: Auicenna tantum tribuit Soli in generatione singulorum, vt existimet si omnes homines aut leones ad vnum interiissent, eum per se sine seminis auxilio, nouum reformare posse, quia semen non generat nisi per spiritum, qui citra controuersiam origine est cœlestis. Cur ergo quotidie generat interuentu seminis? memineris Deum & naturam facere semper quod melius, & hoc ipso quod fit quidpiam naturaliter, concludendum, non potuisse fieri melius: Deus non facit semper quod potest, sed quod vult, vult autem quod melius, expediam vno verbo:

Sic placuit superis, quærere plura nefas.

ARISTOTELES SVPRA NATVRAM PHILOSOphatus statuit formarum diuinam originem, Deum maximum cœlos astráque condidisse, quæ Platoni & sacris litteris sunt consentanea. CAP. IX.

Morientis Aristotelis hæc verba extrema fuisse perhibetur, Ens entium miserere mei.

Vt Deus sit α & ω principium & finis.

Aristot. dicit eas Deo coæuas, Plato negat.

QVAMVIS Aristoteles vulgò naturæ genius appelletur, Plato diuinus, quia ille de natura naturaliter, hic metaphysicè videtur philosophatus: Aristoteles tamen, vt citra controuersiam de natura subtiliùs, ita de Deo diuiniùs scripsit quàm Plato: pleni sunt physici libri diuinæ maiestatis, in metaphysicis verò profitetur omnia ex vno principio profecta, veluti ab opifice: eòdem omnia refluere, & tanquam ad finem perfectionemque recurrere: vnde nata est inter Peripateticos contentio. Quo genere causæ Deus potiùs includi debeat, efficientis an finis: conclusum tandem pro diuersa ratione, vtriusque causæ rationem obtinere. Efficientis prout ex eo procedunt omnia: finis quatenus ad eum velut ad perfectionem referuntur. Efficit autem nō ipsemet, sed astrorum ministerio, mediatè, non immediatè: creauit enim quinquaquinta quinq; intelligentias, totidem orbium motrices, quorum alij Deferentes dicuntur, alij Reuoluentes: vt ex Eudoxo demonstrat duodecimo suæ sapientiæ, quæ vi & participatione primæ causæ sunt, & mouent singulæ suos orbes, eorúmque motu conseruant vniuersum. Hæ sunt iuniores, dij seu deunculi Platonicorum, quibus Deus deorum mundi gubernacula commisit, qui supra cœlos degens æuum beatissimum contemplatur se & in se omnia. Quemadmodum enim summo entis genere entia omnia continentur, & omnes causæ ad vnam primam referuntur, sic ille primum ens, & entium omnium prima causa, cognoscendo se, entia omnia per primam causam cognoscit: quod est verè & perfectè scire: vnumquodque est per suam formam, est dator formarum, proinde vt omnia sunt per eum, ita ab eodem facilè cognoscuntur. An etiam mouet cœlos eorumque motu efficit hîc omnia? Sanè si supra cœlos viuat in perpetua quiete, non est primus motor, efficit tamen, quia qui per alium facit, ipse facere dicitur, prospicit vt perenni successu singulorum perstet mundus, mundanaque omnia. Si quid sit laudis & perfectionis in opere, id totum debetur architecto, de cuius mente opus prodiit, non manuariis artificibus, quibus ille agendi formulam præscripsit. An definitè singula & quæ à singulis agantur cognoscit? cognoscit enim singula tantùm per causam. At cognoscere singula vt talia sunt, est eorum indiuiduales proprietates percipere, propterea introducti sunt dæmones humanarum actionum exploratores, qui vt olim Satrapæ Persarum regi, renuntient illi quid toto regno agatur à ciuibus vniuersi: Deus esset animal omnium miserrimum, inquit Auerrois, si non tantum singula, sed singulorum actiones minutis, vt aiunt, punctis colligeret. Verùm perge, atque vt Deus habeat rationem finis breuiter expone: neque enim hîc nostram, sed Aristotelis de prouidentia Dei sententiam explicamus, quam ille haud dubiè

A dubiè ita constituit. Deus est prima & præcipua causa, qualiscumque illa sit: Atqui finis eiusmodi est, quia illius causa, efficientes omnes, mens, ars, & natura operantur. Propterea miratur Democritum in explicandis causis rerum naturalium eam prætermisisse, cum sola dirigat moderetúrque efficientem: Deus itaque potiùs videtur mouere vt finis quàm vt efficiens: Atqui essentia finis cernitur in quiete, efficientis in motu: præstat itaque Deum statu quàm motu definire. Hinc Philoponus contendit, quia Deus mouet, & regit mundum vt finis, idcirco eum Aristotelis opinione nec efficere mūdum nec effecisse: verùm dum cœlorum motrices intelligentiæ perpetuò in suum creatorem intuentur, mouentque singulæ suos orbes, vt illius iussis obsequantur, diuinitatis radio illustratæ cùm suas actiones referant ad primæ causæ gloriam, nihilque habeant prius in voto quàm bene agendo illi complacere. Nónne Deus eas mouet vt finis? vt efficiens verò mouet, quia illis vim mouendi suos orbes & eorum motu vniuersum gubernandi concessit. His Aristotelis decretis (vt ad B propositum reuertar) potuitne Plato ab Ægyptijs diuinius quiddā ediscere? Possitne Moses ipse de Deo quicquam docere diuinius, quàm ab eo omnia & ad eum omnia? Plato, Moses Atticus perhibetur, quòd scripserit Deum per ideam ex materia mundum effecisse: verùm materiam fingit Deo contemporaneam, quasi sine materia non potuerit creare mundum, materiæ adiungit ideam seu sapientiam, quia neruos omnes suæ sapientiæ extendit, vt in pondere, numero & mensura opus tam perfectum ederet, cui si quid adijcias aut detrahas, vniuersum ædificium sit ruiturum. De idea illa seu sapientia opificis Aristoteles quid? Sapientia, inquit, tota in contemplatione est, tota in quiete. Contemplatio tota intra se & in se vertitur, efficiens in alio & extra: si ipsemet non efficiat mundana, nec mundum effecerit, ad quid C exemplar aspectabilis mundi? Si per ministros operetur, cur.

Mundum mente gerit similiq; in imagine format?

RES OMNES CADVCAS ET MORTALES *diuinitus olim conditas fuisse, eas nunc cœlesti virtute & gigni & gubernari quæ eadem planè est diuina.*

CAP. X.

DEVM esse vbique & omnes vniuersi fines permeare, eundem cœlum & terram replere, multa quidem abundè attestantur, sed in primis mundi totius & singulorum mundanorum pulchritudo, tanta enim arte & ordine D vsque adeo mirabili singula quantumuis abiecta condita sunt, vt omnia plena sint diuinitatis. Si quis eleganter pictam imaginem, aut singulare ædificium contempletur, etiamsi artificem non videat, nihilominus hæc opera ab ingenioso artifice, profectà constanter affirmabit. Sic Protogenes ex vnica linea nouit Apellem: At minima quæque tanta cum ratione condita sunt, vt artifices ea velut exemplaria sibi proponant ad imitationem, naturam quantum possunt artes imitantur; sed vix possunt quod minimum est in illius operibus imitari, tantum abest, vt quod præstantissimum est imitentur. Corporis etenim magnitudinem, figuram, colorem pictura repræsentat: formam interiorem, quæ est summa totius perfectio, minimè. Vitam & motionis principia pictor demiratur, veneraturque, non imitatur: E quocumque igitur conuertas oculos, nil occurret quod præ se non ferat sui opificis amplissimum testimonium. Si spectes cœlum, comparebunt tam perspicua signa Deitatis, vt nemini dubium esse possit, Deum illic domicilium suum delegisse; si tamen ad hominem animam cogitationemque referas corporisque architecturam minutiùs subducas, si vires animæ discurrentis diligenter contempleris, vix credes Deum esse in cœlo essentialiter, in terra tantum potentialiter quasi de Sole, vt anima de corde, potestates quoquouersum transmittat, naturalem, vitalem, intellectualem: quibus creditur mundum gubernare, naturali formare, vitali viuificare, intellectuali perficere, sibique ipsi hominem assimilare, & ad imaginem suam effingere: Cœlum terramque replet effectiuè, Iouis plena sunt omnia potestatiuè, essentialiter habitat suprà cœlos omnes: quod si essentialiter existat in Sole, quidni in homine? Nam si sol intelligat, vix crediderim illum perfectiùs quàm nos intelligere, quia in-

tellectus noster creditur esse aliquid Dei, si non Deus ipse est radius, aut imago Dei- A
tatis, si non essentiæ diuinæ particula: insufflauit quippè Deus in primum hominem
animam viuentem, de se spiritum immisit intellectualem quem successione propa-
gari in sobolem, & à parentibus transmitti, neque esse opus intellectiuum noua &
quotidiana creatione Apollinarius persuadere conatus est: cui subscribunt, quot-
quot singulis mundi partibus à primo ortu ob opifice inditas esse vires, & veluti di-
gito Dei, in re quaque sculptas, secundum quas continenter omnia agunt naturæ
suæ conuenienter, mordicùs defendunt: Naturam qui sequitur ducem, non errat,
inquiunt, quia character est Dei, impressum diuinitatis vestigium: sic facile est Deo
supra cœlos viuenti, mundum gubernare. Sed isti non tantum Deum liberant cura
mundi, & prouidentia particulari, sed etiam astrorum inutiles motus, vel inuiti con-
stituunt: Quorsum enim quotidie cœlitus influit vitalis calor, tot stirpium & ani-
malculorum, ipsomet sensuum testimonio parens, si vis illa primis creaturis insita, B
in primo mundi exortu sit satis? Si primo boui congenita facultas procreandi simi-
le, successione in sobolem propagata per se sola generet bouem, cur sol & bos gene-
rant bouem? At cœli motu excitatus calor, quotidiè ex quatuor elementis tanquam
ex communi materia generat mixta, ipsemet immixtus: permisceri enim non pos-
sunt cœlestia elementaribus, quia sunt ἀσύμβλητα, differunt genere physico seu mate-
ria neque repatiuntur agendo, συμβλητὰ autem esse oportet quæ permiscentur, vt alte-
rari & inter sese transmutari possint: ille in materiam capacem sese insinuat, quam
præparat perficitque (si mentem excipias): nulla alia re extrinsecus adueniente; (si
modò naturales formæ connascantur & commoriantur materiæ) propterea Hippo-
crates non contentus fuit, cùm in rebus inanimis appellare naturam, motionumque C
naturalium insitum principium, sed etiam animam ausus est nominare: hic calor
cum materia si sufficiat rebus naturæ generandis, quæ necessitas est animæ munda-
næ? Potéstne cœli & quatuor elementorum communis esse forma, præsertim quæ
sit anima? diuus Augustinus in Enchiridio & diuus Thomas contra gentes, non pu-
tant referre vtrum dicatur in schola Christianorum, animatum cœlum vel inanima-
tum. At elementa dicere animata plurimum refert, nisi fortè ideo dicantur animata,
quòd animatum cœlum ex formis elementorum, quanquam inanimis, calore suo
animas eliciat: Præstat enim ita sentire: calorem cœlestem de formis elementorum
formas physicas educere, & ex potentia in actum proferre: quàm ex eorum materia
aut qualitatibus eruere: hoc si possit Sol caloris sui ministerio, Apage spiritum mun-
di, desine mundum primum & maximum animal deinceps nuncupare: Titulus est
inanis, nomen sine re: Anima mundi plus habet pietatis, quàm veritatis, quamquam D
& Dei quoque plenus mundus futurus est, quamuis à calore cœlesti per vniuersum
diffuso sublunaria omnia generari asseramus. Scitum est Heracliti ad eum qui in ca-
sam fornacariam ingredi non audebat, Ingredere audenter quia & hic Deus habi-
tat. Itaque Aristotelis potiùs quàm Platonis doctrinæ acquiescamus, cum multo
faciliùs causas originis rerum naturalium ob oculos ponat, nec minus pietatis præ se
ferat: vt desinant postea ad pauca respicientes scioli, Platonem Aristotele diuinio-
rem pronuntiare: fuerit sanè Plato maior Theologus, si cum Aristotele Theologi
dicantur qui narrant non demonstrant, suaque decreta in modum legislatorum, nul-
la subiecta ratione, pro legibus haberi volunt. Aristoteles enim docet vt philoso-
phus, Plato, vt legislator, aut historiographus: sunt nerui sapientiæ non temerè cre-
dere: humanæ sapientiæ principia tanti sunt, vt facilè poni non debeant, sed subdu- E
ci prius diligenter & examinari.

Lege nostrũ librum de animamũdi.

DE SPIRITIBVS QVORVM GVbernaculis mundum administrari tradunt.

CAP. XI.

PER OBSCVRAM & densis difficultatum tenebris inuolutam quæstionem aggredior, quæ summorum philosophorum ingenia olim exercuit. Aristoteles enim sub luna nil agnouit præstantius homine: in elementari mundo, inquit, nullum animal adhuc nouimus quod sit particeps diuinitatis præter hominem: cui sublunaria omnia seruiunt, ipse nulli, nisi fortè homo homini:

A mini: non meminit vnquam dæmonum nisi fortè in metaphysicis obiter, & exempli loco: in physicis, cum scribit somnia esse dæmonia, non diuina, quia natura est dæmonia, quandoquidem nullo numero homunculi vt natura loquaces, & melancholici, quibus varia visa obuersantur, sæpenumerò vaticinantur: quod si aliquos esse credidisset, de illis haud dubiè in physicis aut metaphysicis libris disseruisset, nec mancum opus, & artem præcipua sui parte mutilam & imperfectam reliquisset. Inter formas physicas nulla præstat humanæ, in metaphysicis præter Deum solæ quinquaginta quinque intelligentiæ memorantur totidem orbium motrices. Sublunares spiritus qui vagantur per aerem muto silentio obruuntur, & quasi omnino non sint, subticentur: Tantum abest vt quid, qualesque sint, & quibus officijs deuoti, copiosè explicarit, vt physici aut metaphysici doctoris officium requirebat. Neque enim hîc disputo, Sintne substantiæ physicæ, cùm sublunares, an metaphysicæ, cùm sint immortales, quia priùs constare debet an sint, quàm quo rerum genere contineantur. Tantum hoc volo, si sint demones: Aut sunt substantiæ physicæ, aut metaphysicæ: Nam formæ mathematicæ sunt accidentia, quantitates quippe continuæ aut discretæ, si physicæ in physicis, si metaphysicæ in metaphysicis libris erant explicandæ: At nusquam ex professo eorum substantiam & vim exposuit: Ergo nullos esse existimauit, aut mancam & præcipua parte mutilam artem reliquit. Platonici passim à Peripateticis subsanantur, quod in assignandis rerum causis ferè semper ad demones, tanquam ad asylum ignorationis confugiant, eósque veluti omnium quæ à mortalibus aguntur autores constituant: Interrogati etenim cur Socrates in tantum philosophum euaserit, respondent, obtigisse illi dæmonem igneum; qualem profitentur esse rerum sublimium contemplatorem: cur Critias & C Alcibiades exemplo & præceptis Socratis non potuerunt reduci ad frugem? quia habebant demones aqueos seu voluptuarios quos in succubos & incubos distingunt: medici spiritus incubones vocant crassos flatus natos ex cruditate à quibus premitur diaphragma: succubos verò exonirogmon seu pollutionem nocturnam, cum semine grauatis lumbis dormientes stragulas commaculant, phantasia spectra pro rebus offerente. Ixioni similes, pro Iunone nebulam amplectuntur. Perge: Cur multi infortunati mutata regione sunt fortunatiores? quia genium regionis magis habent propitium, suoque similiorem: Quibus responsis sese multis quæstionum labyrinthis expediebant. εὐδαίμων dicitur ab Aristotele omni bonorum genere præsertim animi, vt virtute moris & mentis cumulatus. A Platone verò cui sorte obtigit bonus demon, quasi tota fœlicitas pendeat à dæmone: fortassis vt non minùs peccant superstitiosi, innumerabiles Deos, quorum numerus si credimus Varroni, excedit triginta millia, Deos inquam, etiamnum ridiculos adorando, quàm Athei Deum ignorando, aut colendum esse negando. Nullos esse Deos putat Cœlius, inane cœlum.

Loquendū vt plures, sapiendum cum paucis.

Sic Platonici dæmonum incredibilem multitudinem introducendo æquè reprehendêdi sunt, quàm Peripatetici eosdem exterminando. Vide, quæso, lector, & considerá mecum quousque creuerit olim de dijs superstitiosa licentia. Ægyptij bouem & Iocum feriantis naturæ simiam, necnon crocodilum adorabant, Romani Iunonem meretricem, Lauernam leænam insignem, quinetiam, ne quid ad turpitudinem deesset, Priapum publicè venerabantur, hisque omnibus sacra & vota solemnia reddebant: Sic enim Prudentius,

Plutarchus vno libro docet atheõ præstare superstitioso.

E *Isis erat, Serapis, & grandi Simia cauda,*
Et crocodilus: idem quod Iuno, Lauerna, Priapus,
Hos tu, Nile colis: hos & tu, Tibris adoras.

Vtrum tolerabilius, Deos non colore, an scortatorum exemplo pro lenocinio ita Deum deprecari.

---Pulchra Lauerna
Da mihi fallere, da pulchrum sanctumq; videri,
Noctem peccatis & fraudibus obijce nubem.

Platonicorum in distinguendis dæmonibus eò tandem peruenit superstitio: de illis recentiores tam ridicula commenti sunt, vt ipsis philosophis hanc suspicionem iniecerint: demonis nomen esse vanum, cui nil subsit, ista larua pueros tantùm, mulieres & idiotas terreri, non philosophos: illis enim non fuit satis pro quatuor ele-

mentorum primis differentijs dęmones diuisisse, in igneos, aereos, aqueos & terrenos, (quos & lucifugos, seu tenebriones vocant) sed pro quatuor mundi plagis quosdam meridianos, alios Septentrionales, alios occiduos, alios Orientales appellarunt. Hos deinde minutiùs diuiserunt in prouinciales & vrbanos, quasi dixeris, prouinciarum aut ciuitatum præfectos, quos tutelares Deos: quinetiam domibus quosdam præfecerunt, quos lares & Penates nuncuparunt: Imò verò domuum certis partibus quosdam pręesse affirmarunt, quos Genios loci nominarunt, quibus & empusas seu folletos annumerant, vt serijs ludicros immisceant. Singulis hominibus duos assidere volunt, vnum bonum: alterum malum: hunc veluti hostem & insidiatorem, illum vt pædagogum, pastorem, custodem, vtrosque actionum nostrarum diligentes exploratores, ijsdemque internuntijs nos cum dijs communicare, A

Millia terque decem, genus immortale, ministri
Sunt Iouis, hique homines seruant telluris alumnos. B

Quosdam includunt pala annuli quos παρέδρους vocant. Ecquis erit modus tádem? quousque procedet iste superstitionis furor? nónne satis erat dæmones veluti magistros hominibus præficere? Cur stirpibus Dryades & Hamadryades adiunguntur? O púsne hábent plátæ motionum suarum externo moderatore aut exploratore? Aut cur belluis quoque non preficiuntur? Cur Fauni & Satyri per syluas vagantur? Quid indicant nymphæ, Nayades, Tritones, nisi & aqueis animalibus suos esse dæmones? Agrippam verò quis ferat tribus ordinibus intelligentiarum, Seraphin, Cherubin & Thronis, deinde dominationibus, potestatibus & principatibus, ad extremum virtutibus, Archangelis & Angelis, totidem cacodæmonum hierarchias opponentem? Si natura fecit vnum contrarium, inquit, fecit & alterum. Distinxit bonos spiritus nouem ordinibus, secundùm gradus perfectionis, totidem igitur malos, pro nequitiæ & impietatis gradibus. Sycophanta putat sibi idem licere, quod Dionysio. Debuit potius ita concludere: Contrariorum contraria sunt consequentia, est ordo bonorum spirituum, ergo malorum confusio, inordinatio: est bonorum vnum caput, nempe Deus, ergo malorum dux est ἀκέφαλος. Age verò, missis Agrippæ ridiculis commentis, seria seriò tractemus. Primúmque, ne Platonici videantur damnari indicta causa, quibus argumentis confirment esse dæmones, diligenter inquiramus: de hoc enim nisi constet, frustrà cætera quæruntur. Si sunt dęmonia, inquit Plato in Apologia, sunt dæmones, ex effectis enim causæ necessariò demonstrantur: esto. Atqui extant quamplurima opera dæmonum. Quæ? In hoc enim vertitur tota disputatio: Quæcunque supra naturæ ordinem eueniunt, inquit, vt oracula: prædicere enim futura, est plusquam humanum, quò pertinent infinita miracula: quid si respondero oracula meras fuisse sacrificulorum imposturas? Clanculum interrogabantur aduenæ à sacerdotum ministris, eorumque omnium prius illi monebantur, quàm responsum darent. Mille modis ignoratio alit artes, semper ex animi stupore iuncto credulitati sapientiores vberrimum fecerunt quęstum: mirabile hoc erat aucupij genus, suspendebatur vulgi iudicium ambiguo responso, tantumque dabant operam sacrificuli ne apertè conuincerentur mendacij. Cęterum non est nouum futura quędam prędidere: hoc enim possunt medici certis signis pręmoniti, quin agricolę, futuram tempestatem aut cœli inclementiam sumptis indicijs, ex animalibus pręsagiunt, vt mittam artes manticas, Physiognomoniam, metoposcopiam, onirocraticem, chiromantiam, astrologiam iudiciariam, Geomantiam, & cæteras eiusdem farinæ, ex quibus vtcumque futura diuinantur. Vna diuinatio est artificialis, inquit Porphyrius, cuius hæc sunt exempla: Altera naturalis, quam ille definit coniunctionem mentis cum dæmone: Sed meritò reprehenditur à suo discipulo Iamblicho, quòd Dei potiùs afflatu & inspiratu finiri debeat. Miracula Pomponatius conatur reducere ad causas naturales, vt faciliùs dæmones excludat. Verumtamen hoc ipso quòd sunt miracula, sint metaphysica sanè, suntne propterea dæmonia? Deus non tantum ordinaria potentia regit mundum, quæ natura dicitur, sed etiam extraordinaria quam videtur Plato fortunam nominare, vt libro de vtraque Dei prouidentia demonstraui, ad quam effectus omnes παραλόγους καὶ ἀδοξάστους referebat: huius rara & stupenda opera, eò quòd causas habeant nobis ignotas, soli autori cognitas, spectatores rapiunt in admirationem, atque ideo opera mirabilia C D E

Aristot. in probl. Vaticinia & enthousiasmũ attribuit melácholiæ.

A mirabilia sen miracula nominantur: impostores multi illudunt plebi præstigijs, fa-
ciuntque arte & subtilitate ingenij atque etiam manuum, vt videantur esse quæ nec
sunt, nec esse possunt. Adeo facile est credulis imponere. Propterea Agrippa ad
magica mysteria idiotas tantum pauidos & credulos admittit, constituitque cre-
dulitatem & metum magiæ ceremonialis prima fundamenta,

Primus in orbe Deos fecit timor----.

Deos interpretatur dæmonas, ἀπὸ τοῦ δειμαίνειν, quòd timorem inferunt. Sapienti-
bus, inquit, interritis & incredulis numquam apparebit dęmon, sacris quantum-
uis ritè peractis. Quid hoc, si non sit tacitis verbis, dęmonia illusiones interpteta-
ri? Credulæ plebeculæ cur potius apparebit? quia eorum sensibus præstigiatores ma-
gi faciliùs illudunt, illique in obscuro perterriti, lemures & laruas habent pro dæmo-
nibus. Tanta est vis imaginationis vt firmiter credentes, spectra habeant pro rebus.
B Sagæ aliquando certo credunt se vidisse aut effecisse quæcunque à se visa aut facta
læsæ phantasiæ impresserunt, hinc victæ quæstione (aliquando vltrò & non rogatæ)
profitentur ea se fecisse, vt poculum amatoriū dedisse, aut venenum: quæ loci & per-
sonæ distantia ab inquisitore fideli perspecta, deprehenduntur falsa. Faciamus impo-
storem quendam credulo & superstitioso cuidā melancholico (tales enim esse opor-
tet, magiæ ceremonialis sectatores) vana polliceri, vt familiare colloquium cum dę-
mone, vel cum vē turum nocte intempesta, qui infatuatum quò lubet, puta in amasiæ
sinum importet. Ad hoc mysterium vt præparetur, persuadendus erit vt vnguento
aliquo soporifero corpus inungat, vel aliquid opij, vt pillulas, de cynoglosso assu-
mat, dormiet longum & profundum somnūm, valde conturbata phātasia dormien-
do ea somniabit, quæ ventura certò credebat: experrectus, inanem somnium habebit
C pro vero, sic nonnulli nocturnis magorum sacris se interfuisse deierarunt, & coram
iudice confessi sunt, quos multi tota illa nocte viderant dormientes. Verum perga-
mus, & si quo altero argumento Platonici probent esse dæmones, consideremus.
Anima mundi, inquiunt, effusa est per vniuersum. At illam fetiari alicubi ne-
fas, itaque vt in aqua pisces, in terra aues, quadrupedes & insecta, sic in aere & in
igne generat: quæ autem alia animalia aeria aut ignea animo fingere possis, quàm
dęmones? Appella quomodo lubet, si modo constet ab anima mundi illa in igne &
in aëre genita: natura quidem sunt inuisibiles, ratione tamen & sensu, nempe effe-
ctis comprehensibiles, quę vt sublimiores sunt aqueis & terrenis animalibus, vt vi-
ciniores cœlo & in elementis simplicioribus atque etiam pręstantioribus collocatę:
Ita longè perfectiores, minùs patibiles & corruptibiles. Ecce alterum fundamentum
D quo caterua dæmonum sustinetur, Principio valdè caduco, nempe spiritu mundi
subnixum, quem etiamsi admittamus, quod absit, nullum tamen animal potest in
aere, multo minùs in igne generare, quia omne animal sentit, non sine sensorio tem-
perato: Potéstne vllius animalis corpus esse simplex? in regionem ignis possūntne
aqua & terra ad constitutionem dæmonis euolare, aut illic subsistere? genitus potést-
ne in igne viuere?

Neu regio foret vlla suis animalibus orba,
Astra tenent cœleste solum, formæque deorum Ouid.
Cesserunt nitidis habitandæ piscibus vndæ,
Terra feras cepit, volucres agitabilis aer.

Vbi aues aerias animantes vocat Poëta, quia volitant per aera: Reuera enim non
E tantùm à dominatu terræ sunt terrenæ: sed etiam quia coguntur in terra alimen-
tum quærere. Fessis pennarum remigijs terra veluti portus est, ibi pabulum, ibi
cubile. Salamandram nemo putet in igne viuere etiamsi perdiu suo frigore illi resi- *Diosc.*
stat, & luculentum focum extinguat: Nam succumbit tandem & vitam cum
morte commutat. Aristoteles scribit esse in Cypro animalcula quæ in igne viuunt, *5. de ortu animaliū.*
de quibus, Galenus diligentissimè perquisiuit, dum eò nauigauit, vt multa de me-
tallis cognosceret, ad bene medendum cognitu necessaria, sed neque quicquam *Idē Plinius*
tale obseruauit, neque à fornacarijs & sufflonibus rescire potuit, adeo vt putet es- *lib. 11. cap.*
se fabulosa & sola auditus fide ab Aristotele in commentarios relata. Quemad- *36. & Se-*
modum & quod de Celtarum audacia scripsit in Ethicis. Nullum animal adhuc *neca cap. 5.*
nouimus, inquit ipsemet Aristoteles 4. meteor. quod viuat in aere, multo minus quod *lib. 6. na-*
viuat in igne. Agè vero, cum Deus & natura nil faciant frustrà, ad quem vsum *turalium quæst.*

M

dæmones creauit? quibus officijs deuouit? An vt sint humanarum actionum rectores? At intellectus, qui vel Deus ipse creditur, vel aliquid Dei, satis potens est hominis gubernator. A

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo,
Impetus ille sacræ semina mentis habet.

An vt sint nostrarum actionum exploratores? At Deus ipse præsto est, nobisque perpetuo adstat: ipse omnia audit, omnia conspicit, quinetiam cogitationes cognoscit, propterea dicitur καρδιογνώστης. Si sol sit oculus Iouis, cuius radijs collustrat mundum, & penetrat abditissima quæque, quid potest illi esse ignotum? Si reges verè ab Homero perhibentur Iouis discipuli, eorumque corda sunt in manu Dei, cur præficiuntur illis Pædagogi? Hæc & multa alia Peripatetici obijciunt aduersus turbam dæmonum, Platonicorum scriptis acerrimè propugnatam: de qua contentione Deus ipse viderit. Fauerem Peripateticis, nisi religioni Christianæ Platonicorum doctrina ea parte magis consentiret: malim errare cum Ecclesia, quàm cum philosophis bene sentire. B

AN EX EO QVOD QVISPIAM idiomate loquatur inaudito censendus sit Dæmoniacus.

MVLTORVM scriptis testatum habemus plurimos Græcè & Hebraïcè loquutos, cum antea neutra lingua loqui didicissent: Quod etiamsi nondum viderim, neque, quisquam dignus fide mihi affirmarit se vidisse; Tamen pono pro verò & confesso, illiusque causam hîc inquiro, quam reddere facilius est Platonicis quàm Peripateticis: nam si intellectus creatus ab æterno afferat secum infinitarum rerum notiones, quæ corporis grauitate sopitæ nouo rerum intuitu refricantur: si olim Græci alicuius vel Hebræi corpus animus informarit: (nam si certus est & definitus animorum numerus creatus ab æterno, & mundus etiamsi habuerit originem nunquam sit desiturus, nec esse est vt vnus & idem plura corpora animarit) recordatione præteritorum hoc effici potest, frustra ad dæmonem recurritur. At mens, Aristotelis opinione, nuda migrat in corpus, rerum quidem & scientiarum omnium capax, imperita tamen; similis tabulæ nudæ, non oblitteratæ; eoque momento à Deo deorum creatur & infunditur, quo corpus à secundis causis perfectum exhibetur: Cum itaque rudis animus non possit loqui inaudita, sermo enim ex auditu, quem alium loqui putes quàm dæmonem? Habéntne Peripatetici quod respondeant? Possúntne supranaturalis istius effectus naturalem causam reddere? possunt equidem: Priuatione inquiunt cognoscitur habitus: Atqui vacuatione humoris melancholici, tam critica, vt superuenientibus hæmorroïdibus aut varicibus, quàm artificiali, vt Elleborismo, cum corpore protinus animus sanescit suæque harmoniæ restituitur. Itaque illius vi hoc cótigisse verisimile est. Si negatio sit causa negationis, erit affirmatio affirmationis: Atqui priuatione humoris atrabilarij cessant loqui idiomate peregrino, incipiunt loqui patrio & vernaculo. Ergo atra bilis causa erat noui & antea inauditi sermonis, cuius ebullitione si contingat Sibyllas & vates futura prædicere, vt autor est Arist. in problematibus, Si à fumis atrabilarijs conturbata phantasia non tantum inter dormiendum somnians, sed etiam vigilans, cogitat effutitq́; admiranda; quidni proferet voculas aliquot idiomatis inauditi? Qui potest maius, potest minus: Atqui maius est prędicere futura quàm inaudita loqui, quia futurorum sciētiam Deus sibi reseruauit, dæmones ambiguis & fallacibus responsis eam sibi falsò vendicant, vt diuinitatem mentiantur, quia nullam agnoscunt diuinitatis certiorē notam: Ergo si melancholici furore correpti quæ ventura sunt prædicant, poterunt inaudita loqui. Enthousiasmum veteres hærorum pathos appellarunt, vel quia entheastici dicebant faciebantq́; stupenda, vel quia in heroïcos tātum animos cadit hic affectus: At in quam furor iste Arist. opinione est atrabilarius, contingit à vaporibus melancholicis turbata phantasia. Itaque non est necesse, vt ad dæmonem, tanquam ignorationis extremum perfugium, confugiamus, cum naturalem causam teneamus. Imò verò præter naturam hæc fiunt, dices, à causa non naturali, morbosa potius quàm salubri, perturbatis sæpius quàm sanis: Fateor, vehementer enim commotus animus harmonia

A monia dissoluta, quam plurima effutit temerè. Inter tam multa fieri vix potest quin aliquid excidat quod respondeat votis auditorum, quod idcirco cum ratione dictum putant: Vt enim fieri vix potest, vt qui diu & sæpe iaculatur, etiamsi temerè, quin tandem aliquando attingat cynosuram: ita melancholici tam multa agitant animo, tam varia loquuntur, vt fieri vix possit quin insolens quidpiam & inauditum illis excidat audientium auribus accommodatum: Phanthasię in fingendo tanta est libertas, vt ea imaginetur.

Quæ neque sunt vsquam, neque possunt esse profectò.

Placet Erasmi sententia hanc litem componere: qui in Encomio medicinæ ita scribit.

Panaceum celeberrimi nominis medicum adolescens colui. Is me teste quendam restituit nomine Philaretum, patria Spoletanum, qui ex vermibus in nouum maniæ genus inciderat ita vt in morbo probè Teutonicè loqueretur, quod vt consanus præstabat sanus nunquam potuerat. Quis imperitus rei medicæ non hunc dæmoniacum vel deierasset etiam? At is hominem facili remedio menti restituit, redditus sibi, nec Teutonicè loquebatur nec intelligebat. Quod si quis hunc verè dæmoniacum fuisse contendat, ea sanè res vel maximè medicorum illustrat artem, cui pareant dæmones, quæque in exigendis spiritibus virturem diuinam æmuletur. Non deerant qui hoc factum magicis artibus attribuerent: quorum ego calumniam in decus & laudem medicinæ conuerto, quæ præstet ea quæ vulgus humanis viribus præstari posse non credit.

Marcus ciuis Syracusanus præstantior erat, puta ne mente alienaretur.

B

Possem certare Doctorum virorum, vt Leuini Lemnij; Medici & Theologi C Doctissimi testimonijs. Sed Aristotelis autoritas mihi est instar omnium.

CVR CHRISTI MORTE conticuerunt oracula.

CESSIT mendacium veritati, Tenebræ Luci: Princeps tenebrarum retrusus est in carcerem perpetuum, in cimmerias tenebras ablegatus à luminis autore: Quid enim aliud innuit vox illa imperante Tiberio à nautis exaudita? Magnus Pan mortuus est. Qui ante aduentum Christi sua tyrannide opprimebat mundum, quia sibi arrogat omnia, Pan dicitur: Omnia tibi dabo, inquit, si adoraueris me: Christi cruce percussus ideo decessit, quod exautoratus & ciuiliter mortuus est. Reliqui dæ-D mones, socij istius exilij, luctu aerem compleuerunt, quia idem supplicium sibi imminere præsenserunt: me Iudice, Christi crucem magis extollit fuga dęmonum, quàm eorum in mundo sublunari perseuerans imperium.

FINIS.

AD FERNELII LIBRVM SECVNDVM DE ABDITIS RERVM CAVSIS, COMMENTARIVS.

REI CVIQVE GENITÆ, ALIAS A MAteria, alias à qualitatum temperamento, alias à forma vires inesse. CAP. I.

QVo iure Aristoteles reprehendit Democritum, quòd cæterarum causarum vix vlla mentione facta solius materiæ meminerit, in eámque velut in præcipuam causam res & motus omnes naturæ reduxerit omnium cum sit infima & abiectissima, causa sine qua non veriùs quàm princeps causa: concausa & instrumētum veriùs quàm causa, adiuuans quidem, non efficiens. Eodem succensendum est materiarijs medicis, qui rerum & morborum causas omnes adscribunt quatuor elementis. Vtque physici ex ijs, velut de fonte deriuant omnia naturæ opera, sic medici causas ex causis persequendo, eodem omnes morbos retexunt: Videntur vtrique ignorare quod est in morbis & in natura diuinum, admirabile, & inexplicabile: dum naturæ quæque miracula & occultos morbos ad temperiem aut temperiei modum referunt: nos verò in meliore schola instituti, eorum tria principia constituimus, materiam, formam & temperamentum, à quibus deinceps effectuum omnium naturalium, quinetiam morborum causas quoniam repetemus, de singulis seorsim breuiter differamus. A

Materia est principium ex quo insito & manente, res fit, forma per quod fit: vis materiæ in eo potissimum consistit vt subsit formæ, est enim commune subiectum primorum contrariorum, formæ & priuationis, de qua primæ qualitates certant, tanquam de communi possessione, firque calida vel frigida pro qualitatis victoria, primæ qualitates sunt, calor, frigus, humor & siccitas, priores duæ actiuæ posteriores passiuæ nuncupantur: non quòd omnino sint otiosæ & inefficaces, humor enim humectat, siccitas desiccat, sed quòd calido & frigido comparatæ, materiales & patibiles videantur, hinc humidum & siccum, perpessione finiuntur: humidum quippe quod facilè cedit & contactu diffluit: Siccum quod resistit tangenti, manétque totum si tangatur, quinetiam secundæ qualitates quæ ex humoris aut siccitatis exuperantia emergunt, eodem modo describuntur: vt molle quod cedit in se, durum quod resistit. Platonici materiam appellant instrumentum formæ, qui ea non aliter vtitur in constituendis suis rebus, quàm artifex instrumento: & principium sine quo non, quia etiamsi ipsa per se nil efficiat, sine ea tamen à natura nil effici potest. B

Est causa quædam rationalis, eáque libera & indefinita, vt voluntas, quæ sola eadem numero manens potest contraria, altera naturalis eáque certa & definita, de qua sola, quod est in ore omnium intelligi debet, vnius causæ vnum esse effectum:

A & contrariorum effectuum contrarias esse causas, effectuum, inquam naturalium, non rationalium: Nam qui potest ambulare, eadem vi potest non ambulare: atqui occurrunt res innumerabiles, à quibus contrarij effectus ijque naturales manifestè procedunt: Itaque in vno & eodem subiecto diuersas causas fateamur necesse est, materiam, formam & temperamentum, vt hos materiæ, illos formæ, alios temperamento attribuamus: quæ tria naturalium actionum principia docti posuerunt, quibus veluti fundamentis deinceps subsistent morbi, materiæ & formæ, quam bene tum disquiremus opportuniùs. Hoc solo responso nunc satisfactum volo, eandem causam contrario modo affectam habere rationem causæ contrariæ. Calor iunctus siccitati astringit, humiditati relaxat, aperit: eadem particula trahit, retinet, expellit, si modo constet villis rectis, obliquis, & transuersis.

B

VIRES EAS QVAS FORMA PROFERT, vti & ipsam formam planè diuinas esse, quarum nulla sit certa manifestáque ratio.

CAP. II.

LIBRO superiore in operibus naturæ inesse quiddam diuinum tam manifestè conuicimus, vt nemo nisi peruicax de hoc audeat dubitare: quale autem illud esse putas ex tribus rerum & actionum naturalium constitutis principijs: materiámne? At illa opponitur Deo, vt prima potentia primæ & simplicissimæ energiæ, turpitudo pulchritudini,
C confusio ordini, multitudo vnioni. Est enim Deus actus purus, auctor ordinis, vnionis & pulchritudinis in vniuerso, materia verò mera potentia, causa confusionis, multitudinis & turpitudinis. An temperamentum? At illud nil est quàm congenita mixto, & ex mixtione elementorum nata qualitas: Reliquum est itaque vt in formis physicis diuinitatis extent vestigia: quò enim aliò referri possunt occultæ vires, quæ & specificæ qualitates & totius substantiæ proprietates appellantur, quia à forma in totam substantiam propagantur? Occultas rerum naturalium proprietates appello, non quòd effectis non sint manifestæ, nam trahi ferrum à magnete, quis nisi cæcus non videt? Sed quòd inexplicabiles habeant causas: Infinitorum venenorum vires, suo malo experta est antiquitas, vtinam ea nesciremus, necessitas inuenit alexipharmaca, quibus eorum ferocia reprimi possit, nemo tamen quantumuis subti-
D lis causarum perquisitor, qua vi illa oppugnent, hæc defendant vitæ principia, definitè explicauit: Experientia quòd ita sit, declarat, ratio cur ita fiat, nondum demonstrauit: Torpere manum cum primùm torpedo inciderit in retia, piscatores quotidie experiuntur, cumque stuporem impediri, si benjoin gestent manu, sed horum causæ adhuc quæruntur. Quemadmodum, cur quædam plantæ solo folio sint venenatæ, vt mandragora, aliæ solo succo, vt Aconitum, Psillos & Marsos proprietate quadam resistere serpentum venenatis morsibus experti sunt Romani, apud quos cùm Exagon pro suis legatum ageret, Consulum iussu in dolium coniectus plenum serpentibus, intactus euasit. Quod non est adeo incredibile, si vixerit Auicennæ tempore, quem fugerent venena venenatáque omnia, quinetiam illius solo contactu protinus morerentur: Athenagoram Argiuum à scorpionibus nunquam
E lædi potuisse historijs proditum est: Albertus vidit puellam quæ araneas habebat in delicijs: Quæ omnia, quòd fiant præter ordinem naturæ, omnes admiramur, ignota causa: multi tot difficultatibus se expediunt solo ἰδιοσυγκρασίας verbo, non procedunt hæc à temperamento, inquiunt, sed à modo temperamenti. Verùm dicendum est quis sit iste modus temperamenti, alioquin editur sonus sine mente, eodem enim quæstio reuoluetur: manifestæ rerum causę à temperamento repetendę sunt, occultę à modo temperamenti: At, inquam, scire non est confusè & indistinctè, sed definitè rem per causam cognoscere. Statuarius est efficiens statuę, pictor, picturę, sed quis pictor huius picturæ fuit autor, Apellésne, an Protogenes inquiritur, quo ignoto, non conquiescit animus, vniuersali & indefinita causa non expletur: est tamen ἐπιστήμη veluti στάσις, status animi, quia cognita vera causa subsistit, desinitque ampliùs quærere. Præstat igitur (vt totam disputationem paucis

concludam) ingenuè fateri maximam partem eorum quæ scimus, minimam esse A
eorum quæ ignoramus, quàm ista vela ignorationi prætexere. Si Platoni creditur,
Deus reseruauit sibi sapientiam, dæmonibus opinionem rectam, hominibus lubricam tantùm & ancipitem concessit. Scientiæ, inquit, similes sunt alaudis, euolant cùm manu teneri putantur. Admirabiles actiones, formæ quidem acceptas ferunt philosophi, sed quæ & qualis illa sit, vtcumque diuinant.

CORPORIS HVMANI ET CVIVSQVE *animantis diuinam esse fabricam.* CAP. III.

GALENVS passim accusatur impietatis, quòd naturæ nimiùm addictus,
in ea veluti in prima causa substiterit, nec ad Deum vsque perrexerit:
hinc medici, vulgò naturalistæ nominantur, quasi neglecto Deo solius B
naturæ numen venerentur: Galenus tamen lumine naturæ de Deo tam
magnificè scripsit, quàm quiuis alius: hominis enim, quinetiam mundi & mundanorum omnium opificem eum agnoscit, vim conformatricem, dij boni, quantis laudibus extollit? eam ideo rationalem profitetur: quòd eum ratione singula instrumenta, prout indiuidui commoditas postulat, ad certos vsus referat, obseruata iusta magnitudine, & particularum omnium certo numero, situ, conformatione: Atqui illa per se naturalis est, & naturaliter agit, quo igitur modo potest esse rationalis, nisi quod dirigitur à causa rationali? potéstne Theologus prudentiam opificis manifestius declarare, quàm ille fecit in libris de vsu partium? Hi sunt magistri muti, hi doctores sapientiæ diuinæ, libri vulgaris theologiæ, quorum intelligen- C
tia minimus è plebe opificem Deum admirabitur primum, mox venerabitur: At naturam, inquiunt aduersarij, sæpiùs nominat, rarò Deum. Quid mirum, cùm sit interpres atque etiam filius naturæ? verùm discite hoc ex me, si nescitis, quòd quicunque dicit naturam, ille ordinariam Dei prouidentiam subindicat: natura, inquit Aristoteles, est primi motus primum principium, quale autem hoc esse potest si non primus motor? Primus motus, inquit ille, est causa vitæ & ordinis omnibus quæ natura fecit: si primus motus, ergo primus motor, quem communem seu naturantem naturam physici sapienter nominarunt, nam si natura particularis, sit insitum rei cuique principium motus, communis, erit primum & commune principium, cuius vi & participatione singula mouentur. Quoties medicus naturam opificem & conseruatricem vniuersi nominat, putásne, vecors Deo fieri iniuriã? Aristoteles aliquando
naturam appellat ordinem, aliquando causam ordinis in vniuerso: Quænam potest D
esse alia causa ordinis, quàm ordinator Deus? Quoties igitur naturam nominat, toties Deum nominat, quinimò eius ordinariam prouidentiam celebrat, vt desinat posthac vulgus medicos criminari, si quando in natura tacitum aliquod numen venerentur. Hanc calumniam vt effugeret Fernelius, veluti transfuga desertis castris physicorum ad Theologos conuolauit. Non fuit illi satis formas physicas origine cœlestes dixisse cum medicis, nisi etiam essentiâ diuinas affirmaret. Verùm vt Solis calor ex formarum elementarium vnione formas constituat, non aliter, quàm ex triplici spiritu vnum genitorem, qui omnium possidet vires, tum exposui, cùm à temperamento, manifestos, à forma occultos effectus emanare demonstraui. Si formarum physicarum substantiæ cœlitus influant, illæ erunt, vt cœlum, im-
patibiles & sempiternæ, at sola mens eiusmodi est, sola extrinsecus aduenit, cæteræ E
formæ vt connascuntur, ita commoriuntur corpori: Aristoteles artis synthesin distinguit à naturæ γένεσιν, quòd artifex ex rebus præ existentibus componat, vt architectus domum ex fundamento, cæmento & lapidibus, natura ex potentia & actu generet, quia præuiis multis altercationibus efficit tandem vt materia sit actu quod poterat esse, acquirat finem ad quem referebatur.

ANIMAM

A ## *ANIMAM NOSTRAM NON AB elementis ortam Galeni decreto.*

CAP. IIII.

NON est mirum si Apollinis oraculo vnusquisque ad sui, hoc est, animæ
suæ cognitionem inuitetur: Animæ enim substantia tam pulchra est,
tam lucida, tam perfecta, vt si oculis corporis videri posset, omnibus
incredibilem sui amorem simul cum admiratione excitaret: verùm pul-
chra solent esse difficilia, difficultatis multæ causæ assignantur: Prima
quòd non habeat facultatem superiorem, per quam cognoscat se: Secunda quòd
B sensuum ministerio cogatur intelligere, sensus corporea tantùm percipiat, anima au-
tem sit incorporea, quamuis necessitate corpori alligata. Hinc Galenus realem animę
substantiam sibi ignotam ingenuè confitetur, Stoïci tamen, vt ille ait, spiritum tam
animæ quàm naturæ substantiam constituerunt: hoc tantùm discrimine quòd spiri-
tus siccior animæ, humidior naturæ sit substantia: Res inanimatæ quas sola regit na-
tura, humidiorem spiritum habent pro forma: animatæ, sicciorem, qui quo siccior
est, eo mobilior & efficacior, animalis vitali, hic naturali. Verùm spiritus replet &
distendit, necnon tensione dolorem facit, quod de anima nemo prudens dixerit,
permanet anima per syncopem vacuato spiritu, qui dissipatur vanescitque anima to-
ta permanente: hæc tota est in qualibet parte, quod de spiritu qui dixerit, ille dimen-
siones sese penetrare fateatur necesse est. Esto igitur anima incorporea substantia,
C quæ spiritu vtitur, tanquam instrumento ad obeundas suas functiones, naturali na-
turales, vitali vitales, animali animales, cuius enim corporis differentia comprehen-
di poterit, si non spiritus? Accedat animam cognoscere se, atque etiam simul & indi-
uiduè concipere contraria, vtrumque cùm sit à natura corporis alienum, quod con-
traria vicissim admittit, non simul, Animam esse incorpoream constituamus. Si for-
tè nonnunquam à physicis dicatur corporea: scito nil aliud significari, quàm à cor-
poreillam esse inseparabilem, cui necessitate cohæret, veluti compedibus ferreis alli-
gata: sola enim mens est separabilis, quia non eget corporis auxilio ad intelligen-
dum, quinimò corpus philosophis est impedimento, animi veluti sepulchrum, quò
se abducit longiùs intellectus à corporeis pathematis, eò perfectiùs rerum causas cō-
prehendit, proinde ex omnibus quæ extant in mundo sublunari, sola mens vt planè
D incorporea & indiuidua, ita immortalis. Duas quidem habet rationes, vnam abso-
lutam, per quam proprias actiones per se sola exercet, alteram, comparatam, per
quam communicans cum corpore illius necessitatibus consulit, vt nutriendo, & vi-
uificando, quibus functionibus neglectis non posset ipsa diu in corpore subsistere,
sic Dei quædam sunt actiones ad intra, vt intelligere se & in se omnia, alia ad extra,
vtor lubenter verbis castrensibus philosophicæ militiæ, vt mouere cœlum, & eius
motu inferiorem mundum conseruare: Priorem actionem in corpore quidem, sed
absque corpore exercet, exercebitque perfectiùs cum primùm liber erit & corporis
tyrannide solutus: Posterius cogitur obire, ad corporis primum, deinde sui conser-
uationem: nemo autem existimet eò quòd anima sit incorporea, eam impotentio-
tem esse & agendo ineptiorem, quia vt materia patiendi, ita forma agēdi principium
est: quo quid materialius, eo patiendo aptius, agendo ineptius, quo formalius eo
E efficacius. Hinc cùm Platonici corporum duas differentias constituant, quędam so-
lida, alia spirituosa, cuiusmodi sunt venti, fulgetra, fulgura, tonitrua, fulmina (ma-
ligni spiritus, scelerum vindices & diuinæ iustitiæ ministri) hæc prioribus longè po-
tentiora & efficaciora profitentur: formæ igitur vt immaterialiores spiritibus, ita sunt
actuosiores, & quo sunt à materiæ communione remotiores, eo sunt potentiores,
vt intellectus sensu, sensus anima nutriente. Intelligentiarum cœlestium eodem ar-
gumento credibile est, vim esse maiorem quàm mentis humanæ, summi Dei incom-
parabilem & incomprehensibilem. Eadem ratione contingit species qualitatesque
spiritales efficaciores esse materialibus: hinc veneni virtus maxima, & ad mouen-
dum promptissima, eoque deteriora, quo sunt spirituali qualitate noxia. Hinc
contagionum differentiæ, spiritualia eminus lædunt magis promptiusque: mate-

rialia cominus, imbecilliùs, tardiùs: Cęterum quia penetrationis dimensionum A
frequens incidit mentio, de qua, magna contentione Aristoteles contra veteres
physicos disceptauit: de tanta quæstione non erit alienum nonnihil adijcere. Corpo-
ra solida non posse sese penettare extra controuersiam est, vnum enim alteri cedit,
sed spirituosa sese inuicem, & solida secundùm partes omnes permeare quid vetat?
Nónne vides vt lux & radius eodem instanti totum orbem peruadunt? Si quis inest
spiritus mundi, si quis ignis per totum mundum effusus, si anima plantæ & belluæ
spiritus est, nónne solidum à spiritali quoquouersum penettari necesse est? possúnt-
ne dæmones, si qui sint, aërem totum percurrere momento sine penetratione dimé-
sionum? denique nōn tantum cœlestia ad imum vsque terrę penetrant, sed ignis aë-
rem, aër aquam, aqua terram: Aërem diffundi per totam aquam constat manife-
sta ratione, nam pisces qui habent pulmones, vt Balenæ & Delphini, sine dubio B
spiritum trahunt sub aquis, cæteri per bronchia respirant sorbendo & reuomendo
aquam, sed cùm aqua commixtum spiritum simul ducunt, quomodo complutam
terram vndique ab aqua penetrari, cur non licebit asserere? hoc modo videntur
mihi elementa tota totis permisceri in ortu simplici, dum tenuiora subeunt densio-
ra, ignis aërem, aër aquam, aqua terram, alioquin neque à densiori tenuius pene-
tratur, sed diuiditur, neque æquè densa sese inuicem possunt permeare, propter
resistentiam.

QVID ANIMÆ FACVLTAS GALENO.

CAP. V.

HOc ordine sese consequuntur essentia, facultas & functio, vt quemad- C
modum functiones à facultatibus veluti effectus à suis causis immediatè
dependent, sic facultates ab aliqua sustantia: vtque facultas est functio-
nis immediatum principium, nil enim fit quod fieri non possit: sic for-
ma est coniuncta & proxima causa facultatum: non dubito qualitatibus
suas inesse vires, vt calori calefaciendi, sed illæ cum sint accidentia, alicui substantię
insunt per quam existunt, hæc substantia qualiscunque sit, est id quod est per suam
formam, ab illa regitur & agendi vim omnem accipit, neque enim à materia: cuius
tota vis consistit in patiendo, qualitatum igitur aduentitiarum si quæ sint vires pro-
cedunt à forma, calorem viuentis regit anima, eiusque vires & actiones omnes mo-
deratur. Itaque præstat cum Aristotele formam immediatum principium facultatis
ponere, quàm cum Galeno temperamentum, primam efficiendi vim attribuere sub- D
stantiæ quàm accidenti, essentiali quàm accidentariæ qualitati: quod cum sit ma-
gnarum rerum fundamentum, paulo fusiùs explicandum est. Aristoteles in Physicis
rerum constituit duo prima principia, artem & naturam, hanc naturalium, illam ar-
tificialium operum efficientem, quibus totidem causas opponit, casum & fortu-
nam: casum definit causam per accidens eorum quæ fiunt præter naturam: fortu-
nam, causam per accidens eorum quæ fiunt præter artem & rationem, quò refert
euentus omnes παραλόγους, quæcunque præter rationem eueniunt: In metaphysicis,
vbi de primis rerum causis philosophatur subtiliùs, tres veluti fontes efficiētium om-
nium, si malis tria principia radicalia constituit, mentem, artem & facultatem: Ars
enim est efficiendorum duntaxat principium, mens verò practica agendorum, vt
moralium actionum, contemplatrix contemplationum, vt ratiocinationis & sciētia- E
rum, quò referri possunt effectus imaginationis. Mente non tantùm Deus contem-
platur, sed etiam regit vniuersum, & intelligentias inferiores creat, Intellectum ho-
minis discurrendo nil vetat etiam mouere suum corpus. Superest vt explicemus cur
quod in physicis naturam appellauit, in metaphysicis facultatem nominarit: An
quòd facultates nōn omnes sint naturales, sed præterea quædam sint vitales, aliæ
animales? An quòd facultates quædam sunt mixtæ ex passiuis, & actiuis, vt tangen-
di, gustandi, odorandi, audiendi & videndi, denique sentiendi, quæ naturæ nomi-
ne comprehendi non possunt? Si spectes alterationem, quæ fit in sensorio à sensibi-
li, sensus est passio: Si dignotionem alterationis, quæ fit ab interiore sensu, est actio:
An potius quia rebus ferè omnibus agendi vires insunt, aliis manifestæ, vt Euphor-
bio calfaciendi, opio refrigerandi, aliis occultæ, vt catharticis purgandi, venenis

inter-

A interficiendi, alexipharmacis resistendi venenis, quæ cùm otiosę maneant, nisi à forma non sua, sed viuentis, caloris non proprii, sed alieni virtute excitentur in actum, facultatis quàm naturæ nomine meliùs designantur, ac proinde longè maior est ambitus facultatis quàm naturæ. Aues tam artificiosè struunt nidos, vt eos cum ratione fecisse videantur, id tamen non menti aut arti, sed naturæ aut facultati tribuendum est: Ad hoc non habent opus alio doctore, quàm natura, verùm quòd rheum trahat bilem, agaricus pituitam, id fortassis non tam naturę quàm facultati tribuẽdum, præsertim si naturam temperamentum interpreteris cum Galeno: facultatis igitur nomen cum latiùs pateat quàm naturæ, non est mirum si quod naturam in physicis Aristoteles nominauit, in metaphysicis facultatem appellarit. Sed cur in metaphysicis Arti & facultati adiunxit mentem, in physicis eandem Arti & naturæ non adiunxit? quia physicus in sensibilibus causis conquiescit. Satis illi est dixisse Solem
B caloris ministerio generare, metaphysicus verò Solis motricem & rectricem causam inuestigat, quam veteres à iuuando Iouem nominarunt, vt animam lunæ Iunonem.

TRIVM PARTIVM ANIMÆ DIVINAM esse substantiam, ex Galeni sententia.

CAP. VI.

AVDIREM lubentiùs ex Pythagoreis creaturas omnes etiam inanimatas quotidie suo creatori hymnum canere, quàm ex Fernelio Deum ipsissimum non modò generare, sed in genitis veluti rectorem permane-
C re: memini Aristotelis interpretes aduersus eos qui intellectum agentem Deum interpretantur, præter cætera hoc obiicere, quòd Deus foret autor peccati, ipse puniendus non homo: aduersus migrationem animæ humanę in corpora belluarum obiici solet à Peripateticis, corpora belluarum excipiendę tam nobili formę non esse idonea, non enim quæuis forma promiscuè cuiuis materię immiscetur, sed prout vsus postulat temperatæ atque conformatæ, vt enim magno pedi non conuenit paruus calceus, sic anima pulicis non potest regere elephantem, violaretur alioquin agentis proportio cum patiente, nec omnia fecisset in pondere, numero & mensura: Si animam humanam nefas sit belluinum corpus informare, nónne intolerabilius Deum ipsum generare belluas, & in genitis permanere? Ipse facit qui peralium facit, Deus degens supra cœlos intelligentiarum cœlestium ministerio
D regit mundum & mundana omnia: Summæ illius potestatis in singulis omnibus certa extant vestigia, potestatiuè igitur inest mundo, non substãtialiter: Vim genitricem vt diuinam suspicimus, neque tamen Deum esse putamus, nec Dei quicquam: bouis, simiæ & crocodili opificem admiramur, neque tamen vt Ægyptij in his creaturis Deum veneramur: erectus est nobis vultus in cœlum, cùm cæteræ animantes pronæ spectent terram, vt in cœlis vel potiùs supra cœlos existentem Deum adoremus, eóque non tantùm oculos, sed mentem dirigimus. Eo fine nati sumus, non, vt eo contemplemur cœlum, sed potiùs vt mentem cœli rectricem veneremur: In schola Peripateticorum magna contentione disputatur an genitor spiritus operis sui rector permaneat, an opere perfecto dispareat, & meliori formæ committat corpus gubernandum, qua quæstione quid ineptius, si Deus ipse gignit & genitum guber-
E nat? Hanc igitur quæstionem missam faciamus, & ad facultates animæ tantisper diuertamus. Cùm anima facultatibus distincta veluti totum integrans suis partibus definitur ab Aristotele principium nutriendi, sentiendi & ratiocinandi, diuiditurque in animam nutrientem, sentientem & ratiocinantem, diuisio est generis in species. Tres enim sunt animarum differentiæ, quæ totidem prima subiecta specie distincta informant, nutrix plantam, sentiens belluam, rationalis hominem: Anima per hæc omnia diffusa, non est physica & realis quædam substantia, qualis fingitur anima mundi, vniuersalis scilicet modo Platonico, hoc est participatione communicabilis multis, vt vox & calor Solis, sed generalis modo Peripatetico, hoc est notio ex multis specie differẽtibus collecta, ens rationis, non rei. De anima plantarũ & belluarum idem esto iudicium, nam plantæ quę differũt specie, animas habent specie differentes, sed lactucas omnes forma eadem specie, solo numero distincta, informat.

Anima igitur plantatiua, seu plantis omnibus communis, sola mentis operâ subsistit: nulla enim sunt vniuersa ante multa, omnia sunt in multis aut post multa, quicquid existit singulum est, τὸ πᾶν, ὄν, & ἕν, omne, ens & vnum, reciprocãtur, inquit Arist. quia quicquid est, vnum est & singulare: singularis verò anima est impartilis, quia incorporea, indiuidua quia singularis, facultatibus tamen distinguitur, quia nõ aliter se prodit & manifestat, quàm per suas vires, quibus idcirco cogimur eam definire & diuidere. Hinc veluti prærogatiua quadam totum potestatiuum à philosophis nuncupatur: doctè equidem: Nam vt Deus omnipotentiâ cognoscitur, sic animus multipotentia. Qua de re vt constet euidentiùs, disputatio de formis à primo fonte repetenda est. Quando formarum tres primæ differentiæ constituuntur, metaphysicæ, mathematicæ & physicæ: diuisio est homonymi in sua significata, quia non potest forma nomine & ratione dici de omnibus, cum mathematicæ sint accidentia: At cùm physicarum duæ primæ differentiæ constituuntur, natura & anima, aut anima in vegetantem, sentientem, & rationalem distinguitur, diuisio est generis in species, quamuis vna origine sit prior altera: non aliter quàm binarius ternatio, triangulum quadrato: Nam si species referantur ad suum genus, sunt peræquè formæ, peræquè animæ, sentiens non minus quàm rationalis: Vtraque enim, perfectio est subiecti quod informat: Verùm si inter se comparentur, quæ posterior est origine, prior erit dignitate: Rationalis anima de singulis singulorum hominum entelechijs synonimôs dicitur, vt species de suis indiuiduis, non est tamen extra singula existens quædam substantia à multis participabilis, vt de anima mundi asserunt Platonici, aut de intellectu agente quidam Peripatetici: sed in multis existens essentia, eaque in singulis singularis, sola mentis opera vniuersalis, quę sola communionem apprehendit, ens logicum non physicum, quia quidquid existit singulum est. Omnes animę sunt singulares & indiuiduæ: multorum vnio, si malis essentiæ communio, speciem facit. Dicet aliquis, Si forma Physica Aristotelis opinione non est realis & per se existens substantia quandiu manet indefinita, cur secundo physico definitur παράδειγμα γινομένων, exemplar eorum quæ fiunt, eo enim modo Platonici suas Idæas definiunt? Respondeo: in omnibus operibus naturæ, formam & finem reipsa vnum esse, sola distingui ratione: Atqui finis hominis generantis non est Socrates, sed homo: indiuiduæ proprietates quæ Socratem à cæteris hominibus distingunt, procedunt ex materia, saltem ex forma prout cum illa communicat. Ergo species est finis futuri & fientis operis, forma facti: Tota in singulis, intellectus opera extra singula subsistens. Quæ disputatio plane metaphysica, vnum est ex primis humanæ sapientiæ principijs, ne quis existimet metaphysico huic operi frustrà inseri.

HVMANI CORPORIS VT OMNIVM viuentium spiritus esse diuinos, ingenitúmque illis calorem diuinum.

CAP. VII.

ECQVIS erit modus tandem? nunquámne doctor de spiritus & caloris diuini tabula manum remouebit? Spiritus inquit, propriè est ventus, imò verò ventus est spiritus, eóque, velut species genere comprehenditur, si modò doctè Platonici corpus in primis diuidant in spiritale & solidum, impropriè sanè, & ratione nostræ imbecillitatis (cuius causa Deus ipse tanquam corporeus ponitur ob oculos, eique corporeæ actiones à Theologis adscribuntur) spiritus Dei & spiritus mundi nominantur.

Principio Deus est, dein verbum, & spiritus vnà,
Hæc tria mixta simul cuncta & tendentia in vnum.

Ecce trinitas vna, si malis vnitas trina, Platonicorum scriptis tantoperè decantata, cuius meminit Aristoteles initio primi de cælo: Deus pater, Verbum seu Sapientia patris, & Spiritus sanctus, qui est spiritus principalis, quo quidem animari mundum placet Platonicis, quibus acriter resistunt Peripatetici: negant enim totius mundi vnam esse & simplicem formam, sed, vt sunt quinque mundi elementa, seu primæ & simplicissimæ partes specie differentes, ita eorum totidem esse formas, quę non possunt esse eiusdem speciei, tantum abest vt ab vna & eadem numero anima informentur.

A tur. Esto animatum cœlum, quia nihil est pulchrum absque anima, sit inferioribus omnibus causa vitæ & ordinis, at elementa non tantùm animata dici, sed ab eadem anima informari quis ferat? quomodo sol potest esse autor vitæ & ordinis in vniuerso, si totus mundus vna & eadem anima sit animatus? nam si totus mundus viuit per suam animam, frustra vitæ principia à cœlo repetuntur, verùm faciamus esse animatum, anima igitur optima, hoc est, intelligente erit animatus, proinde non minùs intelligunt elementa quàm astra, neque enim potiùs desunt instrumenta elementis quàm cœlo: accedat & hoc potentissimum argumentum, quòd mundus non sit vnus continuitate, sed contiguitate partium, singula enim loco & superficie sua distinguntur, motus habent proinde naturas differentes. Graue enim deorsum fertur, leue sursum, cœlum neque graue neque leue in orbem, potéstne vna forma edere tam differentes motus? naturas specie quinetiam genere physico differentes potéstB ne eadem forma definire & constituere? aduersus Zenonis opificem ignem qui continens seu conseruatrix causa mundi nuncupabatur à Stoïcis, dirigi etiam possunt quæ sequuntur argumenta: Ignem constare propria forma per quam à cæteris elementis distinguitur, omnium formas esse æquè primas, si modò contraria sunt naturâ simul, vt ignis & aqua, aër & terra: accedat primam causam qualiscunque illa sit, esse immaterialem: Enimuerò cùm ipso sensuum testimonio manifestum sit vitalem calorem à Sole dimanare à quo stirpes & insecta sine semine ex materia putri generantur: quis furor est præterea calorem fingere veluti substantiam permanentem à quo singula generentur? Si sol sit communis parens, quorsum Platonis spiritus aut calor Zenonis? Platonici obruunt nos primarum causarum multitudine, faciúntque tandem intelligendo, vt nil intelligamus, frustrà docent per plura, quod PeriC patetici docent meliùs & doctiùs per pauciora, nunquam sunt entia sine magna necessitate multiplicanda: verum pergamus, & à spiritu mundi ad spiritus hominis disputationem conuertamus, quibus intermedijs immortalis animus creditur coniungi corpori caduco, quia non sit verisimile naturas adeo differentes sine medio vniri posse: his veluti vinculis anima retinetur in corpore, eorumdem ministerio suas functiones exercet, naturali naturales, vitali vitales, animali animales, fortassis vnus idemque spiritus omnes partes corporis agitat, & toto se corpore versat, pro varijs tamen functionibus, quas obit diuersis in locis, differentibus vtens instrumentis, triplex constituitur, naturalis totus est fixus, quamquam an aliquis sit vagus controuertitur: vitalis partim insitus est, partim influit, vt fixi perennem dissipationem reparet: Animalis totus confluit ad sensum & motum, potestque hic ex officio moD torius, ille sensorius appellari, atque hic rursum in visorium, auditorium, gustatorium, olfactorium & tactorium distingui, de quibus in physiologia fusiùs egimus, præsertim commentario ad librum Fernelij de spiritu & calido innato, vbi quam hîc mouet quæstionem disputauimus, An calor qui nos gignit & conseruat re vera sit cœlestis, an elementaris tantum, analogus tamen cœlesti, quia moderatus & suo cõtrario temperatus: fortassis humore potius cõtemperatur quam frigore, eoque aërio, pingui & oleoso, in quo diutissimè conseruatur, non aqueo à quo ocyssimè corrumpitur, tamen aër qui eo potissimum fine assiduè inspiratur, & transpiratur, facilè nobis persuadet eum frigore contemperari & ad mediocritatem adduci.

E

PLVRIMAS FVNCTIONES ET opera in nobis occultis ex causis esse.

CAP. VIII.

PHILOSOPHIA ideo fingitur à poëtis Thaumantis filia, quòd tum primum homines cœperunt philosophari cùm cœperunt admirari, belluæ solis obiectis sensibilibus mouentur, idque solum persequuntur quod putant vtile aut iucundum: hominis proprium est sensibilium causas perquirere, idque potissimùm amplecti quod sit honestum & cum ratione cõiunctum: Illi enim non est satis intueri Solem, aut plantas adolescentes oculo corporis contemplari quod habet cum belluis commune, sed qua vi hæc fiant, interiore mentis lumine diligenter inquirit, miratur quæ non intelligit, actio-

nis verò aut operis causa inuenta, cessat admirari: hinc philosophiæ finis & contem- A
plantis summa fœlicitas ἐδὲν θαυμάζειν, nil admirari.

Atqui multa sunt quorum incomprehensibiles sunt causæ, quæ omnia philoso-
phantis animum perpetuò suspendunt, ea igitur maximè omnium sunt admirabilia,
cum perpetuam sui admirationem excitent, non admodum miramur rapaces volu-
cres auiculis insidiari, nec lupum oui, aut vulpem gallinis, quia tales inimicitię pro-
cedunt à gula: daco insidiatur elephanti vt eius frigidissimo sanguine ardorem
suum contemperet: si Plinio creditur, saturi leones sunt innoxij: senio confecti, ho-
mines seniores quærunt in prædam, non odio hominum, sed quia alia venari non
possunt: Item non mirum orgasmi tempore belluas sese mutua pugna confodere,
stimulis enim veneris tum in furias aguntur, nec ferunt corriualem: quæ à gula ori-
ginem habent inimicitiæ, sunt permanentiores quàm quæ ab œstro: Hæc non ad- B
modum miramur, inquam. Sed miramur camelorum odium cum equis, aquila-
rum cum ceruis, accipitre & cygnis, Ichneumonis cum crocodilo, quia veram cau-
sam ignoramus, etiamsi qualemcumque diuinemus. Si magnes trahit ferrum sympa-
théia, Theamenes illud repellit antipathéia, si attractio ferri impediatur, magnete allij
aut ocymi succo oblito, aut adamante circumposito, propter formæ aut spiritalis
alicuius qualitatis dissimilitudinem, restituitur suæ naturæ, vimque attrahendi fer-
rum recuperat, hirci sanguine confricatus, propter benignam aliquam qualitatem
hircini sanguinis, eámque amicam & familiarem magneti. Quæ quidem in genere
& indefinitè pronunciata vulgaribus ingenijs satisfaciunt. Sapientes particularem
& definitam causam perquirunt, sibique sympathéias & antipathéias illas demõstrari,
hoc est, definitiùs per causam explicari cupiunt. Scribit Albertus se vidisse in Ger- C
mania gemellos, quorum vnus dextri brachij solo contactu serras aperiebat, alter
brachio sinistro easdem claudebat, quas vires quis non miretur? nemo tamen ve-
ram causam explicarit, quemadmodum neque cur Metæ innoxiè vorarent ferrum,
vt Aristoteles scribit in historia mirabili. Sane non pudet me ignorationem confi-
teri, humanæ enim sapientiæ laus est non exigua ingenuè fateri se multa nescire: di-
cam tamen probabiliter quid afferri possit de tot, tantisque quæstionum difficultati-
bus: homo est finis, cui, in cuius gratiam omnia condita sunt, est omnium iudex,
quia quod præstat, debet alijs esse pro mensura, hinc cætera non dicuntur calida aut
frigida, nisi ad eum relata, atque, vt semel dicam, corpore corporum, anima anima-
torum omnium vires continet, ex eo dictus μικρόκοσμος, vniuscuiusque speciei indiui-
duis omnibus idem ferè est temperamentum, naturæ non admodum differentes, At D
in hominum genere vix duos reperias eiusdem planè temperamenti, videturque so-
lus cæterarum rerum temperamenta concludere: hic ventriculum habet strutioca-
meli, ille in brachio Silphij aut Ætiopidis herbæ similem temperaturam: proinde
interroganti, cur Metæ impunè comederent ferrum? Respondetur, quia ventricu-
lum habebant strutiocamelis similem: vnde gemellis vis aperiendi & claudendi
ianuas? quia vnius brachio innatum erat Ætiopidis temperamentum, cuius contactu
clausa omnia aperiri narrat Plinius: refertque Ælianus vpupam obstructum lapide
foramen reserare ignota herba, quam Ætiopidem non dubitem appellare: si natura
fecit contrarium vnum, fecit & alterum, proinde aliquid exstat ab Ætiopide natura
differens, quod vim habet claudendi serras solo contactu, cui verisimile est alterius
gemelli brachium congenerem temperaturam habuisse. Sic explicari potest quod
scribit Plinius: Quorundam partes nascuntur ad aliqua mirabiles, sicut Pyrrho regi E
pollex in dextro pede, cuius contactu lienosis medebatur, qui post mortem non po-
tuit comburi: Verum hæc non planè satisfaciunt, dices, quia manet adhuc quæstio,
qua vi strutiocamelus coquat ferrũ, aut Ætiopis herba serras aperiat, an satis est naturę
nomen? quia cum quidpiam toti speciei naturale esse responsum est, non licet am-
pliùs quærere, alioquin fieret progressus in infinitum: cur piper calidum? quia ignis
vicit in eius mixtione: cur ignis calidus? satis sit naturæ nomen, veteres contenti
erant respondisse hæc fieri πεφυκότως, naturaliter, ἀπὸ τοῦ πεφυκέναι, quia natum sit ita fieri.
Prima quædam rerum & artium omnium sunt principia, in quibus consistendum
est, nec licet vltra quærere, quia eorum veritas non ratione, sed sensuum vel intelli-
gentiæ solo lumine comprehendi debet: Ignem esse calidum, terram grauem tactus
tam manifestè conuincit, vt non alia probatione sit opus quàm vt peruicax dubita-

A tor digitum in ignem immittat, aut terrarum magna mole oneretur, Deum esse colendum & amandos parentes naturæ & rationis lumine tam conspicuum est, vt pœna sit dignus qui horum probationem requiret. Consistendum fortasse in ἰδιοσυγκρασίᾳ tanquam in primo efficiente actionum naturalium, neque modus temperamenti curiosius inquirendus est, cum soli Deo & miscenti naturæ sit cognitus: qua de re erit postea differendi locus opportunior. Pergamus ad eas actiones quæ in nobis quotidie fiunt, sine admiratione quidem, quia sunt ordinariæ, natura autem causa est ordinariæ cuiusque actionis, diuinitatis tamen manifesta edunt argumenta, causasque habent reconditas: quòd ventriculus coquat alimentum, nemo miratur, quia causa est manifesta, coquit enim calore, neque mirabilius quod iecur ex chilo conficiat sanguinem, hoc enim facit suo parenchymate rubro & sanguini concolore, sed B quòd singulæ partes secernant, & cum delectu trahant, non est minùs mirum quàm ferrum trahi a magnete, paleam à succino, aurum ab osse milui piscis. Equidem, Fernelì doctissime, si hoc esset homini peculiare, maiorem admirationem excitaret, & plus diuinitatis præ se ferret, sed hoc belluis & plantis nobiscum commune est, quinetiam omni rerum generi insitum est à natura appetere bonum & declinare nocitu-rum: hoc appetitu elementa mouentur ad sua loca, quinetiam materia appetit formam, vt turpido pulchritudinem: mallem inter mirabilia retulisses, quòd homines vescantur tritico, equi fœno & auena, boues eruo, sturni & capræ cicuta, sues hyosciamo. Hæc enim demonstrant requiri substantiæ similitudinem inter nutritum & nutriens, cuius defectu, alimentum quamuis sit boni succi & facilis coctionis, huic tamen benefacit, alteri nocet, vt venenum: Aut cur inopia boni prauum alimētum C attrahatur, quod accidit biliosis, quoties longam inediam ferunt. Veruntamen tuis vestigijs insistamus. Cordis & arteriarum indesinens pulsatio vnum est ex naturæ miraculis: cor enim, quamuis graue nobis etiam dormientibus præter naturam attollitur, sine vlla lassitudine, ex eoque suboritur admiratio maior, quòd simul pulsent arteriæ, dissimili tamen principio, cor vitali, arteriæ, congenita pulsifica: sentiendi & progrediendi causam qui studiosè perquiret, non habebit admirandi minorem occasionem, quis enim non suspiciat quod eodem extanti videre possimus, audire, gustare, odorari & tractabiles qualitates discernere, influente à cerebro per neruos molles sentiendi facultate vectore spiritu, eóque ipso momento nos progredi, brachia, pedes, brachiorúmque & pedum digitos quò lubet inflectere: hæc ad dextram, illa ad leuam, confluente per spinam & motorios neruos vi motrice? potéstne istorum omnium contemplator mecum non exclamare, O architectum admirabilem! ô opificem inimitabilem, quid si pergat ad principes facultates, memorandi, D dico, imaginandi atque discurrendi? Obstupescet sanè tantarum rerum lumine veluti attonitus: miramur vuas à Zeuxide tam ingeniosè effictas, vt aues ad eas conuolarent: Apelles laudatur quod equam tanta arte effinxerit vt equos ad congressum inuitaret, eámque sæpe insilirent: Commendatur Ctesicles, quòd marmoream statuam tanta industria confecisset, vt Samij adolescentes eius potiundi desiderio in templo pernoctarent. Imitabantur tamen in operibus naturę quod est minimum, nempe exteriorem faciem, sensum & motum, multominùs principes facultates rebus suis largiri nunquam potuerunt: exclamemus igitur iterum atque iterum cùm Propheta, Quàm mirabilis est Deus in operibus suis! Aut cùm Zoroastro, Quàm fuit audax natura, cùm primum de hominis architectura cogitauit!

E *PARTI SIMILARI NON VNICUM sed tria morborum genera insidere, & qui sint materiæ morbi.*

CAP. IX.

VT Aristoteles in physicis ponit multa in metaphysicis demonstrata, ita Fernelius in Pathologia, hoc veluti totius medicinæ primum principium sumit tanquam certum, præter intemperiem esse morborum similarium duas differentias, materię & formę, quia vt opinor, illius demonstrationem ad hoc opus planè metaphysicum remisit: Age ergo, quia Platonis præcepto in principijs cuiusque disciplinæ examinandis diligenter la-

borandum est, propterea quòd ex vno principio falso in artis progressu sequuntur A innumerabiles conclusiones falsæ: primùm quos introducit morbos materię vocemus ad examen, & rationum pondere subducamus, morborum verò formę disquisitionem, in proximum caput referuemus. Sanè vt laudandi sunt eorum conatus, qui bonas artes tentant nouis inuentis illustrare, sic increpanda est eorum audacia, quia patrum vestigijs temerè desciscunt. Omnes morbos partium similarium Galenus vno genere, nempè intemperie, conclusit, ad quam Fernelius morbos omnes materiales reducit, quia non cadunt in materiam nisi quatenus aliqua intemperie laborat; non afficiunt subiectum nisi qualificatum: materia non est causa nisi vt instrumentum, per se nil efficit, estque omnino expers actionis: sic itaque ratiocinemur: Morbus est prauus affectus actionem lędens eius. cui primùm insidet quatenus tale est: Atqui materiæ, qua ratione materia est, nulla est actio, omnia enim quæuis actuosa, qua ratione subijciuntur dicuntur habere rationē materiæ. Itaque nullus est morbus B materię, nisi fortè intēperatæ. Præterea morbo similari læditur actio partis similaris, quatenus talis: Morbus non dicitur lædere actionem partium partis similaris, nempe materię aut formę: Sunt enim quidam affectus corporis proprij, vt calefieri & vulnerari, alij animę vt intelligere, alij animalis, seu animę cum corpore communicantis vt sentire & moueri, quos qui dixerit esse partis, reprehendatur. Morbus similaris primò per se cadit in totam partem similarem, eiusque actionem lędit, quatenus talis est: Itaque neque materia est, neque forma quæ primùm afficitur morbo, sed compositum: Adhæc omnis actio partis similaris est naturalis, naturalium actionum, vt attractionis, retentionis, excretionis, & assimilationis vnica est causa, nempe temperamentum, ergo morbus similaris solam temperiem lędit: vnicus est morbus similaris, nempè intemperies. Item morbus est congener suo remedio, quia oppugnatur C à suo contrario. Contraria autem sunt einsdem generis: Atqui remedia vt plurimum agunt primæ, aut secundę qualitatis exuperantia: exempli gratia cum astrictum relaxatur, aut laxius astringitur. Relaxantia, & Astringentia non operantur materię immoderatione, sed qualitatis excessu, relaxans caloris humidi, astrigens frigidi sicci, ergo morbus similaris ad idem genus pertinet, nempè intemperiem: Veruntamen ne Fernelius indicta causa damnari videatur, quibus argumentis suam opinionem confirmet, consideremus: Sanitas partis similaris, inquit, consistit in materiæ, formæ, & temperamenti integritate: ergo morbus similaris in eorum vitio: Respondeo totam integritatem partis similaris consistere in temperamento, quia materia non potest esse tenuior aut crassior, rarior aut densior, laxior aut strictior, mollior aut durior, nisi fuerit intemperata, vicissimque, si fuerit temperata, neq; erit iusto mollior, D neq; durior, nō laxior, aut strictior. Hi omnes affectus, sunt causæ morbificæ, potius quàm morbi, veruntamen sint morbi. Cur similares potius quam organici? cutis enim est peruia, & rimis innumeris perfluit: vt sit difflationis instrumentum. Si ergo pororum obstructione aut conniuentia hic vsus impediatur, quidni morbus erit instrumentarius? Si στέγνωσις illi vt instrumento accidat, condensentur illius pori, astringantur, obstruantur, prout destinatâ est fuliginis excretioni & transpirationi, nónne istos affectus patitur vt instrumentum?

Age verò remedia consideremus: Habétne Fernelius alia quàm quæ ad intemperiem à Galeno descripta sunt? Esto lien laxior, aut durior: nónne durities emollientibus, laxitas astringentibus erit percuranda? Si relaxetur ventriculus humiditate, induretur siccitate, nónne laxior siccandus, durior humectandus? Habétne ad laxi- E tatem aut astrictionem materiæ alia remedia quàm quæ à medicis quotidie vsurpantur? Apage ergo nouum hoc morbi genus, quod tenebras potiùs quàm lucem, confusionem potius quàm ordinem in medicinam inuehit. Omnia inuenta debent referri ad finem artis meliùs consequendum: atqui nihilo meliùs imò peius & maiori confusione fit medicina: si hoc genus morbi ad intēperiem accedat: Itaque hoc inuento facile carebimus: morborum genera ne temerè amplificemus. Quid ineptius quàm de sex materiæ morbis præcipere in Pathologia, in Therapentica singulorum remedia describere quoties de singularum partium morbis tractabitur? Fernelius ipse in Pathologia quando iecoris, lienis, aut ventriculi morbos exponit, meminitne vnquam morborum materialium? In methodo medendi descripsitne remedia illis accommodata? Id illi obiici potest quod Plato, & Aristoteles Anaxagorę: introduxit

A introduxit mentem, vt opificem mundi: Cuius postea in ortus rerum causis explicandis nunquam meminit.

DE MORBIS TOTIVS SVBSTANTIÆ & quanti sint in arte momenti.

CAP. X.

ALTERVM genus morbi similaris, veteribus ignotum aggredior, quod formæ vel totius substantiæ possis nominare, quia non temperiem aut materiam partis similaris primùm inuadit, aut alterutrius actionem lædit, sed formalia vitæ nostræ principia primum impetit, eáque non simplici qualitate immutat, sed deleteria corrumpit. Enimuerò si morbi,
B vt cætera accidentia, primis subiectis definiri & diuidi debent, sint autem quidam morbi, vt epidemij, contagiosi, venenati & pestilentes, qui formália vitæ principia, calorem & spiritum, primum labefactant, qui non solidæ aut carnosæ, sed spiritali partis similaris substantiæ primùm insidiantur, eamque maligna quapiam qualitate corrumpunt: Quis dubitet hoc similare genus morbi ab intemperie separare, & ratione subiecti primi (quod Aristoteles πρῶτον δεκτικὸν appellat) morbum formalem nominare? At nouum est & insolens hoc genus morbi, fateor, sed non est eiusdem inuenire & perficere, cœperunt artes à rudibus principijs: & paululum illustrando maiorum inuenta atque etiam amplificando, progressæ sunt tandem ad summum. Phrynis iecit musicæ prima lineamenta, Timotheus perfecit. Est & alia ratio non
C minoris ponderis quæ impulit Fernelium ad hoc morbi genus excogitandum: morborum vel manifestę sunt causę vel occultæ, occultum est & inexplicabile pestilens effluuium, quod ex vno in alterum pestem transmittit: quod sub veste latebat virus (Hippocrates appellat excretionem morbidam, Aphrodisæus effluuium pestilens) in alterum insilijt, & per cutis spiracula ad cor vsque peruasit, vbi formalia vitæ principia corrupit. Siue igitur morbi primum subiectum, siue causam spectes, constituendum est genus morbi similaris diuersum ab intemperie, quo tot malignorum morborum differentiæ concludantur. Hæc sunt, ni fallor, quæ afferri possunt pro defensione morbi formæ: cuius differentias omnes nouit antiquitas, pleni enim sunt eorum libri morborum epidemiωn & endemiωn, pestilentium, contagiosorum, venenatorum, quorum omnium illi occultas esse causas ingenuè confessi sunt, quanquam
D eos venenata aliqua qualitate nostræ vitę aduersari non ignorarẽt, norant ὅτι non διότι, proinde non tam de re controuersia est, fortassis, quàm de nomine. Primi parentes medicinæ, inquam, morborum formæ species omnes non tantùm nouerunt, sed de illis omnibus accuratè scripserunt, accusantur tamen quòd omnes ad intẽperiem reduxerint, aut ad putredinem: Veruntamen illi non simplicem, sed cum adiuncto malignam & insignem intemperiem eiusmodi omnes morbos nominarunt, nec eorum causam simpliciter putredinem, sed cum excessu, summam & deleteriam appellarunt. Hinc est cur non ordinariis & manifesta qualitate, morbo, & morbi causæ repugnantibus remedijs illi subueniant, sed antidotis, quibus venenatæ qualitati proprietate inexplicabili resistitur, simul & cor fons vitæ roboratur: hinc omnes isti morbi occulti dicti sunt, quòd eorum occulta sit causa, & remedijs occulta vi pu-
E gnantibus expugnentur: An igitur respondendum hoc Fernelio, vt temperamentum quoddam est mixti, quod sequitur principia mixtionis, alterum viuentis quod sequitur principia vitæ, sic intẽperiem esse duplicem, vnam qua principia mixtionis, calidum, frigidum, humidum, siccum variè immutantur. Alteram qua vitæ principia calidum & humidum substãtificum labefactantur. Illa si placet sine adiuncto intemperies nominetur: hæc, summa, insignis, maligna: Illam putredo simplex immutet, hanc qualitas deleteria, venenata, cõtagiosa, vt plurimum nata ex summa putredine, corrumpat: Illa vt manifesta est, ita manifestis: hæc vt occulta, sic occultis remedijs oppugnetur: An morbus vel secũdùm essentiam diuiditur in similarem, organicum & communem, partes enim sunt illius prima subiecta, in quibus & per quæ existunt: vel secundùm accidẽtia, in longum breuẽ: Benignum malignum: quę sunt qualitates, nõ species morbi: morbi autem epidemij, venenati, cõtagiosi, pestilentes, omnes

sunt maligni, proindeque membra subdiuisionis non primæ diuisionis? An ergo A
præteriti sunt non conclusi prima & essentiali diuisione morborum, non tantum
quia vt accidentia non habēt locum in arte, ita neque diuisiones quæ fiunt secundùm accidens, sed eâ præsertim ratione quòd causas habent reconditas, occulta remedia, medicina autem consistit in explicatione causarum morbificarum & remediorum? An quia non possunt arte comprehendi, suntque maligni isti omnes morbi
necnon eorum causæ & remedia inartificialia? Cur ita? dices, quia artium præcepta
ita sunt collocāda, sic inter sese affecta esse debēt, vt ex antecedentibus pendeāt consequētia, non aliter quàm conclusiones ex principijs, effectus ex suis causis, at qui
perhibentur morbi formæ, non possunt in discursu medicinæ ita disponi, quia cum
cæteris vix quicquam habēt commune, primùm enim hoc faciēdæ medicinæ principium, morbum omnem suo contrario depelli, ad eos pertinere non potest, quia
vt nocent vi occulta, ita remedijs oppugnātur quæ agunt occulta vi: vtrumque non B
ratio docuit, sed experientia, cùm tamen artis officium sit singula cùm ratione docere: An morbi omnes vel sunt particulares, quorum propria est & peculiaris causa,
vt putredo, aut impuritas corporis: Vel communes, quos communis aliqua causa excitat, vt impuritas aëris aut aquę, priores quidem in artem cogi possunt, quorum manifestæ sunt causæ, posteriores minimè, sed extra artem seorsum explicandi sunt. De
endimijs vno opere, de epidemijs altero tractatum est, quia vix quicquam habent
inter se commune. Declararem hæc fusiùs, nisi putarem mihi rem esse cum lectore
sapiente, cui hæc pauca sufficiunt, quibus abundè, ni fallor, medicinæ proceres
ab ignorationis crimine vindicantur. Interim non possum quin obiter excurram in
reprehensoris nouum quidem commentum, sed meritò ab antiquis ignoratum: C
non enim intelligo vt prædicti morbi similares dici possint, cum toti per se primò insideant, non parti duntaxat similari, neque actionem lædunt partis similaris, vtpote
naturalem, sed vitalem in suo fonte corrumpunt. Pestilentes febres, quin febres omnes, citra controuersiam sunt morbi totius, non partis, actionem lædunt vitalem nō
naturalem, nisi fortè illa trahatur tandem in societatem ruinæ. Leo Apher historiæ
suę septimo narrat in Nubia reperiri genus veneni, cuius si granum vnum propinetur duobus hominibus, vtrumque intra horę quadrantem moriturum, si totum granum vni prębeatur, in eòdem extanti eum periturum. Aristoteles in libello historiæ
mirabilis scribit in Circæo monte reperiri venenum quod mox interimit, qui fieri
hoc potest nisi deleteria, eaque spiritali, vel potiùs immateriali & specifica qualitate
vitæ principia corrumpant in suo fonte? nisi vitalis non naturalis, influens non fixus
spiritus primùm ab illis destruatur? Præterea scabies & vlcus putre pulmonum, vbi D
gentium morbi sunt similares, non potiùs cōmunes, cum ad solutionem cōtinui pertineant? Elephātiasis & lues venerea, si non sint, vt sunt re vera, morbi totius, cur partis potiùs similaris quàm organicæ? Sphacelus, si quis alius est morbus totius substantiæ, pertinet tamen ad tumorem aut vlcus: de teredine eadem quæstio moueri potest,
vt & de cancro, de carie pudendi, de bubone venereo & pestilenti, de exanthematis,
& si qui sint alij morbi, quamuis formales, nequaquam similares. Age ergo, Aristot.
iudice tantam litem componamus. Celeritas & tarditas (inquit) non sunt differentiæ
motus, quidni? quia cadunt in omnes species motus. Quædam enim celeriùs oriuntur & intereunt: Alia tardius, quædam ocyus alterantur, accrescunt, & mouentur
loco: alia segniùs. Quo argumento Simplicius demonstrat marem & fœminam non
esse species animalis, sunt enim per omnes species animalium diffusæ: Terrenorum E
quippe, aquatilium & volucrium, aliud mas, aliud fœmina: Atqui morbi formę per
omnia genera morborum sunt dispersi, per similares vt febris pestilens: per organicos, vt cancer occultus, Elephantiasis & erisipelas sacrum: per communes, vt cancer vlceratus & morsus venenatorum: ictus à telis venenatis: Vlcus à veneno assumpto, iniecto, aut admoto: ergo non sunt species morbi. Differentia quæ non potest
certam speciem generis cōstituere, non potest illud diuidere: morbi formæ non cōstituunt definitam speciem morbi, quia per omnes sunt diffusi. Proinde non possunt
morbum diuidere, nisi fortè secundariò, atque, vt dicitur, secundùm accidens.

Lege vltimum caput huius libri.

Morbi formæ sunt dispersi per omnia genera morborum, similares, organicos & communes, neque morbum simpliciter diuidunt, sed morbum malignum.

A
OCCVLTORVM MORBORVM DIFFERENTIA.

CAP. XI.

Morbi formæ sunt manifesti aut occulti, manifesti dicuntur non qui patent sensibus, sed quorum euidens est causa, vt scabiei salsa & putris pituita, phthisis, ferina distillatio in pulmones, occulti verò sunt qui occulta causa substantiam corrumpunt, venena enim ab alimentis differunt, quòd hæc post alterationes multas tandem assimilentur nobis: mineralia enim ideo nutrire non possunt, quòd non habeant substantiam nostræ
B assimilabilem, venena verò non tantùm nobis assimilari non possunt, sed naturam habēt nostræ planè inimicam, quam scilicet vi, & proprietate inexplicabili corrumpunt: Omnes morbi occulti generaliori nomine dici possunt venenati, quia venenatam aliquam auram spirant, verùm pro triplici differentia causarum in totidem species distingui possunt: quidam enim aëris venenati inspiratu lædunt, vt pestis: alij contactu, vt elephantiasis, & lues venerea concubitu: alij à materia venenata ortum habent, vel intus genita (neque enim dubium est in nobis nasci posse venena teterrima, quandoquidem menstruum & semen longiore mora putrent, putredine venenatam qualitatem acquirunt, quæ malitia summis venenis non cedit, nam quò quid perfectius est, dum integram seruat naturam, eò fit deterius, cùm in contrariam desciuerit) vel externa, vt assumpto veneno, vel iniecto: de singulis igitur causis
C breuiter differamus, vt venenatorum morborum differētiæ pateant euidentiùs. Aër qualiscunque sit necessariò inspirandus est, quia sine spiritu vix momento animal potest viuere, si modò ecstaticis transpiratio sit loco respirationis. Incuitabilis hæc necessitas sæpe est causa mortis: nam si forte aër inquinamentis conspersus putruerit, inspiratus, maligna qualitate, prima vitæ principia corrumpit, nonnunquam per cutis spiracula sese in viscera insinuat, & arteriarum motu attrahitur à corde, fitque præter institutum hostis sui: nam dilatatis arterijs quæ desinunt in cutem, dum aërem attrahit ad natiui caloris contemperationem, cum aëre hostem in suos sinus allicit reconditque. Per contactum verò gliscit venenum; & in interiora paulatim serpit bestiæ venenatæ morsu, vt serpentis, aut canis rabidi: Hoc modò Romæ Calphurnius Bestia facilè vxoribus sese expediebat, vt magna & frequenti dote ditesceret: Aconito enim earum muliebria attingebat, eásque
D concumbendi falsa specie interficiebat. Quæsitum est si venenum in corpore diu latere possit innoxium? Respondeo fel in sua cysti naturaliter consistere toto vitę cursu, quod in viscus aliquod effusum acquirit vim & qualitatem veneni, quin sanguis quantumuis laudabilis, cùm primùm excidit è vase, putret, putredine fit venenum pessimum, vt indicant nata symptomata ex minimo grumo sanguinis. Atram bilem, quæ facit malignum cancrum, quam si muscæ attigerint, mox pereunt, non video cur inter venena referre non possimus, aut cur cancrum ipsum à censu morborum venenatorum excludere debeamus. Sunto igitur omnes occulti morbi horum modorum aliquo venenati: Tales verò dicuntur, aut simpliciter, & sine vllo adiuncto, vt qui à veneno sumpto, aut bestiarum venenatarum morsu originem ducunt: aut venenati simul & contagiosi, pestis enim præterquàm quòd
E ratione suæ causæ morbus est venenatus, quia præterea virus suum impertit, & in alios multos transfundit, est contagiosa: vtraque lepra ratione suæ causæ venenata est, ratione autem veneni, contagiosa. Placétne, vt ex Hippocrate malignos, & occultos morbos paulo expliciatiùs diuidamus, Omnesque primùm in σποράδας & κοινοὺς distinguamus? Sporadici seu dispersi vocantur, qui singulos seorsum corripiunt, hunc pleuritis, illum dysenteria: quorum malitia, si vsque eo crescat vt communicetur pluribus, fiunt epidemij & contagiosi: eiusmodi sunt dysenteriæ & pleuritides populares: quæ tum non ab interna & particulari causa ortum habent, sed à communi, vt aëre putri: κοινοὶ verò seu communes, sunt morbi certi & definiti, qui nullo sexus aut ætatis discrimine, omnes, potissimum verò ad suscipiēdum virus iam paratos, inficiunt, quorum alij sunt endimij seu patrij & vernaculi, alicui regioni familiares, vt olim Iudæis lepra, hodie struma Hispanis, Indis lues

venerea, quam illi pûam indigetant, quam pretiosam mercem, concubitu contractam, Hispani in Europam aduexerunt: de huius generis morbis Hippocrates scripsit in opere de aëre, aquis & locis: Alij verò sunt epidemij, omnes externi, & ab externa causa nati, nulli regioni familiares, sed multis communes & certa cæli constitutione aduenientes, quorum alij sunt pestilentes, ijque contagiosi omnes, & maximè omnium funesti, cæteri mitiores: Subdiuidi possunt pestilentes in consuetos & insolentes, consueti sunt, ordinarij pestis assessores, Antrax & Bubo, necnon his mitiora, ecthymata atque exanthemata. Insolentes sunt, sudor Anglicus & Paraplegia quædam lethalis, qualis olim in Thaso accidit: de quibus omnibus ex professo tractauit princeps medicorum in libris epidemion. Cæterum tria hic occurrunt digna animaduersione: primum quòd Fernelius scribat ex morbis contagiosis quosdam esse manifestos, vt Scabiem, Phthisin, Ophtalmiam: In omnibus enim latet inexplicabile venenum, cuius causa sunt contagiosi: nisi vlcus pulmonis sit insigniter putre, non potest seminarium contagionis ex vno in alium effundere. Iacobus à Partibus interpres Auicennæ, scribit quendam doctorem medicinæ nimis curiosum & diligentem puris in prunas proiecti, putido halitu incidisse in Phthisin, quod negotium clinicis erat committendum. Ophtalmicus aspicientem congenere morbo non inficit nisi acquisierit malitiæ gradum indicibilem, qualis enim sit effluxus lippientis oculi non potiùs definieris, quàm quale sit pestilens effluuium. Virulentiam deponit Scabiosus in linteum aut indusium, veluti fomitem contagionis, cuius qualitatem non potiùs explicaris, quàm Elephanticæ contagionis: Itaque sint manifesti, quia causam habent manifestam, nempe putrem expirationem, erunt tamen occultè contagiosi, quia contagionis causa ignoratur. A B C

Occurrit secundo loco quærendum: quo iure inductum torporem à torpedine, Hydrophobiam à morsu canis rabidi, Ictum à telis venenatis, & morsus venenatorum animalium, morbos appellet contagiosos: neque enim morbus dicitur contagiosus nisi excretione morbida morbrum cõgenerem in altero possit generare. Venenata animalia non potiùs sunt contagiosa quàm venena: A sano animali, quod effluit venenum & in alterum immigrat, ibi consistit, nulli alteri deinceps communicabile, si rabiem excipias: Itaque viperæ morsus propriè venenatus dicitur, impropriè contagiosus.

Epilepsia. De Epilepsia paradoxon est Fernelij, eam semper esse venenatam. Cæteri medici ab aura quidem summè putri & venenata delata ad cerebrum oriri aliquando epilepticos insultus cõfitẽtur, quemadmodum à vermibus, & ab vlcere valdè putri: Omnem Epilepsiam esse venenatam pernegant: neque enim homo solus est Epilepticus, vt placuit Arist. neque Coturnices solæ præter hominem, vt visum est Plinio: Sed oues quoque & capræ, vt autor est Hipp. Ego, inquit Montuus, sæpè vidi simias, psittacos & canes epilepsia corripi, quorum omnium cerebrum, facta dissectione cõperi plenum pituita. Quid hic diuinum & inexplicabile? Vbi venenum? Aut quomodo epilepsia venenata à cæteris differentijs distinguetur, si omnes venenatę? Hipp. in epilepsia nil agnoscit diuinius quàm in alijs morbis. D

lib. de morbo sacro.

DE PESTILENTIBVS MORBIS, *quòd illorum occulta sit causa.*

CAP. XII. E

Vt stat & incertus quà sit sibi nescit eundum, Cum videt ex omni parte viator iter:

Ita dum in dubio est animus facilè huc atque illuc impellitur, video de thesi ad disserendum proposita extitisse olim & hodie extare medicorũ primæ notæ magnam dissensionem: vtriusque partis assertores paribus fere rationum momentis suam opinionem defendere: Itaque vt dicam liberè, vix scio quam in partem debeam inclinare. Constitui Academicorum more contraria argumenta proponere, vt illis ex aduerso positis lux veritatis affulgeat, & quam quisque volet opinionem defendat. Qui pestis manifestas esse causas contendunt, hoc

A hoc nituntur argumento. Pestis vnica est causa, nempe putredo: Atqui putredinis manifestæ sunt causæ: Ergo & pestis. Cur sanguis maximè omnium putret? quia corpora calida humida, loco calido humido conclusa nisi liberè difflentur, putrent. Cur Austro flante carnes ocyssimè putrent, Aquilone conseruantur? Quia Auster est calidus humidus, Boreas frigidus siccus: Contrariorum autem contraria sunt consequentia. Cur sicca, vt mel, tardè putrent, eoque minùs si fuerint densa, vt lapis? Quia sola putrent, quæ abundant alieno humore, eoque promptiùs si laxiorem & rariorem habeant substantiam: Cur sal non modò non putret, sed cætera defendit à putredine? Quia desiccat & astringit, desiccando humiditatem superfluam absumit, constringendo materiam comprimit, & ambienti viam intercludit: de aceto, quinetiam de acidis omnibus idem esto iudicium, quæ cùm sint frigida sicca, vtraque qualitate resistunt putredini, siccant, astringunt. Cur sanguis cum primùm B è vasis excidit, putret? quia deseritur à proprio calore alieni victoria. Sunt igitur putredinis manifestæ causæ, humiditas aliena, vt materia, calor externus, vt efficiens, raritas & densitas corporis, adiuuantes causæ. Scio non deesse qui negent aerem posse putrere: tantum abest vt confiteantur omnem pestem ab aere putri suscitari. Quibus Aristoteles ipse dedit occasionem dubitandi, nam in problematis negat aerem posse putrere: At meteorôn quarto, Omnia, inquit, putrent excepto igne. Dissensio locorum sic solet componi, Aer quidem purus nunquam putret, sed inquinamentis conspersus, vt aquæ & terræ vaporibus conspurcatus, non aliter putret, quàm phthisicorum graueolens spiritus: nam quidni cùm sit calidus humidus, vt sanguis & Auster, sitque cæteris causa putredinis? Cur vere & æstate citiùs putrent carnes quàm hyeme? Quia verna constitutio est calida humida, æstiua sicca qui-C dem, sed alieni caloris victoria in humido citò putredinem inducit: Cur aer à ventis silens putredinem acquirit? Quia, vt iam dictum est, corpora calida humida, nisi ventilentur, putrent:

Sic vitium capiunt ni moueantur aquæ.

Ecce manifesta causa pestis: Aer quiete putris: Aretęus affirmat crudelissimam illam pestem descriptam à Thucydide, quę totam Gręciam miserè afflixit, ex eo traxisse originem, quòd Peloponesij in puteos Piræi venena proiecissent, manifestam igitur reddit causam. Pestilens constitutio descripta epidemiôn secundo, quę in Cranone accidit, & quę eiusdem operis tertio legitur, à vulgari putredine ortum habuerunt, vna quòd compluta terra aer aqueis vaporibus inquinatus, & austro diu ventilatus fuisset: Altera quòd nullis ventorum flatibus fuisset commotus: Cur pe-D stis sequitur famem? quia in summa annonę penuria cogimur vti prauo victu, ex quo impuritas, atque inde putredo: Cacochymi autem & qui putridis humoribus abundant, prę omnibus patent aeris putredini, propter analogiam: Aliquando putredo ipsa humorum, vsque adeo crescit, vt per se sola pestem excitet suis assessoribus comitatam. Sunt igitur pestis manifestæ causæ, potestque vt ad putredinem, sic ad causam putredinis, nempe calidam & humidam intemperiem humorum aut aeris, reuocari: Si pestis, inter morbos formæ funestissima, certam & manifestam habeat causam, ergo & cæteri morbi maligni, quorum occulta causa passim perhibetur. Accedat contagionem à Fracastorio definiri putrefactionem quæ transit ex vno in alterum. Si putrefactio sit genus contagionis, omnes morbi contagiosi, in quibus pestilentes primum locum tenent, sunt putridi origine & effectis: quod affirmat Galenus pri-E mo de differentijs febrium. Omnes febres pestilentes, inquit, sunt putridæ: enimuerò pillulæ Ruffi quo iure resistunt pesti, nisi quòd aduersantur putredini? Qui vero fauent Fernelij partibus, fatentur à putredine pestem posse exoriri, non simpliciter tamen, sed summa, quæ ad eum putredinis gradum peruenerit, vt sit contagiosa: deinde negant semper nasci ex putredine, frequentiùs à substantiæ corruptela: non semper ab aeris aut humorũ intemperie, sed aliquando à spiritu partim insito, partim externo venenata qualitate infecto exoriri: quam substantiæ non qualitatis simplicis labem, si Fernelio creditur, contrahit à cœlo potiùs quàm ab elementis, aut alimentis: nam si morbi temporum, vt verni aut æstiui, à Sole ortum habent, verisimilius est pestilentiæ causam inde deriuare: Pestis ea pessima & ad interficiendum promptissima iudicatur, quæ spiritalis, eoque deterior, quo spiritalior: Atqui spiritus possunt equidem terris vaporibus inquinari, & venenata aliqua qualitate con-

taminari: verùm putrere non possunt, quia sunt ignei, ignis autem solus non pu- A
tret: proinde falsum est omnem febrem pestilentem esse putridam, etiamsi sæpe con-
iuncta sit putridæ, siue quòd virus à spiritu glisćat in humores, siue quòd primùm
ab humorum summa putredine nata sit, quam fecit alimentum, auxit aer: Pestis,
inquit Galenus, non est nomen certi morbi, sed quicunque certo in loco multos
simul inuadit, Endimius dicitur. Si præterea hoc habet, vt perimat multos, pestis
est: pessima bellua sanè, quæ sæpe totam regionem ciuibus exhaurit, neque vni re-
gioni familiaris est, vt morbus endimius, sed multas regiones peruadit: quo au-
tem modò fieret hoc, inquit Fernelius, si à sola putredine oriretur? Putida enim in-
quinamenta in eodem loco diu non manent, nec multas regiones peruagantur:
quasi verò seminarium pestis à ventis quoquouersum impelli non possit, aut aeris
infectio contagiosa per continuitatem serpere, seseque in longum & latum nō queat
propagare? Serpit pestis per aerem, vt cancer, & gangræna per corpus, caries in pu- B
dendo, putredo in pomo: quasi in diuersis regionibus eodem tempore similes cau-
sæ similem atque etiam parem putredinem excitare non possint. Quærit deinde, qui
fieri posset vt vnicuique ferè animalium generi sua sit pestis, si putredo illius sit vnica
& communis causa, omnes enim animantes, inquit, peræquè corriperet. Quasi
præter vim agentis, non desideretur aptitudo patientis: Accedat certos esse modos
& certos gradus putredinis, propter quos potiùs hoc quàm illud animalis genus af-
fligitur, vt sunt quarundam partium particulares contagiones: Ophthalmia oculi,
Phthisis pulmonis. Hic modus putredinis cum ignoretur, neque definitè declarari
possit, propterea pestis occulta causa perhibetur. Verumtamen cùm Marcus Cato
Corcytam à peste liberauit, præcipiendo singulis, vt austro fenestras clauderent, C
Aquiloni verò aperirent: videtur frigore sicco manifestis & ordinarijs causis putre-
dinis restitisse. Idem fuit consilium Hippocratis, quando consuluit Atheniensibus
(veluti Empedocles & Acron, Agrigentinis) vt ignes publicè accenderent: Nam
ignis separando heterogenea, putredinis causas, nempe aeris inquinamenta, consu-
mit: Sic Etesiarum flatu pestis fugatur, non tantùm quòd sint frigidi sicci, sed etiam
quòd sint scoparij, & aeris veluti verricula. Ex modo putredinis inexplicabili quid
vtilitatis percipitur in medicina facienda, quàm vt Andabatarum more cum peste
pugnemus, hoc est oculis clausis? Donemus tamen hoc Fernelio, sed ea lege, vt non
dicatur de peste ea sciuisse quæ Hippocrates & Galenus ignorarunt: quid enim aliud
innuit diuinum in morbis? Quòd verò primam causam pestis repetat à maligno cœ-
lorum influxu, non æquè patienter ferent Peripatetici: qua de re vt constet amplius,
à primo fonte tota disputatio repetenda, Aristoteli cœlum videtur agere in hæc in- D
feriora, vt vniuersalis causa. Atqui astrorum benigni & maligni influxus sunt par-
ticulares causæ: non est dubium cœlum moueri potissimum ad vsum hominis, si à
natura an ab anima, non est huius loci curiosiùs perquirere. Ideo enim astra moueri
videntur à natura, quòd suos motus non potiùs sistere possunt quando volunt, quàm
elementa; & quòd singulorum, sit vnus & simplex motus, cum animalia secundùm
omnes loci differentias pro arbitrio moueantur. Verùm faciamus ea intelligere quid
agant, & quò mouentur, moueri à voluntate, non à natura, assistentem habere in-
telligentiam, non informantem, quia nobis mouentur, non sibi; suo motu perfi-
ciunt mundum sublunarem, ipsamet non perficiuntur. Cur stato tempore suum vi-
rus vomunt in animalium perniciem? De dijs quæso meliora. Boni enim est prodes-
se, non nocere: Si in scelerum vindictam, cur sine delectu tam boni quàm mali, in- E
sontes quàm sontes puniuntur? Cur à ventis, contagionis seminaria huc & illuc
promiscuè importantur? Verumtamen esto inscrutabile consilium Dei deorum, cu-
ius ministri sunt isti Deunculi, habéntne venenum quod veluti Iouis fulmen in nos
iaculentur? possúntne infectiones pestilentes in cœlo subsistere, vbi nil nisi purum,
lucidum, perfectum? Si motu & lumine astra sufficienter regunt orbem, quorsum
particulares influxus? motu non aliter fit & conseruatur calor cœlestis, quàm nati-
uus exercitio, nam si motus in animali calorem seruet, primum calorem primo mo-
tu conseruari probabilius est: primus calor est cœlestis, primus motus conuersio.
Itaque cœlorum conuersione excitatur calor, qui Peripateticorum opinione influit
in nostratem mundum vehiculo luminis: qui quidem si sufficiat generandis & con-
seruandis mixtis, ad quid benignæ & malignæ constellationes? Stellarum radij
actus

A aſtus quidam ſunt vitales,tanquam ex Argiui oculis emicantes, qui non potius inter ſeſe miſcentur, quàm animalium multorum ſeſe inuicem aſpicientium radij. Itaque pro vario aſpectu, tam differentes effectus hic produci quis credat? vt Sol certa aeris conſtitutione, cuius ipſe eſt autor, certi generis animalia producit. Hoc cœlum culicum aut muſcarum, illud ſcarabeorum & locuſtarum incredibilem multitudinem profert, à quibus multas gentes & nobiles ciuitates deletas monſtrat Plinius. Eadem vi cur non imprimit aeri malignam qualitatem peſtilentium morborum procreatricem? Nónne ſol eſt parens venenorum, quemadmodum & alimentorum aut medicamentorum? Vnumquodque enim primò inſtituto gignit propter ſe, ſerpentem in ſua ſpecie bonum & perfectum, vt equum aut bouem. Accidit vt vni proſit, alteri noceat, quod vni eſt alimentum, alteri ſit venenum, nam malum non eſt ens poſitiuum, ſed priuatiuum, Venenum non eſt abſolutè, ſed ſecundum quid venenum: denique ſerpens & arrhenicum ſunt abſoluta nomina, bonum, malum, venenum, alimentum, medicamentum, ſunt nomina comparata: Serpens & arrhenicum ſunt nomina ſubſtantiarum, bonum & malum, qualitatum: Illa abſolutè dicuntur, hæc comparatè: natura inquam ſemper intendit bonum & perfectum: monſtra illius ſunt errata, non eſt enim ſerpens nocentior homini quàm homo ipſe, quia ingenioſa malitia deterior eſt naturali, eóque peior, quo artificialior, nullus tamen hominum abſolutè, ſi malis per ſe & natura ſua malus, ſed alicui tantùm, ſecundùm quid, per accidens: Qui quotidie facit venena in terris ex apta & diſpoſita materia, nónne poteſt in aere ad hoc præparato, malignam qualitatem ſua entelechia ſuſcitare? Attamen vt non intendit venenum quo noceat, hoc enim fit per accidens, ita neque ad malum finem profert peſtilens effluuium. Sol per ſe beneficus, ex accidenti tantùm maleficus eſt: Præſens, eſt autor generationis, abſens interitus, Pſilli & Marſi ſerpentibus tam inimici erant quàm ſerpentes cæteris hominibus: Atqui nulla aſtrorum coniunctio maligna, reddidit Marſos ſerpentibus aduerſarios, ſed ſolis calor certo modo permiſcens elementa. Ergo multo minùs ad particulares influxus referri debent indiuiduales proprietates, minimè omnium actiones morales, quarum libertas eripitur Aſtrologico fato. Libera eſt voluntas, non poteſt à cœlo neceſſitari: quid multa? Duo ſunt à quibus impeditur abſoluta neceſſitas, voluntas, & hypothetica materiæ neceſſitas, principium ſine quo non. Non negarim tamen quod affirmat D. Thomas tertio contra Gentes, Aſtra vim animis noſtris imprimere, per quam diſponuntur ad agendum quod melius eſt, etiamſi rationem finemq; neſciamus. Hos autem Ariſtoteles appellat benè fortunatos: addit eadem vi quoſdam in artibus excellere, & fieri fortunatiores, vt Imperatorem in vincendo, Medicum in ſanando, Agricolam in plantando.

Ariſt. 11. cap. 2. de ortu.

DE EXANTHEMATIS APPENDIX.

PESSIMA eſt peſtis cui aſſident Carbunculus & bubo: mitior cuius viſus ſolis exanthematis ſe prodit, purpuratæ & lenticulares febres vulgo nominantur: quanquam papulæ liuidæ nonnunquam carbunculum imitentur, quæ ſi vlcerentur, ſaniem reddunt erodentem, mitior, inquam, quia non ſolet eſſe contagioſa, etiamſi ſit maligna & venenata: hinc fit vt ab amicis familiariter inuiſantur quotquot hac febre vexantur, deſeruntur verò, etiam à medicis quibuſdam peſte correpti, metu contagionis. Hippocrates erat ſummus medicus, non habuit tamen ad peſtem præſentius & certius remedium, quàm citò & longè fugere, tardè redire. Oportet medicum eſſe impauidum, qui peſte correptos inuiſit, nam peſtis eſt ſimilis Crocodilo, perſequitur fugientes, fugit perſequentes. Ecthymatis & exanthematis, quamuis affines ſint morbili & variolæ, non videntur tamen ad commune genus pertinere: Eſtque papularum quæ ſuccedunt febribus malignis, ſymptomaticè frequentius quàm criticè, maxima diſſimilitudo cum his quæ pueros ferè ſolos præhendunt, nam vt mittam veneni cauſam eſſe diſſimilem, quia pueriles papulæ reliquijs menſtrui per modum criſis ad cutem protruſis efflorеſcunt: aliæ nulla ætatis diſtinctione, morbi cacoethia, etiam in eis apparent, quos prima ætate menſtruatæ papulæ fœdarunt. Pueriles ſunt contagioſæ, non promiſcuè quidem & indifferenter, ſed his qui hac naturæ excretione

nunquam adiuti sunt, aut non abundè repurgati. Rarò vnum & eundem bis ado- A riuntur, pauci tamen hanc labem effugiunt: Non placet Fernelio papularum puerilium nobis congenitam esse causam, effectum esse salubrem ex mala causa, mauult criticæ huius excretionis causam in aerem referre: nos verò putamus cum Arabibus in poris aliquid menstrui occultum delitescere, quod tanquam heterogenes potens calor foràs exigit: Aer est generalis & remota causa, reliquiæ menstrui coniuncta & particularis: equidem adiuuat hanc crisin aer mediocriter calidus, quia rarefacit cutem, ideo enim accidit vt vere & autumno frequentius erumpant, sed vera & præcipua causa nobis connascitur, à parentibus profecta: Potêstne, dices, venenum tamdiu seruari innoxium? Quídni? cum fel maneat tota vita in sua cysti, euphorbium in ventre ouis? Tantùm potest naturæ nomen: venefici gloriantur se posse parare arte venena, quæ ante certum tempus non noceant, viuúntque B elephantici cum atrabilario sanguine. Faciamus infantem morbilis aut variolis teneri, ab eius cubili non arcentur adulti, nisi fortè qui nunquam hanc labem incurrerunt. Infantes verò procul abiguntur. Cur ita? nisi quod habeant corpus capacius, & huic contagioni opportunius propter congenerem materiam. Cæterum de Anglico sudore, cuius hîc meminit Fernelius, legendus Fracastorius.

EPIDEMIIS MORBIS OCCVLTVM quiddam inesse. CAP. XIII.

PHILOSOPHORVM labor in hoc totus versatur, vt in apertum adducant quod est densis tenebris inuolutum, rebúsque obscuris lucem aliquam afferant. C Fernelius verò quæ cæteris videntur perspicua, non tantùm quærendo reddit dubia, sed etiam incomprehensibilia. Dysenterias & pleuritides populares quæ non tantùm ex prauo victu, vt ordinariæ & communes, sed etiam aeris insalubri constitutione in vulgus grassantur, aliquando tanta ferocia vt sint contagiosæ & lethales, quales non ita pridem Lutetiæ viguerunt: Ille refert ad aeris malignam, venenatam & inexplicabilem constitutionem: siccitatibus tamen immodicis successerunt Lutetianæ Dysenteriæ, quibus haud scio si vnquam antiquitas viderit funestiores: deiectiones erant biliosæ & summo æstu retorridæ, quibus idcirco refrigerātium & humectantium vsu medebamur, quam per squalores acquisierat bilis acrimoniam, contrarijs contemperabamus: Cur atrabilariæ dysenteriæ lethales? quia in intestinis vlcus efficiunt cancrodes: Atqui bilis partim victu calidiore D & litciore, partim ab æstuante cœlo parem vim & qualitatem acquirit. Itaque ad bene medendum præstat in sensibilibus causis consistere, quàm ad Academicorum ἀκαταληψίαν confugere. Posita certa causa, medentis certus est scopus, ignota causa vagus. Est aliquid quò tendis & in quod dirigis arcum, An passim sequeris coruos testáq; lutoque: Epidemiæ pleuritidis eædē sunt causę quę particularis, sanguis multus: mordax aperit ora venarum. An acrimoniam ab aeris manifesta qualitate contraxerit, vt ardore, an occulta, non videtur admodum sollicitè quærendum, quia non habemus remedium quod ignotæ causæ opponamus. Phlebotomia, litu, bechicis, atque etiam dolore descendente, purgatione: tam hæc quàm illa percuratur. Dicam tamen me iudice ex illo Hippocratis diuino in morbis quid commodi redeat ad bene medendum. Primò si pauci ægri feruentur, Cacoethia morbi accusatur, qui non cedat ordinarijs remedijs, medicus excusatur. Secundò tum extra- E ordinarijs quoque remedijs pugnandum, vt cardiacis & alexipharmacis, quibus vitalis facultas aduersus venenum muniatur, maligna qualitas alteretur, aut foràs expellatur.

An quartanæ etiamnum Sporadicæ malignum quiddam insit quod illam reddit ordinarijs remedijs inobedientem, non iniuria dubitatur: quia etiamsi morbus sit longus & contumax, (obseruatum est enim quasdam quartanas ad duodecim annos durasse) non protinus venenatus: neque accusanda est malitia Saturni, cuius filia ab Octauio medico perhibetur; nisi placeat vt veteres olim litarunt Acori Cirenaico ad fugandas muscas, Herculi Canopio ne pulices infestarent, Apollini Parnopæo, ne mures supellectilem arroderent, Romani febri, Indi Cacodæmoni ne nocerent: Ita melancholicorum morborum parenti Saturno supplicandum, vt ignotam

A ignotam quartanam à nobis procul repellat: Fernelius, vt facilè conuincat eam esse morbum rebellem, profert historiam cuiusdam, qui Indica lue simul & quartana vexabatur: Profligata est lues decocto ligni sancti & amuleto proprio, inquit, permanente quartana. Est igitur quartana deterior pudendagra: Nego effici: nam melancholicus humor siccus & terrestris vult humectari, non resiccari: Atqui sudorifico, vt siccior, ita contumacior reddebatur: quid igitur mirum si quartana permanserit, quinetiam incanduerit, lue profligata? Sapienter quidem Herophilus remedia, deorum auxiliares manus appellabat, si tamen ab imperitis vsurpentur, venena: Pergit nihilominus & Galeni ipsius autoritate quartanam esse malignam conatur demonstrare: Verùm demus humorem frigidum siccum primis vitæ nostræ principijs calido humido aduersari, difficillimè putrere, quia vtrique causæ putredinis, vtraque qualitate resistit, proinde oportere potentem esse causam propter
B quam putret: desinere sæpe in cacexiam, hydropem, aut prauum abcessum præsertim si mala aliqua diathesis, vt durities insignis, sit in liene, vnde fomentum perpetuum morbo suggeritur: An propterea maligna? Esto maligna: An malitiæ causa inexplicabilis? fauet Fernelio quod Democritus in huius morbi depulsione suadebat: committendum scilicet insigne aliquod flagitium, vt iugulandum hominem, eiusque sanguinem tepidum adhuc & vitalem bibendum: Aut comedenda animalia religione prohibita: sed hoc consilium vanum & temerarium existimo, aut aliquando ita contigisse ob eam causam propter quam Fabius Maximus die & hora inuasionis fortiter pugnando cum Aruernis, parta victoria, quartanam perdidit. Cur ergo, dices, in curatione huius febris, non cæterarum, vtimur theriaca & mithridatio, si non subsit Cacoethes quidpiam? Respondeo, hæc præscribi in quarta-
C na, non vt resistatur veneno, sed vt crassus humor incidatur, frigidus calefiat, & natura iam longo morbo defessa roboretur: alioquin potissimùm in principio conuenirent, dantur tamen duntaxat in declinatione morbi, ad absumendas reliquias. Non est prætereundum quod notant Trallianus, & Aetius ex Ruffo, quartanam quandam esse melancholicam, quæ primùm specie quartanæ inuadit: alteram atrabilariam quæ succedit alijs, vt plurimùm ardentibus febribus, flaua bile per vstionem in atram conuersa: Hanc esse peiorem & funestiorem, habereque focum in iecore non in liene, eamque cholagogis potiùs quàm melanagogis percurandam. Superest vt Galenum à calumnia Fernelij vindicemus. Amicus equidem & popularis meus Fernelius, sed magis amica veritas. Galeni est opinio materiam febrium continuarum habere sedem in magnis venis, intermittentium in habitu: Fernelius
D quasi habitus nomine externas tantùm partes comprehenderit, illum criminatur. Ipsemet Galenus, inquit, dum in febribus biliosis monet consulendum hepati, in pituitosis ventriculo, in melancholicis lieni, nónne mineram seu focum febris subesse in partibus internis apertè significat? Quoties hæ partes humoris alieni copia grauantur, aut qualitate irritantur, toties exurgit expultrix ad excretionem humoris noxij, eumque quàm potest à se longissimè protrudit. Hinc intermittentium febrium præcursores, rigor tertianæ, extremorum perfrigeratio, quotidianæ: tremor quartanæ: Hinc periodi & nouæ accessiones febrium intermittentium, quæ & typicæ nominantur: Humor enim aggregatus in suo foco, secundum suam ἰδιοτρο-πίαν commouetur: Pituita quotidie, bilis tertio, melancholicus humor quarto quoque die. Ecce causa typi, seu recursus paroxysmorum per statas vices: Catarrhi pe-
E riodici, epilepsiæ & cuiuscumque alterius morbi certa die recurrentis, eædem sunt causæ. Vt frigida intemperies cerebri cum materia, quæ cùm incipit esse molesta quantitate aut qualitate, excutitur: Quæ fuit Galeni doctrina senioris & longo rerum vsu doctioris, inquit Fernelius, iunioris verò longè alia: Nempè febris continuæ materiam putrere in vasis, intermittentis in habitu: Imò verò iunioris & senioris eadem fuit sententia. Sed fefellit te nomen habitus, quo externas tãtùm partes designari falsò existimas: nam & interiores quoque, & venulas quæ in eas desinunt, hoc nomine significauit. Continuæ ergo in magnis, intermittentes febres in paruis venis, siue illæ in internas, siue in externas partes desinant, sedem habent. Hippocrates tamen ab hac doctrina videtur recedere, quando scribit aliquando causum excitari, sero putrente in venis minoribus: debuit enim intermittens, non cõtinua illic generari. Verùm, vt notat Galenus, illic externã, non internam morbi causam assignauit.

DE CONTAGIONE ET MORBIS *contagiosis.* CAP. XIIII. A

OMNIS contagio fit per contactum quia actionem includit, omne autem agens agit tangendo: verùm contactus est duplex, vnus corporeus, actualis & quantitatiuus, qui si placet mathematicus nominetur. Alter formalis, potentialis, qualitatiuus, qui deinceps physicus nominetur. Tangunt sese mathematicè duo corpora, quorum vnius superficies, alterius superficiem immediatè attingit. Hoc modò agunt omnes artifices & agentium naturalium maior pars: Remedia enim quæ foris admouentur, vt vnguenta, litus, emplastra, cataplasmata, fotus & quæcumque sumuntur, non tantùm alterantia, sed etiam purgantia, nisi partem afflictam aut causam morbificam immediatè B
contingant, nil, aut minimum prosunt: Hæc quia corporaliter agunt, repatiuntur agendo: Quæcumque enim σωματικῶς, eadem παθητικῶς agunt, At quæ agunt physicè, patiens qualitate sola attingunt, quam non est necesse vt actu possideant, sæpe enim ἐντελέχεια sua eam excitant in subiecto capace: propterea dicuntur ἐνεργητικῶς efficere. De agentibus prioris generis intelligendum est quod vulgo ex Aristotele circunfertur: Propter quod vnumquodque tale, illud magis. Sol enim quas elargitur qualitates sublunari mundo, ipse actu non possidet, sed δυνάμει tantum: causaliter, effectiuè: hoc modò contactus, agunt περίαπτα, seu amuleta physica, vt pæonia collo appensa, & vngulę Alces frustulum pala annuli inclusum aduersus Epilepsiam. Sic Aetites lapis appensus brachio impedit abortum, interno femori alligatus, facilitat partum: Pæonia cerebrum epilepticum non tangit mathematicè appensa col- C
lo, sed physicè, formaliter, qualitatiuè: qualitatem enim quam habet epilepsiæ contrariam ad cerebrum vsque transmittit, si per medios spiritus an κτ' χεσιν, Stoici magna contentione disceptant. Sic qua vi magnes trahit ferrum, Succinum paleam, Os milui piscis aurum, Pisciculus, ab effectu dictus Remora, ingentes naues remoratur, quæri solet, scilicet: An qualitas aliqua transmittatur à magnete ad ferrum, an sine vllo effluuio potentia sola id præstet, scheticôs inquam, non hecticôs, quia cœlestia vtroque modo videntur agere in hæc inferiora: Qualitatis effluxu, vt calore & lumine, aut ἐνεργείᾳ sola, quomodo Sol animat stirpes, belluas & homines, tot animarum expers: neque illas cœlitus immittit, sed ἐντελέχεια sua excitat in materia iam à secundis causis præparata. Sic semen, quamuis inanimatum animat fœtum: sic cerebrum, quamquam sensus expers, cæteris est causa sensus, datq; alijs quod non D
habet: Causæ homonymæ sola potentia continent quod efficiunt, vt cos acuit gladium exors ipsa secandi, vinum inebriat minimè ebrium. Qui modus efficiendi est diuinior priori, sic enim Deus & intelligentiæ creduntur agere, & prima ferè principia largiuntur alijs quę sola potentia continent: Pręterea agunt hęc alio modo quàm superiora, nempe inalterato medio: illa enim quam habent affectionem aeri intermedio communicant, vt odorem odorata, ignis calorem: horum vis propter schesin & habitudinem mutuam agentis cum patiente, rectà fertur ad proprium obiectum: Prior contactus fit in tempore & successiuè, hic momento, sine partium successione. Sic astrorum imago recipitur speculo, quamuis absint longissimè. Sic illa aspiciuntur à nobis, eorumque effigies humore crystallino tanquam speculo excipitur in instanti, in affecto medio: Sic torpedo mox stupefacit manum piscatoris, E
non rete: Quídni? quia non est capax stuporis: Cur pęonia appensa collo cerebrum non quoduis sed eptilepticum afficit intactis medijs? Quia cum cerebro epileptico habet schesin, cum partibus interiectis nullam: motus scheticus est proprius formarum incorporearum, & substantiarum spiritalium vt hecticus corporearum, sic enim oportet moueri Angelos & intellectus humanos, si modò verè Platonici existiment eos momento è summo cœlo descendere, vtuntur enim medio, vtpote interiecto aere, tanquam non ente, nam quídni, cum vis astrorum statim conuolet in materiam pręparatam? Hoc cur concedetur Aristoteli, illud denegabitur Platoni? Potéstne alio modo creari & eodem momento infundi animus? Schesis facit vt piè & deuotè precantibus, pręstò adsit Deus. Eadem reddit viros bonos & pios, etiam dum in viuis agunt deorum socios. Quod si verè Magi affirment ex omnibus

mundi

A mundi plagis cum certis verbis & ceremonijs euocari spiritus tam bonos quam malos, bonos Theourgia, seu magia alba, malos, Necromantia, seu magia nigra, certum est isto modo affici & moueri. Cur aures ijs tinniunt, de quibus alibi verba sunt? propter schesim spiritualium substantiarum. An eò etiam referri potest quod de Cimbris & Persis reportatæ victoriæ, rescitæ sunt Romæ eodem die? Quemadmodum & prælium Sybaris gestum auditum est Olympiæ: militum & ciuium Romanorum animi in vnum conspirabant, omnes in victoriam valdè intenti erant, hic consensus internuntius fuit partæ victoriæ. Verùm ne à contagione & morbis contagiosis, de quibus institutus erat sermo, longiùs egrediamur, prima disputationis fundamenta resumamus. Contagio omnis fit per contactum cumque physicum aut mathematicum: quæ mathematicè, ea cominùs, quæ physicè eminus se tangunt, an semper aliquo, materiali vel spiritali effluuio? non est necesse, si mo-
B do ἐνεργητικῶς quædam agunt, non omnia σωματικῶς. Differt autem contactus à contagione vt genus à specie, omnis enim contagio fit per contactum, non omnis contactus est contagiosus, quia ad hoc requiritur vt pluribus communicetur. Si vis magnetis in obiecto ferro subsistat, contactus est, non contagio: verùm quando per concatenationem ab vno annulo in alterum defertur, & totam catenam magnes attrahit, in eo iam elucet species quædam contagionis. Cum venenatum animal obuium hominem inficit, contactus est venenatus non contagiosus, quia non est alteri communicabilis. Sola rabies est contagiosa, quia demorsus à cane potest virus in alios effundere, demorsus à vipera, aut scorpione non potest. Qui bibit cum Elephantico, dormit cum scabioso, concumbit cum muliere infecta lue, non tantùm ipse inficitur, sed etiam potest in multos alios infectionem disseminare atque propa-
C gare. Itaque contagio est contactus communicabilis: Qualitas ab vno in alterum transfusa, quæ pluribus alijs potest communicari. Materialis qualitas cominus afficit, formalis, eminus: eoque longiùs, ocyùs & vehementiùs, quo formalior fuerit & spiritalior. Morbi populares tum primùm incipiunt esse contagiosi cùm virus ab vno in alios plures transit. Cur hos non illos inficit? quia non omnes peræquè sunt apti ad patiendum. Montuus Lutetiæ nouit medicum, qui quoties dysentericum inuisebat, toties ipse dysenteria corripiebatur: erat ergo, illi quidem, non simpliciter, contagiosa dysenteria: Qui infirmos habent pulmones, præ cæteris vitare debent phthisicorum anhelitum: quia ad phthisim sunt propensiores.

DE VENENIS ET MORBIS VENENATIS.

D CAP. XV.

EXTATNE quidpiam absolutè malum? minimè. Primò quia Deus & natura faciunt omnia certo fine: finis autem & bonum sunt vnum, idemq; est finitum quod perfectum. Secundò, quia absolutè malum est omnibus malum: Atqui nil extat tale, niam præter naturæ primum institutũ accidit, vt quiddam sit alicui malum, id est noxiũ & maleficum. Primo instituto natura facit omnia bona. Secundariò, atque vt dicitur, per accidens, fit vt quod est multis alimentum, alicui sit venenum, vicissimq; quod est vni venenum, vt cicuta homini, alijs, vt Capræ & sturno, sit alimentum. Tertiò, Basiliscus macula candida in capite veluti quodam diademate insignitur, quasi hac nota venenatorum omnium rex à natura declaretur, solo sibilo reliquos fugat serpẽtes: Atqui quod gerit venenum, est illi naturale,
E alijs quidem venenum, illi minimè: nocent quidem postgenita, non connata, & à primis essentiæ principijs profecta venena. Quæret aliquis, Si omnia in vsum & gratiam hominis creata sint, est enim τέλος ᾧ, finis cui, ad quid venena? Quam vtilitatem afferre potest homini tot venenorum prouentus quæ sunt per mineralia, plantas & belluas dispersa? An Plinio acquiescendum est scribenti, ex venenis hoc commodum homini contingere, vt quoties vult humanæ vitæ miserijs, vtpotè seruitutis iugo, crudeli fame, longo & incurabili morbo liberetur, & cruciatus intolerabiles breui & indolenter finiat? Quod priuilegium vni homini à natura tributum est, inquit, cæteris animantibus denegatum. Sic ad libertatem facilis via: Si pugnare non vis, licet fugere; nil est facilius quàm mori & naturæ renuntiare, quicumque locus morti peruius est. An potiùs quia non licet absque iussu imperatoris de statione discedere, & mille alij sunt modi vitam finiendi: Deus

adiunxit homini rationem per quam creatis omnibus dextrè vtatur, bona, & vitæ
vtilia seligat, fugiatque nocitura. Ecquid enim est per immortalem Deum, ex quo ali- A
quam non percipiat vtilitatem? ex viperis ipsis aduersus viperas conficit antidotum,
qua venenis omnibus & venenatis morbis resistit. A Scorpio ictus, ab eodem petit
remedium, Elephantici viperarum esu frequenti iuuantur, notæ sunt historiæ ex Ga-
leno, Elephāticorum qui epoto vino, in quod fortè vipera irrepserat, percurati sunt:
vix est vllum venenum cui natura non opponat suum alexipharmacum, vt Basilici
perniciosissimo veneno, mustellæ virus. Adeo placuit illi nil esse sine pari: equidem
vix dicas, si natura venena, an alexiteria plura proferat. Multi affirmant quotidiano
vsu theriacæ venenorum vim obtundi. Mithridarem enim, regem Ponti, Mithrida-
tio effecisse, vt etiam volens perire non potuerit veneno,

——Ponto mihi loca veneni

Ipse dedit Moeris, nascuntur plurima Ponto. B

Si quis assuescat dracunculis resistet serpentibus, multoq; magis ab eo genitus fi-
lius. Prætereo multa cuique obuia & paratu facillima remedia, quæ ars inuenit ad-
uersus venena, vt illud Aetij, si quis succo rutæ syluestris manus illeuerit omnibus
animantibus venenatis impunè manus admouebit: Aut illud Galeni & Plinij, Sali-
uam ieiuni, Serpenti, viperæ, & Scorpioni venenum esse, eisque resistere: aut illud
Auicennæ: Si quis terram, dilutam frigida, statim sumpserit post sumptum aut ad-
motum venenum, mota aluo, & vomitu liberabitur: hinc puto superstitionem hanc
apud quosdam inualuisse: Redducunt vulneratum ad locum afflictionis, iubéntque
vt illic figat pedem, circunducunt lineam. De terra quam linea includit aliquid ex-
hibet cum frigida, vulnere tamen priùs cum fascijs ligato. Verùm pergamus & mul-
ta alia quę solent quæri de venenis, breuiter explicemus. Primùm an possit veneficus C
ea arte venenū præparare, vt stata hora interficiat: hoc intra duas horas, illud non an-
te duos menses. Ita placet Theophrasto nono de historia plantarum, cuius opinio à
simili confirmatur, nam si autore Galeno, rabiosi canis venenum aliquando per sex
menses delitescat, imò verò si credimus Alberto per duodecim, si Alpharabio per
quadraginta annos, quídni ars ad imitationem naturæ componet venena quorum
vis ad certum tempus iacebit sepulta, nec ante hunc, aut illum diem sese exerat?

Nil agit exemplum litem quod lite resoluit.

Efficitur quidem hoc exemplo vt cathartica, ita venena tam simplicia, quàm cōposi-
ta ocyùs vel tardiùs operari, quod experientia magis quàm ratione nouimus, vt Sen-
nam & Agaricum minùs & tardiùs purgare, quàm Scammonium aut Colocynti-
dem: quo modo non dubito veneficos experientia didicisse tardiorem esse, & igna- D
uiorem cicutæ, aut opij quàm sublimis, aut arrhenici operationem. Somniculosam
Aspidem Sisenna vocabat, quoniā morsu lethalem affert somnum. Quod nō igno-
rabat Cleopatra, cum hoc præ alijs delegit, ne veniret in manus Cæsaris: celerrimè &
indolenter interficit, inquit Ægineta. Sed nō videtur in potestate venefici cōponere
venenum, quod veluti ad nutum hac hora, non ocyùs aut tardiùs interficiat, propter
maiorem aut minorem resistentiam subiecti, nisi fortè quod parū distat, distare non
videatur. Aliud quæritur, An venenum appetat cor, & eo rectà feratur. Ita videtur,
quia hoc ipso quod venenum est, principijs vitæ aduersatur, non secundùm contra-
rietatē, inquit Auicēna. Oporteret enim omnia venena esse frigida sicca, sed secun-
dum proprietatē. Hinc fit, authore Seneca, vt in animalibus venenatis nunquam ge-
nerentur vermes, subiungit rationē, quia ex substantia aut qualitate inimica vitę non
sit consentaneum viuēs exoriri posse. Multa tamen huic opinioni obsistunt: primùm E
quod quædam venena cum certis partibus occultas inimicitias gerant, vt lepus ma-
rinus cum pulmone, Cātharides cum vesica, Aspis cum hepate: Solanum, manicum
& hyoscyamus cum capite. Vnūquodque horum eam partē primùm impetere cum
qua antipathiam habet, experiētia testatur. Secundò, quod venenum non agit con-
sultò, sed naturaliter, nescit radicalia vitæ principia esse in corde, propterea partem
quæ prior occurrit, vt ventriculum primum lædit, ad cor verò trahitur arteriarum
motu: quasi verò, dices, cùm cætera sui conseruationem appetant, vnum cor
suam perniciem procuret: Respondeo dum arterijs dilatatis frigidum spiritum tra-
hit ad sui & totius conseruationem, præter institutum accidere, vt simul cum aere
sese insinuet, immisceatúrque spiritui venenata qualitas: Restat explicandum vt

differant

differant venena à morbis simpliciter venenatis: non est morbus venenatus sine
A veneno, est venenum sine morbo: insunt enim sanis perdiu, neque in eis actionem vllam manifestè lædunt, vt patet rabiei exemplo: suntque venena alijs quidem, non proprijs subiectis. Omnes morbi venenati contra naturam sunt, siue causam habeant externam, vt morsum serpentis, sine internam, vt semen aut menstruum putre: quædam venena connasci sine morbo, variolarum & morbillorum patet exemplis, nec non hæreditariorum morborum vt elephantiasis, eorum enim seminarium per multos annos in corpore sepultum delitescit, eóque tantum tempore, & ea ætate efflorescunt, qua parentes illis laborarunt. Venenum verò toto illo tempore occultum quidni fuisse dixerim? Fortè vt potentia tantùm sunt venena, ita morbi.

B *ET MORBOS ET REMEDIA QVÆdam trans naturam esse, vbi copiosè disputatur an amuletis morbi depellantur.*

CAP. XV.

INTERROGATVS Simonides quid esset Deus, procrastinabat, responsumque in dies producebat; quia quo attentiùs in rem propositam mentis aciem defigebat, eò plures difficultates occurrebant. Idem mihi contigit, huius quæstionis veritatem inquirenti: An amuletis morbi depellantur? Nam si mouear (vt moueri debeo) summorum virorum autoritate, vtrinque erunt angustiæ: quia Platonici περιάπτοις fidendum esse suadebunt: Peripatetici dissuadebunt: si ad sensum & experientiam quæstionis veritas re-
C uocetur, Platonici quotidianis experimentis suam opinionem comprobabunt, Peripatetici eiusmodi experimenta, aut impostorum præstigias appellabunt, aut veneficia magicis incantamentis obuelata: Si respondeat euentus nostris votis, & appensis amuletis morbus pro animi sententia recedat, id aut fortuitum (multi enim ægri sine arte & absque causa manifesta præter spem & expectationem medici conualescunt) aut imaginationi acceptum ferendum existimabunt. Quod si quæstio rationum momentis æstimetur, vix dicas quam in partem certius sit inclinare, quia paribus argumentis hinc inde certatur: nam medici quotquot sunt in Platonicorum schola instituti, mathematicas formas extollunt, physicisque præferunt, eo quòd sint similiores metaphysicis, vtpotè immaterialiores. At qui Peripateticis addicti
D sunt, demonstrant quantitates esse inefficaces, omnem actionem à formis & qualitatibus Physicis emanare: Itaque ne in ambiguo versetur disputatio: distinguenda sunt in primis amuleta, in physica, & metaphysica, quæ veriùs dixeris magica: Appello physica, quæ agunt naturali, quamuis occulta, facultate: qualia sumuntur ex animalibus, plantis & mineralibus. Talia probantur medicis melioris notæ dummodò nil habeant superstitionis, vt si pæonia appendatur collo sine susurris inanibus aut precibus ter aut nouies à ieiuno cum certis ceremonijs quotidie dicendis: De physicis disseremus cùm de magicis quid veteres constituerint, erit explicatum satis. In his enim si quæ sit spes & fiducia, sine dubio tolerabiliora erunt physica: Platonicorum sequuntur argumenta, quibus veluti fundamentis subsistit Magia ceremonialis. Formæ physicæ actionum naturalium sunt prima principia, inter quas pri-
E mum locum tenet anima rationalis, cuius primarius effectus est sermo. Cum ergo effectus retineat naturam suæ causæ, quidni efficax? Res primùm subsunt & contemplantibus nobis obseruantur, quarum notiones ministerio sensuum primùm colligimus, conceptas, interprete lingua enuntiamus, (est enim sermo exterior, interpres interioris) prolata verba sunt volucria, littera scripta manet. Ideo prolatæ voces scribuntur, estque vox scripta, prolatæ tantum imago. Atqui scripturis & characteribus vim aliquam inesse, pro Pytagoreis recipio demonstrandum. Eadem igitur opera, quæ proferuntur verba non esse inefficacia erit demonstratum.

Miscueruntque herbas, & non innoxia verba. Virgil.

Age verò ponamus hoc pro fundamento, in vnoquoque rerum genere esse quiddam primum à quo cætera vim accipiunt. Assumamus deinde figuram cœli esse

Legendus Marcillius libro de vita cœlest. ca. 17.

primam figuram, & figurarum omnium veluti principium, nónne inde manife- A
stò efficitur figuris omnibus vt generationis; sic agendi primordia cœlitus ema-
nare? Ad hæc artifex est principium rerum artificialium, vt natura naturalium,
Atqui ars mouet artificem cum voluntate, voluntatem cœlestis causa. In Mathe-
maticis igitur subest aliquid cœleste; in artificiose paratos characteres influit cœ-
litus vis occulta ac planè diuina. Dicam facilius: Septem metalla creduntur se-
ptem Planetis respondere, vt aurum soli, argentum lunæ, stannnm Ioui, plum-
bum Saturno: Itaque si quam vim in ortu Saturnus impressit suo plumbo, si quod
in filio parentis manet vestigium, quod deinde perficiatur arte, & conueniente
figura exornetur quæ respondeat cœlesti (vultus seu facies cœli ab Astrologis di-
citur) quídni propter analogiam, cœlestem influxum excipiet, quemadmodum
materia præparata formam physicam? Præstò est anima mundi, Cœlestis calor
per vniuersum effusus est, ad conseruationem vniuersi. Si igitur inueniat subie- B
ctum capax, quale est iam arte præparatum & conueniente figura exornatum,
quis dubitet propter similitudinem, quin illi se comitem adiungat? Accedat for-
mas mathematicas, quia sunt materiæ, loci & temporis circunstantijs liberiores,
esse diuiniores Physicis, metaphysicis similiores. Atqui characteres sunt formæ
mathematicæ, itaque non sunt inanes: quinimo physicis efficaciores: neque teme-
rè Pythagoræi & Platonici verbis tam scriptis quàm prolatis agendi vim aliquam
inesse affirmarunt. Enimuerò si vmbræ hienæ solo contactu canes obmutescant. Si
corporis vmbra tantum habet iuris, quídni sermo exterior, interioris imago, &
intelligentiæ plusquam vmbra, potens erit & efficax? Placétne, quò euidentior sit
demonstratio, vt propositas rationes authoritate veterum & experimentis com-
probemus? Neque enim plura sunt critiria inquirendæ veritatis. Aristophanes, vt C
inde exordiar, non semel meminit Sagarum Thessalicarum, quibus eas vires attri-
buit, quas nostræ striges sibi arrogant.

Illæ carminibus promittunt soluere mentes
Quas cupiant: Alijs diras immitere curas,
Sistere aquam fluijs, & vertere sydera retrò.

Troiani belli tempore extitit Circe sortilega insignis, & Homeri scriptis perceelebris,
quæ Vlyssis socios carmine in porcos transmutauit.

Ille idem Homerus in Odyssea fingit verbis repressum fuisse sanguinem Vlyssi,
ab Autolici filijs. Ea medicatio quę fit vi verborum & characterum, Homerica cœ-
pit nominari. Cardanus non ipsissima refert verba, sed viribus paria: Sanguis ma-
ne in te, sicut Christus fecit in se: Sanguis mane in tua vena, sicut Christus in sua D
pœna: Sanguis mane fixus, sicut Christus fuit crucifixus: Quibus verbis, in-
quit, ter prolatis sanguinis fluor sistetur. Non auderem referre in historiam, quod
de Apollonio refert Philostratus, illum scilicet beneficio annulorum annum cen-
tesimum vixisse, totóque vitæ cursu perpetuum iuuentæ florem retinuisse, nisi Io-
sephus Mosem & Salomonem annulorum ministerio res magnas peregisse affirma-
ret, duoque summi imperatores Constantinus & Anthiochus signaculorum vir-
tute de hostibus victoriam reportassent. Adscribam verba Ficini lib. 3. de vita
cœlitus comparanda, cap. 8. Damis & Philostratus narrant Hiarcham Sapien-
tum Indorum principem, simili quadam ratione septem annulos confecisse, stel-
larum septem nominibus appellatos, eósque Apollonio Thyanæo dedisse. Qui
deinde singulos diebus singulis gestauerit, iuxta dierum nomina hos distinguens: E
Dixisse verò Hiarcham Apollonio auum suum Philosophum annos centum at-
que triginta vixisse, eiusmodi forsan cœlesti munere fretum, quo deinde & Apol-
lonius vsus centesimo etiam anno, vt aiunt, iuuentutem præ se ferebat. Syllæ fami-
liaria erant amuleta, præsertim in morbis depellendis. Cato apud Plinium, mem-
bra luxata solo carmine suo loco restitui posse constanter asseuerat. Beniuenius vi-
dit Magum, qui prolatis certis verbis extraxit telum qnod chirurgi iudicauerant
impossibile. Cæsar rhedam qua vehebatur à lapsu prohibebat pronuntiato certo
versiculo. Marcus Seruilius Nouianus senator magni nominis ad morbos ocu-
lorum, quibus erat obnoxius, gestabat chartam appensam collo, in qua descri-
pta erant P. & A. cuiusmodi tot succurrunt exempla, vt quisquis volet ea numeran-
do percensete:

—Lybici volet æquoris idem
A *Dicere quàm multæ Zephyro turbentur arenæ:*
Aut vbi nauigijs violentior incidit Eurus
Noſſe quot Ionij veniant ad littora fluctus.

Oportet eſſe falſa quæ circunferuntur de vultiuolis, ſi figuræ ſint inefficaces, vt cum Medea apud ingenioſum Poëtam,

Deuouet abſentes, ſimulachráque cerea fingit,
Et miſerum, tenues in iecur vrget acus,
Sagáque Phœnicea defixit nomina cera.

Qua de re extat nobilis hiſtoria apud Hectorem Bœthum in annalibus Scotorum: Falſum quoque quotidianis vulgi experimentis comprobatum, ligatura con-
B cubitum impediri: Attamen diuus Auguſtinus, hoc ſortilegium ſuo ſæculo valdè fuiſſe frequens conqueritur, de quo ſic Platonicus Poëta:

Necte tribus nodis, trinos Amarylli colores,
Necte Amarylli modo, & Veneris dic vincula necto.

Cui quiſquis fidem detraxerit, ille Villanouanum vanitatis & mendacij accuſarit, qui hoc maleficium ſolui exiſtimat, ſi vir pronubum annulum permingat. Feſcennini olim dicti ſunt à Latinis iſti ligatores, quod nomen ſi non ſit inane, ſi non ſit titulus ſine re, procul dubio Platonicis non deſunt argumenta, quibus ſuam de figuris & characteribus opinionem confirment.

Conſideremus deinceps ſi Peripatetici afferant meliora. Illi enim Platonicis rationaliores dicuntur, minus creduli & ſuperſtitioſi. Pericles vt ex Theophraſto re- *Peripateticorum contraria argumenta.*
C fert Plutarchus in illius vita, cum ex graui morbo conualeſceret, interrogaretúrque ab amicis quàm crudeliter fuiſſet afflictus, quàm diris ſymptomatis exagitatus, ad illos conuerſus, quæ ab Agyrtis & circunforaneis circulatoribus appenſa fuerant collo, periapta demonſtrauit, hoc adiiciens, poteſtis inde conijcere tantam fuiſſe morbi ſæuitiam, mihi vt mentis dimidium eripuerit, nam ſi compos fuiſſem mentis, numquam tales quiſquilias admiſiſſem. Vox mehercule digna tanto duce. Aelius Spartianus refert Caracallam Imperatorem vſum amuletorum prohibuiſſe, prudenter vterque. Quantitates enim ſunt inefficaces. Equidem figura iuuat & facilitat motum, nam illius cauſa lata menſa innatat aquis, cùm acicula petat fundum, hæc enim diuidendo eſt aptior. At primò per ſe nil efficit, vt Ariſtoteles demonſtrat aduerſus Democritum tertio de cœlo capite vltimo. Atqui nume-
D rus & figura ſunt quantitates. Ad numerum pertinet oratio, ad figuram character: Verbis igitur & characteribus nulla ineſt vis agendi: Omnis actio procedit à forma aut qualitate phyſica, vt calore, forma inquam phyſica aut metaphyſica. Figura & oratio neque ſunt formæ phyſicæ, neque metaphyſicæ. Si quid poſſunt verba, non perſeipſa poſſunt, ſed aut ratione eius quod ſignificant, quia ſunt tãtum rerum Symbola, aut ratione pronuntiantis, à quo primùm ſunt cogitata. Atqui verba quibus vtuntur Magi, ſæpenumerò nil ſignificant, vt Abracatabra ad depellendas febres, aut certè non id ſignificant ad quod referuntur. Quid enim iuris habere poſſunt P. & A. in morbos oculorum? Sanè vt Baſilides hæreticus olim ſuos prophetas Barchabam & Barchop nominabat, vt ſola appellatione eſſent vulgo admirabiles: ſic impoſtores iſti barbaris & inſolentibus vocabulis abutuntur, vt nil intelli-
E gendo admiremur, quaſi verba ſeſquipedalia ſint magis imperioſa, illiſque faciliùs obediant humores & mali ſpiritus, morborum progenitores. At multi ægri ſine artis auxilio ſolis amuletis conualeſcunt, dicet aliquis: Reſpondeo, plures ſine amuletis ſola naturæ bonitate reſtitui ſanitati: natura enim eſt medica, leues morbos per ſe ipſa ſanat, graues artis auxilijs adiuta. Ex circulatoribus qui pluſculum ſapiunt, neque ad morbos perperacutos, vt Apoplexiam, Tetanum & Choleram morbum: neque ad contumaces, vt Paralyſin & Scyrrhum, amuletis vtuntur, ſed ad acutos boni moris, vt febres tertianas, quæ non ſolent vltra ſeptimum paroxyſmum produci preſertim æſtate, ſi fuerint exquiſitæ, à bile pura: Nam ſiue tum, ſiue priùs terminentur, id tribuunt amuleto, Si prorogentur, accuſant ægrum quòd in aliquo deliquerit, vt characterem loco mouerit, in minimo enim qui peccat, omnium fit reus: In myſterijs magicis, qui cadit à Syllaba, cadit cauſa: Nam Tul-

lus Hostilius fulmine ictus creditur, quòd ex Numæ libris dum Iouem euocare conaretur, parum ritè quædam fecisset: immiscent pias aliquot orationes quotidie ieiuno ventriculo cum certis ceremonijs dicendas, vt fallant specie recti: plebecula, quæ in eiusmodi imposturis plus spei & fiduciæ ponit quàm in ordinarijs medicorum remedijs, vi fortis imaginationis nonnunquam reualescit: nam autore Galeno plures sanat, cui plures fidunt. Ad depellendos morbos dici vix potest quantum possit de medico aut de remedio anticipata opinio: hinc fit vt quamuis exigua sit spes valetudinis recuperandæ, medici nihilominus erigant ægros in bonam spem sanitatis. Bona confidentia ægrorum (inquit Auicenna) plus potest quàm omnia remedia medicorum. Qui despondent animum & de salute desperant, quia remedijs & medico non cooperantur, suæ vitæ pessimè consulunt. Agrippa solos credulos admittit ad sacra magiæ ceremonialis, constituitque suæ dæmonomaniæ primum principium, credulitatem, vt nos fidem religionis: negat cum qui non crediderit, experiri posse vim verborum & characterum, credenti vero nil fore impossibile, mala enim tam esse in potestate dæmonis, quàm bona in potestate Dei, quia duo sunt prima bonorum & malorum principia, Deus boni, dæmon mali, quæ Manichæi lucem & tenebras appellabant, Pythagorei vnum & duo. Diuus Augustinus hominis cum dæmone duplex pactum constituit, vnum manifestum, quando dat illi nomen dum magiæ sacris initiatur, illiúsque numen reueretur: Alterum tacitum, vt cum verbis & characteribus vtitur, sic enim fortassis aliud agens, in dæmonis retia se conijcit. Proinde Theologi magica amuleta fugienda putant vt Peripatetici, verùm dissimili ratione; Peripatetici quòd ludicra & inania esse existiment,

A

B

Verba & characteres sunt medicinæ dæmonum, syrupi & apozemata hominum. Paracelsus lib. de causis inuisibilibus.

——Somnia, Terrores, Miracula, Sagas,
Nocturnos Lemures, Portentáque Thessella risu
Excipiunt——

C

Theologi quod vi & auxilio cacodæmonum operentur: Soli Platonici ea per se agere putant, siue cœlitus vis illis influat, siue ab anima rationali, cuius sunt effectus, procedat. Itaque Galenus, magis versatus in Platonis quàm Aristotelis doctrina, in morbis profligandis ab vsu verborum & characterum non abhorruit: nam libro quem scripsit de occultis rerum proprietatibus, approbat Homericam incantationem, qui liber etiamsi ad nostras manus non peruenerit, excideritque iniuria & calamitate temporum, citatur tamen à Tralliano libro nono, capite quarto, hoc modo: Iustum est omnibus modis morborum depulsionem tentare, nam diuinissimus Galenus, qui iunior, ne esse quidem incantationes credideret, experientia & rerum vsu doctior tandem magnas eis inesse vires deprehendit: subiungit Galeni verba quæ sequuntur: nonnulli putant incantationes aniculatum fabulis esse persimiles, in qua opinione diu ipse fui: comperi tandem illis vim non exiguam inesse, nam in percussis à Scorpio adiumentum sum expertus (cantando rumpitur anguis) quemadmodum & in ossibus gutturi infixis, quæ incantatione statim expuebantur: Si Galeno, inquit Trallianus, & plerísque veterum probetur vsus characterum, annulorum & verborum, quid vetat nos quoque quæ probauimus & vera comperimus, & ab amicis accepimus, in vulgus efferre? multa equidem habeo occulta remedia ad frangendum calculum, sed nullum est par annulo ex aere Cyprio confecto: cuius descriptionem lege loco dicto. RIOLANVS, est Peripateticus, studiosus equidem veritatis perquisitor, quia tamen temerè non credit, & ad hunc diem nil vidit supernaturale, contentus est ordinarijs & naturalibus remedijs, magicis neglectis, quia vel sint nugæ, vt visum est Peripateticis, vel cacodæmonum fallaciæ, vt placet Theologis Christianis. Occultas tamen proprietates agnoscit cum Galeno, qui capite de Cancro, contra Pelopem, præceptorem suum, contendit Cancrum rabiosis conferre occulta, non manifesta qualitate.

D

E

Hūc librū pollicetur sexto & vndecimo, simpliciū, quem verisimile est Trallianū legisse.

Ouidius cōtrà, Nec mediæ Marsis finduntur cantibus angues.

In libro Simpliciū.

OCCVL-

A *OCCVLTAS QVASDAM ESSE FORMAE SEV totius substantiæ proprietates & quot sint illarum differentiæ.*

CAP. XVII.

OMNIA naturæ opera aut absolutè spectantur, aut inter se comparan-
tur, aut ad hominem veluti ad finem referuntur; quemadmodum ho-
mo ad Deum: Prima & absoluta ratione vnumquodque est id quod est
per suam formam. Comparantur inter se vel res eiusdem generis, vt
plantæ plantis, belluæ belluis: vel diuersi, vt plantæ belluis, animata
inanimatis: Accidente aliquo, vt manifestæ alicuius qualitatis similitudine aut dif-
B ferentia: Vel substantiæ proprietatisve alicuius inexplicabilis concordia aut discor-
dia. Hanc Physici antipatheian nuncupant, illam verò sympatheian. Sublunaria
omnia referuntur ad hominem, vt alimenta, medicamenta, venena, aut venenorum
Alexipharmaca: in quibus omnibus præter similitudines & dissimilitudines (quæ
sunt manifestæ alicuius qualitatis, vt temperamenti, consensus aut dissensio) sympa-
theias quoque & antipatheias possis obseruare, nam alimenti cum viuente debet esse
aliqua non tantùm qualitatis manifestæ, vt tẽperamenti, similitudo, sed etiam igno-
tæ formę & proprietatis occultę conuenientia, cuius causa ea solùm nutriunt quę vi-
xerunt. Quę nunquam vixerunt, vt lapides & metalla, non possunt fieri partes vi-
uentis, propter formæ, vt ita loquar, disconuenientiam: differt enim toto genere
viuens à non viuente. Tum valde sicca non habent succum alibilem, minus quàm
C pumex aquam, neque à calore nostro dissolui possunt etiam in scobem comminuta:
à calore enim moderato, qualis est natiuus, non possunt fundi metalla, minus lapides
dissolui. Medicamenta vel sunt ἀλλοιωτικά, vel cathartica, illa aut nos immutant mani-
festa, vt prima, aut secunda qualitate, vel occulta: propter quam, hęc cephalica di-
cuntur, illa hepatica, experimentis potiùs quàm ratione compertum est, radicem
Tamarisci, Asplenium & corticem radicis capparis cõferre lieni: cichorij genus om-
ne, passulas, & agrimoniam iecori, propter hanc affinitatem naturæ, vbi primùm
assumpta sunt, ab his partibus attrahuntur, quibuscum maiorem habent cognatio-
nem. Cathartica verò quæ humorem peccantem purgant cum delectu, vt Rheum
bilem, Agaticus pituitam, eum trahunt vi & proprietate occulta, quam tu possis
cum Galeno formæ & substantiæ similitudinem nominare. Horum quæ sunt vehe-
D mentiora, vt Scammonium, Colocynthis, Elleborus, lapis Armenius, ad naturam
venenorum accedunt, quandoquidem etiamsi sumantur perexigua quantitate, nisi
excludantur, nocent. Mediocria verò vt Rheum, Senna, Agaricus, si frustrentur suo
fine, remaneantque in corpore: vertuntur in substantiam humoris purgandi, cum
quo scilicet maiorem habent substantiæ similitudinem. Benigna verò & amica na-
turæ, quæ minoratiua vulgò nuncupantur, vt Cassia, Manna, Tamarindi: non aliter
quàm alimenta in substantiam nostram vertuntur. Venena non tam propriè di-
xeris, quæ qualitate manifesta perimunt, vt opium & cicuta frigore, euphorbiũ calo-
re: quàm quę occulta vi vitę principia corrumpunt: quibus φιλάνθρωπος natura sua quo-
que opposuit remedia, vt Salamandræ Testudinem, Sublimi Christallum: quorum
antipatheia accidit, vt venena vel vomitu, deiectione, sudore expellantur, vel corri-
E gantur, eorumque malitia obtundatur. Vt enim magnis morbis dedit propria reme-
dia, epilepsiæ videlicet epileptica, vngulam Alces, viscum quernum & cranium hu-
manum: nephritidi nephritica, vt sanguinem Hirci, & saxifragam: Sic magnis vene-
nis, præter communia, vt cardiaca, opposuit alexiteria, à quibus expellantur aut al-
terentur. Vtrumque præstant partim sympatheia quam habent, cum corde & prin-
cipiis vitæ, partim antipatheia cum veneno. Itaque amplissimus est sympatheias &
antipatheias ambitus, diffusus quippe per omne rerum genus, alimenta, medicamen-
ta, venena & antidota: neque iam miror, si Empedocles concordiam & discordiam
constituerit prima rerum principia: vt enim elementarium formarum concordia
oriuntur mixta, & eorundem discordia occidunt: sic animorum concordia societas
ciuilis conseruatur, eorundem discordia maximæ Respublicæ dilabuntur: & quem-
admodum ex concentu primarum quatuor qualitatum nascitur rei cuiusque tempe-

ramentum, ita ex vnione formarum exurgit forma mixti, de qua velut riuuli de fonte omnes ferè omnium rerum proprietates emanant: Quas (etiam si sint innumerabiles) poterit qui volet in ordinem cogere comparando inter sese penes formas, vel res eiusdem generis, vt magnetem cum ferro, brassicam cum vite, quercum cum olea, pennas aquilæ cum pennis reliquarum auium: vel quæ sunt diuersi generis, vt os milui piscis cum auro, electrum cum palea, (difficilius enim creditur communio formæ ossis milui cum auro, quàm magnetis cum ferro) discurrendum per singula mixtorum genera, fossilia, plantas & animalia, quæ sunt alimentorum, medicamentorum, venenorum & antidotorum veluti fundamenta, in quibus dicta arte & methodo quærendæ erunt sympathεῖæ & antipathεῖæ, quarum historia describetur, non scientia: Ea enim sola sciri possunt, quorum certa & definita causa potest explicari: naturæ miracula, quia sunt rara & extraordinaria, sunt ἀναπόδεικτα καὶ ἄπειρα, B indemonstrabilia & inscibilia, cùm eorum causæ ignorentur: scimus ὅτι non διότι: Quod magnes trahat ferrum, sensuum testimonio exploratum habemus, cur trahat, ignoratur: scitur quidem gneralis & indefinita causa, nempè sympathεία seu similitudo formarum, sed communio vtriusque formæ definiri & distinctè explicari non potest: homines enim sumus, non dij, Iupiter sibi scientiam reseruauit, homini opinionem tantùm concessit. Sed enim si docti certent adhuc de origine Nili:

Arcanum natura caput non prodidit vlli,
Nec licuit populis paruum te Nile videre,
Amouitque sinus, & gentes maluit ortus
Mirari, quàm nosse tuos.—

Nos homunculi cur indignamur si rerum admirabilium causas ignoremus? Cæterùm cùm sympathiæ & antipathiæ experientia non ratione cognoscantur, prouidebit physicus ne mirabilia quæ circunferuntur pro veris ponat, si nunquam ea fuerit expertus, etiamsi nitantur summi alicuius viri autoritate: sæpe enim cæcus multos in foueam ducit: Plinius quæcunque audiuit narrat, quantumuis falsa & absurda videantur. Quid est magis tritum & vulgare quàm viperam sic dici quod vi pariat? Eroso enim ventre matris, fœtus sibi viam facere vulgo persuasum est: cuius credulitatis autor fuit Nicander in Theriacis. Experientia tamen compertum est, viperam sine vi & erosione ventris parere, quinetiam si Aristoteli & Philostrato creditur, visa est non semel, quæ suos lamberet: non est credibilis tanta crudelitas quæ sit naturalis & ordinaria. Eiusdem est farinæ quod omnium voce & scriptis circunfertur, Castorem sibi ipsi testes amputare, castoreum vocant medici, vt venatorum rapaces manus effugiat: quasi sciat se non aliâ ob causam peti: quod non tantùm falsum D sed etiam impossibile affirmat Sextus medicus apud Plinium. Rondeletius ex dissectione comperit illis tam tenaciter testes hærere renibus, vt nulla vi euelli possint, quinimò non posse, etiamsi velint. Quid vulgatius quàm à Struthiocamelo ferrum coqui? Docti plurimùm laborant in causis perquirendis, sunt tamen naturæ scrutatores curiosi, qui affirmant se multoties illi dedisse limaturam ferri, quam integram deiecit. Si ventriculus scobem conficere non possit, & veluti iam præmansum ferrum: multo minùs integra frusta coquet & assimilabit: In ore est omnium vrsam informes fœtus in lucem edere, quos deinde paulatim lambendo efformat, tamen à venatoribus capta est vrsa grauida, qua dissecta, visi sunt iam formari catuli. Quidam affirmant Chorio conclusum fœtum excludi, propterea videri carnem informem, sed lambendo paulatim rumpi: De elephantis fabula pro historia, autore Plinio, doctorum scriptis celebratur, vt præda se redimant, eos impactos arbori dentes frangere, ac si, vt Castor ob testes, ita propter dentes se à venatoribus, perquiri cognoscat: Quid ineptius quàm chamæleontem solo vento viuere? Plinius tamen omnes in istum errorem induxit. Equidem cùm amplos habeat pulmones, sæpe & multum spirat, sed exerta lingua formicas, muscas, locustas & scarabeos inuiscat, quibus perbellè nutritur. Quærit Aphrodiseus cur viator, quem lupus prior aspexerit raucescat, iuxta illud Poëtæ:

—Vox quoque Mœrim
Iam fugit ipsa, lupi Mœrim videre priores:

At ego ausim affirmare cum Scaligero, hoc esse falsum, quia lupi sæpe priores me viderunt, neque propterea sensi vllam in voce mutationem. Frustrà igitur docti, eius

quod

A quod non est studiosè causam perquirunt: qualia possum enumerare quamplurima:
vt securos esse à peste, qui columbos edunt, quod scribit Orus, aut Serpentem qui
hominem læserit, in terræ gremium amplius non admitti, vt affirmat Plinius, aut in-
flammari vulnera, & morbos augeri superueniente aliquo qui pedibus iter confece-
rit: nec vestem à tineis attingi, quæ fuerit in funere, vt idem scribit. Sed non est hu-
ius loci & instituti errores vulgi detegere: Satis erit iterum atque iterum monuisse,
neruos esse sapientiæ non temerè credere. Argumentum ab autoritate esse Rhe-
torum, non Philosophorum argumentum, sæpe enim fit vt hoc modo quæ te
scire credas, in experiundo repudies: sola experientia operum naturæ mirabiliũ m
sit magistra, quę nisi iudicio & ratione nitatur, fallit. Multa tamen sunt quæ non
est facile nobis experiri, vt an Ibidis pennis tactus Crocodilus mox stupeat, an
Ichneumon Crocodili dormientis os subeat, eiusque viscera erodat. Proinde
B Ægyptiis hoc affirmantibus credendum est. Sed an equus obstupescat, equa
verò abortiat, si lupi vestigium calcarit, si vespertilio stupeat tactus platani folijs, si
ille solo tactu oua ciconię efficiat sterilia, facile est cuiuis experiri. Queadmodũ &
illud quod Galeno tribuitur, si colico dolore vexatus, canem à fumno excitarit, & in
eo loco minxerit in quo dormiebat, confestim canem moriturum, coli vero dolo-
rem disparitifurum.

AN CORNV MONOCEROTIS
insit vis Alexiteria.

C QVÆSTIO est ardua & magnis difficultatibus inuoluta, siue ratione, siue
authoritate, siue experientia disputetur: Si autoritate certetur, non tan-
tum magni nominis autores afferentur in medium, sed medicorum fe-
re omnium consensus qui vbique gentium & locorum quotidię illius
rasuram præscribunt in morbis malignis, ad robur cordis. Si quis in
morbillis aut variolis oblitus sit tria aut quatuor grana exibere cum aqua Cardui, vt
venenum per sudores excludatur; videbitur precipua remedia ignorasse. Probabile
est quod videtur omnibus aut plurimis, maxime verò quod sapientibus; peritis enim
in quaque arte credẽdum est: Veritas est filia temporis, vtilia remedia tempus appro-
bat, inutilia reprobat, quamuis apud populum in magno pretio habeantur: Hinc
certa spes me tenet futurum tandem vt exulet Paracelsi medicina, cum primum ami-
serit gratiam nouitatis. Verum si tam facile paream consuetudini, reddam mihi in-
D fensos magni nominis medicos, qui hoc remedium tanquam vanum & inutile
scripto publico repudiarunt: neque pluris faciunt istius cornu scobem quam astragali
aut cuiusuis alterius ossis puluerem.

Ratione igitur & experimentis certandum est, non authoritate.

Verum discutienda imprimis rei & nominis ambiguitas: monoceros enim est
genus animalis quod ambitu suo species longè differentes complectitur: Ælianus
bisontem describit vnico armatum cornu, quod non existimat magis cardiacum
quàm nostri bouis cornu. Strabo refert ex Megasthene in India esse equos, Plinius
etiam addit asinos, vnicornes.

Idem Plinius autor est non tantùm in India, sed etiam in Africa esse boues vnicor-
nes & tricornes. Atqui numerus est inefficax, rebus nullã tribuit vim: itaque cornu
E vnitas, animali nihil addit perfectionis, quemadmodum neque trinitas, non est ma-
ioris efficaciæ bos vnicornis aut tricornis, quàm noster bicornis. Veruntamen auto-
res bonę notę scripto mandarunt, Caphur esse Amphiuion vnicornu, ex quo regi-
bus parantur pretiosa vasa aduersus venena: quinetiam ex isto animali velut re pre-
tiosissima reges eius insulę in qua capitur nomen & honoris titulum mutuari: expe-
rientia longa populus didicit ex isto cornu detornata vasa prodere si quod lateat ve-
nenum. Plinius nominis quadam pręrogatiua monocerotem describit, feram ca-
pite similem ceruo, pedibus elephanti, cauda apro, reliquo corpore equo: mu-
gitu graui, vno cornu nigro media fronte, magnitudine duorum cubitorum:
quale cornu fortassis in thesauro Santodyonisiaco asseruatur. Habet etiam vnum
respublica Veneta in summo pretio. Ex simili audio, etiam nunc parari salinum Im-
peratoribus, quod quotidianæ mensæ apponitur vt detegat, si quod offeratur, vene-

num: proinde non tantum in opinione est vulgi, sed etiam optimatum, non omnis A quidem, sed cuiusdam monocerotis cornu esse singulare alexipharmacum: cuius vires hoc argumento demonstrat Iordanus, vir imprimis eruditus, libro quem scripsit de peste. Iudæus inquit, me præsente cornu monocerotis describebat circulum quo infinita animalia venenata, Scorpiones, Serpentes, Araneos includebat: Omnia veluti attonita permanebant in medio, neque vllum versus circularem lineam progredi audebat: extra circulum posita, quoquouersum liberè mouebantur: subiungit, sola vmbra istius cornu, omnia intra horæ quadrantem vitam cum morte commutasse. Hoc si quis admiretur, meminerit totam fere medicinam esse empiricam, vti remedijs experientia potius quam ratione, comprobatis: Omnia enim aut sunt purgantia, aut alterantia. Purgantia, humorem peccantem trahunt cum delectu vi occulta. Alterantia, aut manifesta qualitate nos immutant aut occulta. Horum B alia cum parte affecta substantiæ similitudine communicant, propter quam hæc Cephalica dicuntur, illa Hepatica. Alia cum morbo occultas inimicitias gerunt, vnde epileptica dicuntur, nephritica, arthritica, pleuritica: mitto vt venenorum sic Alexipharmacorum innumerabilium occultas proprietates. Si cornu cerui solo fumo fugat serpentes: Si os repertum in corde cerui venenis & venenatis morbis resistit: Si limatura cranij prosit epilepticis, quidni pares atque etiam præstantiores vires, monocerotis cornu tribuemus? Si amuleta quædam physica, etiam gestata (vt Pæonia appensa collo aduersus epilepsiam) certis morbis depellendis vi & proprietate inexplicabili conueniant, quidni assumpta rasura vnicornis aduersus venena corroborabit? potésne vnum probare, alterum improbare? Quo iure lapis Bezoar Cardiacus erit, cornu monocerotis non erit? Scio in eius vsu infinitos errores committi: C Cúmque vix vnum verum in Europam quotannis afferatur, tamen à medicis, saltem viginti præscribi. Sed abusus morum doctrinæ veritatem non euertit, manet nihilominus vera hæc propositio: Alicuius monocerotis cornu esse antidotum: falsum à vero discernendum est, Iudæi experimento.

VNDE NATA TOTIVS SVBSTANTIÆ proprietas & vbi sita sit.

CAP. XVIII.

Libro superiore constitutæ sunt formarum physicarum duæ differentiæ, natura & anima: illa definita est corporum similarium, hæc organicorum summa perfectio: naturæ motus sunt definiti, animæ verò indefiniti, natura enim nisi contrario modo affecta sit (vt calor iunctus siccitati aut humiditati) vnum potest: anima contraria: anima igitur D præstat naturæ per se & ratione subiecti quod informat: Vtraque causa rationalis anima præstat sentienti, sentiens vegetanti, vicissimque inanimata cedunt animatis, partim quòd sint minus cóformata, minorique arte & industria elaborata, partim quòd regantur ab ignobiliore forma. Inter viuentia iisdem causis homo præstat belluæ, hæc plantæ: ignobilior verò forma iudicatur, quæ paucioribus facultatibus prædita est, nobilior, quæ potest plura & præstantiora. Inter formas physicas hic ordo obseruatur, vt perfectior imperfectioris vires omnes includat: bellua potest omnia quæ planta, præterea sentit: Homo potest omnia quæ plantæ & belluæ, (si species quod pos- E sunt intra non extra) præterea ratiocinatur: In viuentibus naturalium facultatum duæ differentiæ manifestè obseruantur, quædam enim procedunt ab anima, vtnutriendi, augendi & procreandi: aliæ à natura, quæ solet nuncupari forma mixti, quæ sunt purè & simpliciter naturales: Priores enim quæ manant ab anima, duntaxat propter eam quã habent cum his similitudinẽ, naturales nominantur. Quarũ origo ideo inter doctos controuertitur, quòd inter eos non satis constet, an elementa secundùm qualitates tantùm, an etiam secundùm formas misceantur. Placet mihi elementa priusquam mixtum constituant, primùm qualitatibus alterari, deinde formis vniri: ex qualitatibus alteratis exsurgere temperamentum, quod prout hæc aut illa qualitas vicit in mixtione calidum, frigidum, humidum aut siccum dicitur, ex formis vnitis vnam exurgere, quæ forma mixti nuncupatur: Vires & qualitates mixtorum

A torum manifestæ, me iudice, procedunt à temperamento, occultæ verò à forma. Vt enim Logici dicunt specificas rerum proprietates à primis essentiæ principijs emanare: sic Physici vires & qualitates occultas à forma mixti, à qua cum definiatur & in certam rerum speciem adducatur, cùm illius substantiam compleat atque perficiat: parum refert si proprietates occultas formæ dixeris an substantiæ inexplicabiles qualitates: Sympatheiæ & antipatheiæ non tantum à natura repetendæ sunt, sed etiam ab anima. Animorum enim inter sese mirabilis est consensus, dissensio quandoque non minùs admirabilis. Consensus est parentum cum liberis, nam tigres & viperæ suos non minùs diligunt, quàm delphini & elephanti: Sæpe simia suos catulos tam arctè complectitur, vt eos suffocet. Dissensio verò efficit vt Ichneumon perpetuò insidietur Crocodilo, Aspis Ichneumoni, eadem ratione elephas incredibili odio Rhinocerotem prosequitur: Camelus equum, Aquila draconem, Cer-
B uum & Cygnum: hac causa cornicum pugna est acerrima cum noctuis: eidem antipatheię tribui potest quòd sus vel grunitu solo terreat elephantem, vt gallus gallinaceus leonem suo cantu, etiamsi Platonici hoc fieri putent, quia vterque sit solaris: verum gallus magis quàm leo, lex autem naturæ iubet, vt imbecillior cedat potentiori. Sunt etiam in plantis vt in animalibus concordiæ & discordiæ, quas fortassis meliùs animæ quàm naturæ adscripseris, vt quòd brassica viti sit inimica, quercus oleę, hedera arboribus & satis omnibus: huc referre possis singulorum quoque hominum occultas amicitias & inimicitias, vt cur nonnullos amemus, quos antea nunquam vidimus, alios odio plusquàm Vatiniano prosequamur.

Non amo te Sabidi, nec possum dicere quare,
C *Hoc tantum possum dicere, non amo te.*

Placet Astrologis eos, qui habent eundem geniturę dominum, vtpote qui nati sunt sub eodem planeta, sese amare, etiamsi non subsit alia causa: Platonici verò eos qui sortiti sunt similes genios, facilè amicitias contrahere volunt, qui verò dissimiles, inimicitias: ego genio similes, animorum sympatheiam interpretor, dissimiles eorundem antipatheiam, cuius vestigium videtur etiamnum in mortuis permanere, eam enim ob causam præsente homicida vulnus cadaueris dehiscit aut cruentatur (quo indicio nonnunquam iudex dignoscit homicidam alioquin ignotum) quod spiritus aliquis vindex à morte superstit, & animarum antipatheias permaneat vestigium aliquod. Eadem causa accidere credibile est, vt tympanum ex ouis pelle confectum, quantumuis pulsetur, raucescat & veluti obmutescat, si alte-
D rum ex lupi pelle tum resonet. Ad eandem ferè causam referri potest quod vulgo circumfertur, à pennis Aquilarum reliquarum auium pennas absumi, & chordas ex intestinis luporum eas erodere quæ factæ sunt ex intestinis ouium: vt enim maior ignis extinguit minorem, & maius lumen obscurat minus, sic maior vis opprimit imbecilliorem, imperij quod habebat in cæteras aues aquila dum viueret, in pennis permansit veluti fomes & igniculus, Animę imperiosæ vestigium. Hoc primo genere eorum duntaxat quæ vixerunt sympatheię, continentur, & antipatheiæ, altero verò eorum quę nunquam vixerunt. Quærenti enim cur naphta eminus trahat ignem, respondetur non manifestæ qualitatis similitudo, alioquin euphorbium quoque & pyrethrum cùm sint calidiora potentius ignem attraherent, sed formarum consensus: Quod verò leo cùm sit igneus ignem exhorrescat, est opus
E animæ non naturæ: hoc enim habet commune cum feris omnibus, excepto elephanto, quemadmodum & illud quòd lupus lapidem magis formidet quàm ensem, ictu enim lapidis quod infligitur vulnus fit putre & verminosum. De vtroque genere docti ampliùs viderint: nobis aliò nunc pergendum est, qui personam sustinemus interpretis, non doctoris.

DISGRESSIO IN CHYMISTAS. A

Cap. XIX.

EXORTI sunt non ita pridem pseudomedici, qui Anaxagoræ pradaxon inuictis argumentis ab Aristot. olim euictum renouarunt, & quod occaluerat vulnus refricarunt: omnia esse in omnibus: Illi non tantùm cœlum terræ miscuerunt, sed terram cœlo: Ibi enim volunt esse buglossum & melissam, quorum participatione fiant hîc buglossum & melissa. Hi sunt qui ex sale, sulphure & mercurio omnia à natura constituta esse ex hoc demonstrant, quod omnia in hæc tria igne resoluant: eadem autem sint principia constitutionis quæ resolutionis. Sed illi ipsi suo Vulcano mixta in hæc tria dissoluunt, non natura: Artificialis est dissolutio, non naturalis: constituit autem primum natura res suas ex his in quæ illas postremò ipsamet resoluit: hæc non extant in mixtis, B sed fiunt arte. Quemadmodum enim ex pane natiuus calor facit sanguinem, deinde carnem, non quod illa extiterint vnquam in pane, nisi potentia, propter quam materia est omnia: Sic in plantis & metallis multo minùs in animalibus perfectis actu non insunt, Sal, sulphur & argentum viuum, sed eliciuntur & efformantur coctione: Item principia ratione sola cõcipiuntur non sensu. Ista principia sunt sensibilia, quinimò mixta, quæ qui dixerit principia, aut elementa corporum etiamnum simplicium, non est dignus quocum disputetur, quia vel ignorat, vel malitiosè negat prima physicæ rudimenta: Quis non miretur istos sufflones igne suo quintam essentiam de singulis rebus velle separare cùm nulla insit? nam etiamsi formæ physicæ origine sint cœlestes, substantiæ tamen sunt elementares, incorporeæ, inuisibiles: C Materiæ quidem addictæ & alligatæ, non materiatæ: Spagiricum est aureos montes polliceri, omnia metalla conuertunt in aurum: Quidni, inquiunt, cùm sit finis omnium metallorum? Quasi cæterorum formæ sint incompletæ, contendantque omnes ad formam auri veluti ad finem & perfectionem, verùm singula metalla in suo genere sunt perfecta, nec natura cum facit plumbum intendit aurum, sed in genito plumbo veluti adepto fine subsistit: quod etiamsi possit & velit, possuntne chymistæ arte sua idem polliceri? His imposturis quisquis fidit, ignem & operam perdit: possunt arte naturam imitari, & pro auro naturali artificiale exhibere, pro genuino factitium & adulterinum: simile inquam non idem: vmbras enim pro rebus sudore multo cõsequuntur. Ixioni similes qui pro Iunone nebulam amplectebatur. Similes Æsopico cani, qui præferebat vmbram rei, quorum finis adulteratio monetæ, quia coronat opus. Consultius fecisset Fernelius, si lapidis philosophici descri- D ptionem silentio obruisset, ne credulos & rerum nouarum cupidos in foueam calamitatis autoritate sua præcipitaret. Ficinus affirmat spiritum auri ex alijs metallis aurum generare, eumque spiritum, Elixir, ab Arabibus appellari: Cur metalla & lapides non generant sibi simile, vt plantæ & animalia? quia spiritum habent crassiorem, qui si igne elementari purior & simplicior esset, cum alijs metallis simul procrearet. Quis non malit hunc spiritum, quàm genium Socratis? eius extractio verè philosophica est, cum sit finis philosophorum, si non philosophiæ: cuius oportet principes præ cæteris esse studiosos, quia suggerit illis perficiendarum magnarum rerum instrumenta. Desinant mineras auri tanto cum labore perquirere, si exiguus lapillus possit esse instar omnium fodinarum.

AN METAMORPHOSIS SIT POSSIBILIS E

ISTA metallorum transformatio alteram quæstionem inuexit, An natura rerum formas possit permutare, vt homines in asinos, lupos, porcos. Nam vt dicitur,

Carminibus Circe socios mutauit Vlyßis.

Quod Plutarchus declarat historia Grilli: Mœrim herbarum potentia sese cùm vellet, in lupum transmutasse, ita scribit princeps poëtarum:

His ego sæpe lupum fieri & se condere syluis *Mœrim.*
Picus equûm domitor, quem casta cupidine coniux
Aurea percussum virga, versámque venenis
Fecit auem Circe, sparsitque coloribus alas.

A Nota est ex Apuleij asino historia, vt fuerit ipsemet in asinum transmutatus, salua & incolumi ratione, quòd si quis habeat loco fabulæ, meminerit quod refert D. Augustinus: viatores quosdam à magis in iumenta fuisse mutatos & onera baiulasse integra mente. Formas exteriores magicis artibus & herbarum potentia ad tempus deponebant, interiori & essentiali permanente: neque enim, inquit Arist. vt nauta nauem, anima suum corpus vnquam deserit subiecto incolumi, fabulæ enim sunt non historiæ, quę de Hermotimo & Aristæa Præconnesio scribuntur à Plinio, sed illi indissolubili vinculo cohæret. Hoc ergo relinquitur quærendum: An anima rationalis possit habitare in corpore asinino, suillo, bubulo, iudicio remanente. Quod si sola figura capitis, aut eiusdem quantitas hominem efficiat rationis impotentem: sunt enim amentes qui nascuntur cum pusillo & acuminato capite; de capite asini aut B porci, quale ferendum est iudicium? Si anima temperaturæ cerebri ministerio, & spiritus animalis adminiculis adiuta, ratiocinetur: iisque per maniam, aut phrenitidem læsis ratio perturbetur, potéstne in asinino, aut suillo cerebro bene ratiocinari? Præstat cum medicis eiusmodi fabulas, ita enim Plinius libro 8. cap. 22. appellat, de melancholicis, vt lycanthropis, interpretari: qui imaginatione læsa putant se esse lupos, eaque agunt quæ lupi, seruata tamen vtraque forma tam exteriore, quàm interiore. Sic interpretor quod scribit Pausanias, quendam Demorim nomine decem annis mutatum fuisse in lupum, id est lycantropia laborasse, deinde redijsse ad primam hominis naturam. Ita etiam interpretor quod scribit Herodotus in Melpomene, Nephroos quotannis fieri lupos, deinde redire ad figuram humanam. Sic demorsi à cane rabido, confirmato morbo, putant se esse canes, latrant & mordent, vt canes, si magi dæmonum opera id præstent, vt vulgo persuasum est, imponunt C oculis, faciuntque vt videantur

Quæ neque sunt vsquam, neque possunt esse profectò.

Tam enim falsum est Lycaona versum fuisse in lupum, quàm Io in vaccam, Calisto in vrsam, Actæona in Ceruum, Hecubam in canem: Si quis obijciat quædam animalcula transmutari: vt erucam in papillionem, Sysimbrium in Nentbã, Accipitrem & vpupam inter sese: Respōdeo transmutationes istas esse naturales, frustrà quæri, si fieri possint cum fiant quotidie: ordinaria enim opera censentur legitimi partus naturæ: Potéstne Deus ipse naturas rerum inuertere? Potest quidem absoluta non ordinaria potentia, quæ natura naturans solet nominari: neque enim credibile est, quòd ordinem à se institutum velit peruertere, nisi fortè secreto aliquo consilio, vt cum vxorem Loth in statuam salis commutauit, Nabuchod. regem in iumentum.

D Hinc patet quod si Pythagorei metempsycosim veluti inferos excogitarint ad cōtinendum populum in officio, laudabile esse hoc inuentum: nam si plebeculæ persuasum fuerit, omnibus qui honestè vixerint definitum esse in cœlo locum, vbi cum dijs perpetuo fruantur æuo: Animas verò quę belluinam vitam egerint in belluarum corpora tandem migraturas. Spe futuri boni ad virtutis studium excitabitur, metu mali, à vitio faciliùs declinabit: verùm si hoc pro vero posuerint, *Spiritus éque feris humana in corpora transit, inque feras noster*, non tantùm est falsum, sed ridiculum commentum: Nam si anima culicis possit regere elephantem, si mens discurrere possit in capite belluæ, non sunt omnia facta in pondere, numero & mensura, neque vlla debet esse agentis cum patiente proportio. Posthac ne metuant Pythagorej quoties bubulam edunt, ne aliquem ex parentibus comedant, libero eos isto metu.

E

DE PHILTRIS SEV POCVLIS AMATORIIS.

NIs est adhuc sub iudice, Si Philtris concilietur amor. Amantes mille artes experiuntur, quinetiam vias vetitas tentant, vt amata potiantur. Quidam Caroticum, vt opium, exhibent: Alij inebriant, vt somno vinoque sepultam subigant: alij poculo dementant, vt Cæsonia Caligulam: Lucullus & Lucretius assumpto Philtro insani perierunt. Verùm vt piscatio quę fit veneno, facilis quidem est, sed piscem reddit insuauem & ineptum mensę: Sic prauis artibus quęsitus congressus, non potest esse iucundus: concumbunt absq; voluptate, quia inuoluntarius congressus neutri amantium potest esse gratus: Tolerabiliores qui datis cantharidibus Veneris stimulos exsuscitant, aut ijs quæ ad languentem Venerem à medicis præscribuntur arrectionem excitant, vt diasatyrio.

Quisquis es, dic sodes, videtúrne tibi his philtris amor conciliari? Quidni dices? quia amor est pathos voluntarium: vellet amans esse & viuere in amata: est dimidium animæ suæ: voluntas autem libera est, cogi non potest. Requiritur animorum consensus, vt voluptas, amoris præmium, coitu percipiatur, non dubito quin arte possit aliquis ad libidinem incendi: Potest magus, imo medicus efficere philtro vt ames, sed non potest efficere vt redameris: neque faciet definitè vt hanc vel illam ames: quamuis exhibito satyrio puellam reddiderit amantem, an propterea amantem tui?

Amantes congressu cupiunt uniri. Aristophanes.

Nec data profuerint fallacia phyltra puellis,
Phyltra nocent animis, vímque furoris habent.

Sapienter itaque summus magister amoris ita concludebat:

Ergo quisquis opem nostra tibi poscis ab arte
Deme veneficijs carminibúsque fidem. B

Cùm Olympiæ renunciaretur Philippum ab Inda quadam fuisse inescatum, & philtro veluti laqueo irretitum, iussit illam sibi adduci: quam cùm videret supra cęteras venustam & formosam: Ecce Philtrum, inquit:

Sit procul omne nefas, vt ameris, amabilis esto.

Græci affabilitatem φιλίας vocabulo exprimunt, vt significent solos affabiles esse amabiles: In facie Darij inerat aliquid gratiæ & venustatis, cuius causa non tantùm suis sed exteris, quinetiam hostibus erat gratus. Certiùs Philtron quàm Symphitum: quod Alcibiadium dicitur, quia Alcibiades, eo, tanquam amuleto, vteretur ad aucupandam gratiam populi Atheniensis. Est Angelus gratiæ, Annahel dictus Hebræis, qui amabiles creditur reddere, quibus assistit. Qui dixit aurum personarum amoris vinculum, significauit esse philtrum præstantissimum. C

Auri sacra fames, quæ non mortalia pectora cogis?

Casta est cuius pudicitiam nullus auro sollicitauit. Iupiter ipse per impluuium aureum descendit in sinum Danaes. Apage ergo magica philtra, sunt vana, fallacia, ridicula. Hæc sola pro legitimis philtris habenda sunt, Aurum, affabilitas, animorum & morum similitudo, facundia; Non formosus erat, sed erat facundus Vlysses. Hæc erat veterum Pytho, Suadela, Herculis Gallici aurea catena, qua omnes nolentes volentes ad se pertrahebat. Vlysses obduxit aures cera, ne Syrenum cantu caperetur, meretriciæ facundiæ vnicum, & singulare remedium.

ESTNE ARS ALIQVA FASCINANDI?

ÆC quæstio paribus ferè rationum momentis olim disputata est: quas D cōtraham in pauca, & veluti compendio proponam. Verum ne homonymia nominis cuiquam imponat, notandum inprimis Lacædemonios ciuitate sua oratores expulisse, quòd præstigiis orationis populum quò vellent pertraherent, & veluti fascinarent. Adolescentem qui ad discendum Rhetoricam Athenas concesserat, ablegarunt, adiecta causa quòd rediret instructus arte fascinandi. Quo sensu, ni fallor, Galatas ita D. Paulus increpabat. Quis vos fascinauit, hoc est, declamando impediuit, ne pareatis veritati? φιλαυτία quoque dicitur fascinare, quia non tantùm corporis, sed animi oculum perstringit. Narcis enim & Eutelidas dicti sunt à classicis authoribus amore sui fascinati. Sed verè & propriè dicitur fascinare qui solo intuitu quem vult non tantùm inficit, sed interficit: quam vim suis lamijs & strigibus veteres tribuerunt. E

Illæ carminibus promittunt soluere mentes
Quas cupiant: Alijs Diras immittere curas,
Sistere aquam fluuijs, & vertere sydera retrò.

Hoc modò pastor apud Platonicum poëtam suas oues fascinari conqueritur.

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

Nobis itaque relinquitur inuestigandum, An pastoris iusta esset querimonia, an potiùs inanis, & in vulgi tantùm opinione posita: si verè Plinius & Solinus affirment, quibusdam populis vt, Tryballis & Illyrijs connasci vim fascinandi; quidni iusta? Oportet Plinium habere fascinum pro confesso, qui ad illud auertendū tam multa descripserit remedia. Romani appendebant collo puerorum Priapi effigiem adimpediendum fascinum, propterea Latini, Priapum fascinum, quasi fascini depulsorem, nomi-

A nominarunt. Ad eum finem currui triumphali Priapus appendebatur, vt fascinum in authores retorqueret: fallor si puella quæ visu receperat interficiendum Alexandrum, non esset fascinatrix. Enimuerò si mulieres quo tempore fluunt menses visu speculum inficiant quis dubitet malignum quẽdam vaporem per oculum transmitti posse in obiectum? Si basiliscus & catopleba solo aspectu interficiant, quidni in toto hominum genere aliqui nascentur basilico similes? Placuit enim naturę, vt loquitur Plinius, nil mali vspiam esse quod non sit in homine. Homò est mensura rerũ omnium, cætera enim non dicũtur calida aut frigida nisi ad hominẽ relata: proinde cum vnicuique animantiũ generi proprium insit temperamẽtum. Solus homo possidet omnia, hic leoninum, ille asininum. Huic visus basilisci: illi Catoplebæ: Philostratus in Apollonij vita meminit Saturnij cuiusdam Ephesij, qui non aliter quàm basiliscus omnes solo aspectu interficiebat, quibus argumentis videtur effici possi-
B bilem esse fascinationem. Veruntamen, vt inde exordiar, cum homo sit animal politicum, nascatur ad ciuilem societatem, quæ crudelitas est, naturam, quæ perhibetur φιλάνθρωπος, crediturque omnia referre ad vsum hominis, procreare homines, qui etiam intuitu omnes interficiant. Verùm etiamsi nullus extet, neque vnquam, me iudice, talis extiterit: demus tamen extare posse an propterea fascinatio possibilis? minimè verò: nam fascinator propriè dicitur, non qui promiscuè & sine delectu obuium quemque, sed qui intuitu quem & quando vult interficit. Atqui motus naturæ non sunt in nostra potestate, eoque differunt à voluntarijs: quare si cui connata esset vis fascinandi, læderetque omnes quos inspiceret, non esset tamen fascinator ille de quo queritur, quia Arbitraria est fascinatio. Potéstne vapor, aut spiritus iste malignus, obiectis oculis esse funestus, proprio subiecto innoxius? Putásne puellã veneno nu-
C tritam potuisse pręstare quod pollicebatur, cùm venena consuetudine fiant alimenta, tandemque coctione triplici alterata desinant esse venena? Galinæ nutriuntur rubetis & scorpionibus, Caprę cicuta, neque propterea visu quemquam offendunt. Estne verisimile ab assumpto veneno attolli vaporem ad oculum quo ipse non lędatur, cùm à causis tam internis, quàm externis tam facile offendatur? aut cur halitu potius non lædunt quàm visu? Sanè si visus fiat recipiẽdo non emittendo, fitque cristallinus humor veluti speculum animatum, frustrà ars aliqua fascinandi cõstituitur. Sed hâc de modo videndi quæstionem Peripateticis pro suo magistro aduersus Platonicos disputandam relinquo, cõtentus hoc adiecisse, mihi quidem videri falsa, quę de Triballis & Illyrijs in historiam relata sunt, fabulę tamen hoc dedisse locum, quòd essent aspectu fero & truculẽto, puerosque, metu propemodum exanimarent:
D nam ex oculis iratorum veluti scintillæ micant: vt enim Arimaspi crediti sunt monoculi, quòd ad cynosuram collineando (erant enim insignes sagittarij) oculum vnum clauderent, & Psylli crediti sunt resistere serpentibus, quòd visu confirmata audacia venenum suctu mox retraherent, Thessali quia primi ex equo pugnarunt, falsam de centauris opinionem inuexerunt. Non enim refert si Claudio imperante in Thessalia tale mõstrum natum sit, quandoquidem scribente Plinio eadem die interijt, quia mõstrum erat. Ita Triballi & Illyrij crediti sunt fascinare, quòd visus ferocia aspicientes terrerent. Neruus est sapientiæ non temerè credere: nullum enim est tam impudens mendacium quod teste careat.

OCCVLTIS MORBIS TACITA medicamentorum proprietate succurrendum, non empiricorum ritu, sed arte & methodo.

E

CAP. VLTIMVM.

Alterantia pugnãt qualitate, aut tota substantia: horum non est methodus, sed omnia per experientiã sunt inuẽta Gal. xiij. methodi.

VT morbis quorum manifestæ sunt causæ remedijs manifestè contrarijs medemur: Ita morbis occultis succurrimus remedijs occulta proprietate repugnantibus: Occultum voco cuius vsus sensu solo & experientia innotuit. Repugnant verò remedia causæ morbificæ, si non ἐναντίως, vt calidum frigido, saltem στερητικῶς, vt vacuum pleno, vt enim Rheum bili quam vacuat non opponitur, vt aduersum, sed vt priuans: eo quòd illam trahit substantiæ similitudine: Sic Scorpius opponitur tantùm priuatiuè suo veneno, cui resistit admotus vulneri, dum illud forâs retrahit sympathia, for-

tassis potius quàm antipathia. Cur occulta remedia Galenus in artem non coëgerit, A nullumque habeant locum in medicina, sed seorsim explicari debeant (Ita enim ille 4. methodi, Medicina Empirica & Rationalis separatim explicari debet) iam pluribus explicandū est. Artes absoluuntur definitionibus, diuisionibus, & demōstrationibus, nil enim aliud continent. Atqui neque definiri possunt, neque in certas differentias distingui, multo minùs demonstrari specificæ proprietates, si quidem earum causæ ignorantur: præterea in omni disciplina debet hic ordo obseruari, ea serie & consecutione debent singula præcepta collocari, vt quæ præcedunt consequentium sint principia, ex iisque pendeant veluti conclusio ex præmissis, effectus ex causa: Atqui non possent medicinæ præcepta in eam methodum redigi, si manifestis occulta miscerentur, quia vix quicquam habent inter se commune, quinimo vix dicas, in quibus consentiant, & dissentiant inter sese, quæ vi & proprietate inexplicabili operantur: nisi fortè vt Aristot. omnes disputandi de re qualibet cōmunes locos B ad quatuor παραγγέλματα reducendo, artem descripsit, quam inde τοπικὴν appellauit: Ita sympathia & antipathia omnia ad certa capita reducas methodo iam cōstituta: quod etiamsi feceris, tamen difficile erit generaliora primò, specialissima postremò, subalterna medio loco collocare: propterea Fernelius, Non in docendo, inquit, sed in vtendo eorum artem requiro: de quo, vt constet ampliùs, ex Aristot. in politicis repetendum est, duos esse primos habitus mentis, ἐπιστήμην καὶ παιδείαν, scientiam & peritiam: quam videtur in metaphysico breuiore τρόπον ἐπιστήμης nominare, vbi scribit, stultum esse quærere scientiam ignorato sciendi modo, hæc duo sæpe disiuncta sunt, fieri enim potest vt rectè, quis sentiat, & id quod sentit peritè explicare non possit. Aristoteles passim veteribus vitio vertit ἀπαιδευσίαν, ignorationem methodi, maultque dici πεπαιδευμένον, methodicus præceptor, quàm doctus & causarum peritus: C multa quidem illi de natura scripserunt ante Aristotelem, plura de moribus, nemo tamen ea in artem redigere potuit, quia erant ἀπαίδευτοι καὶ ἀμέθοδοι, tenebant scientiam, docendi modum ignorabant: methodus est genius artis, de qua soleo illud Martialis interpretari.

Victurus genium debet habere liber.

Legitima enim collocatio, atque vt ita dicam, artificiosa concatenatio præceptorum scientiam parit in animo lectoris: Qui docet absque methodo, confuse docet, Chaos potius quàm scientiam relinquit in animis auditorum: Atqui proprietates occultæ, hoc ipso quòd sunt occultæ, sciri non possunt, quia verò nihil habent commune inter se, neque pendent posteriores ex prioribus, vt conclusiones ex principiis, effectus ex suis causis methodicè collocari non possunt: Reliquum est itaque D vt in vtendo tantùm, non in docēdo artem earum requiras, neque enim temerè, sed magna cautione & prudentia dispensari debent alexiteria, tam prophylactica quàm therapeutica, est cùm ad causam antecedentem priùs imperari debet commune remedium, vt ad plethoram venæ sectio, ad cacochymiam purgatio, quàm particulare alexipharmacum vsurpetur: vt cum morbus dat inducias: aliquando tam præsens est venenum, vt in peste spiritali, & diaria Britannica, necnon assumptis venenis, qualia meminimus huius libri decimo capite, vt communibus non possit esse locus, Nicolaus Nicolus scribit se nouisse quendam ducem qui habebat ad manum, tam perniciosum venenum, vt posset illius proiecti in prunas solo suffitu, quotquot essent in eadem aula, eodem extanti interficere, cum ipse assumpta priùs antidoto saluus & incolumis permaneret. Si medici consilium fuerit præcauere malignum ali- E quem morbum, vt pestem, ad προφάσεις primùm respiciat, vt de aëris intemperie corrigenda sit sollicitus, vsu quotidiano pillularum ruffi, quæ pestilentiales vulgo dicuntur, corpus purum reddat, cardiacis tam sumptis quàm admotis cor muniat. Si princeps sibi metuit à veneno, habeat ministros fideles, qui esculenta & potulenta prægustent, habeat suspecta odorata, quia venefici, odoris suauitate solent celare venenum. Suspecta sint etiam quæ sapore valdè sunt ingrata, quia venena eiusmodi sunt, paucis exceptis, vt sublimi, aconito & fungis, quorum esu Claudius imperator ab Agrippina sublatus est; quemadmodum Tyberius à Domitiano fratre, vsu leporis marini: Vtatur sæpe theriaca & mithridatio, sic enim Mithridates vitam suam à venenis & veneficis asseruit, quibus abundat Pontus. Quod si iam factū morbum velis expugnare, præscribasque non prophylactica, sed Therapeutica remedia, considera

considera si liceat per morbum generalia præmittere, alioquin à proprio alexipharmaco curationem exordire, si assumptum sit venenum, vide si vomitu, sudore, per
A aluum, an per vrinas citiùs possit excludi, malitia mox epoto lacte temperetur, vomitus verò oleo communi, Amygdalarum dulcium, excitetur: nam & hęc acrimoniam veneni obtundunt, vt iuscula pinguia. Quod si torsiones ventris iam descendisse venenum indicent, quando laborantem inuisis, da operam vt acri clystere foras attrahatur: Theriaca & Mithridatium sunt communia alexiteria, non tantùm curandis, sed etiam pręcauendis morbis malignis conuenientissima. Verùm ad præcautionem quotidie sumi debent parua dosi, vt scrupuli vnius pondere: ad curationem verò quantitate duarum drachmarum plus minùs dari debent vt possit esse vis maior antidoti quàm assumpti veneni, diluantur aquis cardiacis, vt cardui benedicti, scabiosæ, buglossi, borraginis: tormentillæ vel earum decocto: Addere possis syrupi de
B limonibus vel de parte acida citri vnciam vnam. Vtiliter etiam præscribuntur bolus armena, quia astrictione sua viam præcludit veneno ad cor, rasura vnicornis, Bezoar, & quę in officinis prostant electuaria cardiaca, vt diamargaritum & diambra, quibus permistis cum conseruis cardiacis, fiunt opiata: conditum: conferunt etiam epithemata ad regionem cordis ex cardiaco decocto, aut destillatis aquis, in quibus aliquod dictorum electuariorum diluatur. Aut applicetur cordi emplastrum ex conseruis buglossi & scabiosæ addendo theriacam aut mithridatium. Hodie vix vllum venenum veneficis est familiarius quàm sublime, quia ferè est insipidum, nec colore ingratum, certoque perimit, quia causticum: Tamen cristallus albus, eius alexiterium perhibetur, vt aconiti, succus aut puluis, rutæ syluestris: fungorum, stercus gallinæ, sumptum cum oxymelite, fortassis vt mures sublime depasti specie alimenti,
C euadunt, si mox frigidam affatim bibant, ita eiusdem largo haustu ardor poterit extingui, multa enim remedia ex animalibus maiores nostri didicerunt. Quid si venenum sit admotum non assumptum? vt si ἰοβόλον ζῶον, venenatum animal, ictu, vt Scorpius & Phalangium: Aut morsu, vt serpens & canis rabiosus, in cute venenum reliquerint? Dabis operam quàm cito fieri poterit vt retrahatur. Conducatur villicus qui illud sugat, alioquín admoto deplumi podice galli, idem tentetur, occludatur illi rostrum vt trahat potentius: In locum demortui nouus subinde substituatur, aut cucurbitula vel corniculo idem tẽtetur. Metasyncritica ad eum finem commodè vsurpantur, vt emplastrum vulgare ex cæpa cocta sub cineribus calidis, adiecto pauco mithridatio, terantur cum oleo liliorum addendo fermentum: Item scarificatus profundus, cum sanguine virus educit: Actuali cauterio nihil est præsentius, igne enim
D domatur veneni genus omne, quo in principio vtendum est priusquam virus peruaserit ad interiora: Ignem si formidet æger, substituatur potentiale, Gal. consilio pars lethaliter icta, quàm cito fieri potest amputetur. Ita enim vinitor morsus à vipera mox absciso digito mortis periculum effugit.

Ad impediendam putredinem, & superandum si quod sit venenum in ictibus sclopetorum, initio soleo vti præcipitato, vulnus à serpente aut rabido cane inflictum, aqua forti vtiliter attingo. Interim aut arcto vinculo viæ occludantur, aut suprà partem læsam commune chirurgorum defensiuum apponatur, dentur communia alexiteria si propria ignorentur, neque enim facile est veneni speciem citò distinguere, neque etiamsi cognoscatur, protinus illius proprium alexipharmacum succurrit. Qui volet plura cognoscere, legat librum tertium Fracastorij de morbis contagiosis:
E Aut potiùs Gal. de antidotis, & methodi medendi lib. decimo tertio, vbi addit vacuantibus manifesta aut occulta qualitate alterantia. Cæterum interpretum veneno docet sexto de locis affectis his signis internoscere. Si sobrius & sanus repente obierit, nausea aut vomitu præcedente, deliquio, Cardiogmo, Torsionibus ventris: Si cutis liuida, nigra, vel maculis rubris conspersa appareat.

FINIS.

IOANNIS RIOLANI DE PRIMIS PRINCIPIIS RERVM NATVRALIVM LIBRI III.

PRAEFATIO.

DE ÆMVLA EXERCITATIONE.

HOMO in ampliſſimum hoc mundi theatrum, tanquam ad emporium demiſſus, intellexit naturæ lumine res varij generis, tanquam merces ſibi obiectas eſſe, quarum excitatus pulchritudine, mirari primùm, tum demum philoſophari cœpit: ſortitus autem habitationis locum medium, ex quo tam cœleſtia quàm terrena contemplaretur, ſpretis caducis & vilioribus, in diuiniora & ſubli- miora mentis aciem direxit: quæ cùm Deus ſuis theſauris concluſiſſet, ſibíque vni ſcientiam, dæmonibus opinionem rectam, homini lubricam tantùm & ancipitem conceſſiſſet: ſuos conatus eludi ſentiebat, qui Tantalus alter in medijs ſcientijs, velut vndis, continua enecaretur ſiti. Quare tanta difficultate deſpondiſſet animum, niſi eius inopiæ miſertus Deus Opt. Max. ſapientiam natura & origine cœleſtem participatione terrenam fieri & in humanum conſortium venire permiſiſſet: Quod vt commodius perageretur, eius ſymbola veriſimiléſque coniecturas noſtris animis inſeuit, vt in magia cecinit Zoroaſter, tantíque nectaris ſuauitate

Inſperſit nobis labia areſcente palato.

Labore tamen illam vendidit, quem inſtituit peruigilem cuſtodem, cum quo prius nogotium eſſet habendum, quàm ad eam pateret aditus, ſolóſque φιλοπόνους, ſeu laboris patientes ad eius conſuetudinem admiſit, ratus indignum à φιληδόνοις & otij ſectatoribus rem tam ſacram illotis manibus attrectari, & inquinari. Ecquis enim (vt res iſta rationis ſubducatur calculo) eum dixerit Imperatorẽ, qui ſe fugæ prębeat ducem? quis eum pro gubernatore habeat, qui maris fluctus reformidet? Quis eum agricolã, qui vel minimo fractus labore fodere aut arare recuſet? Deme ab Achillis hiſtoria Hectorẽ & Scamandrũ, ab Vlyſſis nauigatione labores, quid ſupererit quo gloriã immortalem mereantur? Tolle Athenienſibus pugnam Marathoniam,

niam, succisam manum Cynegiri, Polyzeli infortuniũ, Calimachi vulnera, quid aliud præter Cecropis & Erecthei fabulas inanes ad gloriam relinquetur? Aufer ab Hercule congressus cum feris & præpotentibus tyrannis, quid erit reliquum quo iure glorietur? Tolle à Platone & Aristotele labores susceptos, iuuandæ posteritatis causa, quo iure consequentur immortalem laudem? At poterat Achilles securè Mirmidonibus imperare, Thessalicam terram excolere, ac Pelei senectutem alere. Poterat Vlysses otiosus domi desidere, vel apud Calypso in vmbroso antro senectute & mortalitate depulsa perpetuò degere: poterat Plato apud Dionysium, vt Aristoteles apud Alexandrum viuere delicatè: poterat Iupiter mollem & otiosam vitam Herculi suo concedere, quem vnicè diligebat, & in quo exemplar humanæ vitæ exprimebat: Continuis tamen eum exercuit laboribus toto vitæ cursu, vt ijs intermedijs ad sapientiæ fontem secunda nauigatione perueniret. Sit ergo labor Philosophiæ consequendæ certa & tutissima via, hominibus diuino fauore concessa.

Cum labore verò æmulam exercitationem coniunxit, & arcto vinculo sociauit, vt vnum sine altero nihil aut minimum posset: Iustum opus certè, & si quid aliud, planè diuinum. Nec enim insigni præconio victor declaratus, vel in olympijs oleam, in Pythijs pinum, in Nemæis apium, in pugillatu lemniscum emeritus est vnquam, qui solus decertauit secum: sed æmulo athleta opus est, cum quo te strenuè exerceas, non est victoria sine certamine, nec virtus sine hoste. Præclarè siquidem, qui conseruandam esse Carthaginem consulebat, quia iuuentutis Romanæ acueret industriam, & cum ea laborum perituros esse aculeos præsentiret. Nam cùm plurima sese offerant in antiquis Respubl. laudabilia, præ cæteris in Romana, Atheniensi, Lacedæmonia, & Cretensi, succurrit mihi commendatione dignissimum, quod Romani cursum, discum, saltum, luctam, & pugillatum: Athenienses panathenæa, schirrophoria, aloa & appaturia: Lacedæmonij hyacinthia, choros & gymnopodias: Cretenses in venationibus & montanis itineribus iaculandi, currendíq; præmia, exercendæ iuuentutis gratia instituerint.

Quos apud & pueri primæuo flore iuuentus
Exercentur equis, volitántque in puluere currus,
Aut acres tendunt arcus, aut lecta lacertis
Spicula contorquent, cursúque ictúque lacessunt.

Quorum exemplo Virgilianus Aeneas:

Si quisquam voluit rapido contendere cursu,
Aut iaculo incedit melior leuibúsq; sagittis,
Seu crudo fidit pugnam committere cæstu:
Inuitat pretijs animos & præmia ponit,
Dat palmæ pretium victoribus, armáque & ostro
Perfusas vestes, argenti auríq; talenta.

Sed cur externa quæro exempla, qui domesticis abundem? quis non videt hac tempestate virorum doctorum æmulationem artibus omnibus, dicam & Theologiæ, tantum decus peperisse, vt nihil antiquo seculo debeat hæc ætas inuidere? Philosophia quæ trecentis sexaginta annis plus

minus sepulta iacuerat, & infinitis nugis extincta occiderat, æmulationis beneficio sic reuixit, cuique vt liberum sit dicere:

Sumpserunt artes hac tempestate decorem,
Nullâque non melior quàm prius ipsa fuit.

Miraris ergo (Lector) si fortè scholis P. Rami, vt Cæsar Alexandri, aut Themistocles Miltiadis tropheis excitatus, laboribus philosophiæ causa susceptis, æmulam exercitationem coniungam, solidioribúsque studijs aliquot horas suffurer, quas tanquam succisiuas Antischolis impendam? Mirare potius stipendiarium benedicendi professorem in maledicendo bonas horas consumere, bonáque destruere omnia, nihil ędificare: eóq; magis, quòd hoc faciat tam liberè, ne dicam impudenter, vt in hoc, Regis stipendijs militare videatur: Mirare etiam, quod Dares Entellum, Epeus Titillinum, Tidæus Lasthenem vel Milonem, non dubitet in eam arenam vocare, in qua robustissimos Athletas supplantauit. Aristotelem intelligo, qui veterum Physicorum opiniones tam mirabili sapientia conuicit, tantáque ingenij fœlicitate naturæ causas descripsit, vt vna voce & præconio sapientum omnium proclametur:

Naturæ interpres exortus vt ætherius Sol,
Aequandus superis ac tanquam numen habendus
Quique sapit solus, reliqui velut vmbra vagantur.

Aristotelem dico, inquam, cuius dispendio P. Ramus Physicæ sacris vix initiatus, Physicus videri vult, gradúmque sibi munit ad gloriam cum eius ruina, cuius vmbram referre, vel si se ruperit, non possit. Ego enim minimus eorum, qui cum aliqua nominis celebritate Philosophiam profitentur, recipio periculo meæ famæ, obiectioni qua putabit illum vrgeri vehementius respondendum ex tempore; nec me prius inde cessurum promitto, quàm illi pro sua reposuero meliorem. In hoc genere rerum scio, non erit Patroclo petendum præsidium ab Armis Achillis aduersus Hectorem talem. Enimuerò si ταυτολογίαν, κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, καθ' ὅλου πρῶτον, & vulgares aliquot obiectiúculas ab Interpretibus emendicatas, (subtiliores enim ne attingit quidem) de illius scholis subtraxeris, quid erit reliquum quod facessat negotium mediocriter erudito? At quæ obijciunt Interpretes, ipsimet dissoluunt tum (quod eius scholas legentibus occurrit frequentissimum) Aristotelem ταυτολογεῖν, qui iubeat omnia dici semel: Ramus ipse aut non intelligit, aut dissimulat. Nihil enim eodem modo acceptum, bis docendum, ratum est & constans. Sed nihil vetat, quin necesse est, idem, etiamnum in eadem arte, sæpius inculcari. Aliud enim est in artis limine demonstrare, aliud in artis progressu vti demonstrato, nam ex eodem principio tanquam ex fonte riuuli innumerabiles emanant conclusiones, quibus docendis toties illud accōmodari potest, non tamen toties doceri. Probet Ramus Aristotelem idem bis docuisse in eadem arte, vel in diuersis: hoc si possit, per me vicerit. At non possit, nisi fortè obijciat illum de definitione præcepisse in Analyticis libris, in Topicis, & sexto Philosophiæ: vel causarum doctrinam in Analiticis, Physicis, & Metaphysicis libris iterasse. Verùm respondemus, eiusdem rei considerationem diuersam non tantùm postulare, vt in artibus

diuersis

diuersis variè tractetur, sed nonnunquam diuersas artes constituere: Vt puta, Ethica, Oeconomica, & Politica, re ipsa, non specie modò, sed numero vnum & idem habent subiectum, sola distinctum ratione: sunt tamen tres artes differentes: Atqui definitionis multiplex est ratio. Aut enim quæritur quomodo sit definiendum, aut quibus legibus iam constitutæ definitiones examinandæ sint, aut quæ & qualis sit illa definitionibus expressa essentia. Primum Philosophi omnes (quorum est definire) repetunt, & discunt, ex Analytico, secundum ex Dialectico, tertium ex Metaphysico. Nihil itaque mirum, si de definitione pro diuersa ratione non idem certè, sed longè aliter, alióque fine Aristoteles præceperit. De causis respondeat filius Rois: duas esse Metaphysicas, quia sint expertes motionis, formam & finem: totidem Physicas, materiam & efficientem: quæ cum mutuò sese declarent, nec vna sine altera perfectè cognosci possit, omnes ab vtróque considerari: sed à quolibet duas per se, totidem ex accidenti. Vel potius, Physicum ex officio causas omnes cognoscere, quia res naturæ fiunt ex materia, per formam, ab efficiente, aliquo fine. Metaphysicum de illis omnibus agere eo tantùm fine, vt perquirat quænam earum sit absolutè prima: Logicum verò, quænam earum sit potior ad demonstrandum explicare. Verùm perge, & de tribus capellis, vt de Tautologia breuiter responde. Aristoteles describens accuratissimæ demonstrationis naturam, optat in primis vt affectio propria insit in omni subiecto, per se, & vniuersim primo: P. Ramus tanquam de regendis artibus hoc loco præcipiatur, omnes ad istas leges seuerè exigit, acsi artes omnes essent apodicticæ. Perinde peccat, inquit Præceptor, qui desiderat in Oratore demonstrationem necessariámue probationem, quàm si Mathematicum vellet audire suadentem, & rhetoricis argumentis dicentem. Sunt enim artes, quæ nisi doceant per causam, à proprio recedunt officio, aliæ quæ si demonstrent, faciunt supra officium: quales ille perhibet, Ethicam & Dialecticam, in earúmque ordinem adscribere possis cum Physica omneis quarum subiectum declinat in materiam: aut enim non demonstrant, aut minus perfectè demonstrant. Cùm Aristoteles primo de Demomstratione docet, nec sursum nec deorsum versus infinita esse extrema in Apodicticis disciplinis, subiungit: ἐπὶ τῶν ὅλων ἐστιν, de quibus hoc opere præcipimus, ex quibus sic ratiocinamur. Aristoteles in Analyticis libris, de Philosophicis tantum Apodicticísue disciplinis præcipit (quod ratione & interpretum testimonio comprobare possum.) Atqui omnes non sunt eiusmodi, itaque falsò P. Ramus promiscuè & sine discrimine Analyticas regulas ad artes omnes accommodat. Addam non omnes disciplinas Philosophicas demonstrare semper accuratè, immò non demonstrare semper, puta cùm refellunt falsum: quem docendi modum Platoni & Arist. familiarem non semel commendat M. Tullius, eundémque (vtinam parum negligentius) obseruat Galenus. Ad hunc omnes ita cohortatur Aristoteles postremo capite septimi Ethic. n: Non solùm verum enuntiandum est, sed causa etiam afferenda est, cur quidque sit falsum: hoc enim plurimum prodest ad faciendam fidem. & eiusdem libri capite septimo: Necesse

est, quod vbique facimus, proponere primùm quid de continentia & incontinentia vereres senserint, & in vtrámque partem disputare: Nam A si soluantur difficilia, relinquantúrque probabilia, erit explicatum satis. Tum primo ad Eudemum: falsarum, inquit, opinionum refutatio, est inuentio veritatis (Interpretes ἀπορίαν vocant ἀρχὴν εὐπορίας, dubitationem, inuentionem veri, cùm scientia sit finis quæstionis) fallit ergo & fallitur Aristarchus, dum artes omnes his tribus regulis examinat, & regit. ac proinde, vt eò redeat vnde cœpit oratio, nihil est in eius scholis Logicis, Physicis, aut Metaphysicis, quod non quiuis mediocriter doctus facilè dissoluat: Ausímque si fortè descendero in hanc contentionem, certam mihi polliceri victoriam. πεδίον ἵππῳ. Sed manum de tabula: Metuo enim ne B πάρεργον, opus ipsum superet, & in ampliorem molem excrescat oratio mea quàm ferant leges præfationis. Eam igitur concludamus illo tam nobili, & quidem digno, quod aureis literis in foribus suarum Scholarum scribebant omnes Philosophiæ Professores, Plutarchi edicto: Eorum omnium, qui scribunt in Aristotelem, & si tota disciplina sapienter instituta sit, tamen propter audaciam criminandi à cœtu Philosophorum excludantur.

C

DE PRIMIS PRINCIPIIS RERVM NATVRALIVM

LIBER I.

CAP. I.

D

Principivm aliud est rei, vt vnitas numeri, aliud rationis, vt omnis trianguli duo recti: hoc definitur ab Aristotele propositio immediata: diuiditúrque in axioma & thesin, Thesis in hypothesin & definitionem: Illud diuido in causam & elementum, appello causam quo quid fit, elementum quo insito fit: ad quam causæ & elementi distinctionem videtur respexisse Aristot. cùm naturam tribus principijs constitutam 1. Physic. ad quatuor causarum differentias reduxit, eiusdem operis 2. Cùm enim quærimus de rebus tam artis quàm naturæ, ex quo factæ sunt, per quod, à quo, gratia cuius, eas indicamus fieri ex materia, per formam, ab efficiente, aliquo fine. Elementorum verò Auenrois cum Aphrodisæo constituit quædam prima, duo constitutionis, materiam quippe & formam: vnum mutationis, nempe priuationem: quædam secunda, ignem videlicet, aera, aquam & terram: quibus singulis, vel omnibus cùm veteres Physici vsi sint pro primis: eorum opiniones & rationes, si quæ sint operæpretium fuerit in primis commemorare, vt illis comparatus Aristot. qualis est manifestius appareat. E

Principium naturæ aut est vnum aut multa, si vnum, mobile vel immobile, si multa, finita vel infinita: Si sit vnum, idque immobile, vel finitum, vt placuit Parmenidi, vel infinitum, vt Melisso. Cuius opinionem quamquam de prima & communi rerum omnium materia interpretentur Peripatetici, Xenophanes tamen suspiciens

*Sic Galenus Com. in lib. Hippocr. de Nat. hom.

A piciens in cœlum, rerum omnium vnum & commune principium agnouit, quod nominatim appellauit Deum. Hoc persuasit Parmenidi, Parmenides Melisso, Melissus Socrati, Socrates Platoni, sicque per manus hereditaria quasi successione ad omnes gentes deuolutum est, fœliciterque propagatum. Verùm cum Parmenides lib. de Verit. & opin. illud ὄντ ἕν nominasset, quia Deum ἀνώνυμον conuenientiori quam ὄντως nomine exprimere non posset, cùm ipse solus verè & per se sit, cætera per eum, reprehensionis occasionem præbuit Aristot. verba potius quàm sententiam insectanti, vt ab Interpretib. quantumuis illi deuotis extorsit veritas: vnus Scegkius, de Peripatetica, atque adeò de vniuersa Philosophia tam bene meritus, quam qui optimè, fidelior videri voluit, & trinitatis Theologia Parmenidem oppugnauit, quasi duodecimum Philosophiæ concludens Aristoteles Homeri illo versiculo:

Ita Deus ipse Mosi ἐγώ εἰμι ὁ ὤν qua de re multa Plutarch. in particula ει.

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω,

B Εἷς βασιλεὺς———.

Manifestè Parmenideus non fuerit, aut vnitas trina fuerit notior Aristoteli quàm Parmenidi: quasi Aristoteles ἀφ' ἑνὸς, ex vno deriuans omnia eadémque πρὸς ἕν, ad vnum reducens, idem omnino cum Parmenide non senserit. Ergo, inquies, diuinum hominem de vno rerum omnium principio diuinè sentientem malitiosè traducit, minimè verò: sed ne cœlum terræ & sacra prophanis admisceret circumspectus vir, cùm intelligeret, Deum non physicarum modò, sed peræquè omnium rerum esse commune principium, à Physica tanquam heterogenes ablegauit, & ad Metaphysicam remisit. In quo quàm diuinior fuerit P. Ramo (quem non puduit Deum physicæ artis physicum principium appellare) satis pro dignitate quæstionis alias
C disserui, ad elementa igitur, vt instituti mei ratio postulat, accedo.

TERRAM ESSE PRIMVM ET ANTIquissimum principium rerum naturalium.

CAP. II.

VM in hominum & naturæ politia quod alijs præstat iudicetur primum; Compositiora autem quia finitiora simplicioribus præcellant, vt totum partibus, μεγαλομερὲς elementum primi principij titulo salutandum pro Hesiodo & Pherecide non absurdè quispiam contendet. Neque profectò deerunt rationes, quibus præter autoritatem tantorum
D virorum suam propugnet sententiam. Quod enim est motus & mutationis expers, omnes habent loco principij, at terra neque transmutatur, neque mouetur loco, eamque ob id proprio & distincto principio, Isoscele videlicet, non vt cætera elementa Scaleno Pythagoræi & Platoni componunt, eam igitur non absurdè primum principium aliquis appellarit. Sed enim cùm mutatio omnis fiat in contrarium per medium aliquod: aer autem humidissimus, siccissimæ repugnet terræ, per intermediam aquam transmutaretur in aera. At quis vnquam terram dissolui in aquam obseruauit? rarescat quantum voles, abibit in xysmata, vel si quæ fingere liceat minutiora, in aquam minimè: non nego equidem si terrestre corpus aqueum aliquid habuerit admixtum, id totum vi caloris excretum, solutum iri in aera: sed terræ molem rarescere in aquam, nemo prudens crediderit. Aer frigore cogitur in aquam,
E aqua solidescit in terram, sola terra permanet immutata, quam propterea Plato in Timæo eorum omnium quæ sunt intra mundum antiquissimam, tum communem omnium rerum matrem & nutricem appellat. Cuius numen, inquit Plutarchus, Græcis omnibus semper fuit pretiosum, nobis verò patrium est institutum eam vt deam venerari. Hanc propter incredibilē vsum, Latini opem, Græci φερέσβιον καὶ βιόδωρον, quòd victum & vitam animantibus omnibus largiatur, appellarunt. Pythagoræi ob pulchritudinem, speciosam stellam. Mitto ex eius visceribus erui fossilia & mineralia hominibus tantopere necessaria, vt sine illis viuere fortassis, sed commodè viuere non possint. Tum quod nascentes excipit, natos alit, seruatque editos, quos à reliqua natura abdicatos tum maximè vt mater operit. Gentes quas peperit resumet denuò, vt in terram puta in cineres abeūt omnia, sic ex terra primū genita sunt, diluitur aqua vt sit formabilis & sequax materia. Hæc inquam, & huius generis alia præ-

Dis à Græcis πλοῦτων dicitur, quia recidāt omnia in terras & oriātur è terris.

Lege ad hæc Pliniū lib.2.c.63.

termitto, quia excresceret in immensum oratio, si omnia eius commoda minutis, A
quod aiunt, punctis colligere, & recensere vellem, quæ vel ipsæ belluæ sentiunt & agnoscunt, eáque medius fidius si loquendi facultatem accepissent, à natura, non ingratæ loquerentur.

AQVAM ESSE PRIMVM PRINCIPIVM rerum naturalium. CAP. III.

THALES ille qui propter diligentem rerum naturalium inquisitionem sapientis meruit nomen, cum obseruaret lapides humoris aquei concretione generari, plantas siccitate marcescere, arbores defrondescere, humiditate verò pullulare, virere, nutriri & accrescere, ac si de cœlo cadens pluuia animam inde vitalem attulisset. tum humore aqueo B
fertilem terram animantibus suggerere alimentum: (Quamuis enim apud Hippoc. ignis & aqua sint prima principia, Tamen multa animalia sine igne viuunt, sine aqua nullum) considerans præterea fœcunditatem maris quod animalia longe plura & infinitis partibus maiora producit quàm terra. Tum animalia terrena tam perfecta quàm imperfecta eorumque partes omnes, humore aqueo procreari & nutriri, vt carnem sanguine, Ad hæc ignem ipsum elementarem non aliunde nasci quam à vapore elato sursum & rapida cœli conuersione inflammato, quo astra ipsa nutriri multi primæ classis philosophi defenderunt: aquam denique vt nobis, ita cæteris omnibus, ortus & accretionis dare principia, aqua nihil esse prius asseruit. Quam opinionem confirmauit auctoritate Hesiodi & Homeri, qui nihil aliud videntur innuere, dum Oceanum & Thetin fingunt primos omnium parentes. Eandem auxit C
antiquiorum Poëtarum non inanis fictio, fabulantur enim Deos olim per aquam velut per numen antiquissimum iurasse quasi cum iuretur per prius & nobilius, dij ipsi nihil antiquius, nil perfectius nouissent aqua. Accedat Ægyptios eius numen coluisse, & magorum decreto expuere in mare grande fuisse nefas & sæua morte piandum. Tum ἴλω apud Syros & Chaldæos aquam significare: atque (quod est maius) sacris literis aquam perhiberi materiam cœli, hoc enim sonat Schamaim: mitto Deos, homines & vrbes, à fluuijs tanquam à rebus præstantissimis olim accepisse nomina. Taceo aquarum miracula vsusque incredibiles, quos sensit antiquitas, & experta loquitur nostra hæc ætas. Quid potest esse mirabilius aquis in cœlo stantibus, cadentes omnium terrâ nascentium causa fiunt prorsus mirabili natura, si quis velit reputare vt fruges gignantur, arbores fruticésque viuant, denique si quas habet vires terra acceptas debet aquæ: si ἀγαθὸν ἀπὸ τοῦ ἀγᾶσθαι, non ἀπὸ τοῦ ἄγειν dicatur, quod D
hominibus admirationem sui concitet: proinde quis non videt aquam reuerendam esse loco summi boni, cum nihil admirabilius nobis objiciat natura æstu & reciprocatione maris, nil stupendum magis quàm assiduos eiusdem fluxus & refluxus, vbique locorum tam varios & difformes, vt viri docti quæstioni succumbentes, maluerint aquam magnum animal appellare, quam ad motus Lunæ & influxus confugere. Hoc solum adjiciam, sapientem virum, opinionem hanc imbibisse ea potissimum ratione quod cum eorum quæ gesta erant ante nouimestrem inundationē nihil audijssent aut legissent Græci (ad eos enim serius peruenit Gen. Mosis) inde suam historiam exorsi sunt tanquam à prima mundi origine, atque Noa (qui illis est Ogyges, Latinis Ianus) nomine primi parentis coluerunt, eundémque idcirco E
chaos tanquam rem omnium primam & antiquissimam appellarunt: sic enim ipse loquitur apud ingeniosum Poëtam,

Me chaos antiqui, nam sum res prisca, vocabant.

Si quis ergo sciscitetur causam cur primis seculis terra gigantes & supra modum proceros homines aluerit, vt sacræ & prophanæ historiæ testantur monumentorumque reliquiæ ostentant, nunc verò pusillos & eorum comparatione pygmeos, non erit adscribenda gentium permixtioni & adulteratæ victus rationi cum Cardano, hinc enim fortassis vitæ diuturnioris, non magnitudinis & accretionis causa duci potest: nec matrimonijs ante iustam ætatem permissis cum Syluio, non enim procerior nascitur fœtus adulto semine quàm adolescente, nec magis confert ad amplitudinem corporis Platonis edicto mulieribus interdicere congressu ante vigesimum, viris

Ἄριστον μὲν ὕδωρ: Optima aqua, Pindarus.

A viris ante trigesimum annum, quam maribus decimoquarto, fœminis duodecimo pubertatis anno iure Romano permittere: sed in humoris copiam causa referenda erit. Quando enim astra conuenerunt in Capricornum, generalem cataclysmum pepererunt, atque tum velut apertæ essent cataractæ cœli, nouem continuis mensibus inundauit terra: dominante ergo humore, qui sensim minuitur mundo ruente ad ἐκπύρωσιν, vbertatem seminum exustione consumente, in quam nunc vergit æuum vt loquitur Plinius: quid mirum si illos grandiores, nos exiliores fecerit natura? ex quibus liceat obiter vulgi querimoniam reprimere: admiratur enim antiquitatem, & patrum fœliciores animas nostris altius exeruisse caput quotidie queritur. At natura æquabili iustitia prudenter dispēsans omnia, corpori simul & animo fauere non solet, quippe cum animus vt auriga currui impositus corpori, illud quò valentius
B est difficilius regat, eiúsque motibus à libera contemplatione auocetur. Vnde Samanæi, quoties corpus bene habebat, eo soluebant animum, cum quo credebant tum agi pessimè: quibus esset persuasum sanitatem corporis esse morbum animæ. Quamobrem vt Milo corpore vir, animo fœmina fuisse perhibetur, sic eo iure quo Euripides nos infantes dixit, primis hominibus comparatos, ego spectans animæ perfectionem non vt ille corporis, illos infantissimos ausim appellare: quod ita paucis efficio. Cum vnoquoque tum feliciter agitur, cùm ad naturæ suæ perfectionem, vel omnino, vel proximè peruenit: atqui animus mūdo ruente ad ecpyrosim, igneæ suæ naturæ fit propinquior. Ergo decrescente corpore tantundem succrescit, viresque indies acquirit. Sed nos verborum quàm rerum curiosiores idiomatum varietas impensius oblectat (nemo enim hodie doctus habetur qui non sit πολύγλωσσος καὶ πολύϊστωρ,
C etsi causarum sit peritissimus) ad laborem nullis præmijs aut honoribus inuitamur, nobilium exemplo adiicimus animum equis, venationi, lyræ, choreis potius quàm solidioribus disciplinis, quæ videntur pene omnes transiisse ad seruos, quæque ἐλευθέρια olim credebantur, hodie ab ingenuis adolescentibus solæ ediscuntur, quid multa? contemptus liberalium artium in mores, non in naturam referendus est: nunquam enim animus fuit ingeniosior quàm hoc seculo: sed ingenium conuerti solet in prauos vsus.

Omnia pōtius erat. Lege Senecā. 3. naturaliū quæstionum. Sic Gal. ad Thrasybulū, athletæ robustißimi, in actionib. honestis sunt ignauißimi, nec à suibus differunt ingenio. Sic Galenus 4. de vsu par. c. 13. Meminisse semper oportet Platonicæ sententiæ, nos ditiores sapientia ad senectutem peruenturos, si nomina neglexerimus.

AEREM ESSE PRIMVM PRINCIPIVM rerum naturalium. CAP. IIII.

D ANAXIMENES obseruans aeris & aquæ mutuam transmutationem, vtque ex aqua calore rarefacta, aera, ita vicissim ex aere vi frigoris concreto, aquam generari, id autem habendum potius pro principio quod est simplicius, quia constat primam sui operis fabricam à simplicioribus naturam exordiri, omniumq; sapientū consensu receptum est λεπτομερὴς, elementum esse primum, ob idque, vt est tertio de cœlo, terra ἁδρομερὴς, paucos eósque parum philosophos, inuenit patronos: maluit aeri, quàm aquæ principatum deferre: non iniuria sanè. Aer enim nuntius sonorum, mediator cœli & hominum, colorum interptes, delator odorum, autor spirituum, cum sit ἀναπνευστικὸς, suáque tenuitate & mobilitate quouis permeet, ἀναπλαστικὸς, generabilium omnium formator, videtur. Qui dum se vi & agitatione propria sustinet, terræ molem creditur à lapsu cohibere, Hippocr. & Plin. terræ vehiculum appellant: cuius in vita humana tanta
E est necessitas, nedum commoditas, siue respirationis spectes vsum, siue spirituum, siue primigenij humoris: vt non modò vitæ seruator, verumetiā anima ipsa videatur. Enimuerò si anima dicta sit quasi ἄνεμος, sitque animalis spiritus eius substantia, vel potius aer calidus, vt putabat Diogenes, quis audeat negare aerem esse formatorem & autorem vitæ? cedo, quid occurrit in natura potentius, quid in hac rerum vniuersitate admirabilius vento? cuius numen pleræque nationes adorarunt, eíque tanquam iustitiæ diuinæ ministro, gētes multitudine innumerabiles, vota solemnia rediderūt. Cuius flatus & reflatus interpolatos, quis non miretur potius quàm fluxus & refluxus maris? præsertim cum intumescat mare, & in amplissimam exurgat molem, nō aliam ob causam, quàm spirantis venti & incubantis spiritus quandoque insiti vel ex terræ visceribus erumpentis furore? At ventus nihil est aliud quàm commotus aer, vel aeris spiritus ex se, si mauis à sole concitus. Ecquid, obsecro, terræ motu formidabilius? at

Aeris vi suspensa libratur medio spatio tellus. Plin.

illum aer excitat dum apogæis conclusus velut è carcere tentat se in libertatem asserere: cui si per artificiale spiraculum feceris copiam exeundi, terram nec quatiet, nec mouebit loco. Admiranda est igitur aeris potentia, cuius beneficio ignis ipse viuit, quippe qui conclusus extingueretur, nisi per rimulas sese insinuaret aer, cuius appulsu recreatus, videtur in alteram vitam restitui. Aristoteles Anaximandri principium commendauit, quod referret imaginem materiæ primæ, at ista commendatio sequestro aeri potius conuenisset, quem propè dixerim materiam primam, manens enim idem ad numerum, omnium qualitatum vicissitudines admittit, incalescit, refrigeratur subinde, humescit, siccescit. Quod si elemẽtum naturalem qualitatem nunquam, aut ægrè deponat, quis non fateatur mecum aeris nullam esse propriam, qui omnes peræquè induit, exuítque? vnde quæso, physicorum industria notauit quatuor temporum discrimina, æstatem, hyemem, ver & autumnum? an non ex aeris immutatione è qua status nostræ vitæ dependet? Cæterùm exhalatio ignescit, non vapor, nec humore aqueo, crasso, & graui consentaneum est nutriri cœlum tenerum & rarum: sed aere potius subtili & agitabili, quem euehit secum, & attollit quotidie in altum radius solis: nec dubium est vitam animalium humoris beneficio prorogari, & in multos annos produci, sed aerio potius quàm aqueo, quo abũdat pituitosa senectus, quid enim naturæ magis inimicum quàm frigus? Humor primigenius in quo vita radices agit, est aerius spiritus, naturalis, vitalis, & animalis, sunt aerij: quid multa? aeris beneficio spiramus. A B

IGNEM ESSE PRIMVM PRINCIPIVM rerum naturalium. CAP. V. C

ERACLITVS ille σκοτεινὸς, superiore fundamento subnixus asseruit ex Zoroastro πάντα πυρὸς ἐκγεγαῶτα, omnia ex igne genita, húncque cum sensu & ratione cognosceret μικρομερέστατον, tenuissimum & simplicissimum, λεπτότατον, agilissimum, λαμπρότατον, splendidissimũ, καὶ ἐνεργότατον actuosissimum, maluit illum honestare titulo primi principij, quàm aera vel aquam: Quinimo Deum definiunt, Ignem æternum vniuersum ambientem: Laudo: nihil enim ad animæ, & animati naturam accedit propius, qui non tantum mouetur sponte, sed etiam suo splendore illustrat, patefacítque omnia. Cuius vita expers omnino putredinis (quod de aere & aqua non dixeris) tum deprehenditur manifestè cum extinguitur, stridet enim & vociferatur, quasi conetur se ab interitu vindicare, non aliter quàm animal violenta nece iugulatum. Quibus argumentis non tantũ animal, sed anima ipsa visus est Hipp. D idémque placuisse veteribus Physicis autor est Plato in Cratylo, de quo videtur ambigere Galenus, nec sibi ipsi constare. Zeno continentem causam, quæ Stoïcis est omnium prima, & diuinissima, non aliam existimauit quàm ignem omnia permeantem, quo animata, inanimatáq; omnia vbique locorum generari ipso sensu haberet exploratum: ob idque ζωὴ quasi ζέουσα calida, & feruens substantia à Græcis dicitur. eundem Pythagorei Διὸς φυλακὴν, custodiam Iouis nominarunt, inuenítque olim apud Medos & Assyrios Barbaricos honores: eidem sacra fecerunt Persæ aperto capite iniecto pabulo his verbis acclamãtes: Ede ignis domine. Romani sub Vestæ numine ignem sempiternum coluerunt. Cuius principatui fauent quotquot ἐκπύρωσιν, periturum mundum arbitrãtur. Eadem enim cum sint ortus quæ interitus principia, vt postremò mundus occidet in ignem, ita primum ex igne genitus est. Hoc tamen incendium (vt aliquid obiter interiiciam) Peripatetici audiunt inuiti, qui doceri posse negant vnius elementi tantum esse ius in cætera, ea vt in se trãsformare possit, aut enim, inquiunt, suapte natura hoc posset, aut esset minister excellentioris potentiæ. Si natura sua, aut illa sensim mutaret, aut simul & confertim, si simul cur ad hunc vsque diem feriata est? si sensim, quomodo tot retroactis seculis vicinum aera non exussit, seséque adhuc tanta vis occuluit? forte superior potentia impetum illum continet, cuius tandem vtatur ministerio. Qui scis? præstabat enim illam non indidisse, quæ tandiu langueret otiosa, & domino suo in impetu regendo negotium potius quàm otium facesseret. Vtut sit, nihilo deterior erit ignis conditio, sed cæteris saltem prævalebit elementis. E

Idem placuisse Empedocli scribitur 2. de ortu, tum primo & tertio de anima, quibus locis refellitur.

Lege Plutarchum lib. de cõmuni notione aduersus Stoicos.

AN

A

AN ARISTOT. COGNITVS SIT IGNIS elementaris, appendix ad superiorem doctrinam.

QVIA non desunt qui elementarem ignem ignotum Aristoteli constanter affirment, audenterque negent aeri & lunæ elementum vllum interiacere, ne superior de igne disputatio inanis videatur, necesse est paucis eius hac de re sententiam explicare, aduersariorúmque rationes imprimis proponere: ne, quod aiunt, indicta causa damnari videantur. Prima autem talis est: calor & siccitas, ignis, sicubi sit, natiuæ sunt qualitates: At Aristoteles supremam aeris regionem passim calidam & siccam appellat. Secunda, quod eandem aeris regionem non semel scripserit esse contiguam cœlo, propterea que ignescere, & in orbem moueri. Tertia tenuius & subtilius esse elementum quod obiectum traijcit permeátque facilius, tale autem esse humidissimum. Quibus argumentis quidam, alioquin docti, cùm sentirent ignem quem fouemus in camino summè calidum, elementaris verò nullos perciperent effectus, non sine coniectura, nullum esse ignis elementum defenderunt, quibus fauit Cardanus nihilo melior Peripateticus, Cui in aliorum contradictionibus obseruandis vigilantissimo, liceat non extra institutum, has reponere: vt intelligant isti censores longè facilius esse demoliri, quàm ædificare. Aër, inquit, est frigidissimus, æther est aeris pars lunæ proxima; subtilis & rara. Valdè autem impossibile est rarum esse admodum frigidum, quia raritas est causa caloris (oportuit dixisse calorem causam raritatis) Tum æther est frigidissimus, mouetur celerrimè, motus autem est causa caloris, Sed ad rem. Respondeo, primum, vt gelu frigoris & aquæ exuperantia est, non aqua: ita denso ligno, & candenti ferro incorporatum calorem non esse ignem: sed ὑπερβολὴν θερμοῦ, excessum caloris. Tum aeris inflammationem, non πῦρ sed ἀναθυμίασις, nec θερμότητα, sed ὑπέκκαυμα dici debere. Sic enim noster Coryphæus de inflammata & cœli conuersione adusta regione aeris διὰ συνήθειαν καλοῦμεν πῦρ, οὐκ ἔστι δὲ πῦρ, frequenter propter similitudinem illam appellamus ignem: non est tamen ignis, ratio est, quod aeris summa & inflammata regio κατὰ συμβεβηκὸς sit calida sicca, ignis καθ᾽ αὑτό, si mauis, est ignea, non ignis, hoc est, alterata, non talis natura sua: Nam aer in sua regione grauis, non euolat in superum, nec lunam pertingit, sed aliud est corpus simplex vt absolutè & vbique leue, ita per se primo calidissimum: quæ duo coniungit ad 4. de cœlo Auenrois, quoniam existimat calorem in igne causam leuitatis, humorem in aere grauitatis.

Has repugnātias nō obseruauit Scaliger.

B C D

AN COELVM SIT PRIMVM principium rerum naturalium.

CAP. VI.

CVM cœlo nihil simplicius, aut diuinius occurrat, siue materiam spectes, siue formam tam exteriorem quàm interiorem: non est difficile defendendum esse illi principatum, concludere: si tamen didicerimus, quò differat efficiens à principio naturæ, perspicuum erit illud efficientis, non principij nomine appellandum esse. Sed enim, vt Aristoteles obiicit Anaximandro, quod opus naturæ dissoluitur in cœlum? Descenditne quotidie de sua sphæra, vt fiat pars mixti? Minimè verò: Nam leuitas & grauitas sunt causæ, cur alia ferantur in sublime, alia deorsum: at cœli materia neque calore, neque frigore fit crassior, vt experimur in illustrationibus lunæ; quare nec præcipitatur pondere, nec attollitur leuitate. Mitto formam cœlestem diuelli particulas à toto non permittere, nec finere suum corpus, tanquam Hippolytum discerpi membratim & dilaniari, maximè cùm sit rotunda moles eius materiæ cui assidet, circulus autem, vniformis vndique, vt nec prominere, ita nec hiare possit: dices rotundam esse pariter cæterorum elementorum extremitatem, admittendam alioquin patulam intercapedinem & inane interuallum, quare non potius descensurum ignem de sua sphæra. Siue enim sponte descendat ad conseruationem vniuersi, singulæ enim partes laborant pro salute totius, in qua suam esse positam magistra natura præsentiscunt: siue com-

E

muni naturæ prouidentia huc trāsmittatur, relinquet in sua sphæra spatium vacuum, non minus quàm decisa à toto cœlo particula. Respondeat Peripateticus longè dispare esse rationem, quia densari & rarescere possit ignis materia, cœli minimè. A Quare cùm sit tenuissima, si qua sui parte minueretur, nulla desertum spatium occuparet. At ignis, dum fit rarior repler illicò interstitium desolatum: cœli itaque vsque adeò suis numeris completi, vt eis nec addi quidquam, nec detrahi possit, nulla defluere portiuncula, nec vlla parte perrumpi, aut imminui potest: neque potius eo quidquam ascēsurum est, etiamsi fuerit homogeneum, qua enim parte se insinuaret, aut quid illic rerum ageret, cœli magnitudine vndique perfecta? Non est igitur cœlum principium rerum naturalium, tantum abest vt sit primum: ob idque falsò Sextus Empiricus Pyrrhoniarum Hypotyposeωn 3. cap. 4. affirmar Aristotelem Cyclophoreticum corpus rerum naturalium constituisse principium materiatum. Principia sunt insita, cœlum externum principium, sunt partes mixti, cœlum minimè. B

AN QVATVOR ELEMENTA SINT PRIMA *principia rerum physicarum.*

ARISTOTELES inuestigans principia, quibus primum ad res suas natura aggreditur, Parmenidis principium theologum & immobile, tanquam heterogenes explosit, ignem quoque Heracliti. Anaximenis aerem, & Thaletis aquam ex eo potissimum reiicit, quòd ad ortum necessaria esset repugnantia. Contra Democritum verò, & Anaxagoram ἀπειρίαν exagitauit, eámque duobus argumentis ἀξιοπίστοις, sanè & inuictis expugnauit, priore, quia principia infinita non possent animo comprehendi, nedum sciri aut intelligi: posteriore, quia C non est consentaneum, eius partes magnitudine, aut multitudine esse infinitas, quod per se totum fit & finitum. Itaque paucis vniuersam disputationem sic conclusit. βέλτιον ἐλάττω καὶ πεπερασμένα λαβεῖν: præstat ea pauciora facere & finita, vt Empedocles fecit: Hic enim non ignorans ex primo principio fieri cætera, ipsum ex nullo, cùm obseruaret quatuor elementa vltrò citróque mutari, tum generationem, atque adeò mutationem omnem fieri ex contrario in contrarium, contraria autem esse natura simul: cœpit suspicari vnum elementum cæterorum autorem non fuisse, & parentem primum, sed omnia æquè prima. Cui sententiæ videbat fauere Medicos dum à quatuor primis qualitatibus humani corporis fabricam primam ordiuntur. Verùm liceat speciali & sensuali Physico, à mixtione quatuor elementorum vt subiecti sui, ita artis initia prima ducere, quandoquidem hominem genitum contemplatur. At D communis naturæ interpreti altius progrediendum fuit, & sublimius erigendus animus, ad quem solum pertinet generationis modum exponere, quod non posset sine puro & immixto subiecto, in quo contrariæ qualitates velut de communi possessione certantes concilientur. Porro Empedoclem idem manet absurdum quod ignis, aeris, & aquæ patronos. Cùm enim elementum in aliud transformetur, omnes caducis vtuntur principijs, quinimò mixtione quatuor corporum, rerum incorporeatum originem minus potest explicare, quàm illi vno simplici & immixto. Omnium autem communis fuit error, quod cum simplicius prius esse faterentur, non animaduerterent omne corpus constare duabus partibus toto simplicioribus, materia scilicet & forma, quibus Aristoteles, eodem subnixus fundamento, vsus est pro primis naturæ principijs, quam bene proximo libro disquiremus. E

FINIS.

IOANNIS RIOLANI

DE PRIMIS PRINCIPIIS RERVM NATVRALIVM

LIBER II.

IN QVO AGITVR DE PRIMO SVBIECTO PRIMÆ MVTATIONIS. EST AVTEM PRIMA MVTATIO PRIMARVM quatuor qualitatum transmutatio.

AN SIT MATERIA PRIMA.

CAP. I.

THEMISTIVS ex Boetho materiam secundam ad distinctionem primæ iubet appellari subiectum. Albertus contrà, quia nomen subiecti communius est, quàm materiæ (aliud enim inhæsionis, aliud attributionis, estque in diuinis quorundam sententia subiectum non materia) communi materiæ nomen communius adiudicat. alij subiectum facti, materiam fientis dici volunt: At nos Philosophi magis quàm Philologi, rerùmque curiosiores quàm verborum, neglecta λογομαχία retinebimus vulgata nomina, materiámque concretam & formatam vocabimus posthac secundam, incorpoream verò & informem, primam: qualem nullam esse argumenta proximè sequentia videntur suadere. Mundus, Aristotelis iudicio, eam semper habuit faciem, quam hodie ostentat: at hodie nulla talis materia sese offert, vt inductione rerum omnium probari potest. Est igitur inane nomen cui res nulla subsit. Si cœpisset mundus, minori cum difficultate moles illa materiæ rudis & indigesta defenderetur. At non potius cosmopœiam, quàm cosmophtoram admittit Aristoteles.

Quare cùm nihil in istam materiam occidat, sed dissolutio mixtorum omnium in elementis conquiescat, vanum est vani hominis figmentum. Respondent pro Magistro suo Peripatetici, talem non sentiri quidem, sed intelligi. Verùm cum illis cõsentientibus intelligamus tantum quòd sensus primùm denunciauit, mirum cur eã sentiri posse negent, intelligi fateantur! Nam cuius rei sensus deficit, eiusdem deest scientia: Respondent rursum eam non propriè, sed analogicῶς & νοθῷ λογισμῷ comprehendi: at quid aliud est fateri materiã, nec sentiri, nec verè posse intelligi, quàm cõfiteri eam re ipsa non esse, sed inanis tantum phantasiæ persuasione apprehendi, cuius libertate opinamur ea esse, quæ nec sunt, nec esse possunt? Intellectus enim aut nihil, aut quod verum est apprehendit: verum autem enti respondet, vt falsum nõ enti: dum obijcerent veteres Physici se supra cœlos intelligere spatium immensum, negarẽtq; in firmamenti conuexa superficie philosophantis discursum sistere se posse, respondebat Aristot. talem apprehensionem esse phantasticam, non rationalem, hocque emisso

iaculo fugiebat, & sanam obiectionem eludebat. Quod sibi reponi pro intellectione A
materiæ primæ cur indignè feret? An ipse solutus lege, edicto suarum opinionum nos
reget? Quod si demus eam intellectilem, quomodo naturæ principium erit, cùm 3.
Cœli scribatur, physicorum sensibilia esse principia. Respondent in primis locum
hunc de secundis principijs interpretandum: prima enim contraria, nempe formam,
& priuationem sola comprehendi ratione. Tum infiniti corporis actu existentis, quale fingebant veteres, & materiæ primæ, dissimilem admodū esse rationem: quia cùm humani discursus libertas rationis finibus sit continenda, ratio rebus à quibus pendet veritas (bas enim qui intelligunt, vt sunt, non errant) decretum verò temerè confictum phantasticum sit & opinabile, vt fultum ratione, rationale, cumq; tantum absit, vt infinitum rationis innitatur fundamento, boc cùm à ratione alienum Aristoteles demonstrârit, materiam verò primam rationum propugnaculis communierit: respondent, inquam, intelligibilem idcirco & rationalem esse materiæ primæ naturam, infiniti vanam & phantasticam. Verùm cedo vnicum argumentum, quo Aristoteles materiam primam esse demonstrârit: similitudine quidem rerum sensibilium tam artis quàm naturæ eam declarauit, sed nulla Logica, nedum necessaria ratione demonstrauit, quinimò eam similitudine exposuit fallaci, qua institutum suum iuuare non potuit. Quia potentia mutationis perpessionisue non potest secundam materiam separare à prima. Agedum aut in rebus genitis & existentibus talis materia est, aut in earum ortu concipienda: non in genitis, quarum formata sit & definita materia, nec potius in ijs, quæ fiunt: ordiamur enim à cōmixtione elementorum, aut si placet à duorum elementorum aquæ si vis & aeris transmutatione. Ex aqua fit aer, materia calore rarefacta, & in amplius spatium extēsa, at calor & raritas sunt affectiones physicæ, quare non tantùm est prædita qualitate materia, dum ex ea fit aliquid, sed modus generationis aliter concipi & explicari nō potest. Abstrahit sanè Mathematicus à suo corpore affectiones naturales sine fallacia, (quippe cùm ad eius rationē nihil omnino conferant.) At Physicus non potest eodem iure sine mathematicis dimensionibus in primo rerum ortu vsum suæ materiæ demonstrare, tantum abest vt eam suis proprijsque affectionibus possit spoliare. Ecce vt permaneam in eodē exemplo, ex aere fit aqua, materia ex maiore amplitudine in minorem adducta & coacta. At mutationem maioris in minus sine dimensione apprehendere qui possis? Lubrica est ergo & inanis fictio intellectus, materiam aliter quàm sit, aut esse possit, cōcipientis. Præterea si vnaquæq; materia non esset specie definita, grauis quippe, calida aut frigida, deniq; talis vel talis esset in natura commune aliquod corpus, nimirum materia sine dimensionibus, sola constans forma corporeitatis. At non subsistit vllum D
corpus quod non sit hoc quippiam, ignis videlicet aut aer. Perge, trāsmutetur formis materia, tempore mutationis abijciet formam antiquam vt inuestiat nouam. Nam

Omnibus amicus, amicus nemini.

vt meretrix corrinalibus omnibus blanditur eodem vultu, omnesque admittit ad congressum, non simul, sed vnum post alium, ita materia omnibus formis amica, cum non possit duas habere simul, excludit vnam ad tempus, vt hospitet alteram. Ergo ne transmutationis quidem tempore omnino informis erit, nisi fortè quia neutram tum perfectè possidet, nullam dicatur actu possidere. Nam quod quis actu possidet, iure & beneficio naturæ, potest sine reprehensione dicere suum: sic lapis habet propriam formam, homo suam. Tum ad suum actum vnumquodque definitius pendet, at materia prima ad omnes qualitates peræquè est affecta, cui perinde sit hac vel illa qualitate affici & inuestiri, nullamque accepit à natura propriam & definitam. E

Siue materia permutet potentiam actu, siue actum potentia, toto tēpore mutationis est informis.

Quare nullam habet actu, omnes potentia. Nec fallit animus, imò quod res est apprehendit, dum eius naturam concipit vagam & indistinctam, quæ quidem intellectio, vt verum fatear, non est omnino vera, neque tamen omnino falsa, sed inter vtramq; media: quam Plato spuriam vocauit, Aristoteles analogicam: intellectus enim sub ratione finita, omnia, vel infinitum ipsum concipit, résque multitudine innumerabiles in specie & essentiæ communione apprehendit, finitio autem est à forma: ergo cùm materia informis & indefinita, non habitu, & præsentia formæ cognoscatur, sed ἀτεινὰς καὶ στέρησιν, non potest verè & perfectè describi, estque per se ἄγνωστος, non falsò tamen cognoscitur, quia talis est eius conditio, qualis iactatur: indistincta scilicet & indefinita: medio igitur & spurio logismo.

APPEN-

A APPENDIX AD SVPERIOREM QVÆSTIONEM.

ETSI propositæ quæstioni abundè satisfactum putem, ne quid tamen re-
quirat studiosus Lector, adijciam pauca, quibus fiat confirmatior eius
veritas. Vt in summo rerum, est actus purus, seipso contentus, nulliusque
egens, sic in infimo esse puram potentiam, ei velut ex aduerso opposi-
tam, quę natura sua sit imperfecta, & omnium egena, his argumentis
suadeo. Vt generi materia respondet analogicôs, ita primo generi prima materia. At
primum genus nulli differentiæ addictum, primæ repugnantiæ, atque ideò omnis
est capax: vt substantia corporei & incoporei, quarum vna habitus & formæ, altera
priuationis habet rationem, (Siquidem extremum imperfectum in omni oppo-
sitione se habet instar priuationis & defectus) ergo est quędam materia prima ad pri-
B mam, ac proinde omnem repugnantiam æqualiter affecta. Tum si principiorum &
causarum sit aliquis ordo, aliæque alijs sint priores, licebit causas ex causis perse-
quendo in vnaquáque specie reperire primam, vt extremam formam, summum fi-
nem, primum efficiens, similiterque concretum in primam & simplicissimam mate-
riam resoluere, cuius non sit alia materia. Præterea vt generari formari est, ita gene-
ratio nihil est, quàm adeptio formæ. Ergo si retroflectatur discursus ad primam ge-
nerationem, informis materia tum primum cœperit formari. Qualem in mixtione
& transmutatione elementorum tam perspicuè obseruamus, vt non sit mirum, si
Aristoteles eam numerabilem, & penè sensibilem dixerit. Ad quam memini doctum
illum iuuenem, quem terris inuiderunt fata, Io. Picum illud Mosis sapienter, vt alia
C multa transtulisse, *Terra erat vacua & inanis*: quo tamen alij exlegem mundum ante *Stoicorum*
Cataclysmum iuxta vulgatum nescio cuius Eliæ oraculum significari existimant. *corpus in-*
Vtut sit, materia prima rationis & antiquitatis charactere potest obsignari, quem suo *f.rme.*
scpio expungere tentat P. Ramus (quid enim ille non audet?) sed frustra: Nam lo-
quacitatis fumus splendorem veritatis obtegere non potest.

QVID VETERES DE MATERIA *prima senserint.* CAP. II.

MATERIA prima his nominibus vocatur à Platone, Species inuisibilis,
sinus informis, omnium tamen rerum capax, natura, potentia, mater
mundi, nutrix formarum, subiectum; receptaculum, locus: Porphyrio
D autem libro de occasionibus dicitur incorporea, expers vitæ, neque in-
tellectus, neque anima, neque aliud secundum se viuens; informis, per-
mutabilis, infinita, impotens. Quapropter non, ens: sed potius non ens: imago mol-
lis apparens, Appetitio substantiæ, nihilque habens dum omnia videtur habire. De
eadem sic Plutarchus: Physici appellant materiam primam, maximè informem & *Libro de*
fluidam substantiam, quæ in omnes formas subinde mutatur: adeò vt ardeat modo, *amicitia*
mox in aquæ liquorem se vertat, iam euanescat in auram, & protinus concrescat in *ergamultos*
solidum corpus: Omnia transformans sese in miracula rerum, Ignemque horribi- *diffusa.*
lemque fetam, fluuiumque liquentem. De eadem sic Proclus lib. de anima & dęmo-
ne: Materia prima, similitudine dissimili Deo potest comparari. Sicut enim illa est in-
formis, sic & Deus: Vtrumque infinitum penitus & ignotum. Hæc tamen omnia
E Deo secundum melius conueniunt, materię deteriore modo: meminisse autem nos
oportet, inquit Ficinus in Theologia, materiam primam, vt Mercurius Trismegistus
Timęusque putant, esse informem, non nihil, sed nihilo proximam: quod primò in-
finiteque sit patiens. Vnde sequi Plotinus existimat, vt proxima illius dispositio, id
est, dimensio qualitasque, vanissimum quiddam sit, & quantulumcunque est, totum
sit passio quędam: Dimensiones enim nihil esse pręter materię extensiones, qualita-
tes verò nihil esse aliud præter affectiones vmbratiles & labantes, tanquam vmbras
quasdam eminentium arborum in torrente.

QVID SIT MATERIA PRIMÆ. A

CAP. III.

V nihil diuinius, nihil homine dignius, quàm bene definire, ita nihil difficilius: difficultatis causa partim rebus adscribẽda est, partim nobis, res enim per se naturaq; sua notiores, sunt ignotiores nobis: intelligentis vitio, non rei. At quæ sunt inconstantis, fallacis & indefinitæ naturæ nostram fugiunt comprehensionem, nostro quidem malo, sed naturę suæ vitio. Primi generis exemplum sit Deus, vel communissima quæuis essentia, posterioris materia, motus, & tempus: quæ non aliter possumus describere, quàm affectionibus, quibus potius quid non sint, quàm quid sint, explicatur, vel certè his B ad quæ referuntur. Omnium verò difficillima est intellectio materiæ, indefinitior quippe eius natura, & propter assiduum fluxum fallacior: mens enim siue necessitate, siue quia sic erat melius, alligata corpori, rerum duntaxat imagines inspiciens per cancellos, de earundem naturis, in quibus residet veritas, diuinare, vtinam non nugari cogitur. Quas cùm intelligere non possit sine ministerio sensuum, sensus autem formas rerum tantum per actiones exteriores cognoscat, ex his retrusam, & in sinu materiæ delitescentem cum essentia veritatem conijcit: At materiæ primæ, nulla omnino functio est: nullus actus. Quid est ergo quod renunciet sensus intellectui, quo iuuetur in eius essentia perscrutanda? augetur difficultas, quia id solum verè possis finire, quod non modò prænoueris esse, verum etiam quomodo sit. Nam qui nescit an infinitum sit potẽtia vel actu, an locus sit aliquid per se, an per aliud & comparatè, an tempus permanentem habeat naturam, an fluentem, quid illa sint nunquã intelliget perfectè, quibus quidem cognitis, ad definitionem erit aditus facillimus. C Nos itaque materiam primam definituri, hinc sumemus exordium. Philosophus est contemplator veritatis. Philosophantur autem Metaphysicus, Physicus, & his interiectus Mathematicus, dum sui subiecti veritatem inquirunt per causas: Metaphysicus ἁπλῶς ὄντος, siue ὄντος ᾗ ὄντος, Physicus ἐκ προσθέσεως, Mathematicus ἐξ ἀφαιρέσεως. Quare materiæ cognitio si sit vna causarum, vel aliquid dignum contemplatione Philosophi, horum alicui proposita est ad contemplandum non Metaphysico, qui res tantùm immobiles & immateriatas considerat per se & absolutè: Non Mathematico, quià motu & materia res suas abstrahit: ergo Physico, concretum ens & cum alio semper contemplanti: at potest quidem Physicus corpus simplex diuisum in suas partes animo concipere, singularumque partium diuersas rationes apprehendere. Licet enim D forma physica sit inseparabilis, alia tamen vt accidentis & subiecti, ita eius & materiæ ratio est, has, inquam, potest ratione separare, per se tamen finire non potest, sed vtrumque mutua habitudine. Vt animam actum organici corporis, materiam subiectum formarum: ergo finiamus materiam primam primum subiectum formarum physicarum. Huius enim natura cognoscitur per se, vt formæ actione, quorum mutuam esse habitudinem nemini est obscurum. Si mauis, appelletur principium ex quo primùm fiunt res naturæ. Quia tamen hoc non videtur ab omnibus separari, propterea quod ex immusico fit musicum, doctus ex indocto, lux ex tenebris, ex tranquillitate tempestas, habitus denique ex priuatione, & ex contrario contrarium: nõ quia vnum mutetur in alterius naturam (nam qui fieret hoc) sed quia sibi inuicem E succedunt, vnumque fit post aliud, succedunt autem quia materia ex vno in aliud mutatur: non enim calor mutatur in frigus, sed dum aqua frigida incalescit materia de frigore transmutatur in calorem, ob idque impropriè & ex accidenti, scilicet causa materiæ: ex priuatione dicitur fieri quidpiam: quò tamen rescindatur locus reprehensioni, & à priuatione manifestiùs separetur, superiori definitioni adde, si placet, per se, non per accidens, nisi malis eam finire principium, ex quo insito & manente fiunt res naturæ.

AN

A *AN MATERIA PRIMA SIT principium rerum naturalium.*

CAP. IIII.

QVATVOR argumentis contenderet quispiam materiam non esse primum principium naturæ. Primò, quia ex non substantia fieri non possit substantia: (Cùm enim nihil aliud sit totum, quàm suæ partes natura priores, mille accidentia vnam substantiam non componerent) materia autem nec sit substantia secunda, quia nec genus, nec species, quinimmò nihil generale, nec prima quia non existit per se, cùm sit potentia tantum, actu
B per formam: non est principium rerum naturalium. Secundò, quia primo principio naturę constant Physica omnia, alioquin non esset commune omnium principium, quod insitum esse posuimus. At cœlum, cùm sit res naturæ, solutum creditur istius materiæ contagione, ne admissa in illo repugnantiæ facultate, quæ cum priuatione comitatur materiam, cogamur illud fateri caducum. Tertiò, quia principia sunt ęterna, materia mutabilis & inconstans, quinetiam omnis mutationis causa. Quartò à superiore paulum dissimili, quia principium physicum sit, ex quo vel per quod fit opus naturæ, materia potius quo dissoluitur. Nec enim temerè vocatur ab Aristotele turpitudo, cùm sit diuisionis & multitudinis causa, opposita primæ formæ, vt malitia bonitati, priuatio habitui, potentia actui, imperfectio perfectioni, defectus exuperantiæ, tenebræ luci. Atque vt semel & vno verbo dicam, turpitudo pulchritudi-
C ni. Bona dubitatio ingenium dubitantis acutum, & ad inueniendum promptum ostendit, vt solutio maturitatem iudicij. Interrogare enim inuentionis est, respondere, iudicij. In vtroque lucent dotes ingenij Logici, quæ cum ætate acquiruntur per doctrinam, præsertim si bonitas naturæ, ingenijque fœlicitas affuerint. Quę non inficior, in me esse perexigua: studio tamen veritatis, assiduè quæro, deposito pudore, dedecet enim pauperem, & pro ingenij quantulacunque dexteritate, aliorum obiectiones dissoluo, partim vt natos astro meliore prouocem ad quærenda meliora, partim vt meis qualibuscunque inuentis coæuis & posteris prosim. Age ergo, singulas quæstiones ordine quo sunt propositæ dissoluamus. Non desunt, qui materiã substantiæ partem, non substantiam appellent, ac si partes substantiæ non essent substantiæ. Alij substantiam quidem esse fatentur, sed incompletam: quasi non omnem
D Aristoteles diuiserit. Verum completam solam diuiserit sanè, cur non forma completa erit? An quia non est concreta? At sit Deus simplicissimus, incompleta erit substantia. Ad hæc, materia per se intellecta, formisque omnibus denudata, est aliquid, subiectum quippe generationis & formę. Quid? accidensne? absit, sed accidentis potius capax subiectum. At quomodo posset excipere accidens, quod per se non substat, quod autem existit per se, singulum quiddam est & vnum, materia igitur est ἀδιαίρετον καὶ τόδε τι. Quid enim ineptius quàm quod iactatur vulgo, eam esse potentia non actu? sit quidem hoc vel illud potentia, vt semen homo, æs Mercurius, aut actu per se est aliquid, habetq; suum τὸ τί ἦν εἶναι distinctum à forma, per quod est id quod est. Vt enim idem est homo quod esse hominis (siquidem Socrates est homo per formã) sic non differunt materia & esse materiæ. Nam non habet potius à forma, quod sit
E materia, quàm forma ab ea quod sit forma, sed vtriusque sua & absoluta est ratio, quam solus cognoscit Metaphysicus. Physicus enim, vt diximus, non ἁπλῶς ὄν, sed σύνολον, quasi σὺν ἄλλῳ ὄν, ens cum alio, quod ἐκ παραθέσεως vocant, tantum contemplatur: definitque totum suum vinculo formæ & materiæ, materiam & formam habitudine mutua; hanc ἐνεργείᾳ actu & operatione, illam δυνάμει potentia & perpessione, quę sunt mutationi coniuncta, nec absque ea finiri possunt. At Metaphysicus per se & absolutè formas omnes tam sensibiles quàm intelligibiles contemplatur, & finit absque motu, qui cùm solus res absolutè consideret, vt sunt, solus formas physicas à materia separabit. Quæ non putabit aliena qui nouerit ipsammet infinitatem, nec non potentiam habere suam quiditatem. Pergendum igitur ad secundam quæstionem, in qua mihi ipse vix satisfacio: negare enim non ausim cœlum materiatum quod scio esse corpus mobile, ideóque physicum non mathematicum, hoc præsertim

Materia τὸ ῥευστὸν fluēs; forma βλαβερὸν, quasi βλάπτον τὸ ῥοῦν impediēs & resarciens fluxū. Plato in Cratylo.

cùm in physicis & metaphysicis non semel Aristot. profiteatur, imò verò cum natu- A
râ sit insitum principium motus, primus autem motus sit latio, inter delationes con-
uersio, cœlum primo motu mobile præ omnibus videtur naturale. Nec potius au-
sim materiam illi ab ea quam descripsimus diuersam tribuere, ne cogar fateri illud
non esse physicum, & eodem quęstio reuoluatur. Quare è duobus reliquum est alte-
rum, aut materiam primam in illo admittere, sed modo perfectiore, sic enim aiunt:
vt elementaris materia non est capax formæ cœlestis, sic cœlestem non esse aptam
natam ad physicas & mutabiles formas: quare in elementis, & elementatis, elemen-
tari, in cœlis & cœlestibus cœlesti modo eam quod reliquum est inesse, aut illud ma-
teria prima spoliare. Verùm suborietur grauior quæstio, sitne materia duplex, vna
elementaris & transmutabilis, altera cœlestis & sempiterna: Nam quid erit sempiter-
na materia? eâne quæ semper suam retinet formam? Est ergo secunda & formata, B
non illa prima quam quærimus, cuius tota vis cernitur in transmutatione. Quæren-
dum erit præterea, vtra harum sit prior: vnicum enim est primum in quoque gene-
re. Nisi fortè, vt Auenrois non vult, corpus vniuocè dici de cœlesti & elementari,
ita non sit absurdum materiæ nomen de vna prius, quàm de altera prædicari. An
non est absurdum non modò Christiano, sed etiam Peripatetico mutabilem cœli
materiam confiteri, non quia in modum elementaris, formis assiduè transmutetur,
sed quia retinens suam variè commutetur: cuius sententiæ fautor est Aphrodisæus
in libro Cœli. tum 1. Meteor. Luna siquidem facie, figura, colore, variè immutatur,
sed sine mutatione sui: radio enim Solis illustrata, prout illi varie obuertitur, aut
motu partim suo, partim alieno concalefacta, non rarescit in modum aquæ calentis.
Quibus affectionibus perficitur potius quàm corrumpitur, vt intellectus doctrina. C
Non enim de omni motu, sed corporeo duntaxat intelligendum est illud Aristotelis
1. de Anima, ἡ κίνησις ἐκστατικὸν τῆς φύσεως, motus naturam de statu mouet. Quę verò συμπα-
κῶς, moueant, docetur posterioribus libris de Motu. Quibus positis sic argumentor:
Quæ communicant materia, vltrò citroque mutantut, quæ verò non mutantur, dis-
simili aut nulla constant materia. Atqui adhuc nemo vidit cœlum in elementum
vllum transmutari, ne in cœlo quidem ipso mutationem vllus obseruauit. (Nam des-
cendisse Solem, & nobis factum propiorem, Peripatetici risu vel silentio soluunt) dif-
ferunt ergo materia: differentia 7. Philosophię hęc assignatur, quod cœlestis sit lo-
co tantum mobilis, elementaris omni motu mutabilis: hanc B. Thomas idcircò
materiam ad esse, illam ad vbi vocare consueuit, nos illam generationis, hanc mo-
tionis loci subiectum primum appellamus. Alia est igitur cœlestis materia ab ea quæ
primo physicorum describitur, quod manifestius his verbis attestatur libro primo D
physicorum, πόσαι μὲν οὖν ἀρχαὶ τῶν περὶ γένεσιν φυσικῶν εἴρηται dicimus tantum de principijs eorum
quæ generantur: quæ repetit fere totidem verbis libro 2. quando sibi statuit tractan-
dum de causis generabilium. Vnum tantum superest argumentum quod tacitus
præterire non possum, quia videtur mihi efficacissimum. Eorum quæ comparari
possunt est primum & commune subiectum, vt 7. physic. demonstratur, compara-
ri autem cœlum cum elementis non tantum analogia, & logico genere, sed etiam
qualitate & viribus, tum quantitate (ταῦτα γὰρ ἶσα πάντα, vt ex Empedocle citat precep-
tor) ex omnium partium mundi symmetria, ordine & sympathia Pythagorei & Pla-
tonici luculentè demonstrant, nec audeat aut velit Peripateticus inficiari, respon-
deret tamen meo iudicio, cœlum prout est prima pars vniuersi & quintum elemen-
tum, esse συμβλητόν. In mixtione verò & generatione minimè, quia energiticus effi- E
ciat immixto calore, cui non subsit materia cœlestis. Quare aut plane negaret tum
cœlum cum elementis comparari posse, aut certè analogia sola, eo modo quo cali-
dum cum candido, quæ sunt contraria analoga, non æqualia aut similia: sed hęc his
solis sunt cognita, qui in amœnissimis hortis scholæ Peripateticæ non flosculos, sed
fructus assiduo cum labore collegerunt: mihi istæ distinctiones materiæ non pro-
bantur, tantum hoc puto in vtraque discriminis, quod vni, quàm alteri forma sit
coniunctior tenaciusque hæreat. At vt est primo Ethic. candor vnius diei non est
minus candor quàm mille annorum. Quare constantia illa & inconstantia forma-
rum maior vel minor specificas differentias non pariunt in subiecto. Estque meo iu-
dicio mutabilis materia cœli, licet minus quàm elementaris, quod doceo in Apolo-
gia de æternitate mundi quã scribo pro Christianis aduersus Peripateticos. Pergen-
dum

A dum igitur ad tertiam obiectionem quę ob fluxum assiduum materiam eximebat de censu & numero principiorum. Materia prima nec oritur nec interit, sed concretum partiũ solutione, neq; per se, sed ratione priuationis κακοποιὸς καὶ ποιαζομένη, malefica & corrumpens dicitur. Atq; vt ortu simplici fit hoc aliquid, non absolutè materia fit: sic interitu desinit esse hoc quod erat. Obijciebatur postremo, quia φύσις ὡς γένεσις, ὁδός ἐστιν εἰς φύσιν, materia autem assiduè molitur perniciem subiecti, indignam esse nomine principij naturalis. Quo victus Scaliger, asseruit Deum posuisse in materia appetitum perfectionis non mutationis: quod homo plusculum φίλαυτος (hoc autem illi est commune cum heroicis ingenijs) diuinè à se dictum scribere non veretur. Ego verò qui scio hac opinione magnam imminere ruinam doctrinę Peripateticę, non studio cõtradictionis à qua meus genius semper fuit alienissimus, sed veritatis cognoscendæ & antiquitatis propugnandę desiderio: defendo Deum materię indidisse appetitum mu-
B tationis, non perfectionis, appetitum voco ἔφεσιν, non ὄρεξιν (vt facessat obiter obiectiũcula Iustini) illum scilicet, quo elementa & elementata, primo impetu naturæ, sui conseruationem appetere dicuntur & procurare.

DEVM INGENERASSE MATERIÆ *appetitum mutationis potius quàm perfectionis.*

CAP. IIII.

C SVMMA totius controuersiæ versatur in hoc, an materia perficiatur meliore forma: nam si constiterit illi esse indifferens cuinam subsit formæ, quinetiam eam mutari in statum naturæ suæ conuenientiorem, quoties spoliatur nobili forma vt induat viliorem, effectum erit manifestè eam mutationis quàm perfectionis appetentiorem: atqui forma meliore perfici quidem totum non materiam, ex hoc suadeo, quod forma eò magis distet à materia quò nobilior est & coniunctior primæ: deterior contra quò materiæ vicinior & à prima forma remotior. Nam quis non videt materiales formas similiores esse, & compati facilius materiæ quàm formales? Nunquid concordia est maior formæ lapidis cum lutea & lapidea materia, quàm humanæ cum sua? Ausim iurare si materiæ libera esset optio formarum, fecissetque illi potestatem Deus deligendi quas vellet: eam humanę præposituram esse saxeam, humanam diuinæ: cui vt contrarium contrario vicetur opponi. Nam si vnum contrarium sit in natura, erit & alterum. Est
D quiddam absolutè bonum, perfectionis & status amantissimum: est igitur aliud per se & absolutè malum, mutationis & interitus auidissimum, fugit autem vnumquodque natura duce suum contrarium. Nec mireris hoc Deum permittere. Vt enim ingenium humanum plus iusto curiosum, nescio quo fato, vtitur studio nouitatis, ita naturam ipsam oblectat varietas operis, in qua suas dotes prodigit, prudentiamque incredibilem spectatoribus ostentat, vt artifex in opere diuersicolore. Quod licet ipse nefas dictu alibi scripserit, mihi tamen fas & iustum videtur. Nam quid est aliud natura quam causa ordinis in sensibilibus, vel potius ordo ipse? At ordo rerum, eodem & diuerso conseruatur: quæ sunt apud Philosophum primæ entis differentiæ, quarum causas Physicus repetit à diuersis motibus cœlestium corporum. Vno primo qui est causa ταὐτότητος, essentiæ & durationis, altero dissimili & secun-
E do, qui causa est in inferioribus ἑτερότητος & mutationis. At hoc non potuit perfici commodius quàm inserendo materiæ mutationis appetitionem infinitam, vt agentibus contrarijs, contrarietatis amicum & auidum subiectum subesset. Verè enim scriptum est à principe philosophorum, vt fœmina appetit marem, sic materiam formam appetere: siquidem concubitum exoptat fœmina & impleri vult, gratia prolis suscipiendæ, ad perfectionem & continuationem vniuersi, non sui: creditur que idcirco Deus in emissione seminis mutua, tantum voluptatis iniunxisse, ne congressum vel dictu fœdum, auersarentur animalia, ne quis obijciat primo naturæ instituto fœminas appetere mares causa voluptatis, est enim voluptas finis ex accidenti cur congrediantur, soboles verò primus & naturalis, perfectis animalibus communis: appetit inquam materia formam prima institutione naturæ, admirabili prouidentia Dei ad perfectionem vniuersi, inditque illi appetitum publici boni

potius quàm priuati, cum ſit inſtrumentum in aliorum vſus creatum. Alioquin aſ- A
piraret continuè ad formam perfectiorem: nec in vili conquieſceret. Sed vt ex ſe-
mine ad ouum, ab ouo ad pullum, ſic à pullo continenti motione pergeret, aſſurge-
rétque altius: Nam quidni, cum expletus non ſit appetitus? aut ſemel adepta perfe-
ctiſſimam formam, nunquam eam abijciet, habet enim extremum quò referebá-
tur. Quæ ſi ita ſint, vnica tandem erit rerum ſpecies ad quam vniuerſa materia ſem-
per aſpirabit, nec putandum eſt vanam eſſe iſtam appetitionem perfectionis: eſt
enim ſi quæ ſit, diuina: at diuiſa omni ex parte materia & ſub forma perfecta conſi-
ſtente, ceſſabit generatio. Quandoquidem nihil noui poteſt fieri niſi prius alterum
interierit, nihil autem interibit, quia cauſa interitus non poſſit eſſe forma, neque
potius materia, ſi modò perfectionis appetitionem expleuerit. Tum enim imperfe-
ctionem appeteret, & quod contendimus, mutationis & nouitatis cupiditate cape- B
retur. Addam aliud fortaſſis non aſpernandum. Laniones dum in noſtros vſus oues
quotidie iugulant Scaligeri ſententia, non nobis modò, ſed ouibus quoque con-
ſulete: quia ſunt futuræ pars noſtri, & in meliorem ſtatum tranſituræ: Benedixerit-
que vinum compotoribus in quorum tranſmutetur ſubſtantiam. At hominis cada-
uer laniatum deuoret canis, ex quo deſoſſo pullulet arbor, cuius abſciſſus truncus
igne deuſtus in elementa reuertatur: peiuſne tum agetur cum materia? Imò verò
melius, in ſuam enim primum naturam eſt reſtituta in quam redire naturaliter appe-
tunt omnia: Ex quibus nobiliſſimam illam quæſtionem dilui poſſe exiſtimo. Cùm
natura faciat ſemper quod eſt melius, cur homines quibus præ cæteris voluit fauere
(perhibetur enim φιλάνθρωπος) breuioris vitæ voluit eſſe? reſponſio: Aut melius dicimus
κατά τι & alicui, vel ἁπλῶς & per ſe. Vt autem ſapiens publicum bonum anteponit pri- C
uato: Ita certum eſt naturam laborare potius pro vtilitate ſpeciei totius quàm vnius
ſingularis: at conſulens vni, vniuerſum hominum genus offenderet: Niſi enim ceſ-
ſiſſent primi parentes, & ad hunc diem vixiſſent, nemo hodie noſtrûm extaret, at-
que ſi nos viciſſim poſteris huius mundanę habitationis inuideremus vſuram, tyran-
nica iſta poſſeſſio illis eſſet maximo detrimento. Nam finita materiæ mole inſumpta
in mixta, & vndique ſecta, quid fieret noui? ex quo? Ergo cum præſtet plures parum
quàm paucos diu multumque viuere, neutrum autem ſimul natura potuerit, natu-
ram dico non Deum (ne quis abſolutam & extraordinariam potentiam obijciat)
facit quod eſt abſolutè melius, quando è viuis citò ſingula tollit animalia: ob idque
breuioris vitæ decuit eſſe homines quàm belluas, vt eſſent plures huius vniuerſitatis
contemplatores. Temperauit tamen publicum priuato. Quam neceſſitatem ſi quis
contendat violentam eſſe & naturæ inimicam: Reſpondebo, properam & immatu- D
ram mortem naturæ fortaſſis ſingulari vt tibi vel mihi inimicam & moleſtam, com-
muni tamen amicam & conuenientem.

QVÆRITVR MATERIA MATHEMATICA.

CAP. V.

MATERIA quædam eſt ſenſibilis & ſingularis, quæ integrans nomina-
tur: vt caro, & os: Quædam intellectilis & vniuerſalis, quam rationa-
lem & formalem vocant, vt animal: hæc reuera nihil aliud eſt quàm
genus, differreque videtur ab illa, quod genus attribuatur, materia
ſubſit, cōmunio enim potentiáue generis, conſiſtit in categoria, materię E
verò in ſubiectione. Conueniunt tamen, quod vt res conſtant materiæ & formæ
coniunctione, ita rerum eſſentia generis & differentiæ: vtque in conſtituenda natura
materia ſubijcitur formæ, ſic in definitione, genus differentiæ, cuius præſentia
indefinita illius natura finitur, & in certam rerum ſpeciem adducitur. Vtra igitur
mathematica? ſenſibiliſne? non videtur, quia Æneum triangulum eſt phyſicum,
triangulum verò mathematicum. At non poſſit, inquiunt, exiſtere figura abſque
aliqua materia. Reſpondent, mathematicam eſſe ſimilem curuitati, indefinitam
quippe, phyſicam verò ſimitati, hoc eſt finitam & certam: ſolæ enim nares ſunt
ſimæ, at pedes etiam curui. Diſſimilitudinis vulgaris eſt cauſa, quod formarum
phyſicarum eſſentia poſita ſit in energia, functiones autem non obeant in quauis, ſed
certo modò diſpoſita materia: vt anima in corpore materiato, non quolibet, ſed or-

A ganico: figuræ autem nullam omnino operationem esse. Quare physicam formam adiunctione materiæ finiendam, mathematicam per se & absolutè. At interrogati quænam sit indistincta & communis illa materia, cui figura primò per se insit, non parum inter se dissident. Quidam respondent, esse animum, at communis est locus notionum & formarum omnium abstractarum, non tantum mathematicarum: nec materia, sed subiectum notionum dici debet. Alij interuallum, quia vident Aristotelem in philosophia finijsse circulum interuallum rotundum, illudque materiam, hoc formam nominasse. Quod eodem iure ad cæteras figuras possis accommodare. His illi obijciunt abstractos & formales numeros, quorum subiectum non sit interuallum, sed animus potius: quæri autem non tantum Geometricarum figurarum, sed vniuersim Mathematicarum formarum subiectum primum. Sic ergo paulo generalius tractetur quæstio. Cum Mathematicæ formæ sint accidentia non minus
B quam superficies & color, subsistunt quidem in aliqua materia & si nulla constent, qua? quænam est obsecro illa omnium prima & communis quam primò per se afficiant, non interuallum, huic enim continuæ, non discretæ quantitates primo per se insunt, nec potius continuum, quippe cum formæ & differentiæ potius, quàm generis & materiæ sortiatur rationem. Ergo quantum. Nam quid aliud reliquum est? at quantitas accidēs est, non potest autem accidens esse subiectum accidentis, attributionis quidem esse possit: At inhæsionis, quale nos quærimus, minimè. An non ita est, sed vt superficies coloris, perspicuum luminis, ita quantum numeri & magnitudinis erit primum subiectum? Insunt enim formę mathematicę corporibus non qua substantiæ sunt, materiata, certoque modo temperata: sed quia quanta. Verùm de hac quæstione viderint mathematici: non est enim huius loci &
C instituti, inserta fuit parergως.

AN PLATONI ET ARIST. PROBETVR CHAOS.

CAP. VI.

VT Plato de primis rerum principijs non vbique idem sentit, sed quandoque in eodem etiamnum dialogo, physicis, mathematicis & diuinis vtitur: Sic de Chao videtur ambigere, in illud tamen inclinare potius & propēdere. Enimuero qui materiam olim ex confusione in ordinem adductam putauit, nec ortum mundi aliter definiuit quàm syntaxi par-
D tium, potuitne Chaos auersari? Arist. obijcit ordinem esse natura priorem confusione, cùm hæc nil sit aliud quàm illius priuatio. Respondent pro suo magistro Platonici, vt eorum quæ fiunt arte duæ sunt formæ, vna in opere, quæ ποίησις sexto sapientiæ, altera in mente artificis quæ νόησις illic dicitur, estque hæc illius causa: ita ordinem vnum esse in ducis vel opificis animo, ex cuius formula & ordinatione (vtar hoc verbo legentium venia) alter influat ad opus. Quid si chaos Aristotelis ipsius authoritate confirment? Nihil enim est aliud quàm primarum partium mundi, siue elementorum inordinata congeries, elementa autem impura & immixta esse omnium enumeratione recipio docendum: quare cum Aristotelis opinione mundus ea semper fuerit specie quam nunc præ se fert (non alium vidêre patres aliúmue nepotes aspicient) qua fronte Peripatetici chaos audent impugnare? A qua imprimis imputam
E esse manifestè conuincunt sapor & odor. Summa autem aeris regio partim inflammabili spiritu eò continuè vndique commeante, partim conuersione corporum cœlestium fit calida sicca: Ima, cum vaporum copia, tum radiorum solis reflexione, mutatur in horas, vixque eodem momento vnum & idem hîc inspiramus. Media propter antiperistasim, vel potius causa quietis, semper frigida est. Nullibi ergo sentitur immixtus aër quique suis & natiuis gaudeat qualitatibus. Terra quæ debuit à contagione liberior esse, sinu suo Oceanum amplectitur, pluuia refluente humectatur, suis concauitatibus aëra & ignem concludit, vixq; vlla sui parte deprehenditur siccissima. Ignis cum sit agens physicum, & cùm aëre vicino materiæ communicet, repatitur agendo, neque dum à cœlo circumductus aëra calefacit, est liber à perpessione, alioquin conflagrasset iampridem vniuersitas. Ego cum susque deque iactata confundantur elementa, quin immò confundi illa oporteat

ad generationem & conseruationem mixtorum præsertim perfectorum, vt animalium, quibus præ omnibus natura voluit consultum: audebitne Arist. sphæram Empedoclis, Anaxagoræ mygma Stoicorū ἄπειρον σῶμα, denique chaos oppugnare? At dicet aliquis, cum Arist. tam sollicitè locis & essentijs elemēta separet, incōstantię & leuitatis meritò accusandus esset, eoque maximè quòd cū posterioribus libris de cœlo & duobus de ortu elemēta separasset, eadem primo meteororum confuderit: atque etiam cum in libro de ortu aquæ sphærā à terrestri distinxerit, hancq; ab illa cōtineri voluerit: primo tamen meteorωn vtroque vnicam sphæram descripserit, & aquam terrę sinu tanquam cypho incluserit: tum quod in libris de ortu, quia sit continentis amplitudo maior quàm cōtenti, plus esse aquæ scripserit quàm terrę: At primo meteorωn, plus terrę. Respondeo tantū abesse, vt homo hominum omniū qui extiterunt vnquam sapientissimus, sui tam dissimilis fuerit, locutusque sit toties & tam manifestè pugnantia: cum his conciliatis & bene intellectis nihil diuinius mens humana possit excogitare. Physicus enim est interpres naturæ, natura autem cognoscitur λόγῳ vel ἐκ τῶν γινομένων, ratio res spectat non vt sunt, sed prout debent esse in primo & perfecto statu naturæ: atqui elemēta natura sua locis & naturis distincta, ex accidenti & præter naturam suam commiscentur, in gratiam & fauorem animalium. Quid igitur subest inconstantię aut falsitatis, si de elementis variè scripserit magister, eaque cum ratione considerans, qualia natura sua esse debeant explicatit, de illis verò dum agit populariter, qualia sentiuntur? Sed iuuabit fortassis familiari similitudine quæ dixi declarare: sunt enim magnarum rerum fundamenta, infinitis quæstionibus dissoluendis vtilissima. Vt in μικροκόσμῳ insunt omnia, nec tantum substantijs constat, sed etiam accidentibus cuiuscunque generis, vtque quatuor humores in eo confusos sola ratio distinguit, sic in vniuerso (cœlum semper excipio quod immixto & separato hominis intellectui cōparant Aristotelei) omnia quodāmodo sunt in omnibus & ex quolibet fit quodlibet, potentia si non proxima, saltem remota, per alterationes multas: In me exempli gratia, licet appareant confusæ res diuersarum categoriarum, alia tamen substantiæ, alia magnitudinis, coloris, & actionis ratio, nec eadem ratione dicor quantus & qualis: est itaque ordo quidam vniuersi: sed ratione potius, quam sensu concipiendus.

Apparentes locorum repugnantiæ sapienter conciliatæ.

DIGRESSIO IN PVTIDAM P. Rami calumniam.

Vt in humanis nihil est tam sanctum quod non inflecti gratia, aut adulterari pecunia non possit, nihil tam firmum quod non perfringi potentia: ita non est opinio tam futilis quæ non habeat suos fautores, apud nos præsertim natura curiosos & nouitatis studiosissimos, vbi florent sophistæ non pauci, qui verborum lenocinio mutant quadrata rotundis, nigrumque in candida vertunt. Ecce: non potuit Anaxagoras tam malè sentire de Chao & homiomeria, vt defensorem non inuenerit P. Ramum, laudo: oratorem enim cupit Fabius assuescere laudando vituperāda, & vituperando laudanda, vt discat prōptius vituperanda vituperare & laudabilia laudare. Consideremus tamē paulisper quàm benè patronus suum clientem ab Arist. vindicet reprehensione: profert vnum locum ex postremo capite Meteorωn vbi ὅλα ἔργα τῆς φύσεως, omnia naturæ opera dicuntur fieri ἐκ τῶν ὁμοιομερῶν ὡς ὕλης, ex homiomeris tanquam ex materia, quo ex loco Arist. reipsa Anaxagoreum esse, solo verbo diffidere contendit. Verum Arist. aliam fuisse sententiam, eis obscurum esse non puto, qui legerint primo de ortu hoc potissimum nomine Empedoclem præferri Anaxagoræ, quod hic similaritatē (liceat mihi cum Gaza sic loqui) fecerit elementis priorem: ille verò elementa partibus homogeneis: sed mos est litigiosorum Sophistarum quoties destituuntur ratione, loco quopiam trunco & mutilo se communire, reponam eum integrum, vt hominis fides pateat euidentius ἐκ τῶν στοιχείων τὰ ὁμοιομερῆ, ἐκ τούτων δὲ ὡς ὕλης, ὅλα ἔργα τῆς φύσεως, ex elementis homogenea, ex homogeneis verò tanquam ex materia fiunt cætera. Quid? hoccine est Anaxagoreum esse? Cum Persæ Græcorum templa subuertissent, & penè solo adæquassent, Iones ea restaurari vetuerunt, vt eorū spurcam barbariem ijs vestigijs posteritas agnosceret. Si sapis Rame, tu cautius prouidebis, ne tam insolens calumnia

Depulsio manifestæ calumniæ.

A calumnia perueniat ad posteros, eamque, si me audis propria expunges manu. Verumtamen perge; & pro Chao quod suo patrocinio sartum tectum existimat, videamus respondeátne meliora. Citat testem Ouidiũ in Metamorphosi, nec illum pudet qualiscunque poetæ solo testimonio, tantum virum refellere: non possum sæpe quin demirer lucifugum hominis istius genium, qui tanto in Aristotelem dicendi vritur studio, vt malit æstimationem perdere, quàm maledicendi occasionem leuissimam prætermittere. Ferunt Epicurum cum Grammaticæ rudimentis institueretur, audiétque illud Hesiodi: ἤτοι μὲν πρώτιστα χάος, interrogasse protinus, vndeuam exortum esset, præceptorem verò illum remisisse ad philosophum, quia hoc exponere non esset philologi. Et audebit Grammaticus de chao φιλοσοφεῖν, nec potius huius Academiæ philosophos consulet quorum beneficio istis ambagibus explicetur? Ego Carpentario & Schecxio nulla ex parte conferendus, (quos propter admirabilem rerum
B scientiam suspicio, atque vt duo lumina Philosophiæ reuereor & colo) nullam recuso pœnam si non ex tempore talibus animaduersionibus respondero, per me liberum sit cuique facere periculum cum volet: nihil enim optatius aut iucundius mihi contingere potest, quàm si sub æquis cognitoribus ista causa decidatur, neque res, neque verba me deficient.

In causa facili cuiuis licet esse disertum.

FINIS.

C

IOANNIS RIOLANI
DE PRIMIS PRINCIPIIS
D RERVM NATVRALIVM
LIBER III.
IN QVO TRACTATVR DE PRIMIS CONTRARIIS QVÆ TRANSMVTANTVR IN communi subiecto.

E *DE PRIVATIONE.*

CAP. I.

IN omni mutatione requiruntur duo: primum, vt in subiecta materia præcedat introducendæ formæ absentia, ne prius sit res quàm fieri incipiat. Alterum, aptitudo ad eandem formam, quia quicquid fit, fieri potest: non enim ex quolibet promiscuè fit quodlibet: quia non quæuis forma sine discrimine, cuilibet materiæ iungitur, vt ratio lapidi; sed ἐπιτηδειότης præire debet, quam aliqui præparationem materiæ, alij inchoationem formæ in materia vocârant: nos potentiam vel apetitionem mutationis. Concipe materiam informem, omnium tamen formarum auidam & capacem, in ea primam

& puram priuationem formarum inspicies, cuius ratione vocatur non ens à Platone A
in Sophista, non quod sit omninò nihil, sed quòd actu nihil sit rerum, nec earum specie vlla comprehendatur. Eadem opera videbis earundem capacitatem, cuius causa dicitur πανδεχὴς in Timæo: vtramque simul affectionem Aristot. vno nomine priuationis complexus est, quæ non est priuatio, vt cæcitas visus, cum actu tollens facultatam, sed vt quies motus. Secunda verò priuatio est certæ formę negatio, & eiusdē facultas: vt in semine, oui, in ouo, pulli. Cogimur enim in re quàque duas rationes spectare, quietis vnam, alteram mutationis. Quietem appello formam & statum naturæ, cuius gratia vnumquodque est id quod est: mutationem verò vim per quam potest esse aliud, nobilius vel ignobilius nihil refert, quia indefinita potentia ad vtrumque perequè est affecta, quò fit, vt eo omnino modo quo facultas actui, aut motus quieti, priuatio repugnet formæ, nec tantùm sit occasio mutationis, vel principium, sine quo non, vt visum est Platonicis, sed primum & verum transmutationis principium. B
Vt enim materia primo per se constitutionis, per accidens, & ratione coniunctę priuationis, mutationis est principium: Ita priuatio primò per se mutationis, ex accidenti tantum, & causa materiæ constitutionis, cum qua est subiecto, re & numero vna, ratione diuersa. Nam vt aliud est subiectum, aliud accidens, quanquam sint simul, sic aliud est materia, aliud facultas & affectio materiæ. Inique igitur calumniator eam proscribit de cœtu principiorum naturalium, eò quod sit malefica & mutationis causa. Cùm enim Physicus sit interpres naturæ, natura principium mutationis, mutatio rei (omnia siquidem facit mutatione eiusque sunt ceteræ affectiones consequentes) tantum abest, vt quia principium est mutationis, exigenda sit finibus artis physicæ, cum isto nomine pro germano & veriore principio sit habenda. Etenim cùm primus & potissimus labor Physici debeat esse in assignandis C
causis mutationum, nec eas aliunde possit repetere quàm ex priuatione, sine qua permanerent omnia in eodem statu: quis prudens eius contemplationem à Physico dicet alienam? Dic dum, cur cœlum manet idem ad numerum? quia eius materia est expers priuationis: cur elementa & sublunaria omnia assiduè mutantur, nec eadem numero, sed specie tantum perdurant? causa priuationis, quę sola cœlestem materiam distinguit ab elementari. Illa nimirum est, Rame, illa Galeni σύμφυτος ἀνάγκη, necessitásue nulla reparabilis arte, propter quam debemur morti nos nostraque. Originis enim causa est extra nos quidem, at corruptionis, non aliunde repetenda est, quàm ex priuatione illa, quam nos appetitum mutationis insatiabilem vocamus, Pythagorei indefinitam dualitatem, Platonici infinitatem, Peripatetici indesinentem fluxum materię. Eat ergo, & idiotis persuadeat, priuationem esse vani hominis D
vanum figmentum, nos natura & origine mortales, cum sapientibus lubenter desipimus, & humanę fragilitatis causas in priuatione etiam cum voluptate contemplamur.

DVBITATVR AN SIT PRIVATIO, & quomodo repugnet formæ.

CAP. II.

VANQVAM pro suo more inuentum priuationis tanquam ridiculum absq; ratione vlla longo verborum contextu, qui patientissimum Lectorem fatigat, execretur P. Ramus, eiusq; inuentori ἀντὶ πέρκης σκόρπιον, pro E
melle rependat aconitum: tamen ne videat ἐρήμην καταδικάζεσθαι, indicta causa illum damnare, proponam rationes, quarum edicto videtur arceri posse finibus naturę. Aristoteles eius necessitatem hoc demonstrat argumento: Omnis mutatio fit ex alieno in aliud, quæ sint aduersa, vel contradicentia extrema, Atqui neutro modo materia repugnat formę, quum in substantia per se, vt talis est, nulla sit oppositio, necessarium est itaque tertium principium. Consiste Lector, & attende, hic enim dubia sunt omnia. Nam cur ad motum necessaria est oppositio? nunquid est aliquis motus quantitatis? at quantitati nihil potius repugnat quàm substantię. Cùm agente forma, patiente materia, fieri constet omnia, quis vsus priuationis? Verùm faciamus esse veram oppositionem, cur illa non eris

A erit in substantijs? annon genera substantiarum diuiduntur, positis ex aduerso differentijs? at differentiæ substantiarum sunt substantiæ. Adde contrariorum motus esse contrarios penes substantiam, vt est 1. Cœli, quo loco Philoponus Aristotelem accusat inconstantiæ, in qua excusanda sudat plurimum Simplicius, implorat Alexandrum adiutorem, inuocat supplex D. Iamblicum, nec tamen eorum auxilijs videtur causa tutior, vt commentarium legenti fiet notius. Ad hæc etsi non pugnent inter se essentiæ, quídni tamen forma materiæ repugnabit, dum illa agit, hæc patitur? Age verò, opponatur materia formæ, non per se, sed causa priuationis (quo solo effugiunt responso) quo genere oppositionis? contradictorio inquiunt: At Aristoteles ex quatuor coniugationibus extremorum, mutationem non subiecti in non subiectum sustulit, negauitque his extremis quidquam mutari, quia nec aduersa
B essent, nec contradicentia. Finge ergo materiam quæ mutetur ex priuatione in habitum: inter vtrumque extremum media erit mutatio, ex vno quippe in aliud progressio: Ex his priuatio non est: sic enim vocatur ab autore suo, forma mutatione acquirenda, nondum est: vbi enim latebat forma oui, dum ex semine sensim formabatur? fortassis in sinu materiæ. Vicerit ergo Anaxagoras, & omnia in omnibus si non perfectè, saltem inchoatè, neque tantum inchoatè, vbicunque enim forma est ἐντελέχεια est secunda, vt anima, non prima, vt motus. Perge ergo: nomine priuationis diximus significari duo, potentiam & negationem, vtro nomine contradicit formæ? non facultatis, appeteret enim suum contrarium: Adde etiam ortum esse mutationem contradicentium, negationis scilicet in affirmationem, seu non subiecti in subiectum, tum adepta forma negationem perire, facultatem manere: contrarium autem alterius fugari præsentia. Multò minus negationis, propte-
C rea quod fieret, vt docuimus, mutatio non entis in id quod non est, dubia est igitur, & calumnijs multis obnoxia priuationis natura. Quibus ita paucis satisfactum volo. Priuatione duo significantur, absentia formæ in materia, & eiusdem excipiendæ facultas. Tum vnumquodq; in statu, aut in motu spectatur, vel quia re vera mutetur, vel mutari possit. In semine enim per se vt tale est considerato, non apparet vsus priuationis: At specta in eo inchoationem pulli, ad eundemque progressionem, comparebit quàm primùm repugnantia, facultas quippe illud statu mouens, & antiqua forma spolians, vt acquirat nouam. Progredere, & in natura alia spectacula tibi ob oculos pone: intuere nouam & aduenientem formam iam inchoatam, quæ profliget antiquam, & de veteri possessione deturbet: in conflictu subiectam materiam priuari vna, inuestiri altera videbis, sicque ex semine tandem factum ouum, vna forma
D priuationis, altera habitus rationem obtinente: acquisita enim in qua conquiescit appetitio & terminatur motus, habitus: quæ deperditur, & quasi victa recedit, priuationis nomen & rationem sortitur: quæ aboletur, adhuc quidem est, dum fugatur, sed proximè non erit. At quæ in eius locum substituitur, nondum est, sed proximè erit. Ergo non forma materiæ pugnat, nec forma formæ, qua ex parte sunt substantiæ, alioquin ouum & semen essent opposita, sed quia vna non entis & priuationis, altera entis & habitus in mutatione rationem habet. Quę præstitisset Ramum dixisse, quàm stomachari iuueniliter, & insultare in nobile & necessarium vsq; adeò priuationis inuentum.

FIANTNE FORMÆ, AN SINT sempiternæ. CAP. III.

E FORMAS physicas sempiternas esse videtur, his argumentis suaderi posse: primò, quòd interitus sit solutio partium natura coniunctarum, formę autem sint simplices & immateriatę. Secundò, quòd prima principia sint ingenita & incorruptibilia, materia autem & forma sint prima principia rerum naturalium: quæ haud dubiè non fiunt, sed totum ex vtroque. Tertiò, quòd per formam res naturæ perpetuentur, id autem magis tale sit, per quod vnum quodque est tale. Quartò, quia forma cùm sit principium originis, perenni successione continuatæ, potius sempiterna dicenda est quàm materia: materia autem citra controuersiam sit æterna, in quam constantem & permanentem postremò occidant sublunaria omnia. Contrarium tamen alijs non minus

efficacibus argumentis concludi posse videatur. Nam forma & finis (in operibus naturę dico non artis) reipsa sunt vnum, sola differunt ratione. Quippe cùm gratia formæ promoueatur materia, & alteretur à natura, atqui finis acquirendus motione nondum est, sed fit sensim: alioquin ex duobus actu existentibus res suas natura generaret, quod Arist. fieri non posse eo loco demonstrat, vbi synthesim distinguit à γενέσει, quod componi propriè dicantur artis opera, res verò naturæ generari, componat autem artifex, & totum opus absoluat, nexu & vinculo partium, actu iam existentium, gignat autem natura res suas, progressione potentiæ in actum, videlicet dum facit opera sua, & elaboratione, vt materia fit actu quod poterat esse, quæ si quis à veritate existimet aliena, tantisper secum cogitet, vbinam esset actus ille secundus, qui dedit rei nomen, essentiam & perfectionem, denique per quem est id quod est, toto tempore formationis: consideret simul si quid extrinsecus aduenerit, quo prius existente res perfecta sit & efformata: Neque enim dubito eum, qui diligenter ista apud se reuoluerit, facilè concessurum quod sensu, ratione & autoritate firmari potest, formas physicas incipere esse, præsertim cum anima mundi euidentibus argumentis à nobis aliàs sit explosa. Mitto in mundo sublunari nihil esse sempiternum, ne elementa quidem ipsa, quæ per partes si non per se tota assiduè transmutantur. Sic autem, me iudice, tanta controuersia paribus rationum momentis disceptata, componetur. Formæ aut sunt primæ, aut ex primis, appello formas primas, quæ sunt primorum & simplicium corporum, vt elementorum, secundas quæ sunt mixtorum: has quotidie fieri tam certum est, quàm illas ingenitas esse, atque sempiternas.

A

B

QUÆ SINT FORMÆ ELEMENTORUM. C

CAP. IIII.

ELEMENTA partim differunt materiæ qualitatibus, quas διαφορὰς καθ' ὕλην Præceptor appellat, puta grauitate, leuitate, raritate, & densitate. Partim qualitatibus formalibus & specificis, quas ille διαφορὰς κατ' εἶδος nominat, alibi εἰδώδεις, vt calore, frigore, humore, & siccitate: quibus pro veris & essentialibus formis passim vtitur, quanquam, vt existimat vulgus Interpretum, re vera non sint propriæ & essentiales differentiæ. Ego verò qui videam toties eas nominatim formas & essentias vocari, quique intelligam elementa non alijs posse distingui differentijs, nec non ijsdem illa finiri atque constitui, quoniam exempli gratia leuis illa & rara portio materiæ, cui primò per se, & quatenus talis (has enim conditiones omnes concurrere oportet) calor inest, ignem, cui frigus, aquam definit, separat, & constituit: illis priores & veriores nullas agnosco, neque profectò vllas esse existimo: hoc vt facilius credam, facit altera non minus potens ratio, quod agere & mouere sint propriæ notæ formæ, vt pati & mouere materiæ. Agunt autem qualitates, quæ vulgo, nec temerè sanè, appellantur primæ. Tum leuitas & grauitas sunt causæ, cur alia sursum ferantur, alia deorsum, at leuitas efficientia caloris acquiritur per rarefactionem, grauitas vi frigoris per condensationem. Quare vt iterum quid hac de re sentiam breuiter explicem, non video cur isti verarum formarum nomen primis qualitatibus debeant denegare, nisi velint esse quidem formas, sed incompletas. D

DISQVIRITVR ACCVRATIVS AN *primæ qualitates sint veræ formæ elementorum.* E

CAP. V.

NEMO miretur, si fortè in quæstione de formis plusculum insistam: hoc enim principio nititur humana sapientia, caduco autem fundamento solidi si quid superstruxeris, labascit, & quam citò mole sua ruit. Scitumque est illud Epicharmi, ἐκ μὴ καλῶς ἐχόντων, χαλεπὸν λέγειν καλῶς, ex male positis difficile est bene colligere, ἑνὸς γὰρ ἀτόπου δοθέντος, vt alibi scribit Præceptor, τὰ ἄλλα συμβαίνει, vno dato absurdo, alia multa sequuntur. Non est autem certior

via

via cognoſcendæ veritatis, quàm ſi ventiletur quæſtio, & contrarijs exagitetur argumentis.
A Quare priuſquàm primas qualitates veras eſſe formas elementorum tanquam ratum ponamus, proponendum eſt, & diſſoluendum vnicum, & quidem ſingulare argumentum: quo videntur aduerſarij iuſtè ſuperiori doctrinæ obniti, atque reclamare. Accidens, inquiunt, neque ſubſtantiæ pars, neque principium eſſe poteſt. Calor autem, frigus, humor, & ſiccitas ſunt accidentia, quia poſſunt intendi & remitti, quinetiam adeſſe & abeſſe, quæ ſunt accidentium propriæ & certiſſimę notæ, itaque falsò vulgus Phyſicorum ea inter formas numerat. Quid ſi reſpondero formas Phyſicas eſſe accidentia? ſunt enim in materia vt in ſubiecto, quandoquidem in ea ſunt, non vt partes, (eſt enim forma pars totius, non materiæ) nec vnquam ab ea ſeparari poſſunt, inſeparabilem dico formam à materia, quia non potius quàm accidens ſeparatim & per ſe exiſtit, nec refert ſi ratione ſeparetur: hoc enim
B habet commune cum accidente, eius vt ſit alia ratio quàm ſubiecti, quod eſt apud Ariſtot. formas Phyſicas eſſe ſeparabiles ratione. Tum ſi credimus Pythagoreis & Platonicis, Mathematicæ formæ ſunt principia Phyſicarum, at illę accidentia ſunt: quantitates quippe continuæ, vel diſcretæ: quo cum alias ſæpè, ſed ex profeſſo duobus libris poſterioribus Metaphyſicæ contra Pythagoreos & Platonicos demonſtrato, iam pro confeſſo vtemur: quidni igitur ex accidentibus fiunt ſubſtantiæ? Accedat proprium eſſe accidentis ita dicam annihilari (vtendum eſt verbis caſtrenſibus huius militiæ) ſubſtantia enim ſi fuerit concreta, ſoluetur in principia, ex quibus primum coaluit, ſi ſimplex, eſt immortalis: cùm mors ſit diremptio partium coniunctarum. At formæ non perſtant, ſubiecto pereunte, ſed illi commoriuntur: Non deſunt igitur rationes, quæ ſuadeant formas in accidentium ordinem eſſe re-
C ferendas. Verum obiiciet aliquis, ab Ariſtotele non ſemel dicuntur eſſentiæ. Quid tum? cùm accidentium, vt ſubſtantiarum ſua ſit eſſentia, noménque οὐσίας ſubſtantijs & accidentibus ſit commune? Eluſit ſanè Ariſtoteles veterum Phyſicorum demonſtrationem eruditam, qua concludebant materiam eſſe priorem Phyſica & ſingulari forma, quia quod permanet ſit prius & dignius, materia autem permaneat, extinctis in ea formis: eluſit, inquam, hanc plenam ſapientiæ concluſionem alieno, & parum accommodato reſponſo: ſpecies, inquit, non pereunt, ſed ſingulorum ſucceſſione conſeruantur. At, ô bone, quæſtio erat de ſingulari & Phyſica rei cuiuſque forma, tu reſpondes de logica, & vniuerſali, ad quem ſcopulum pariter offendiſti 6. Philoſophiæ. Veruntamen propoſitio vera eſto, at primas qualitates eſſe mera accidentia, approbare quis poſ-
D ſit? formæ perfectæ non intenduntur quidem, ſed imperfectæ cur non? commiſcentur enim ad generationem mixtorum, perfectæ nunquam: miſceri autem niſi refractis & retuſis viribus non poſſunt vllę qualitates. Tum intendantur ſanè in alieno ſubiecto, vt puta calor in igneo aut calefacto corpore: non tamen in proprio, cui primò per ſe inſint: in hoc enim licet functiones & facultates intendantur, habitus tamen ipſi, quamquam occulti, permanent: argumento eſt quod in potentia aqueæ materiæ ſuperſit frigus, in terra vis ſiccitatis, quippe cùm redeant ſponte ad priſtinam naturam, depulſis ſenſim qualitatibus alienis. Exempli loco, calefactio & refrigeratio (quę ſunt caloris & frigoris energię) intenduntur & remittuntur: item calefaciendi & refrigerandi facultates, formæ verò & habitus, nempe calor & frigus, minimè: niſi fortè ex accidenti & per aliud,
E ſcilicet cauſa materiæ. Scitè enim Ariſtoteles in libris de ortu, Si calor eſſet immateriatus, inquit, ageret ſemper, nunquam pateretur. Eſt etiam, vt quęuis alia forma, natura ſua ἄϋλος immateriatus, licet eius ſit ἔνυλος λόγος, definiri aliter non poteſt quam per ſe ſubiectum, propter energiam, quam materię coniunctam habet, quámque cogitur corporis obire miniſterio, quare per ſe naturáque ſua impatibilis, cauſa materię patitur interítque.

ORIANTVR NE FORMÆ.

CAP. VI.

Res quæ fiunt, creantur aut generantur, generantur mutatione potentiæ in actum, quæ mutatio fit partium & temporis successione, alterata sensim materia. Creantur autem momento & simul, sine subiecta materia. Atqui formas non oriri iam planum fecimus. Creantur ergo, an in materia vt figuræ? an extra vt intellectus? at hic solus Aristot. sententia extrinsecus accedit, siue fiat quotidie & singulorum sit proprius, siue factus ab æterno cœlitus instilletur, sitque vnus & communis omnium (de hoc enim definire non est huius loci & instituti) cæteræ igitur formæ fiunt in materia, atque vt distinctius & magis propriè loquamur, connascuntur materiæ, non enim simpliciter moriuntur, vt diximus: sed commoriuntur, eum omnino in modum, quo calor extinguitur in corpore: quod tam obscurè quam subtiliter in Physicis & Metaphy. lib. ab Aristot. demonstratum explicat Philopon. comm. in lib. animæ. Deinceps ordine quærendum est à quo, ex quo, & quomodo fiant.

A QVO FIANT FORMÆ MIXTORVM, & ex quo. CAP. VII.

Efficientivm alia sunt ὁμοειδῆ quæ agunt κατὰ πάθος, imprimuntque patienti quam habent qualitatem, de quibus intelligendum est quod dicitur, causam cur quidpiam sit tale, magis talem esse. Item agentia & patientia communicare materia, & agendo repati. Alia verò ἐνεργητικὰ, quibus affectiones insunt δυνάμει tantum, quas ἐντελέχεια sua excitant in capace materia: sic sol vtraque reuolutione, temporum & rerum vicissitudines dispensans, vitali suo calore format hic conseruatque omnia, dum artificis instar in communi materia primas qualitates contemperat ad generationem mixtorum: id autem à quo, efficientis, id ex quo, materiæ nomine appellatur: tum efficiens, patris, materia matris appellationem sortitur. Itaque formæ mixtorum patrem habent diuinum & cœlestem, matrem verò patibilem & sublunarem. Ne quis autem obiiciat, ea quæ efferunt aliquid ex se, perfectiorem habere naturam, quàm quæ ex his efferuntur: aut imperfectum perfecti non posse esse principium. Hoc enim licet Aristot. Galen. & Cic. sustineatur testimonijs, omnium tamen rerum inductione refelli potest, quæ semper ex imperfectis ducunt originem. Neque nos dicimus emergere formas è materia, quod placet Scaligero, neque potius eas educi de materia, vt videtur populari nostro Fernelio, quia sunt immateriatæ, quanquam necessitate quadam materiæ vinctæ & alligatæ, sed ex temperatis potius qualitatibus, in communi materia illas exoriri. Aliud enim materia, aliud qualitas materiæ. Quæ cum ita sint, videant eruditi quàm sapienter aliqui negent calorem, vitam, minus animam largiri, quia nemo dat quod non habet. Res enim temperantur efficientia caloris, estque efficiens generationis proximum & coniunctum quod Aristotel. ἔσχατον, Galen. συνεχὲς, Stoici συνεκτικὸν, interpretes προσεχὲς appellant. Viderint etiam quàm prudenter Themistij sectatores animam sibi domicilium architectari existiment. Illi enim naturam pro anima, ac proinde naturæ atque animæ motus, quos tam solicitè Platonici & Peripatetici distinguunt, confundere coguntur. Vis autem illa quæ à Gal. πλαστικὴ, alias ἀναπλαστικὴ siue διαπλαστικὴ nominatur, ab Aristot. γεννητικὴ, puta quæ latet in canis, aut Diogenis semine, aut quæ vbiuis locorum sine semine bestiolas innumerabiles quotidie producit, est principium quidem animationis, non ψύχωσις, vt placet Pythagoreis, multo minus anima, quid igitur? natura, insitum quippe motionis principium: quo sensu à Gal. calor, non semel natura dicitur, anima nusquam. Animatur enim fœtus operatione naturæ, eiusque agentis, finis est anima, finis inquam ὧ non ᾧ, hoc est, ad quam non à qua, aut cui fit motus. Non ergo anima, quinimo nulla alia forma sibi ipsi dearticulat corpus: sed ex corpore à natura ficto, & certis organis formato resultat, eo qui sequitur modo.

A *QVOMODO FIANT FORMÆ.*

CAP. VIII.

DISTINXIMVS synthesim à genesi quod illa esset artis, hæc naturæ: ars autem quantum potest imitatur naturam. Quare componit artifex imitatione naturæ generantis, ideóque qui norit quómodo res figurentur, eadem opera cognoscet quo pacto res formentur à natura: figuli autem vas detornantis versionem, figurationem propriè dixeris, vase autem perfecto, eo ipso momento quo motioni extremam manum imponit, factum vas figuratúmve dicitur. Natura igitur paulatim efformat materiam, & cum tempore corpus dearticulat, at postremo formationis momento formam dicitur
B dedisse, hoc enim est quod Aristoteles demonstrat in libris de motu, & sæpe in Philosophia, formari quidem res in tempore, sed formam acquiri momento. An verò extrinsecus aduenerit, facile iudicabit qui formationem, vnam continuatamque motionem esse intellexerit, cuius duo sunt extrema: potentia & actus, hic finis, illa principium motus. De intellectu verò quem Hippocrates disinitiùs quàm Aristoteles, exacto tempore conceptionis, hoc est quadragesimo die fatetur aduenire, an sit essentia quædam per se cohærens, vt est reuera, tum qualis sit & quomodo vniatur corpori disserui in libris animæ, ad quos velim tres istos esse Isagogicos.

FINIS.

C

IOANNIS RIOLANI

OPVSCVLA PHILOSOPHICA.

IOANN. RIOLANVS LECTORI.

D SI requiras hîc lectiora verba & è medio foro studiosiùs quæsita, memineris imprimis orationem rebus accommodandam, nec eundem esse dicendi atque docendi modum, quia res de quibus Philosophi disserunt dicere ornatè velle, pueri- le est: planè & perspicuè expedire posse, docti & intelligentis viri: non enim minus peccat qui desiderat in Philosopho loquutionem oratoriam, quàm qui in oratore Philosophorum ἀκρίβειαν, quia Philosophus est interpres veritatis, magister rerum non verborum: Candor autem veri-
E tatis postulat vt oratione tractetur simplici, sine fuco, sine vllo verborum apparatu: ne videatur doctori plus inesse loquentiæ quàm sapientiæ. Quamobrem vt Asclepiodorus olim pingebat eleganter sine coloribus: ita nuda veritas exponi debet, nullo fuco exornata. Vidēdum tamen dum Academica verborum maiestas negligitur, aut affectata Stoïcorũ loquutio deuitatur, ne in Epicuri barbaram & aridam nimis orationem incidamus, qualem à trecentis annis affectarunt Latini Aristotelis interpretes: Sed medium dicendi vt docendi genus cum Peripateticis sequendum est: proprijs & significantibus verbis planè & perspicuè veritas docenda. Vale è Lyceo Caluico: Anno Domini 1570.

IOANNIS RIOLANI
DISPVTATIO PHILOSOPHICA DE ANIMA MVNDI.

ESSE ANIMAM MVNDI.

VIBVS argumentis demonstrari solet esse quandam materiam A primam, primum efficiens, summum finem: ijsdem doceri potest esse quandam formam primam, quæ sit forma formarum. Ordo enim cùm sit aliquis vt cæterarum causarum, ita formarum, sintq; aliæ alijs priores, necessario est quædam prima: Vbi ordo, ibi prius & posterius, vbi priùs & posterius, ibi absolutè primum. Tum vt singuli homines vna specie vniuntur, communicántque singula animalia in eadem animalis natura: ita omnia quæ sunt, vnius primæ & communis formæ participatione videntur esse. Enimuerò cùm res diuisione materiæ multæ, numeróque differentes, vniantur forma, sitque hæc vnionis causa, vt illa multitudinis, mundi autem constituatur materia quædam communis & prima, nónne potius mundi quædam prima forma constituenda est? Quam manifestè demonstrauit Aristoteles, cùm motus & motores omnes ad primum quendam retulit, si quidem motori formam pro essentia subesse oporteat: non absurdè igitur Platoni- B ci appellare solent mundum magnum animal, eumque animatum ob id docere, quòd non sit consentaneum totius inanimati partes esse animatas. At species sunt primæ & præcipuæ partes mundi, plurimæ eæque præstantissimæ rerum species sunt animatæ, itaque verisimile est mundum esse animatum. Adiiciunt nihil esse perfectum sine anima, mundum autem esse optimum & vndique perfectum. Præterea eum esse essentia & numero vnum, vnionem autem essentiæ pendere ab interiore forma, vt pulchritudinem ab exteriore figura. Quare mundum pulchrum & perfectum, figuratum necessariò & formatum. Formarum autem cùm sint certi gradus, perfectioribus obtigit forma nobilior: vndíque perfectis, optima. Qualem esse animam cùm oscurum non sit, efficiunt, perfectissimum mundum non tantùm animatum esse, sed anima optima animatum. Obiiciunt aduersarij, intelligit ergo. at in- C telligunt ministerio sensuum animalia, imò verò propter sensum animalia dicuntur: sentit igitur: negant effici: Deum enim intelligere omnium opinione, eundémque animal nominatim ab Aristotele ipso vocari duodecimo Metaphysicæ, non sentire tamen. Nec vrget Auicenna hoc argumento: Quod mouetur à voluntate, non ignorat quò tendit: At cognitio singularis propria est sensus, vt vniuersalis intellectus. Quare mouetur à communi sensu. Addit non esse consentaneum aspectus & reuolutiones singulares à cœlo, & astris ignorari: quę pro perfectioribus habeantur, quippe cum sciantur à nobis. Non vrget inquam, quia cognitio astrorum similis est intellectioni mentium abstractarum, vt respondet B. Thomas. At intelligentię separatę intelligunt etiam particularia sine sensu, intuitiuè, non discursiuè. Nam vt nos ex particularibus vniuersale, sic illę per vniuersale singulare comprehendunt, & diuiniore modo cognitionis in causa intuentur effectum vt nos in effectu causam. Verùm sentiat sanè, quid tum? cum solem intueri & audire placeat principi Poëtarum

A rum, nec dubitent Plotinus & Simplicius tres sensus illi tribuere, auditum, visum, & tactum? Quibus sic opponit Auenrois: Primò non esse sensum absque sensorio, deesse autem mundo sentiendi instrumenta. vtrique parti sic respondent. Primum talpam inauritum audire. Tum, vt ait Plotinus, occultis, non prominentibus organis, vt par est eum audire, diuiniore modo. Pergit tamen homo magis argutus quàm doctus. Sensio, est passio sentientis, cœlum autem impatibile: Addit animalibus datum esse sensum in eos vsus, vt separent noxium alimentum à familiari, cœlum verò non nutriri, sensum igitur in eo fore superuacuum. At nos non negamus cœlum pati, mouetur enim, sed sine mutatione sui. Tum sensio exterior sit passio, non tamen interior, quo perficitur anima. At Auicenna (cuius laudis æmulus, studio potius contradictionis quàm veritatis, hæc & alia multa passim obiicit) interiorem
B & communem sensum tribuebat mundo, non exteriorem & particularem. Efficacius argumentum duxisset à tactu. Nam cùm sit primus & communis sensus, absque eo nihil sentit: at in mixtis tantùm locum habet, quia eius sensiterium, mixtum est, & qualitatibus primis temperatum. Verùm quid hæc ad interiorem sensum quem Auicenna defendit inesse cœlo, eo modo quo D. Augustinus in animo separato sentiendi, & patiendi, facultatem remanere putat: sine qua scelerum pœnas luere & sentire non posset? His inuitis animatus mundus intelliget, & si non sentiat. Tantum enim abest vt priuatio sensus eius arguat imperfectionem, cùm potius vt in Deo, intellectionis nobiliorem ostendat modum, siquidem sensus sit impedimento contemplanti. Audiant igitur Galenum sic loquentem: Quis tam demens audeat negare esse quandam mentem, cuius vis sit admirabilis, omnes terras permeantem, & in omnes illius particulas diffusam? At nulla est pars mundi terra igno-
C bilior: Itaque per vniuersum effusam esse animam intelligentem ratum & constitutum esto.

QVOD MVNDI NON SIT VNA forma, præsertim quæ sit anima.

SVPER hoc puncto vertitur tota disputatio de anima mundi: An mundus sit vnus continuatione partium, an contactu: nam si non sint elementa continuata, sed eorum tantùm extremitates se tangant, erit cuiusque vt suus locus, & distincta motio, ita propria forma. Causa enim loci mutant locum, ignisque ascendit, terra descendit. Quod non fa-
D cerent nisi essent in natura differentiæ loci distinctæ. At differentes loci ea quæ in ijs sunt naturaliter differre manifestè conuincunt: non quòd à loco eorum veram differentiam ducamus: Pendet enim ab interiore forma, sed quia sit index differentis formæ. Dicam faciliùs: mundus constat quinque primis & simplicissimis partibus, quarum quatuor vt loco, ita specie differunt, sed genere consentiunt (siquidem sit cuiusque elementi sua forma, vt locus proprius, materia verò communis) at cœlum ab his forma & materia differt. Quare non est omnium vna prima & communis forma. Tum quies elemētorum est ingenita & sempiterna, non enim possunt tota simul suis locis moueri, nec aliquando discordia impellente eò conuolarunt, vt placet Empedocli, nec fortuito motu materiæ, vt Democrito: nec fortassis opificis iussu in has sedes singula commearunt, vt cum Anaxagora videntur velle Platonici, sed
E quam habuit mundus faciem non mutauit, nec fuit tempus in quo non essent, vbi nunc sunt elementa: tota quiescunt, mouentur per partes. At quies naturalis, est ab insita forma? Quare vt singulorum elementorum est prima & naturalis quies, eáque ingenita & sempiterna, ita ingenitæ formæ & sempiternæ. In sempiternis nihil est prius, nihil posterius. Idem enim in his esse & posse. Ergo sunt quinque formæ æquè primæ, non distinctæ tempore aut generatione, sed ordine tantùm & perfectione. Verùm pressiùs & accuratiùs singula subducamus. Quas partes mundi dicis animatas, primásne & simplices, an secundas & compositas, quas partes partium appellant: Nam ex quinque simplicibus vnicum cœlum est animatum, de quo nondum est inter omnes definitum, nihilque referre existimant D. Augustinus in enchiridio, & Thomas 3. contra gentes, in schola Christiana vtrumuis defendatur. Quamquam Origines libro περὶ ἀρχῶν, aliquot coniecturis ex sacra pagina depromptis

ſuadere voluerit Chriſtiano non aliter ſentiendum quàm cœlum eſſe animatum. Ex A
mixtis ſunt longè plura inanimata. Quare ſi partium multitudine æſtimetur quæſtio, potius iudicabitur mundus inanimatus. Verùm cenſeatur ſi placet pauciori & meliori. Cur cùm totus per ſe & natura ſua ſit animatus, aliquæ partes erunt inanimatæ? Dixerim potius animalis partes elementa, atque adeo mundum ipſum (qui nihil aliud eſt quàm compages elementorum) quàm animal elementorum, vt deſinant Stoici hominem vocitare primam & præcipuam partem mundi: hoc enim ſublato & in elementa ſoluto, nihilominus remaneret mundus: quandoquidem habet eſſe ab elementis, bene eſſe à mixtis. Nec mundus perfectus vnquã eſſet ſi mixta primæ illius eſſent partes, nam id ſolum perfectũ dicimus quod numeris & partibus omnibus conſtat, at mixta omnia nec ſunt, nec poſſunt eſſe ſimul, oportuit enim futuris præterita ceſſiſſe. Perge: ſit omnium vnica forma, qualis? naturáne an anima? anima dices. Qualis? optima. Intelligunt igitur elementa. Atque cùm vegetatio & ſenſio ſint gradus quibus itur ad intellectionem, vegetant, ac proinde nutriuntur, accreſcunt, & ſibi ſimile procreant. Quòd ſi ſentit terra, quoties vomere ſulcatur, dolet: eſt enim dolor ſolutio continui cum ſenſu: Fortaſſis tot alterationes perpeſſa ſtato tempore ſanguinem in vitem profundit. Negas hoc, cur? quia intellectus in nobis vnus eſt & indiuiduus, neque tamen ſingulæ corporis noſtri partes intelligunt. Ratio: quia non ſunt omnes eius peræquè capaces, materia aliter atque aliter diſpoſita & affecta. Suſpicor quid velis: vt in nobis anima eſt numero vna, ſolis facultatibus diſtincta, ita putas rem ſe habere in vniuerſo. At Stoïcis hac de re imprimis cum Platonicis illis certamen eſto, qui vt ſedibus, ita eſſentiis differẽtes animas & in mundo, & in nobis ſtatuunt, animámq; ab idea, ideam à paterna mẽte nõ tãtum ratione C
ſed etiam re ipſa ſeparant, ſaltem in planta, bellua, & homine tres eſſe differentes animas non negabis, vt enim functio facultatis, ſic facultas eſſentiæ conſequens eſt. Forma igitur aliqua eſt in planta qua vegetat, Alia in bellua qua ſentit, Alia in homine, qua intelligit: at iſtas eſſentias quis prudens confuderit, quis vnius & eiuſdem animæ participationes dixerit? At hæc vnde in mundo facultatum captas diſcrimina? an ab organica & diſſimili modo formata materia? an ab agente forma? an ab vtráque ſimul? Philoſopho enim non ſatis eſt dixiſſe animam mundi in intellectuali natura intellectum, in animali animam, in naturali naturam, in affectu affectionem vocari. Cùm ſit vbique vna & ſui ſemper ſimilis, explicandum eſt cur hìc aliter, quàm illic operetur, putà in cœleſti mundo perfectiùs, quàm in ſublunari: non eſt enim conſentaneum eius potentiam vllibi mancam & imminutam. Dicent fortaſſe eſſe D
vitium impotentis materiæ. At elementaris materia eiuſdem perfectionis vbique capax. Age verò doceant Stoïci & Platonici quid oriri, quid interire appellent. Nam ſi noua forma non adueniat materiæ, ſed eadem nunc exerat ſe foras, nunc in eius ſinum ſe recondat (non enim aliter ortũ & interitum finiunt quàm eruptione & occultatione formæ) quid fiet noui? quid hoc ſi non ſit fabula, in qua perſonatus Deus è periſtromatis velut è machina nunc prodit in publicum, nunc ſub eadem reuertitur, & caput inter nubila condit; At inquam idem numero eſt, non nouus, qui centies milles itque redítque viam: eadem anima tot belluas, ſtirpes & homines à mille millibus annorum informauit, & deinceps informabit. Niſi quòd Proteo mutabilior aliquando villici, nonnunquam regis veſtem induit. Denique, vt fabulatur ingenioſus Poëta Stoicorum ille. *Iuppiter aut in aues, aut ſe trãformat in aurum.* Quæ ſi ita ſint, hoc ſolo differet viuens à mortuo, quòd in illo agat anima, in hoc ferietur, E
& in tenebris materiæ deliteſcat. Verùm quis ludicri iſtius ſpectaculi magiſter, cuius iuſſu ſtato tempore veniat in theatrum & peracta fabula à ſpectatorum conſpectu ſe ſubtrahat? animáne ipſa, qua ſuperiorem formam Stoïci neſciunt, quámque non dubitant nominatim Deum vocitare? at ſi forma hominis ſit Deus ipſe, homo non peccat, ſtultéque illi minantur pœnas delictorum, nam Deus in ſeipſum ſæuiret, qui ſolus in homine peccarit. Mirum præterea atque iterum mirum, cur non eorum quamplurimi reuixerint, nec ſit repertus ex tanto numero vllus, qui latitantem animam ſuſurro, prece, amuleto aut alia quapiam ratione non reuocarit, vt bonorum veſani decoctores alcumiſtæ quintam trahunt eſſentiam. Nam ſi, vt ille ait.

Hoc arg. conuincẽdi ſunt qui cũ Aphrodiſæo intellectum agentem putãt eſſe Deum.

Victa hominum precibus cœleſtia numina, terram
Coguntur petere, & caſus aperire futuros:

Poteran

A Poterant longè faciliùs pij & religiosi viri adiuratam animam è materiæ gremio reuocare. Si præstigiatores necromãtæ carminibus cœlo possunt deducere Lunam, & nefando sacrificio, si dijs placet, animas euocant orco, faciliùs erat eas de sinu materiæ extrahere, vel simili inspiratione sorbere qua ceruus anguem. Quid si cadauer fiat esca canibus, quas in latebras sese abdet animula, vt rapaces effugiat dentes? comedetur enim ni sibi fuga consulat. Quibus terriculamentis Ægyptij suos in officio continebant. Insepulta enim maleficorum corpora exponebant canibus dilanianda in perpetuam pœnam, qua vt Pythagorei μετεμψυχώσει pro inferis vtebantur. Verum si voretur à cane, duas possidebit formas, caninam & humanam: diffugiet fortè. Quò? materiam enim non inueniet præparatam. At si promiscuè cuiuis materiæ se immiscet, si reuniatur toti, & cum elementis eò redeat vnde profecta est; Quidni intelligit vbique? An quia destituitur organis? At cum Platonicis negant
B Stoïci ad contemplandum menti opus esse instrumento. Quo igitur Stoïcus differet à cane aut lapide, cùm ab eadem forma regantur & perficiantur, delibatione animę mundanæ? figura dices & affectionibus materiæ, non enim video quid aliud possit responderi: quia energia adest & abest, & facultatis est consequens, vt facultas essentiæ, quæ sola rem finit & denominat. At anima quæ vt in toto, ita in quaque particula creditur esse tota, erit in cane tota & tam potens quàm in homine. Quid ergo vetat canem, Stoïcum vocare? Valeant Philosophi, qui definiunt omnia, & separant formis specificis: vicerint Sophistæ qui affectionibus describunt. Rogandi sunt præterea quænam & qualis sit illa οὐσία per vniuersitatem diffusa, philosopho namque loquendum est definitè. Pro illis respondebit Zeno esse opificem ignem: Sic enim Deum appellabat. At ignis constat aliqua forma, quia corpus. Non est ergo forma,
C saltem non prima: pars enim prior est & simplicior toto: ignis est materiatus, prima forma Metaphysica & immaterialis. Adhæc Deus iste posterior erit materia, quia materiatus. Sed missis Stoïcis, digrediamur tantisper ad Platonicos, illos, præsertim qui non essentijs, sed solis rationibus tres animas, vt in nobis, sic in mundo separant, eosque interrogemus quorsum de creatione animorum ab æterno commiscantur tam multa, curque dæmones vt pædagogos nobis adiungant: tum cur vtraq; reuolutione firmamẽti, vna Clotho, altera Atropo, nobis Lachesim, sortem, seu fautum dispensari affirment. Nam si vbique vna est anima quę omnia intus audit, omnia intus conspicit, si Iouis plena sint omnia, si omnes mundi particulas habitet, nullúsque sit angulus destitutus eius præsentia, si cœlum & terram replet tractúsque maris, cœlumque profundum, si totam infusa per artus mens agitat molem & ma-
D gno se corpore miscet, si in ea simus, viuamus, moueamur, adsitque tam propè vt palpari, digitóque monstrari possit (nam Iuppiter est quodcunque vides, quocunque moueris) cur

Millia terque decem genus immortale ministri
Sunt Iouis, hique homines seruant telluris alumnos?

Si Deus ipsemet sit in re quaque præsens, & amictus aere, totam terram peruadit vt cernat quid rectè aut prauè geratur: quæ necessitas est ministrorum, qui renuntient illi quid agatur à ciuibus vniuersi? Quid opus ab æterno creatis animis? sunt enim in nobis multæ, vna creata, altera creans, aut non est spiritus mundi fusus per omnia. Præterea quæ necessitas est istius animæ, si principium originis sit cœleste. Si sol suo calore format hîc animátque omnia, quis vsus animæ mundi? Si natura sit
E vis genitrix & genitorum conseruatrix quæ quotidie noua cœlitus affluit astrorum, potissimum Solis, motu excitata, quid opus est permanente substantia genitrice & conseruatrice? Vna enim posita alteram tollit: Atqui sensus ipse nouam influere quotidie, demonstrat. Apage ergo spiritum mundi. Sanè consentaneum est in simplicibus cum simpliciorem esse & liberiorem quam in mixtis. Quare elementa potius sunt rationalia, quàm homines, si modò anima mundi per se naturáque sua rationalis fuerit, non beneficio materiæ conformatæ. Quæ cùm saluo iure rationis poni & defendi non possint, consulamus oraculum sapientiæ, vt moniti meliora sequamur.

PERIPATETICORVM SENTENTIA DE PRIMA forma, quam Platonici animam mundi appellant. A

NON negat Aristoteles esse quandam formam omnium primam, quæ
sit forma formarum, per quam sint, conseruentúrque omnia: sed ne-
gat eius essentiam vnam & indiniduam simul à multis participari. Quia
cùm Deus semper præsens & vbique adesse credatur, cur non efficit ho-
minem absque semine? cur non αὐτάνθρωπος ille participatus, nullum
adhuc hominem genuit? negat præterea primam illam formam fusam esse per om-
nia, vbique enim Deum esse existimat mediatè non immediatè, hoc est per mini-
stros non ipsummet in re quaque, potestatiuè non substantialiter: sedens enim su-
pra firmamentum, cœlestes animas mouet ad officium, excitatæ eius visione & amo- B
re, vt operarij præsentia architecti, singulæ singulos orbes conuertunt. Quo ex motu
nascitur moderatus & vitalis calor. Vt enim alteratio motus, ita prima alteratio pri-
mi motus est consequens, alteratio prima est primæ qualitatis, nempe caloris, prima
motio est rotunda, quare rotundæ motionis repor ille ætherius est prima soboles.
Qui vehiculo luminis huc transmissus pro capacitate materiæ excipitur, eámq; im-
mixtus miscet & informat. Quódq; Iamblichus ex doctrina Ægyptiorum narrat de
iunioribus dijs, Aristotelei affirmanr de summo & omnipotente, qui à Platone Deus
deorum perhibetur. Hunc enim per internuntium solem, solem verò per medium
calorem omnibus præsto esse arbitrantur. Quamobrem solem fontem vitæ & cor
mundi vocauit Poëta: è quo scilicet in vniuersum mundum influit calor, vt in singu-
las corporis particulas à corde. Nec minùs sapienter ab eodem oculus Iouis fingitur: C
Nam vt optico radio res obiectas intuetur animus, ita solari Deus quę vbiuis gētium
& locorum aguntur. Vtque Lynceum visu tam acuto & perspicaci fuisse fabulantur
Poëtæ, vt in terræ viscera vsq; peruaderet, & illic quid rerum ageret natura penitius
inspiceret: sic in omnem, quamuis longinquam & retrusam partem mundi, insinuat
sese & penetrat solis radius. Cui quid potest esse inuiū, quid inaccessum? finge, si pla-
cet, animū tuum solutum caligine corporis & in superas sedes admissum animare so-
lem, haud dubiè videbit ostia ponti, videbit ostia Nili. Nam quídni cùm peruia sint
media, sola terra opaca? at longè potentior est solaris animæ visiua virtus, eiúsdem ra-
dius velocior & penetrabilior: Quid igitur mirum si Deum è summo cœlo aspicere
quæcunque hic agunt mortales credamus constanter & asseramus? Stultè propha-
num vulgus imperfectione sua cœlestium naturas solet æstimare, nostráque ad Deos D
potiùs, quàm diuina ad nos transferre. Enimuerò si verè Galenus cum Platone sen-
serit emissione spiritus αὐγοειδὲς, vehiculo medij quoque pellucidi & sibi similis rerum
species eo apprehendere modo quo spiritus animalis, ministerio neruorum tactiles
qualitates, quídni nobilior & potentior ille radius, cœlitus influens, res obiectas
comprehendit, earúmque refert species? Verùm pergamus: energia caloris quem ir-
requieto motu solis excitatum transmittit huc primus generationis author, formari
manifestè videmus omnia, est ergo formator & parens cuiusque rei non forma ipsa:
externus est non insitus, at causa, causæ vt aiunt, est causa causati. Ergo Deus vt mo-
tus & caloris, ita formarum ac proinde rerum omnium primus autor à Peripa-
teticis iure perhibetur. Sic enim eorum magister: Primum & commune principium
motus, est singulis omnibus causa motus, & in libris sapientiæ: ab vno principio om- E
nia profecta sunt. Quo quid non dicam à Philosopho naturæ lumine, sed à Christia-
no spiritu veritatis afflaro, dici aut excogitari potuit diuinius? audebítne Platoni-
corum aliquis aniles fabellas de ideis, dæmonibus, animorum creatione ab æterno,
eorumque in corpora belluarum migratione (quę si tu illis detraxeris, doctrinam
eorum funditus sustuleris) huic sapientiæ inuictis rationum momentis demonstra-
tæ, anteferre? Quis veterum physicorum ratiocinando rerúmque causas scrutan-
do tam alrè exeruit animum? Democritúsne? qui à Moscho quopiam Phœnice
persuasus, asseruit atomorum in inani volitantium temerario concursu generari om-
nia? An Empedocles, qui concordiam & discordiam, vt efficiendi causas contra-
rias & primas posuir, cum vnica sit prima: quíque indefinitis nominibus quibus
quid innueret, quídue subesset nescitur, expressit? Adde etiam his vocibus nihil
designari

A designari præter διαλίους, quibus subiici quidpiam quod natura sit prius tam notum est quàm quod notissimum. Anaxagorásne? hunc equidem audio multis nominibus commendari. Primo quòd patrimonium vendiderit vt philosopharetur liberiùs. Tum quod primus mentem in scholas philosophorum inuexerit (nisi forte Archelao & Hermotimo Clazomenio nota fuerit) quæ nulli commixta exornaret omnia. Qua ratione vulgo νοῦς vocabatur, eiusque sepulchro hoc elogium inscriptum legimus:

Hic situs est quondam qui mentis lumine mundi
Peruasit fines, magnus Anaxagoras.

Cuius sententiam non tantùm Plato, verumetiam Aristoteles & Aristotelis interpretes mirificè commendarunt. Attamen in Phædone vt oblitus suæ mentis reprehenditur: qui in prima tantùm materiæ confusæ ordinatione eius operam B inuocarit, in rerum singularum effectione prætermiserit. Quam notam in philosophia non semel Aristoteles quoque ei inussit. Eundem in Apologia perstringit Plato, quod Solem lapidem, Lunam verò terram dixisset. Accusatur à Xenophonte vt minùs prudenter de dijs sentiens, & à Plutarcho impietatis damnatur. Quem igitur veterum Aristoteli possis opponere: quam doctrinam diuiniorem audeas dicere; materia inquit, natura sua patibilis est, & ad agendum planè inepta. Quare promouenda est ab aliquo efficiente. Qui balbutiente philosophia credebatur ignis. At mens tandem caloris domina & dispensatrix comparuit, quæ vt animus humanum corpus, vniuersitatem hanc regeret & ministerio secundarum causarum sublunaria generaret. Vt enim natiuus noster calor animæ, sic vterque calor cœlestis & elementaris primi motoris sunt instrumenta: interest tamen quòd elementari vtatur tanC quam materia, ætherio vt efficiente, eo modo quo artifex igne suo. Est enim elementaris calor ἑτεροκίνητος, non mouet nisi moueatur. At cœlestis αὐτοκίνητος, mouet semetipsum, non πρώτως. Quare cùm elementaris calor sit secundaria & instrumentaria causa, instrumentum verò non moueat nisi motum aliundè, stultè primarium efficiens creditus est. Sapienter Aristoteles solem caloris istius parentem docuit, eumque vt primam causam physicam & mobilem in opere physico constituit, in Metaphysico verò Deum immobilem & immaterialem, denique absolutè primam. Quæ cùm ita sint, succensendum Iulio Scaligero contra Cardanum sic scribenti. Non arbitror esse hominis sapientis arbitrari anima carere mundum: quod in Philæbo cùm demonstret Plato, ei sanè assentior. Inctepandus quoque Fernelius, non tantùm quòd solis auctoritatibus animatum esse mundum contendat. Verumetiam quòd D detortis aliquot locis inuitum Aristotelem in istam sententiam trahat. Quasi Aristot. opinione Deus informet mundum qui extra & supra materiam omnem degit æuum beatissimum. Quasi solaris ille & vitalis calor, cuius ministerio generat hîc omnia, sit permanens quædam essentia, non nouus subinde motu excitetur. Quasi participata Dei substantia, singulis quæ fiunt sit pro forma, dispeream si quid vnquam commento animæ istius legerim futilius.

Video hominem sua mente non utentem.

E

DE FATO.

MONYMIA imprimis euoluenda: Fatum triplex: Physicum, Mathematicum, & Metaphysicum: Physicum, assertores habuit Peripateticos: Mathematicum Astrologos: Metaphysicum, Stoïcos.

Aristotelei enim quod naturaliter fit, fato fieri volunt; mortem fatalem opponunt violentæ: eúmque fato mortuum asseuerant qui naturæ ius persoluit & iam multo senio confectus decessit è viuis: quo alludens Platonicus Poëta, scribit Didonem violenta non fatali morte periisse.

Nam quia nec fato, merita nec morte peribat, A
Sed misera ante diem.

Fatale & necessarium est, quia naturale, grauibus deorsum, leuibus sursum ferri:
Ignis calefacit fato, quia obiecto præsente non potest nõ calefacere. Quo fati signifi-
cato includitur generalis Dei prouidentia, quam naturam cõmunem à Peripateticis
appellari iam admonuimus: Quod genus fati, nulli quod sciam reiiciũt, nisi forte de
nomine potius quàm de re sit controuersia: naturales motus non satis propriè fata-
les appellari contendant. Arist. 5. Physic. naturalem interitum appellat ἱμαρμένην.
Astrologicum fatum hypothetica materiæ necessitas refellit, nam astrorum be-
nigni aut maligni influxus nil possunt sine materia certo modo præparata, neque
enim promiscuè ex quolibet fit quidlibet, non fit Mercurius ex quouis ligno, sed
præexistat necesse est materia certo modo affecta: Vtpotè hoc aut illo modo tem-
perata, aut conformata. Alteratio enim præcedit ortum simplicem, priùsquàm oria- B
tur substantia, materiam ex qua fit prius alterari, & variè præparari necesse est. Præ-
paratur autem à secundis causis, perficitur à primis: Iuppiter hîc non pluet nisi ha-
beat nubem suppositam, neque tempora suas constitutiones seruabunt si contrarijs
ventorum flatibus aer agitetur: Materia est principium sine quo non: nisi fuerit apta
& idonea, inutiles erunt constellationes: nisi Planeta genituræ Dominus inueniat
subiectum capax; inanes erunt illius conatus. Nisi viri semen quantumuis fœcun-
dum inueniat sanguinem maternum quãtum & qualem decet, frustrabitur suo fine.
Stoïcum fatum seu immutabilem Dei voluntatem qua regi hunc mundum arbi-
trantur, arbitrij libertas excludit: nam si hominis voluntas sit libera, si principium
sit indefinitum, & ad vtramque partem contradictionis peræquè affectum, Si perin-
de mihi sit liberũ ambulare, atque non ambulare, benè ac malè viuere: non pendeo C
ex aliena, sed totus ex mea voluntate: nulla necessitas externa me cogit hoc aut illud
agere, Pulset Deus, incitet quantum voles, non necessitat, nõ cogit: Electio hominis
est, nõ suasoris Dei. Quod si homo sit sui iuris, si liberum fuerit Herculi quam voluit
viam deligere, neque aurigantibus stellis mens humana ad hoc aut illud impellitur,
neque à Deo cogitur, sed excitatur stimulatus. Voluntas affecta est ad intellectum,
etiam diuinum, vt rex ad consiliarios. Consulunt equidẽ honesta, eáque tantum sua-
dent quæ sunt virtuti & rationi consentanea, voluntati tamen liberum est bene mo-
nentibus non parere. Imperant enim volenti, vt rex, non inuito, vt tyrannus; Admo-
nent, suadent, incitant, non necessitant, non cogunt. Enimuerò si necessaria sint om-
nia, & à necessarijs causis profecta; quid contingens? nullum principium est indefini-
tum, Atqui contingentium multa sunt genera, est contingens ad vtrumlibet, cõtin- D
gens futurum, cuius indistinctum est principium: Itaque falsum est omnia esse neces-
saria, & à necessarijs causis profecta, falsum est ineuitabili necessitate hunc mundum
gubernari. Quod si in ipsomet Deo voluntas pro varijs factorum circunstantijs mu-
tetur, Mutat enim sua decreta, prout nos mutamus vitam, vt libro de vtráque Dei
prouidẽtia demõstro, apage Stoïcum fatum. Absit tamẽ vt cũ Epicuro negem Dei
prudentia mundum gubernari: Ille enim vt hominis libertatem retineret sustulit de
mundo prouidentiã. At inquam Deus non tantum cõmuni, sed etiã particulari pro-
uidentia prospicit mundo, curat non tãtùm vt sint, sed etiam vt bene sint omnia: co-
gnoscit indiuidua nõ tantũ in ratione speciei, sed etiã secundũ suas indiuiduales pro-
prietates, cũ enim ea fecerit, possúntne illi esse ignota? Cũ abiectissimus artifex suum
opus cognoscat, éstne verisimile Deũ ignorare quid agat? nec refert si singula sint in- E
finita & caduca, quia cognoscuntur sub ratione finita, eáque certa & determinata.
Obiiciet aliquis, res nõ potest aliter sciri quàm ferat illius natura quia veritas pen-
det ex re. Atqui contingens ad vtrumlibet præsertim futurum est indefinitum, vo-
luntas est indeterminata, & ad vtrumlibet peræquè affecta: Ergo à Deo indetermi-
natè cognoscitur. Potéstne dicere quid cras placiturum sit mihi? de rebus agendis
domi aut foris quid consilij sim capturus? Cum mihimet sit incertum consilium cra-
stinum, potéstne Deo esse certum? Respondeo etiam quæ à mille annis euentura sunt
Deo esse præsentia, quia viuit in brachijs olim, seu sempiternitatis; Sempiternitas
autem continet omne tempus: proinde non tantum præscit & veluti in speculo in-
tuetur, quid sis facturus, sed etiam quid cogitaturus; neque tamen illius præscientia
imponit vllam agendi necessitatem, quia similis est ei qui ex alta specula præuidet
viatorem

viatorem in hostium insidias præcipitem ruere, non quia Deus præuidit te fore mi-
A serum, nebulonem, & inhonestè periturum, idcirco causa est tuæ calamitatis. Sed
quia ita futurum erat, præuidit, præsciuit, prædixit. Cur futurum? quia voluisti, ex
te ipso perditio tua. Voluntatis quidem efficiens Deus, tu prauæ, honestæ tu, Deo
suasore.

DE LIBERO ARBITRIO
B
DISPVTATIO PHILOSOPHICA.

CVM homo duabus constet partibus, animo & corpore, hoc si spectes
nil eo abiectius, nil calamitosius: qui lutulentus adhuc & humore ma-
terno diffluens, futuræ vitæ præsagire videtur mala, cum à vagitu pri-
ma ducit initia. Hinc illæ vituperationes: Nihil homine tellus alit in-
fœlicius: Hominis vita mors, finisque ab origine pendet, cui præstat
non nasci aut quàm ocyssimè aboleri: Hinc illa despectissimæ naturæ epitheta qui-
bus Poëtarum principes eius sortem deplorant, vmbra, vmbræ somnium, bulla:
Hinc illæ querimoniæ, nouercam naturam belluis plus fauisse quàm hominibus,
C cum eas accommodatis suæ naturæ instrumentis armarit, hominem inermem
produxerit, tum quod eas viuaciores fecerit & vegetiores, hominem tempera-
menti & cutis mollioris, assiduis passionibus tam animæ quàm corporis obiece-
rit. Hinc denique tot sacræ paginæ loci quibus vsque eo deprimitur nostra natura,
vt vermibus posthaberi videatur.

At si spectes animi facultates eumque consideres regendo corpori intentum, ni-
hilominus oculo interiore circũspicere quid rerum in cœlis & in terris agat natura,
nullum esse tam arcanum mysterium quod non eruat, facile persuadeberis hominem
posse plurima & maxima, imò eius præstantiam attonitus suspicies. Vnde nata sunt
magnifica illa eulogia, Magnum miraculum est homo: Audentis naturę opificium
admirabile. Animal consilij plenum & rationis, quo nihil diuinius in vniuerso con-
D spicitur, imò qui nunc Deus, nunc diuinus, paulum minutus ab Angelis, propter-
ea dicitur à spiritu veritatis.

Ad superiorem corporis imperfectionem, nisi me fallit opinio, cum Stoicis res-
pexerunt Manichei quando sibi nil, omnia Deo vendicarunt, & de naturæ suę con-
ditione abiectissimè senserũt: Ecquis enim in medijs angustijs quibus patemus con-
tinuè de se quidquam audeat polliceri? quis prudens sorte sua intumescet, aut suis ge-
stis insolentius exultabit, dum humanæ vitæ varia reputabit mala: quis ingenio suo
aut fortunę bonis confidet, cũ audiet Polycratẽ cruci affixũ, Crœsum Cyri imperio
subditum, Cyrum ipsum in aliorum potestate constitutum, Dionysium Corinthi?

Contra animi perfectionem cum Aristoteleis Pelagiani spectarũt cùm hominem
ἀντεξούσιον suarum actionum dominum, dixerunt. Quis enim dum artis & rationis ope-
ra planè diuina attentiùs considerat de se magnificè non sentit? Quis Ægyptiorum
E loquentes statuas, Archimedis sphæram, Architæ columbam, Apellis equam, Pra-
xitelis Venerem, Zeuzidis vuas intuitus: hominem per se nihil posse fatebitur? At ex
Theologis qui plusculum sapuerunt, corporis imperfectionem cum animæ potentia
sic temperarunt, vt hominem non operari gratiam, sed gratiæ actionibus honestis
cooperari dixerint. Legerunt enim in vtroque testamẽto locos prima facie pugnan-
tes, quorum alij humanam naturam tantum abiiciunt quantum alij extollunt, quare
cum vt par erat constanter crederent Deum mentiri non posse, aut loqui pugnantia,
cum sit vnus & sui semper similis, sic litem composuerunt, vt plerúmque nobis vix
quidquam tribui cẽsuerint, ad retundẽdum φιλαυτίαν nostrę naturæ plus satis amicam:
vtque arrogans animus ad saniorem mentem rediret, memor suæ sortis & conditio-
nis: Tum vt numen in rebus agendis imploraretur, cuius alioquin nos caperet, facilis

obliuio: Adhęc insigne est præceptum in regendis moribus potentissimum, Quoties A natura propendet in vnum contrarium deflectendam esse in alterum, sic enim futurum vt teneatur medium: Scio Pelagianis vt Manichæis adesse locos quibus se communiant, at honorarij iudices omnibus maturè subductis inter Scyllam & Charybdin iter medium & tutissimum tenuerunt, pro quibus nos pugnare instituimus hinc sumpto initio.

Platonici constituunt rerum omnium principia Deum & materiam, quæ Ægyptij Osirim & Osomarim, Pythagorei vnum duo vocabant, Manes lucē & tenebras, vtque Deum boni, ita materiam mali parentem dixerunt, quæ per se ἄποιος cum sit, formarum tamen est auidissima, qua ratione à Peripateticis κακόποιος, à Stoicis [illegible] dicitur, scilicet propter δύναμιν ἀντιφάσεως, expultrix veteris formæ & appetens nouæ, atque vt paucis absoluam cum eius natura sit in potentia, infinitate, & fluxu, non absurdè vt Deus boni, sic illa mali fons & origo perhibetur: finge animum medium B inter vtrumque principium, quæro, possitne liberè erigere se, & attollere ad Deum, quæ summa animæ libertas à Platonicis vocatur, vel in sordes materiæ se deiicere & præcipitem dare: super hac quæstione sequens disputatio vertetur.

Ego contendo vtrumque esse in eius potestate, quamuis ad peccandum sola licentia desideretur, Ad bene viuendum cum interiore principio auxilium externum. Ordiar autem ab eo quod minus habet controuersiæ.

Vt virtutis angusta est & simplex semita, ita vitij multiplex & fallax, quia materia multis nominibus infinita est, vtque Deus ordinis & vnionis, sic illa confusionis, diuisionis & multitudinis nutricula est & mater: multiforme autem quam sit vitium, vel ex eo solo potest intelligi, quod non tantum virtuti pugnet, verùetiam sibiipsi, vt C excessus defectui, Auaritiæ Prodigalitas, Timiditati Audacia, quomodo mendacia à vero, & à seinuicem discrepare solent. Est autem vitium nil aliud quàm lapsus animæ in contagionem corporis, nam dum se sustinet, nec illecebris materiæ mancipatur, non peccat: his delinitus semel & irretitus, libertatem perdit, & seruitutis horrendum iugum sibi imponit: Atqui vt difficile ascendere, ita descendere, & ex alto in imum se præcipitare, tam facile est, vt nihil magis: errare igitur & labi lubricum est, & obuium cuique: quæ causa mouit Theologos, vt ad bene viuendum monitorem & impulsorem Deum desiderarint, ad peccandum solam licentiam.

Facilis descensus auerni.

Perditio tua ex te, à me auxilium. Oseæ 13.

Doctè: vt enim veritas mendacij, ita neque bonitas malitiæ causa esse potest. At dices, corporis in animum tantum est ius, vt eum inuitum rapiat ad se, & quamuis renitentem trahat, videtur enim tam furiosa Venus, tam potens stimulus carnis (taceo primos impetus iracundiæ) vt quoties turget ei frena iniicere non sit in nobis, D proinde vnusquisque coactus peccat: quo argumento victus Plato, neminem peccare sponte, sed omnes contra voluntatem fieri malos existimauit. Qui tamen hoc solo possit reuinci, quod arduum sit esse virum bonum, prauum facillimum, quia vt dixi ad vitium patet aditus multiplex, ad virtutem vnicus, & à signo recedere infinitis modis licet, id autem attingere, vnico. Sponte autem nos fieri bonos ille ipse existimat, ergo potiori iure nos volentes fieri malos credere debuit. Sed enim quid innuit aliud octauo de legibus, quando plurimos memorat, quos assiduus labor reuocauit ab incontinentia, quàm otio sublato perire cupidinis arcus? at feriari, vel ad laborem accingi, nemo prudens dixerit esse extra nos. Quare veneris furias compescere, & ignes cupidinis extinguere videtur esse in nobis, est quidem ferox appetitus non effrenis & indomitus, siquidem sunt data intellectui frena quibus illum ferocientem reprimere possit, & coercere, qui est impositus corpori, vt auriga currui, E sessor equo, gubernator naui, rex populo, quibus oscitantibus non est dubium rem geri pessimè, at iisdem in officium intentis, omnia prosperè & penè ex voto cedunt. Ego non nego prauitate materiæ prępediri animum, & à suis functionibus sæpissimè abduci, at nego materiæ vim & necessitatem esse tantam, vt sub iugum formæ cogi non possit: non diffiteor animum qui suam libertatem semel commisit appetitui, eique longa consuetudine obstrinxit se & deuinxit, inueteratum habitum non facilè, nec quoties vult deponere, cum enim consuetudo sit altera natura, hæc autem ad mores recurrat damnatos fixa & mutari nescia, non est facilè assueta relinquere: At audenter nego ei primum non fuisse liberum ad istos Sirenum cantus obducere aures & obturare.

Non

A Non me fugit quam sit potens temperamentum ad mores animæ componendos, at arte corrigi & industria nostra emendari posse contendo, gentilitij enim mores sunt plebeij, quos animi generosi rationis regula castigant, quandoquidem vulgus belluarum more appetitum sequitur ducem, nobiliores intellectum: quorum vidimus quàm plurimos qui didicerunt iræ moderari. Enimuero quorsum de regenda iracundia tam nobilia præcepta circunferuntur, si hæc præstare non sit nostræ potestatis? Cum Zopirus mulierosum esse Socratem denuntiasset, Alcibiades, qui præsens tum aderat, erupit in cachinnum, quia sciebat eum continentissimum: tum ille; reuera eo me natura traxisset, nisi philosophia me continuisset. Viuit enim animus duobus modis, contemplatione & virtute: contemplatur abstractione mentis, viuit honestè dum appetitum à corporis perturbationibus, si non liberat & repurgat om-
B nino, saltem pacatiorem reddit & tranquilliorem. Pone tibi ob oculos continentem cui astent in ipso feruore libidinis duo consiliarij, ratio à dextris, quę illum à spuria & vetita libidine dehortetur: appetitus à sinistris, qui contra nitatur: nonne tandem illa victrix triumphat & appetitui dat legem? quid si temperatus esset, & tractu longo domitus? an non obsequentem eum & mandato protinus audientem haberet, non contumacem & refractarium? Mentiuntur ergo impotentes, qui cum videant meliora probentque, se tamen inuitos & libidinis violentia euictos deteriora sequi clamitant, falsoque hoc nomine suam prætexunt culpam: mentitur & Medea dum apud Euripidem incusat motus iracundiæ vt cędem filiorum, audax facinus, excuset, Scio (inquit) quanta faciam mala, sed fortior est iracundia consilijs meis. Condonetur aliquid primis motibus perturbationum, quod iudex ex officio facere tenetur: at cum deferbuit furor, datumque est tempus ineundi consilij, non potest culpa
C in violentiam appetitus transferri. Ferunt Polemonem petulantissimum iuuenem, cum semel audijsset Xenocratem de temperantia differentem, quam mox redisse ad frugem, talesque Polemones aliquando nos ipsi vidimus. At resipuit dices, numinis afflatu & boni cuiusdam genij inspiratione, sic est, sed quem putas genium illi adfuisse tum, præter docilem animum & obsequentem? qualem Aristot. optat in auditore doctrinę moralis, quia nisi ceruicem submittat magistro, eique lubens se det instituendum, sed bene monenti asper sit & contumeliosus, hunc instituere nihil est aliud quàm margaritas ante porcũ spargere, suauem liquorem fundere in scaphium, arenæ semina mandare, oleum denique & operam perdere. Critiam & Alcibiadem vt cæteros non potuit Socrates in officio continere, quid mirum? cum illi essent virtutis vt patriæ iurati hostes, auersi ab honestate, ciuilis educationis deriso-
D res, iustæ monitionis contemptores, qui sacri præceptoris sanctas monitiones conspuerunt, & nunquam ferulæ manum subduxerunt: non fuit culpa docentis, sed addiscentis.

Nemo adeo ferus est qui non mitescere possit,
Si modo culturæ patientem accommodet aurem.

Facessant ergo perditi nebulones qui naturam suorum vitiorum parentem criminantur, à primis annis virtuti assuescant, hoc enim imbuta liquore, seruabit odorem testa diu: nam quid inconsideratiùs quàm illud Aristippi, Nulla Bacchanalia contaminare mulierem castam queunt, quid prudentiùs quàm illud Euripidis: Tyranni discunt sapere consuetudine sapientum. Age verò consectaria absurda diligentius si placet exploremus, vt excusationi postea nullus supersit
E locus.

Vxor quę absente marito œstro libidinis percita fœdus thalami & coniugalem fidem violarit, deprehensa trahatur ad tribunal, si propterea supplicio adiudicetur, & rea mortis pronuntietur, nunquid optimo iure expostulabit cum iudice, & iniuriarum aget si peccarit inuita, nec ab adulterio potuerit se continere? digni sunt huius opinionis fautores, qui tales excusationes audiant à suis vxoribus: verum pergamus, & hac introducta necessitate iustitiæ diuinę, quis locus reliquus possit esse dispiciamus. Cum emigrarit hinc consistetque animus ante thronum iudicis Dei, honoris vel pœnæ sententiam auditurus, amandetur, ad inferos cruciandus, quia dum hospes ageret in corpore in eius sordes sese profundiùs immerserit: nonne meritò prouocabit? Ad quem dices, ad Deum, qui dignetur aurem præbere reo. Ergo impetrata venia audiamus, quid pro sua innocentia dicturus sit animus.

O qui res hominumque deumque crederis in terris sapienter regere, honoresque A & pœnas iustè dispensare. Te semper colui hominum in te sperantium protectorem, in tua misericordia omnem spem & fiduciam posui, at hodierna sententia qua tu insontem me pessundas & supplicio adiudicas Echetismo, phalarismo, pice, lamina, rota, eculeo longè grauiori, cogit me sententiam mutare, teque Phalaride crudeliorem iudicare.

Ciuitas perstat incolumis, cuius magistratus benè merentibus honores, delinquentibus supplicia decernit: meretur autem is solus aut peccat, qui sponte non inuitus agit. Non enim pro forti coronabitur quem necessitas coëgerit manere in statione, etsi de hoste victoriam reportarit, non potius certè quàm si instante hoste tentasset solum vertere & ignominiosa fuga sibi consulere. Non laudatur inops quem egestas facit abstinentem, non abstemius, quem sola natura retraxit à crapula, non eunuchus quod abhorreat à venere, quandoquidem voluntas virtutis B & vitij principium putetur, vt inuoluntarium nec pro virtute, nec pro vitio habeatur. At tu nudum in carceres corporis intrusisti, cuius adamantina vincula soluere nunquam potui. Huic enim in me tantum iuris concesseras, vt in hoc tenebroso sepulchro coactus sim miseram seruire seruitutem. Cur non fortiter restitisti, dices, quia tu nullis præsidijs munieras me, quibus eius hostiles insultus perferre possem & superare. Videris me miserum creasse in pœnam sempiternam. Hæccine est diuina prudentia in terris decantata? Audi quæso reliqua patienter, ego enim vnus pro multis assurrexi damnatorum omnium, te etiamnum iudice, causam acturus.

Peccatum non est nisi voluntarium inquit Augustinus.

Affectionum quædam sunt naturales, propter quas nec laudatur quisquam C nec vituperatur, cum non sint nostræ potestatis. Quis enim prudens ei succensuit quem natura deformem, claudum, aut valetudinarium formauit? Miseranda est istorum conditio, non irridenda aut punienda, sola enim quæ sibi quisque accersiuit mala, vituperanda sunt. Tu verò qui præsciebas quid esset euenturum, qualem me voluisti esse talem me genuisti, non alium volebas: fecisses enim si voluisses. Quare si quid peccatum sit, opificis non operis peccatum est. An securi imputatur si male secuerit? minimè verò, cum nec pueri, nec belluæ propter inopiam consilij teneantur pœna legis: At ego deliberare & eligere poteram, quasi deliberetur de his quæ non sunt nostræ potestatis, cum re expensa satis & subducta malo mederi non possumus, quid iuuat deliberasse? videris animo dedisse potentiam consultandi in crucem & sollicitudinem perpetuam, nonne lege & absoluta necessitate cogebar indulgere corpori? intermittebam enim contem- D plationem inuitus, vt famem & sitim sedarem, &, quod dictu fœdum sit honos auribus, deplendæ vesicæ & exonerandæ aluo oportebat me præsto esse. Quo iure igitur indigna tuo conspectu iudicor, & in illa mundi latera quæ nebulæ malusque Iupiter vrget relegor? Iudex ad exemplar tuæ iustitiæ, ius se dicere in terris profitetur, imo Deum alterum se iactat. At parcit his quos ignorantes aut inuitos peccasse intelligit: Quare aut ementita est, & fallax quæ à mortalibus pro numine colitur iustitia, aut tu mihi facis iniuriam: rationem inquies dederam tibi, qua tu posses vera à falsis, & bona à malis separare, rationem quidem adiunxeras mihi, sed adeo impotentem, vt eam quotidie fallacia rerum & incõstantia luderet, vsque adeo ferociebat appetitus, vt nullis frenis in officio contineri posset, eram, Dij immortales, vt absoluam paucis, iocus vester & ludibrium, si- E milis nautæ qui onerariam nauem solo conto adigere conatur ad ripas aduersis ventis.

Dij nos sicut pilas homines habent Plautus.

Hac oratione ni fallor deposito pudore expostulabit cum Deo, & eius iustitiam calumniabitur damnatus animus, cui quid putas ex alto solio iudicem responsurum? certè non deerit illi quo querimoniam tam vesanam reuincat, tale autem me iudice feret responsum.

Mendax animula eóne prorupisti furoris, vt meam iustitiam audeas incusare? cum emisi te in terrenum & caducum domicilium, nonne mentis consilijs iussi te fidem habere, quæ tu semper spreuisti? nónne prætereа viuendi leges tibi denuntiaui, quin etiam ore proprio vnigeniti mei per vniuersum orbem terrarum promulgaui? meministin reclamante intus ratione, & conscientia te retrahente (erat enim facilè

vincere non repugnantem, imò, sæpe deditionem vltrò procurantem quoties vin-
A ctas manus offerebas corpori, toties me adfuisse tibi & cœlitus affulsisse. Eram quippe vermiculus ille conscientiæ, qui te clanculum vellicabat: illa synderesis, qua percussum tuum cor tremebat sæpe & palpitabat, dic bona fide occultam illam testificationem honestæ, vel prauæ actionis, quam dies noctesque sentiebas, cuius alterius fuisse putas quàm vocantis te Dei, & à scelere reuocantis? at maluisti momentanea voluptate frui, quàm cum sudore æternam illam & suauissimam conquirere, cuius cæteras tu vides fieri participes. Ergo tu tibijpsi laqueum parasti, & spontaneam mortem consciuisti (mortem dico ineluctabilem, cuius vix vmbra in terris euanido momento sentitur) cum officio quod tibi præscripseram defuisti. Tu obtendis tuæ nequitiæ necessitatem corporis, at isto velo non potes obtegere labem: te enim genui ea conditione vt indulgeres corpori, sed simul indidi tibi regulam,
B qua tu posses fœrocientibus actionibus temperare, in quo solo laus est aut vituperatio, concumbere enim, comedere, bibere per se nec laudem merentur nec vituperationem: at certo modo hæc præstare, laudem, supra vel infra modum, censuram & castigationem postulant: si herus seruo & princeps subdito aliquid remittere debeant, an propterea desinunt esse domini? noli rogare cur tuam patientiam exercuerim, teque ad certamen cum inimico potenti immiserim: vt enim ex Olimpijs oleam, ex Pythijs pinum, ex Nemæis apium, ex pugillatu leminiscum nullus athletarum reportauit, qui non certasset fortiter: ita coronam ęternę fœlicitatis his solis destinaui, qui de corpore triumpharint: non ignorabas prudentiam, humanarum actionum dominam, esse positam in discretione boni & mali, tum virtutem cerni in arduis: nihilominus à certamine victa redijsti, & malum bono, vitium vir-
C tuti, voluptatem labori pręposuisti: quare iusto iudicio damnata meritas pœnas luito: quam cœpisti voluptatem agendo, eam perdas fortiter patiendo.

Archigenis aut Critolai statera criminationem cum recriminatione librato (Lector) videbis hanc illi mille vncijs pręponderare. Quod si ita sit, vt ita esse fatendum est, increpemus seuerè, & in pœnam deposcamus nebulones qui

Esse malum à superis affirmant, cum tamen ipsi
Criminibus proprijs omnes sibi damna pararint.

Mentitur Elpenor dicens, ego nō sum causa malorum, Iuppiter ast.

audenterque concludamus animam eluctari posse impetus corporis, atque è naufragio tam periculoso saluam enatare: Accedamus iam ad alteram partem quæstionis possítne ipsa erigere sese ad Deum qui est extremus scopus humanarum actionum, an in hoc, precariam opem cogatur implorare. Priori opinioni fauent Peripatetici;
D posteriori Christiani.

Deus in hoc theatro, sapientię vestigia impressit, quibus suæ prouidentiæ testimonium spectatoribus exhibet luculentum, non potuit autem in operibus suspici nisi primum cognosceretur: aliquod igitur animal hoc fine creari oportuit. Vt verò de artificis prudentia non est cuiusuis iudicare, sed periti tantum & sapientis: ita rationale esse opportuit quod œconomiam tanti opificis in symmetria partium & qualitatum sympathia obseruaret, intuentur enim belluæ orientem solem & occidentem, herbas depascuntur, mouentur, respirant, viuunt, at quid aut qualia illa sint, nec sciunt nec curant, in quo solo consistit energia rationis, ergo ratiocinari oportuit animal illud quod esset spectator, admirator, & scrutator diuinæ maiestatis, piè enim non verè dicitur, lapides, plantas, belluas quotidie suo
E idiomate hymnos canere Deo, cumque pro creatore agnoscere, illúdque ridiculè: canem in biuio

Cum stat & incertus qua sit sibi nescit eundum,

apud se raciocinari hoc dilemmate, aut hac abijt fera aut illac, non hac, ergo illac: sagacitate enim & odora vi hoc præstat non discursu. Nam cur non pari iure plantæ dum noxium alimentum relinquunt & suæ naturæ conueniens per fibras exugunt, pendent animi, & ancipites isto modo ratiocinantur? Solus homo ex sublunaribus discurrere potest, quid dico ex sublunaribus, imò ex omnibus quæ sunt: Deus enim non discurrit, quia discursus medius est inter sensum & intelligentiam, belluæ sentiunt, intelligunt diuinæ mentes, solus homo ex vno aliud ratiocinando colligit, quo belluas vincit, Deo cedit, ideo enim sortitus est habitationem in medio mundi, vt facilius tam cœlestia quàm terrena contemplaretur, simul-

que eorum opificem veneraretur, edoctus enim ipso situ naturæ, tum insita facul-
tate sciendi excitatus, sursum attollit vultum, & admirabilem astrorum pulchritu- A
dinem, æquabilem motum, influxum vitalem contemplatur, in quibus motrices
animas necessitate rationis colligere non cessat donec peruenerit ad primam, quæ
cæteris omnibus sit causa ordinis, in qua totus conquiescit: nec enim vlterius po-
test progredi, quia eo refluxit contemplatio, vnde primum fluxerat, finemque in-
uenit in suo principio. Quæres, cur in speculo tantùm & ænigmate cognosci vult?
quia vt oculus corporeus fulgorem aspectabilis solis perferre non potest sine vela-
mine: imo quo subtilior est eo citius eius acies retunditur, vt in noctuis & vesper-
tilionibus videre licet, necnon in glaucis & cœsijs oculis, quales erant Tiberio: qui
propterea noctu cernunt acutius quàm interdiu, ita interior oculus animi ad intel-
lectilis solis incredibilem splendorem cæcutiret, si præsens ipsemet sine nubeci ob-
uersaretur: mirum tamen cum voluerit à nobis cognosci, vt illi iustos & debitos ho- B
nores persolueremus, quidni apertius se patefecerit quam ex operibus: Causæ sunt
in promptu: finis, ne insolescamus: causa necessitatis est in grauitate materiæ
cui alligatus est animus: formalis in natura ipsa, est enim noster animus postremus
in ordine diuinorum, cum sit à primo perfectionis principio remotior & materiæ
contagioni coniunctior, efficiens est Deus, qui nihil facit temerè, sed certo fine
omnia, quanquam nobis incognito, ad quem aspirat intellectus continuè, ne-
que desistit vsque dum in eo cogitationem fixerit & terminarit. At posuimus
animum peccare dum se suo spoliat honore, & in obsequium corporis mancipat,
bene verò agere & naturæ suæ congruenter, quando assurgit ad Deum, quam
summam libertatem vocari à Platonicis monuimus: ergo cum insito conatu eo con-
tendat, nec alio fine genitus sit, situm est in eo bene vel male agere. Agedum quia C
rerum magnarum & retrusarum fores pulsauimus, animo fidenti ad penetralia con-
tendamus.

Hæc sunt argumenta Peripateticorum.

Vt nostrum corpus nudum prodit ex vtero nullis armatum præsidijs, quibus ab ex-
ternis iniurijs se tutetur, affert tamen secum manum, instrumentum instrumentorum
cæteris animantibus denegatum, quæ potentia est omne genus armorum, siue quia
illa sibi faciat, siue quia factis vtatur: Sic animus etsi nudus accedat in corpus, atta-
men est aptus natus ad percipiendas rerum quarumlibet notiones. Nam vt commu-
nis seu prima materia nihil est actu, potentia quoduis.

Omnia transformans sese in miracula rerum.

Sic intellectus quanquam nudæ non rasæ tabulę simillimus (vicit enim iampridem
Aristotelea doctrina Platonicam) incultus & rudis subeat corpus, recipiendarum ta- D
men omnium formarum est capax: Verum illa potentia est longe diuersa à potentia
materiæ, quoniam hęc tota est in patiendo, illa in agendo: cum ipsemet animus ala-
tus naturali vtraque logica, inueniendi scilicet & iudicandi facultatibus, vim pro-
moueat insitam, ministerioque sensuum notiones sensim acquirat: quod est spirare,
assurgere, & peruadere ad Deum: Scitè enim Pythagoras si quid vnquam aliud: Si
liberè philosopheris, & rerum causas disquiras, euades in alterum Deum: scitè in-
quam: Nam si essentia Dei sit in sapiendo & intelligendo, qui sapere vult & in intel-
ligendo laborat, imitatur Denm: dicdum sodes, affertne potius animus in corpus vi-
tij quam virtutis habitum? neutrum dices: quid ergo? vtriusque facultatem. Cur?
quia vt contemplatio actione, ita scientia virtute moris est pefectior: apportat autem
scientiæ vel ignorantię liberam facultatem, quare multo potius virtutis & vitij. Er- E
go seipsos ignorant, qui suum animum assimilant securi acsi ipsi non plus agant
quam figlinum in manu figuli, non distingunt instrumentum animatum ab ina-
nimato qui si tantisper suam mentem consulerent, vel se doceri patienter ferrent:
non erubescerent palinodiam canere, & Augustini exemplo iuueniles errores retra-
ctare: etenim

Lutherus.

Nunquam quisquam tam bene subducta ratione ad vitam fuit,
Quin res, ætas, vsus, semper aliquid apportet noui
Aliquid moneat, vt illa quæ te scire credas, nescias:
Et quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies. verum perge.

Facultatum quædam est naturalis, ad vnum tantum affecta, vt ignis ad calefacien-
dum, quæ non potest impetum cohibere, sed obiecto præsente agit necessario; sic
calor

Agit spontaneo & libero motu.

A calor depopulatur lignum in camino: Quędam rationalis, quę quia est causa indistincta & indeterminata, peræquè affecta est ad contraria, imo potest idem numero velle & nolle, non simul & eadem ratione, sed vicissim: fugit enim quod se offert sub specie, & imagine mali, etsi natura sua sit bonum, persequitur quod præ se fert similitudinem boni licet per se sit malum, quo fit vt displiceant nobis plurima quæ alias arriserant. Atqui voluntas est rationalis quædam potentia: ergo libera: quid moror cum opinari, appetere, contemplari, velle, liberum esse cuique doceat experientia? dices: sensualis quidem & inordinata voluntas appetit etiamnum impossibilia, vix enim vllus est qui nolit esse Deus, aut tale quiddam quotidie in familiaribus votis non habeat: at ordinata & rationis regula informata, tantum vult quod bonum & honestum est: quare non potius est affecta ad contraria rationalis potentia quam naturalis, nec est inquies quod communi effugio euadam emissoque hoc B iaculo effugiam: Post maturam deliberationem eligi tantum quod sit honestum, sed prius potuisse vtrumuis. Vt enim intellectus theoriticus, aut nihil aut tantum quod verum est apprehendit, ita practicus aut nihil suadet, aut suadet quod sit honestum, quia ratio sibi contraria suaderet & seipsam destrueret cum cætera sui conseruationem procurent. Respondeo: Vis deliberandi non alio fine nobis est concessa, quam vt calculo rationis res obiectas subducamus, & prauis posthabitis bonas amplectamur: at in delectu non semper adhibemus rationem arbitram, imò si quando in consilium vocata sententiam tulerit eius arbitrio sæpe non stamus: quare nihil est quod animo necessitatem imponat, libera illi sunt omnia, potest auscultare & parere rationi, potest eidem reluctari: esto, dices; sed tanta latet in rebus fallacia, quæ contingit partim ab assiduo fluxu materiæ, partim ab accidentium subita mutaC tione, vt eireumueniat sapientiores, nec potis sit intellectus perturbationum infinitate obrutus eam detegere, quare deceptus specie recti, mala pro bonis eligit inuitus & ignorans: Adde si vis illud Platonis neminem scientiem volentem peccare, quia si sciret quid agat, & ad turpitudinem vitij animum aduerteret, non peccaret, sed protinus illud auersaretur.

Arbitrij libertas.

Ego non nego tam in rebus quàm in actionibus humanis vix quidquam inesse præter fucum, quas idcirco princeps philosophorum nunc ὄντα φαινόμενα, nunc φαύλως ὄντα, nunc μὴ ὄντα consueuit vocare, neque nego magnam esse nostri intellectus caliginem, in cuius explicatione possim exspatiari liberrimè: nil enim verius quàm maximam partem eorum, quæ scimus esse minimam eorum quæ ignoramus, sed nego tantam esse rerum fallaciam, vt si non per nos ipsi saltem alijs consultoribus eam detegere D nequeamus: non est enim mens nostra vsque adeò cæca, vt bonum videre & internoscere non possit. Vidisti vnquam operta nube obscuratum solem? Tales omnino sunt vmbræ & falsæ imagines rerum, adde si placet primos motus perturbationum, quibus mentis oculus ad tempus perstringitur & obnubilatur. Verum vt discussa nube reualescit radius, ita tandem dissipatis illis tenebris lux redit animæ, pristinumque recuperat fulgorem. Hoc præter cætera confirmat vita malorum plena pœnitentiæ qui bonos laudare solent, & sibi meliorem mentem optare.

Nocte dieque suum gestantes pectore testem.

Non enim Marianorum animæ sollicitarunt Syllam, nec furiarum ardentes tedę exagitarunt Orestem, non Pausaniæ quod ciui Byzantio vi ereptam virginem inE terfecisset, obuersabatur semper imago quæ illi insusurraret in aurem:

Pœna luenda tibi est; affert iniuria cladem.

Non sunt hæc inquam resecanda ad viuum, neque tamen temerè conficta: nam sua quemque fraus & suus terror diuexat, suum quemque scelus agitat: Plato occisorum animas interfectores hostiliter persequi asseuerat.

Exemplo quodcunque malo committitur, ipsi
Displicet autori, prima est hæc vltio, quod se
Iudice nemo nocens absoluitur, improba quamuis
Gratia fallacis prætoris vicerit vrnam.

Naturalis quippe virtus animo semper obijcit honestum finem, prudentia de medijs eius assequendis consultat, si vel prauum finem versemus animo, vel ad bonum, vt ad honores, illicitis medijs contendamus, temeritas est & nostra culpa.

Quia tacitus conſcientiæ ſtimulus arguitur. Non dubito opiniones & appetitiones hominum eſſe diuerſas, quotque capita, tot eſſe ſenſus, namque trahit ſua quemque A voluptas, & ſua cuique Deus fit dira cupido. Oderunt Philidoni laborioſam virtutem & honeſtæ vitæ delicatam anteponunt. Philoponi voluptate nullam putant capitaliorem peſtem; ex quorum officina critica illa & ſeuera nimis ſententia prodijt, inſanire malim quàm frui voluptate: Alij paupertatem anteponunt diuitijs, vt innumeris philoſophorum hiſtorijs teſtatum legitur. Alij in bonis fortunæ ſuam ponunt fœlicitatem, denique alij corporis, alij fortunæ, alij animi bona commendant prout ſibi illa putant conuenientiora: alij ſi quidem honeſto, alij vtili, alij iucundo ſuos appetitus regunt. Qui vtilitatem quærunt vt mercatores, bonis fortunæ toti inhiant: qui ſanitatem & corporis bonam conſtitutionem, vt nobiles athletæ, præ omnibus bene ſanum & vegetum corpus amant, qui honeſtatem, aut contenti ſunt virtute, aut reliqua eius gratia expetunt. Quorum omnium cauſa eſt B in promptu. Cum enim belluæ eiuſdem ſpeciei, ſimili conſtent temperamento, ſequanturque naturam ducem, appetitu paulum euariant: ſiquidem omnes canes rodunt oſſa, equi fœnum comedunt: At homines, vt diſſimili temperamento conſtant, ita diſſimilia appetunt, ſanguineus commendat dulcia, melancholicus acida. Tum perſæpè ſub imperium rationis ſuos affectus compellunt, nec ſemper natura ſeu temperamenti inclinatione reguntur: Conſtet itaque (quod certè non eguit tam prolixa declaratione) voluntates hominum eſſe admodum differentes, appetitum multiformem eſſe belluam & chimeræ prudenter à Platone comparatum: quid tum poſtea? An homo eſt menſura rerum vt viſum eſt Protagoræ? pendétne veritas ex noſtro ſermone vel opinione? minimè verò, quid enim eſt quod dici, cogitari, & appeti non poſſit etſi nec ſit, nec fuerit, nec poſſit eſſe, ſed ex rebus ipſis quibus C cum adæquatur intellectus eáſque vt ſunt concipit, verum: ſi contra, falſum apprehendit, itaque res nobis debent eſſe pro regula non nos rebus, ſuntque cenſendæ ſuis naturis, non vanis hominum opinionibus: licet enim omnes conſpirarent in virtutem, & vitam voluptariam adamarent, nihilominus eſſet expetenda, etſi gigantomachia hodie renaſceretur, & in Deum mortales omnes conſpitarent, nihil propterea decederet eius perfectioni, totuſque qualis eſt permaneret. At inquam inſitum eſt nobis κριτήριον quo de obiectis iudicemus, rerum naturas æſtimemus, veráque à falſis & bona à malis ſeparemus: noſtrum eſt, conſilij quam volumus partem deligere: ergo liberi ſumus non ſerui. Sequitur autoritas Platonis quam Ariſtoteles præſertim ethicorum ſeptimo ſoluit multiplici diſtinctione ſcientiæ, ſed vt dicam liberè quæſtio eſt difficilior & nobilior, quàm vulgo putetur. Nam ad actum volun- D tatis tria requiruntur, obiectum, appetitus, intellectus, ſuadet intellectus appetitui obiecti fugam vel electionem. Poſuimus autem illum ſuadere tantum quod honeſtum ſit: ergo è duobus alterum neceſſe eſt, aut rationalem voluntatem, ſimilem naturali, vni tantum parti contradictionis addictam eſſe, aut reſpuere poſſe conſilium rationis: quod ſi faciat, rationalis non erit, dicendũ quod debet auſcultare rationi, non abſoluta & violenta neceſſitate, ac ſi aliter facere non poſſit, ſed honeſta & monitoria: paret enim voluntas intellectui, vt rex conſiliarijs, quia honeſtum non quia neceſſarium. Nonne qualis erat Adamus creante gratia tales hodie ſumus gratia ſaluante? Atqui creante gratia liber erat poſitus quippe in manu conſilij ſui, ergo nos ſeruante gratia ſumus liberi, creante gratia etſi ſimus hodie ſerui peccati, liberi tamen ſumus à neceſſitate.

Propter noſtrum affirmare, aut negare nihil eſt magis in re.

Addo aliud fortaſſis ſubtilius: perfectio non æſtimatur potentia, ſed energia, E non enim ex eo quod poſſit ſapere, aut bene viuere quiſpiam ſapiens vel bonus iudicatur, ſed quod actu & reuera ſapiat: at potentia voluntatis eſt indiſtincta, poſſumus enim velle nolle, iudicium ſuſpendere, & è duobus propoſitis vnum ad vſum deligere, actus verò determinatus. Potentia tota eſt à Deo, actus eſt noſter: accepit enim animus à ſuo creatore vim illam volendi nolendi, at habet à ſe quod definitè velit hoc aut nolit, qui eſt ſecundus & verus actus voluntatis: ergo libera eſt in nobis voluntas, viuendi ſumma libertas, quæ excludit fatum Stoicum; ſunt enim ἀσύστατα. vnum alterum excludit. Quibus ita conſtitututis pauca quę reſtant diſſoluamus.

Vita Philoſophica ſolet præponi politicæ quoniam actus contemplationis præ-

A strà actioni; contemplari enim possumus quando volumus; cum intra nos vim &
obiectum habeamus, nempe acquisitas notiones, bene viuere & agere cum virtute
minimè: non enim possum, exempli gratia, etsi velim, liberalitatem exercere: quia
ad hoc opus est instrumento, nempe pecunijs: tum obiecto, aliquo scilicet qui exci-
piat, quæ duo cum non sint in nostra manu, sequitur actum virtutis moralis esse ex-
tra nos. Respondeo: Si magistratus perfectè cognosceret hominum voluntates,
quemadmodum laudabiles conatus (etsi non sint sortiti suum finem) repensat, ita
voluntatibus iustum retribueret, haberetque voluntatem pro facto: Atqui Deo pa-
tent hominum voluntates, qui idcirco καρδιογνώστης perhibetur. Illas igitur etiamsi fue-
rint impeditę compensat: non est autem dubium velle inopi succurrere esse in nobis.
Ergo possumus mœreri & saluti cooperari. Adhæc essentia virtutis est in mediocri-
B tate quam prudentes præscribunt, qui ante Christi aduentum solo lumine naturę af-
fectionibus imposuerunt modum. Præterea vt habitum malum malæ, ita bonum,
bonæ actiones generant, actiones educatio, consuetudo, & institutio: at hęc omnia
humana & nostra sunt. Cur enim ebrios qui deliquissent Arist. cum Pittaco dupli-
ci pœna censet puniendos? An non partim ad iniuriam vindicandam, partim ob vi-
tium ebrietatis quod primum poterant deuitare? Cur puer committitur Pedagogo
nisi possit hic instituere, ille institui?

At in adultis ratio est pro pedagogo, appetitus velut puer. Sunt itaq; in nobis & ex
nobis agendi principia: Ita sit dices, attamen agere non possumus quando volumus:
imo verò, quia arte, industria & labore, possumus assequi instrumenta & obiecta.
Quorsum deliberamus de rebus agendis si agere non sit nostræ potestatis? Quorsum
C leges, monitiones, exhortationes, castigationes, si his parere non sit in nobis? leges
sunt nostræ, etsi vix vllus legislatorum eas non acceptas tulerit Deo, obedientia est
nostra, quamuis oporteat populum non modo quia honestum & vtile Reipub. ve-
rumetiam quia necessarium, ob imbecillitatem naturæ Dei implorare auxilium, vt
eo assistente compleamus facilius quod ille dictant & iubent.

Quod in corpore regendo valdè occupatus animus superiorem opem cogatur
implorare, nec tutus enatare queat ex hoc fluctu perturbationum sine speciali gratia,
facit vt deposito fastu nostræ imperfectionis memores ad Deum supplices quotidie
confugiamus, eique deuotè & religiosè honores debitos persoluamus. Peccant ergo
sacrilegi Pelagiani, dum plus satis blandiri volunt nostræ naturæ. Sed longè grauius
captiui Manichæi, dum nos vilissima fingunt mancipia, seruum pecus. Sapiunt theo-
logi, qui procul à fumoque regunt ventisque carinam. Instet enim, pulset quantum
D voles spiritus Dei, etiam vltro nec inuitatus, tamen liberum est animæ ab hac gratia
sesubducere, alioquin Deus erit similis tyranno, non regi. Rex autem eò maximè
differt à tyranno, quod hic imperet seruis, ille liberis: Non enim vt pastor pecudes,
Ita rex subditos agit quo vult. Est siquidem lex magistratus sine affectu, cui idcirco
facilius parêre solet populus quam regi, qui tamen honestas leges sæpius antiquat, &
in earum locum voluptarias & nepharias sufficit. Quod cum nosset Pericles, quoti-
die, domo egrediens, his verbis alloquebatur semetipsum. Athenienses sunt liberi,
vide quos regas. Est o igitur regia non tyrannica, libera enim non coacta, vis illa quæ
hominum mentes dirigit, Deus suadet, monet, non necessitat, non trahit, inuitat
non cogit.

E

IOANNIS RIOLANI

DISPVTATIO B

METAPHYSICA.

AN DEVS ET NATVRA VNVM SINT.

ΥΣΙΣ à φύω dicitur, estque δύναμις πλαστική formationis principium. Quod ὁδὸν εἰς εἶδος, viam & motionem ad formam appello. Est enim forma finis agentis naturæ, cuius gratia materiam promoueret, formam intelligo non singularem, sed speciei cuiusque commu- C nem: Genitrix enim vis illa quæ latet in semine Sophronisci, non agit vt formet Socratem, sed hominem: quasi vtatur specie seu communi forma, velut idea. Quare quotiès expetitum finem motione sua consequitur, opus naturæ perfectum dici consueuit, atque tandem quia τέλος ἔχει, forma ἐντελεχείας nomen inuenit: ἀτελὲς verò & imperfectum dicimus opus naturæ, quoties necessitate materiæ, aut vi quapiam externa, cadit fine: fit enim monstrum φύσει quidem, quoniam ab insito principio, non κατὰ φύσιν, quia ordine insueto, siquidem non fit ex formula exemplaris formę: sed παρὰ φύσιν, potius, necessitate quippe materiæ, præter finem agentis formæ, necessitatemateriæ inquam: non enim mirum si Stoici Iouem sui fati compedibus vincirent, quem causam continentem, eo sensu appellarent quo humor terram continet, quę D alioquin immodica siccitate dissiparetur; vel naturalis spiritus temperamentum, vel quomodo secundo de anima Aristoteles animum, libro de affectibus mixtorum, natiuum calorem vniuersum animalis corpus dicit continere. Vt enim his præsentibus perdurat corpus, absentibus ijsdem soluitur: ita vitalis ignis præsentia synaxim & ordinem mundi conseruari credebant, eiusdemque absentia solutum iri. Quibus non dissimilia asserunt Platonici de spiritu mundi. Vt enim Stoicorum Deus iunctus materiæ idem est cum natura, sic Platonicorum: nisi Deum deorum ab anima mundi separent, & ab omni magnitudine abiungant, vt solent Peripatetici. Illa enim essentia, quam naturæ naturantis nomine videntur significasse Latini, est intra mundum, iuncta materiæ, eumque informat: at materiæ inexpugnabilis necessitas nemini sapientum obscura, vel hoc solo potest intelligi, quòd ars, cùm sit efficiens externum, quærit vndique ad opus suum, quæsitamque præparat E capacem materiam. At natura angustijs sui subiecti velut compedibus ligata, non exit vt hinc illinc eam conquirat: puta si semen in vtero idoneum sanguinem non habeat præsentem, vel præsto quidem adsit, sed exuperans aut deficiens, vel non aget omnino, vel aget imperfectè. Tum si habitet in caduco subiecto, exempli gratia, si spumosum corpus inopia caloris & spirituum putruerit, aliòue modo corruptum fuerit, marcescet protinus natura, non minùs quàm sensus pessimè affecto sensorio, forma fatiscente temperamento, animus corpore senescente: ex morboso enim semine nascuntur morbosi, causa materiæ, quæ sola ex causis est capax repugnantiæ, cuius temperamento accidit vt cum singulis speciebus sit statuta periodus durationis (in hoc enim naturæ ordo cernitur, quod alijs longius, alijs breuius

A nius vitæ ſpatium definierit, denique in eodem & diuerſo) in quaque ſpecie alia
ad metam præſcriptam propiùs accedunt, alia abſunt longiùs, vt phlegmatici ocyùs
intereunt quàm ſanguinei. Quid multa? natura eſt addicta & veluti alligata ma-
teriæ niſi inuenerit conuenientem materiam agit imperfectè. At Deus immate-
rialis omnino, vt eſt ſupra fatum, ita ſupra naturam, quia extra motum, locum,
& tempus (quibus affectionibus, rebus cauſa materiæ inhærentibus, continentur
fatum & natura) ergo liberrimus cum ſit in agendo, nec inſitus ſit materiæ, alius eſt
à natura. Mitto ſi verè ab Aphrodiſæo natura patiendi potiùs quàm agendi princi-
pium dicatur (Quod poſt Simplicium D. Thomas non ſemel velin cœlo verum
eſſe putauit) eam non ſine piaculo pro Deo haberi. Pergo: natura ab Ariſto-
tele dicitur περὶ τῶν αἰσθητῶν. Vt autem ordo exercitus pendet ab imperatoris ordina-
tione, ſic admirabilis illa ſingularum partium mundi diſpoſitio, à prudentia
B primæ cauſæ. Peſſimè enim Aphrodiſęus in quęſtionibus phyſicis quia mundus
eſt natura ſua ordinatus, infert eum habere à ſe ordinem, nec ordinatore nec pro-
uiſore vllo ei opus eſſe, eſt enim natura patiente ordinatus, non ſua per ſe primò
agente. Equidem non ignoro cum quæritur cur cœlum in orbem, ignis ſurſum,
terra deorſum ferantur: aut cur ignis calefaciat, aqua refrigeret, à phyſicis nihil
aliud reſponderi quàm natum eſſe ita fieri: at aſſurgendum altius & cauſa efficiens
perquirenda, quæ huic elemento potius quàm illi, hanc aut illam vim adeo ſa-
pienter diſpenſarit. Non enim cauſa & temerè hoc ita factum olim, aut fieri ho-
die putandum eſt: Peius eſt & intolerabilius quod proximè ſubiungit, vt erro-
rem noua cumulet impietate: mundum habere à ſe non modo quòd ſit, verum-
etiam quòd bene ſit, ac proinde inutilem illi prouidentiam. Vtrumque enim
C acceptum debet Deo, quòd ſit & quòd bene ſit: enimuero ne longiùs abeam,
nec in re manifeſta ſudem (de qua luculentiùs libello de prouidentia Dei) nónne
cùm Ariſtoteles ſecundo cœli, agens de harmonico ſtellarum concentu, contra
Pythagoreos ſcripſit, naturam præſentientem quantum colliſio & attritus aſtro-
rum detrimenti nobis adferret quibus conſultum cupiebat, hoc cauiſſe prudenter &
auertiſſe: nónne inquam ipſemet annotauit ex hoc loco patere, Deum proſpicere
nobis & prouidere? Quod eo monitore Simplicius & B. Thomas obſeruatunt: idem-
que multò manifeſtiùs notauit primo meteorôn, vbi ſcribitur cœlum eſſe conti-
guum elementis, vt mundus inferior à ſuperiore faciliùs regeretur. Naturam igitur à
Deo tantùm differre quantum diſtat effectus à cauſa, vel ordo ab ordinatore, ſuperio-
ribus argumentis effectum puto. Quibus & alia placet adiungere. Natura eſt finita
D potentia & ad vnum determinata: Videlicet humani ſeminis ad hominem: at Dei
infinita & indiſtincta, agit enim liberrima, non impedita aut coacta voluntate: rum
operis forma exemplaris, eſt extra naturam, hancque ſola potentia poſſidet: Nam
dum præparatur materia, forma quodammodo inchoatur, inchoatio verò alicu-
ius in alio, non eſt vt aiunt realis & actualis poſſeſſio: at Deus illam circumfert
mente. Adhæc natura eſt duplex, materia, cuius violenta neceſſitas, mutatio-
nis: tum forma, eſſentiæ atque durationis cauſa, quicquid enim conſtantiæ & ne-
ceſſitatis rebus ineſt, acceptum debetur formæ: at phyſicæ formæ, partim ratio-
ne patientis ſubiecti, à quo ſunt inſeparabiles, partim per ſe & natura ſua ſunt muta-
biles, ſiue quia conſtant potentia materiæ proportione reſpondente, ſiue quia in ſe
finitionis durationíſue finitæ contineant principia: Deus verò cùm ſit purus & ſim-
E pliciſſimus actus, non tantùm materiæ contagione ſolutiſſimus, ſed etiam potentiæ
nequicquam habens vt cętera, neceſſitas eſt prima, à quo influit formis quicquid
ineſt neceſſitatis, alijs magis, alijs minùs. Nam vt notionum & propoſitionum quæ-
dam per aliud ſunt neceſſariæ, vt concluſiones, quędam per ſe, vt prima principia: ex
quibus euidentia & neceſſitas tota concluſionibus accedit, ita rerum aliæ mutabi-
liores alijs, vt phyſicæ magis quàm metaphyſicæ: quia hæ cùm ſint ſimpliciores non
tam facilè aliter aliterque ſe habent. Itaque Deus ſimpliciſſimus & neceſſitas prima,
tum durationis & eſſentiæ fons, diuerſus eſt à natura vtraque, per ſe finita & muta-
bili. Tum ſi natura ſit ordo & diſtinctio elementorum, vt ſcribitur tertio cœli; ſunt
enim non ſua, ſed aliena vi ſecreta, vt Empedoclis opinione, diſcordia, Anaxagoræ,
mẽte: Platonis λόγῳ: proculdubio natura non eſt coæua Deo, tãrùm abeſt vt ſint reip-
ſa vnũ, ſolaq; differant ratione, ſed cum ſecretione prima & diſtinctione elemẽtorum

incœpit, ſimodo mens aliquando adduxit confuſam materiam in ordinem meliorem, vt eſt in Timæo. Adde etiam Ariſtotelem non ſemel naturam quantùm poteſt facere quod eſt melius ſcripſiſſe, hanc autem reſtrictionem impotentiam quandam deſignare, quam in Deo concipere ſit nefas. Quibus rationibus luce clarius demonſtratum puto, non ſine iactura veritatis, necnon iniuria diuinę maieſtatis, Deum cum natura confundi, niſi cum domino ſeruum eundem eſſe fateri velimus. Natura enim eſt Dei miniſtra, vis diuina per vniuerſum diffuſa per quam generat & conſeruat omnia, quam idcirco vulgus confundit cum Deo: Ita enim Galenus nono de vſu partium. Hippocrates noſtræ generationis autorem appellat naturam, vt omnibus hominibus mos eſt: Verùm natura motus finibus veluti cancellis concluditur, cum naturales omnes affectiones acquirantur motu, Deus non tantùm eſt immobilis ſed immutabilis, proinde extra & ſupra naturam: naturæ finita eſt potentia & ad vnum determinata, Dei non tantùm indefinita ſed etiam infinita. Eodem errore laborant qui putant Deum nihil poſſe ſine certa & certo modo diſpoſita materia, ac ſi eius phyſica ſeu finita & determinata eſſet potentia. Nec ſapientiùs Io. Duns angelos non eſſe creatos ſine antecedente mutatione putauit: potentia enim phyſica diuidua cauſa ſubiecti, in tempore acquirit actum, at metaphyſica (qualis potiſſimùm eſt prima & infinita) eodem momento potentiæ actum poteſt dare, idemque eſt illi mutatum quod mutare, neque, vt fit in finitis, continuis & ordinarijs mutationibus, infinitæ & metaphyſicæ (quam diſtinctiùs creationem noſtri vocant) extrema diſtincta ſunt temporum interuallis: etenim ſi ἀϑρόως confertim & repentè, quædam commutentur à natura, ſimul enim tota aqua congelaſcit, cubiculum omni ex parte lumine vnius candelæ illuſtratur: imo verò media pars mundi orientis ſolis radio: ſi contactus fiat in non tempore, ſi punctum totum ſimul momento generetur, quia ſit impartile, quidni vt incorporea ſic indiuidua mens à ſummo opifice creabitur momento? quidni Deus eodem extanti pro arbitrio immutabit omnia, atque vt dicitur mundum annihilabit, aut ex nihilo creabit? Cur non poteſt qui olim potuit animo inſcio & rudi notiones imprimere? at non eſt maioris operæ præparare materiam ſimul & formare, ſi mauis ſine præuia mutatione eandem perficere, quàm ſeparatam à materia formam creare. Quare communis error fuit, quod naturæ potentiam finitam, à diuina eaque abſoluta & infinita non ſepararint. Vtraque potentia geminam prouidentiam deſcribere conſueui, quarum vna ordinarios effectus comprehendo, altera extraordinarios: de qua mox differemus.

IOANNIS

A

IOANNIS RIOLANI DISPVTATIO METAPHYSICA.

B

DE VTRAQVE DEI PROVIDENTIA, *vna ordinaria seu generali quæ natura, altera extraordinaria seu particulari quæ fortuna dicitur.*

DEvs prospicit mundo duobus modis, vno rato & constanti, quem Platonici adrastiam appellant, & Parcarum matrem, quia vtraque firmamenti reuolutione, vna Atropo, lenta, à qua magnus annus Platonicorum, altera Clotho, citissima, qua quotidie ab ortu in occasum
C rapit secum inferiores orbes: mundo & mundanis omnibus Lachesim, sortes, distribuit. Adrastiam appellant, fatum seu immutabilem Dei voluntatem, cuius ministra natura, parcarum mater, omnibus est causa ordinis, quinetiam ordo ipse vniuersi: Naturam hîc appello vim genitricem, & conseruatricem per vniuersum diffusam, quæ procedit à primo illo motu, qui rebus omnibus est veluti vita quædam, vt est scriptum ab Aristot. in physicis, propterea quæ fiunt fato, Peripatetici dicunt fieri naturaliter: ignis vrit fato, quia non potest non vrere, natura fixa & mutari nescia. Consuetudine nunquam efficies, vt lapis moueatur sursum, etiamsi illum centies millies proieceris in altum: Deus itaque natura communi ideo dicitur prouidere mundo, quia cœlorum motu dat vitam & durationem rebus singulis, illius ministerio hic facit & conseruat omnia. Cum autem actiones omnes naturales
D sint necessariæ & immutabiles, quid mirum si Philosophi naturam necessitatis nomine designarint? Plato Adrastiam appellat necessitatum omnium primam in cuius genibus decimo Reip. scribit volui mundum: Hinc singulis suæ sortes: Omnipotens necessitas, inquit Orpheus, regit mundum mundanaque. Hanc solam prouidentiam generalem & indefinitam Aristot. agnouit, per quam mundus perstat & singulæ species indefinenti successione singulorum conseruantur. Deus enim deorum supra cœlos omnes degens æuum beatissimum, ministerio intelligentiarum cœlestium procurat vnicuique, vt optimè sit, quantum propria natura patitur: Hac ordinaria & naturali prouidentia Iupiter omnibus idem: Vnicuique equaliter secundùm naturæ suæ meritum retribuit: Plantas facit vegetare non sentire, Belluas sentire non ratiocinari. Quamuis enim appetitum perfectionis omnibus suis operibus indiderit,
E tamen singula in suæ speciei perfectione conquiescunt. Satis est boui si bouem perfectum generet, natura insita semini tauri, intendit bouem non hominem: Species bouis illi est pro exemplari non hominis.

Nos verò in melior, inempe Christi, schola instituti, præter illam communem, particularem qnoque prouidentiam agnoscimus, quæ ad indiuidua vsque, potissimùm verò ad singulos homines, extenditur: Quemadmodum enim magistratus proportione geometrica vnicuique pro meritis honores & supplicia dispensat: Ita Deus: Platonici angelos dispensatores bonorum, animi, corporis & fortunæ, appellant clementiæ diuinæ ministros: malorum verò, vt calamitatum & morborum, angelos iustitiæ, scelerum vindices, erymnim, nemesim. Hos si quando appellant malos, illos verò bonos, scito ratione nostri, ita nuncupari, eo sensu quo astra quædam benefica dicuntur ad Astrologis, vt Iuppiter & Venus, Alia malefica, vt Mars & Satur-

nus: Malum enim non est ens positiuum, sed priuatiuum: opponitur bono vt cæcitas
visui, tenebræ luci. Hanc particularem ptouidentiam videntur Platonici fortunam A
nominare. Cuius effectus etiamsi sint autori suo certi & cogniti, nobis tamen sunt
indefiniti & ignoti, agenti quidem certi, patienti autem incerti, propterea sapientio-
rum iudicia suspendunt, eosque cogunt admirabile Dei consilium admirari simul &
venerari. Quis enim non miretur Seruium ex ancilla natum ad regni fastigium per-
uenisse, Maximinum in ferri officina educatum ad imperatoriam dignitatem eue-
ctum: Cincinatum ab aratro tractum ad consulatum? Eiusmodi euentus quia pręter
communem rerum ordinem, præter spem & expectationem omnium contingunt,
sapientiores, qui nihil putant fieri temerè, sed quæcunque fiunt habere causam, no-
bis fortassis incognitam, efficienti notissimam, vt est in Timæo: coguntur consilium
quoddam particulare confiteri, cuius effectus cum sint extraordinarij: natura autem
sit ordo ipse qui in sensibilibus obseruatur: illi extraordinarios, singulari prudentiæ B
adscribunt, quam Christiani melioris notæ, cnm Platonicis fortunam nuncuparunt:
est igitur fortuna, particularis & extraordinaria Dei prouidentia, ad quam pertinent
omnes effectus quos Aristot. secundo physicæ, παραλόγους καὶ ἀβεβαίους, appellauit: Sunt in-
quit quibus fortuna videtur esse causa, sed obscura humanæ menti quod in ea diui-
nitas sit quędam: non est igitur fortuna cœca, sed nos ipsi cæci, qui ad illius admira-
biles effectus qui supra captum & rationem nostram eueniunt cæcutimus: Fortuna
ipsa non est versatilis, inconstans, volubilis, sed nos audaces & temerarij qui de Dea
potentissima tam audenter pronuntiamus. Sumns nos irrationales, qui sine ratione
fieri putamus quorum rationem comprehendere non possumus: fiunr enim omnia
cum ratione à causa sapientissima, secreto tamen consilio, quod perscrutari curio-
sius non licet: Prudentiæ enim est, non inquirere diligentiùs occulta Dei iudicia: C
videntut effectus, causæ ignorantur, easque à nobis ignorari non ęgrè feramus quia
Deus sapientiam istam sibi resetuauit, ne angelos quidem illius facit participes, Arist.
definit fottunam, causam per accidens eorum quæ ptæter rationem eueniunt, ve-
rúntamen sit causa pet accidens ratione nostri: At ratione efficientis, haud dubiè est
causa per se. Sint euentus indefiniti, quoad nos, quoad Deum non minùs sunt defi-
niti quàm naturales, nisi fortè natura sit Dei voluntas ordinaria, constans, immuta-
bilis: fortuna verò Dei volnntas pro varijs circunstantijs mutabilis: Decreuerat Deus
Niniuitas perdere propter ciuium nequitiam, pœnitentia ducti redeunt ad frugem,
mutat consilium: creauit hominem ad imaginem suam, non paruit bene moneuti,
pœnituit illum facti, Ambrosius: Concatenatio igitur causarum quæ necessitatem
rebus imponit, ad naturam tantùm & naturæ subiectas causas pertinet non ad fortu- D
nam: quam hoc sensu non tantùm nominare licet homini Christiano sed etiam re-
rum dominam, & omnipotentem Deum appellare. Cur ergo, dicet aliquis, nullum
numen habet si sit prudentia? Cut ibi minimum fortunæ vbi plurimum intellectus,
atque, vt est in Charmide, fortuna imperitiam sequitur? quia Christianis vt & Pla-
tonicis fortuiti euentus accidunt præter consilium & expectationem homi-
num, secreto Dei iudicio: Itaque quando scripsit, fortunam à sapientia longissimè
distare, interpretare de humana non de diuina sapientia; cuius sunt immediati effe-
ctus. Sed cur infortunatorum societatem fugiendam veteres præscripserunt? quia
infortunium diuinum existimabant, ac si infortunati dijs essent inuisi. Cur ergo quis-
que suæ fortunæ faber perhibetur? quia bene & honestè viuendo potest quisq; place-
te Deo, à quo bona vel mala fortuna est, primus authot vtriusque, nos verò media-
tores. E

Et si Deus per se sit immutabilis, inquit D. Ambrosius, mutat tamen sua decreta prout nos mutamus vitam.

IOANNIS

IOANNIS RIOLANI

DISPVTATIO METAPHYSICA.

DE IDEIS ET VNIVERSIS.

A PLATONICORVM aliqui definiunt ideam λόγον Θεοῦ, sapientiam Dei, alij παράδειγμα γινομένων, exemplar eorum quæ fiunt, exemplar inquam non separatum: Quale Zenocrates finxisse dicitur, quod Deus ob oculos sibi ponat aliquid in nostrate mundo creaturus, sed connatum: doctè. Nam cùm artificium alius faciat, vt architectus, alius imitetur factum, vt pictor, hunc illi cedere nemini est obscurum. At pictor exemplar habet extra se positum, quod architectus animo gerit reconditum: quare cum satius sit (si modo alterutrum fas est) assimilare Deum nobiliori artifici, eorum quæ fiunt exemplarem formam circunferre mente, longè probabilius dicetur. Quam sententiam fuisse Platonis ex vno Timæi loco Ficinus in Theologia contendit, eíque fauent Theologi quotquot Dei λόγῳ sensibilem hunc mundum creatum asserunt ad intelligibilis
B & exemplaris imaginem: intelligibilem mundum appello quem summus opifex voluebat animo & meditabatur, quando ad huius mundi fabricam primas admouit manus:

--Pulchrum pulcherrimus ipse,
Mundum mente gerens, similíque in imagine formans:

Quæ sententia tantùm pietatis præ se ferre visa est, vt Christiani melioris notæ Aristoteli succensuerint grauiter Ideas vellicanti, Idearúmque patronos: Quod dum tacitus ipse reuoluo, parum abest quin tantorum virorum authoritate fractus ab eo deficiam: sed ita me sibi deuinxit, vt vix eum quidquam temerè inuulgasse iampridem mihi persuaserim. Quare cùm hinc illinc certant tam potentes aduersarij, vix ausim tantæ controuersiæ, me constituere arbitrum. Nam si faueam Aristoli, habeo infensos Platonicos Christianos, quibuscum errare fortassis esset tutius, quàm cum Aristotele bene sentire: quod si Aristoteli repugno, vix effugiam ingrati animi suspicionem. huic enim, vt candidè fatear, debeo ferè omnia, potéstque so-
C lidioris Philosophiæ, quantacunque in me est, meliorem partem reposcere, eámque pro suo iure suam vendicare. Nónne ergo præstaret me, quem natura genuit in Philosophando liberrimum, alienæ libidini mancipari, absurdísque opinionibus seruire potius quàm amicitiæ renuntiare? Egóne sciens prudens, veritatem malim prodere, atque data opera posteritatem fallere, quàm quod suadet ratio liberè loqui? Ecquis vnquam per immortalem Deum seueriùs & licentiùs castigauit veterum tam Poëtarum quàm Philosophorum decreta quàm Plato? quis audentiùs inquisiuit in Platonis opiniones quàm Aristoteles? ille Homerum sua Republ. exegit, hic Platonem sapientum familia penè summouit, ille non quis loquatur, aut cuias, inspici vult, sed quid, rationíque non authoritati quemque parere vult: hic veritatem amicitiæ anteponit: Quamobrem licèt in vniuersa Philosophia nil obscurius hac quæstione viderit Auenroïs, quæ certè magnos viros sollicitauit olim & fatigauit: partim quòd neque Platonici consentiant inter se, tantum abest vt eis cum Peripateti-

cis conueniat, partim quòd Plato ipse vnum & idem semper non loquatur: Anden- A
dum tamen aliquid, & tantorum virorum exemplo necnon præcepro, tantæ quæ-
stionis veritas rationis calculo subducenda. Agedum ne diutiùs lectoris expectatio-
nem suspendam. Plato, inquis, diuinè asseruit à Deo fieri omnia per ideam: quid si
Aristoteles responderet Deum ὑπερέσιον supra cœlos agere, ζωὴν ἀΐδιον αὐταρκεστάτην, cum-
que vt finis obiectum aut ἐφετόν, voluntatem ad mouendum excitare cœlestes ani-
mas, ipsum verò mundi & eorum quæ in mundo fiunt efficientem negaret? quam
eius fuisse sententiam, nouit quisquis accuratè libros Philosophiæ euoluit: qua qui-
dem posita quis non videt corruere funditus ideæ fundamentum? At dices, Deus
Aristoteli est primus ille motor octauo Physico demonstratus, qui citra controuer-
siam efficit ipse, falsum: tolleretur enim agentis & patientis proportio, nec magis
vinceret Deus intelligentias inferiores, quam firmamentum consequentes orbes:
sed decuit Physicum proximis causis contentum, in intelligentia sensibili & corpo- B
ri adiuncta, si mauis assistente conquiescere: Metaphysicum verò sublimius quid-
dam & diuinius sapere. Verùm demus quod Peripateticorum vllus vix admitteret,
quódq; cōcedi nefas putat filius Roïs, huius sententiæ appellās testem Alexandrum,
demus inquam Deum ipsum efficere quæcunque fiunt in nostrate hoc mundo, pro-
ptereáne per ideam? qualem? an singuli cuiusque singularem? an potiùs singulo-
rum multorum communem & vniuersalem? An (quandoquidem eius prudentiam
nil fugit) accidentium quoque efficiens erit? hoc innuere videntur idea pulchri in
Phædone, tum idea sancti in Eutiphrone: Num artificialium quoque? huc enim
pertinet, ni fallor, idea lecti 10. Reipub. quare nihil est cuius non sit idea, mate-
riam enim, malum & priuationes propriè Platonici negant esse, ne quis hæc & si-
milia obiiciat. Adeste iam logici, sophi, & me dicentem patienter audite. Ego reci- C
pio demonstrandum ideæ commentum ludicrum & phantasticum, huiúsque nomi-
nis inuentionem plùs habere stoliditatis quàm soliditatis. Ac primùm rerum artis
Deum efficientem fingere ridiculum est, & à Philosopho alienum. Stultè siquidem
Deus faber mei lecti, aut cerdo, mei calcei perhiberetur. Iactat enim merito archi-
tectus, domum esse suum opus, non Dei: nisi fortassis impropriè & remotissimè.
quia dederat illi animnm architecturæ capacem. At dicet aliquis Aristotel. sexto
Sapientiæ, formalem domum & rationalem agnoscit, quàm Architectus ædifica-
turus gerit animo: similíque iudicio exemplaris formæ meminit physico secundo.
quid? an illam notionem & formam domus animo conceptam putauit esse sapien-
tiam Dei, aut sapientiæ diuinæ delibationem? quod & si credidisset, an propterea
anticipatam rei agendæ notionem, quam prudens quisque voluit mente antequam D
agat, putauit esse substantiam singulam, aut vniuersam? Quid moror cùm in pro-
prijs castris à suis militibus deseratur. vix enim cum Platonicorum vllus ideam ar-
tificialium facere est ausus. Ad hæc quid aliud sibi vult Plato ipse cùm à Deo, Fortu-
na & arte fieri omnia scribit, quàm nostra arte & industria multa bona fieri? alioqui
vanum fuit Deo & Fortunæ artem adiungere comitem. Pergamus, paritérque to-
rum naturæ nullam esse sic doceamus. Res naturæ aut sunt substantiæ aut acciden-
tia: accidentium non est idea, non tam quòd hæc opinio Deum fingit animal plus
satis curiosum & supra modum sollicitum, vt loquitur Auenroïs, quàm quòd sin-
gulis substantijs priùs insunt quàm vniuersis, ex quibus nascuntur ferè omnia, vt
color & pulchritudo ex temperamento corporis, ambulatio & sessio à libero ani-
mo. Sic itaque paucis ratiocinemur: color & pulchritudo vel arte superinducun- E
tur, túmque artificis non Dei sunt opera, aut natiua sunt & rebus congenita: quo-
modo pendent à temperamento. Est ergo futile commentum, accidentia cœlitus
influere & participatione cuiusdam ideæ rebus aduenire. Reliqua est substantia, quæ
vel inanima est, vel animata: animata inquam anima rationali aut bruta: brutorum
non est idea, ergo multo minus ianimatorum, quod vt pateat euidentiùs, consti-
tuamus primùm quod præceptor in Philosophia diuinè demonstrauit; Deum esse
entis particulam actu comprehensam, eiúsque essentiam totam in ratione & intelli-
gentia consistere. Tum fingamus cum Platone eum belluas efficere per ideam: quæ-
ro an illa idea bruta sit, an rationalis, non bruta, nil enim tale in Deo posuimus, ra-
tionalis igitur: At imago ideæ repræsentatur in rebus: rationalis ergo bellua: re-
spondetur, vt elementa sunt in cœlo cœlesti modo, sic formas sublunares esse in

A Deo diuino modo: vtque Peripatetici in sole ponunt rerum omnium seminaria, sic in Deo inferiorum omnium ideas subsistere. Nil agit exemplum, litem quod litere soluit: neque docendi genus vllum magis lubricum est & fallax quàm similitudo. Quare resumamus superius argumentum, in eóque persistamus. In Deo, inquis, est idea belluæ, vtpote bouis, diuino modo. Ita sit sanè: Rationalis igitur. At bos noster irrationalis, quare Deus ideæ similitudinem & caracterem in eo non impressit. Imaginare Deum solis ministerio generantem culicem aut crabronem, hæc ad similitudinem ideæ formabit, erítque eorum forma, ideæ soboles. At illa ex hypothesi rationalis, quia quidquid in Deo, tale esse necesse est. formabit igitur rationalem crabronem. At dices contagione materiæ anima bruta euasit, cùm in Deo, esset rationalis. Nugæ: vestigium enim in mareria retineret, nec quidquam esset discriminis inter ideam belluinæ formæ & humanæ: distinctio tota penderet à mate-
B ria. Aliud quæro an tot myriades idearum sint actu in Deo, an potentia sola (quo modo genus differentias continet, materia formas, cùm reipsa possideant nullam) tum si actu, vt par est, dicatur habere, an sint distinctæ & diuisæ, an potiùs vnitæ: tum si vnitæ, cùm omnia in Deo sint vnum, quomodo inde formæ effluant tam dissimiles, aut communis illa idea, in qua omnes vniuntur, vt motus omnes in communi motu, motores omnes in primo motore, entia denique omnia in communi natura entis, sítne accidens, cum notio (an quia notio homini quidem aduentitia, acquisita quippe sensuum ministerio, Deo verò congenita & essentialis) potius substantia: Tum si substantia, singularísne, an vniuersalis. In quo tantisper consisto. Est enim nodus cõtrouersiæ totius. Pręceptor in Philosophia iecit fundamentum, cuius beneficio non tantùm de idearum quæstione statuamus,
C sed etiam quo probè intellecto scientijs omnibus & intelligentię humanę maximum lumen accedet. Docet enim τὸ πᾶν, ὄν, ἕν, vniuersum, ens, vnum, reipsa consentire. quia quidquid est, siue incorporeum & immortale, siue corporeum & mortale, vnum sit & singulum. Ordire tu ipse à Deo, tum per medias intelligentias quinquaginta quinque discurre, quas ex motibus totidem orbium ἀνάστρων καὶ ἠστρομένων colligit, φέροντας vocat καὶ ἀνελίττοντας (vulgo deferentes & reuoluentes) tum descende ad sublunaria, illáque perlustra omnia tam animi, quàm corporis oculo, quid non singulum comparebit? An Deus ipse vniuersalis? Ita fortè: Deum enim Parmenides cum ente confudit. Idémque Deus ipse olim respondit Mosi, de eius nomine curiosiùs sollicito, ἐγὼ εἰμὶ ὁ ὤν. Eum certè non nego maximè omnium esse, per quem noui esse omnia: sed audenter nego, cùm reciprocari cum ente, cùm sit eius vnica particula.
D Ergo, inquies, erit aliquid Deo communius. Quasi verò ens illud commune, quod τὸ πᾶσιν ἑπόμενον vocant, aliud sit quàm notio in singulis omnibus, quę sunt obseruata: Putásne ò vęcors, quidquam per se extra singula cohęrere? erexerunt me adhuc Platonici in communis illius entis contemplationem, sed in ista nube vagus meus animus, vbi subsisteret, non inuenit. Attollebam animum in meditationem eximij cuiusdam entis, cuius bona spe capiebar. At huic deprehendi tandem, nihil aliud subesse, quàm inanis phantasiæ figmentum. recitabo paucis ineptias, quas hęc opinio inuexit in scholam Peripateticam. Metuunt aliqui ne detrahatur diuinę maiestati, si Deum in Categoria reponant: quia nec dicitur de vllo, nec de eo quidquam. Aut enim aiunt, illud ęquale esset Deo, aut superius. At ei nihil ęquale, tantum abest, vt quidquam sit superius. Bellum argumentum certè, & ideali homine
E dignum, quasi quod concepit animus, Deo communius, vt ens, vitam, energiam, re vera subsistent & existant. An non intelligentię notio communior est Deo? sic opinor, obseruata quippe & in eo, & in alijs multis, ergo Deo verè attribuitur, licétque mihi sine reprehensione Deum intelligentiam vocare. Nec inde sequitur intelligentiam vllam existere superiorem Deo. Tali omnino fundamento nititur argumentum Plotini, quo Categoriam substantię conuellit. Aut, inquit, illa corporea est, aut incorporea: si corporea, nulla incorporea: si incorporea, nulla corporea: Simile inquam nec minus puerile argumentum, fundatum tamen in ludicra & phantastica idearum doctrina. Nam si summa & communissima substantia per se cohęreret, vt de idea, & vniuersis suis naturis illi affirmant, illam sine controuersia reipsa, & definitè, vel corpoream esse oporteret, vel incorpoream. Sícque (cùm superiora nomine, & ratione dicantur de inferioribus) vel omnes corporeæ

essent substantiæ, vel incorporeæ. At notio est in singularibus substantijs obseruata, A
ex iisque mentis opera collecta: facessant igitur istæ nugæ, tandémque redeatur ad frugem, nec nobis imponat hominum auctoritas, sed Lydio rationis lapide resubducta satis & explorata, horum alterum decernamus: Aut ideam nihil esse, aut esse notionem, vt sapienter oculatus iste B. Augustinus intellexit, non cohærentem naturam, cùm singula sint quæ cohærent omnia. At dicent, sunt quidem ideæ per se singulares, sed qua ex parte participantur à multis, communes fiunt & vniuersæ, vt enim intellectus singula multa concludit in vnam naturam, sic ex vna idea & vniuersa natura deriuat omnia. Quale genus vniuersi hîc audio? Ignis cuius calor communicatur multis ad focum sedentibus, sonus à plurimis exauditus, sol astráque omnia, quorum influxu fiunt, & conseruantur cuncta, isto genere vniuersi sunt vniuersa. Denique quid non isto modo vniuersum? pudor sit tandem his ineptijs Logicos B
& sapientes animos obruisse tot annis, & infatuasse. Et miratur aliquis, si grauiter in istas nugas Aristoteles inuehatur, necnon Platonem deposita discipuli persona hostiliter criminetur? Expostulo ego cum eo, & iniuriarum ago, quòd tot annis illuserit mihi, sed erit aliquid serò sapete cum Phrygibus. Gratiam habeo diuino præceptori qui me istis compedibus olim strictum soluerit. Sapientia, inquit, tota in contemplatione est, tota in quiete, atqui contemplatio tota intra & in se vertitur. Ergo cùm efficiens versetur in alio & extra, Deus non efficit per ideam, Quamuis in ethicis ideam oppugnarit, vt substantiam per se extra singula cohærentem. Nobis tamen parauit viam, & rationum principia suppeditauit, quibus istas substantias vniuersales etiam de mente Dei expungeremus, quarum participatione fiant hic singulares: notiones enim sunt, non substantiæ, etiãsi Deus ipse per se singula efficiat, non C
aliorum ministerio. Consideremus iam si Aristoteles de vniuersis meliùs senserit, ne videamur Platonem indicta causa damnasse. Sic enim comparebit, & in apertiorem lucem euocabitur quæstionis vetitas.

Sed constituamus primùm aliud esse τὸ καθόλου, aliud τὸ κατηγορούμενον, illudque vniuersum, hoc vniuersale, illud ens Physicum & reale, hoc Logicum & notionale vocemus: tum vniuersalia esse notiones ὑστερογενεῖς accipiamus. In eo solo vertetur quæstio, sítne aliquod vniuersum Physicum & reale, siue illud sit in multis, vt placet Aristoteli, siue ante multa vt visum est Platoni: Logicus præceptor, logicis realibus videtur fauisse: cùm rerum alias vniuersas scribit, alias singulas: vtque sensus sensibile ac singulum obiectum, sic intellectus intelligibile esse & vniuersum. Adde demonstrationem, definitiones, scientiam denique omnem esse vniuersorum, quódq; potentius est, proprietatem speciei priusquam singulo conuenire. Nominalibus Logi- D
cis seu notionalibus nec loci desunt nec rationes, quibus hanc opinionem conuellant, & suam communiant: Citant enim animal nihil esse aut posterius esse: vniuersum sequi singulum: quidquid est esse singulare, ideas & cohærentes naturas, quarum participatione fiant singula, esse τερετίσματα: vniuersum nihil esse præter κοινωνίας, seu communionem essentiæ in singulis multis deprehensam: non imaginariam certè & phantasticam, sed cui aliqua natuta subsit, quæ in singulis sigillatim spectata singularis, in multis, communis sit & vniuersa. Cuius rei ignoratione fallnntur, quicunque singulos homines negant eosdem esse specie, sed vnumquemq; distinctam speciem constituere argumentantur ex eo, quòd vt materia, sic forma sua & propria quisque hominum constet; quæ verò partibus essentiæ differunt, specie differre ex Aristotele ipso accipientes. Plurimi alioquin docti huic argumento dederunt ma- E
nus, alij nihilo sapientiores communem illum intellectum, ab interpretibus Aristotelis toties celebratum ad solutionem istius quæstionis appellant: eóque nos vniri respondetunt: quasi species res sit Physica, non totum formæ & rationis. Habet quisque hominum suum & singularem animum, omnes tamen rationales: Quæ sola naturæ communio, mentis opera in singulis nobis obseruata, species est & vniuersa natura. At dices cùm differamus numero, propter materiæ distractionem & diuisionem, quídni pariter specie propter formarum multitudinem? Quandoquidem potest intellectus, & formæ & materiæ vnionem in nobis omnibus notare. An non ita est? sed materiæ proprietatibus omnes inuicem separamur, non formæ, cum illa intendi & remitti possint in subiecto, hæ minimè? An potiùs vt materia Physica, sic forma differimus: eóque in sensu Cleonem & Bionem, sapientes multi, imò Aristo-

A Aristoteles ipse, species appellant? At vt forma Logica, sic intellectili & Logica
materia vnimur, iidemque sumus. Quid enim aliud materia Logica quàm genus, vt
animal hominum & boum singulorum? Vides ergo vt nos tota essentia Physica
reipsa distinguimur, Logica autem conuenimus & iidem simus? Vides præterea
vt vniuersitas sit omnino Logica & intelligentiæ solius opus? Age, hoc ipsum sub-
tilius demonstremus, ducto initio à solitarijs speciebus: vt mundo, Sole, & Phœni-
ce. Quæro ergo, sintne vniuersæ & communes: respondent, reipsa non conuenire
multis, esse tamen communicabiles, vt verò vniuersum quidpiam dicatur, satis esse
si possit attribui multis. At vana est potentia, quæ nunquam sortitur actum: Mun-
dos autem plures esse non posse Aristoteles demonstrauit. Quare videtur mundi ra-
tio, vt non communis multis, ita neque communicabilis.

Respondent iterum vitium esse materiæ, non formæ: quia si materia diduci se
B & distrahi pateretur, forma reipsa multis communicaretur, cùm differentia numeri
non aliunde pendeat. Ecce (quo res intelligatur magis) pone tibi ob oculos figu-
lum ex luti massa pocula detornantem. Si totam molem in vnum ingens poculum
insumat, non erit multitudo. At si eam distrahat, & exigua multa fingat, numerus,
ni fallor, & multitudo poculorum inde orietur: Finge similiter naturam hominum
singulorum materiam in vnum Gyganrem consumpsisse, non esset hominum mul-
titudo, nec different numero. At eam in multos distraxit, quapropter eo differimus:
Cogita materiæ totam molem in aspectabilem hunc mundum insumptam, luce cla-
rius videbis eum esse vnicum: quòd si diuideretur materia, vel noua crearetur, fie-
rent plures: At neque distrahi potest: quia huic mundo vt nec addi, ita neque detra-
C hi quidquam potest, ne quid in eo superuacuum cogamur fateri: nec fortassis potius
noua creari, ne noui mundi nouus rector inducatur. Adde extra hunc mundum nec
esse locum nec locatum. Quare vnicus est necessario, nec plures possunt esse: vitium
est materiæ inquiunt: non formæ. Cur? quia si materia distrahi se & diduci patere-
tur, tum forma fieret pluribus communis.: quid audio? Fingamus duos mundos,
aut si placet cum Democrito innumerabiles, an forma huius nostratis mundi infor-
mabit illos omnes & animabit? An anima viuentis hodie Phœnicis plures, si nasce-
rentur, animaret? Absit, sed haberet quæque propriam animam. Quid ergo innuit
Aristoteles, quid sibi volunt Aristotelis interpretes: quando formam mundi, si ma-
teria pateretur, pluribus asserunt communicabilem? An ad formam Physicam re-
spiciunt? non puto, nihil enim esset insulsius, quò igitur? ad Logicam & rationalem
essentiam, ergo dices Logica forma mundi pluribus, si essent communicaretur, ita
D planè. Quæ est illa? Compages cœli & elementorum quatuor. Cur ita? quia cùm
sit mundi ratio tota & definitio, quotquot fient, aut tales erunt, aut non erunt mun-
di. Quod ad cætera omnia transferri & accommodari velim. Quæ cùm ita sint (vt
ita esse fatendum est) concludamus nulla esse vniuersa ante multa, omnia esse in
multis, aut post multa, quæ sunt in multis, vt animal in singulis animalibus, vniuer-
sa nuncupentur, quæ post multa, vt genus: distinctionis gratia, vniuersalia nomine-
mus: sitque hoc ratum & constitutum, vniuersum esse ens Logicum, non Physi-
cum, notionem, non substantiam, quia quod substat singulum est: notionem, in-
quam, non inanem cui nihil subsit, sed quæ habeat pro fundamento essentiæ κοινωνίαν,
quam pro Platonicorum μεθέξει Arist. sapienter reposuit.

E

IOANNIS RIOLANI

DISPVTATIO METAPHYSICA. B

AN DEVS SIT PRIMVS MOTOR.

Cum omnis de re aliqua instituta disputatio exordienda sit à distinctione si quæ subsit ambiguitas quæ dubium lectoris animum huc illuc impellat, ambiguum sit autem quod quærimus, & in plures sensus distractum, definienda est ratio nostri propositi, & in quo versetur imprimis explicandum. Monendi enim & efficiendi non est vnus modus, quia C aliter Rex Galliarum longè dissitas prouincias regit per Marescalos, vt Veneti per prouisores, omnésque subditos illi absentes, tanquam præsentes excitant ad officium vel cogunt: Aliter figulus ex argilla fingit poculum conuersione suæ rotæ; hoc modo Hippocrati & Stoicis videtur Deus mouere mundum, illo verò, autori libri de mundo: Aliter ars & medicus efficiunt sanitatem, aut architectus ædificat: Aliter lex mouet subditos, finis obiectum, βουλητὸν voluntatem: hoc modo placet Aphrodiseo, quin Aristoteli ipsi in philosophia Deum mouere, illo verò Simplicio cōmentario in libros cæli, & in octauum physicorum: quam opinionem Aristotelis communit authoritate, eandémque accuratiùs & subtiliùs à præceptore suo Ammonio affirmat demonstratam: attamen Deum vt finem mouere hæc ratio suadere videatur: quòd finis sit prima & potissima causarum, cuius causa efficientes faciunt, & D quæ fiunt efficiūtur omnia, quam propterea à sapientibus optimam semper esse iudicatam affirmat, Tymæus: cúmque sint causarum quatuor differentiæ, materia, forma, finis, efficiens, (mitto exemplarem & continentem, quæ vel non sunt causæ, vel ad illas facilè reuocari possunt) consentaneum est Deum nomine causæ præstantioris appellare. Scio responderi idem diuersa ratione finis & efficientis nomen rationémque obtinere, cùm sæpe opifex sui operis sit finis, vt cùm Architectus ædificat sibi: quod illustrant animæ similitudine, quæ dum corpus à secundis causis præparatur & eius absentis gratia promouetur, finis: est enim τινος ἕνεκα, cùm præsens adest, quia perficit & informat, formæ: cum verò occupatur in regendo corpore, eóque operam omnem conuertit, efficientis nomine vocatur. At, pace tantorum virorum dixerim, ista animi similitudo Aristotelis mentem & veritatem peruertit. E Nam si creatus sit mundus, & ex confusione in ordinem meliorem adductus causa Dei, vt corpus præparatur à secundis causis propter animam, ab illis precario vel commodato mundum accepit gubernandum, quæque sint istæ antecedentes causæ interrogati, obmutescent: si verò, vt faber suam domum, eum sibi ipse fecerit, fuit finis ᾧ non οὗ de quo quæritur. Præstat enim, eíque soli conuenit qui nec eget mūdo vt sit, nec vt meliùs sit: quod non dixeris de primo motore. Ad hæc, mouet vt finis, vt illi ipsi vel inuiti confitentur. At scribitur primo de ortu finem non efficere, quia eius habitu terminetur motus sitque res in statu, vbi notauit Philoponus eos Aristoteleæ doctrinæ sacris vixdum initiatos, qui in eius schola Deum δημιουργὸν appellant. Quod miror Scaligerum hoc solo loco persuadere. Deus & natura nihil faciunt frustra. Poterat enim plures ausim dicere ad id efficiendum potentiores,

A tiores, ex Simplicio mutuari, quibus tamen omnibus semel responsum volo. Qui per alios facit cum ipsum quodammodo facere. At Deus, vt architectus sua præsentia operarios, cœlestes intelligentias ad officium excitat; efficit etiam qui conseruat vt loquuntur Stoici. Nihil igitur mirum si quando dicatur efficere & mouere. Consideremus iam quò res euaserit. Deus haud dubiè mouet, vt finis, quod mouet, vt finis, primum mouet, cum sit prima & potentissima causa: Vtriusuis ergo ratione Deus erit primus motor: ob idque ne versemur in ambiguo, distinguendus est primus motor; qui mouet vt finis vel vt efficiens. Cumque efficiens finiatur à quo principium motus, primum efficiens erit à quo primum motus principium, quo sensu nunc inuestigamus, An Deus sit primus motor.

Adducor nouem argumentis, sanè non leuibus, vt credam vtrunque non ratione modo: sed etiam re, essentia, & subiecto, differre: primo quia vt diximus, mouet vt B finis. Ergo non vt efficiens. Secundo: quia natura est prima vis efficiēdi, Deus autem alius est à natura: docuimus vtrunque. Tertio primus motor vel assidet firmamento vel illud informat: At Deus supra cœlos omnes degit æuum beatissimū vt scriptum est in libris cœli. Quarto: vt primo de anima Arist. mentem illam separatam, extrinsecus aduenientem remisit ad Metaphysicum, Sic primo de ortu, & octauo Physico vbi agebatur ex professo de primo motore, scribit alterius esse disciplinæ de primo & summo qui omnino mouet immobilis disserere. Quinto: vt animæ nostræ duplex est energia, vna qua in regendo & mouendo corpore occupatur, altera qua interim contemplatur, notiones voluit, & ex sensibilibus facit actu intellectile (quæ logicæ mentis energia est) priore durat & perficitur corpus, posteriore animus ipse (quo potissimum argumento eius totam essentiam extincto corpore remanere soleo defen-C dere:) Ita Deus per se naturaq; sua intelligit, ex accidēti mouet, & efficit mouēdo, ad cuius essentiam, aut perfectionem nec motio conferat nec generatio, vt desinat Simplicius quærere quid egerit ante cō ditum mundum, aut quid agere possit eodem intercepto: sunt enim separabiles energiæ, potéstque Deus non mouere, cum hoc ad eius essentiam & perfectionem nil conferat. At primus motor, Aristot. præsertim sententia, necessariò mouet. Ergo alius est à Deo. Sexto: contemplatio intra se vertitur & in se, at motio in alio & extra: qua ratione Aristot. in libris de ortu negat ideam efficere. Septimo: Deus est actus purus: vt mox demonstrabo. Atqui intelligentia primi orbis habet aliquid potentiæ, quia actio crastinæ reuolutionis nondum est in actu. Ergo alius est Deus à prima intelligentia motrice. Ad hæc dubitatur octauo Physico, sítne motor in centro an potiùs in ambitu, quia vt contra D Pythagoreos demonstratur in libris cœli, centrum est potiùs quietis, & materiæ locus quàm motus & formæ (terra enim quia continetur ab omnibus, habet rationem materiæ, nec quicquam est nisi pondus iners, quæ causa fuit, vt cùm animæ essentia describeretur vi mouendi, nemo veterum Philosophorum eam dixerit terrestrem, vt legitur primo de anima) concluditur potiùs eum in ambitu residere. Tum quæritur an per totum ambitum æqualiter sit fusus, an eius essentia subsistat alicubi, vnde vim motricem in vniuersum effundat: respondetur, ne per accidens simul cum mobili circumferatur, vt è vertice in molem totam corporis influit vis animæ, sic è supero polo quiescentem motorem facilè, & sine defatigatione mouere, cùm nō sit intra vt anima nostra, sed extra mobile. Archimedes gloriabatur si esset extra mundum se minima digiti impulsione posse firmamentum conuertere. Quibus ita constitutis E sic argumentor. Si motor iste summus & deorum Deus, vnius mundi angustiis velut ligatus teneretur, ei tegendo addictus, alteri si esset prouidere non posset, esset autem si vellet, vellet si sic fieri videret melius: finge separatum animum, eique suppone duo corpora, possis pro duobus mille. Si se adiungat vni, procul dubio alterum simul regere non poterit, saltem nō æquè commodè. At huius nostratis mundi ille rector, quisquis sit, creditur assidere firmamento, quare nec nouum mundum efficere potest, nec illi si esset prouidere. At nos in meliore schola instituti, credimus Deum ex nihilo fecisse mundum, eumdémque quoties volet annihilaturum (vtor lubens verbis castrensibus Philosophicæ militiæ.) Qua potentia gloriatur Iuppiter apud Homerum se iuniores Deos quocumque libuerit tracturum, solóque nutu impulsurum: potentia verò illius nulla ex parte hodie imminuta est, posset igitur absoluta potentia creare nouum mundum. Nam cur non? Inopia materiæ inquiunt.

At, inquam, non est Physica forma, cuius finitata sit potentia, vt aliâs demonstra- A
ui, quique potest nouas formas creare, quídni nouam materiam? opus siquidem
diuinius maiorem operam requirit: At Deo non est difficilius formas creare, quam
intellectui nostro formare notiones: Deo longè facilius motrices essentias facere &
dispensare, quàm artifici harmonicos concentus quibus αὐτόματα cientur sponte: quę
quia non potest nec potuit vnquam intelligentia firmamenti, non est Deus: neque
metuo ne Philosophi qui negant creationem distingui à generatione Physica, nobis
vitio vertant credulitatem, momento enim & simul quod fit, ex nihilo, aut certè
sine subiecta materia, nos simplices, & idiotæ præ sapientibus istis quibus notissi-
ma sunt omnia quantumuis abdita, creari dicimus: quod autem cum tempore ex
potentia in actum mutatur, subiecta materia, generari: ob idque creatum mundum
asserimus, non genitum. Quod primus cecinit Orpheus. Idque Philoponus argu-
mento priuationis solet demonstrare, ex qua fieri quidpiam asserunt Peripatetici, B
cùm tamen eam re ipsa nihil esse putent, tum quia formæ fiant, non ex aliquo. Su-
perest nonum & postremum argumentum: Mouentis & mobilis aliquá debet esse
proportio, infiniti autem Dei ad finitum mundum nulla potest esse. Quo solo tan-
quam Achille & firmissimo propugnaculo, viri doctissimi quæstionem abundè pu-
tant communitam, quod miror probari Scaligero exercitationis 6. part. 2. Nam qui
Fracastoreum sugillat exercit. cccvij. part. 29. quòd naturam distinxerit à Deo
(quam tamen distinguendam esse nos inuictis argumentis alias docuimus) qui toties
Deum opificem mundi in Aristotelis doctrina existimat, quí potest primum moto-
rem separare à Deo? Verum age, animi gratia dispiciamus paucis quàm sit potens
illud à mouentis & mobilis ptoportione ductum argumentum ne videamur tam fa- C
cilè persuasi: duobus enim modis solui potest, primo: Physici fortassis, præsertim in-
siti, motoris necessariam esse analogiam cum mobili, non externi & Metaphysici:
alioquin Deus ipse non efficeret quod illi mordicus defenduut. Secundo mouentis
Dei, & mobilis materiæ rationem quandam esse: Nam vt Deus potest mouere sine
fine, cuius energia sit inexhausta, ita materia pati & moueri infinitè, quæ sit causa
quantitatis semper diuidua. Vt enim numetus detractione finitus, additione est infi-
nitus, propterea quod numerorum datur minimus non maximus, cùm nullus sit tan-
tus qui accessione vnitatis non fiat maior: Ita magnitudo additione est finita, quæ
in amplitudinem immensam crescere non possit, detractione verò infinita: quia da-
tur maxima non minima, si modo quantitate diuidatur in partes æquales, lineáque
in lineas secetur, corpus in corpora, non specie: corpúsque in superficiem, super-
ficies in lineam, linea in puncta, aut in partes inæquales, maius videlicet in minus. D
Physica enim illa sectione, perueniretur tandem ad aliquod minimum, quod actu
in minutiores particulas à nemine discindi posset. Quia verò punctis tanquam par-
tibus linea non continuatur, sunt enim termini lineæ, non partes, cohærere non
possunt nec se inuicem tangere, est autem eadem ratio diuisionis quæ continuatio-
nis: ergo neque in puncta diuidua est. Causa tantæ dissimilitudinis, in numero &
magnitudine, videtur hæc: quod numerus non sit natura per se, sed in rebus singulis
subsistens, quæ fiunt multæ sola diuisione materiæ. Quocirca diuisionis ita conse-
quens est multitudo, vt quot in partes diuidua est materia, in totidem augeri possit
numerus: Si corpus, exempli gratia, in mille frusta sectum fuerit, millenarius nume-
rus consurget, at diuidua est infinitè, ergo numerus infinitè, ita dicam, mnltiplica-
bilis: Contra, quia incrementum materiæ perduci potest ad summum & maximum, E
diuisio numeri perueniet ad minimum & vnum: Agè verò infinitatem materiæ po-
pulariùs exponamus. Concludantur quibusuis in ædibus cuiuscunque generis ar-
tifices, fabri, sculprores, figuli, habeat quisque effingendo suo operi idoneam mate-
riam, nec inde quidquam exportari queat aut egredi: omnes impigrè operentur,
opera carie exesa, aut vetustate quassa resarciant, vel noua ex his conficiant, eumque
fluuium & circulum generationis innumeris continuent seculis: his euolutis si tu
illos inuisas, nónne comparebit tantumdem materiæ? sic est, cum inde nihil exiis-
se posuerimus, nec quidquam abeat in nihilum, sed in ea re soluantur omnia ex qui-
bus primo sunt composita: Artificis rationem subeat ex alijs alias reparans natura
figuras (est enim vt artifex natura externa, sic natuta artifex internus) cui obiecta
elementaris materia cœli tanquam domus fastigio sic vndique septa & conclusa

teneatur

A teneatur vt nihil inde efferri queat aut effugere: ex hac homines, plãtas, metalla quo-
tidie generet, illa vi aut morbo fracta reficiat, vel de mortuo alterum succenturiet
(sic enim suis rebus prospicit ad perpetuandas species, ne pereant ventura carentia
semine secla) elapsis mille millibus annorum plùs minùs, aliquáne ex parte cernetur
imminuta? hoc nulla ratio suadear, quia finita eius moles sectionem sui & distractio-
nem passa sit infinitam, interirúsque vnius alterius fuit ortus, dum semper vni acce-
deret quod alteri decedebat. Quomodo Auenrois mũdum formali sua potentia fini-
tum potentia priuationis infinita defendit esse infinitum: Male enim Democritus,
quia materia infinitè diuidua esset, eam sibi dari vndíque diuisam postulabat: cùm
actu eorum quæ fluunt & fiunt omnes partes, non consistant simul, sed successione,
& vna post alteram. Vides ergo vt ratione perpessionis infinitæ Deo sine fine agen-
B ti possit æquari materia, nec eius vitio periturum mundum?
Quod cùm videret Philoponus, ad informantis animæ potentiam finitam con-
fugit, accipiens: omne finitum esse finitæ virtutis: quia vt est demonstratum octauo
Physico. In finito consistere non possit potentia infinita. Cùm anima cœli Physica
sit & finita. Auenrois cum Themistio in eo potentiam fingit quietis, quæ tamen
impediatur ab assistente extrinsecus intelligentia. Aliter Simplicius respondet: vt
motus & tempus sunt semper actu finita, potentia infinita: sic magnitudinem, qua-
re magnitudinis motorem eodem modo infinitum, Qui infinitè, successione tamen,
non simul, mouere possit. Quòd si sit, videntur frustra Peripatetici assistentem intel-
ligentiam adiungere firmamento, quæ præsit animæ vt anima corpori, sítque non
motus (est enim ab interiore anima) sed cõtinuationis & perpetuitatis in motu cau-
C sa, nam si perpetuari possit ab interiori forma, quorsum assidet illi intelligentia? Vi-
detur mihi (vt iniectum scrupulum ego ipse eximam) quemadmodum materiæ po-
tentia finita est, quia non omnium formarum, sed Physicarum tantùm est capax: sic
formarum materiæ coniunctarum, siue sint insitæ, siue externæ, potentiam esse de-
finitam, siue quòd alligatæ sint vni orbi, siue quòd finitarum sint virium, vnicum
enim est infinitum, cuius nutu & arbitrio sunt perdurántque omnia. Nam mundus
quia finitus, finitæ est virtutis, nec à se, sed ab alio necessario finitur: Vt enim ignis
propterea quod extinguitur quiete & agitatione seruatur, creditur assiduè conuerti
à luna, vtque planetas quotidie ab ortu in occasum rapit firmamentum, sic assistente
Deo, firmamentum ipsum conuertit primus motor, motu perstat, eóque durante ce-
tera conseruantur. Deo igitur absente & præsentiam suam illi denegante, quiesceret:
quo quiescente, perirent omnia: nam cùm in operatione posita sit essentia forma-
D rum, per formas verò res sint id quod sunt, simul cum formis desinerent esse, & ex
consequenti periret mundus, destructis enim partibus totis quis potest esse locus?
Finge Lunam ignis motricem quiescere, consistet opinor ignis simul cum ea, stet
firmamentum, planetæ non mouebuntur in occasum: Substrahat sese infinitas mun-
do, eodem momento finietur: Causa enim sublata tollitur effectus. Infinitas autem
illa quænam potest alia fingi, quàm Deus deorũ qui supra cœlos omnes degit æuum
beatissimum? Quod autem suam præsentiam sit aliquando denegaturus mundo, te-
statum habemus oraculis Prophetarum, scriptis patrum, Ecclesiæ consensu, deni-
que Dei ipsius voce per filium loquentis, cui nos fidere malumus quàm vanis homi-
num coniecturis. Scientia enim vna reuelata est & infusa, altera acquisita: Huius duo
sunt principia, ratio & experientia, ex quibus fidem accipit genius Philosophicus,
E qui lubenter non credit nisi alterutro vel vtroque persuasus: Illius verò Deus ipse, qui
veritatem & voluntatem suam denunciat nobis per Prophetas, quibus deberi maio-
rem fidem Plato in Timæo, & in Ione confitetur, propterea quod in diuinis myste-
rijs ediscendis aliter procedendum sit quàm in humanis opinionibus: In his enim
sciendum priùs quàm credatur, in illis credendum vt sciatur. Enimuerò si suo iure
iubeat doctor discipulum credere (δεῖ γὰρ πιστεύειν μανθάνοντα) in religionis arcanis cur non *ἔλπεσθαι χρὴ*
Theologus assentionem suo iure postulabit? Si magistri Pythagoræ autoritas apud *πάντα. Li-*
discipulos tantum valuit vt αὐτὸς ἔφα illis esset pro ratione, cur non potiùs αὐτὸς Chri- *nus agens*
stus & ipsissima veritas solo verbo nos habebit persuasos? Acquiescamus igitur diui- *de diuinis,*
næ veritati tandem ruiturum mundum prænuncianti, at quando aut quomodo, nos *cui cõsen-*
non audemus diuinare, nec putamus esse sapiẽtis de tam recondito & arcano myste- *tit Plato*
rio statuere. Videtur enim ius dici & præfigi tempus liberrimæ voluntati, necnon *primo de*
Legibus.

Mundus quia finitus non natura sua, sed gratia & beneplacito Dei perdurat ac proinde peribit cũ volet: at quãdo aut quomodo non est hominus definire, sibi enim certa reseruauit consilia pater, quæ ne filio quidẽ communicauit ad reuelandũ.

tali prædictione ligari: nam quis eum credat sapere qui affirmet quid cras aut perendie placiturum sit mihi? Quòd si nemini datum sit mortalium, consilia patris quis nouit? aut eadem concredita qua fiducia, vel temeritate potius, audeat in vulgus efferre? A

Nescia mens hominum fati sortisque futuræ,
Et qui plus iusto non sapit, ille sapit.

Viderint ergo sapientes & intelligentes viri, quàm prudenter à nonnullis scriptum sit, transactis sex milibus annorum periturum esse mundum: partim quia hoc nescio cuius Eliæ oraculum legerunt apud Talmudistas, Bis mille inane, bis mille lex, bis mille anni Messiæ, partim quia vnus dies Deo nobis mille annorum sit spatium, Deus autem sex diebus absoluerit mundum: Viderint etiam quantò sint prudentiores alij qui asserunt Christum natum medio & perfecto tempore, natum autem in exitu quarti millenarij, quare octo millibus annorum duraturum mũdum: B Coniecturæ leues ingenijs vulgaribus ad pauca respicientibus citò, faciléque imponunt. Quòd si meam de tam arcano mysterio sententiam importuniùs aliquis exigat, hoc ferat responsum.

Dum placeat superis, quærere plura nefas.

Quidquid agit iustè fieri concedere fas est, sed cur scire nefas. Furor est enim, meo iudicio, de extrema rerum omnium periodo eum definire, qui de sua dubius sit & incertus. Similis est sapientiæ non tantum temporis, verumetiam modi Cosmophtoras sibi árrogare scientiam: Minátur enim nobis quàmplurimi ἐκπύρωσιν, conflagrationémve illam generalem quam à Chaldæis deriuatam & Sybillinis versibus atteſtatam ante Christianos Theologos Stoïci consignarunt (vt mittam Plinium, C Plutarchum alióſque non minùs insignes Philosophos) de qua celebratur illud Poëticum.

Esse quoque in fatis reminiscitur affore tempus
Quo mare, quo tellus correptáque regia cœli
Ardeat & mundi moles operosa laboret.

Cuius patronos mirum in modum oblectat Chaldæorum commentum, Astrorum quippe conuentu in cancrum decursis 36. millibus annorum propter igneum trigonum vniuersum exarsurum. Verum faciamus sic fore, proptereàne mundus consumetur? Ligni in foco ardentis pars crassior subsidet, tenuior in flammam & aera soluitur, nulla particula abit in nihilum.

Nec perit in toto quicquam (mihi credite) mundo
Sed variat, faciémque mutat — D

Purgabitur ergo, non consumetur igne, sequetúrq; ecpyrosim apocatastasis illa quam ex mysterijs Ægyptiorum meminit approbauitq; Origenes, atque tum mundus qui nunc Iouius est & fatalis (si credere fas est Ægyptijs & Platonicis) Saturnius erit: qui quotidie agitur ab ortu in occasum, voluetur motu cõtrario ab occasu in ortum, quam παλιγγενεσίαν ni fallor significauit Empedocles concordiæ & discordiæ vicissitudine nunquam moritura. Aphrodisæus de quæstionibus abstrusis, ita statuendum existimat. Primo expendenda esse consectaria vtriusq; opinionis absurda, tum considerandum quæ plùs præ se ferat pietatis, quáque minus offendatur maiestas diuina. Atqui Metaphysicus hic modus corruptionis plus habet pietatis, paucioribus patet reprehensionibus, extollit magis omnipotentiam & maiestatem Dei, præstat igitur & palingenesiæ præferẽdus est. At manifestè Deum separat à primo motore, quia Deus sit agens liberrimum, prius motor necessario mouet. Decet ergo non E modo Christianos, sed etiam Philosophos ita sentire: qui aliter senserit veritatis hostis iudicetur.

IOANN.

A

IOANNIS RIOLANI DISPVTATIO METAPHYSICA.

B

AN POTENTIA SIT PRIOR ACTV.

QVOTQVOT formas de potentia materiæ exoriri contenderunt, videntur potentiam priorem actu statuisse: Hinc Hesiodi Theogonia, Deos ipsos ex chao erupisse: ego verò, cum Aristot. in Metaphysicis, ex duabus entis Metaphysici primis differentijs, actum priorem esse potentia, primam formam, prima materia, constitui paucis demonstrare, quod C est ex primis humanæ sapientiæ theorematis præcipuum: non nego in his quæ fiunt potentiam præcedere, quia nihil fit quot fieri non possit, nihil vnquam factum est quod fieri non potuerit. Verùm si res non in singulis sigillatim, sed vniuersim consideretur: quia quidquid fit ex aliquo actu existente generari oportet vt Sole, Deo: actus prior est potentia. Quod ita subtiliùs demonstro. Id quo alterum definitur est prius, atqui potentia definitur per actum: vt enim possibile vocamus quod facere, vel fieri potest, sic potentiam inclinationem ad aliquid agendum, vel patiendum: Si quis instet, vt agendi ita patiendi aliquam esse potentiam: Hoc responso sibi satisfactum putet: Passionem omnem pendere ab agente, eóque definiri: est enim potentia in aliquo ex aliquo: Quidquid patitur ab aliquo patitur. Adhæc actus est finis formationis, cuius causa alterationes omnes in materia antecedunt, hoc est potentiæ, atqui finis est prior medio causa, & perfectione: An etiam tempore? ita sanè, nam D actus seminis per quem est id quod est, prior est ea potentia qua est homo, isque ab efficiente aliquo dimanauit actu existente: Atqui actu existit vnumquódque per suum actum: esto igitur actus prior potentia: primus actus, prima potentia: prima forma, prima materia, desinant Platonici fingere materiam Deo coæuam.

IOANNIS RIOLANI DISPVTATIO METAPHYSICA.

E

AN DEVS SIT ACTVS PVRVS.

PHILOSOPHORVM innumerabiles de dijs opiniones extiterunt, omnes tamen ferè in hoc consentiunt: esse quendam summum & omnipotentem, quem appellant Deum deorum. Cuius abstrusam & ineffabilem essentiam cum studiosè perquirerent quod quisque perfectissimum iudicauit pro Deo colendum proposuit. Hinc de dijs opinionum tot portenta, optimum enim & perfectissimum, quisque pro suo sensu æstimauit. Entis vt est, duæ sunt primæ differentiæ, Actus & potentia: quæ Analogia respondent formæ & materiæ: vtra esset prior magna contentione pugnatum est, nam

quicunque id tantum esse putauerunt quod sentiri potest, spretisque formis Metaphysicis, in Physicis conquieuerunt, eásque de potentia materiæ excitari crediderunt, potentiæ principatum detulerunt: potentiam esse priorem actu iudicarunt. Hinc Hesiodi Theogonia, exortus deorum ex chao. Hinc Spherus, Empedoclis opinione deorum pater: Aristoteles verò non negat in his quæ fiunt potentiam esse priorem actu, quia quidquid fit fieri potest, nil vnquam factum est quod fieri non potuerit: sed altius contemplationem erigendam, quia ab aliquo actu existente fieri necesse est. Demus formas Physicas excitari de potentia materiæ, at illas non dixeris à se, sed ab alio excitari qui actu existat, siue illud sit Sol, siue alia forma sublimior. Atqui vnumquodque actu existit per suum actum: forma facit vt vnumquodque actu sit id quod est: Itaque si quæstionis istius veritas à Philosophis diligentiùs inquiratur, actus erit prior potentia. Esto actus prior potentia, dicet aliquis, Deus potiùs actus quàm potentia finiatur: esto prima forma & forma formarum, an propterea actus purus? nam si sit omnipotens, quomodò potest esse actus purus, expers omnis potentię? Si in Deum potentia omnino non cadat, erit impotentissimus: quo quid absurdius dici aut excogitari potest? Respondeo: actum, & potentiam ens vt est diuidere: esse primas differentias entis Metaphysici: Atqui cùm differentię ex aduerso diuidentes genus, ita inter se sint affectę vt vnà habitus & formę, altera priuationis habeat rationem, non est dubium actum, habitus: potentiam, priuationis habere rationem, quam in Deo concipere sit nefas: quia est principium maleficum, praeterea vt inquit Aristoteles, potentia omnis est contrariorum: qui potest agere, potest non agere: quare qui dixerit Deum posse esse, eundem dixerit posse non esse, cœlestes intelligentię quia potuerunt esse (nobis enim creatę sunt vt & Platonicis) natura sua possunt non esse, vt post Platonem fatetur Auicenna: tantum perstant beneplacito sui creatoris. Quidquid incœpit, natura sua est caducum, verùm, vt loquitur Deus deorum apud Platonem, mea clementia maior est quam vt patiatur vos dissolui: vnus Deus absolutè & per se, si malis natura sua est immortalis: Deum culi, gratia. Aliquid non posse aliquando est nota perfectionis, vt in adamante non posse frangi, in Deo non posse mentiri quia ipsissima est veritas: non posse mori quia est ipsamet vita: non posse non sapere, quia est prima sapientia: Vt enim est mera quędam potentia cuius tota ratio consistit in eo quod possit, quali materiam primam describunt Peripatetici, talis est in numero potentia multiplicationis, in magnitudine potentia diuisionis. Ita est simplex & purus actus, cuius essentia tota est in actu ipso: quo primam formam illi describunt: videtúrne tibi violenta ista necessitas, quò d Deus non possit non intelligere? vtinam verò in istas necessitatis angustias essem redactus, quid enim aliud in futura vita sperare possum quàm me perpetuò in contemplando occupari? In diuinis esse & posse vnum sunt: in Deo potentiæ ad intra, vt intelligendi, sunt actus ipsi, iique puri & immixti, nullius repugnantię capaces, vt in nobis: qui etiamsi ad tempus actu intelligamus, possumus non intelligere, sed actui coniuncta est potentia in nobis, actus suo contrario permixtus est, in Deo simplex & immixtus.

FINIS.

A

VNIVERSÆ
B
MEDICINAE
COMPENDIVM.

PER IOANNEM RIOLANVM.

PHYSIOLOGIA
C
SECTIO PRIMA.

QVID MEDICNA, QVOT HABEAT PARTES.

CAP. I.

HIPPOCRATES libro de flatibus definit medicinam, adiectionem & detractionem; adiectionem necessariorum, detractionem inutilium: qua definitione duo præcipua & prima Medici officia includit. Morbi enim
D ab inanitione, aut à repletione. Priores curantur additione, posteriores detractione. Galenus in arte parua sequutus Herophilum definit medicinam scientiam salubrium, insalubrium, & neutrorum, qua definitione cum materia subiecta medicinæ primas & precipuas partes comprehendit: scientia enim salubrium ὑγιεινὴ nominatur. Insalubrium, si theoriam spectes, παθολόγια, si praxim, θεραπευτικὴ nuncupatur. Salubre verò, insalubre & neutrum, dicuntur tribus modis, vt corpus, vt causa, vt signum: Salubre corpus dicitur, quod fruitur sanitate: Salubris causa, quæ sanitatem efficit, aut conseruat, Salubre signum, quod sanitatem præsentem demonstrat. Insalubre corpus quod morbo tenetur. Insalubris causa quę morbum efficit. Insalubre
E signum, quod morbi speciem & magnitudinem indicat, vel eiusdem euentum pręmonstrat. Prius διαγνωστικὸν: posterius προγνωστικὸν appellatur: Neutrum corpus decidentiæ dicitur, quod non est perfectè sanum, necdum tamen ægrotat. Cùm enim sanitas actionum integritate cognoscatur, morbus actione aliqua manifestè læsa & inter vtrumque extremum magna sit latitudo, cùm quis declinat ab actionum integritate & iam aliqua actio incipit lædi, neuter ex decidentia nuncupatur, vt cùm primùm quis à morbo resurgit, neuter conualescentiæ: causæ neutrę sunt huius, ita loquar, neutralitatis efficientes, signa neutra eiusdem demonstratiua, Sanitatem efficiunt bona temperies partium similarium, & legitima conformatio instrumētorum: eandem conseruat sex rerum non naturalium moderatus vsus. Salubria signa sunt actionum integritas, symmetria in excrementis, & affectus simplices secundùm naturam,

vt viuidus corporis color, in quibus explicandis tota ὑγιεινὴ versatur: Quemadmodum A παθολογία in corporum insalubrium causarum & signorum explicatione: θεραπευτικὴ, pathologia instructus, opponit morbis accommodata remedia, eaque tribus primis differentijs concludit: diæta, chirurgia, & pharmacia: vnde natæ sunt tres partes therapeuticæ, diæretice, chirurgice, & pharmaceutice, quas quidem medicinæ partes commemoratas qui explicarit, vniuersam medicinam absoluerit. Definiri etiam solet medicina, ars sanitatis seruandæ, restituendę aut à morbis pręseruandæ. Superior definitio est desumpta à subiecto, hęc vero à fine, vtriusque coniunctione reddetur perfectior hoc modo. Medicina est ars quæ sanis sanitatem conseruat, ęgris restituit, neutros à morbis præseruat: vulgaris est & ad docendum magis accommodata definitio: Medicina est scientia rerum naturalium, non naturalium & contra naturam: superiores praxim potius spectant, hęc vero theoriam. Res naturales dicuntur, quæ naturam nostram constituunt, contra naturam quę eandem destruunt, B non naturales sunt mediæ & indifferentes. Constituunt verò naturam nostram, elementa, temperamenta, humores, spiritus, partes, facultates & functiones. Proinde sunt septem res naturales, quarum scientia, physiologia nominatur. Est hominis physica prout sanus est aut æger, vbi enim desinit physicus incipit medicus. Hanc physici corporis particulam suscipit minutius explicandam: Homo est subiectum reductionis, quæcunque à medico de mineralibus, plantis & animalibus considerantur, ad hominem velut ad finem referuntur.

VT ELEMENTVM A PRINCIPIO DIFFERAT.

CAP. II. C

PRINCIPIVM differt ab elemento: Primò quòd elementum sit corporeum, principium incorporeum. Secundò quòd principia sola ratione comprehenduntur, elementa sentiuntur, quandoquidem sua qualitate tactum afficiunt. Ignis calore: Aër, si Galeno & Stoicis creditur, frigore; Aqua, humore; terra siccitate, duritie. Tertiò quòd principia sint prima & immediata, elementa ex primis composita. Constant enim materia & forma. Proinde quærenti cur medicus neglectis primis naturę principijs vniuersum artis corpus exordiatur ab elementis, respondendum est, medicum esse sensualem physicum: Elementa verò, vt est in libris cœli, esse sensibilia principia: materiam & formam intellectilia: Adde quòd subalternatur medicina physicæ; quia, D vt dixi, corporis naturalis vnicam particulam minutiùs suscipit explicandam, & conclusiones physicæ sunt principia medicinæ: Atqui non est æquum artis superioris & inferioris eadem esse principia peręquè prima. Ergo στοιχειολογία, est physiologiæ, atque ob id vniuersæ medicinæ primum fundamentum: ridiculum enim sit quærere quę insunt homini pręter naturam, ignoratis ijs quę illi insunt secundum naturam.

QVID SIT ELEMENTVM.

CAP. III.

ELEMENTVM definitur in genere, minima pars eius cuius est elemen- E tum, sic literę sunt orationum elementa, quo generali significato Arist. initio de Cœlo appellat cœlum elementum. Sunt enim quinque primę & simplicissimæ partes mundi, cœlum, ignis, aër, aqua, & terra: specialius à medicis definitur, minima pars mixti: elementa enim duobus modis considerantur prout sunt partes mundi: aut quatenus mixti. Sunt partes mundi, qua ratione sunt grauia aut leuia, harum siquidem qualitatum causa certum situm & ordinem obtinent in vniuerso. Terra quia absolutè grauis, imum occupat, Ignis, quia absolutè leuis, in sublimi residet, Aër & aqua vt comparatè grauia sunt & leuia, sic medium locum sortita sunt, Aqua, grauior aëre, graui terræ contigua: Aër, aqua leuior, igni: Absolutè graue vbique est graue & vndique ad

A centrum descendit: Absolutè leue est vbique leue, & ex quacunq; mũdi parte euolat in supernum. At comparatè grauia & leuia non sunt vbique talia. Aqua enim comparata terræ est leuis, in eiusque regione talis hoc signo deprehenditur, quod naturaliter tam altè ascendat, quàm profunda fuit eius scaturigo. Aër comparatus igni est grauis, in eiusque regione per hypothesim violentia constitutus, descenderet ad suum & naturalem locum: alioquin peruerteretur ordo vniuersi, comparatus verò aquæ & terræ est leuis, talisque in eorum regione manifestè deprehenditur, nam vesicæ plenæ aëre sustinent in aquis grauissimum pondus. Hæc consideratio planè est physica.

Sunt verò partes mixti, prout sunt calida, frigida, humida aut sicca: nam fiunt partes mixtorum præcedente mixtione, miscentur præcedente alteratione, alterantur actione & perpessione mutua, agunt vicissim & repatiuntur, non grauitate, aut
B leuitate, quæ sunt materiales, & inefficaces qualitates, sed calore, frigore, humore & siccitate, quæ sunt formales & energiticę, quamuis posteriores duę prioribus comparatę patibiles nuncupentur. Ergo doctè à medicis definitur elementum, minima & simplicissima pars mixtorum, si mauis, corpus simplex ex quo primum mixta constituuntur.

QVOD QVATVOR SVNT ELEMENTA.

CAP. IIII.

C ARISTOTELES duobus argumentis demonstrat quatuor esse elementa, primo quòd vnum sit simplex corpus absolutè graue, alterum absolutè leue, duo interiecta comparatè grauia, & leuia. Secundo quòd sunt quatuor qualitates primæ, calor, frigus, humor, siccitas, suis actionibus satis manifestæ: quæ cum sint accidentia, in primis subiectis existant necesse est. Atqui non refert si primum calidum dixeris an ignem, primum frigidum an aquam, primum humidum an aërem, primum siccum an terram. Cogimur enim propter ignorationem verarum & essentialium formarum, elementa his primis qualitatibus definire: quęrenti quid sit ignis, respondendum, est primum calidum, ac si dicas corpus simplex ex calore & primo caloris subiecto conflatum. Quid aqua? primum frigidum: quid aër? primum humidum: quid terra? primum siccum. Sunt igitur quatuor elementa quæ, inquit Galenus, medicorum instituto accommodatius
D consueuit Hippocrates quatuor primarum qualitatum concretis nominibus appellare, Calidum, frigidum, humidum, siccum: primus enim medici labor debet esse in ipsarum causarum effectis dignoscendis, vt calorem cogere homogenea, separare heterogenea. Frigus verò tam heterogenea quàm homogenea: calorem moderatum generare & viuentia conseruare, immoderatum corrumpere, vt ere: calorem temperatum rarefacere, coquere, relaxare: Immoderatum densare, astringere, assare, & cætera quæ explicauit Arist. partim in lib. de ortu, partim quarto Meteorum. Diffusius verò Gal. primis quinque libris simplicium.

DE PRIMO CALIDO.

E
CAP. V.

MAGNA contentione de primo calido pugnatur, placet Platoni & Astrologis esse cœlum, quia sit fons omnis caloris, solisq; tepor sublunarium omnium sit opifex. Ignis elementaris sine necessitate videtur in scholas physicorum introductus: neque enim videtur, vt cætera elementa, neque vlla actione se prodit. Apud Platonem sunt tres species ignis, lux, flamma, & pruna: lux est ignis lucens non vrens. Pruna ignis vrẽs non lucens. Flamma lucens & vrens. Prima differentia ad cœlum pertinet, videtur enim lux materia cœlorum, cum astrum densior pars sui orbis, sit lucidum. Astri autem & orbis communis sit materia, Posteriores duæ ad ignem artificialem: Itaque frustra videtur inuectus Ignis elementaris. Veruntamen Aristot. negat cœlum actu esse calidum, quia

haberet cõtrarium frigus à quo pateretur tandem & corrumperetur, cum cœlo nihil A
repugnet nisi priuatiuè, vt tenebræ luci: energiticôs, seu, vt loquitur D. Tho. causaliter, calefacit, vt cos non acuta acuit; vi enim sua & motu calorem excitat. Atqui primum calidum qualecumque illud sit, oportet re ipsa esse calidum, vt sit caloris ἄρχοντι δεκτικόν, Ergo cœlum non est primum calidum, multo minus summus & adustus aër, quia ex accidenti tantùm & secundario eiusmodi est: reliquum est igitur, vt constituatur ignis elementaris primum calidum. Accedit quod leuissimum & calidissimum, re & subiecto sunt vnum. Atqui cœlum non est leue, quia naturaliter mouetur in orbem, non motu recto: leue autem definitur quod sponte mouetur sursum. Ignis igitur elementaris, vt leuissimus ita calidissimus, cur ergo non calefacit? propter raritatem materiæ: nam calor quo densiori subiecto inhæret, eo magis calefacit. Qua quidem causa non videtur: Astra propter densitatem sunt conspicua, reliquum cœlum propter raritatem & perspicuitatem est inaspectabile. Descêdítne con- B
tinenter ignis de sua sphæra ad generationem mixtorum? non est necesse, quia elementa sunt confusa: in terræ visceribus insunt, aër, ignis & aqua, quę cœlestis calor contemperat ad generationem mixtorum, vtitur igne elementari, vt materia, ipse miscet, sed non miscetur, neque fit pars mixti, alioquin cœlum, vt est in prouerbio, terræ vniretur, immortale caduco. Hoc in viuentibus manifestum est, viuunt enim omnia beneficio caloris cœlestis, cuius priuatione moriuntur, Pyrethrum temperamento igneum viuit, non illo summo, sed moderato calore.

Duæ sunt primæ partes mundi, cœlum & elementa, vt hominis anima & corpus: cœlum est instar formæ, elementa materiæ, agente cœlo patientibus quatuor elementis, fiunt hîc omnia; sol habet rationem opificis, quatuor elementa materiæ. At C
efficiens est extra, materia & forma intra subiectum, efficiens est causa externa, materia & forma interna.

DE PRIMO FRIGIDO, PRIMO *humido, primo sicco.* CAP. VI.

De primo frigido certant Stoici cum Peripateticis, placet Stoicis aërem esse primum frigidum, quia summè refrigerat. Aqua enim non suo, sed ambientis frigore congelatur, cui sententiæ fauet Galenus: verumtamen humidum aërium, vt oleum, frigore densatur quidem, non congelatur; tantû abest, vt aër sit congelationis causa, homogeneum enim humidum potius quàm heterogeneum, aëreum potius quàm aqueum congelatur: D
præterea natura non solet contrarium contrario iungere, sed medium aliquod interijcere, Atqui aër igni calidissimo est contiguus, non est igitur frigidissimus: sanè vt inter sese facilè mutentur elementa, ad generationem mixtorum & conseruationem vniuersi, symbolo qualitatis conuenire debent; Ignis calidissimus est, Aër calidus, Aqua frigidissima, Terra frigida. Aër humidissimus, aqua humida: frigidissimum & remissè calidum in eodem primo subiecto subsistere non est verisimile: Itaque pręstat cum Peripateticis Aquam primum frigidum, aërem primum humidum nuncupare, eique opinioni debent medici imprimis acquiescere, quia rerum veritatem sensuum fide & effectis solent explorare. Atqui mixta in quibus aqua dominatur, vt papauer, cicuta, mandragora. Denique narcotica, summè refrigerât: humida aëria (in quorum mixtione vicit aer) vt oleum & oleosa omnia, maximè E
omnium humectant: nam vnica olei gutta si vestis perfundatur, maxima sui parte contaminatur: Aëria inquam non refrigerant, sed calefaciunt potius: Sit igitur hoc cum Aristotele constitutum: Aërem esse primum humidum, Aquam primum frigidum. Non est prætereunda quæstio. An frigus sit qualitas positiua, Aristoteles enim passim illud appellat priuationem caloris: respondeo quod docetur nono metaphysicæ, in omni oppositione duo reperiri extrema, quorum vnum alteri comparatum habet rationem priuationis, alterum habitus. Nam imperfectius est instar priuationis, alterum formæ: sic malum boni, nigrum albi, frigidum calidi, siccum humidi priuatio est: comparatè inquam non absolutè. Frigus enim actionem sensibus tam manifestam edit, vt stupidus sit qui illud absolutè priuationem esse defenderit, nihilque esse præter imbecillum calorem asseruerit. Cadauer non est frigidum propter

A pter absentiam caloris natiui, sed quia illo absente partes naturæ frigidæ dominantur, quarũ qualitas, dominatu caloris semisepulta iacebat: Sic siccitas humori comparata est priuatio. Neque dubium est resiccari mixta vel frigore humorem excludente, comprimendo, vel calore humiditatem resoluente: sunt tamen quàm plurima non resiccata, sed natura, seu prima sua constitutione sicca, vt lapides, bolus armena, terra sigillata, in quibus manifestè terra dominatur. Partes nostri corporis sicciores vt ossa, sunt siccæ quia terrenæ à terræ dominatu. Ergo terra est primum siccum: Atqui vnicum est primum siccum, seu per se naturaq; sua siccissimum, ergo ignis ex accidendi tantum siccus.

AN DVÆ QVALITATES SINT summæ in singulis elementis.

B

CAP. VII.

Hanc Galeni sententiam medici quidam contra Peripateticos duobus argumentis propugnant, primò quòd si, exempli gratia, ignis esset calidissimus & remissè siccus, dari posset calidissimo calidius: terræ enim siccissimæ contactu augeretur ignis siccitas. Nam vt Auenrois loquitur, siccitas est lima caloris, fieret igitur ignis semet ipso calidior. Secundò quòd omnia essent mixta, nihil simplex; cum enim remissio accidat permixtione contrarij, si siccitas esset remissa in igne, ab humore illã retusam esse oporteret: C quæ cum sint absurda, cõcludunt ignem esse calidissimum simul & siccissimum, terram frigidissimam & siccissimam, & ita deinceps. At vnicum est absolutè siccum, vnum primò per se humidum, quia vnius primæ qualitatis, non possunt esse duo subiecta æquè prima, primum siccum, aut humidũ, non refert si absolutè humidum, aut siccum, humidissimum vel siccissimum appellaris: non sunt igitur duo siccissima, terra & ignis, neque duo humidissima, aer & aqua: Præterea accessit qualitati summæ secunda remissa, duabus causis, prima, vt primæ actionem intendat, sic calor augetur accessione siccitatis, siccitas est lima caloris: secunda, vt adiuuet trãsmutationem elementorum & facilitet: Atqui si esset ignis calidissimus & siccissimus, aer calidissimus & humidissimus, difficilis, quinetiam impossibilis propemodum esset vnius in alterum transmutatio, quia non mutatur contrarium vnum in alterum nisi per medium, facileque inter se transmutantur, quæ qualitatis alicuius symbolo consentiunt: D difficillimè quæ dissentiunt, fauendum igitur potius Arist. Ignisq; dicendus calidissimus, remissè siccus, Aer humidissimus, remissè calidus, Aqua frigidissima, remissè humida, Terra siccissima, remissè frigida. Neque necesse est remitti qualitatem secundam à suo contrario, cum talis insit à natura propter causas dictas, sic Ignis calidissimi facilis est transitus in aerem calidum, aeris humidissimi in aquam humidam, Aquæ frigidissimæ in terram frigidam.

A QVO ET QVOMODO FIAT MIXTIO.

CAP. VIII.

E Scribit Aristoteles Deum de industria sublunarem mundum proximè cœlo coniunxisse, quò facilius ab illo regeretur. Regitur autem motu, aut lumine: vehiculo luminis descendit calor qui immixtus miscet elementa ad generationem mixtorum. Quod ipse misceri non possit definitio ipsa demonstrat: est enim mixtio eorum quæ miscentur priùs alteratorum vnio. Atqui, vt docetur in libris cœli, cœlestia sunt impatibilia, multo minus vniri possunt elementis, quia mortale & immortale nunquam coire possunt in eandem naturam: prætereà cœlum est ἀσύμβλητον, elementis incõparabile, σύμβλητα enim Aristot. appellat quæ communi materia participant, vt qualitates contrariæ permutentur in communi subiecto: At cœli materia loco quidem est mobilis, non transmutabilis vt elementorum, non habet adiunctam δύναμιν ἀντιφάσεως, appetitionem nouitatis, quam priuationem Aristoteles appellauit. Neque enim nouam formam ce-

lum appetit, sed in sua conquiescit: immixtus itaque calor cœlestis quatuor elementa hoc modo permiscet: Terra est veluti omnium basis, quæ tota humore aqueo imbuitur, atque perfunditur, ac si pistor farinæ aquam misceat, vt pastã efficiat, nam ex luto Prometheus hominem finxisse dicitur, vtrumque permeat, & quoquo versum peruadit, cuncta retum permeabilis aër, hæc tria καθ' ὅλον subit, & calore penetrante, quouis sese insinuat ignis: sic nulla particula mixti quantumnis exigua manet immixta, sed ex quatuor elementis proportione commixtis tẽperata: designa acu quam voles mixti particulam, illam qnatuor elementorum mixtione constare, si non sensus, certè manifestè ratio conuincit, nec dubita quòd si adeo perspicaci essemus visu, vt illius dissolutionem discernere possemus, quin singulorum elementorum separationem videremus. Eò enim redeunt omnia vnde primùm orta sunt, vt reiniantur toti: ergo, dices, dabitur minus minimo, eritque corpus mixtum infinitè diuiduum, seseque corporum dimensiones penetrabunt: nego sequi, quia elementa moleminima seu minutissimè diuisa, non apponuntur, vt cinis cineri, sed indiuidua specie tota totis permiscentur secundum qualitates, non secundum substantias. B

VTRVM ELEMENTA SECVNDVM *formas, an secundum qualitates misceantur.*

CAP. IX.

PRIMVS Hippocrates docuit elementa commisceri, Democritus enim & Empedocles mixta fieri per concretionem existimabant, concrescere verò minimarum partium cõtactu & appositione, quam opinionem multis argumentis Aristot. confutauit. Antecedente enim primarum qnalitatum actione & perpessione mutua vniri tandem elementa demonstrauit, cui secundum qualitates non secundnm corpora placet ea permisceri, quia substantia substantiæ non aduersatur, nisi ratione qualitatum. Aristot. potiùs quàm Stoicis subscribit Galenus lib. de substantia facultatum naturalium. Aphrodiseus tamen, fidelis Aristotelis interpres lib. de mixtione contendit elementa misceri secundum formas, hoc argumento: Ea sola miscentur quæ per se existunt, vt est primo de ortu, Atqui primæ qualitates cum sint accidentia, per aliud existunt. Ergo elementorum substantiæ miscentur, præterea elementa post dissolutionem mixti eò redire vnde profecta sunt scripsit Hippocrates. Atqui destituta formis, non est verisimile singula redire ad sua loca. Formas igitur seruant in mixto. De quæstione tam difficili dicam liberè quod sentio; Arist. mixtionis definitione, duo inclusit, Antecedentem alterationem & inde consequentem vnionem, alterantur elementa mutua primarum qualitatum, deinde concordia formarum vniuntur, sublata enim causa repugnantiæ, facilis est vnio substantiarum: at inquam non repugnat ignis aquæ nisi quia ille sit calidus, hæc frigida: sublata igitur per alterationem hac causa repugnantiæ, facillimè ex multis elementorum formis vna exurget, quæ verius forma mixti nominaretur quàm qualitas elementi prædominantis: Hoc quia est magni momenti, exemplis illustremus: In catharticis, vt Rhabarbaro, senna, agarico, præter actionem manifestam quæ à temperamento procedit (vt vim calefaciendi à caloris dominatu) inest vis quædam & proprietas inexplicabilis humorem hunc aut illum trahendi cum delectu, quam docti omnes appellant formæ, vel totius substantiæ proprietatem, quam quidem ignorari non est mirum, cum elementorum formæ à quarum vnione procedit, materiæ tenebris inuolutæ, nostram comprehensionem effugiant: Vt in purgantibus sic in alterantibus remedijs, denique in mixtis ferè omnibus eiusmodi actiones obseruare possis, quæ non procedunt à temperamento, sed à proprietate specifica & forma: Quam mixtorum essentiam, tacitè videtur Aristot. subindicasse, in libris de historia animalium quo loco docet ex professo temperamentum non esse substãtiam partis similaris: nam inquit, quòd caro sit caro, aut os sit os, non debet acceptum ferri elementorum qualitatibus, sed à diuiniore quadam origine dependet, neque enim quicquid similiter atq; os densum est & frigidum, protinus os esse necesse est: sed ossis natura ipsa accedat necesse est. Temperamentum non facit, vt mixtum sit id qnod est, scilicet, vt hoc sit lapis, C D E

lapis, illud planta. Sed melior quædam essentia, quam ego existimo, ex elementa-
A rium formarum vnione consurgere. Hoc est vnum ex primis humanæ sapientiæ principijs; quo cognito omnes mixtorum actiones & effectus, poterit quisque ad suas primas causas reducere, manifestas ad temperamentum, occultas ad formam mixti, quę procedit ab vnione formarum elementarium, vt temperamentũ à mixtione primarum qualitatum.

VTRVM ELEMENTA MANEANT in mixto actu an potentia. CAP. X.

Vnum quodque est actu per suam formam: forma enim est actus cuiusque rei. Arqui elementa non retinent in mixto suas formas, Itaque non insunt
B actu: siue enim primæ qualitates sint formę, siue non; certum est, sine illis formas consistere non posse: Atqui non manet ignis calidissimus in mixto, neque aqua frigidissima: Itaque non manent actu, cum sint destituta formis. Ego verò formas elementorum remanere demonstraui, non quæ per se & seorsim subsistant, sed vnitas: vt enim temperantur qualitates, sic vniuntur formæ, vt quę ex temperatis contrarijs qualitatibus, & ad mediocritatem adductis vna exurgit, quæ temperamentum mixti denominat, facitque vt hoc sit calidum natura, illud frigidum: ita ex vnitis quatuor formis elemẽtorum, vna ex omnibus exurgit, quæ, verius quam temperamentum, forma mixti dicetur, essentia corporis similaris: formæ igitur elementorum manent in mixto, sed indistinctæ, & in vna confusæ, vna post pugnam victrix manet, quæ cæteris imperat, omnesque veluti vinctas tenet, quod est poten-
C tia manere. Proinde siue spectes primas qualitates, quia non manent summæ, sed refractæ, siue veras formas, quia omnes in vnam coëunt, elementa manent in mixto potentia tantum, hoc est cum actu suo retuso. Victrix qualitas cæteras potentia continet: illius potentia non aliter continentur quàm binarius ternario, Vegetans anima sentiente, vtraque rationali: sic extremi colores, sapores, odores sunt in medijs, sic in cramate insunt vinum & aqua, cera, resina & oleum in tetrapharmaco. Hoc solum videtur vrgere argumentum quòd redeant tandem elementa ad sua loca, quod non possunt, sine formis & qualitatibus summis, An grauitas & leuitas sunt causæ motus ad superum & inferum, quæ manent in mixto inalteratæ? An moderatus calor leuia potest mouere sursum, vt vaporis & exhalationis exemplo notum est? paulatim enim calor intenditur motu, materiamque suam attenuando, & rarefaciendo leuiorem reddit, vnde fit, vt quo vicinius est suo loco, eò celerius moueatur. An elementorum
D formæ vnitæ separari possunt, non arte, sed à natura ipsa quæ illa miscuit, non aliter quàm vinum & aqua, vase ex hedera confecto separantur?

AN QVATVOR ELEMENTORVM mixtione corpus nostrum constet. CAP. XI.

Duo sunt humanę generationis sensibilia & coniuncta principia, semen & maternus sanguis. Atqui autore Gal. semen est igneum magis quàm aërium: spuma enim est aërius, & oleosus humor, genitor spiritus cuius pręsentia spumat, est igneus: Sãguis potissimum est aqueus & terrestris, quando quidem ratione suæ substantiæ est aqueus, ratione fibrarum,
E terrestris: ergo manifestè ad nostrã generationem cõcurrunt quatuor elemẽta. Pręterea sanguine continentur quatuor humores, Atqui illi analogia respondent quatuor elementis, bilis enim calida sicca, est ignea, sanguis, calidus humidus, est aërius, pituita frigida & humida, est aquea, succus melancholicus, frigidus siccus, est terrestris: ergo materno sanguine quo opifex spiritus, tanquam materia vtitur ad fabricam nostri corporis, quatuor elemẽta continentur: Item nostri corporis quędam partes sunt siccæ & duræ, à terrę dominatu, vt ossa, aliæ humidæ, vt humor radicalis, alię frigidæ, vt cerebrum, alię calidæ, vt cor, iecur, spiritus. Accedat quòd ijs nutrimur quibus constamus, nutrimur mixtis: nullum enim animal vno simplici; elemento nutriri potest: sit igitur hoc constitutum, nos constare quatuor elementorum mixtione, ex quatuor elemẽtis solẽ, cum homine hominẽ, cum boue bouẽ generare.

PHYSIOLOGIÆ SECTIO SECVNDA, DE TEMPERAMENTIS.

QVID TEMPERAMENTVM.

CAP. I.

EMPERAMENTVM est finis seu perfectio mixtionis, semper enim miscentur elementa, vt inde crasis exurgat, quemadmodum ex vino diluto κρᾶμα: mixtio enim motus quidam est, nempe primorum contrariorum conflictus, cum ad medio critatem reducta sunt, cessat motus, quia adepta sunt finem, ad quem contendebant. Hinc Auenrois non absurdè, tempetamentum formam mixti definiuit, forma enim & finis in operibus naturæ re & numero sunt vnum, sola differunt tatione, eam ob causam veteres quidam physici, animam ipsam harmoniam appellarunt, quos etiamsi Plato in Phœdone refutarit, tamen in Timęo animam nominatim appellat harmoniam, quam dissensionem malè C conciliat Proclus, harmoniam sui nominans non corporis, Anima enim est harmonia suarum partium & primarum qualitatum; Vtitur temperamento, tanquam instrumento ad obeundas suas functiones. Temperamentum est principium sine quo illæ obiri non possunt, nam læso partium similarium temperamento, protinus naturales actiones læduntur, non est tamen anima temperamentum, nec ex temperamento, imò verò, vt ex Aristotele iam notauimus, forma totius similaris, vt ossis, aut carnis, quæ propriè natura dicitur, non est temperamentum, quia illi non debent quod sint os aut caro, sed diuiniori cuidam substantiæ. Esto igitur tempetamentum, finis mixtionis, vel principium naturalium facultatum & functionum, non omnium quidem, sed manifestarum: occultæ enim alteri principio acceptæ ferri debent: Solæ manifestæ, à temperamento procedunt: Fernelius definit concentum mixtionis, seu harmoniam primarum qualitatum. Aduersus quem objijcitur hanc definitionem omni temperamento conuenire non posse, quia docet Galenus, libro de inæquali intemperie, febricitantium, & hydropicorum temperamentum esse inæquale; tabidorum verò æquale, vtrumque cum morbidum sit, nemo concentum appellarit. Respondeat Fernelius; Analogum per se positum stare pro potiori significato, qui simpliciter & sine adiuncto temperamentum nominat, salubte intelligit, non aliter quàm cum homo absolutè pronunciatur, viuens, non pictus significatur.

TEMPERAMENTORVM PRIMÆ differentiæ, An sit, & quid sit pondere, quid iustitia temperatum.

CAP. II.

EMPERAMENTVM imprimis diuiditur à Galeno in temperatum & intemperatum; temperatum subdiuiditur in id quod exquisitè, atque, vt dicitur, ad pondus temperatum est, & id quod ad iustitiam temperatum. Ad pondus non appello, in quo pari mole, & pondere elementa mixta sunt, tale enim ne cogitatione quidem fingi potest, quia ignis terram absumeret, fieretque vnius ortus alterius interitus, sed æquali quatuor primarum qualitatum mixtione constare debet exquisitè temperatum: in quo nulla qualitas exuperat, sed omnium inest ęqualitas. Quęritur si tale existat in natura: Gal. primo de

A de Alimentorum facultatibus, dum mediocria quædam & temperata alimenta constituit, illud videtur agnoscere. Manifestius verò primo de temperamentis, cum scribit cutem interiorem manus hominis ad iustitiam temperati, in ætate potissimum adolescentiæ, omnium qualitatum mediocritate constare, quia constat carne calida humida, & neruo frigido sicco, quam ideo dicit esse indicem & arbitram omnium temperamentorum. Galeno fauet Physica ratio, non enim fit motus ab extremo in extremum nisi per medium æqualiter distans ab extremis. A calido ad frigidum fit transitus per tepidum: A pueritia calida humida, ad senectutem extremam, frigidam siccam, procedimus per adolescentiam temperatam, Os vitæ initio humidissimum, non potest tandem reddi siccissimum, nisi fuerit priùs in vtriusque extremi medio constitutum. Verùm non plus momento in puncto illo exquisitè medio consistitur, vt primo de tuenda valetudine scribitur à Galeno: Itaque videtur potius
B doctrinæ gratia poni à medicis temperamentum ad pondus, quo facilius intelligatur optimum in genere temperamentorum, quod sit cæterorum veluti exemplar: vt quæcumque illi erunt similiora, temperatiora, quæ dissimiliora, intemperatiora, iudicentur: Primo de temperamentis illius comparatione omnia dicuntur intemperata: Temperatum ad iustitiam vocatur, quod naturæ suæ congruenter, seu vsui cui destinatur conuenienter temperatum est, quæcumque enim acceperunt à natura mixtionem elementorum, quamuis inæqualem, actioni tamen & vsui conuenientem, ea ad iustitiam temperata dicuntur, sic os quamuis siccissimum, est tamen ad iustitiam temperatum, quia tale tempetamentum, illius vsus postulabat. Temperamentum vero intemperatum, est duplex, simplex vel compositum, simplex, in quo vna tantum qualitas excedit reliquis duabus con-
C temperatis, cuiusmodi est, calidum, frigidum, hnmidum & siccum, calidum in quo calor frigori dominatur, humore & siccitate temperatis. Frigidum, in quo frigus præcellit calori, reliquis duabus tempetatis. Compositum in quo duæ qualitates excellunt. Hoc autem est calidum humidum, vel calidum siccum, frigidum humidum, vel frigidum siccum: nam cum sex modis inter se primæ qualitates coniungi possint, calor autem non possit iungi cum frigore, neque humor cum siccitate, quia sese mutuò expellunt contraria, nec in eodem subiecto simul existunt, reliquum est, vt hæ tantum quatuor coniugationes primarum qualitatum reperiantur vtriusque agentis cum patientibus: quid multa? Temperamenti intemperati sunt octo differentiæ, quatuor simplices, totidem coniunctæ. Temperatum verò, pondere aut iustitia temperatum est: Temperamentum intemperatum subdiuidi solet in
D salubre & insalubre: hoc rursus in æquale & inæquale. Nudum aut cum materia, sed hæ subdiuisiones non sunt huius loci. Ad Pathologiam enim pertinet intemperiem morbidam considerare.

QVÆSTIONVM QVIBVS SVPERIOR diuisio oppugnari solet solutio ex Galeno.

CAP. III.

E QVIDAM contendunt nullum esse temperamentum simplex hoc argumento quod actiuæ qualitates mox generent passiuas, calor inducit siccitatem, frigus humiditatem, eodem argumento alij contendunt non posse dari mixtum, quod sit calidum simul & humidũ, neq; vllum quod sit simul frigidum & siccum: cui quidem argumento quidam satisfactum putant negando calorem siccare, & frigus humectare, quia vnius causæ vna est actio, caloris scilicet calefacere: frigoris refrigerare. Verùm illi non intelligunt primo per se vnius quidem causæ vnam esse actionem, per accidens, quamplurimas. Calefacere est prima actio caloris, siccare, secundaria: Calefaciendo enim, humorem dum resoluit, siccat: sic frigus non tantùm humectat, imperfectè coquendo; ἀπεψίαν enim multa humoris copia consequitur, sed & siccat comprimendo: Alij itaque doctius respondent, calorem quidem siccare & frigus humectare, sed paulatim & cum tempore, calor natiuus humorem radicalem absumendo, tandem aliquando corpus desiccat, sed toto illo tractu temporis nihil vetat,

quin calor sine siccitate existat, Galenus iustè negat omnem calorem siccare, A quia calor humidus humectat, vt exemplo tepentis balnei demonstrat: Negat quoque frigus perpetuò humectare, quia frigidus Boreas siccat, vt probat Homeri testimonio.

CALIDI, HVMIDI, FRIGIDI, SICCI, homonymia explicatur. CAP. IIII.

VT intelligatur facilius quid sit natura seu temperamento calidum, quid frigidum, horum nominum ambiguitas imprimis explicanda est. Dicitur autem vnumquodq; horum tribus modis, per se, per accidens: Absolutè, cõparatè: Actu, potentia. Calidum per se sit necesse est quod temperamento tale dicitur: nam calidum per accidens magis propriè B calefactum dixeris, similiter refrigeratum, humectatum, desiccatum: Aquam per se frigidam esse quantumuis coctione incaluerit, hoc signo cognoscitur quod sponte refrigescat, deposito calore, vt alieno & ascititio, nec desinit terra esse siccissima, quamuis multo imbre madeat ad salutem animantium.

Aristoteles docet primo de Ortu quidpiam absolutè dici duobus modis, In genere seu indefinitè, quo modo homo absolutè est temperatus, id est omnium temperatissimus, vel magis propriè & definitè, quo modo qui actiones habet perfectissimas inter homines, est temperatissimus. Idem diuersis comparatum nihil prohibet esse calidum simul & frigidum, nam homo quamuis per se temperatus, tamen si comparetur leoni, videbitur frigidus; si asino, calidus: comparationem verò fieri inter C res eiusdem vel diuersi generis, eiusdem quoque vel diuersæ speciei: notius est quàm vt explicari debeat.

Actu calidum dicitur quod tale sentitur, siue fuerit tale per se, vt ignis, siue ex accidẽti, vt aqua feruens: Similiter actu frigidum appellamus, quod contactu tale percipimus, siue per se tale fuerit vt gelu, siue per accidens vt piper refrigeratum. At actu humidum & siccum, non tantùm tactu discernimus, sed etiam ratione: Nam gelu si tetigeris, ex duritie siccum iudicabis: metallum fusum & liquatum si contrectes, ex mollitie humidum esse pronunciabis: si verò adhibeas in consilium rationem, considerésque gelu nihil esse præter aquam frigore concretam, æs, vel plumbum liquidum, nihil esse quam corpus terrenum à calore liquatum, Profectò gelu potiùs humidum quàm siccum affirmabis, metallum potius siccum quàm humidum, sicque intelligendus est Gal. secundo de temperamentis, quando docet calidi & frigidi so- D lum tactum esse iudicem, humidi & sicci cum tactu rationem.

Potentia calidum aut frigidum dicitur, quod etiamsi actu non calefacit, potest tamen calefacere vt piper, sinapi, quamuis actu frigida qualia sunt media hyeme, potentia tamen calida sunt, Assumpta enim nos calefaciunt, dum vis illa à nostro calore in actum promouetur. Duplex autem est potentia, vna quę antecedit actum, sic infans potentia est Grammaticus: Altera consequitur actum, qualis inest iam Grammaticæ præceptis instituto facultas congruè loquendi. Prior potentia inest materiæ dum promouetur ad formam, & à secundis causis præparatur. Introductæ verò formæ inest alterum genus potentiæ, nutriendi, augendi, procreandi. Huiusmodi sunt quæ medicamentis insunt, tam purgantibus, quàm alterantibus, quæ iacerent in materiæ sinu sopitæ, nisi à viuentis calore promouerentur: sic igniculi qui latent in E rebus adustis vt cineribus, & calce, affusa frigida suscitantur.

CRITIRIVM TEMPERAMENTROVM. CAP. V.

IN vno quoque rerum genere, quod præstat, cęteris debet esse pro regula: homo non tãtum mixtis omnibus præcellit, sed omnia in illius vsum ab opifice destinata sunt. τελὸς ᾧ, finis cui. Itaq; accepit à natura duo instrumenta, rationem qua verum à falso, & virtutem à vitio distinguat, & tactum cuius ministerio, à nocituris vtilia discernat, vt illa deligat ad vsum, hæc verò perpetuò fugiat: nam gustus, cuius ministero venena ab alimentis

internoscit

A internoſcit, eſt quidam tactus. Tactus eſt ſenſus neceſſitatis, omni animanti ad conſeruandam vitam neceſſarius, cęteri, nempe viſus, auditus & odoratus ſunt tantum commoditatis, tactu ſitne hoc iuſto calidius, illud frigidius, an verò mediocriter calidum: ſitne durius vel mollius quiſque noſtrum dignoſcit. Aqui quo inſtrumento tractabiles qualitates, tam primas, calorem, frigus, humorem, & ſiccitatem, quàm ſecundas, vt duritiem & mollitiem, aſperitatem, lęuitatem, diſcernimus: eodem temperamentorum differentias diſtinguimus, Id enim calidum vocamus, cuius contactu incaleſcimus, frigidum à quo refrigeramur. Durum quod reſiſtit, molle quod cedit noſtro tactui: Proinde omnes diſſenſiones quę à Peripateticis mouentur de ſenſorio tactus, moueri poſſunt à medicis de critirio tẽperamentorum. Ariſt. ipſe diſſenſionis occaſionem dedit ſuis interpretibus, nam primo de Hiſtoria & ſecundo de B partibus animalium, affirmat carnem eſſe ſenſorium tactus, quam quidem opinionem hoc indicio confirmat Auicenna, quod ſi acu pungatur, illico ſentit, & dolore afficitur. Aphrodiſęus eſt in eadem ſententia, eamq́; ex eo confirmat quod ſenſorium tactus oportcat eſſe tẽperatum, eiuſmodi autem ſit caro, non neruus: Veruntamen ſecundo de anima ipſemet Ariſt. hoc officium neruo committit. Carnem verò eſſe tantùm medium per quod fit tactus affirmat: & Auenrois mauult neruum eſſe organum tactus quàm carnem, quia caro non ſentit niſi per neruum, in eadem opinione fuit Themiſtius; locus facultatis tangendi, inquit Ariſtot. imo verò cuiuſuis alterius ſenſus, eſt cor. Hos locos vt breuiter conciliemus, reſpondemus imprimis cor dici commune & primum ſenſorium, quòd Ariſt. iudicio ſit ſenſuum omnium radicale principium: fibras enim habuit pro neruulis, neruus autem & caro non diuiſim, ſed C coniunctim, efficiunt ſenſorium tactus: Interior enim cutis vtroque conſtat, neruo duro, & carne molli, neruo frigido ſicco, carne calida humida. Quam idcirco iuxta Aphodiſæi fundamentum, vt phyſici tactus ſenſorium, ita medici temperamentorum iudicem & arbitram doctè profitentur.

PARTIVM NOSTRI CORPORIS *temperamentum inquiritur.* CAP. VI.

AD bene medendum non eſt ſatis eorum quę ſunt extra nos temperamenta cognoſcere, ſed etiam eorum quę ſunt in nobis: ſe enim, hoc eſt tam corpus quàm animam, debet vnuſquiſque imprimis cognoſcere. Corporis autem ſcientia potiſſimum conſiſtit in ſingularum partium temperamento, de quo docti omnes paribus ferè rationum momentis D ita diſceptant, vix vt dicas vtri potius parti fauendum ſit. Nam Gal. affirmat cerebrum eſſe calidum, eo quòd detectum ſi tetigeris tale tactus iudicio appareat. Adiungit eſſe ſedem & habitaculum rationis. Ariſt. verò frigidum eſſe contendit, quia pars eſt ſpermatica, continuo enim motu, ſpirituumq́ue vitalium appulſu, per arterias ſoporarias incaleſcere, id eſt per accidens non perſe calidum eſſe. Adde quòd nutritur pituitoſo ſanguine, eo autem conſtat vnumquodque quo nutritur: Præterea effectus prodit naturam ſuæ cauſæ: Atqui excrementitia pituita quæ per nares & palatum excernitur de cerebro procedit.

De cordis temperie Auenrois quoque diſſentit à Gal. Galenus enim, quia eſt fons caloris: in dextro enim ventriculo fit ſanguis arterioſus, in ſiniſtro vitalis ſpiritus veluti in fornace elaboratur ex naturali, calidum eſſe affirmat: quod ſi digitum in dex- E trum ſinum cordis adhuc palpitantis immiſeris, ſanguinem illic inſtar aquæ feruentis calidum percipies. Auenrois nihilominus temperamento ſuo frigidum eſſe contendit, eo quòd pluribus conſtet partibus frigidis, vt aorta, vena arterioſa, arteria venoſa, valuulis, & eo ramo venæ cauæ qui ſanguinem ad dextrum ſinum tranſmittit, quæ omnia ſi cum carne cordis comparaȓis, frigidum potius quàm calidum apparebit.

De pulmonis temperamento non conuenit etiam inter Galenum & Auicennam: nam Galenus quia ſit mollis, humidum eſſe pronunciat. Auicenna, quia nutritur ſanguine bilioſo potius ſiccum, per accidens tantùm humidum eſſe contendit, eò quod aſſidua deſtillatione madeat: vſque adeo ſunt incerta & problematica omnia. Diſſenſionis occaſio ex eo me iudice nata eſt. Quod Gal. ſingula membra, vt ſunt partes corporis viuentis conſiderauit, Phyſici, per ſe & abſolutè. Pulmonibus

enim animalium, corde, iecore cæterisque vtimur, partim vt alimentis, partim vt medicamentis. Hoc modo, cor frigidum potius quàm calidum videri potest, quia nos potius refrigerat, quàm calefacit. Pulmo siccus quia desiccat. Cerebrum, frigidum & humidum. Veruntamen non cuiusuis pulmonis, sed humani duntaxat temperamentum hîc inquirimus, prout constituit partem nostri corporis adhuc viuentis, quod oportet medicum ad bene medendum imprimis distinguere, vt intelligat quàm longè vna quæque pars malè affecta à natiua temperie recesserit. Hoc enim ignorato vix potest accommodatum remedium præscribere: Sic autem de controuersia ista statuendum est: Omnes partes nostri corporis, aut sunt albæ, aut rubræ. Illæ exangues, spermaticæ, solidæ; hæ sanguineæ & molles: Albæ sunt frigidæ, rubræ verò calidæ: quæcunque sunt duræ, vt ossa, nerui, sunt siccæ: molles verò humidæ. B

QVATVOR ÆTATES COMPARANTVR cum quatuor anni temporibus totidémque humoribus.

CAP. VII.

ALIVD est constituere totius, aliud partis alicuius temperamentum. Fieri enim potest, vt quispiam sit temperamento calido & sicco, qui tamen habeat partem aliquam nobilem, frigidam & humidam: Temperamentum totius exurgit ex consensu tẽperamentorum partium omnium, frigidę enim à calidis, humidę à siccis, ita contẽperantur, vt ex omnibus nascatur harmonia illa quæ temperamentum totius constituit, quod omnium partium, coniunctim, non diuisim, temperamentum includit, solaque differunt ratione: Vtrumque annorum decursu variè immutatur. Cùm enim vita nostra in calido & humido consistat, calor autem paulatim humorem absumat, necesse est vnumquéque per varias mutationes, ad interitum ruere. Quas quidem insignes & ordinarias mutationes, quę toto vitæ curriculo eueniunt, Ætates appellamus. Quatuor autem manifestas mutationes in tẽperamento patimur toto vitæ decursu, quibus totidem ætates respondent. Prima ętate homo est calidus humidus, abundat enim vtroque vitæ principio: nam infantium ossa tam sunt tenera, vt quouis duci & inflecti queant: progrediente ętate fit calidus siccus, postea siccus & frigidus, ad extremum euadit frigidus & humidus, sicque omnes temperamentorum differentias percurrit. Quatuor igitur sunt ætates analogæ quatuor anni temporibus, pueritia similis veri, id est calida & humida: florens seu virilis ætas, calida sicca, similis æstati: tertia decrescens, seu inclinans ætas, similis autumno, frigida & sicca: quarta senectus, frigida & humida, vt hyems: Pueritia tãdiu durat quamdiu calidum, & humidum temperamentum manet, tamdiu florens ætas dicitur, quamdiu calidum nobis inest & siccum temperamentum, & ita deinceps: Singulis ætatibus quæ diximus temperamenta dominari, abundè testatur quatuor humores, qui singulis ætatibus non aliam ob causam exuperant, quàm quod vnumquodque temperamentum, humorem sibi congenerem producit: pueritia vt ver, sanguinem: virilis ætas, non aliter quàm æstas, bilem: decrescens, vt autumnus, succum melancholicum: senectus vt hyems pituitam: Ita enim singuli humores sub quatuor ætatibus, totidemque anni temporibus vigent, respondentque quadræ quatuor nostræ vitæ, quatuor quadris anni: vnde paret quàm aptè octauo Physic. homo dicatur μικρόκοσμος. De veris & sanguinis temperamento, an respondeant pueritiæ disceptatur, quia Galenus ver & sanguinem mauult dici temperata, quàm calida humida autumnum potius inæqualem, aut intemperatum, quàm frigidum siccum: Verùm latè sumpta pueritia adolescentiam comprehendit, ideoque parum refert, si calidam humidam dixeris an temperatam, quia extrema pars pueritiæ nempè adolescentia, temperata est: Item calor humidus, non externus quidem, author putredinis, sed internus, quali viuimus, aut est temperatus, aut temperato analogus. Nemo autem miretur si dixerim senectutem esse frigidam humidam, cùm humoris radicalis priuatione, senes sint exucti & extremè sicci: ea enim est sententia Galeni octauo de Placitis, & in libris de Sanitate tuenda, vbi respexit ad temperamentum mixtionis, non ad temperamentum viuentis. Non est prætereundum quod disputat Gal. secundo de Temperamentis, Sintne pueri calidiores viris. Vbi quęstione vtrimque exagitata, ita distinguit: si substan-

A ſi ſubſtantiam, aut qualitatem calidi innati conſideres, pueri ſunt calidiores, ſi qualitatem & energiam caloris, viri: ſi mauis pueri calore humido, eóque blando & halituoſo, ſunt calidiores; viri calore ſicco eóque acri, & contactu ipſo mordaci.

SIGNA DIAGNOSTICA TEMPERamentorum. CAP. VIII.

Parvm prodeſt differentias temperamentorum conſtituiſſe, niſi ſubjiciantur ſigna, quibus ſingula dignoſcantur: Imprimis ergo tactu calidos à frigidis, humidos à ſiccis internoſces, qui enim ſunt molli habitu corporis, carne laxa, & rara, humidi: qui denſa & dura cute, ſicci iudicentur. Excurrendũ deinde per actiones tam Phyſicas quàm mo-
B rales. Phyſicas appello non tantum naturales, ſed etiam vitales & animales. Morales vero & animæ concupiſcibilis, iraſcibilis, & rationalis pathemata: Galenus enim vno libello docuit, quod animi mores ſequuntur temperamentum corporis: Naturâ calidis, cor & arteriæ vehementer pulſant, frigidis languidè & remiſsè: calidi ſolent eſſe ad libidinem procliues: frigidi, aut ſunt tardi, aut impotentes, fieri tamen poteſt, vt calidus natura ineptus ſit ad venerem, quia genitalia habeat frigidiora. Calidi, ſunt proni ad iram, magno & elaro animo. Frigidi verò ſunt timidi, puſillo & abiecto animo: Calidi ſunt ſolertes, ingenioſi: frigidi, tardi, ſtupidi, obtuſo ingenio: Calidi celeres habent animi motus: frigidi tardos & torpidos ſpiritus: Item calidis dentes citiùs enaſcuntur, & celeriùs accreſcunt. Conſiderabitur ſecun-
C doloco, habitus corporis, ſitne gracilis, an obeſus, quia graciles ſunt calidi, pingues autem frigidi: Quod intelligendum eſt, ſi modo natura, non morbo vt ἀτροφία, aut conſuetudine, vt curis, venere immodica, exercitatione vehementiore & frequentiore, longa inedia, graciles facti ſunt: Nam otio quoque, & delicatiore vita fieri poteſt, vt qui temperamento calidus eſt, nihilominus pingueſcat, viciſſimque natura frigidus, mœrore, curis, inedia, poteſt vſque adeo corpus macerare, vt præter naturam graciléſcat. Prætetea frigidos eſſe glabros, ſatis demoſtrant eunuchi & mulieres. Calidi verò ſunt villoſi & hirſuti, ſignum quod ſumitur à colore pillorum, ex fallax: quia per ætates, pillorum color mutatur pro humoris rubri, flaui, nigri, aut albi dominatu. Nam prima ætate, capilli qui ſunt flaui, aucto per ætatem calore, nigreſcunt: tandem eodem languente, atque inde multa pituita collecta, caneſcunt. A iuuantibus quoque & lædentibus calidi à frigidis diſcernuntur, nam
D calidi calefacientibus offenduntur vt mero, exercitio vehementi, piepratis, faciléque morbos calidos, vt febres à bile, incurrunt: Frigidi verò iiſdem iuuantur, frigidis læduntur. Cæterum tempetamenta partium principum, vt cordis, hepatis, cerebri & teſtium, necnon ad vitam neceſſariarum, vt ventriculi, pulmonum, & proprijs ſignis dignoſcere docet Galenus in arte parua, ex quo ferè omnia tranſcripſerunt, & in ſuas Synopſes retulerunt Oribaſius & Paulus.

PHYSIOLOGIAE SECTIO TERTIA, DE SPIRITV ET CALIDO INNATO.

E

AN SIT, QVID SIT, ET QVEM VSVM habeat ſpiritus. CAP. I.

Constamvs anima & corpore, corpus continentibus, contentis, & impellentibus, hoc eſt partibus, humoribus, & ſpiritibus: tantùm igitur abeſt, vt Hippocrates dubitarit, An ſint ſpiritus, cùm eos partes noſtri corporis eſſe iudicarit. Appellauit autem eos ἐνορμῶντα, impetum facientia, vt eorum vſum ſimul demonſtraret, omnes enim impetus vehementéſque motus, excitat anima ſpirituum miniſterio: inciſa vena ſanguis fluit

riuulosè, vi spiritus & caloris insiti, secta arteria impetu maiore erumpit, quia sanguis arteriosus est spirituosior & calidior: nunquam lotinm ad tam distans ferretur, nisi haberet adiunctnm spiritum. Capacitates quæ inanes apparent dissecto cadauere, in cordis sinistro sinu, & ventriculis cerebri, spirituum in viuentibus necessitatem conuincunt. Natura enim fugit vacuum vt capitalem hostem, qui naturam dicit, ens dicit; qui vacuum non ens, ens & non ens, sunt prima contraria, proinde vacuum est primus & summus hostis naturæ. Arqui aut datur in viuentibus vacuum, aut prædicti ventres sunt pleni spiritu: Neruus opticus eiusdem rei fidem facit: nam aut est inanis, aut plenus spiritu visiuo. Arteriarum indesinens pulsatio non potest alteri causæ accepta ferri, quam calori & spiritui vitali, à corde per arterias quoquo versum influenti. In immodicis euacuationibus, non tantum benigni exerementi, seminis & menstrui, sed etiam inutilis, vt stercoris, aut puris, succedunt animæ deliquia, propter caloris & spiritus priuationem. Ab hydropicis, qui aquas exhauriunt inciso abdomine, coguntur eas sensim vacuare, ne repentina spirituum dissipatione mors contingat. Arbitrarios motus fieri spiritu per neruos duros à cerebro transmisso, hoc satis indicat, quod obstructo, compresso, aut inciso neruo, dum commeatus spirituum impeditur, pars in quam desinit neruus, motus beneficio priuatur. Quibus quidem argumentis abundè demonstratum existimo, non tantùm esse spiritus, sed etiam quid sint, & quem habeant in nobis vsum, vnumquodque enim optimè definitur suo vsu: quia vsus est pro fine, finis forma & perfectio: Atqui dati sunt spiritus ad eos vsus vt ministrent animæ: Sit igitur primum animæ in obeundis functionibus instrumentum: si malis finiatur substantia ætherea, calidissima, leuissima, tenuissima, animæ ministrans in ciendis motibus. Talem enim esse expediebat, vt facilè & expeditè quoquouersum excurreret, & imperanti animæ præsto vbique esset. Quibusdam videtur præter vsus commemoratos, hunc habere primum & præcipuum, vt sit vinculum animæ cum corpore, incorporea enim & immortalis anima, caduco corpori per intermedium spiritum debuit copulari, in eóque à spiritu & calore retineri. Hoc argumento quod tandiu viuimus, quandiu caloris & spiritus tantillum superest, vtriusque priuatione mors instat, separatio animæ à corpore. Galenus hac victus affinitate, dubitat, An spiritus sit animæ substantia, potiùs quàm instrumentum. Quam Stoicorum opinionem grauibus rationum momentis confutaui, primo capite commentarij quem scripsi in librum Fernelij de facultatibus animæ.

SPIRITVVM DIFFERENTIÆ.

Cap. II.

Natiuus calor & spiritus tam arctè cohærent, vt vnum sine altero esse non possit, quinimo re & substantia sunt vnum: sola differunt ratione, proinde quot caloris, tot sunt spirituum primæ differentiæ. Atqui est quidam calor fixus, à primo ortu singulis partibus connatus, cuius ministerio anima naturales functiones exercet, attrahit vnaquæque pars calore & spiritu insito proprium alimentum, retinet, coquit, assimilat. Est igitur spiritus quidam à primis natalibus singulis partibus affixus, omnium naturalium functionum minister, à calore influente sola differens ratione: Galenus constituit partis cuiusque triplicem substantiam, solidam, carnosam, & spirituosam, fibras scilicet, fibris circumiectam carnem, humorem, & spiritum humori primigenio insidentem. Alibi appellat crassamentum, humorem, & spiritum. In quarum trium substantiarum quantitate & qualitate, facultatis robur constituit. Quot igitur sunt partes substantijs & temperamentis differentes, tot erunt spiritus fixi, distincti specie. Præter hunc spiritum, alius est influens qui à principibus partibus accedit fixo in subsidium. Promptissimè enim euanesceret, nisi subinde ab influente, indesinens illius iactura repararetur. influunt autem naturalis ab hepate per venas, vitalis à corde per arterias, animalis à cerebro per neruos tam sensorios, quàm motorios. Hæ tres partes principes, totius corporis curam gerunt, prouidéntque imprimis ne spirituum inanitione viuens moriatur. Animalis spiritus quamuis sit vnus specie, tamen pro varietate instrumentorum & functionum, diuersa accipit nomina. Sensorius

enim

A enim est, qui per neruos molles ab anteriore cerebro influit ad sensorium: motorius, qui à posteriore parte cerebri, per spinam descendit, & inde per neruos duros, ad musculos, qui mouent singulas partes, transmittitur: Sensorius rursum pro quinque sensuum varietate, distingui potest. Opticus, per quem fit visus, auditorius, cuius beneficio andimus, gustatorius, quo ministro lingua sapores discernit, vt olfactorius odores, tactorius, sine quo cutis tractabilium qualitatum differentias nunquam perciperet: nam ipsemet neruus, vt scribit Galenus quarto de vsu partium, non sentit nisi per spiritum. Naturalis spiritus, vel est genitor, procreatricis facultatis primum instrumentum, vel nutritor, qui seruit altrici: Hic quemadmodum & nutrix facultas, singulis partibus insitus est, ille testibus (sunt glandulæ, calore multo & spiritu plenæ) qui ab vsu & officio potiore procreator appelletur: Testium calore & spiritu semen fit prolifixum, alioquin sterile: neque enim tantùm exectis testibus, homo redditur ineptus ad prolem, aut iisdem attritis, vel collisis, sed natura
B vel accidente aliquo, vt morbo, refrigeratis: sed residet in testibus cum calore, prolificus spiritus, quamuis placeat Fernelio omnium spirituum ex principibus partibus, ad testes confluentium concursu, vnum conflari cui insidet facultas procreatrix, vnde procreator nominatur.

NATVRALES SPIRITVS DIFFERRE specie ex quo, & qua vi fiant.

CAP. III.

C ARGENTERIVS negat commemoratos spiritus differre specie, perfectionis tantùm gradibus distingui existimat. Animalem quippe vitali, vitalem naturali perfectiorem esse: sed omnium eandem esse formam quia perfectum & imperfectum non mutant speciem. Verùm forma & finis in Physicis reipsa sunt vnum, sola differunt ratione: In officina cordis naturalis spiritus coquitur vt fiat vitalis, eóque adepto fine cessat motus, quiete inquam iste motus interrumpitur, quia introducta est forma expetita. Differt igitur specie vitalis spiritus à naturali, Animalis à vitali: singulæ partes principes suis spiritibus facultates imprimunt quas singulis partibus illi impertiant. An cerebrum animales spiritus quosdam destinat mouendo, alios sentiendo singulisque proprijs officijs ab
D anima in cerebro ipso distinguntur? quidni? quia eodem iure visiui in cerebro ipso videndi vim accipient, auditorij audiendi: An in cerebro confusas habent vires, quas distingunt definiuntque sensoria, Animalis spiritus ea portio quæ ad oculum transmittitur, affert secum aptitudinem videndi, quam oculus deducit in actum, facitque temperamento suo, vt sit actu, quod poterat esse. Agè verò vt de quæstione facilius statuamus, omnium spirituum originem explicemus: Naturalis fit ex benigno alimentarij sanguinis halitu, quem iecur efficit suo parenchymate. Est itaque vt sanguinis, ita spiritus naturalis autor, In naturalem spiritum conuertit insiti caloris & spiritus sui ministerio sanguinem, qui alioquin contra naturam sursum moueretur, quia grauis. Ad nutriendum partes superas spiritus deducit sanguinem, quem idcirco veriùs ὄχημα τροφῆς, vehiculum alimenti, dixeris, quàm serum:
E equidem ascensum sanguinis facilitat serum, à quo sanguis crassus diluitur; sed serum ipsum alioquin aqueum & graue, leuitate & mobilitate sua vehit naturalis spiritus: Præterea fixo assiduè vanescenti succedit, sicque duos habet vsus manifestos naturalis spiritus influens. Ex naturali fit vitalis hoc modo: Est insignis ramus qui à vena caua ad dextrum sinum cordis fertur, per quem sanguis, & spiritus bona portio eò confluit, vbi excoctus & elaboratus, per arctissimos meatus, sinistrum ventriculum ingreditur: Atque illic extremam manum acquirit, fitque ex naturali vitalis, à solido cordis corpore, caloris & spiritus fixi ministerio: Hic per arterias cum calore vitali discurrit per totum corpus, vt singulis partibus vitam conseruet, Aristoteles, qui vitalem facultatem non distinxit à naturali, vtrumque spiritum confundit, qui tamen sapientiùs à medicis distinguntur, vnusque naturali, alter vitali facultati seruire dicitur. Per arterias soporarias ad plexum retiformem ascendit non

parua portio spiritus vitalis, vbi per multos viarum amfractus excoquitur, indead ventriculos cerebri transmissus, virtute illius & substantia, caloris tamen & spiritus fixi ministerio, ex vitali fit animalis, animalium omnium actionum vt sensuum & arbitrarij motus, imaginationis quoque, recordationis & ratiocinationis instrumentum: Mirabitur fortè quispiam, tam tenuem auram, totam molem corporis agitare, singuláque membra, huc illuc quolibet momento, & tandiu impellere: verum desinet mirari, qui ex Aristotele didicerit materiam esse principium perpessionis, formam actionis: proinde quò quid formalius est eò efficacius, & quò quid materialius eò ad agendum ineptius. Atqui incorporeæ formæ, nihil est tam simile quàm spiritus. Itaque non est mirum si mole paruus, maximus sit viribus, ventus, etiam altissimas turres succutit, euellit, Iouis fulmine vix quicquam potentius, vtrumque tamen spiritus est. Hinc angeli vt sunt immaterialiores, ita efficaciores: Deus verò, vt est omnium simplicissimus, ita actuosissimus, de quo amplius in opere de abditis rerum & morborum causis. B

QVID SIT CALIDVM INNATVM, VTQVE ex eo repetenda sit causa vitæ breuioris aut diuturnioris.

CAP. IIII.

HACTENVS de spiritu, superest vt de calido innato disseramus. Omni autem animantium generi concessus est à natura calor cuius beneficio viuunt, omnésque tam naturæ quàm animæ functiones obeunt, hic vt ortus, ita nutritionis nobis est author. Idem enim debet esse seruator qui fuit genitor. Calor hic est tam affinis spiritui vt à Galeno quinto simplicium, spiritus nuncupetur. Ergo vt spiritus ita natiuus calor duplex, vnus fixus, quo nutriuntur & perdurant viuentia, Alter influens qui illius dissipationem reparat. Calor fixus vnicuique parti proprius est, qui actionum omnium naturalium causa passim à Galeno perhibetur, fluens manat à corde vt foueat & conseruet fixum: Calor fixus potissimum residet in singularum partium spirituosa substantia & humore primigenio, qui est oleosus & aerius, non aqueus, quia malè conuenit calori, cum aqua frigidissima, cum ab ea quantumuis calida extinguatur: At humido pingui ignis conseruatur. Itaque vt animalium vita in longum tempus produceretur, non fuit satis opifici calorem in aura tenuissima & leuissima collocasse, quæ vix perstat momento, sed permanentius fundamentum vtrique substituendum fuit, in quo diutius seruaretur. Eiusmodi est humidum radicale, pingue scilicet, crassum, lentum, multum, quo, veluti flamma seuo, optimè conseruatur: Hæc tria, calorem dico, spiritum & humorem substantificum, vno calidi innati nomine includuntur. Propterea à Fernelio definitur calidum innatum. Humor radicalis spiritu & calore perfusus, si mauis, est humidum pingue in quo veluti in proprio subiecto vita cum calore & spiritu radices agit. Hæc tria quamuis sint vnum subiecto, ratione tamen manifestè differunt, quia fieri potest, vt vnum pereat, altero permanente; exempli gratia, Xenophontis milites, qui per niues iter faciebant, obriguerunt frigore: extincto calore permansit humidum pingue, spiritibus densatis tantum, & concretis frigore, non resolutis. Qui tabescunt, & febre hectica paulatim conficiuntur, humoris primigenij priuatione moriuntur. Per syncopem repentè spiritus dissipantur, humori primigenio nihil deperit: Semper iacturam humidi primigenij caloris & spiritus priuatio cõsequitur, quia sublato fundamento quæ superstruuntur ruere necesse est, non contra. Quæsitum est, & magna doctorum contentione pugnatum, possitne alibili succo ita restaurari iactura humidi radicalis, vt vita possit perpetuari? Respõsum tandem cum humidum primigenium nihil sit aliud, quàm aerea & oleosa seminis portio, quæ in partibus solidis residet, fieri non posse, vt in eius locum talis & tantus substituatur: quantumuis naturæ familiari alimento vtamur: Impotentiæ prima causa à calore ipso repetenda est. Nam omne finitum agẽs, est finitæ virtutis, repatitúrque agendo, proinde vsu atteritur calor, fitque tractu temporis imbecilior, ideóque non potest iacturam humoris, quem ipse absorpsit vt proprium pabulum, resarcire, proprium pabulum inquam, eo enim vt flamma oleo nutritur.

AN

A AN CALOR NATIVVS SIT COELESTIS, An Elementaris. CAP. V.

QVAMVIS hæc quæstio Philosophorum magis sit propria quàm Medicorum, quia illius scientia nihil confert ad benè medendum, manent enim eadem præcepta medendi, neque mutantur remedia vtrumuis defendas: tamen quia contentione Fernelij cum Galeno nobilis est: operæ-pretium fuerit, illius veritatem breuiter explorare. Galenus initio de sanitate tuenda scribit, vtrumque nostri ortus principium, semen dico, & menstruum, constare quatuor elementis, in semine tamen plus est igneæ & aeriæ substantiæ: In sanguine plus aquæ
B & terræ: Atqui in disputatione contra Erasistratum calidum innatum nihil esse affirmat aliud, quàm semen & menstruum. Itaque calidum innatum omnino elementare esse existimat. Fernelius verò cœlestem esse contendit, cuius opinioni Philosophi melioris notæ videntur fauere, potéstque sensu, & experientia, necnon ratione comprobari, quæ sola sunt in quitendæ veritatis critiria. Zeno constituebat ignem opificem diffusum per totum mundum, quem Dei titulo honorabat: quo honore nemo ignem elementarem, incendiarium scilicet & vstulatorem affecerit, Platonici pro igne reposuerunt spiritum mundi, idémque mutatis tantùm verbis docuerũt: Spiritus enim & calor, vt in homine sic in vniuerso re consentiunt, sola differunt ratione: Peripatetici Stoicis & Platonicis longè sapientiores, cognouerunt quidem ignem opificem, & conseruatorem vniuersi, qui tamen non esset substantia perma-
C nens, sed qualitas, quotidie noua cœlitus influens, motus enim omnis calefacit, inquiunt, quod Galenus ipse demonstrat lib. de causis morborum. Quò igitur velocior est, eò calefacit magis: Atqui cœli motus est velocissimus: Itaque eo ipso motu vitalis calor excitatur, qui vehiculo luminis descendit ad conseruationem mundi, mundanorúmque omnium. Verisimile est à prima causa Physica, primum effectum Physicum emanare. Atqui primus motus, est prima causa Physica, quia omnes effectus naturales acquiruntur motu: Primus motus est orbicularis, primus effectus Physicus est prima qualitas, nempe calor: Itaque à primo motu procedit. Non est propterea Sol actu calidus, ne inde sequatur habere contrarium, à quo corrumpi possit, sed potentia duntaxat. Ne quis autem miretur, si sol non calidus calefaciat: nam & cos acuit gladium, exors ipsa secandi. Vinum inebriat quamuis non ebrium, causæ homonymæ dant alijs, quod ipsæ non habent; Sol & homo, generant
D hominem; Sol vt homonyma, homo, vt synonima causa. Secundo de ortu animalium, calor opifex, inquit, non est ignis, nec quicquam ab igne profectum, sed aliquid stellis proportione respondens. Tot Philosophorum testimonijs attestatur ipsa experientia: nam ineunte verè dum Sol ad nos redit, arbores incipiunt frondevirere noua: & insecta, Muscæ, & Scarabæi, ex sterquilinio, Solis tepore suscitantur, Animalia omnia stimulis veneris veluti œstro percita, ad prolem incitantur, Eodem verò recedente, defrondescunt arbores, marcescunt herbæ, insecta moriuntur, languet venus. Authoritatem & experientiã inuicta quoque ratio cõfirmat. Propropositio est apud Galenum frequens, ea differre specie, quæ seorsim existunt, quorumque vno pereunte alterum manet: Atqui in viuentibus omnibus duo sunt calores, quorum vno extincto alter nihilominus manet, nam omnia purgantia sunt ca-
E lida, alliotica multa sunt primo, secundo, tertio, quarto gradu calida: At illa caloris præsentia, viuunt: omnesque tam naturæ, quàm animæ facultates & functiones obeunt, cuius priuatione moriuntur: Tandiu enim viuunt, quandiu vitalis istius caloris tantillum permanet. Qui igitur in mortuis remanet calor, tam manifestis effectis conspicuus, alius est à vitali, elementaris scilicet cum temperamento manet, qui in viuente sopitus iacebat, meliori nempe cœlesti mancipatus. Calor cœlestis immixtus miscet: misceri enim non potest, vtitúrque elementari, vt Phydias cera. Ille opificis causæ rationem obtinet in ortu mixtorum, hic materiæ, contemperatur à frigore, & ad mediocritatem adducitur, quod de cœlesti non dixeris.

A

PHYSIOLOGIAE SECTIO QVARTA, DE HVMORIBVS.

QVID HVMOR, SITNE PARS NOSTRI?

CAP. I.

PHYSICI appellant humorem, qualitatem primam, aliena superficie B
non sua terminatam, cuius dominatu liquida & mollia cedunt tangenti: Medicis est nomen substantiæ, non qualitatis. Nam omne liquidum & fluxile corpus, illi appellant humidum, quo generaliore significato semen, chylus, oculorum tres humores, adeps quia fluidam habent consistentiam, inter humores recēsentur. Specialiùs & definitiùs humoris nomine significatur à Medicis, liquidum corpus genitū ex alimento, quo modo quatuor humores, qui continentur venis, & totam sanguinis massam cōstituunt, propriè humores appellantur, non quòd omnes habeāt vim humectandi, sed quòd omnes habeant fluxilem substantiam. Nam bilis & succus melancholicus sunt humores sicci, humores inquam, propter consistentiam liquidam, sicci propter eam quam habent à natura vim siccandi. Auicenna humorem in genere definit corpus ortum ex prima C
mixtione elementorum. Sunt enim quatuor elementorum filij primogeniti, bilis ignis, pituita aquæ, melancholicus humor terræ, sanguis aeris. est enim calidus humidus, vt aer: Sic meteora ignea ignis, aerea aeris, aquea aquæ, terrena terræ naturam ita referunt, vt ferè nihil aliud quàm ignis, aer, aqua, & terra, videātur. Quatuor elementa omnium mixtorum sunt communia principia, sed quatuor humores sanguineorum animantium propria. Quæri solet si sint partes nostri corporis? Ita placuit Hippocrati, quando nostrum corpus diuisit in continentia, contenta & impellentia: tamen si nomen partis propriè vsurpetur, prout definitur initio primi de vsu partium, quod habet certam circunscriptionem, à se non aliunde quæsitam, partes omnes aut sunt solidæ aut carnosæ: Inter quas humores recenseri non possunt. Fernelius eos excludit à numero partium, eò quod pars omnis debet cohærere toti, vt totum sit vnum omnium partium continuitate. Atqui humores quia habent flui- D
dam consistentiam, non cohærent toti. Itaque distinguendum est nomen partis, Aliquando generalius, quicquid corpus constituit, aut in quod resolui potest, illius pars nominatur. Quo modo humores in partibus haberi possunt. Aut pressiùs & definitiùs id solum partis nomen meretur, quod à se certam habet circumscriptionem, quo modo humor non potest in catalogum partium referri.

HVMORVM PRIMÆ DIFFERENTIÆ.

CAP. II.

HVMOR vel est naturalis, vel contra naturam: Naturalis vel est alimētarius vel excrementitius. Alimentarius, vel primus, vt sanguis: vel secundus, vt E
ros, gluten: Excrementitius, vel quantitate sola excrementum est, vt semen & menstruum, vel qualitate: qui rursum vel est vtilis, vt fel, limus & serum, vel inutilis vt vrina, sudor, stercus, de quibus ordine disserēdum est. Humores enim contra naturam cum sint causæ morborum, ad Pathologiam pertinent. Physiologo propositum est ea tantùm explicare, quæ insunt homini secundum naturam: Tamen ne quid inexplicatum relinquamus, atque vt contrarium suo contrario oppositum magis eluceat, de humoribus contra naturam non nihil subiungemus. Sunt qui ex Galeni commentario, in librum de natura hominis, humoris aliam diuisionem colligunt. In humorem scilicet generantem, & genitum: generātem appellauit sanguinem maternum & semen, ex quibus omnes partes nostri corporis constituuntur: genitum, in venis & arterijs contentos quatuor humores.

AN

A *AN SOLVS SANGVIS CONTINEATVR venis solúsve nutriat.* CAP. III.

SCRIBIT Aristoteles secundo de historia animalium solum sanguinem contineri venis, eúmque solum nutrire, cæteros humores esse duntaxat sanguinis excrementa. Medici verò cum Hippocrate & Galeno quatnor humores simul fieri ab hepate existimãt qui distribuuntur per venas ad singularum partium nutritionem: ex omnibus commixtis,& iusta proportione temperatis, constare massam sanguinis, quâ non aliter continentur quàm elementa in mixto, aut vinum & aqua in cramate: Datis enim medicamentis quæ pituitam aut alterutram bilem definitè trahant, vnumquemque de venis secerni: Quod obijcitur
B amaram bilem nutrire non posse, quia solis dulcibus nutrimur: Soluitur hoc modo: Bilem quidem per se, hoc est secretam à sanguine, non nutrire, sed permixtam sanguini, à quo dulcoratur. Fernelius videtur fauere Aristoteli: Contendit enim venis contineri solum sanguinem, qui tamen partes habeat dissimiles: Constat enim portione quadam tenui & calida, quæ biliosus sanguis dici debet, non bilis: Altera crassa, & frigida, quæ sanguis melancholicus, verius quàm humor melancholicus debet appellari. Parte quoque magis aquea & cruda, quæ fit sanguis pituitosus non pituita: maxima vero parte, temperata, dulci, mediocris consistentiæ, quæ simpliciter & sine adiuncto sanguis nominetur. Neque enim cerebrum pituita, sed pituitoso sanguine nutritur, neque pulmo bile, sed sanguine bilioso, Os crassiore eius portione: Caro propriè dicto sanguine. Non esse mirum si
C dato medicamento, humor peccans vacuetur, quandoquidem per morbum sanguis biliosus in bilem vertitur, pituitosus in pituitam, sed in venis sanorum, huiusmodi humores non inesse, hoc signo demonstrat. Quod datum sanis catharticum corpus liquefaciat, propterea quod non subest in venis quod trahat: Incisa vena, qui pelui excipitur sanguis, non tam quatuor humores refert, quàm vnius sanguinis partes dissimiles: nam portio crassa & nigra quæ subsidet, non est humor, sed sanguis melancholicus, leuis, tenuis, spumans, quæ natat non est bilis, sed sanguis biliosus, nisi vsque adeò à natura sua recesserit, vt biliosus sanguis in bilem, melancholicus in humorem melancholicum sit conuersus: Differre verò bilem, pituitam, & melancholicum humorem, à sanguine bilioso, pituitoso, melancholico, vel hoc indicio cognoscimus, quòd sanguis quicunque sit vbi primum è suis venis excidit, concrescit,
D humor nunquam. Hæc igitur ferè sunt quæ pro Aristotele afferri possunt. At Hippocrates cæterorum humorum tantam esse necessitatem ad vitam existimat, vt quolibet eorum sublato, animal è viuis tollatur, non minus quàm si sanguine priuaretur. Quod ergo dicitur solum sanguinem nutrire, non negat, sed alijs humoribus commixtum. Hippocratis sententiam hoc valdè roborat: quod humoris cuiusque suum sit, & naturale excrementum, cuiusque suum serum (est tenuior cuiusque humoris portio) qui serum biliosum cum pituitoso, aut sanguineo confuderit, illum necesse est morborum veras causas & accommodata remedia ignorare. Quòd si bilis mixta sanguini non nutriret propter amarorem, sanguini tamen non inutiliter misceretur. Facit enim vt sanguis, alioquin insipidus, bile veluti sale conditus, à singulis partibus auidius appetatur, neque fortassis bilis naturalis, cuiusmodi est in venis, tam
E est amara atque fel, eius excrementum: Pituita dulcis, permixta sanguini, medicorum omnium consensu est alimentaria. Ideo enim pituitosi longissimè omnium inediam ferunt, quod interim calor occupetur in conficienda pituita. Quid multa? vt esset temperatus sanguis, ex variorum humorum mixtione constare debuit. Non desunt qui lactis exemplo, nil præter tres humores, bilem dico, pituitam, & melancholiam, sanguinis massa contineri contendunt. Lac, inquiunt, nihil est quàm sanguis in mammis dealbatus glandularum proprietate: Atqui in lacte triplex tantùm substantia obseruatur, terrestris seu caseosa: analoga humori melancholico, aquea seu serosa, respondens pituitæ, & aeria seu butyrosa respondens bili, quia facilè inflammatur. Itaque tantum abest, vt massa sanguinis tres humores non contineat, sed solum sanguinem: cùm eorum opinione tres humores tantùm includat, non sanguinem: verum vnde rubor toti massæ, si non à sanguine?

QVA PROPORTIONE QVATVOR HVMORES continea͂ntur venis. CAP. IIII. A

IN tota massa plurimùm inesse sanguinis propriè dicti, qui calore est ruber, sapore dulcis, & consistentia medioctis, hoc indicat, quòd plurimæ sunt partes carnosæ, quæ vt ex illo genitæ sunt, sic eodē nutriuntur. Deinde plus inest dulcis & alimentariæ pituitæ, quàm bilis, aut melancholiæ. Est enim ex dimidio coctus sanguis, per inediam nutrit, faciléq; proprer qualitatis symbolum in sanguinem cōmutatur. De bilis & humoris melancholici proportione, inter doctos non conuenit. Nam Aphrodisæus secundo problematum existimat plus inesse bilis, quàm melancholiæ: Bilis enim calore, & tenuitate fieri, vt attenuatus sanguis partium intima facilius subeat. Mesue secūdo aphorismorum in eadem est sententia, eamque confirmat Galeni authoritate. Auicennæ B tamen interpretes quatuor argumentis demonstrant, minimum inesse bilis, plus humoris melancholici, primo quòd in fundo vasis plus fæcis subsidear quàm emineat floris, ita enim passim Galenus quatuor partibus musti quatuor humores comparat, feces melancholiæ, florem bili, aqueum & crudum humorem sero, seu tenui pituitæ. Secundò, quod ossa sint plura ducentis; quæ vt sunt crassa, frigida & sicca: ita humore congenere nutriuntur, cum paucissimæ partes sanguine bilioso nutriātur, tertio quod expurgando limo, humoris melancholici excremento, natura conceptaculum maius, nempe lienem, destinarit, quam vesiculam attrahendo & continendo felli, naturalis bilis excremento. Quartò quòd vt dulcia sunt amica vitæ; sic amara C eidem ingrata & inimica, pauco felle maxima quantitas, vt lactis, ita sanguinis amarescit: ergo credibile est naturam prouidam, minus bilis in massa sanguinis posuisse quàm humoris melancholici.

QVATVOR HVMORES, CVM QVATVOR ELEmentis, quatuor ætatibus, & quatuor anni tempestatibus comparantur.

CAP. V.

CALIDA & sicca bilis respondet igni: frigida & humida pituita, aquæ; melancholicus humor frigidus & siccus terræ; sanguis, quia calidus & humidus, aeri, si tamen illius substantiam consideres aquæ videbitur si- D milior quàm aeri, fortè vt vinum ratione suæ substantiæ aqueum dicitur, quarto meteorωn quamuis energia sit calidum. Ita sanguis materialiter est frigidus, formaliter calidus. Quo modò dissoluetur quod ab Hipp. lib. secundo De corde, & ab Aristotele, secundo de partibus animalium scribitur, sanguinem esse frididum: nam carnosæ partes, quæ fiunt ex sanguine, quæque illi soli acceptum debent, quicquid habent caloris, satis demonstrant sanguinem suo temperamento esse calidum: si modò effectus sit index suæ causæ. Præterea hepar, viscus calidum fit ex sanguine, vicissimque chylum in sanguinem commutat: Atqui omne agens conatur sibi assimilare patiens. Hic est scopus omnium naturalium actionum: Itaque non tātum suo colore tingit sanguinem, sed etiam sui caloris vestigium illi imprimit: Sanè tantum abest, vt Galeno frigidus videatur, cùm secundò de temperamentis E calidissimus perhibeatur, quanquam non suo, sed influente cordis calore sit talis, isque non omnis, sed arteriosus: calidissimus est humidorum, bilis enim est humor siccus. Decimo simplicium. cap. de sanguine; Est quidem, inquit Galenus, vnus sanguis altero frigidior, nullus tamen absolutè frigidus, lib. de formatione fœtus, in sanguine duplicem agnoscit calorem, vnum proprium, alterum ascititium, quam sententiam confirmat commentario quarto in librum sextum epidemiωn: At commentario in librum Hippocratis de natura hominis, scribit sanguinem esse temperatum: Ergò nunc calidus humidus, nunc calidissimus, nunc temperatus dicitur, nunquam frigidus: quæ sententiæ tam dissimiles, vt inter se concilientur, ex libris de plenitudine repetēda est sanguinis homonymia, aut enim significat quatuor humorum congeriem, quo modo est temperatus: nam ex quatuor humorum contrariorum æquali

A æquali mixtura non aliter concentus exurgit, quàm ex mixtione quatuor elementorum: Immixtus verò est calidus humidus, eoque temperamento dicuntur esse sanguinei, non temperati. Inde consequi videtur, vt in pueritia calida humida immixtus sanguis dominetur, in adolescentia temperata mixtus humorumque omnium mixtione temperatus. In ætate florente bilis, eadem inclinante melancholicus humor exuperet, in senectute, pituita: equidem senes propter penuriam humoris primigenij, solidis partibus sunt sicci, reliquo corpore humidi propter copiam cruditatis; sicci ergo priuatiuè, humidi positiuè, humidi, inquam, aqueo, non aerio humore, excrementitio, non naturali. Sic vere dominari sanguinem, æstate bilem, Autumno melancholicum humorem, hyeme pituitam omnes affirmant. Sed qua acceptione sanguis dominetur vere, non satis constat: nam ver Galeno est temperatum, non calidum humidum: Atqui, vt ætas sic anni tempus producit humorem suo tempera-
B mento congenerem: Itaque vere sanguis mixtus dominatur, id est omnium proportione constans, ex quatuor humorum temperie conflatus.

AN IDEM NVMERO CALOR QVATVOR simul humores efficiat. CAP. VI.

CONTRARIORVM effectuum contrariæ sunt causæ, neque potest eadem causa cõtraria simul, Atqui bilis, vtraq; qualitate repugnat pituitæ, vt ignis aquæ, sanguis melancholiæ, aer terræ, Itaque non videtur hepar, eodem calore humores tam differentes procreare; sed à remisso humores frigidos
C pituitam & melãcholiam, Ab intenso, bilem: à temperato sanguinem. Quæ sententia est Galeni secundo de naturalibus facultatibus, hoc argumento confirmata: Si mel exempli gratia bilem produceret, non calor intensus, in naturis omnibus peræquè bilesceret, Atqui in calidis tantùm non in frigidis bilescit: ergo ab efficiente potiùs quam à materia pendet humorum differẽtia. Fernelius verò non negat bilem non naturalem fieri ab intenso calore, excrementitiam & non naturalem pituitam à remisso, sed naturales omnes humores simul fieri ab vno & eodem hepatis calore, eoque temperato, aduersus Galenum contendit. Natiuus enim calor naturalium omnium actionum opifex, aut est cœlestis, aut analogus cœlesti. Atqui videmus eodem solis radio indurari lutum, & ceram liquari: dealbari linteum & cutem denigrari, pro varia aptitudine patientis. Ergo cum corpus chyli sit heterogenes, dissimilibúsq; partibus constet, ignea scilicet, aëria, aquea & terrestri, quid vetat igneam
D in bilem, aqueam in pituitam, terrestrem in melancholiam, aeriam & oleosam in sanguinem simul & eadem opera permutari? quod cõtrario modo affectum est, habet rationem causæ cõtrariæ: Idem agens pro dissimilitudine obiecti, quamquam per se sit vnum & idem, dissimile redditur: Calori, alioquin vegeto & robusto, si lignum crassum & viride obijciatur, propter resistentiam, impotens iudicabitur: eidem si offeras paleam, aut aliquid simile quod facilè inflammetur, intensus & vehemens iudicabitur: Atqui portio chyli terrestris & aquea, est instar ligni viridis, contumax & refractaria: Ignea, & sulphurea, est inflammabilis. Itaque cum per se sit temperatus sanguificus calor hepatis, nihilominus ratione patientis, cui variè sese accommodat, intensus aut remissus poterit appellari, modóq; dissimili affectus, causæ dissimilis habebit rationem. Quidam præterea obijciunt quatuor humores non fieri simul, sed pi-
E tuitam ante sanguinem in vẽtriculo generari, quam deinde iecur in sanguinem conuertit: Atqui illa in ventriculo est soboles cruditatis, fit igitur ab imbecillo calore. Proinde non omnes humores fiunt à calore temperato. Cui doctrinæ videtur fauere Galenus libro de Atra bile, vbi ita scribit: A nobis demonstratum est pituitosum humorem ex cibis pituitosis oriri prima coctione, vt biliosum & melãcholicum in iecore: Et secundo de ratione victus in acutis: pituitæ generatio ex cibis pituitosis, sanguinem perpetuò antecedit, eamque postea calor hepatis in sanguinem transmutat: An pituita excrementitia est quæ fit in ventriculo? Naturalis verò fit in hepate? An quod est vni excrementum, alteri est alimentum, pituita ventriculo excrementitia, hepati cæterisque partibus est alimentaria? An pituitæ nomine, chyli crudior & magis aquea pars designatur, cuius dulcis portio ab hepate mutatur in sanguinem, Crudior & crassior distribuitur in venas, vbi paulatim, cocta fit sanguis?

AN SOLVS SANGVIS NVTRIAT, DE quatuor secundis humoribus alimentarijs. A

CAP. VII.

SENTENTIA est Aristotelis, solum sanguinem nntrire: qui tamen vt iam docuimus authore Galeno, non fit omnino purus, sed alijs humoribus permixtus: Cui doctrinæ multa videntur aduersari: Iis enim vnumquodque nutritur, quibus constat. Partes quædam sunt spermaticæ, aliæ carnosæ, hæ igitur sanguine, illæ semine nutriuntur. Præterea ossa interiore medulla nutriuntur, ventriculus chylo, ergo solus sanguis non nutrit: Respondeo omnes quidem partes nutriri sanguine, veruntamen alias immediatè vt carnosas, alias mediatè vt solidas: Seminalis enim liquor nihil est quàm coctione & partium solidarum alteratrice dealbatus sanguis. Medulla quoque fit ex sanguine: Itaque cum causa causæ sit causa causati, sanguis autem sit materialis causa medullæ & seminis, non est dubium omnes partes nutriri sanguine. Ventriculum nutriri chylo, scribit Galenus tertio de Naturalibus facultatibus, Sed illic abutitur nomine nutritionis, satiat animalem appetitum sua qualitate, vt puta dulcedine, non autem naturalem, sua substantia. Ventriculus infantis dum gestatur vtero, nutritur & accrescit, non chylo, quia tum nulla fit chylosis, sed sanguine materno quem per vmbilici venas iecur trahit: Itaque ventriculus verè nutritur eo sanguine, quem suis venis plurimum continet, impropriè chylo: Instabit rursum aliquis, Omne agens naturale conatur sibi patiens assimilare, Atqui chylus est opus ventriculi, ergo illum conatur in suam substantiam connertere: Respondeo sibi quantum potest aut quantum vsus necessitásque postulat assimilare chylum, eodem frui & oblectari, reliquum ad iecur velut onus deponere, vbi conuersus in sanguinem, totum corpus, proinde ventriculum nutrit. Huic quæstioni affinis est altera: Si solus sanguis nutrit, quinetiam, Aristotelis opinione, sit vltimum alimentum, quis vsus quatuor humorum alimentariorum qui secundi nominantur? Respondeo, sanguinem priusquam actu nutriat, & in nostram substantiam permutetur, variè alterari, quandoquidem natura non fert subitas mutationes. Motus omnis fit à contrario in contrarium per medium. Atqui non viuens à viuente longissimè distat. Priusquam igitur alimentum non viuens fiat pars viuentis, & actu viuat, multis modis elaborari necesse est. Pro diuersis alterationibus, quatuor nominibus appellatur. Cum adhuc effusus est per tunicam venæ, insitus nominatur, inde resudans & instar roris effluens, ros dicitur: cum excidit è venis & ad partem appulit, agglutinatúrque, ex hoc gluten appellatur. Ad extremum cum naturam suam cambit purmutátque nostræ, Cambium nominatur. Itaque cùm quatuor humores secundarij, non tam re & substantia, quàm ratione & qualitate differant à sanguine, sit hoc ratum & constitutum solum sanguinem nutrire, si non proximè saltem mediatè.

B (beside "mediatè vt solidas")

DE MENSTRVO.

CAP. VIII.

HACTENVS de quatuor humoribus alimentarijs, tam primis quàm secundis, instat vt de excrementis disseramus, ducto initio à menstruo & semine, quia, vt est tertio de causis symptomatum, duntaxat quantitate sunt excrementa. Nam maleficia quæ menstruo attribuunt Aristot. Plin. & Fernel. aut sunt falsa, aut in menstruum malè affectum conueniunt nisi mauis ea de lochijs interpretari. Concepto enim semine subsistunt menses ad nutritionẽ foetus: hic instar plantæ meliorem partem sugit, impuriorem respuit, quæ statim à puerperio excluditur, mora tam longa nempe nouimestris gestationis spatio, credibile est contractam esse labem, nam vitium capiunt ni moueantur aquæ: Benè habenti mulieri singulis mẽsibus fluit lunaris purgatio: luna huius periodi causa creditur, manifestum enim in humores habet imperium. Alij sunt contenti causa Physica perio-

A periodicis omnibus fluxionibus communi, quam explicat Galen. libro ſecundo de Differentijs febrium. Quoties enim natura quantite grauatur, vel qualitate, vt acrimonia, ſtimulatur: toties (niſi quid obſtet vt obſtructio, denſitáſque vteri,) menſes fluunt: quòd repetat ſingulis menſibus iſte fluor, menſtruus appellatur, quod periodie è ſecundum lunæ quadras, lunaris. Cur mulieribus accidit non viris? quia plus crudi ſanguinis congerunt, quàm viri, partim quòd ſint frigidiores. (Eſt enim caloris coquere, digerere & ſuperfluum reſoluere.) Partim quòd ſint denſiore cute, & minus perſpirabili. Quibuſdam viris, potiſſimum melancholicis qui abundant ſanguine fœculento, venæ ſedis ſtato tempore ſeſe aperiunt, (quæ hæmorroides nuncupantur,) non aliter quàm venæ, vteri mulieribus. Cur autem menſes virginibus circiter annum puberbatis incipiunt fluere? An tùm auctus calor incipit dilatare? Eſt enim caloris dilatare, vt frigoris conſtringere, ſanguis qui priùs in nutri-
B tionem & incrementum abſumebatur, incipit exuperare, nec tantùm copia, ſed qualitate moleſtus eſſe. Accedit quòd calore tenuatus ſanguis, redditur fluxilior: Cur deſinnnt fluere aliis quinquageſimo, plus minus anno? quia ea ætate non tantum ſanguis deferbuit, ſed parcior gignitur, iſque totus in nutritionem reſeruatur, venæ quoque ſiccitate anguſtiores redduntur. Nam mulieres cum incipiunt ſicceſcere & refrigerari, ſanguis tantus quantus eſt, per ætatem, vt frigidior & ſiccior, ſic ad fluendum redditur ineptior. Plura cùm de hominis procreatione.

DE ALTERO NOSTRÆ GENERAtionis principio nempe ſemine.

C

CAP. IX.

SEMEN fit ex pinguiore & puriore portione ſanguinis: quam teſtes primo inſtituto ſibi trahunt in alimentum, ſecundario ad prolem. Dextra ſpermatica exoritur á vena caua, vt hauriat de fonte. Aliquando immoderata venere ſanguis ruber effluit, in vaſis ſpermaticis præparatus, quæ de induſtria natura fecit ſinuoſa, vt longiore mora diligentius elaboretur: quoties enim magnum aliquod opus molitur, quale eſt ſemen, ſi ſpectes ſpumam, excrementum, ſi ſpiritum & illi inſitas vires, opus planè diuinum, toties præparantia inſtrumenta facit ſinuoſa, talem fecit plexum retiformem, in quo vitalis ſpiritus elaboretur antequam in cerebri ventriculos admiſſus fiat animalis. Hæc
D opinio eſt Ariſtótelis, approbata à Galeno primo de ſemine, non Hippocratis: nã lib. de genitura exiſtimat materiam ſeminis vndiq; in teſtes deriuari, eamque eſſe vltimi alimenti, nempe glutinis redundantiam: alioquin, inquit, nemo dixerit cur nati ſimiles parentibus naſcantur, cur claudi claudos generent, manci mancos, cur plurimi morbi ſint hereditarij, cur arthritici arthriticos generẽt, nephritici nephriticos, phtiſici, phtiſicos, elephantici elephanticos. Addit totum corpus immodica venere extenuari, & toto corpore voluptatem percipi tempore concubitus, eo quòd materia ſeminis defluit à toto. Placet mihi ſententia Galeni, teſtes enim ſunt magnæ glandulæ plenæ ſpiritu & calore, quibus innata eſt facultas ſanguinem in ſemen tranſmutandi, vt glandulis mammarum eundem in lac conuertendi. Ariſtoteles quidem denegat teſtibus ſeminificam facultatem: ſed medicorum conſenſu, hoc tam ratum
E eſt, vt propterea inter partes principes referantur. Priuatione cognoſcitur habitus: Atqui caſtratis animalibus, vt bobus, caponibus, eunuchis, cum teſtibus eripitur facultas procreandi: Perfecta igitur animalia beneficio teſticulorum procreant. Si negatio eſt cauſa negationis, affirmatio erit cauſa affirmationis: Perfecta animalia priuata teſtibus non generant, ergo generandi facultatem acceptam debent teſtibus, non tantùm caſtrati non generant, aut quibus ſunt attriti teſtes; ſed neque ſpadones qui teſtes quidem habent, ſed natura aut accidẽte aliquo, vt morbo, exempli gratia, paralyſi, perfrigeratos. Ergo teſtes facultate ſeminifica, caloris & ſpiritus inſiti miniſterio, ſanguinem in vaſis ſpermaticis præparatũ, in prolificum ſemen conuertunt: Hoc eſt illis connatum officium, vt ventriculo alimentum conuertere in chylum: hepati chylum in ſanguinem, mammis ſanguinem in lac commutare. Cur teſtes ſeminifici, mammæ lactificæ, ventriculus chylificus, hepar ſanguificum?

veteres vno verbo respondebant, hæc fieri φυσικῶς: non minus hoc esse illis naturale A quàm igni calefacere.

Similitudinis causa non videtur materiæ, sed formæ potius adscribenda: Atqui à præcipuis partibus tres facultates concurrunt in testes vectore spiritu per venas spermaticas, vnà cum sanguine & naturali spiritu, facultas naturalis affluit ab hepate: vitalis per arterias spermaticas à corde, animalis à cerebro per neruũ, quem obseruauit Vesalius à cerebro ferri ad testes. ex triplici illo spiritu fit re & substãtia vnus, facultatibus triplex, qui à diuiniore officio procreator nominatur. Hic omnibus facultatibus quæ nostrũ corpus regunt informatus, quid mirũ si procreet simile? An testes imprimunt semini totius operis exẽplar, secũdum quod natura suos motus regit: illa enim vtitur spuma vt figulus argilla, Phidias cera, est enim instar artificis, tantùm differunt quod artifex sit extra, natura intra opus suum: semen, inquit Fernelius, diffluit à toto, non mole, sed viribus, formaliter non materialiter: Conciliator tamen existimat B cum Hippocrate semen defluere à toto materialiter, à testibus formaliter, quia illic accipit formam seminis, fitque prolificum: non obest quod obiicit Fernelius non posse tam paucum semen quod excernitur vno concubitu, à toto promanare: nam corpus seminis est similare, vnaquæq; pars quantumuis exigua, habet easdem, quamuis non pares, vires cum toto.

DE CHYMOSEOS TRIBVS EXCREMENTIS, felle, limo & sero. CAP. X.

VT sanguis purior distribuatur ad nutritionem singularum partium, prouida natura tria instrumenta fabricauit, quæ trium humorum totidem excrementa attrahant. Supposuit hepati vesiculam, quæ fel sugit, amariorem naturalis C bilis portionem, ex aduerso lienem posuit, qui cum sanguine melancholico, quem pro alimento trahit, permixtum limum exugit. Renes quoque cum sanguine serum emulgent per venas, quæ inde emulgentes appellantur: Quæ tria, etiamsi sint totius sanguinis excrementa, habent tamen singula suos vsus, fel enim, vt euphorbium in ouis ventriculo, innoxium, imò cum voluptate, vesicula diu continetur, tantum potest naturæ nomen: vbi quantitate & mora longiore incipit esse molestum, per meatum cholidocum ablegatur in ἔκφυσιν, vt fit veluti clyster naturalis ad stimulandam excretricem, atq; etiam vt mucũ intestinis infarctum eluat. Habet enim fel insignem vim detergendi: fele tingitur alui proluuies, quæ alioquin alba redderetur, vt accidit cum obstructa felis via nõ potest in sentinam ablegari, aut cùm refluit in cutem, vt fit sub aurigine. Lien viscus rarum & spongiosum suæ substantiæ congenerem sanguinem, hoc est admixtione succi melancholici crassum & fæculentum, trahit: quem D arteriarum motu, (habet enim quàmplurimas, attenuat,) sibique tandem assimilat.

Limus quibusdam per hæmorroidas repurgatur, melior portio in ventriculum ablegatur, partim vt augeat appetentiam (Acida enim est melancholia, acidis autem famem excitari vulgi experimento compertum est, qui acidorum vsu languentem appetentiam excitant, vt aceti, omphacij, succi limonum vel citri intictu) Partim vt ventriculi coctionem adiuuet. Facit enim, vt inquit Galenus quinto De vsu partium, vt contractus in se ventriculus arctiùs cibos complectatur, & meliùs coquat:

Serum priusquam renes emulgeant, anadosim facilitat: Alibilis enim sanguis, quòd fit crassus & pinguis vt indicat cremor lactis, difficillimè distribuitur. Propterea diluitur sero vt faciliùs quoquouersum peruadat: hinc iam admonuimus vehiculum alimenti ab Hippocrate nominari: hoc officio defunctum per eosdem ductus relabitur à minoribus venis in maiores, tandem in cauam, vnde à renibus emulgetur sanguini permixtum. Renes secernunt sanguinem, sibique in alimentum retinent: Serum verò in vesicam deponunt, Vesicula igitur trahit fel sine sanguine, Hinc animalia quæ minimum habent felis vt cerui & elephanti, non habent hepati suppositam cystim quæ fel trahat, proinde venas habet quæ cysticæ dicuntur, à quibus accipit sanguinem alimentarium. At lien & renes vnà cum limo & sero trahunt sanguinem, quem secernunt & sibi assimilant. Reliquum aliò veluti onus ablegant, non inutiliter. Propterea vtilia excrementa appellantur serum, limus & fel. Instat vt de inutilibus paucis transigamus.

DE

A *DE TRIPLICIS COCTIONIS TRIBVS excrementis inutilibus, stercore, vrina & sudore.*

CAP. XI.

TRIPLEX est coctio, chylosis, αἱμάτωσις, ἑνωσις, vniuscuiusq; suum excrementum, stercus primæ, vrina secundę, sudor tertię: Alimentum enim ex quo fit primum chylus in ventriculo, deinde sanguis ex chylo in hepate: Postremo gluten in singulis partibus, est mixtum, & ex naturis longè differentibus constitutum, plurimo sicco, pauco humido: Nutrimur
B autem solo humido non sicco, humido inquam dulci, non amaro, acri, acido. Itaq; cùm sit caloris homogenea cogere, & separare heterogenea; prouida natura retinet humidum dulce, reliquum tam humidum quam siccum separat, & foras excludit. Hepar mesenterio veluti manu, chylum etiam ex tenuibus intestinis sugit, eò enim desinunt venæ mesaraicæ. Quod relinquitur crassum, siccum, & inutile excrementum, stercus nominatur, quod inter humores refertur, quia fæces sanorum debent esse humidæ & molles, consistentia mellis. Vrina, est tenuis ille & aqueus liquor sanguinis, analogus sero lactis concreti, quem renes attrahunt permixtum sanguini. Nam retēto sanguine serum per vreteras in vesicam effundunt. Proinde si materiam spectes, vrina fit in hepate simul cum sanguine, quandoquidem cuiusque humoris suum est serum: Si formam, non est dubium quin illam accipiat in renibus, quia in-
C cipit illic fieri secretio seri à sanguine. Quibusdam placet vt limus acidus qui regurgitat à liene in ventriculum, ad appetentiam excitandam & coctionem adiuuandam est excrementum lienis, sic vrinam esse excrementum renum, Quam sententiam refellit Gal. primo de naturalibus facultatibus, quia coctione lien separat limum à sanguine, renes serum, partim sola distractione. Excrementum autem partis dicitur quod coctione separatur ab alimento.

Sudoris eadem est materia, quæ vrinæ, nisi enim serum refluat in venam cauam, hoc munere perfunctum, necesse est resolui à calore aut in sudorem conuerti: hinc fit vt qui multum sudant, parum mejant, qui multum mejunt, parum sudent. Cur hyeme minimum sudamus, plurimum meijmus? quia ambientis frigore cutis densatur, nihilq; aut minimum transpirat: In partibus externis non est tam potens calor, vt serum in sudorem resoluat. Cur æstate plurimum sudamus, minimum meijmus?
D quia externus calor relaxat cutem eiusq; poros aperit, & materiam sudoris attenuat, dissoluit. Accedat quòd tum plus bibitur, potulenta autem sunt vrinę & sudori communis materia: Concludamus ergo stercus primæ, vrinam secundæ, sudorem tertiæ coctionis esse excrementa. Non est prætereundum præter sudorem esse excrementum siccum tertiæ coctionis quod sordes nuncupatur. Cuius copia cutis sordida redditur, vt manuum ablutione quotidie intelligitur: vtrumq; excrementum à chirurgis in vlceribus observatur. Nam ab excremento sicco vlcus sordidum appellant: ab humido humidum.

DE PITVITA NON NATVRALI.

CAP. XII.

E HACTENVS de naturalibus humoribus tam alimentarijs quàm excrementitijs qui omnes in sanis à natura generantur. Sequitur vt propositæ diuisionis vltimum membrum absoluamus, hoc est de humoribus contra naturam disseramus. Cognosci verò non potest quod est contra naturam, nisi prius intelligatur quod est secundum naturam. Propterea humoris cuiusque naturalis circunstantias breuiter ob oculos ponam. Requiritur in singulis, substantia, quantitas & qualitas legitima. Ad substantiam pertinet consistentia, ad quantitatem proportio, ad qualitatem sapor, & color: Bilis, exempli gratia, debet esse tenuis, melancolia, crassa, pituita, ferè vt sanguis, mediocris: Bilis primis suis qualitatibus debet esse calida sicca, secundis amara & flaua, Pituita, primis qualitatibus debet esse frigida & humida, secundis

alba & insipida: Nam fit dulcis coctione, priusquam in sanguinem mutetur, aut permixione sanguinis: Cæterum dulcedinem fieri à calore moderato, demonstrant dulcia omnia, vt sanguis, mel, saccharum; quę sunt mediocriter calida. Arqui pituita naturalis est frigida, ergo debet dici insipida potiùs quàm dulcis, melancholicus humor, primis qualitatibus est frigidus siccus, secundis niger & acidus: sanguis est calidus humidus, si temperatissimæ cuti comparetur, si ceteris humoribus, temperatus: Secundis verò qualitatibus, ruber & dulcis: Omnium quatuor debet ea esse proportio, vt bilis sit minimùm: deinde melancholię: sanguinis plurimum, deinde pituitæ: si ista proportio violetur, sitque plus, aut minus vnius, quàm expediat, vel à temperie sua vnus recedat, nascetur inde morborum ferè omnium parens cacochymia. Pituita igitur, vt ab illa exordiar qualitatis vitio, non naturalis erit, si fuerit acida, aut salsa: dulcis enim est naturali similis. Ratione consistentiæ, si mucosa, vitrea aut gypsea: mucosa, similis est muco qui quotidie mungitur & expuitur. Ad lubricandam viam fæcibus, natura mucosa pituita illeuit intestina, quę incipiente dysenteria, bilis acrimonia abraditur, primaque excernitur. Huic similis est, & ex ea sæpè oritur vitrea, quæ meliùs albuginea diceretur. Est enim ouorum albumini similior quàm vitro fuso, est crassa & valdè frigida, nam cum aliquando coli cruciatus intollerabiles excitaret, clystere ex oleo rutæ educta, nihilominus in ipso met cruciatu frigida sentiebatur. In atrhritide nodosa, pituita gypsea obseruatur. Tophi enim qui in articulis generantur, fiunt pituita à calore resiccata, & in lapidis duritiem concreta. In bronchijs asthmaticorum sępè reperti sunt lapilli, pituita albuginea per resolutionem lapidescente. Pituita acida fit inconcoctione, sic fructus immaturi sunt acidi, qui paulatim dulcescunt coctione: salsa fit putrefactione aut bilis permixtione: Discernuntur contrarijs effectis. Nam pituita acida excitat ἐκλυσίαν, famem implacabilem, salsa sitim, Cur hydropici perpetuo sitiunt cum habeant ventrem plenum aqua? quia abundant sero putri & salso, distenditur illis addomen à copia tenuis pituitæ, quæ putredinem acquisiuit.

DE BILE NON NATVRALI.

CAP. XIII.

Quoties bilis simpliciter effertur, toties flaua designatur, alioquin cum adiuncto, viridis, nigra, russa appellatur, Illa duobus modis à natura sua recedit, alteratione, aut alieni humoris permixtione: Vitellinam bilem, (sic dictam, quod calore & consistentia sit similis vitellis ouorum) Auicenna existimat fieri in venis, pituita crassa permixta bili; Galenus verò per alterationem solam, ardore scilicet absorpto sero: nam priuatione sui seri vnusquisque humor crassescit. Videtur verior sententia Gal. quia pituitæ permixtione palescit bilis, & refrigescit: Alteratione sola fiunt, bilis porracea, æruginosa & glastea: Porracea similis est succo porri, æruginosa ærugini, vtraque viridis, longè tamen differunt: nam porracea vt plurimum gignitur in ventriculo ob ciborum cruditatem: propterea quidam pituitam viridem nuncuparunt, non absurdè sanè: nam omnem humorem crudum pituitam veteres appellabant. Æruginosa verò, vt plurimum fit ventriculo, aut hepate inflammato, estq; tam calida & mordax, vt deiectiones Æruginosæ sint lethales: Propè accedit ad glasteam quæ colore refert glastum: Ad quam pertinet cærulea, est humorum omnium pessimus, si atram bilem exceperis: nam ardore tantam acrimoniam acquirit, vt erodat & exulceret: gignitur in ventriculo, aut circa ipsum. Bilis rubra impropriè vocatur bilis, est enim potiùs serum sanguinis: Distinguetur tamen hac nota à sanguine, quòd extra vasa non concrescit, vt sanguis; Bilis fit rubra quando sero sanguinis humor quidam ruber permiscetur. Fit pallida permixtione pituitæ, estq; similis naturali: bilis atra à naturali tam longè recessit, vt iam in aliam humoris speciem degenerarit. De qua paucis transigendum.

DE

A *DE ATRABILE.*

CAP. XIIII.

SVccus melancholicus est similis fæci, atrabilarius verò similis fæci vstæ, vstione enim cuiuslibet humoris nascitur atra bilis. Quæ fit vstione sanguinis mitior est, deinde melãcholici humoris: pessima omnium quæ fit à bile vsta: Illa enim non tantum partes in quibus colligitur, erodit, sed etiam quascumque attigerit vrit, liquat, corrumpit. Hinc dysenteria ab atrabile, lethalis; quia in intestinis vlcus facit cancrodes: tam maligna est, vt aceti acris modo fermentet terram in quam ceciderit: calida est potentia, vt calx, cinis, aut fex vsta, quia in omnibus adustis remanent ignis reliquiæ, quas Græci vo-
B cant ἐμπυρεύματα. Eam vt venenum muscæ & mures refugiunt, Galenus lib. de atra bile scribit se non vidisse vnum qui atram bilem deiecerit & mortuus non fit: potest sine periculo sanguis, aut succus niger excerni, atra bilis, nunquam: Sanguis vstus, melãcholicus humor & atra bilis, effectis manifestè distinguuntur: nam carbunculi fiunt à sanguine vsto, cancri ab atra bile, scirrhi, ab humore melancholico.

PHYSIOLOGIAE SECTIO QVINTA, DE PARTIBVS.

C

QVID PARS. CAP. I.

NATVRÆ componentis imitatione, ducto initio à simplicioribus paulatim descendimus ad compositiora, à communibus ad specialiora: partes enim similares, quamuis nonnunquam coniuncta & sensibilia nostri corporis elementa, id est minimæ & simplicissimæ partes appellentur à Galeno, fiunt tamen ex elementis, humoribus & spiritibus, quia substantia constant solida, carnosa & spirituosa: Vt autem totius, ita partis nomen ambiguè dicitur: propriè totius & partis nomine, integrans designatur. Totum vniuersum, vt genus:
D & pars vniuersa, species & differentia, ijs nominibus vocantur propter eam quam habent cum integrante similitudinem, alioquin species compositior genere, quæque illud actu continet, malè illius pars diceretur. Corpus humanum est totum integrãs, cuius partes quæruntur, Aut simpliciter prout corpus est, aut quatenus est corpus viuens. Primo modo consideratur à Gal. in libris anatomicis, totum enim integrans in minimas vsque particulas partitur, nulla humorum, aut spirituum facta mentione. Dissectio conquiescit in partibus similaribus tanquam elementis ad sensum simplicissimis: humores qui corpore, non aliter quàm liquor vase continentur, inter partes non numerant dissectores, multo minus vagos; neque toti cohærentes spiritus: pars debet à se non ab alio circunscribi: humidum omne aliena superficie non sua continetur. Lac, medulla, sanguis, adeps continentur ab alio: equidem con-
E cretus adeps à semetipso circunscribitur: sed mediocri calore fusus mox ab alio retinetur: sanguis tamen & spiritus, quia corpus viuens integrant neque potest sine illis viuere, sapienter ab Hippocrate inter partes non corporis simpliciter, sed corporis viuentis recensentur, id enim sine quo, aut omnino nõ viuere, aut æquè commodè viuere non possumus, corporis viuentis partem appellamus. Hinc partes quædam necessitatis, vt cor, hepar, pulmo, ventriculus; Aliæ commoditatis, vt testes, & oculi: illis enim exectis viuere quidem possumus, non æquè commodè. Vngues inter partes commoditatis à Galeno recensentur, quia faciunt, vt minutissima quæque comprehendamus. Præterea Galenus primo de vsu partium scribit partes quasdam datas esse ad ornatum, vt comã & barbam, ita enim ipse eiusdem operis vndecimo; mulieri, sapiens natura fecit corpus glabrum, puerorum instar, quia cum non habeat mores æquè venerandos atque vir, neque forma

erat illi opus ęquè veneranda. Pilos verò esse partes, hoc præter cætera indicat: quòd alopecia, & ophiasis inter morbos partium à medicis numerātur. Dicet aliquis: Id so- A lum quod constituit, meretur nomen partis, pili, & vngues adueniunt rei iam constitutæ. Respondeo appellari à Gal. non simpliciter, sed cum adiuncto partes postgenitas, vt cristam galli, boum cornua. Attamen de pilis alarum & mentulæ valdè dubito, quia incommodant potius, quàm prosint, neque vllum ornatum afferunt corpori: Theophrastus in opusculo metaphysico, hoc exemplo demonstrat quędam fieri frustra à natura, dicitur enim frustra factum quod non habet vsum: mihi videntur totius operis veluti parerga, quæ à materiæ excrementis non aliter procedunt quàm fuligo in camino, meliusque inter excrementa quàm inter partes numerarentur: Si quis instet quòd nutriantur, proindeque viuunt, respondendum; Impropriè, nempè per appositionem nutriri, impropriè inquam, quia nutriuntur fuliginosis excrementis ad radicem appositis, vngues quamuis sanguine (ad radicem enim B vena desinit) nutriantur: impropriè tamen nutriuntur, quia ad radicem solam sanguis apponitur. Extrema, quæ resegmenta vocantur, tam longè absunt à radice, vbi sunt vita, sensus, & nutritio, vt verius, excrementa videri possint, quàm partes.

PARTIVM MVLTIPLEX DIVISIO, quæ sint similares. CAP. II.

MEDICVS non est similis Architecto, qui construat ipse domicilium animæ, sed à natura constitutum contemplatur. Ob id contrario ordine corpus hominis in simplicissima vsque resoluit, est enim generatio- C nis & resolutionis ordo planè contrarius. Natura & ars opus suum ordiuntur à simplicioribus, sensimque ad perfectiora procedunt, dum opus numeris omnibus completum dederint, Medicus qui iam perfectum opus contemplatur, illud dissoluit primum in compositissima, qualia sensibus primùm obuersantur. Quorum Galen. libro de differentijs morborum quatuor differentias constituit: Primi generis sunt, à quibus incipit partitio: Caput, thorax, venter, & artus: Secundi paulo minus composita instrumenta in quæ illa subdiuiduntur, vt caput in cerebrum, oculos, nares, aures & os: Thorax in pulmonem, cor, & diaphragma: Venter in iecur, lienem, ventriculum, renes, vesicam, & vterum: Brachium in manum, humerum & propriè dictum brachium: Crus in pedem, tibiam, & femur.

Hæc instrumenta secundi generis subdiuidi quoque possunt in alia instrumenta, D manus in digitos, oculus in musculos, à quibus huc illuc mouetur, septem tunicas, tres humores, & neruum opticum. Rursum hæc instrumenta tertij generis subdiuidi possunt in alia simpliciora, vt digiti in venas, neruos & arterias, quæ sunt prima, & simplicissima instrumenta, non amplius diuidua: Non sunt tamen primæ & simplicissimę partes. Similares enim & simplices partes non possunt in alias differentes specie resolui. Atqui venę & arteriæ constant fibris & membranis, partibus specie differentibus. Itaq; vt sunt partes instrumentariæ, conformatio enim instrumentum facit, ita compositæ & dissimilares: suntque verè similares; hoc est simplices & informes; tantum octo: Os, cartilago, fibra, membrana, ligamentum, tendo, caro simplex & cutis: Nec obest quod rudioribus primo obtutu venæ & arteriæ similares simplicesq; videantur, quia rem vt est, animo contemplanti, quin etiam sensuum fide veritatem diligentius explorantì, constabit esse partes & dissimilares, & compositas, quia E ex specie differentibus partibus constituuntur. Syluius aliter Gal. excusat, medici enim, inquit simplex, vel compositum, vsurpant duobus modis, absolutè, vel comparatè, nam oxymel diuidunt in simplex & compositum: Cùm tamen oxymel simplex sit compositum, ex aqua, aceto & melle. Dicitur verò simplex cōparatum compositiori, quo modo Gal. venas & arterias non absolutè, sed comparatè similares nominauit & simplices.

OCTO

A *OCTO PARTIVM SIMILARIVM QVÆ SVNT simplices & minimè conformatæ, breuis explicatio.*

CAP. III.

OSSA maximè omnium partium sunt terrena, proinde siccissima & durissima, qualia fieri expediebat vt essent totius operis fundamenta. Iis enim veluti columnis, reliqui corporis moles sustinetur. Non oportebat esse vnum os continuum, sed multis partibus distinctum, vt homo quam vellet in partem membra inflecteret, tam arctè tamen cohærent, tantaque arte coniuncta sunt, vt contiguitate si non continuitate, sint vnum: con-
B tinua dicuntur quorum extrema sunt vnum, cōtigua quorum extrema sese tangunt. Duobus autem modis ossa sese contingunt, Articulo aut συμφύσει, quorum differentias explicat Galenus in ὀστεολογίᾳ vnde disces differre ossa magnitudine, vt singula partibus quas fulciunt respondeant, deinde cauitate. Alia enim sunt caua, alia solida, illa interiore medulla nutriuntur, hæc per poros intromittunt crassum sanguinem vt ex eo conuincitur, quòd fracta vniantur callo, qui ex reliquijs alimentarij sanguinis generatur, tùm quòd in sua substantia pati possunt abscessum, superfluitatibus alimenti in poris putrentibus: Differunt quoque apophysibus & epiphysibus, vt constare potest αὐτοψίᾳ.

Cartilaginis eadem est substantia, que ossis: est os adeo tenerum & molle vt inflecti possit. Ossa infantis, dum madet adhuc & diffluit humore materno, sunt cartilagi-
C nea, aucto per ætatem calore reficcata, osseam duritiem acquirunt. Hinc animalium calidissimi leonis ossa tam dura esse scribit Aristoteles, vt eorum, veluti chalybis & silicis attritu, scintilla excutiatur: Quod reperitur os in corde cerui, est cartilago progressu temporis indurata. Memorabile est quod refert Cardanus, Nebulo quidam Mediolanensis adiudicatus est cruci, cumque à carnifice non posset strangulari, hoc pro miraculo habuerunt spectatores, ideoque populi fauore liberatus est, & in cœnobium trusus vbi cùm vitam finisset, Cardanus mortui corpus impetrauit, vt nouitatis causam inquireret, inuenit asperam arteriam osseam, quam idcircò carnifex laqueo comprimere non potuerat. Porrò differunt inter se cartilagines, quòd aliæ ossium extremis hærent, vt in vertebris, naso, sterno, & nothis costis, aliæ non, vt in auribus, epiglottide, laringe, aspera arteria in cordis basi.

D VT cartilago ossis, ita cartilaginis, ligamentum duritiem æmulatur, coniungit & continet ossa, quæ alioquin dissilirent: neruo quidem substantia & colore simile est, durius tamen & penitus insensibile, paucis exceptis, que aut neruos excipiunt, aut ex membranis sentientibus oriuntur. Accedat quod nerui à cerebro originem habent, aut à spinę medulla, ligamentum ab osse ad os procedit, nerui omnes sensum vel motum largiuntur, ligamentum neutrum. *Ligamentum.*

TENDO est finis & veluti cauda musculi, arbitrarij motus primum instrumentum, eo enim in partem mouendam inserto, fit motus voluntarius. Dicitur à Tendendo, quia membrum mouendum intendit instar chordæ, & versus musculi caput contrahit: substantia constat neruosa, quæ ex fibris neruorum & ligamentorum per musculum dispersis, & inuicem coëuntibus procedit: tanto mollior est ligamento quan-
E to durior neruo, sentit & mouetur voluntario motu, ratione neruorum ex quibus constat, ratione verò ligamentorum musculos ossibus connectit. *Tendo.*

FIBRÆ sunt tenuia quædam, attamen firma & valida, firmamenta singulis partibus, insita, quorum ministerio naturales obeunt actiones, trahunt enim rectis fibris, transuersis expellunt, retinent obliquis: adiutę tamen mutuo auxilio, nam fibrarum omnium contentione melius vnumquodque retinetur. Propterea quædam, vt neruosæ, sentiunt: aliæ non, vt quę à ligamentis procedunt: sanguini quoque sue insunt fibræ, quarum frigore concrescit. *Fibræ.*

MEMBRANA & tunica sola differunt ratione. Nam Membrana est nomen substantiæ, tunica nomen officij, quatenus enim membrana partem aliquam inuestit, ex hoc tunica nuncupatur, in quibusdam partibus proprium habet nomen, nam quę *Mēbrana.*

inuoluit ossa περιόστεος, quæ cranium περικράνιος, quæ cerebrum μῆνιγξ, quæ costas tegit & contentis partibus, vt cordi, pulmoni & asperæ arteriæ, propriam tunicam largitur, succingens membrana: quæ partes naturales continet, datque singulis propriam tunicam, περιτόναιος appellatur. Ab his partes habent sensum, nam si ossa suo periostio denudaris, poterunt incidi, secari, vri, sine dolore: non obstet quòd Arist. scribit pericranium non sentire, sentit enim sed obtusè, propterea quòd caret carne quæ in contactu est medium. A

Cutis. CVTIS est membranarum omnium amplissima, totius corporis tunica, atque etiam emissarium, per eam enim totum corpus excrementis fuliginosis repurgatur, sentit, quia neruosa: accipit enim sensum à neruis qui per illius substantiam sunt dispersi, huius efflorescentia ἐπιδερμίς, cuticula nominatur: tunicam interiorum partium non absurdè internam cutem appellaris, alioquin cutis non est omnium tractabilium critirion. Nam quæ assumuntur, aut quæ per anum vel ouretram iniiciuntur, calidáne sint, an frigida non distingueremus: Faciamus os detectum, frigoris iniurias sentiet, & dura percipiet. Itaque cutis nomine etiam membranas interiores non absurdè comprehenderis. B

Caro. CARO simplex videri potest in gingiuis, glande & radicibus digitorum: cui similis est, attamen non simplex, caro musculi: In mammis & testibus cum adiuncto, Caro glandulosa nominatur: substantia quoque viscerum vt cordis & iecoris, caro sed impropriè, vocatur. Erasistratus distinctiùs parenchyma nominabat: Inest etiam cæteris partibus quamuis spermaticis vt ventriculo, quinetiam ossibus sua caro, vt scribit Galenus decimo methodi. Eo enim sensu eodem authore iam annotauimus, partes omnes constare triplici substantia, solida, carnosa & spirituosa: Os inquam dicitur constare sua carne, generali & improprio significato. Plantarum fibris, seu duriori & ligneæ substantiæ quæ neruos refert, adiunctam mollem & humidam substantiam Theophrastus appellat carnem plantarum. Quinetiam in ferro rubigine exeso, carnem contabuisse, solas fibras ob duritiem restitisse, leges apud classicos authores. C

Pinguedo. CARNIS & pinguedinis eadem est materia nempe sanguis, verum caro fit à calore per resiccationem, pinguedo à frigore membranarum per modum congelationis.

DE VENIS, ARTERIIS ET NERVIS quæ sunt prima & simplicissima instrumenta.

D

CAP. IIII.

Venæ. VENÆ omnes oriuntur à iecore, vt arteriæ à corde, si venam arteriosam exceperis, quæ à dextro cordis ventriculo ortum ducit, sed illa non simpliciter, sed cum adiuncto vena arteriosa dicitur: Vena ab officio, quod alimentarium sanguinem pulmoni distribuat. Arteriosa, quod instar arteriæ duabus constet tunicis, reliquæ omnes constant vna tunica triplici fibrarum genere contexta. *Porta.* Duos habet insignes truncos, vnum per quem veluti per portam chylus confluit ad iecur, inde vena porta dicitur. Alterũ per quem superius & inferis partibus nutriendis iam confectus ex chylo sanguis dispensatur: qui vena caua nominatur. *Caua.* Vena porta à parte sima iecoris originem habet, ibiq; radices agit: Vena caua à parte gibba, Truncus venæ portæ in duos præcipuos ramos diuiditur, splenicum qui ad splenem fertur: mesentericum qui ad mesenterium, plurimos habet surculos quibus imi ventris maior pars nutritur: A partibus quas nutriunt nomen accipiunt, gastrica, dicitur quæ nutrit ventriculum, intestinalis quæ intestina, epiplois quæ ἐπιπλόον, cystica quæ cystin fellis: A ramo mesenterico descendunt surculi ad intestinum rectum, qui hęmorrhoidas constituunt. Truncus venæ cauę in duos quoque ramos diuiditur, vnum qui sursum fertur ad nutritionem supernarum partium, alterum qui deorsum ad nutritionem inferarum. E

Arteria. VENARVM nomine veteres medici arterias comprehenderunt: differunt tamen primò quòd arteria constet duabus tunicis, ne spiritus exhalet, néve perenni motu rumpatur, Vena, vnica: Inde arteria per quam spiritus transmittitur ad cor, venosa dicitur,

A dicitur, quòd vnica constet tunica, interior est cartilaginea, quintuplò durior exteriore. Secundò differunt quòd arteria assiduè pulset, vena minimè. Tertiò quòd arteriæ oriantur à sinistro cordis ventriculo, vnde emergit arteria magna quæ ab Arist. aorta nominatur, Venę ab hepate. Quartò quòd arterijs contineatur spiritus vitalis, mixtus cum pauco eoq; tenuissimo sanguine, venis sanguis multus, crassus cum spiritu naturali, qui plurimis nihil aliud videtur, quàm halitus sanguinis. Venę & arterię fibras habent à neruis productas, proinde quamuis repugnet Gal. (vt in phlebotomia, & arteriotomia experimur) sentiunt. Cęterum rami venæ canæ, arteriæ per totum corpus dispersæ coniunguntur, vt venæ ab arterijs accipiant spiritum qui calore vitali viuificet sanguinem, vicissimq; arteriæ hauriunt à venis aliquantulum sanguinis. Non est prætereundum arteriam, quæ cum adiuncto aspera nominatur, alterius esse rationis quamuis olim simpliciter, & propriè arteria diceretur.

B Notat Gal. decimoquinto De vsu partium neruum generaliori significato comprehendere tendonem & ligamentum, propriè tamen corpus quod à cerebro & spinæ medulla, vel rachytide oritur ad sensum & motum, à medicis neruum appellari, cætera duo, corpora neruosa: A cerebro nerui molles oriuntur, qui sensorij nuncupantur, duri à spinæ medulla, qui vocantur motorij, eò quòd motus arbitrarij non sensus sunt instrumēta, hoc est partibus, motum non sensum largiuntur: Sensorios oportuit esse molles, quia sensus fit per passione, mollities autem apta est ad facilè patiendum. Motorij verò sunt duri, quia motus actio est, ad actionis autem robur requiritur durities instrumenti: A cerebro procedunt septem neruorum coniugationes (coniugati enim feruntur, ideoq; paria neruorum ab anatomicis appellantur.) *Neruus.*

C A spinæ medulla triginta paria, hoc est sexaginta nerui: illa enim vtrinq; per singularum vertebrarū foramina singulos neruos mittit. Atq; vt molles in organa sensuum, ita motorij in musculos inseruntur. Cæterum neruus opticus & pudendi, qui cauus dicitur, manifestam & sensibilem habent cauitatem, Cæteri sunt solidi, nullam habent, saltem quæ sensu percipi possit, cauitatem. Non desunt tamen qui in viuētibus inesse dicant, vt possit animalis spiritus transmitti. Verùm per irradiationem motricem facultatem affluere non semel scripsit Gal. Per neruum transparentem, quamuis solidum, spiritus diffluit eo modo quo radius per corpus diaphanes, vt vitrum quamuis solidum.

DE SECVNDIS INSTRVMENTIS, VT *musculis & digitis.* CAP. V.

D EX tribus primis & simplicissimis instrumentis & octo cōmemoratis partibus minimè cōformatis, iusta magnitudine, numero, figura, satis atq; connexis, nascuntur secundi generis instrumenta, in quibus primum locum habent musculi, arbitrarij motus instrumenta, quamuis Gal. in arte parua videatur ad primum genus instrumentorum eos reuocare, quando scribit propriam substantiam musculi absolui carne & fibris: præterea enim constant venis, arterijs & neruis, à quibus accipiunt alimentum, vitam; sensum & motum: constant quoque tunica, tendone, ligamenro, quorum causa, in secundis instrumentis possunt numerari: Tribus partibus distinguuntur, principio, medio, & fine, quæ vulgo caput, venter & cauda, nuncupantur. Principium seu caput dicitur, pars ea in quam neruus & ligamentum inseruntur, cauda in quam desinunt:
E nam ex neruorum & ligamentorum fibris oriri tendonem, qui est ἀπονεύρωσις & cauda musculi, iam admonuimus: Venter est pars musculi carnosior vtrique extremo interiecta: ministerio musculi, ita pro animi arbitrio membra mouentur: Tendo in partem mouendam inseritur, per neruum verò in caput musculi inseritur, vis animæ motrix à cerebro influit, inde contractæ fibræ, versus principium partem mouendam trahunt. Contrarij motus fiunt à musculis oppositis, si sphyncterem (musculum qui claudit anum) & septum transuersum excipias. Est musculus rotundus qui partes vitales à naturalibus separat. Cæteri inquam habent suum antagonistam, leuator depressorem, clausor apertorem. Cæterum quamuis Auenrois scripserit, Anatomen musculorum esse necessariam chirurgo non medico, tamen vt tanquam Architectus operarijs, medicus operatoribus chirurgis prudenter imperet, ne chirurgiam quidem debet ignorare, scribit Galenus decimo metho. cum in

Asia faceret medicinam, se chirurgiam exercuisse, at Romæ quòd essent distincti artifices operationem chirurgis reliquisse. Digiti non tantum constant venis à quibus nutriuntur, arterijs, per quas spiritum & calorem vitalem accipiunt, neruis per quos sentiunt, & musculis à quibus mouentur, sed tribus ossibus, quibus reliquum fulcitur, & ligamentis, quibus ossa continentur, carne & cute: quorum coniunctione verum tactus organum constituitur, eorum actio à commemoratarum partium magnitudine, figura, numero, situ, & connexione procedit, quorum si vel minimum desit, illa læditur, nascenturque morbi organici, figuræ, magnitudinis, numeri, situs, connexionis. Arist. diuisit digitos in nodos & internodia. Sunt autem quinque, pollex, index, medicus, annularis, & minimus. A

DE INSTRVMENTIS TERTII GENERIS, vt manu & corde. CAP. VI. B

us. MANVS est instrumentum tertij generis, constat quinque digitis, vola, metacarpio, & carpo. Arist. scribit naturam in vola lineas describere indices breuioris, aut longioris vitæ, quo fundamento nititur chiromantia. Idem Arist. reprehendit Anaxagoram, quòd diceret hominem sapere quoniam habet manus, Natura enim, inquit, accommodat instrumenta facultatibus, non facultates instrumentis. Atqui manus est instrumentum sapientiæ, instrumentum inquam instrmentorum: nam ars quælibet, instrumenta facit manuum ministerio. Temerè enim naturam velut nouercam Theophrastus accusabat, quòd cætera animalia vnguibus, cornibus, aut eiusmodi vitæ præsidijs armarit, timidissimos lepores currendi velocitate munierit, hominem verò inermem reliquerit, quandoquidem manus, potentia est omne instrumentum: Homo inquam non sapit, quia manus habet, sed quia naturæ primo instituto est animal plenum consilij & rationis, idcirco accepit manus vt essent sapientiæ instrumenta. Pergêdum ad cetera tertij generis instrumenta: hoc est partes organicas, quæ capire, thorace & ventre cōtinentur, si mauis, in quas vltima illa & cōpositissima instrumenta primum resoluuntur, in quibus Cor primum occurrit, eam enim habet rationem in microcosmo, quam sol in vniuerso. In corporis œconomia non aliter præest, quàm Rex in republica: cuius admirabilem structuram qui didicerit, minimo negotio reliquarum partium minus operosam, facilioremq; structuram animo & oculis concipiet: tenet medium non rei, sed perfectionis & commoditatis. Illud est mathematicum, hoc physicum medium, vtriusque medij meminit Aristoteles quinto Ethic. quando dicit iustitiam commutantem in contractibus seruare medium rei, quod æqualiter distat ab extremis, Iustitiam verò distributiuam in dispensandis honoribus & pœnis pro cuiusque merito, tenere medium rationis: manifestius in libris cœli, vbi docet terram esse medium mathematicum, seu centrum mundi, solem verò occupare medium physicum, quod est commoditatis & perfectionis: Atqui cor eo modo se habet in nostro corpore quo sol in vniuerso. Perenni motu necnon caloris spiritusque lucidi influxu, vt sol mundum, sic corpus nostrum viuificat, propter hanc similitunem ab Homero sol, cor mundi nuncupatur: Iraque cor in corpore tenet medium perfectionis, vmbilicus est medium rei: nam si in hominis decussati vmbilicum cyrcini pedem vnum defigas, alterum circunferas, describes circulum, à cuius circunferentia ad vmbilicum ductę omnes lineæ erunt æquales: natura igitur tam nobilis visceris sollicita, illud capsula conclusit, quæ impedit ne dum dilatatur, costarum, aut vertebrarum duritie offendatur, non tangitur à pericardio, vt possit liberè in sua pyxide sese dilatare, Cōtinet nonnihil aquæ ne motu & calore deficcetur: carne cōstat prædura in qua sunt duo sinus septo diuisi, dexter amplior, sinister, vt corpulentior, ita angustior: est autem solidior & crassior ne vitalis spiritus, qui in eo elaboratur, exhalet: in dextro sinu, duo sunt vasa, ramus venæ cauæ, per quem cor excipit sanguinem ab hepate, vena arteriosa, per quam sanguinem iam coctum & attenuatum ad pulmones transmittit, in sinistro totidem, aorta per quam vitalem spiritum quoquouersum demittit, & arteria venosa per quam aërem à pulmonibus recipit, sunt enim pulmones veluti folles, & flabella cordis: fibras haber rectas & obliquas, adeo solidas, vt verisimile sit Arist. eas habuisse pro neruis, quando scribit cor esse principium neruorum.

A nervorum. Vtrinque habet auriculas, à quibus vena arteriosa & ramus venę cauę fulciuntur, ne vehementi motu cordis rumpantur, simplicissima enim constant tunica, hæc structura potest vnumquemque rapere in admirationem. Mirandum quoque quod pinguedo illic concreuerit, cùm adeps concrescat frigore, nihil tamen se offert admirabilius vndecim valuulis: Sunt quinque in dextro, sex in sinistro ventriculo. Vasa quæ excipiunt habent valuulas introrsum patentes, quæ excludunt, extrorsum.

B PHYSIOLOGIAE SECTIO SEXTA, DE FACVLTATIBVS ANIMÆ.

QVID ANIMA.

CAP. I.

C QVÆ præcesserunt propria sunt corporis, quæ sequuntur pertinent ad animam, quam immediatum principium facultatum omnium corporis viuentis, aut formam corporis animati possis definire, ita enim sese consequuntur, functio, facultas & forma, vt quemadmodum à facultatibus functiones, ita facultates à forma tantam à proximo principio procedant, materia enim cum sit principium perpessionis, illius causa vnumquodque patitur. Forma verò est principium actionis, per quam corpus omnes suas functiones exercet, nihil autem fit quod fieri non possit, semper in caducis potentia præcedit actum. Itaque non est dubium à forma tanquam à principio immediato omnes agendi vires emanare: quæ vel informat perficitque corpus similare & informe, vel dissimilare & conformatum, quæ sunt Physicorum corporum duæ primæ differentiæ. Forma corporis similaris: siue illud sit simplex, vt elementum: siue compositum vt fossilia, lapides & metalla, natura nominetur. Forma verò corporis conformati, seu vt ita loquar, organisati, Anima: sic enim duabus primis physicorum corporum differentijs totidem formarum physicarum primæ differentiæ respondebunt, eritque natura forma physici similaris & informis: Anima verò forma physici conformati, organici, dissimilaris. Aristoteles secundo De anima, Animam duobus modis definiuit: primo, perfectionem corporis organici potentia viuentis: secundo principium vegetandi, sentiendi & ratiocinandi. Posterior definitio est causa prioris, nam quærenti cur anima sit perfectio corporis organici potentia viuentis, respondetur, quia est principium vegetandi, sentiendi, & ratiocinandi, sic igitur demonstratio conficiatur: Quod est principium vegetandi in plantis, sentiendi in belluis, & ratiocinandi in hominibus, Id qualecunque sit, in vnoquoque eorum est causa perfectionis. Nam si quid habent perfectionis plantę, id totum acceptum debent ei, cuius vi nutriuntur, accrescunt & procreant simile, belluæ ei per quod sentiunt, homines ei per quod ratiocinantur. Atqui vegetant plantæ anima vegetante quæ altrix à Gal. nominatur, à quibusdam φυτική, plantatiua seu plantarum propria, belluæ sentiunt anima sentiente, homines discurrunt anima ratiocinante. Est igitur anima rationalis, forma hominis, Sentiens forma belluæ, Vegetans forma plantæ: Anima verò, Vegetandi, Sentiendi & Ratiocinandi, principium: Forma corporis viuentis.

ANIMÆ PRÆSERTIM HVMANÆ PHYSICA & realis essentia perquiritur, eaque tandem diuina constituitur. A

CAP. II.

DVPLEX est essentia animæ, vna logica quæ definitio dicitur: omnia enim definiuntur sub ratione speciei, indiuidua circunstantijs materiç, loci & temporis describi possunt, solum vniuersum definitur: Atqui vniuersum est ens rationis, quia sola ratione comprehenditur vt singula sensu: Premissa est igitur animæ vniuersalis, proindeque logica definitio, singularis perquirenda est, etiam si Galenus scribat non oportere medicum valdè illius esse sollicitum, quia eius scientia ad bene medendum non confert: inquirenda inquam diligenter, propterea quòd quæstio est digna physica contemplatione: Vnusquisque debet nosse se, hoc est animæ suæ essentiam, necnon vires & functiones. Galenus multis in locis fatetur ingenuè realem animæ substantiam sibi esse ignotam, tamen secundo De prædictione ex pulsibus, Hactenus inquit dubitaui, quæ esset animæ substantia, nunc ætate & rerum vsu sapidntior ausim affirmare eam nihil aliud esse quàm temperamentum: quod etiamsi de anima vegetante, & sentiente probabiliter dicatur, de rationali tamen dici non potest, quia vtitur temperamento, vt instrumento. Instrumentum verò cum vtente natura vel artifice, nemo prudens confuderit. Ad actiones vegetantis, & sentientis animę, quamuis concedam requiri legitimam temperiem, Ad ratiocinandum tamen minimè necessaria est: definitur enim philosophia animæ abstractio à corpore, duabus causis. Primò, quod certior sit contemplatio quo à materiæ, loci, temporis, personæ circunstantijs remotior: qua causa Mathematicæ scientiæ sunt certiores Physicis, Metaphysica certissima: Secundo quod corpus sit impedimento philosophanti, hinc σῶμα quasi σῆμα sepulchrum animæ dictum esse scribit Plato in Cratillo: Anima igitur neque corpus est, neque quicquam corporis. Pręterea temperamentum est accidens, qualitas nata ex elementorum mixtione: natura fortassis eadem est cum temperamento, nam Galenus passim videtur vnum pro altero vsurpare, sed anima est forma præstantior quàm natura, consentaneum igitur est vt illius quoque substantia meliorindicetur: enimuero si natiuus calor sit cœlestis, quo iure anima (quę vtitur calore natiuo tanquam instrumento,) elementaris erit, non potiùs cœlestis aut supracœlestis? plantis plantarumque partibus, necnon belluarum & hominum, nónne post mortem relinquitur temperamentum? Viuebant igitur prius beneficio alicuius principij à temperamento distincti. Galenus libro de substantia facultatum naturalium dubitat an facultatis formatricis substantia simul cum semine traducatur, quia tanto cum ordine omnes partes nostri corporis conformat disponitque, vt consilio & ratione omnia videatur agere. At anima humana per se naturaque sua rationalis est, longè melior & diuinior conformatrice, quia conformatrix facultas est pars animæ vegetantis: Ergo si propter opus planè diuinum conformatrix Gal. diuina videatur, non est quòd dubitemus animam intelligentem diuiniorem affirmare. Propterea, vt res artificiales exterior figura exornat, pulchrioresq; dicuntur, quæ sunt artificiosiùs figuratę: Sic opera naturę pręstantiora sunt quę pręstantiorem habent formam. Atqui rationalis anima, omnium formarum physicarum est præstantissima: Non est igitur dubium quin sit valdè diuina illius essentia, supracœlestis potiùs quàm cœlestis: minimè verò elementaris, à Deo deorum immediatè creata substantia, Dei soboles: propago, delibatio.

ANIMA-

A

ANIMARVM PRIMÆ DIFFERENTIÆ.

CAP. III.

ANIMA est genus, notio quippè vniuersalis ex multis rebus animatis differentibus specie, plantis, belluis & hominibus collecta: quibus non tantum nomen, sed etiam definitionem vnam, & eandem æqualiter impertit, non minus enim anima vegetans est forma & perfectio summa plantæ, quàm sentiens belluæ, aut rationalis hominis. Nec refert si vna sit prior altera: nam binarius est prior ternario, triãgulus quadrato, nihilominus peræquè sunt species numeri: nam aut species inter sese comparantur, aut cum suo ge-
B nere: Si ad suum genus referantur, omnes æqualiter eius nomen & rationem participant, si inter sese, nihil obest quin vna multis modis, origine, ordine, perfectione, causa, sit prior altera; differre autem specie animam vegetantem à sentiente, & hanc à ratiocinante, potest hoc argumento demonstrari: Propter quod vnumquodq; tale & illud magis, plantę, bellueę, & homines propter animam differunt specie: animas igitur quibus vegetant plantæ, sentiunt belluæ, & homines discurrunt, specie differre necesse est. Soli Stoici huic doctrinæ videntur repugnare: Animę enim & naturę vnam eandemque substantiam constituunt, nempe spiritum: differre tantùm quod naturalis spiritus sit humidior, animalis siccior: Ideoque formam plantarum appellant naturam non animam, quia spiritu constet humidiore. Addunt id solum animatum esse quod potest mouere semetipsum, proprium enim est animæ corpus quod
C informat secundum omnes loci differentias mouere, dextrorsum sinistrorsum, sursum deorsum, ante ponè, plantas autem humo affixas in eodem loco necessariò permanere: veruntamen si duabus primis corporum physicorum differentijs, totidem Naturalium formarum primæ differentiæ respondeant: forma corporis similaris, informis, natura, conformati verò & heterogenei anima nuncupetur: extra controuersiam est, plantas, cùm sint conformatæ, animatas esse, adde quòd viunt, quia nutriuntur, crescunt & procreant sibi simile. Atqui vita est primus actus animę, totq; sunt animatorum, quot viuentium genera. Sit igitur hoc cum Aristotele ratum & constitutum, animarum tres esse primas differentias seu species, vegetantem, quę est forma, & perfectio summa plantarum: sentientem, per quam bellua est id quod est, interior enim seu communis sensus est belluarum perfectio summa, quemadmodum ratio hominum.
D

ANIMÆ HVMANÆ PRIMÆ *facultates constituuntur.* CAP. IIII.

ANIMA hominis est totum potestatiuum, hoc est facultatibus tanquam primis partibus diuiduum; vna enim cum sit simplex & incorporea animæ substantia, impartilis quoque sit necesse est. Plato ethicas duntaxat illius vires, quæ sunt principia actionum moralium, explicauit: quod satis fuit morali philosopho. Concupiscibilem enim in iecore collocauit, irascibilem in corde, rationalem in cerebro: quibus differentijs nemo existimet omnem animam diuidi: nam differentiæ quę sunt generis diuisiuę, sunt alicuius speciei con-
E stitutiuæ. Atqui nulla est species rerum animatarum quam informet, & ab alijs separet anima concupiscibilis, nulla cui irascibilis sit pro forma. Sunt igitur humanæ animæ tres facultates, non tres animæ, quandoquidem vnius rei vnica est forma: Doctè, me iudice, notauit Ficinus, imponi Platoni à Peripateticis quòd tres animas specie differentes in nobis posuerit: Aristoteles vnam & simplicissimam animæ nostræ substantiam constituit, quę sit in toto & in qualibet parte tota, hoc est omnibus facultatibus instructa: non operari tamen vbique, neque omnes suas vires omni in parte exercere, defectu instrumentorum; quia enim sentire non potest sine neruo, in parte destituta neruo sentire non potest, non formę quidem, sed instrumenti vitio: nam videret extremo digito, si haberet illic oculum; in calcaneo ratiocinaretur, si haberet illic omnia ad discurrẽdum necessaria. Deniq; vbiq; potens agere, non agit tamẽ, inopia instrumẽti: quod si daretur seni oculus iuuenis, videret vt

iuuuenis: Anima igitur rationalis vbique tota, innumeris facultatibus prædita est, quæ tamen omnes ad tres primas reduci possunt, vegetandi, sentiendi, & ratiocinandi: inferiores enim superioribus continentur, vt binarius ternario, triangulum quadrato. Nam vt duo sunt in tribus potentia & indefinitè, sic vegetantis animæ facultates omnes sentiens includit, rationalis, tam vegetantis quàm sentientis. Quando ergo scribit Aristoteles hominem in vtero viuere primùm vita plantæ, deinde belluæ, postremo hominis, non ita intelligi debet, ac si vellet dari aliquod tempus in quo homo sit planta. Aliud in quo bellua, atque per hos veluti gradus ad animam rationalem perueniri: neque enim habet tres animas, sed cum vna & continua motione genitrix facultas insita semini procedat ad vnam formam, qua adepta conquiescit: vnica est & simplex anima solis facultatibus distincta. Si esset motus quiete interruptus non continuus, si adepta forma vegetante natura ab agendo aliquandiu desisteret, haud dubiè essent tres animæ: Sed cum à primo conceptionis die, ad quadragesimum, (quod est conformationis tempus longissimum, quo tempore Hippocrates cum Aristotele agnoscit extrinsecus aliquid aduenire:) natura pergat continenter, & ad vnum finem aspiret, Anima vna hominem informat tribus primis facultatibus distincta: quarum ea est consequutio, vt postrema includat priorem, quæcumque ratiocinantur eadem sentiunt, & quæ sentiunt, vegetant, non contra, quia plantæ vegetant sine sensu, belluæ sentiunt, sine ratione: quid ergo vult Aristoteles, dices, cum scribit hominem primum viuere vita plantæ, deinde belluæ, tandem hominis? fœtum primum nutriri sugendo ex vtero matris sanguinem per vmbilicalem venam implantatam iecori, eo modo quo plantæ radicum fibris de terra sugunt alimentum. Est enim vterus fœtui, id quod terra plãtę, promptuarium alimento: deinde verò iam perfectis sensuum instrumentis incipit sentire, ad extremum fit capax rationis. Hęc fuit de tribus physicis animę nostrę potestatibus, Aristotelis sententia, pro quibus medici totidem reponunt, naturalem, vitalem, & animalem: naturalis eadem est cum vegetante, nomina tantum sunt diuersa: At sentiens & rationalis, animalis facultatis ambitu continentur. Vitalem Galenus nonnunquam comprehendit naturali, vt in libris de caussis symptomatum, quando scribit duas tantum esse facultates animæ, naturalem & animalem: est enim vitalis similior naturali, quia nobis dormientibus, atque etiam inuitis, cor & arteriæ pulsant.

AN CONSTITVTÆ FACVLTATES ANIMÆ *distinguantur sedibus.* CAP. V.

NON placet Aristot. quia animam totam esse in toto & in qualibet particula corporis existimat, si vbique potens est, omnibus instructa facultatibus non debet hic nutriendi, illic sentiendi, alibi ratiocinandi facultas collocari. Quod si vt Deus supra cœlos æuum agens beatissimum, existensq; formaliter in cœlo empyreo, nihilominus potentialiter vbique est, quia ibi est vbi operatur, si animæ substantia aliqua in parte corporis sit collocanda, vnde suis vtens facultatibus totum regat, vbi potest meliùs quàm in corde collocari? Est enim medium commoditatis & perfectionis. Cur Deus dicitur in sole domicilium suum posuisse? quia ibi potissimum esse creditur vbi eius potestas manifestiùs resplendet. Atqui cor eam habet rationem in homine quam sol in vniuerso: primariæ actionis animæ, nempe vitæ, fons ab omnibus perhibetur. Mens, inquit Hippocrates libro de Corde, sita est in sinistro cordis ventriculo, vnde toti imperat. Et libro de Virginum morbis, cum sanguis præ copia resilit in cor, fatuum reddit. Itaque si cui parti formaliter anima insideat, maximè cordi, cæteris partibus inest potestatiuè: Quæ quidem omnes potestates ab isto fonte manant: Nam verisimile est ibi esse principium radicale facultatum & functionum omnium vnde exoriuntur prima earum instrumenta. Atqui facultatum, & functionum animæ, nutritionis, sensus, & vitæ instrumenta, nempe nerui, & arteriæ, si Aristoteli creditur, originem habent à corde, de arterijs non est controuersia. Fibras verò densas quibus conspersa est substantia cordis, ille habuit pro neruis, similitudine deceptus: Venas ab eo ramo qui à dextro ventriculo cordis fertur ad iecur ortum habere hoc argumento existimat,

A firmat, quòd minora maiorum sunt principia, cùm ab imperfectis ad perfecta, à simplicioribus ad compositiora natura progrediatur. Flumina nónne vides paruis de fontibus orta? hæc ferè sunt quæ pro Aristotelis opinione afferunt Peripatetici: Medici verò cum Galeno tres partes principes constituunt, totidem facultatum sedes & principia, cor vitalis, iecur naturalis, cerebrum animalis, ipsiusmet Aristotelis hoc subnixi fundamento: Vt actiones obiectis distinguuntur, ita facultates instrumentis: Atqui venæ sunt altricis facultatis instrumenta: Arteriæ vitalis, nerui animalis, sine quibus facultates otiantur. Vbi igitur natura posuit originale principium instrumenti, ibi credibile est eam posuisse radicale principium facultatis, si mauis propè facultatem ponit instrumentum quo possit operari. Atqui iecur esse principium venarum declarat vterque truncus, venæ portæ, & cauæ, qui ab vtráque parte
B iecoris exoriuntur: Venarum enim soboles & propago, arbori perbellè comparatur, cuius radix sit in iecore à quo truncus exurgit, à trunco rami, à ramis surculi. Neruos oriri à cerebro, arterias à corde ipse sensus manifestè conuincit. Esto igitur iecur principium facultatis naturalis, cor vitalis, cerebrum animalis. Accedat quòd vena vmbilicalis, per quam fœtus trahit alimētum, inseritur iecori, vt arteria vmbilicalis, per quam respirat, cordi: Item iecur mesenterio chylum sugit, quem sua carne in sanguinem transmutat. Atqui in officina alimentarij sanguinis residere facultatem nutricem verisimile est, quem quidem sanguinem ab hepate confluere ad dextrum ventriculum cordis, non à corde ferri ad iecur demonstrant valuulæ quæ patent foris intrò ad excipiendum, non intus foras, ad excludendum. Præterea Archigenes quamuis esset iuratus Peripateticus, nihilominus ad curationem phreniti-
C dis nobiscum admouebat capiti topica remedia: Pestilentes & venenatos morbos dum admotis cardiacis oppugnabat, iisque facultatem vitalem roborabat, ea ad regionem cordis applicabat. Quando corpus atrophia languebat, iecori consulebat: ergo præstat in facienda medicina sentire cum medicis, de primis facultatum animæ principiis, vt actionis læsæ primo principio consulatur.

FACVLTAS NATVRALIS MINVTIVS diuiditur. CAP. VI.

DICTVRVS de tribus animæ nostræ facultatibus à quibus totum corpus gubernatur, exordiar à naturali, quia viuentium esse, viuere est: Vita autem à nutritione est inseparabilis, propterea quòd quæcumque
D nutriuntur viuunt, & vicissim quæcumque viuunt nutriri necesse est. Illa autem nihil est aliud quàm animæ vis, qua actiones naturales perficiuntur: subdiuidi solet in tres facultates, altricem, auctricem & procreatricem: nutrix est ea vis animæ, quæ appositum alimentum in corporis substantiam conuertit, cui quatuor aliæ ministrant: Attractrix, retentrix, assimilatrix, & expultrix: quandoquidem, vt docet Galenus tertio De naturalibus facultatibus aduersus Erasistratum & Asclepiadem, alimētū à singulis partibus trahi necesse est, deinde retineri, retentum coqui & assimilari, priusquam actu nutriat. Ad extremum alimenti reliquias excerni: Altricem auctrix sequitur: Nutritur enim corpus substantia alimenti, eiusdem quantitate augetur: Procreatrici inseruiunt duæ facultates, Alteratrix & conformatrix, quia corpus humanum procreatur materia primùm varie im-
E mutata, deinde conformata: alteratione suam temperiem partes similares consequuntur, conformatione perficiuntur instrumenta ad vsum vitæ necessaria. Altricis maior quidem est ad vitam necessitas quàm auctricis & procreatricis, quia nutritur animal quandiu viuit, non semper augetur, neque perpetuò procreare potest simile, vt prima & extrema ætate: Verùm procreatricis dignitas & perfectio maior est. Illa enim sola, inquit Aristoteles, nos facit immortales: nam cùm transmutabilis materiæ necessitas singulos homines mortales reddat, successione tamen singulorum conseruantur species, succedit vnus alteri & veluti succenturiatur beneficio procreatricis, quæ propterea videtur esse facultas princeps, eo argumento quo testes inter partes principes recensentur: Non enim sunt partes principes, nisi quia procreatrix facultas illis vt primis & præcipuis generationis instrumentis insidet: Ad conseruandum indiuiduum tres tantum facultates requiruntur, Ad conseruatio-

nem speciei quatuor. Quidam hoc argumento contendunt procreatricem non esse partem naturalis facultatis: Naturalis enim facultas, inquiunt, tota addicta est indiuiduo conseruando, cum natura sit insitum principium motus: Genitrix verò facultas conseruandæ speciei destinatur, eiúsque motus est in alio & ad aliud. Veruntamen vegetantis animæ quæ plantas informat, facultas procreatrix pars est: Atqui vegetans anima non potest esse alia quàm naturalis: naturæ enim tam similis est, vt Galeno & Stoicis, natura potiùs videatur quàm anima: Itaque cum medicis vis procreandi naturali facultate comprehendatur, sitque membrum subdiuisionis non primæ diuisionis. A

DE NVTRICE FACVLTATE.

CAP. VII. B

CVR omne animal quandiu viuit necesse est nutriri? quia triplicis substantiæ, solidæ, carnosæ, & spirituosæ perennis fit dissipatio, partim ab insito, partim ab externo calore: Marcessit enim calor inopia pabuli: quod quidem indesinẽs effluuium nisi assumpto alimento repararetur, breui animal marcore interiret. Hanc iacturam facultas nutrix resarcit. Si quis obiiciat animalia φωλεύοντα, quæ degunt in latibulis, vt glires, totam hyemem dormire, toto illo tempore non nutriri: respõdendum pituitosum sanguinẽ qui continetur venis languido eorum calori esse sufficiens pabulum nõ esse opus extrinsecus assumpto alimento, cum habeat calor intus quod agat. Calor natiuus est naturalis facultatis primum & præcipuum instrumentum: siue enim natura vt in senibus, siue accidente vt aliquo morbo, imbecillus fuerit: siue contagione infectus, quod accidit phtysicis ab vlcere pulmonum, corpus atrophia contabescet: Alimentum, altricis facultatis est obiectum, quod primo dissimile, caloris ministerio variè coctum & præparatum tandem redditur simile, quia assimilatur, tumque alimentum actu ab Hippocrate nominatur: quandiu est dissimile, impropriè & potentia duntaxat est alimentum, vel proxima vt ros, sanguis, chylus, vel remota, vt panis, caro, vinum: illud quasi nutriens, hoc nutriturum alimentum Hippocrates appellat: nutriuntur partes solidæ & carnosæ alimenti assimilatione. Spirituum indesinens iactura reparatur a ere inspirato: quo sensu scripsit Hippocrates, Animam fieri continenter. Spiritus non propriè dixeris nutriri, quia manere oportet quod nutritur, sed in locum dissipati nouum reponi, quod verius generatio est quàm nutritio. Quæ duę mutationes etiamsi plurimum consentiant, differunt tamen quòd generatione, noua quædam substantia producitur, nutritione, quæ iam existit, conseruatur. C D

DE QVATVOR FACVLTATIBVS QVÆ *ministrant nutrici, ac primum de attractrice.*

CAP. VIII.

TRIBVS causis fit attractio, calore, substantiæ similitudine, aut fuga vacui. Calorem attrahere demonstrant frictiones, exercitatio, emplastra calida, vt dropaces & sinapismi, quibus natiuus calor auctus, attrahit ad partem alimentum; quo modo singulæ partes illud attrahunt. Similitudo substãtiæ est proprietas quædam inexplicabilis formam consequens, qualis in magnete, succino, aut catharticis facilè cernitur, qua quidem causa trahitur à parte alimentum, non promiscuè & indifferenter, sed definitè & cum delectu, amicum scilicet & familiare: necesse est enim nutrientis cum nutrito intercedere similitudinem: Pars ergo calore trahit alimentum, substantiæ similudine trahit hoc alimentum, vt cerebrum pituitosum sanguinem, pulmo biliosum, os melancholicum: hac vi iecur trahit chylum, renes serum, vesicula fel, lien limum: Omne enim trahens eo fine trahit vt fruatur tracto, cystis fruitur felle, ex eoque capit voluptatem propter substantiæ similitudinem: Neque enim verisimile est, quæ natura trahunt propter ipsam trahendi functionem trahere, sed spe alicuius commoditatis trahunt. Postremum trahendi genus fit fuga vacui, cuius vitandi causa corpora naturalia, E

A turalia, vt repleant locum inanem, mouentur præter naturam, leuia deorsum, grauia sursum: hoc trahendi genere cor, arteriæ & pulmo trahunt aërem, temperandi caloris natiui causa; Arteriæ ex venis quibuscum habent per anastomoses commercium, tenuem sanguinis portionem trahunt: Venæ quæ intestinis inseruntur, chyli benignam portionem sugunt. Hoc tractionis genere nullæ partes corporis vtuntur ad sui nutritionem, sed calore tantum & substantiæ similitudine attrahunt: Galenus quartum quoddam genus tractionis videtur posuisse commentario ad eum Aphorismum sexti epidimiωn, carnes ex ventre & partibus externis trahunt. Ibi enim scribit, Rusticos itineris labore & ardoribus solis resiccatos, balneo aquæ dulcis à siti liberari, quia partes resiccatæ magna vi humiditatem trahunt, sic quarto de ratione victus in acutis scribit resiccatas pulmonũ venas ex partibus infernis tenuem bilem attrahere, sed hoc tractionis genus referri potest ad fugam vacui, quia siccitas est B vacuitas humoris, proinde in locum vacuati necessario nouus succedit: Non est prætereundum quasdam partes corporis vt cerebrum, ossa & cartilagines trahere alimentum sine fibris, calore solo & substantiæ similitudine: Alias verò rectarum fibrarum auxilio, ventriculus exempli gratia, nullo voluntario motu, sed naturali, contractis fibris œsophagi ex ore trahit alimentum, tanta violentia interdum, vt vix dum præmansum deglutiatur: deglutio vero non tantum fit rectis fibris quæ sunt in gulæ interiore tunica, sed etiam transuersis, quibus exterior tunica contrahitur, Iis enim contractis alimentum deorsum protruditur.

DE FACVLTATE RETENTRICE.

C

CAP. IX.

Pars non potest frui alimento quod attraxit nisi aliquandiu retineatur, quia omnis actio fit in tempore, idcirco opifex natura vnicuique parti adiunxit retentricem, quæ alimentum tantisper contineat vsque dum fuerit assimilatum, quædam partes, vt dixi, sine fibris, caloris tantum insiti ministerio retinent, vt cerebrum, spinæ medulla, ossa, ligamenta, Aliæ verò retinent fibris obliquis, præsertim partes publicæ, ventriculus, vterus, vesica. Ventriculus enim cibum donec perfectè sit conuersus in chylum tam arctè complectitur, vt nullum spatium inter ventriculi tunicas & cibos intercedat: vterus nouem totis mensibus ita fœtum comprehendit, vt omnino eius D inferius orificium conniueat: venis, quamuis obscura, inest tamen vis retentrix, sanguinem enim continent fibrarum obliquarum ope quibus cõstant: qui alioquin totus rueret in partes inferas. Obscurior est cæteris in partibus retētio alimenti: quia tamen morari oportet, & hærere in parte aliquandiu alimentum vsquequo sit conuersum in substantiam partis, illa necessario in vna quaque parte animo fingenda est. Cæterum retentrix siccitate roboratur, humiditate debilitatur. Hinc aluo sicca, pigra est excretrix: contra, iuuatur humiditate: nam aluus humida, est lubrica & fluida, pueri cum sint humidi, aluo sunt facili, & crebro vomunt, retinendi imbecillitate & excernendi facilitate.

DE COCTRICE.

E

CAP. X.

Nutritionem præcedunt tres coctiones, quibus alimentum præparatur vt in partis nutriendæ substantiam facilius conuertatur, prima coctio fit in ventriculo, à chylifica facultate: est ventriculo congenita vis conuertendi alimentum in chylum, hoc est in substantiam similem cremori: chylifica ista facultas vtitur ministerio caloris, non tantum ipsius ventriculi, sed etiam partium circunstantium, vt hepatis, omenti, vasorum ventriculo subiectorum, puta arteriæ magnæ & venæ. Inest quoque intestinis vis quædam chyli procreatrix, sed imbecilla, vt docetur quarto de vsu partium, quod patet ex alimentarijs clysteribus, quorum materiam intestina conuertunt in chylum, ex quo sanguis in hepate generatur: Aristotel. quarto meteorωn chylosim

comparat elixationi, quia fit à calore humido & vaporoso; cuius sententiam approbat Galenus: Secunda coquendi facultas vulgò sanguifica nominatur, est vis insita iecori per quam chylum in venis mesaraicis præparatum in sanguinem transmutat; sanguinem hîc cum nomino, quatuor humores comprehendo. Tertia vis concoquendi inest singulis partibus, per quam sanguinem attractum, appositum & agglutinatum tandem assimilant, suámque in substantiam conuertunt. Ad assimilatricem pertinet mammarum vis lactifica & testium seminifica, atque si liceat illam minutius diuidere ossifica, venifica. A

DE EXPVLTRICE.

CAP. XI.

NVLLVM est alimentum tam simile nostræ naturæ, quod non habeat aliquid dissimile; hoc, ministerio caloris, cuius est cogere homogenea, & separare heterogenea, facultas excretrix per conuenientes ductus expellit, facultas sanè ad vitam & sanitatem conseruandam maximè necessaria, quia à copia excrementorum innumerabiles morbi contingunt. Estque, cum calore depascente, fatalis interitus causa, ineuitabilis prouentus excrementorum. Quoties igitur vel qualitate, vel quantitate, vel vtroque simul, excrementa incipiunt esse molesta naturæ: illa, excretricis robore amandat, aliquando fibrarum transuersarum ope, aliquando sine fibris. Hæc facultas omnibus quidem partibus congenita est, quibusdam tamen robustior, vt partibus principibus, alijs imbecillior, vt glandulis, articulis & partibus quæ noxam aliquam à natiuitate, aut post natiuitatem acceperunt, propter quam expultricis imbecillitatem, magis sunt morbis obnoxiæ, quemadmodum partes nobiles in his depellendis robustæ iisdem minùs opportunæ. Hac vi intestina siccum excrementum & humores alios ibi congestos, vel aliunde transmissos foras expellunt opera fibrarum transuersarum. In criticis quoque vacuationibus huius facultatis robur manifestè relucet, quas tanto impetu nonnunquam expellit, vt se sistere nequeat: Idémque illi propemodum accidit quod ijs qui per locum decliuem decurrentes, inchoatum cursum cohibere non possunt: simili ferè impetu per vasa deferentia & meatum communem in vterum semen eiaculatur: vesica vrinam excludit. Eadem facultate vterus nouem mensium curriculo completo appetente die natali, magno impetu fœtum foras excludit, fundo ipso ferè ad orificium descendente, ac lateribus vehementer contractis: Propellentis vteri tantus est conatus, vt vinculis quibus alligatur spinæ relaxatis, sæpe procidat, illíque idem accidit quod luctatoribus qui cùm alios prosternere nituntur, ipsi vna concidunt. Porrò non tantùm fœtum & excrementa tam benigna, vt semen, quàm inutilia, vt lotium, natura, vi & robore expultricis propellit, sed etiam alimentum: ea enim facultate ventriculus à se confectum chylum in intestina deponit & vomitu excludit, hepar sanguinem in venas protrudit, quin ipsæ venæ nonnunquam sanguinem in intestina abiiciunt, vnde sequitur dysenteria cruenta, in ijs qui aliqua corporis parte mutili sunt. Sic mulieribus singulis mensibus defluit sanguis: sic cor sanguinem in suo ventriculo contentum, ad pulmones nutriendos per venam arteriosam transmittit: denique expultricis triplex est obiectum, excrementum, fœtus & alimentum.

B

C

D

E

AN SIT FACVLTAS QVÆDAM SECRETRIX à superioribus distincta.

CAP. XII.

FREQVENS est vsus secretricis in operibus naturæ, primùm in generatione, quia partes nostri corporis fieri non possunt, quin earum materia à massa sanguinis secernatur: vt enim ex quolibet ligno non fit Mercurius, ita neque indifferenter ex qualibet materia singula membra conformantur: Pulmones ex tenuiore, ossa ex crassiore, cerebrum ex aquosiore sanguine generantur, quod fieri non potest, sine facultate secretrice, vt docet Auicenna, prima sectione primi canonis, Secundo, cernitur in nutritione, quia

A quia non poteſt trahi alimentum, quòd ſit nutriendæ parti cognatum, quin ſecernatur. Tertio in criſibus morborum, quia enim fiunt primum cocta, deinde vacuata materia morbifica, neceſſe eſt humorem excernendum ſecerni, vt quod vtile eſt retineatur, inutile verò foras eiiciatur: Coquitur, ſecernitur, excernitur. Quarto in medicamentis purgantibus apparet vis ſecretricis, trahunt enim cum delectu, vt rheum bilem, agaricus pituitam: his argumentis motus Auenrois, ſecundo collectionum fretus Auenzoaris authoritate, reprehendit Galenum, quòd ſecretricem præterierit, neque inter facultates naturales numerarit: veruntamen Galeno non fuit ignota, illius enim meminit lib. de differentiis ſymptomatum, vbi ſcribit aurriginem fieri vitio ſecretricis, ſed illam partim tractrice, partim retentrice conprehendit. Quando enim partes amicum & gratum alimentum attrahunt ſubſtantiæ ſimilitu-
B dine, trahendo ſecernunt: quando per criſes natura expellit noxium, vtileque retinet, retentrice ſimul & expultrice criſim abſoluit. Itaque cum poſſit prædictis contineri, iuſtè præterita eſt à Galeno, neque neceſſe eſt addere quintam facultatem quæ miniſtret naturali.

DE AVCTRICE FACVLTATE.

CAP. XIII.

NVTRICEM ſequitur auctrix: eſt naturalis facultas quæ partes ſolidas corporis viuentis, in longum, latum & profundum ſimul extendit ſer-
C uata eadem ſpecie & continuitate: qua definitione excluduntur tres modi accretionis improprij: per additionem, per rarefactionem, & repletionem: Additione creſcit aceruus, creſcit & vinum affuſa aqua: rarefactione creſcit aqua in vaporem reſoluta, quia ex vno pugillo aquæ fiunt decem aeris: repletione creſcit venter hydropicorum, quò pertinet inflatio, cum veſica flatu impletur, aut cum oceanus multo tumet ſpiritu, tum enim mare dicitur creuiſſe: quæ vt euidentiùs pateant, ſingulæ partes definitionis ſunt explicandæ. Cur ſolæ partes ſolidæ definitione continentur? quia ad eas ſolas pertinet vera & naturalis accretio, quæ vbi iuſtam magnitudinem conſequutæ ſunt, corpus ceſſat augeri, quin Galen. lib. de optima corporis conſtitutione videtur ſolis oſſibus tribuere veram rationem incrementi. Ibi enim ſcribit tum ſiſti corporis incrementum, cum oſſa robur & firmamentum adepta ſunt, vnde colligi poteſt ſpirituum & humo-
D rum incrementum, non eſſe propriè accretionem: quinimò ad adipem & partes carnoſas propriè non pertinet accretio, quia toto vitæ tempore, ante & poſt vigorem ætatis, poſſunt creſcere & decreſcere, vt in tabidis, macris, valde obeſis, aut conualeſcentibus quotidiana experientia cerni poteſt. Hoc igitur ſit conſtitutum: corpus accreſcere tantum ſecundum partes ſolidas; quæ tandiu creſcunt quandiu habent multum humidi radicalis, habent autem plurimum vſque ad ætatis vigorem, quo tempore facultas auctrix dominatur, humida enim ſola extendi poſſunt, non ſicca: tum illi miniſtrant nutrix & alteratrix. Inclinante ætate ceſſat ab opere, propter partium ſolidarum ſiccitatem. Cur additur corporis viuentis? quia inanimata, vt metalla & lapides, vt non nutriuntur, ita non creſcunt, niſi per additionem. Sed cur acceſſit definitioni, manente eadem ſpecie? quia quod augetur, in
E aliam rei ſpeciem verti non debet, quod accidit aquæ rarefactæ. Cur additur præterea, ſeruata eadem continuitate? quia cum mammæ multo lacte tument, aut membrum in tumorem attollitur, augetur quidem, ſed impropriè, quia neque manet parti ſua continuitas, neque naturalis craſſities. Denique ſolius eſt naturæ, non artis, ſecundum omnes dimenſiones corpus augere, eius non mutata ſpecie, necnon eiuſdem ſeruata continuitate.

DE ALTERATRICE ET CONFORMATRICE, quæ seruiunt procreatrici. CAP. XIIII. A

MOTVS definitur à Galeno prioris habitus mutatio, diuiditurque in simplicem & compositum. Motus simplices sunt duo, alteratio & delatio, totidem compositi, ortus & accretio. Nam ortus cōstat alteratione & conformatione, accretio mutatione quantitatis & loci. Alteratricem igitur & formatricem includit procreatrix: Aristoteles definit alterationem, mutationem accidentariæ qualitatis: Galenus verò cum Stoicis non tatum aduentitiæ, sed etiam essentialis qualitatis, eámque diuidit in accidentariam vt calidi in frigidum, albi in nigrum mutationem, & specificam, hoc est mutationem ex vna specie in aliam, vt panis in chylum, chyli, in sanguinem, sanguinis in semen vel carnem: quæ B quidem alterationis differētia continentur chylosis, αἱμάτωσις, & ὁμοίωσις: Formatrix informat materiam, nec tantum aduentitiis, sed etiam specificis qualitatibus exornat: Vtráque constat procreatrix: Procreatur enim opus naturæ præparata primum, deinde si fuerit inanimatum, formata, si animatum conformata materia.

DE FACVLTATE VITALI.

CAP. XV.

ANIMA tribus facultatibus nostrum corpus regit, naturali, vitali, & animali: de naturali hactenus, de vitali paucis transigamus. Ea est facultas vitæ cōseruatrix: vita consistit in copula animæ & corporis, vt mors in vtriusque separatione: Animam continet in corpore calor quo præsente vita perdurat, eodem extincto, cessat nulláque postea functione anima sese manifestat. Hinc Aristoteles definit vitam insiti caloris permansionem, verùm spiritus & calor insitus perpetuò dissipantur, proindéque animal non potest diu viuere, nisi subinde nouus in subsidium accedat, propterea à sinistro cordis ventriculo per arterias perpetuo nouus influit, qui congeniti iacturam reparet. Natiuus enim calor similis est flammæ, flammam nisi foueat nouus aër, breui extinguitur: Itaque nisi calor & spiritus aliūdè transmittantur, qui dissipati locum suppleant, citò animal è viuis tollitur. Iam docuimus vbi natura posuit instrumenta facultatis, ibi quoque illius originem primam seu radicale principium posuisse. Atqui præcipua D vitalis facultatis instrumenta sunt calor & spiritus influens, necnon vtriusque deferentes arteriæ, ergo prima facultatis vitalis sedes & origio sita est in sinistro cordis ventriculo, cuius quidem facultatis partes sunt vitam in singulis partibus conseruare, conseruatur calore eóque mediocri, excessu enim & defectu caloris corrumpitur: Atqui duobus modis calore contemperatur, attracto aere frigido, & expulsis fuliginosis excrementis: nam obruitur calor omnis copia, marcessit priuatione aeris, puta si loco aliquo ita concludatur ignis, vt non habeant spiraculum liberum: vtrúmque præstat pulsus, aerem trahit & fuliginem expellit, propterea definitur cordis & arteriarum motus sensibilis ad temperandum calorem natiuum comparatus: cuius duæ sunt partes, systole & diastole, per diastolem aer attrahitur, per systolem fuliginosa excrementa vacuantur, quamuis autem pulsus totus ad vitæ conseruationem referatur, & proficiscatur à facultate virali, differunt tamen quòd pulsus certis E partibus insit, vt cordi, arterijs & cerebro. Solæ enim istæ partes pulsant: Facultas vitalis omnibus peræquè communis est, nulla est quæ illius benigno influxu vel momento carere possit. Notabitur obiter vitam patere latius, quàm facultatem vitalem, quia viuunt plantæ sine facultate virali, solo calore & spiritu fixo conseruantur, non habent opus influente, hinc fit vt plantarum abscissæ partes viuant, non animalium perfectorum.

A *FACVLTAS ANIMALIS PRIMVM DIVIDItur, deinde sentientis & mouentis prima sedes inquiritur.*

CAP. XVI.

Tertia facultas animæ per excellentiam animalis nominatur: cuius tres sunt differentiæ, sentiens, mouens, & princeps: sentiens, exterior, aut interior: sentiendi facultates exteriores sunt quinque, videndi, audiendi, gustandi, odorandi, & tangendi, seu tractabiles qualitates discernendi. Totidem instrumentis distinctæ, oculis, auribus, naribus, lingua, & cute, vt earum actiones totidem obiectis, colore, sono, sapore, odore, & tractabili qualitate. Singuli sensus par-
B ticulares suorum obiectorum species, immaterialésve qualitates tantum percipiunt: (neque enim lapis in oculo est, sed species lapidis) quas vndique velut à conferentia ad centrum, transmittunt ad communem sensum: Ille solus dissimilium obiectorum dissimilitudines cognoscit, vnusquisque enim sensus externus in proprio obiecto totus versatur, visus duntaxat colorum differentias discernit, auditus sonorum: quo differant colores à sonis & saporibus, solus interior seu communis sensus dignoscit. Præterea oculus videt, sed non cognoscit se videre, quia vt est in veteri axiomate, sensus in seipsum reflecti non potest. Hæ duæ causæ Aristotelem impulerunt ad constituendum sensum interiorem. Facultas mouens ea est qua animal de loco ad locum mouetur, vt fugiat nocitura, persequaturque salutaria, quæ etiamsi sit omnibus animalibus communis, tamen animalibus imperfectis obscurius inest, veluti ostreis,
C mitulis, conchilijs, quæ in eodem loco mouentur, dilatando se & constringendo. Aristoteles nonnunquam negat ea moueri, eò quod motu progressiuo non mutant locum instar animalium perfectorum. Principes facultates quarum dominatu homo regitur, sunt tres, imaginandi, recordandi & ratiocinandi: de quibus disseremus, si primum hanc quæstionem mouerimus, An cerebrum sit motus & sensus principium, sanè si nomine cerebri non tantum medullam, sed partes omnes, quibus constat, vt membranas quibus inuoluitur, comprehenderis, nulla erit inter medicos de hoc controuersia, sed Fernelius de proposita quæstione ita statuit, vt medullam, propterea quòd assiduè, vt cor, mouetur non sentit, velit esse principium motus, non sensus: meningas verò, quia exquisitè sentiunt, non mouentur, esse principium sensus, non motus: verisimile enim est quod aliis est causa sensus & motus id ipsum magis sentire, & moueri: veruntamen pro Galeno responderi potest: quod iam an-
D notaui, causas homonymas dare quod non habent. Præterea cerebrum per se, neque sentit neque mouet, sed cùm neruo molli sentit, cum duro mouet. Colores videt per oculum, gustat lingua: nisi malis cerebrum ipsum neque videre, neque audire, sed animam quæ insidet cerebro videre per oculum, audire per aures, mouere & sentire per neruos.

AN TRES FACVLTATES PRINCIPES locis distinguantur. CAP. XVII.

Hvivs quæstionis explicatio videtur necessaria in facienda medicina. Quia plurimum refert cui parti capitis applicetur topicum remedium:
E nam si, vt Aetio placet & Auicennæ ita discluduntur sedibus, vt vis imaginandi sita sit in anteriore parte cerebri: vis recordandi in posteriori, ratiocinandi in medio, Haud dubiè læsa memoria, occipiti, viciata imaginatione, syncipiti: offensa ratiocinatione, vertici externum & particulare remedium admouendum erit: Galenus tamen ad suturam coronalem solet applicare quæcunque actio princeps læsa sit, vt per meatus patentiores vis medicamenti interiora subeat, penetrétque facilius. Tam densum enim est occiput, vt non sit credibile, qualitatem remedij illud peruadere. Agè ergo, quæstionis veritatem rationum pondere subducamus: Si per totam cerebri substantiam diffusæ sint facultates principes, neque hic imaginetur animus, illic recordetur, alibi ratiocinetur, sed promiscuè vbique, in vna eademque particula omnes istas functiones anima exercebit, Atqui diuersorum effectuum diuersæ sunt causæ, vna causa non profert tam diffe-

rentes effectus. Respondeo vnum & idem diuerſo modo affectum diuerſę cauſę rationem habere. Atqui facultas animalis inſita cerebro vtitur caloris, ſpiritus, & temperamenti miniſterio ad edendas ſuas actiones, calor & ſpiritus vtuntur rurſum qualitatibus patientibus, humiditate & ſiccitate tanquam inſtrumentis, nónne vides vt in qualibet parte calor trahit, & expellit, retinet, ſiccitatis & humiditatis opera? vt ergo ſępe accidit vnam iſtarum facultatum naturalium lędi alijs integris, ita nihil vetat quin in eadem cerebri parte vna facultas princeps offendatur, alijs intactis. Fernelius aliter pro doctrina Galeni reſpondet, Quod potentius eſt, tam internis quàm externis morborum cauſis melius reſiſtit, imbecillius facilius ſuccumbit. Atqui fieri poteſt, vt quidam ſit infirma & labili memoria, ratiocinatione vero, vel imaginatione firma & ſolida: fieri ergo poterit, vt illi per delirium memoria pereat, ſaluo iudicio & imaginatione integra. Quod ita eſſe varijs hiſtorijs Galenus demonſtrauit, & nos quotidie in facienda medicina obſeruamus: In pomo diuerſę qualitates inſunt: Odor, ſapor, color, quarum vnam perire, alia incolumi quid vetat? ſaporem retinet, perdit odorem, & contrà.

A
B

AN FACVLTAS MOVENDI ET SENtiendi influant vectore ſpiritu à cerebro per neruos, an per modum irradiationis. CAP. XVII.

FACVLTAS animalis non eſt inſita, tota influit, quo modo placet Galeno ſeptimo de placitis: vt radius ſolis vno & eodem temporis momento totum aerem ſimul illuſtrat, ſic facultatem animalem quocunque voluntas impellit, per neruum ferri in inſtanti. Eſt enim neruus tranſparens, vt vitrum; quamuis igitur facultas ſit accidens, neque poſſit ſine aliquo ſubiecto exiſtere, tamen cum primum influit, cum tranſparente neruo excipiatur vt valdè proprio & accommodato ſubiecto, non videtur opus habere ſpiritũ: nerui perſpicuitatem ſi obturet humor craſſus & caliginoſus impeditur. facultatis tam motricis quàm ſentiẽtis commeatus, non aliter quàm affluxus radij ſolaris interiecta nube opaca inter ſolem & aſpectum noſtrum: mouet igitur & ſentit anima de cerebro neruorum miniſterio per modum irradiationis, hoc eſt facultate per tranſparentem neruum inſtar radij confluente: Verum natura nihil facit fruſtra, ventres autem cerebri pleni ſunt animali ſpiritu, cui gignendo continenter à corde per arterias ſoporarias, noua materia ſuggeritur, ad quem vſum niſi vt ſeruiat animæ ad mouendum & ſentiendum? Præterea quamuis ſolius nerui optici cauitas ſit manifeſta, cęterorum ſenſu imperceptibilis, quia poſt mortem frigore cõprimuntur meatus, tamen aliquis in viuentibus ab anatomicis fingitur, cui bono niſi, vt ſpiritu vectore facultas influat, quã huc illuc ferri momento ad nutum volũtatis, vectore ſpiritu quid vetat, cum ſit ætherius? hoc tantùm obſtare videtur, quòd quoties, & quando volumus manum, pedem, quin totum corpus mouemus. Interim videmus ſimul, audimus, guſtamus: quibus functionibus ſimul obeundis opus eſſet incredibili copia ſpirituum: An idem ſpiritus ſufficit multis impulſionibus cum habeat coctione temperatam & craſſam, proindeque permanentem ſubſtantiam, inſita igitur facultate hic ſpiritus ſentit, ille mouet, videt viſiuus viſiua, auditorius auditoria: quas definitas vires ſinguli accipiunt in proprijs ſenſorijs: confuſæ enim ſunt in cerebro, diſtinguuntur in ſenſiterijs.

C
D
E

AD QVAM FACVLTATEM PERTINEAT reſpiratio. CAP. XVIII.

DE hac quæſtione non conuenit Galeno cum Ariſtotele: nam Ariſtoteles exiſtimat eam ad naturalem facultatem pertinere, quia motus eſt neceſſarius, cuius beneficio ſi vel momento priuetur animal, decedit è viuis, tum quòd dormientes ſine vllo conſenſu voluntatis reſpirent. Accedat fieri inſtrumentis vitalibus, pulmone, thorace, facultatem autem vitalem ad naturalem illius opinione referri; Galenus verò eodem argumento demonſtrat eſſe animalem: Actio, inquit, eſt voluntaria quæ fit muſculorum

A lorum & neruorum ministerio, sunt enim dno prima & præcipua arbitrarij motus instrumenta. Atqui horum instrumenrorum beneficio respiramus, quandoquidem facultas animalis infiuit per neruos à cerebro in musculos intercostales, quibus neruis incisis, vel obstructis, respiratio manifestè læditur, quòd facultas motrix commeatu prohibeatur. Accedat quòd diaphragma, musculus rotundus, sit instrumentum lenis respirationis, quemadmodum intercostales musculi vehementis: internis enim dilatatis inspiramus, quia tum attolluntur pulmones cum thorace, externis contractis expiramus. Appello internos, qui replent costarum interstitia, externos, qui illis incumbunt: Præterea vt est secundo de motu musculorum, vbi ex professo hæc quæstio disputatur, est voluntarius motus quem excitare possis & sedare quando volueris, quinetiam celeriorem, vel tardiorem efficere: Atqui possumus respirare, & non respirare celeriùs vel tardius, cum volumus, vt declarat Ga-
B lenus exemplo serui Barbari, qui retento spiritu semetipsum suffocauit. Auenroes vt conciliet Galenum Aristoteli, existimat respirationem esse motum mixtum ex naturali & animali, similem esse naturali, quòd necessaria sit ad vitam respiratio, fiatque nobis dormientibus sine voluntatis imperio: similem verò esse animali quòd fiat neruorum & musculorum ministerio: quod eam excitare atque sistere possimus, quando volumus. Est quidem libera, non omnino, quia etiam dormientes, quinetiam inuiti expiramus.

DE MORALIBVS ANIMÆ FAcultatibus. CAP. XIX.

C FACVLTATES animæ primùm distinximus in tres Physicas, de quibus adhuc tractauimus, & in totidem ethicas, concupiscibilem, irascibilem & rationalem, de quibus restat, vt paucis disseramus, quia non tantum sunt principia virtutum, aut vitiorum, sed etiam perturbationum, quæ vt plurimum sunt externæ & euidentes causæ morborum. Aristoteles distinguit animum in intellectum, & appetitum, appetitus verò, vel est naturalis, vel animalis: singulæ partes nostri corporis inanitæ, naturaliter appetunt repleri, trahùntque de proximis venis alimentum instar plantarum, ventriculus non tantùm appetit sibi, sed in cõmunem vsum totius corporis, quoties partiũ inanitionem sentit. Eam verò percipit quoties à suis venis inanitis fugitur: Iste sensus communis indigentiæ, inditus est stomacho, in quem propterea è cerebro
D desinunt insignes nerui, quæ causa fortassis mouit Mesuem & Actuarium, vt in ventriculo naturalis facultatis primam sedem reposuerint: Nam Galenus promiscuè naturalem, nutricem & concupiscentem vsurpat. Ibi autem est sedes cupiditatis, proinde naturalis facultatis: Veruntamen vt iecur veri & proprij alimenti, nempe sanguinis principium est, ita nutricis facultatis: ibi igitur τὸ ἐπιθυμητικὸν residere verisimilius est, vnde in testes deriuatur. Est enim ἐπιθυμία, concupiscentia, non tantum cibi & potus, sed etiam veneris appetentia, qui potest moderari gulæ temperans, qui libidini continens appellatur: qui in potu & cibo nullum tenet modum intemperans, qui veneri succumbit incontinens nominatur. Libido & amor animæ concupiscibilis sunt παθήματα, tantarum sæpe virium, vt alioquin sapientem, mente & consilio priuent. Sequitur irascibilis: cuius materia
E etiamsi in corde sedem habeat, nempe feruor sanguinis & spirituum, formalis tamen causa, nempe appetitus vindictæ, videtur à cerebro proficisci, quia appetitur vindicta propter opinionem illatæ iniuriæ, quod est opus phantasiæ, aut rationis. Animosa enim facultas ab opinione iniuriæ commouetur, quantique iniuriam quis existimarit, tantum vis irascendi concitabitur. Eam ob rem mulieres sunt iracundiores quàm viri, & appetentiores vindictæ, propter inopiam consilij & rationis, non quòd sint calidiores, & illis citius ferueat sanguis. Ad hanc facultatem pertinent alia multa animæ pathemata quæ nascuntur ex opinione boni vel mali præsentis, aut futuri. Ex eo quod bonum præsens æstimatur, lætitia & inuidia. Ex bono sperato, ambitio, potentiæ & honoris appetitus, ex opinione mali præsentis, misericordia & tristitia: ex opinione mali futuri timor, pauor, desperatio, quibus tumultuarijs & turbidis animæ motibus, alij leuius, alij grauius afficiuntur,

prout anima obiectum bonum, aut malum, leuius aut grauius apprehendit: hinc fit, A
cùm pauci res cum iudicio & ratione quales sunt æstiment, plurimi sola regantur opinione, vt multi leuissima occasione magnoperè perturbentur: quidam celerius, alij tardius, quidam leuius, alij vehementiùs: quæquidem manifestè conuincunt animosæ facultatis παθήματα, materialiter fieri in corde, formaliter in cerebro: Fiunt, inquit, Auenroes secundo collect. omnia à vi cognoscente. Propterea Galenus octauo de placitis irascibilem facultatem adiungit rationali, non sentienti.

VT FACVLTATES MVTVIS STENT auxilijs, omnésque ad conseruationem totius conspirent.

CAP. XX.

B

PHYSICÆ facultates tribus partibus principibus insident, in quibus ita quæque suum opus perficit, vt ad hoc non egeat alterius auxilio, Iecori quæ inest alendi facultas, caloris & spiritus insiti, necnon temperamenti opera, ex chylo sanguinem facit, cum sanguine naturalem spiritum. Cor vitali facultate iisdem adiutum præsidijs, ex naturali, spiritum vitalem efficit. Cerebrum ex vitali animalem, non aliundè quæsitis auxilijs: nullam cogitur ad confectionem sui operis, aut ad eiusdem distributionem, alterius precariam opem implorare, sed ad conseruationem vitæ omnes facultates ita conspirant, vt vna alterius ope destituta concidat. Potest quidem vni parti facultas eripi, alijs integris, quia diuersis instrumentis opus absoluitur, potest inopia alimenti membrum tabescere, cum nihilominus viuat, sentiat, & moueatur, quia solus ductus venarum C
impeditur, vicissimque potest membrum aliquod perbellè nutriri, nihilominus resolui, sensu & motu priuari, quia soli nerui patiuntur. At non potest vna facultas toti eripi planeque aboleri, quin cæteras trahat in societatem ruinæ. Faciamus non leuiter naturam lædi in suo fonte, totum corpus ἀτροφία, contabescet, quin cor & cerebrum alimento destituta macrescent, Sanguinem & spiritum naturalem, nisi cor à iecore accipiat, inanis erit facultas vitalis, neque poterit vitalem spiritum generare, quemadmodum neque cerebrum animalem, nisi materiam à corde accipiat: finge animalis facultatis beneficium omnino eripi, vt accidit apoplexia forti, sublata respiratione, mox vitam eripi necesse est, quia facultas vitalis animali carere non potest. At facultas vitalis, caloris & spiritus influxu, singulis partibus vitam conseruat. Proinde si lædatur in suo fonte, istoque viuifico influxu totum corpus priuetur, re- D
pentè vires omnes concident. Omnium igitur facultatum tantus est consensus, tanta ad seruandam vitam vnio & conspiratio, vt vni grauitet offensæ cæteræ compatiantur. Ea tamen consequutione vt quæ vicinior & similior est, citiùs & grauius patiatur: naturali priùs condolet vitalis, quàm animalis, vitali prius animalis, quàm naturalis, hæc vt origine est prima, ita omnium abiectissima: animalis vt est ortu postrema, ita perfectissima, quia natura ab imperfectis procedit ad perfecta, primùm viuimus vita plantæ, deinde animalis, postremò hominis: hæc vita vt est postrema origine, ita prima perfectione: de facultatum enim, vt de artium ordine & dignitate statuendum est. Artes sunt effectiuæ, practicæ, aut contemplatrices, effectiuæ cum sint ad vitam imprimis necessariæ, ante cæteras inuentæ sunt, quas abiectissimas esse non est dubium. Secutæ sunt deinde morales disciplinæ, vt ratio familiæ, E
necnon ciuitatis regendæ: atque etiam sui ipsius institutio: quæ valdè sunt vtiles ad vitæ societatem, non omnino necessariæ: Contemplatrices sunt pulchræ quidem & honestæ, minimè omnium necessariæ. Proinde postremò excogitatæ, omnium tamen præstantissimæ.

A

PHYSIOLOGIAE SECTIO SEPTIMA.

DE FVNCTIONIBVS ANIMÆ QVÆ *præcedunt nutritionem, appetitu, triplici coctione, appositione, agglutinatione, assimilatione.* CAP. I.

B VT ANIMA facultatum, ita facultates functionum sunt proxima principia. Proinde quot sunt facultatum, totidem sunt functionum primæ differentiæ: Naturales scilicet, vitales, aut animales. Actiones naturæ sunt nutrire, augere & procreare simile: De quibus eodem ordine differemus à nutritione ducto initio, quæ à Galeno definitur repletio vacuati. Ideo enim nutrimur vt quod vacuatum est, & à natiuo calore dissipatum reparetur. Definitur quoque conuersio alimenti in substantiam partis nutritæ: Alimentum enim primò dissimile varijs coctionibus præparatum, tandem assimilatur parti: eo ordine vt primum appetatur, deinde coquatur, postremò vniatur: Appetitus calidi & sicci, fames, frigidi & humidi sitis appellatur. Appetitus naturalis præcedit animalem, quia partes aeri proximæ exinanitę, dum repleri cupiunt, de venis proximis alimentum familiare trahunt, perseuerátque trahendi C impetus, donec ad ipsum ventriculum peruenerit, qui dum à venis mesaraicis sentit se sugi, tum appetitus animalis excitatur, orificij superioris ventriculi proprius. Neque enim vlla pars nostri corporis sensum habet eius quod deficit, sed omnes stirpium more appetunt & nutriuntur, vt copiosè explicat Galenus quarto de vsu partium: scribit tamen libello de substantia facultatum naturalium, Platonem plantas animalia appellasse, propter sensum quendam naturalem, quo quæ iucunda sunt persequuntur & auersantur contraria, sed iste sensus idem est cum appetitu naturali: Animalem appetentiam sola qualitas alimenti satiat, naturalem sola substantia: Non enim quiescit nisi adepto fine: finis verò nutritio: Præter appetitum, triplex coctio præcedit nutritionem: prima, esculenta, & potulenta conuertuntur in chylum ventriculi chylifica facultate adiuta calore circunstan-D tium partium: Secunda, chylus mutatur in sanguinem, insita iecori proprietate sanguifica. Tertia, sanguis mutatur in gluten, eáque fit in singulis partibus ab assimilatrice faculrate, propterea nomine quidem generali, sed certa prærogatiua, assimilatio nuncupatur: Vnaquæque enim coctio, assimilatio dici potest; quia omne agens conatur sibi assimilare patiens: Assimilationem immediatè sequitur nutritio, id est alimenti assimilati vnio. Itaque opus chylosεως chylus, αἱματώσεως sanguis, ἑμοιώσεως gluten, vt autem singulis coctionibus nutritioni præparatur alimentum, ita singulas coctiones certa præparatio antecedit: A dentibus enim anterioribus duriusculum alimentum inciditur, deinde à molaribus atteritur, postea saliua perfunditur: vt mollescat, non tantum vt deglutiatur, sed etiam vt coquatur facilius: Mollia enim & diuisa minus resistunt coquenti calori quàm solida & dura: E In venis mesenterij chylus pręparatur iecori, ibi enim videtur cum rubore, inchoati sanguinis argumentum: In venis tam magnis quàm paruis ad assimilationem pręparatur. Nam venis inesse vim perficiendi sanguinem hoc demonstrat, quod per longam inediam pituitam dulcem in sanguinem conuertant, quamquam vim sanguificam, si quam habent, non habent à se, sed à iecore vt explicat Galenus quarto de vsu partium, sanguis conseruatur in venis, vt locatum in suo loco, quandoquidem extra venas, mox corrumpitur: Cęterum nutritionem pręcedunt appositio, aglutinatio & assimilatio, quia priusquàm alimentum actu nutriat, apponi debet parti nutriendæ, postea agglutinari, tandem assimilari: si quid horum desit manca & vitiosa erit nutritio, vt explicat Galenus primo de facultatibus naturalibus, exempli gratia, sub Anasarca totum corpus est ἐυχύμιον, pessiméque nutritur, quia sanguis quidem apponitur, sed non agglutinatur: Cur non? dices,

propterea quòd refrigeratum iecur nihil facit præter ſerum, ex quo, ſingularum partium vi aſſimilatrice, fieri non poteſt gluten, quandoquidem inſigne vitium antecedentis coctionis conſequens non poteſt emendare, vt explicat Galenus quarto De ſanitate tuenda. Sub leuce ſeu lepra alba, apponitur ſanguis & agglutinatur, ſed non aſſimilatur, non enim facit carnem rubram, ſed qualem cancrorum, quia totus ſanguis eſt pituitoſus, inciſa carne, non alius humor effluit, quàm mucus, ſimilis ſaliuæ limacum. A

TRIPLICIS COCTIONIS MODVS.

CAP. II.

PRÆMANSVM & deglutitum alimentum petit fundum ventriculi, vbi debet quieſcere, non natare, & fluitare, vt vndique comprehendatur: tam arctè verò comprimitur à ventriculo, vt nullum inane ſpatium relinquatur donec conuerſum ſit in chylum, alioquin vel exiret incoctum, vel fluctuantis humoris ſonitus velut ex vacuo audiretur, ipſeque ventriculus grauaretur toto illo tempore quo à vaporoſo calore circunſtante alimentum elixatur. Pylorus, ventriculi inferius orificium interim clauditur: Chylo perfectò ſatiatur primùm, expletúrque ventriculus, mox eum per apertum pylorum velut onus in inteſtina deponit, vnde paulatim à iecore per venas meſenterij, quæ eò deſinunt, exugitur: fæcibus relictis, quæ in ſentinam deturbantur. Benignum hunc ſuccum venæ meſaraicæ præparant iecoti, præparatum, & per ſuas capillares venas diffuſum carne ſua conuertit in ſanguinem, vt in hiſtoria hepatis demonſtrat Galenus quarto de vſu partium: deinde per venas toti corpori diſtribuit, non aliter quàm hortulanus irriguam aquam per tubos diſpergit: ἀνάδοσις fit partim expultricis, partim attractricis robore, poſtquam enim iecur à ſe confecto ſanguine expletum eſt, reliquum velut excrementum amandat (nil enim vetat quòd vni eſt excrementum, aliis eſſe alimentum) ſingulæ enim partes portionem naturæ ſuæ congenerem alliciunt, adiuuant diſtributionem ſpiritus, calor, & ſerum, quo ſanguis diluitur. Eraſiſtratus exiſtimabat diſtribui ſanguinem per compreſſionem venarum: Quibuſdam placet non trahi, ſed potiùs ſponte moueri ad partem vt ad perfectionem ſuam, fit enim ex mortuo viuens, cùm primum incipit actu nutrire: Diſtribuitur autem ſanguis defœcatus & inquinamentis omnibus, felle, limo, & ſero repurgatus, ſic attrahitur, & attractus affigitur parti. Appoſitio enim eſt finis tractionis, deinde retinetur: retentionis autem finis eſt agglutinatio. Ad extremum aſſimilatur vt nutriat, fiatq; vnũ cum parte nutrienda, qui eſt non tantum aſſimilationis, ſed etiam antecedentium omnium mutationum extremus finis. Portò cùm apud Hippocratem triplex ſit differentia alimenti, nutriturum, quaſi nutriens, & actu nutriens. Hoc ſolum verè & propriè eſt alimentum de quo Theorema medicum intelligitur, omne alimentum eſſe calidum & humidum, nec obeſt quod ſcribitur tertio de temperamentis, omne alimentum augere calidum innatum. Quamuis enim ſit temperamento frigidum: multiplici tamen coctione redditur calidum, niſi mauis, omne alimentum, etiam frigidum, vt lactucam, ſemper augere ſubſtantiam & quantitatem calidi innati, non ſemper augere qualitatem.

B

C

D

DE ACCRETIONE. E

CAP. III.

VNICVIQVE rerum generi præſcripta eſt à natura certa magnitudo quam viuentia in ætatis vigore conſequuntur. Omne enim corpus Phyſicum eſſe finitum, & finiti partes omnes eſſe finitas, tam numero quàm magnitudine, Ariſtoteles in Phyſicis demonſtrauit: Alimenti ſubſtantia corpus nutritur, eiuſdem quantitate à facultate auctrice quoquouerſum producta, augetur: nutritur alimento tali, augetur tanto. Ad hoc requiritur multum humidum radicale, cuius quandiu ſuppetit copia, partes ſolidæ facilè extendi & dilatari poſſunt: Scribit Galenus libro de optima conſtitutione:

A stitutione: corporis humiditatem omnibus alijs animæ functionibus nocere præterquam nutritioni & accretioni, hinc pueri lacte & humidis alimentis enutriti, iustum capiunt incrementum: Siccis verò impeditur naturalis accretio: hinc mulieres quæ in vtero tardius conformantur quàm mares propter caloris impotentiam, vbi in lucem prodierunt, citiùs crescunt propter humiditatem & mollitudinem corporis, qua masculos superant, vt scribit Hippocrates sexto ἐπιδημιῶν: hinc mare longè proceriora animalia profert quàm terra per se arida, proinde sterilis & infœcunda, nisi imbre vitali perfundatur. Galenus primo De facultatibus naturalibus scribit accretionem esse motum compositum ex alteratione, & loci mutatione, quia quod augetur, primum alterari, vtpote nutriri debet, deinde amplificari. Quod autem accrevit, spatium maius requirit, quo contineatur vt locus æqualis sit locato: Alij ita hoc interpretantur: accretionem sequi nutritionem, nutritionem autem non fieri
B nisi alteratum alimentum distribuatur, distribui autem non potest sine mutatione loci: Dignum est quæstione quid sit apud Aristotelem, augeri res secundum formam, non secundùm materiam: nam accretio est motus quantitatis, quantitas verò sequitur materiam non formam. Respondetur eodem authore, vnumquodque accrescere secundùm id quod manet, quia manete opórtet id quod nutritur, & quod augetur. Atqui res manent secundùm speciem, non secundùm materiam. Hæc enim in continuo est fluore, manent os & caro, talia autem sunt per suam formam, quamuis eorum materia assiduè fluat: Ergo secundùm formam fit accretio, non secundùm materiam. Illustrat hoc Aristoteles aquæ maris similitudine, quæ concursu fluuiorum augetur, materia continenter fluente. Vix enim aqua eadem numero manet vnico momento, manet tamen aqua secundùm speciem: Igitur mare
C accrescit secundùm formam, non secundùm materiam, quò pertinet sententia Heracliti, qui negabat quidquam sciri posse, quia nihil esset constans in vniuerso, sed instar labentis aquæ omnia fluere, adeo vt nihil idem bis videri posset. Addidit Cratilus eius auditor, ne semel quidem, idem videri posse, quia eo ipso momento quo aspicitur, immutatur. Aristoteles in metaphysicis respondet secundùm materiam aut materiæ qualitates vnumquodque assiduè immutari, secundùm speciem idem permanere. Quæritur præterea si accretio sit actio vel passio. Distinguendum si spectetur prout manat à facultate auctrice, est actio. Si verò vt in corpore quod crescit recipitur, tum passio appellatur: Non est prætereundum accretionem esse naturalem: decretionem verò præter naturam: ita enim Aristot. sexto capite secundi de Cœlo, Omnis imbecillitas corporis præter naturam est, cuiusmodi sunt senectus,
D & decrementum quod in partibus solidis, vt ossibus & ligamentis, non cernitur, sed in carne paulatim siccescente atque tabescente: non est tamen dubium ætate inclinante cor & iecur in sua substantia magnam quoque pati iacturam. Cutis ita senio exarescit, vt instar cribri, aut ruinosi ædificij, post mortem plena rimarum videatur. Vt ergo corporis augmentum sequitur copiam humidi radicalis, ita decrementum eiusdem inopiam: ætas consistens media est inter augmentum & decrementum.

GENERALES MODI, EFFICIENTES *causæ generationis viuentium.*

E
CAP. IIII.

PROCREATIONIS modi propemodum sunt infiniti, qui tamen tribus primis differentijs comprehendi possunt, nam aut viuentia omnia, stirpes, belluæ, homines sponte nascuntur, vt plantæ quæ sine cultu & semine de terra erumpunt, iniussa virescunt gramina: Infinita quoque animalcula de rebus putridis excitantur, vt apes ex tauro, scarabæi ex asino, vespæ ex equo, pulices, & pediculi ex sudore, cimices, vermes ex pedore. Alia nascuntur ex semine, vt hortenses & satinæ plantæ, necnon animalia perfecta, quę maris & fœminę congressu generantur, alia & sponte & coitu nascuntur, vt mures, qui lambendo salem, sine coitu concipiunt, vt plurimùm tamen congrediuntur. Physici magna contentione perquirunt genitricem causam animalculorum, quæ sine semine nascuntur: Platonicis

qui fingunt animam mundi diffusam per vniuersum, facile est opificem causam assignare: Illa enim vbique est fœcunda, scitum est illud Heracliti, nullum esse angulum mundi destitutum numine, illic enim Deus est vbi operatur, in sterquilinijs etiam generat: Auicenna hanc vim formarum dispensatricem Arabicè Colcodean appellabat, quam Latini naturam naturantem nuncuparunt. φύσις enim dicitur à φύω genero, ac si nihil sit aliud natura primo & generali significato, quàm vis quædam diuina sublunarium omnium opifex dispersa per vniuersum. Materiarij Physici πανσπερμίαν, hoc est naturalium omnium formarum seminarium, in sinu materiæ collocabant, omnesque formas physicas inde emergere existimabant: Sed Albertus Magnus ex Aristotelis doctrina demonstrat primum formarum omnium sublunarium seminarium collocandum esse in sole, cuius motricem intelligentiam veteres Iouem à iuuando nuncuparunt, quia singulorum perenni generatione conseruat mundum: Siquidem species sunt primæ partes mundi, quæ indesinenti indiuiduorum successione perdurāt, Alij calorem putrem putridorum animalium opificem esse cōtendunt, quia sit calidus humidus: A calido autem & humido omnis generatio: hinc veteres σήψιν pro πέψιν, putredinem pro coctione vsurpabant, vt est quarto meteorum: triticum, aut aliud quoduis semen quod terræ mandatur, putrere prius oportet, quàm simile prodncat: experimento constat, quòd si putris caseus exponatur lunæ, verminabit, totusq; fere in vermes abibit, quia, inquit Athenæus, luna plena suo tēpore putrefacit, ex putredine vermes, quia putredo à calore humido. Arist. placet in cadaueribus perfectorum animalium, quinetiam in eorum excrementis, occulta permanere caloris antecedentis vestigia, cuius partes cùm sint generare & genitum seruare, ne orietur, vt est solito imbecilior, ita imperfectiora animalia producit, cuius quidem quæstionis fusiorem explicationem Physicis relinquo, quorum est omnis ortus primas & generales causas exponere. Medicus intra fines sui subiecti consistat, contentus, vt homo procreetur explicare.

AN MVLIER CVM MENSTRVO contribuat semen ad hominis procreationem.

CAP. V.

ORTVS nostri duo sunt sensibilia & coniuncta principia, semen, & menstruum: hoc vt materia, illud vt efficiens: mulier confert materiam, vir efficiens: nam ab Aristorele mulier comparatur viro, vt materia formæ. Diciturq; appetere marem vt materia formam, turpitudo pulchritudinem, imperfectum perfectionem. An non illa præter sanguinem semen etiam contribuit? Negat Aristoteles primo de ortu animalium: tamen cùm habeat testes, natura autem nihil faciat frustrà; cumque sæpenumero à retento semine suffocetur: quo excreto, mox ab histerica passione resurgat: non dubium quin emittat semen, verùm fortassis quod comparatum virili, habeat rationem materiæ: sic enim manebit vera sententia Aristotelis, mulieres ad procreationem, solam materiam conferre, vt explicat Galenus in libris de semine. Sed huic quoque excusationi repugnat Hippocrates libro de Genitura. Scribit enim, nonnunquam contingere, vt à muliere masculum semen emittatur, à viro fœmininum, quia fieri potest, vt quædam mulier, quodam viro sit calidior. Cùm ergo mulier contribuat semen, cur sine viro non concipit? An quod à semine, prima & rudia lineamenta totius operis ducuntur, delineationi autem tanti operis, alterutrius parentis semen, non est satis, sed vtriusque concursus desideratur? An quod mulieres, quibus semen est masculum, sunt præcalidę, vt viragines: tales autem non concipiunt, quia paucum habent, aut nullum menstruum. Nam vt figulus absque argilla operari non potest: Ita neque semen procreare sine sufficiente copia sanguinis. An semen ipsum, materiam, & formam continet? Nam excrementum spumosum, materia est partium solidarum, quæ inde spermaticæ nominantur, spiritus verò conformator, est opifex, vtiturque spuma & menstruo, vt figulus figlino: Hoc ad partium carnosarum, illa ad spermaticarum generationem. Atqui à solo viro, genitor spiritus dimanat: qui solus cùm propriè dicatur semen, reliquum materia seminis:

A cur non licebit, hoc modo sententiam Aristotelis interpretari? quòd solus vir emittat semen: hoc est genitorem spiritum, cui insita est vis procreandi? Neque enim consentaneum est, duos spiritus concurrere ad operis vnius fabricam: duas facultates conformatrices, duas animas. Quòd autem vis procreandi, insita sit spiritui à quo materia seminis (nempe testium proprietate dealbatus sanguis) in spumam vertitur: declarat illa definitio seminis, cuius Laertius perhibet authorem Zenonem. Semen est spiritus calidus semetipsum mouens, potens generare simile: notandum tamen ab Aristotele primo de ortu animalium semen distingui à genitura, duobus modis: Primò, quòd semen sit ens completum, vt hordeum, triticum, & cætera: genitura ens incompletum, & potentia tantùm ens. Secundò, quòd semen propriè sit plantarum, & animalium imperfectorum: genitura animalium perfectorum,
B quæ sexu distinguntur. Id enim generationis principium, quod mas in vterum immittit, Aristoteles appellat genituram, sed medici vtrumque nomen promiscuè vsurpant: obseruat tamen Galenus, primò de semine, sex primis diebus gestationis, quod conceptum est vtero, ab Hippocrate nondum appellari fœtum, sed genituram, quo tempore, non videtur semen posse nuncupari: cum iam appareant principum partium lineamenta, vt Hippocrates psaltriæ exemplo eo libro declarat.

DE TESTIBVS, ET VASIS SPERMATICIS, VTQVE partes principes ad hominis constitutionem aliquid contribuant.

C

CAP. VI.

TESTES sanguineam seminis materiam, de vena caua sibi primùm trahunt in alimentum, quod habent cum cæteris partibus commune: quod redundat iam præparatum in vasis spermaticis ea vi & proprietate conuertunt in semen, qua ossa sanguinem vertunt in medullam, aut glandulæ mammarum eundem in lac commutant. Testes mammæq; magnæ glandulæ, tertio de alimentis, à Galeno perhibentur. Confectum semen, natura velut onus & excrementum excludit: necessarium quidem excrementum ad conseruationem speciei, non indiuidui. An testes, ad suscipiendam prolem sunt necessarij? distinguo, si hoc in genere, & indefinitè quæratur, non videntur necessarij: quia serpentes, pisces, & multa animalia perfecta generant absque testibus:
D nisi fortè habeant aliquid illis analogum. Si verò definitiùs, & in specie, quæratur an sint ad hominis procreationem necessarij: tantum abest, vt in medicorum schola, quæstio quicquam habeat controuersiæ: cùm testes, ob vim seminificam, & procreatricem, inter partes principes doctiorum consensu referantur. Non sunt quidem omnino, sed secundùm quid, necessarij ad conseruationem indiuidui, quandoquidem isto fonte caloris priuati, in muliebrem naturam degenerant: sed ad conseruationem speciei absolutè sunt necessarij. Quid adferunt vtilitatis ad vitam, dicet aliquis? respondeo partibus omnibus spermaticis à testiculis influere vim quandam seminificam per quam alimentarium sanguinem prius commutant in semen, quàm eo nutriantur. Inde fit vt qui testes habent frigidos, frigido quoque sint corporis habitu, imbecilli, & morbis obnoxij. Cùm enim solidæ partes sint basis, & fundamen-
E tum totius corporis, eæ autem malè nutriantur: necesse est, totum corpus infirmum esse: & morbis obnoxium. Faciunt ergo testes non vt viuamus, quemadmodum tres partes principes, sed vt melius & commodiùs viuamus. Vasa spermatica sunt duę venæ, & totidem arteriæ; vtrinq; vna, dextra spermatica nascitur à trunco venæ cauæ descendentis, vt testes materiam seminis hauriant de fonte: Sinistra ab emulgente, vnde serum quod permixtum semini, excitat in pudendis pruritum. Arteria sinistra spermatica, oritur de trunco magnæ arteriæ descēdentis, vnde multus spiritus vitalis influit à corde, omnes tam venæ quàm arterię, in viris dico, non in mulieribus, in propriam tunicam testiculorum absumuntur. Sunt autem quatuor, scrotum, duæ communes, & quæ illi subest δάρτος, totidem propriæ, ἐρυθροειδὴς, sic dicta quòd à vasis, & à gracili musculo testium rubescat, tum quæ illi subijcitur ἐπιδιδυμὶς, inuolucrum proprium & immediatum testis. Quæritur cùm vasa spermatica non perueniant vsque

ad ſubſtantiam teſtium, ſed abſumantur in propriam tunicam, Actio autem Phyſica A
fiat per contactum, qui fieri poſſit, vt ſemen conficiant: An inſitæ facultatis irradiatione efficiunt ſemen ptolificum? tanguntque Phyſicè, id eſt vi, & qualitate ſua, vt magnes ferrum, non quantitate? An humor pinguis tunicas permeat, non aliter quàm oleum veſtes? an potius epididymi inſerunditur quidem vaſa, ſed multi ex his ramuli ad ſubſtantiam teſtium feruntur, per quos illi ſugunt materiam ſeminis? Prætereà in glandē deſinunt duo neruuli eximij ſenſus, à quibus titillationis ſenſus: neruus cauus impletur multo ſpiritu, vnde tentigo: qualitate igitur, non tātùm quantitate, ſemen naturam ſtimulat ad excretionem. Cur mulieres, cùm ſint frigidiores viris ſunt ſalaciores, & appetētiores veneris? quia ſemen habent ſeroſius, à ſeri autem acrimonia, pudendorum pruritus, à quo veluti œſtro percita cætera animantia ſtato tempore in furias ignemq; ruunt, furot omnibus idem, ſola mulier, non habet congrediendi ſtatum tempus: ſed omni tempore admittit marem. Ex his colligi poteſt, B
vt partes principes, cor per arterias ſpermaticas: Iecur pet venas, cerebrum per neruos contribuant aliquid ad hominis generationem.

DE CONCEPTIONE ET ILLIVS *antecedentibus.* CAP. VII.

VT conceptionem ſequuntur fœtus conformatio, conformati motus in vtero, deinde partus: ſic eandem præcedunt, penis arrectio; intromiſſio, & ſeminis eiaculatio. Quemadmodum enim natura hominum genus diſtinxit ſexu, ita generationis inſtrumentis, vt fœmina generet in ſe, non in alio: C
mas in alio, non in ſe. Arrigunt multi, non intromittunt: quia mox flacceſcit penis: quidam arrigunt ſimul & intromittunt, non eiaculantur, expultricis imbecillitate aut ſpirituum inopia: quotum opera, omnes impetus & vehementes motus ciet natura. Quibuſdam lachrymante veluti pudendo ſemen effluit. An in vteri capacitatem vſq; elidítur? non videtur Oribaſio, illi enim placet ad internum os vteri, vtriuſque parentis ſemen conſiſtere: ibiq; commiſceri & commixtum, veluti ſuaue pabulum attrahi: quod ſi retineatur Hipp. ſententia, mulier, dicetur concepiſſe. Eſt enim conceptio, ſeminis retentio, ita enim ille, lib. de genitura, ſi mulier ſit perita partus, & ſciat quod genitura permāſerit, ſciet diem conceptionis. Verùm quia ſępe ad tempus ſemen retinetur, quod deinde effluit: Auicennæ & Fernelio placet conceptionem non eſſe ſimpliciter retentionem ſeminis, ſed retenti promotionem ad actum. Neq; enim vterus duntaxat inſtar terræ cui mandatum eſt ſemen, alimentum ſuggerit virili ſemini, ſeruit enim nutrix facultas conformatrici toto tempore conformationis, ſuggerit illi materiam ad ſingularum partium conformationem & incrementum. Sed præterea calore ſuo illud fouet & conſeruat, vimq; prolificam excitat, & in actum deducit: Vt retineatur fœcundum ſemen, miraberis, quàm arctè claudatur vterus, Graphij mucronem vix intromittas, inquit Hippocrates. Quo igitur modo poteſt mulier ſuperfœtare, dices? Id eſt, iam grauida, nouum ſemen ſuſcipere? teſpondeo imprimis, ſuperfœtationem multis quidem animalibus, vt leporibus, & cuniculis eſſe familiarē: in hominum ſpecie, eſſe de numero eorum quę raro contingunt: ſi tamen contingat, vel dicendum eſt cum Hipp. os vteri, non fuiſſe exactè clauſum poſt primam conceptionem: vel inſtar oſtreorum, dehiſcere ad tempus vt admittat nouum, vel vtriuſque parentis commixta ſemina quæ in orificio interiore E
conſiſtunt, exugi. Porrò non eſt ſimile prodigio, quod autores melioris notæ in hiſtoriam retulerunt, quaſdam mulieres mutatas fuiſſe in viros: præſertim geniali die, quo tempore auctus calor quę latebant virilia foras extulit. Mulier enim ſi non eadem, ſaltem habet nobis analoga generationis omnia inſtrumenta: nam vterus reſpondet ſcroto, teſtes teſtibus, colum vteri peni, muliebre pudendum, præputio: niſi quod viri, pendulos habent teſtes eoſq; maiores, quos fœminæ reconditos gerunt. Viri extrorſum emittunt ſemen, mulieres introrſum.

AN

A AN PARTES PRINCIPES SIMVL *conformentur.* CAP. VII.

TANTA necessitudine & societate partes nostri corporis coniunctæ
sunt, vt sit clypeus Mineruæ, si quid adijcias aut detrahas vniuersum
ruiturum sit opificium. Neque enim iecur sine ventriculo conficit ali-
mentum: neque cor sine pulmone vitalem spiritum. Omnes conspi-
rant in vnum: nec potest vna alterius auxilio carere. Si pes aut ma-
nus ventri suam operam denegarent: breui periret homo alimento destitutus. Quo
argumento, quidam contendunt simul partes omnes conformari: quarum omnium
B vsus, ad vitam sit necessarius. Verum partes quædam sunt necessitatis, sine quibus
viuere non possumus, cuiusmodi sunt principes, aliæ duntaxat commoditatis vt te-
stes: aliæ tantùm datæ ad ornatum, vt pili: Proinde, falsò nituntur fundamento,
omnes scilicet necessarias esse ad vitam, vt concludant simul conformari. Præterea
iam in lucem editis quædam partes sunt necessariæ, vt ventriculus, pulmo; quæ
contentis vtero sunt inutiles. Neque enim tum pulmonis beneficio fœtus respirat:
sed per arterias vmbilicales quæ illius cordi inseruntur ducit spiritum à matre ad re-
frigerationem: Inutilis quoque toto illo tempore ventriculus, quia fœtus non capit
ore alimentum, sed ab vtero matris per venam vmbilicalem, quæ implantatur iecori
sugit sanguinem instar plantę. Renum & vesicę non est maior necessitas, quia per ou-
racum vrina deponitur, in allantoidem, vt sudor in amnium. Ouracus à vesicæ
C fundo in partem allantoidis capaciorem inseritur, vbi vrina effunditur. Quidni per
vesicam meijt fœtus? ne circunfusa vrina cum acrimonia sua exulceret. Constat igi-
tur non omnes partes esse ad vsum vitæ necessarias: proindeque non omnes simul
conformari, sed neque trium partium principum videtur par & æqualis ad vitam
necessitas. Nam cùm fœtus primùm viuat vita plantæ, deinde animalis, vt primo ge-
stationis tempore, non habet opus animali facultate: Ita neq; cerebro. Reliquum
est vt eodem fundamento, perquiramus si cor ante iecur conformetur. Hoc enim
solùm inter medicos controuertitur: Arist. videtur cordis maior necessitas; quia sit
primum viuens & vltimum moriens, vitalem spiritum & calorem toti corpori im-
pertiens, sine quo iecur sanguinem conficere non potest. Arist. fauet Auicenna. Gal.
verò cum Hipp. existimat iecur primùm conformari: quia homo primùm viuit vita
plantæ, quæ non eget calore à vita influente. Addit, cor spiritus & caloris influentis
D materiam accipere à iecore: quia distribuit cordi cum sanguine spiritum naturalem,
ex quo fit vitalis. Medici hanc dissensionem sic componunt: Partes principes simul
inchoari, sed non simul perfici: Simul inchoari demonstrant ex Hippocrate, libro
de genitura. Psaltria enim, quæ illius consilio, in terram insilijt, excussit geuituram
sex dierum, in qua tres bullę trium partium principum rudimenta apparebant: non
simul perfici, sed iecur primò, deinde cor, postremò cerebrum, non tantùm ex hoc
demonstrant quòd primis diebus hepatis maior sit necessitas ad vitam quàm cordis:
Aut ex eo quòd ordo perficiendarum partium sequatur ordinem facultatum: Atqui
naturalis origine est prior vitali, vt vitalis animali: Ergo iecur, corde; cor cerebro
prius: sed ex eo potissimum quòd facilior sit, ideoque prior perfectio iecoris, cùm
nihil sit aliud, quàm sanguis concretus. Longa verò & difficilis sit cordis fabrica.
E Obijcitur quòd vmbilicalis vena, origine est prior iecore, quia semen per eam ma-
ternum sanguinem trahit ad generationem iecoris: Respondeo: Aut fibras iecoris
ex semine priùs oriri, quæ sunt operis inchoationes: Aut venam vmbilicalem non
esse partem integrantem, quia non manet fœtu edito in lucem, sed in ligamentum
vertitur.

DE MVTATIONIBVS QVÆ SEQVVNTVR A conceptionem, nempe conformatione, motu, & partu.

CAP. VIII.

TRES hæ potissimum mutationes contingunt fœtui, dum gestatur vtero, conformatio, motus & partus: Primùm partes principes, cum suis instrumentis conformantur, venæ cum iecore, nerui cum cerebro, arteriæ cum corde, mox partes quæ necessariò illis ministrant, vt pulmo cordi. Minus necessariæ posteriùs conficiuntur. Conformationis hic est modus: concepto semine, genitor spiritus, totus concurrit in centrum. Propterea enim Pythagorici Deum in medio mundi collocabant, quòd inde facilius B toti prouideret. Quod probabilius existimo, quàm cum Aristot. totum semen verti in spiritum: externa eaque crassior pars seminis vteri calore non aliter concrescit in tunicam quàm panis aut placenta furni calore incrustatur: quod fit ne diffletur spiritus. Hac membrana velut pixide totus fœtus concluditur tempore gestationis, quæ inde χόριον, domicilium fœtus appellatur. Adhæret vtero per ora venarum, quæ cotiledones, seu acetabula nuncupantur. Constat duplici membrana, plurimis venulis & arteriolis contexta, per quas maternus sanguis transmittitur ad generationem fœtus. Venulæ omnes tandem coeunt in vnam magnam, quæ vmbilicalis dicitur, vt arteriolæ in duas magnas arterias, ex quibus & ouraco constituitur vmbilicus. Præter χόριον sunt aliæ duæ tunicæ, allantoidis & amnios, priore lotium, posteriore sudor excipitur: ex his tribus tunicis constat δεύτερον, vulgò secundina. Ecce vt proui- C da natura operi suo domicilium ædificat: Conformationis tempus breuissimum triginta dies, Quidam enim trigesimo quinto die, alij quadragesimo absoluuntur, quod est mulieribus tempus breuissimum, quia sunt naturæ frigidioris: Quædam non ante quinquagesimum diem conformantur. Auicenna conformationis, motus, & partus, hanc proportionem constituit, vt tempus motus sit duplum, ad tempus conformationis: Tempus verò partus, triplum ad tempus motionis: verbi gratia, Si fœtus fuerit conformatus, omnibusque partibus completus die trigesimo, incipiet moueri die sexagesimo, completis centum & octoginta diebus, id est in principio mensis septimi, excludetur: Septimestres enim partus esse vitales, docet Hippocrates libro de partu septimestri: in principio inquam mensis septimi. Solaris autem mensis computetur, qui est triginta dierum. Nam si mensis lunaris spectetur qui est vigin- D ti septem dierum, nasceturin fine septimi. Si fortè non ante diem quinquagesimum perfectus fuerit fœtus, propter caloris & virium imbecillitatem, non mouebitur ante diem centesimum: nec exibit in lucem, nisi euolutis diebus trecentis, id est non ante decimum mensem. *Matri longa decem tulerunt fastidia menses.* Neque tamen hoc est pariendi tempus longissimum: nam vndecimo & duodecimo, quin si Auicennæ creditur decimo quarto mense parere potest mulier. Nec septimus mensis est pariendi tempus breuissimum: nam Montuus scribit se nouisse pincernam Henrici secundi, qui natus mense quinto, robustus & sanus viuebat. Ferdinandus Mena comment. in librum Hippocratis de septimestri partu, in Hispania tum vitales fœtus editos fuisse affirmat. ijs tamen historijs nescio an fides sit adhibenda. Sanè vt monstra non sunt opera naturæ, quia sunt rara & præter ordinem. Aristot. enim ea sola appellat opera naturę, quę vel fiunt semper, vel vt plurimùm, ita prodigio sunt similia quæ præter E communem ordinem eueniunt. Leges medicinæ in natura ipsa suum habent fundamentum. Itaque in hac doctrina Hippocratica permanendum, non ante septimum, nec post decimum mensem partum edi vitalem, quod enim decreuerat Adrianus imperator vndecimo mense partum legitimum edi posse, propter authoritatem & reuerentiam Hippocratis, Iustinianus abrogauit, neque post decimum mensem legitimum esse partum edicto constituit. Hominibus vt & cæteris animalibus, quinetiam stirpibus nascendi præfixus est terminus à natura, qui tamen, vt in plantis mutatur pro cœli & soli clementia, vel inclementia, ita accelerari & tardari potest in hominum specie pro caloris & virium robore & imbecillitate, necnon humoris aptitudine, aut ineptitudine: vt plurimùm est nouimestris partus, potest tamen esse & septimestris

A septimestris, & decimestris propter causas nunc dictas. Cur verò octimestris non sit vitalis, diffusè à nobis explicatum est, comment. in librum Fernelij, de hominis procreatione: multa hîc prætereo, quia illic sunt copiosè explicata.

DE CAVSIS, MODO, ET ORDINE partus. CAP. IX.

CAVSÆ partus partim à fœtu, partim ab vtero repetendæ sunt: fœtus enim cùm instat tempus pariendi, non tantùm quia iam maturus & perfectus est, exitum quærit eo modo quo poma matura sponte cadunt: sed spiritus & alimenti necessitate coactus: iam enim grandior vt plus habet caloris, ita ampliùs refrigerari postulat. Spiritus quem B ducit à matre per arterias vmbilicales, ardorem cordis abundè contemperare non potest, propterea aërem externum appetit, quem per pulmones inspiratum transmittat cordi, requirit præterea copiosius & paulo solidius alimentum: Ideo enim torsiones ventris quibus sæpissimè laborant primis diebus natiuitatis, pulticula demulcentur: Vterus verò ista mole & excrementorum copia grauatus, expultricis suę robore onus excutit. Ecce sunt causæ partus: Sequitur modus. Fœtus calcitrando, tunicas (quibus continetur) disrumpit, vt in lucem prodeat: quibus ruptis quæ continentur aquæ mox effluunt, ex quibus hoc cõmodum accedit, vt via lubrica & facilis reddatur, χόριον interea à cotyledonibus diuellitur: Singularum venarũ distractiones, puerperæ dolorem afferunt, adeò vt cùm de nouo dolore illa conqueritur, suspicio sit nouæ distractionis: Mulieres quibus acetabula sunt mucosa & infirma,
C quia non possunt sustinere fœtum primis mensibus abortiunt. Coccyx miro naturæ artificio retrò flectitur, vt liberior via pateat: Eo igitur ordine tota res peragitur. Primùm effluunt aquæ quibus via humectetur, deinde fœtus procedit in caput, (qui in pedes exeunt Agrippæ nominantur,) consequitur fœtum secundina, mox lochia, quæ non differunt à menstruo, nisi quòd sanguis qui ante conceptionem singulis mensibus excernitur, menstruus appellatur: Retinetur verò concepto semine vsq; ad diem partus, cuius meliorem portionem fœtus trahit in alimentum, reliquum quod effluit statim à partu, Græci λόχεια, Latini purgamenta vocant, de quibus interpretari possis maleficia, quę Plinius & Fernelius attribuunt mẽstruo propter lõgam motam.

DE VITALI FVNCTIONE, NEMPE
D *cordis & arteriarum pulsatione.*

CAP. X.

HACTENVS de naturæ functionibus: vitalis opus est singulis partibus vitam conseruare. Conseruatur autem pulsu seu cordis & arteriarum indesinenti motu, cùm vita ipsa nihil sit aliud quàm motus actiuus: idem enim de corde (quod Plato in Theæteto de sole) dici potest: si vel momento quiesceret totius opificij syntaxis solueretur. Pulsus duæ sunt partes duplici quiete distinctæ, Diastole & Systole: tres proximæ & coniunctæ causæ, facultas, vsus & instrumenta: Facultas vitalis similior naturali quàm animali, quia vt
E dixi nobis dormientibus, quinetiam inuitis cor & arteriæ attolluntur & deprimuntur: instrumenta verò, cor & arteriæ, vsus vnicus, nempe conseruatio vitæ, quæ consistit in natiui caloris permansione: pulsus partes erunt hoc præstare: quod facit duobus modis, excretione fuliginum quarum copia alioquin obrueretur: & mediocri refrigeratione, neque enim vita nostra consistit in exuperanti, sed moderato calore: Ad mediocritatem illam adducitur, mediocri ventilatione, pulmones sunt flabella cordis. Per Systolem fuligo excluditur, attrahitur aër frigidus per Diastolem. Systole ergo est constrictio cordis & arteriarum, vt foras excrementa fuliginosa excludantur. Diastole verò est cordis & arteriarum dilatatio, vt calor vitalis contemperetur. Quo modo fit, dices, quando cor dilatatur vt spiritum vitalem ab arterijs non attrahat? Quia tùm valuulæ arteriæ magnæ clauduntur. Hinc tanta contentione disputata quæstio, an simul cum corde dilatentur arterię? Gal. capite sexto,

libri quarti de differentijs pulsuum reprehendit Erasistratum, qui existimabat corde A dilatato arterias constringi, eodem constricto dilatari: simul enim dilatari & constringi ex eo imprimis demonstrat, quòd arteriæ inserantur cordi, deinde quod si vna manu cor, altera arterias tetigeris, ambo simul moueri obseruabis. Erasistrato tamen mauult fauere Auicenna, idque in dissecto cane viuo obseruatur: Addit rationem, quòd si constricto corde arteriæ constringantur, fieri non posse vt tùm à corde vitalis spiritus in arterias effundatur. Accedit valuularum ratio & vsus, nam quæ sunt in arteria magna contracto corde submittuntur, ne spiritus, & sanguinis motum in arterias impediant. Dilatato corde distenduntur, ne qui effusus est sanguis cum spiritu per arterias in cor refluat: De isto tamen problemate liberum sit cuique iudicium, propterea quòd ad bene medendum non refert quam partem deffendas: quæstio est contemplationis, non actionis: Physica, non medica. B

DE FVNCTIONIBVS ANIMALIBVS, ac primùm de respiratione. CAP. XI.

RESPIRATIONIS vt pulsus tres sunt causæ continentes: facultas, vsus, & instrumenta, hanc ad facultatem animalem referendam esse iam demonstraui, quo loco respirandi instrumenta commemorata sunt, vsus idem est qui pulsus, nempe conseruatio vitæ & caloris in suo fonte. Respirationis duæ partes: quæ totidem partibus pulsus respondent: Inspiratio enim cum diastole consentit, expiratio cum systole. Dilatatis motu diaphragmatis & thoracis pulmonibus, fugâ vacui inania asperæ arteriæ, C & pulmonum spatia subit aër, in quibus vbi conuenienter præparatus est, à dilatato corde per arteriam læuem in sinistrum ventrem atrahitur, vt temperies natiui caloris conseruetur: Quemadmodum verò contractis arterijs fuligo per cutem insensibiliter repurgatur: ita expirando, per asperam arteriam, & hæc, & circunfusi aëris inquinamenta: (neque enim purus est qui nos circumstat aër, sed multis vaporibus infectus quibus tepurgatur à pulmone priusquam ad cor transmittatur.) Respirationis vicem nonnunquam supplet transpiratio: quando enim exiguus est calor, vt hystericis mulieribus, sola transpiratione ardor cordis abundè temperari potest. Sic Galenus in opere de locis affectis scribit animalibus quæ in cauernis latitant transpirationem esse loco respirationis. Quo modo soluitur quæstio, an omne animal necessario respiret. Insecta enim propriè non respirant, sed perspiratio est illis loco respirationis, quia aëre per cutem subeunte abundè refrigerantur: D quæ verò pulmones habent: omnia propriè respirant. Pisces respirant per bronchia, nisi fortè pulmones habeant, vt delphini. Ab aëre inspirato cor recipit duas commoditates, refrigerationem à qualitate, materiam vitalis spiritus à substantia. Hinc fit, vt homo breui intereat, nisi frigidum inspiret, vt experiuntur qui in balneo calidiore diutiùs morantur, aut qui angustiore loco concluduntur. Quemadmodum enim ignis cucurbitulis, aut aliquo vase conclusus, extinguitur: Ita nisi noster calor cum ambiente communicet, si vel omnino cohibeatur spiritus, vel aër quidem inspiretur, sed calidus, animal suffocatur. perspiratio calorem externarum partium conseruat, aëre per cutis meatus attracto, dilatatis arterijs quæ desinunt in cutem: iisdem constrictis earundem partium fuliginosa excrementa insensibiliter vacuantur: propterea sensu imperceptibilis euaparatio à medicis appellatur. Hyeme minimùm corpus per cutem difflatur: quia ambientis frigore meatus occluduntur: plurimùm verò E æstate. Cæterum respirationis duæ sunt primæ differentiæ: vna enim est naturalis & cuiusq; propria, quę pro varijs temperamentis, ætatibus, anni partibus & regionibus immutatur. Altera præter naturam quam morbi & morborum causę accersunt: cuius variæ species commemorantur à Gal. lib. de difficultate respirationis.

DE

A ## DE VOCE ET SERMONE.

CAP. XII.

HÆc tractatio cum antecedente coniuncta eſt, quod vtrique reſpiratio ſit neceſſaria de quibus ſcriptus eſt liber à Galeno, qui quoniam non extat, de his breuiter tranſigemus: Ariſtoteles ſecundo de anima definit vocem ſonum ab ore animalis profectum rei alicuius ſignificandæ gratia: qui fit ex aëre expirato & ad guttur repercuſſo. Definitur à Galeno quarto de locis affect. cap. ſeptimo, Actio vocalium inſtrumentorum: cuius tres cauſas conſtituit, materiam, efficientem & finem: materiam duplicem, vnam
E generalem, quæ expiratio dicitur, alteram magis propriam & ſpecialem, nempe exſufflationem. Eſt ſpiritus confertim emiſſus per guttur: per guttur inquam, quia ſi per aliam viam, foras emittatur, vt in thoracis vulneribus, mutum animal redditur. Efficientes cauſæ variæ ſunt, primaria, facultas motrix: nam à corde vocem non oriri, pluribus diſputat Gal. ſecundo de placitis. Inſtrumenta larinx, & potiſſimum eius pars quæ epiglottis nominatur, deinde muſculi mouentes laryngem & nerui recurrentes, Aſpera arteria, expirati ſpiritus deferens inſtrumentum & gargareon, quod plectrum vocis dicitur. Finis, eſt rei alicuius ſignificatio, neque enim brutæ animantes, temerè vocem edunt, ſed ad aliquem vſum vitæ vtilem, eo fine pipiunt paſſeres, mugiunt boues, hinc ars οἰωνιστικὴ interpretandi voces animalium, Platonis ſcriptis tantopere celebrata. In qua excelluiſſe dicitur Apollonius, & noſtro
C ſæculo in Germania Dauid quidam tertius. Sermo eſt vox propriæ cogitationis interpres, homini peculiaris: nam Pſitaci, Graculi, dant ſine mente ſonum, imitantur quidem hominis vocem, ſed ſine delectu & iudicio. Lingua eſt primarium inſtrumẽtum ſermonis, cui non parum conferunt dentes, labia, narium foramina, palatum mediocre, hoc eſt neq; elatum nimis, nec depreſſum. Si quid horum deſit, aut vitio aliquo laboret, multa in ſermone vitia conſequuntur. Primæ differentiæ vocis ſunt lenis aut aſpera, quæ differentiæ ſumuntur à membrana interiore aſperæ arteriæ: Illa enim bene læuigata vocem edit lenem, exaſperata aſperam: eadem membrana, ſi multo humore imbuatur (vt accidit catarrho decumbente in pulmones) fit vox rauca: Clara verò & ſonora ſi moderata ſiccitate prædita ſit: vbi enim immoderata eſt, eius ſiccitate fit vox clangoſa qualis eſt animalium, quæ habent longum collum, vt
D gruum. Aſperæ arteriæ magnitudo & anguſtia aliam vocis diuiſionem parit, in grauem & acutam, quibus enim aſpera arteria ampla eſt, voce ſunt graui, quibus anguſta, acuta: His ſi vehementer impulſis, ſpiritus copia aut paucitas acceſſerit, vox magna aut parua efficietur. Nam ad magnam vocem edendam, non ſolùm aſperæ arteriæ amplitudo neceſſaria eſt, verùm etiam vehementer impulſi aëris copia: Quemadmodum ad vocem paruam contraria requiruntur.

DE SENSVVM OBIECTIS ET INSTRVmentis.

CAP. XIII.

SVNT quinque ſenſus externi obiectis & inſtrumentis differentes, duo neceſſitatis quibus ſolis conſtant animalia imperfecta, tactus & guſtus: tres
E perfectionis ſine quibus nullum animal perfectum eſſe poteſt, viſus, auditus & odoratus. Viſus diſtinguit colores, auditus ſonos, guſtus ſapores, olfactus odores, tactus tactibiles qualitates, quæ etiamſi differant ſpecie vt calidum frigidum, durum molle, non conſtituunt tamen ſenſus ſpeciem differentem, quia vniuntur in hoc omnes quòd ſui tangendi faciunt copiam: multò potius quinque ſenſibilia communia, magnitudo, numerus, figura, motus & quies, ſenſus cõſtituunt à quinque commemoratis ſpecie differentes: ad vnum tamen genus referuntur, quia à multis, non ab vno ſolo, vt colores à ſolo viſu, ſoni à ſolo auditu, dignoſcuntur. Nam rerum obiectarum magnitudinem, numerum & figuram, ego non tantùm viſu, ſed etiam tactu poſſim percipere, earumdem motum vel quietem, vtroq;: prẹterea auditu: Singuli ſenſus de ſuis obiectis ſincerè & integrè pronuntiant ſi hęc tria concurrant. Organum bene tẽperatum, medium non impeditũ, legitimè diſtãs obiectũ,

quorum vnum si desideretur, sensus non potest æquus esse iudex eorum quę percipit: Nam oculus flauo colore suffusus omnia flaua iudicat, & lingua alieno sapore imbuta, de saporibus integrum iudicium ferre non potest. De sensoriorum temperamento non conuenit Aristoteli cum Platone: Ille enim existimat instrumentum visus esse aqueum, quia humore crystallino, veluti speculo animato, rerum obiectarum imagines excipiuntur. Auditus aërium, quia aura tenui, membranula inclusa, communicans cum aëre externo, sonos excipit. Odoratus partim igneum, partim aëreum, quia exhalatio vtriusque materiæ est particeps, cui affinis omnino est odor. Tactus terrenum, est autem gustus tactus quidam. Platoni placet organum videndi esse igneum, quia spiritus visiuus (cuius fulgore & irradiatione res aspiciuntur,) est igneus. Gustus aqueum, quia sine humore aqueo nihil gustatur. Odoratus, particeps esse ignis, aëris & aquæ, quia sensorium est analogum suo obiecto; Odor autem est halitus qui ex re odorabili fertur ad nares, halitus verò fit aqua in aërem ab igne resoluta. Platoni, in omnibus fauet Galenus. Cætera quę ad particularem sensum pertinent ex secundo de anima & lib. Arist. de sensu repetenda sunt.

DE SOMNO ET VIGILIA.

CAP. XIIII.

SOMNVS & Vigilia sunt animæ sentientis affectus, Vigilia vt habitus, (quia sensus & motus functionibus definiuntur) Somnus vt priuatio: quia vtriusque absentia dignoscitur, de quibus hic locus postulat vt paucis disseramus; definitur somnus, primi sensitiui, seu communis sensus, ab actione cessatio, veluti feriæ quædam à natura concessæ, ad spiritus & caloris iacturam resarciendam, viresque recreandas. Nullum enim animal diu superstes esse potest, nisi habeat quietis & actionis vicissitudines. Quod caret alterna requie durabile non est; hæc reparat vires, fessaque membra leuat. Definitur ab Aristotele impotentia primi sensitiui, ob excessum vigiliarum. Sensus enim omnes & motus sopiuntur somno, excepto pulsu & respiratione, sine quibus animal viuere non potest. Somnus est duplex, naturalis qui à causis naturalibus excitatur, & præter naturam, qui à causis violentis: vtriusque idem primum subiectum. Quod Aristoteles existimat esse cor: (Quia videtur illi esse primum sensitiuum.) Galenus verò vt in cerebro primum sensus principium collocat, Ita somni & vigiliæ: cui experientia consentit. Nam siue somno contra naturam, vt lethargo, quispiam laboret, siue præter modum vigilet (quod accidit phreneticis) topica adhibentur capiti non cordi: Atqui contraria nata sunt afficere idem subiectum: Est igitur cerebrum somni quoque & vigiliæ naturalis primum principium. Naturalis somni causa efficiens est vapor benignus ab alimento & sanguine in caput sublatus: Fumi enim acres, (quales excitantur in febre ardenti & in vigore febrium putridarum) vigilias, non somnum, pariunt. Caloris fluxus & refluxus non videntur causæ efficientes somni & vigiliæ, sed vtrumque potiùs consequi. Nam per somnum calor, spiritus & sanguis concurrunt in centrum, per vigilias recurrunt à centro ad circumferentiam. Propterea Hippocrates sexto Epidemiæ, Vigilans inquit intus frigidus, foris calidus: dormiens contra. Hinc naturalis somnus calefacit & humectat propter sanguinis ad interiora regressum, qui calidus & humidus est. Si tamen immoderatus fuerit refrigerat, & exsiccat, quia cùm non suppetit calori natiuo alimentum, in quo conficiendo occupetur, conuertit se ad partium solidarum humiditatem absumendam. Sic Hippocrates sexto Epidimiæ. Galenus sexto simplic. eadem causa docet longiore somno corpus emaciari & extenuari.

DE

A DE MOTV ARBITRARIO.

CAP. XIIII.

ARISTOTELES octauo Physicæ definit motum voluntarium, libera inchoatione & terminatione, scilicet quem nos & inchoare & sistere possumus quando volumus, celeriorem, vel tardiorem, frequentiorem, vel rariorem reddere, cuius multæ species in corpore humano à Galeno memorantur in libris de motu musculorum: extensio, inflexio, conuersio, motus sursum vel deorsum, & obliquus. Cuius præcipuum instrumentum est musculus: qui contractus suis fibris partem mouet, non per facultatem
B mouendi sibi congenitam, quemadmodum arteriæ mouentur, sed aliunde, nempe à cerebro per neruos influentem. Vnde contractio Gal. secundo de motu musculorum, propria actio musculi dicitur, eius verò relaxatio duntaxat per accidens: atque vt dicitur, ex consequenti. Aliquando neruus instrumentum motus appellatur, sed non est primarium instrumentum. Arist. tertio de anima motus causas definitius inquirens, constituit vim imaginandi ab ipso appetitu impulsam, primum principium voluntarij motus, quia non prius animal mouetur rei alicuius consequendæ, vel fugiendæ gratia, quàm vis imaginandi apprehensa boni & mali specie, facultatem motricem ad mouendum impulerit. Quæritur cùm Arist. non esset anatomes ignarus, cur in explicādis causis & instrumentis arbitrarij motus spiritus duntaxat meminerit, musculos & neruos prætererit: quia non sunt omnia motus voluntarij in vno-
C quoque animalium genere instrumenta: quandoquidem insecta, vt muscæ, apes, mouentur solo spiritu sine neruis & musculis. Ille vt decebat physicum primas & communes causas omnis voluntarij motus perquirebat. A medicis dicuntur instrumenta motus voluntarij, in animalibus perfectis, vt in hominibus. Si quis instet quasdam partes moueri sine musculis, vt linguam, penem, palpebram, respondeo illas partes esse musculosas. Auenroes præterea obijcit vomitu ventriculum subuerti, qui tamen neruosus est, non musculosus: respondemus vomitum esse motum violentum, neque esse motum perfectum.

DE TRIBVS PRINCIPIBVS FVNCTIONIBVS *animæ, ac primùm de imaginatione, ac illi annexis insomnijs.*

D CAP. XV.

PHANTASIÆ officium est species & formas rerum per sensus cognitarum recipere, easque intellectui repræsentare, vnde natum est illud Aristotelis, intellectum hominis sine phantasmate non intelligere, quandiu in copore continetur. Phantasia igitur circa relictas in communi sensu species versatur, vt eas componat, aut diuidat: Ita tamen vt nullus inde assensus, vel dissensio consequatur. Aphrodiseus phantasiam distinguit à sensu: primò quòd motus phantasiæ sint liberi, quia imaginamur non tantùm præsentia, sed etiam quæ nec sunt, nec esse possunt. Sensus tantùm quod adest quodque præsens est apprehendit. Secundò quod sentimus vigilantes, imagina-
E mur potissimùm dormientes, ad phantasiam enim pertinent insomnia: de quibus medico disserendum est, quoniam ab his humorum conditiones, & affectus corporis peti solent, vt docet Galenus libello eade re scripto. Reperendum verò ex superiori sectione, rerum sensibus externis perceptarum, imagines admitti in sensum communem, eique interdum firmiter, interdum leuiter insidere, aut prorsus euanescere: quæ permanent, per somnum, dum feriantur externi sensus, non aliter mouent imaginatricem, quàm si vigilantibus nobis, obuersarentur oculis. Hinc fit vt interdiu cogitata, aut visa nobis dormientibus in animum redeant, & phantasiæ repræsententur. Proinde nihil est aliud insomnium quàm species rei sensibilis communi in sensu relicta, quæ inter dormiendum phantasiæ occurrit. Quemadmodum verò imagines quę apparent in aqua immota, integrè & perspicuè videntur. Ita enim Poëta: non sum adeo informis nuper me in littore vidi, cùm placidū ventis

ſtaret mare. Quæ verò agitata aqua conſpiciuntur confuſè videntur. Ita ſi à vapori- A
bus paucis, aut nullis, imagines agitentur: ſomnia tum quieta fiunt. Quemadmodum
turbulenta, monſtroſa & diſtorta, vbi à multitudine vaporum in caput ſublatorum
mouentur. Talia ſolent eſſe ægrorum & ebriorum ſomnia: quæ vt affectum corporis
& humoris dominatum ſequuntur, ita vtrumq; ſæpe indicant, ſuntq; propterea à
medico ſciſcitanda & ab ægris diligenter perquirenda.

DE MEMORIA. CAP. XVI.

MEMORIA ſequitur phantaſiam, quas enim ſpecies rerum accepit à ſen-
ſibus phantaſia, animus in memoria velut in theſauro recondit ad vſum:
propterea notionum fidelis cuſtos perhibetur. Obiectum vtriq; com-
mune eſt, verùm phantaſia, phantaſmata per ſe & abſolutè conſiderat, B
neq; ad eas res refert à quibus profectæ ſunt; memoria verò vt ſunt re-
rum antea perceptarum ſimulachra: Ariſt. enim lib. de ea re ſcripto docet, ſemper
memoriam eſſe coniunctam cum perceptione præteriti temporis: Vna memoria di-
citur ſenſitiua quę circa ſpecies à ſenſibus exterioribus profectas verſatur. Altera ra-
tionalis quæ conſiderat tantùm ea quæ ratione percepta ſunt: Eiuſmodi ſunt res vni-
uerſæ & definitiones: priorem belluæ nobiſcum habent communem, nam iniuria-
rum aliquo in loco acceptarum meminerunt, & aues nidos à quibus exierunt, repe-
tunt. Poſterior propria eſt hominum, diciturq; ſpecialius recordatio, vt enim bellue
non ſunt capaces diſcurſus, ita neque recordationis.

DE INTELLECTV. CAP. XVII. C

INTELLECTVS quidam eſt contemplator, ſcientiarum theoriticarum, vt
Phyſicæ, Metaphyſicæ, & Mathematicarum artium parens: ad quem per-
tinent virtutes mentis ſexto Ethicorum explicatæ, ſcientia, prudentia, ars,
intelligentia, & ſapientia. Alter actiuus qui actiones morales regit, ad quem
pertinet præcepta moralia, Ethica, Oeconomica & Politica. Ethicis priuatus quiſq;
docetur honeſtè viuere, Oeconomicis inſtituitur paterfamilias arte regendę familię.
Politicis magiſtratus adminiſtrandæ ciuitatis arte informatur: vnus & idem has om-
nes perſonas ſuſtinet, ſola ratione differens. Solet aliter diuidi in agentem & patien-
tem, dicitur intellectus patiens prout eſt capax omnium notionum: Accedit enim
in corpus ſimilis tabulæ nudæ in qua nihil eſt depictum, eſt tamen omnia potentia, D
id eſt omnium rerum imagines poteſt excipere, quam vim ipſemet promouet in
actum, in hoc enim cum materia prima conſentit, quod vt materia eſt capax om-
nium formarum, ſic intellectus patiens, omnium notionum, diſſentiunt verò, quòd
materia non formet ſe, ſed ab alio vt à calore cœleſti informatur & perficitur, intel-
lectus vi congenita notiones efformat ex longa & frequenti rerum obſeruatione, ad
quas dum ſe conuertit, actuq; intelligit: tùm intellectus agens appellatur. Quidam
inuetorem animum interpretantur, patientem intellectum, iudicatorem verò agen-
tem. Præterea eſt ſimplex quidam intellectus ad quem pertinet rerum ſimplicium, vt
categoriarum cognitio, in quibus neque verum, neq; falſum: Alter coniunctus qui
res & notiones ſimplices componit, cuius eſt affirmare vel negare, verum aut falſum
dicere: Veritas eſt adæquatio mentis cum re: nam enunciatio vera eſt ſi conſentiat E
cum re, ſi diſſentiat falſa.

FINIS.

SECVNDA

A

SECVNDA PARS MEDICINÆ, QVÆ ὙΓΙΕΙΝΗ, SEV

B **DIÆTA SANORVM APPELLATVR.**

QVID SIT ὙΓΙΕΙΝΗ?

CAP. I.

TOTA medicina in tribus primis capitibus consistit: rebus naturalibus, non naturalibus, & contra naturam. Scientia rerum naturalium Physiologia nuncupatur: rerum nō naturalium ὑγιεινή, pars medicinæ quæ mediocritate rerum non naturalium sanitatem conseruat: Earum, quæ sunt contra naturam, si Theoriam C spectes, Pathologia, si praxim, Therapeutice. Est autem sanitas prior morbo, quia sanitas est affectus secundùm naturam, primò per se actiones perficiens: morbus verò affectus contra naturam primò per se actionem lædens, non potest autem cognosci quod est contra naturam nisi priùs quod est secundùm naturam probè cognoscatur. Itaque prius de sanitate quàm de morbo tractandum est. Res non naturales mediæ sunt inter naturales, & eas quæ sunt contra naturam: Neque enim naturam nostram constituunt, vt res naturales, nec eandem lædunt, vt affectus contra naturam: sed sunt promiscuæ & indifferentes. Bené vtenti, bonæ: malè vtenti, malæ. Eiusmodi sunt aer, cibus, potus, somnus, vigilia: Motus, quies: perturbationes: excreta, retenta: Aër & aqua prout sunt partes corporis, ad Physiologiam pertinent, & in numero naturalium rerum haben-D tur: prout verò extra nos sunt, inspiratúrque aer ad calorem temperandum & regenerandos spiritus, potatur aqua vt humidæ substantiæ iacturam reparet, sunt res non naturales, quemadmodum si horum duorum alterum quantitate vel qualitate peccans assumatur, erit tùm contra naturam, fietqué morbi causa, quo modo in Pathologia, de ijs differetur: Ita enim sæpe aliâs docuimus, vnum & idem contrario modo affectum habere rationem causæ contrariæ, & ad diuersa rerum genera pertinere.

AN ὙΓΙΕΙΝΗ SIT PARS MEDICINÆ AD vitam necessaria. CAP. II.

E MEDICINA scripta est ægris, non sanis, omnia enim sunt sana sanis. Idémque est mederi, quod accommodatis remedijs morbos depellere. Miserè viuunt qui medicè viuunt. Plato solam gymnasticem conseruandæ sanitati vtilem esse iudicabat.

Firma valent per se; nullúmque Machaona quærunt:
Ad medici dubius confugit æger opem.

Mihi verò tantùm abest, vt persuadeam artem valetudinis tuendæ esse inutilem, cùm Therapeutica esse antiquiorem, præstantiorem, & vtiliorem existimem: vt enim prior est sanitas morbo, sic ars seruandæ sanitatis, arte depellendorum morborum. Fortassis qui firmam corporis constitutionem sortiti sunt à natura, & in victu non delinquunt, quia naturam sequuntur ducem, neque plùs appetunt, quàm coquere possint: omnibus morborum iniurijs potenter resistunt. Verùm paucissimi sunt be-

ne & fœliciter nati, cæteri quorum lubrica est sanitas & morborum iniurijs opportuna, nisi certis vitæ legibus morbos præcaucant, frequentissimè eos incurrunt: A
sanitatis enim maxima est latitudo, duobus extremis veluti finibus circunscripta, actionum omnium integritate, & actione aliqua manifestè læsa: Integritas actionum non est in omnibus par & æqualis, qui corpus habent partibus similaribus exquisitè temperatum & dissimilaribus optimè conformatum absolutè & semper sunt sani, Intemperati verò vt natura calidi frigidi, humidi sicci: vel calidi humidi, cadi sicci, frigidi humidi, frigidi sicci, cuiusmodi sunt manifestè sanguinei, biliosi, pituitosi, melancholici, leuissima occasione morbo prehenduntur. Temperati, quia absolutè & semper sunt sani, non admodum opus habent vitæ & victus legibus: Qui verò sunt sani vt nunc, hoc est ad tempus tantùm sani, vt dubiam & inconstantem habent valetudinem morborumque causis obnoxiam; Ita egent periti medici consilio, vt in viuendo certum teneant modum: nam temperati gaudent similibus neque contrarijs admodum læduntur, quia robusta natura leuioribus erratis facilè resistit. Intemperati verò similibus citò offenduntur, iuuantúrque contrarijs. Vitæ B
leges vnicuique præscribit ὑγιεινὴ, est medicus seruator sanitatis, diætæ præceptor: qualis extitit olim Asclepiades, qui sola diæta non tantum morbum præcauebat, sed etiam præsentem depellebat.

SALVBRIVM IN QVIBVS ΥΓΙΕΙΝΗ *TOTA vertitur distinctio.* CAP. III.

MEDICINA à fine definitur ars seruandæ aut restituendæ sanitatis, præsentem seruat ὑγιεινὴ, absentem restituit Therapeutice: A materia, C
subiecta, Ars salubrium, insalubrium & neutrorum: Ars salubrium ὑγιεινὴ nuncupatur, insalubrium Thetapeutice, neutrorum, Prophylactice aut Analeptice: Illa enim est ars neutrorum decidentiæ: hæc neutrorum conualescentiæ. Salubre dicitur tribus modis, vt corpus, vt causa, vt signum: Salubre corpus dicitur quod præsenti fruitur sanitate, illudque vel semper tale, vel vt plurimum, vel vt nunc: Salubre semper appellatur, quod firmam habet sanitatem: Salubre vt nunc quod mobilem & inconstantem: Salubris causa, vel est efficiens sanitatis, vel eiusdem conseruatrix. Efficiunt sanitatem imprimis quatuor humorum & spirituum bona constitutio, vt est apud Hippocratem libro de natura hominis, deinde partium similarium bona temperies, organicarum legitima structura, quæ consistit in iusta magnitudine, numero, situ, & conformatione: omnium denique vnio & continuitas: Eandem conseruat sex rerum non naturalium D
moderatus vsus. Qui duobus modis definiri potest, absolutè & per se, vt si simpliciter, quis aer sit salubris, quæ alimenta salubria explicetur: aut comparatè, quæ sunt huic, aut illi salubria, habita ratione proprij temperamenti, ætatis, sexus, temporis. Prior docendi modus, est artis proprius. Posterior prudentiæ: sanatur enim Socrates, sed præcepta tam seruandæ quàm restituendæ sanitatis de homine sanando in genere & indefinitè traduntur, vsus generalium præceptorum artificis prudentiæ relinquitur, qui illa indiuiduis accommodat, spectatis, vt dixi, personæ, loci, temporis circunstantijs. Signa salubria omnia sunt diagnostica. Præsentem sanitatem actionum omnium naturalium, vitalium & animalium integritate medicus dignoscit, ille enim sanus iudicatur, qui omnes habet integras. Tantùm appetit quantùm E
potest coquere, perbellè nutritur, pulsum habet moderatum, qui vitalis facultatis robur demonstrat. Integros habet omnes sensus, liberum motum, respirationem non impeditam: deinde ab excretorum & retentorum symmetria argumentum sanitatis sumitur. Ille enim sanus est qui excrementa tam primæ quàm secundæ coctionis, qualia, quando, & quantùm oportet excernit, iustóque tempore retinet: Tertium signum ducitur ab affectu simplici, seu qualitatibus naturalibus non immutatis, vt puta si cui sit viuidus color corporis, habitus non admodum obesus aut macilentus: in quo spectandum erit quantùm quisque à propria & naturali constitutione recesserit: Nam etiamsi sanitas in abstracto, neque recipiat magis neque minus, attamen in concreto intendi plurimùm atque remitti potest. Valdè biliosus natura, quamquam minùs quàm temperatus, attamen est sanus, quandiu natura-

lem

alem suam constitutionem retinet, actionésque habet integras non absolutè, sed naturæ suæ congruenter: Qui valdè sunt obesi natura, aut macilenti, qui facie sunt rubicunda, non desinunt esse sani, plus minus: Itaque iubet passim Galenus vt medicus ἰδιοσυγκρασίαν, propriam indiuidui naturam, perquirat. Ars semper proponit perfectum vt sit cæterorum exeplar. Rectum est index sui & obliqui, homo temperatus est mensura cæterorum, qui ad illius temperiem accedunt propius, temperatiores iudicantur; qui ab illo recedunt longius intemperatiores: idem de alijs mixtis dixeris: calidum non dicitur quod hominem quemuis calefacit, sed quod temperatum. Tepidum enim non calefacit valdè cutem, sed refrigerat potius.

AN SANITAS PERPETVO SIT CONseruanda similibus. CAP. IIII.

B SINGVLARE est præceptum apud Platonem in Cratillo vt imprimis in cuiusque artis principijs constituendis diligenter laboremus, quia leuissimus error commissus in principio, maximus tandem euadit. Ex vno enim falso principio, sequuntur innumerabiles conclusiones falsæ: vnde illud Hesiodi, qui bene cœpit, habet iam dimidium facti: Imo inquit Plato, plusquam dimidium. Artis quam meditamur fundamentum in eo consistit, vt quemadmodum morbi contrarijs depelluntur, Ita sanitas similibus conseruetur: cuius principij veritati plurima resistunt non prætereunda, nam pueris, natura calidis, interdicitur vino: Senibus verò temperamento frigidis, conueniunt calida, nocent refrigerantia: vinum est lac senum: Natura biliosis, inquit Hippocrates sexto Epidemiωn
C conueniunt balneum, quies, & aquæ potus, nec dubium est mero, sinapi, allijs, porris, cæpis, piperatis, offendi plurimùm eos qui sunt temperamento calido sicco. Itaque falsum est perpetuo sanitatem seruandam esse vsu similium: Respondet Galenus in arte parua ὑγιεινῆς duas esse partes, vnam seruatricem, alteram correctricem sanitatis, quia custos bonæ valetudinis duos habet scopos, aut sanitatem præsentem qualiscunque illa sit conseruare, aut eandem corrigere & ad meliorem reducere. Correctrix contrariorum moderato vsu, naturalem intemperiem paulatim emendat, seruatrix similibus eandem retinet. Appello similia quæ distant à medio pari gradu, vt naturalis intemperies quæ sit ad secundum gradum calida, seruetur alimentis pari gradu calidis, quæ longè recessit à bona temperie, & iam vergit ad morbidam, non debet conseruari, sed potiùs quanta arte fieri poterit emendari. Sola
D temperata natura aut quę ab ea non longè abest seruari debet, vsu similium: cæteræ contrarijs emendari.

QVIS AER SIT SALVBRIS SANITAtique seruandæ conueniat. CAP. V.

EXPLICATVRVS medioctitatem sex rerum non naturalium qua sanitas conseruatur, exordiar ab aere, quem inspiratu, & perspiratu continenter attrahimus. Is enim ad vitam vsque adeo necessarius est, vt vix momento eo carere possimus: perennem iacturam spirituum reparat, & cordis ardorem contemperat. Deligatur verò ad sanitatem conseruandam qui sit purus & cla-
E rus, nullis stagnorum, cadauerum, cloacarum expirationibus conspurcatus, sed ab omni & qualitatum & substantiarum vitio planè alienus; qui ventis salubribus perflatur: qui enim tetris & corruptis vaporibus, ex aqua aut stagnis expirantibus, ex inquinamentis in eo genitis vel de cœlo demissis inficitur, qui montibus conclusus non perflatur, tuendæ valetudini non est accommodatus, quemadmodum nec is qui nimio vel calore, vel frigore affectus est, aut repentinas habet mutationes. Aer qui omnes bonitatis dotes adeptus est, omni naturæ ad conseruandam sanitatem vtilis est: qui verò vna vel duabus qualitatibus affectus est, intemperatis corporibus contraria qualitate præditis salutaris est. Vnde Hippocrates scribit tertio Aphorismorum nonnullos quibusdam in regionibus, vel anni temporibus bene vel male habere, vt senes æstate salubriter degere: hyeme contra. Quædam naturę ad hyemem, alię ad ęstatem melius habent. Quæret aliquis quomodo morbos naturę suę

congeneres euitabunt? qua arte frigidi frigido cœlo, morbos frigidos, quales sunt à pituita, effugiant: calidi calidos aeris constitutione calida? Respondet Galenus in arte parua, excessum qualitatis in aëre, cæterarum rerum non naturalium contrariete corrigendum esse: Quando æstuat cœlum, valdè calidi refrigerantibus alimentis vtantur: potent aquam non vinum, balneentur sæpe & quiescant, id est, ne multum & vehementer exerceantur: Aerem liberum præsertim meridianum fugiant, domesticum, consperso pauimento, folijs vitis, salicis, lactucæ, aut posca temperabunt. A

DE VENTIS SALVBRIBVS.

CAP. VI.

AD aerem pertinet ventus, quia si creditur Stoicis nihil est aliud quàm aer commotus seu fluxus aeris: Aristotelis opinione fit ab exhalatione sublata Solis calore, quæ mediæ regionis frigore repulsa, obliquè mouetur circa terram: propterea ab eodem Sol dicitur ventos excitare & discutere, excitare quia eorum materiam oriens & occidens è terris suscitat, eosdem sedare, quia meridianus, præsertim media æstate, eorum materiam absumit: Hippocrates verò secundo de Diæta existimat eorum materiam esse vaporem, non exhalationem. Propterea origine seu materialiter omnes ventos esse frigidos humidos, à locis quos percurrunt alias qualitates acquirere. Vt vt sit, plurimùm refert ad sanitatem conseruandam an regio perfletur Austro, an Aquilone, quia auster cùm sit calidus humidus & morbosissimus (quandoquidem à calido humido putredo) inde ventus pestilens nuncupatur. Aquilo verò cùm sit frigidus siccus, & causis putredinis vtraque qualitate resistat, est saluberrimus. Obseruatum est à septentrione exoriri cum canicula ventos, qui Ethesiæ nominantur, qui quidem non tantùm ardorem cœli contemperant, sed etiam aerem inquinamentis omnibus repurgant, inde scoparij dicuntur, quòd aerem scoparum in modum verrunt: Pestis si quæ sunt seminaria fugant, quoties flant liberè. Hippocrates libro De aere, locis & aquis, scribit Asianos esse molles & imbelles quòd perflentur Austro. Circius ventus, Narbonensibus est infensissimus. Plurimùm igitur refert quibus ventis affletur regio, vt salubris vel insalubris iudicetur: excelsa loca quòd liberè perflentur, sunt salubriora profundis, & campestribus, illicque non tantùm salubriùs, sed etiam diutiùs viuitur: profundis in vallibus quos circunstant montes, tardius sol aspirat, quia non mouetur, sed velut stagnat aer: Nocentissima sunt loca palustria. Plato quinto de Legibus scribit varietate & frequentia ventorum, homines reddi proteruos & difficiles, vt obiter inde colligamus non tantùm corpus, sed animum à ventis immutari. B C D

DE SALVBRI AQVA.

CAP. VII.

TRIPLICIS substantiæ indesinens effluuiũ triplici alimenti genere reparamus, spirituosæ, spirituoso, vt aere inspirato, & odoribus: humidæ humido, vt potu, potulentis: solidæ solido, vt carne & pane: De aere cùm sit disputatum, instat vt de humidis alimentis disseramus, in quibus aqua primas tenet, quia ad vitam tanti momenti videtur Aristoteli in problematibus, vt ab ea magis quàm ab aere, aut alio quouis alimento corpus immutetur. Ob idque iubet Hippocrates, vt medicus bonitatis aquarum imprimis sit sollicitus: quæ dignoscetur multis modis, colore, odore, sapore, hypochondriorum leuitate, facili caloris & frigoris impressione, carnis & reliquarum rerum in ea prompta facilique coctione. Incolarum & vtentium sanitate. Aquæ color albus tribuitur, non quòd lactis modo, aut calcis candescat, sed medio inter album & nigrum colore. Itaque aqua quæ alium colorem præ se fert, lacteum, nigrum, aut viridem, laudabilis esse non potest. Aquæ suus est sapor, aquæ potoribus longa experientia cognitus, vulgo tamen dulcis dicitur, non quòd mellis, aut sac- E

chari

A chari dulcedinem habeat, sed iucundum saporem qui ἄποιος dicitur, proinde quęcunque alium præ se fert saporem, vt sulphureum, repudianda est. Odor in aqua debet esse eiusmodi, vt non sit ingratus, cuiusmodi est, aquæ putris, aut sulphureæ. Leuitas aquæ deprehendi potest statera; vel hypochondrijs hominis. Aquæ enim leuiores meliores, vt quæ in hypochondrijs non diu morantur, sed citò distribuuntur: leuitatis comes est tenuitas, quam nonnulli explorant, cylindro in aquam proiecto: quam si celerius subit, tenuior censenda est: tenuitatem aquæ certius indicat frigoris & caloris facilior impressio: nam tenuis ve est apud Galenum in libris simplicium, alteratur faciliùs quàm crassa. Incolarum salubritas, inquit Galenus ad sextum Aphorismorum, est certissimum argumentum bonitatis. Veteres dissectorum animalium viscera inspiciebant, vt ex eorum sanitate aquarum bonitatem
B coniicerent.

DE VARIIS AQVARVM GENERIBVS.
CAP. VIII.

AQVARVM varia sunt genera: pluuia, fontana, fluuialis, putealis, stagnans, niuea, glacialis, omnes verò sunt simplices, vel compositæ: simplices, vbi nihil nostra arte accessit, quas Galenus sponte nascentes appellat sexto Epidemiωn: Compositæ, quæ arte aliqua mutationem, aut mixtionem acceperunt, quas ille artificiosas appellat: de simplicibus primùm disseramus, in quibus pluuia primum obtinet bonitatis gradum, quia, inquit Hippocrates, Sol de aquis omnibus tenuiorem & suauiorem portionem resolutam in vapores attollit sursum, venturæ pluuiæ materiam. Eius tamen bonitas pro diuersis anni partibus
C variat: nam vernæ & hybernæ sunt meliores, quia tetra citiùs euaporat: ęstate & autumno aet multas habet sordes, quibus pluuiæ conspurcantur, vt docet Galenus cap. tertio, lib. de bonitate aquarum. Aquæ pluuiæ in cisternis laudabili sabulo instratis, diu integræ seruantur, non debent tamen per tubos plumbeos defluere, quia plumbo admixta cerusa mordacem habet qualitatem, à qua diarrhoeæ & dysenteriæ frequentes. Secundum bonitatis gradum obtinet aqua fontana, præsertim quæ spectat orientem, quas dotes tum possidet, cùm motu, insolatu, & longa in aere calido mora, natiuum frigus remisit. Sunt quædam aquæ fontanæ non probandæ, vt quæ per venas sulphureas, bituminosas, vel metallicas feruntur, earum enim rerum per quas descendunt, saporem, odorem, & facultatem mutuantur. Tertium bonitatis gradum obtinet fluuialis aqua, propter solis in eam agentis radios, tum
D quia motu tenuior euadat, nisi rerum aliarum mixtione inquinetur, vt accidit fluuijs populosam aliquam vrbem præterlabentibus: quæ si turbidæ limosæque fuerint, tantisper sunt seruandę, dum quod crassum est subsederit, vt in aqua Tyberis turbida fieri scribit Galenus in libris simplicium: vel si ea statim vtendum, leuiter percolanda est, marinarum in potione nullus est vsus, nisi quis ex ijs aquam dulcem eduxerit: quod fieri posse scribit Aristoteles in meteoris, nautæ enim dulcis arenę dolia semiplena semper habent, vt cùm ex alto mari petenda est aqua, hanc per sabulum colatam potabilem reddant. Putealis aqua, bonitate longè est cęteris inferior, ea enim crassa est & grauis: tum quòd motus sit expers, tum quòd à Sole non illustretur, cuius vitium leui coctione emendari potest: nam coctione tenuior redditur, calore ea quę sunt heterogenea separante. Quę plurimùm coquitur crassior
E tandem euadit, exhalante tenui portione, & interdum salsedinem acquirente, vt docet Galenus tertio de alimentis. Pessimę omnium sunt stagnantes, si aquam Nili exceperis. Vitium enim acquirunt quiete, vnde limosę & liuidę apparent. Quare, aut illis abstinendum est, aut si aliarum penuria ijs vti cogamur, prius coctione, pauci vini, aut panis mixtione, vel in cocta oxalide corrigantur. Aqua niualis & glacialis, in delicijs olim fuerunt imperatoribus Romanis, vt scribit Galenus septimo Methodi, ad sitim & refrigerationem. Earum tamen vsum summopere damnat lib. de alimentis boni & mali succi, quia dum congelantur, si quas habeant partes tenues, frigus exprimit: ingrauescente propterea ętate, affectus inducunt neruis, articulis, visceribus, exitiales: fiunt etiam gutturosi qui ijs crebro vtuntur, quia quod in illis est crudum & terrestre musculis & glandibus faucium adhęrescit, tandemque concrescit.

DE AQVIS COMPOSITIS. A

CAP. IX.

QVÆ ab arte aliquid accipiunt coctione vel mixtione artificiales aquæ nuncupantur, miscentur aquæ, mel, sacharum, acetū, aut aliquid tale, Incoquuntur hordeum, passulæ, glycyrrhiza, & cætera eiusmodi, vnde potiones à medicis conficiuntur tam sanis, quàm ægris vtiles: ptisana exempli gratia, ad sitim restinguendam sanis est admodum familiaris potus, quæ paratur ex hordeo, ad crepaturam cocto, addendo sub finem glycyrrhizam. Quando sputum maturare, & ad excreandum promptius reddere volumus, præterea adijcimus pruna damascena, passulas, iuiubas, dactylos, ficus, fitque ptisana, quæ vulgò magistralis appellatur. Interdum in aqua solum cinamomum coquitur, interdum aqua sacchato dulcoratur, quæ hydrosacchar, vulgo aqua Hippocratis appellatur, Aquæ saccharatæ si tantillum cinamomi incoxeris, facies bouchetum. Ex duodecim partibus aquæ, & vna mellis simul coctis, dum mel despumarit, fiet hydromel. Oxycratum, seu posca, fit pauci aceti, & multæ aquæ permixtione, potio ad leuandam sitim in ardentibus & malignis febribus vtilis: nam acetum vtraque qualitate causis putredinis resistit. Item tenuitate partium aquam, frigidam humidam, ad singulas corporis partes citissimè perducit. Zithum fit ex aqua in qua hordeum, frumentum & interdum auena incoxerit, recens paratum ex hordeo ardorem vrinæ affert, tormina præsertim vbi negligentiùs coctum est. Hinc obstruendi vis illi tribuitur, quæ tantò maior est, quantò Zithum calidius fuerit, quale est quod ex solo frumento paratur. Quod idcirco Dioscorides scribit inducere elephantiasim. Verùm cùm nostrum Zithum multum recipiat lupulum, qui ad defæcandum sanguinem plurimùm valet, hoc non potest nostro conuenire nisi in acorem quendam degenerarit. Ferit potenter caput, vnde grauior ex eo ebrietas, quàm ex vino, quippè quæ difficiliùs discutiatur; qua oppressi potiùs in posticam partem decidunt, quàm in anticam, ex vini potu ebrijs contra accidit. Vt Flandri, Angli, Picardi, Cereali isto vino vtuntur pro ordinario potu, Ita Normani vino fructuario, quod illi ex pomis & piris conficiunt. Illud pomaceum, hoc piraceum nominatur: succus torculari expressus dolio asseruatur, quiquidem initio cùm constet multa excrementitia humiditate, minùs salutaris est, postea quam eius magna portio percocta est, potest esse illius commodus vsus ad refrigerandum & humectandum, multi frequentiore eius vsu in leucem, lepram albam, inciderunt, refrigerato nimium iecore. Huius vini tot sunt genera, quot pomorum & pirorum ex quibus exprimirur, Atque easdem facultates habet, si enim ex acerbis malis fiat, erit acerbum, idem de cæteris esto iudicium.

(Margin letters: B, C, D)

DE VINO. CAP. X.

GALENVS quarto simplicium in vino quatuor substantias agnoscit, vnam simplicem, quæ initio cum toto succo ex vuis expresso permiscetur, tandem fex subsidet, quæ quòd magnam habeat vim in vino conseruando, à Gallis valde accommodato nomine, lie, nuncupatur: Altera flos vini appellatur, initio superum locum occupans, tandem residens cum fæce. Tertia est aqueum quoddam excrementum, quod toti vino permiscetur, quod initio cùm sit copiosum, vinum reddit debile & minùs gratum. Postrema est ea quæ vinosa nuncupatur, quæ quò maiore calore prædita fuerit, eò diutiùs perdurat vinum, quò verò imbecilliore, celeriùs corrumpitur, cuiusmodi sunt vina nostratia, quæ insolatum, motumque vehementer ferre non possunt. Quibus causis, destituta natiuo suo calore, facilè in acetum permutantur. Vinorum differentiæ petuntur à colore, consistentia, ætate, sapore, odore, natali solo, à colore quædam alba dicuntur, alia nigra: à consistentia quędam dicuntur crassa, alia tenuia, ab ętate recentia vetera, mediæ ætatis: à sapore, acerba, acida, ex acido dulcia. Alia acrem quendam habent saporem, & linguam pungentem: cuiusmodi E

sunt vina generosa, quæ in multos annos integrè asseruantur, & quæ à Sole diligen-
A ter percocta sunt, Odor respondet sapori. Vina alba facilè venas permeant, modo non sint dulcia. Nigra magis nutriunt citroque in sanguinē mutantur, sed obstruunt & in hypochondriis consistunt: vtplurimùm sunt crassa: singulis suus est sapor pro varia cœli, & soli natura & vitium cultu. Ex diuersis saporibus diuersas acquirunt facultates: nam dulcia omnia obstruunt, quæ sunt acerba astringunt: vino recenti etsi Galenus in libris simplicium calorem tribuat in secundo gradu, id tamen non potest vinis nostratibus conuenire, sed Græcis, aut Cretensibus. Hoc Maluaticum appellatur: Græci & Romani pro varietate locorum sua vina distinxerunt, vt explicat Galenus sexto de sanitate tuenda: Galli habent sua vina Græcis & Romanis non cessura, nigra & crassa sunt, cum astrictione, Burgundiana: sine astrictione Vasconiana. Aureliense, bonitate non cedit Falerno, quod est Ro-
B manis optimum, verùm caput tentat, & iecur nimis calefacit, vt calx ad radicem arboris posita spiritus quidem tenuiores & animi motus alacriores reddit, sed accelerat mortem humoris radicalis consumptione. Isanciana, Aisiana & Parisina, ego omnibus prætulerim, non tantùm quòd sint suauiora, sed quòd sint media colore, consistentia, & viribus: iuuant enim non tantùm coctionem, sed etiam ciborum distributionem, quod est crassis, vt Burgundianis, & Vasconianis denegatū, nec vinosis fumis caput tentant: at Aurelianum vinum, frigidis naturis, phlegmaticis, & qui imbecilliori ventriculo sunt confert, quia iuuat coctionem: calidis verò & biliosis, potissimùm quibus iecur est calidum, nocet, necnon ijs quibus caput est imbecillum, nerui infirmi, ijs inquam omnibus, aut interdicendum est vino, aut vtendum dilutissimo. Cæterùm ex vino generoso & melle, paratur oinomel, ex vino, saccha-
C ro & cinamomo, paratur vinum aromatites, vulgò Hippocraticum, quod confert refrigerato ventriculo, coquendis cruditatibus & flatibus discutiendis. Alioquin vitandum, quòd fluxiones excitet. Item ex herbis, seminibus, radicibus cùm in musto deferbuerunt, parantur multa vinorum genera, sic paratur vinum absinthites & elleborites, quorum meminit Dioscorides, extátque de ijs liber Villanouani.

ALIMENTORVM PRIMÆ DIFFERENTIÆ,
atque imprimis quæ sunt temperata, quæ intemperata.

CAP. XI.

D HACTENVS de potu, priusquam de singulis cibis seorsim differamus constituenda sunt alimentorum summa genera ad quæ reduci possint: Omnia verò sunt temperata vel intemperata: Boni aut mali succi: facilis aut difficilis coctionis: Temperatum appellatur, in quo nulla qualitas manifestè vincit, quod omni hominum generi præsertim verò temperatis confert, cuiusmodi creditur panis ex tritico confectus: vt autem pauci extant homines temperati, ita pauca sunt alimenta à natura temperata. Intemperata sunt ferè omnia, hoc est manifesta aliqua qualitate nos immutant, illa simpliciter alimenta dicuntur, hæc cum adiuncto medicamentosa: quatenus enim mutatum alimentum nos immutat, medicamentosum appellatur, siue nos immutet qualitate prima vt calefaciendo vel refrigerando, siue alia quauis, vt obstruendo vel aperiendo, aluum subducendo, vel cohibendo: mouendo menses, vel vrinas, lac, vel semen generando: Manifestè ca-
E lefaciunt vinum, sinapi, allia, porta, cæpe, nasturcium: iuscula, calidis herbis hyssopo, thymo, pulegio alterata. Refrigerant panis ex hordeo, fructuaria vina, acetum, iuscula herbis frigidis vt oxalide & lactuca alterata: cucumeres, pepones, fructus horarij: Obstruunt vinum dulce, Zythum, lac bubulum, liborum omne genus, panis azymus, polenta, pultes, ficus præsertim recentes, palmulæ, quæ fugiendæ sunt omni hominum generi, quia omnes ferè morbi fiunt ab obstructione: præsertim verò ijs qui sunt calculo, iecoris aut lienis obstructionibus obnoxij. Obstructa liberant incidendo & aperiendo, decoctum cicerum omnis generis, asparagi, acetaria ex capparibus aut crista marina, serum lactis: in quo ad obstructum lienem dissolui poterit trochiscorum de capparibus ℥.j. ad obstructum iecur trochiscorum de absinthio, vel de rhabarbaro tantumdem, vel electuarij triasandali tabella vna.

DE ALIMENTIS EVCHYMIS ET cacochymis. CAP. XII.

A

EVCHYMVM dicitur quod bonum sanguinem generat, in quo quatuor humorum quantitas, qualitas & proportio legibus naturæ conueniens, seruatur. Cacochymum ex quo vitiosus sanguis generatur, iusto calidior aut frigidior, crassior aut tenuior: salsus denique aliena qualitate præditus. Inde quædam alimenta dicuntur pituitam gignere, alia bilem, alia melancholiam, quędam serum: laudabilem sanguinem gignunt vinum rubrum, lac, oua sorbilia, phasiani, pulli galinarum, capones. Auium caro præferenda est carni quadrupedum, etiamsi hœdina, & vitulina, vt pulli, bonum succum gignant; in summa animalium quæ in aere libero viuunt, caro, melior est quàm eorum quæ domi educantur, eorum quæ media & florenti sunt ętate, quàm senum aut lactantium, pinguium quàm macrorum. Mali succi sunt vina nigra & crassa, caro bubula, caprina, hircina, pessima taurorum, vulpium & asinorum. In Alexandria, inquit Galenus, multi sunt elephantici, quia vulgus vescitur carne asinina, non aliter quàm hîc bubula, aut suilla salsa. Simili causa quidam fieri putant vt in Hispania nulli videantur leprosi, in Gallia plurimi, quòd illi abstineant suilla nostris familiari. Senioris leporis caro est melancholica: Pituitam verò gignunt vina cerealia & fructuaria, poma, præsertim immatura, fructus fugaces, pisces. Bilem, dulcia omnia, vt mel & saccharum, præsertim in biliosis naturis (pinguia quoque) bilescunt: pituitosa verò, melancholica & biliosa alimenta, quamuis omni hominum generi noceant, potissimùm tamen vitanda sunt pituitosa à pituitosis, biliosa à biliosis, melancholica à melancholicis, quia omnis intemperies similibus læditur, contrariis iuuatur. B C

DE EVPEPTIS ET DYSPEPTIS. CAP. XIII.

SCITVM est illud Auicennæ, si quis amat suam vitam vtatur cibis boni succi & facilis coctionis, eósque diligenter mandat, neque vnquam solidos deglutiat: Vita enim consistit in permansione natiui caloris, calor autem quia repatitur agendo, vsu paulatim atteritur, quò igitur illi minùs resistet alimentum, eò diutiùs permanebit: dyspepta resistunt magis, eupepta minùs, itaque volucribus potiùs quàm quadrupedibus vtendum: vitulina potiùs quàm bubula, hœdina potiùs quàm caprilla. Animalium seniorum & macrorum caro, quia difficiliùs coquitur, quàm iuniorum, & pinguium, postponenda: ex animalium quoque partibus, aliæ alijs faciliùs coquuntur, Intestina, vterus, cor, renes, testes, (exceptis gallinaceis) ægrè coquuntur, ventres quoque animalium in dyspeptis haberi debent, falsò enim quidam mergi & struthiocameli ventrem commendant, vt ciborum iuuent coctionem. Multi quoque laudant ad eundem vsum puluerem interioris tunicæ ventriculi gallinarum sumptum cum vino. Notandum verò est in faciendo delectu ciborum facilis, vel difficilis coctionis, habendam esse rationem personæ, & generis vitæ: nam oportet coquenti calori offerre alimentum proportionatum: rusticis enim, vt agricolis & messoribus robustis, qui continuè exercentur, & viuunt in aere libero, si tenellas carnes, vt alaudarum, perdicum offeras, corrumpentur à potenti calore: bubulam aut suilam meliùs conficiunt: Aristoteles scribit qui sunt ventre calidiore salubriùs vti bubula quàm cibis delicatioribus, quia insignis calor eupepta edulia corrumpit, assat, torret, in bilem vertit. duobus autem signis vnusquisque coniiciet an alimentum quo vtetur sit boni succi, & facilis coctionis, primò ex sapore dulci & voluptate quam ex eo percipit, secundò ex prauo aliquo accidente, vt ructu acido, vel nidorulento, ex humore contra naturam, genito in ventriculo, vt pituita, vel bile. D E

THEORE-

A THEOREMATA EX LIB. GAL. DE *alimentis deprompta.* CAP. XIIII.

ACERBA & austera, vt mespila & corna ventriculum roborant & appetentiam excitant. Eadem primis mensis sumpta aluum cohibent, postremis laxant: Gal. cap. de piris, idem scribit de cydonio, & cydoniato. Dulcia aluo mouendæ conueniunt, verùm lieni & iecori, inflammatione obsessis, nocent, cap. de ficubus. Pinguia, vt lenta cibaria, statim vt sumpta sunt, celeriter implent & appetentiam deiiciunt, vnde oleosa ad vomitum prouocandum à medicis imperari solent. Eadem vim habent aluum subducendi, si primis mensis sumantur, vt humida & lubrica omnia Galen. cap. de melle, quæ si sumantur postremis mensis vnà secum omnia alia corrumpunt Gal. cap. de persicis & moris.

B HVMIDA alimentum exiguum afferunt corpori, quòd celeriter per vrinas & sudores vacuantur, hoc tamen habent commodi, quòd facilè coquantur: dura verò & terrestria, diuturnum quidem & copiosum, sed quod ægrè à calore natiuo coquitur, Gal. cap. de lupino, quod exemplo piscium duræ carnis fusiùs explicat tertio de alimentis.

ALIMENTA suauia stomacho sunt gratiora, insuauia ventriculum subuertunt, & ad vomendum incitant, vt quàm celerrimè quod infestat abiiciat: quod quidem facit per conuenientem viam: nam quæ vergunt deorsùm, per aluum deturbat, quæ sursum, vt quæ fluctuant, vomitu eijcit, ea autem in cibis suauitas tanti facienda est, vt cibus suauior, & qui auidè expetitur, quamuis deterior, meliori, sed insuauiori, sit
C præferendus, Hippocr. secundo Aphorismorum.

CONSVETA minus nocent, quia consuetudo est altera natura, quin venena ipsa consuetudine longa fiunt alimenta, vt docet Auicenna exemplo puellæ quæ paulatim aconito assueta, eo tandem vsa est pro alimento.

Profecit poto Mithridates sæpe veneno,
Toxica ne possent sæua nocere sibi.

Consuetudine sibi tam familiare reddidit venenum, vt cum sibi mortem inferre vellet sumpto veneno, ne veniret in manus Pompeij, exitiale venenum innoxiè sumpserit.

D DE PANE FERMENTATO, VT AZYMO *& huic adiunctis eduliis.* CAP. XV.

DICTVRVS sigillatim de cibis, exordiar à pane, cuius facultas ex seminum cerealium natura & apparatu petenda est, quæ cùm sint plurima, tribus tamen potissimum vtimur, tritico, hordeo, secali, vel eorum miscella, neque enim milio vtimur, vt Occidentales Indiæ plurimi incolæ, neque oriza, vt Orientales quamplurimi, neque auena, vt vulgus tritici penuria, in summa annonæ caritate. Triticum optimum, quod densum est, & graue, colore flauo, sapore & odore grato, ex quo conuenienter mollito, & in farinam redacto, panes fiunt duorum generum, fermentati, & azymi. Fermentati panis Gal. quatuor differentias constituit. Primus dicitur siligineus, qui fit ex
E optima farina, quæ flos dicitur, cui primam palmam in alendo Paulus tribuit, secundus similagineus dicitur, quia constat similagine, id est farina pura, furfure per setaceum diligenter secreto, qui secũdum bonitatis gradum obtinet, apud Plinium. Tertius αὐτόπυρος confusaneus, qui non est castratus, sit ex integra farina, à qua non est secretum furfur. Quartus furfuraceus dicitur, qui fit ex solo furfure, qui quòd solis canibus alendis conueniat, panis canicarius appellatur, huic si parum farinæ addatur, fiet panis ater, quo pauperes vtuntur, qui nutriendi modicam habent facultatem: ex secali panes fiunt rusticis familiares, qui ægrè coquuntur, & in ventriculo grauitatem quandam relinquunt, multò minus nutriunt, quàm panes ex tritico, quòd si secali misceatur triticum, ex æquis partibus fiet panis laudabilis, qui mediocriter alit, & optimum succum gignit. Panes hordeacei, si ex sola hordei farina fiant, succum pariunt detergentem, corpus siccant, minimúmque nutriunt, ita-

que hordeum secali & tritico misceatur. Ad panem azimum referuntur omnia placentarum genera quæ à pistoribus dulciarijs, ex farina triticea cum aqua subacta & alijs rebus admixtis, vt caseo, vitellis ouorum, fructibus, vt cerasis, prunis, fieri consueuerunt. Quorum omnium descriptionem potissimùm quæ apud nos in delicijs habentur, explicat Ruellius, cap. de tritico. Commune est omnibus placentis crudos succos gignere & obstruenres, cùm ijs frequenter vsus fueris: sic obelia, vel nebulæ appellatæ, quæ fiunt ex farina mixto saccharo, vel melle: Ad idem genus pertinent edulia cerealia, quæ hic frequenter vsurpantur, vt panatella, polenta, hordeatum, marcipanes: panatella melior esset, si ex mica panis bene fermentati conficeretur: ex hordeo paratum hordeatum mixtis amygdalis & saccharo, est cibus valde commodus ad detergendum & refrigerandum, addi potest caro capi, vel perdicis multùm concisa, vt magis nutriat. Marcipanes laudantur à medicis ad analepsin, corporis emaciati refectionem: parantur ex amygdalis, passulis, pistacijs & saccharo in aqua rosarum dissoluto. Inde fit pasta regia, de qua fiunt panes qui ab inuentore Marco medico marcipanes vocantur. A B

DE LEGVMINIBVS, PISIS, FABIS, *oriza, ciceribus.* CAP. XVI.

GALENVS secundum inter esculenta tribuit locum leguminibus, quòd cum cerealibus plurimùm conueniant, eiusmodi sunt fabæ, pisa, cicera, Oriza, quibus omnibus commune est, vt flatum gignant, & longo vsu, succum melancholicum, de quibus singulis breuiter dicendum est. Fabæ vel sunt virides, vel siccæ: virides, frigidæ humidæ, multa C enim cōstant humiditate quæ si frequenter à nobis vsurpentur, sanguinem gignunt crudum & serosum, flatus quoque, qui vix admixtis aromatis, vel herbis calidis, vt satureia, saluia, hyssopo, corriguntur, sed pauciores excitantur: somnia turbulenta & venerem excitant. Auicenna, & post eum Rhasis, non solùm illis tribuunt vim conturbandæ imaginationis, verùm etiam epilepsiæ excitandæ, quod propter flatus multos à se genitos præstant potiùs quàm occulta proprietate, fabæ siccæ temperamento sunt frigido sicco, vim magnam habent detergendi, earum farina frequenter vsurpatur in cataplasmatis vbi refrigerandum est & siccandum, vt in inflammationibus mammarum. Pisa fabis proximam habent naturam à quibus superantur facultate detergendi & flatuum generatione, viridia pariunt succum serosum, aluumque subducunt detergendo, quemadmodum & siccorum decoctum. Pisorum & leguminum vsu frequenti scribit Hippocrat. gigni tumores D pedum qui ægrè euanescunt, & mulierem quandam in ipso partu magno in vitæ discrimine fuisse, quod per annonæ caritatem multis leguminibus vsa fuisset. Oryza suo cortice spoliata ad nos defertur, quòd in eius cortice venenatum quid insit. Seritur procul ab vrbibus quòd eius flos malè oleat, ea calida est & sicca, mediocrem habet vim astringendi, ideoque in clysteribus dysentericorum parum torrefacta à medicis vsurpantur. Crassum succum gignit, venásque obstruentem, si quis frequenter vtatur: ex ea cum lacte cocta, ieiunij tempore, paratur orizatum. Cicer frequens est in medicina, vtuntur rubro ad mouendas vrinas, nec non ad calculum in renibus frangendum. Dioscorides tamen nigro maiorem ad hunc effectum vim attribuit, coquuntur cum radice graminis apij, fœniculi, bismaluæ, eringij, cum melle aut butyro paratur decoctum. Sed eo frequenter vtendum non est, quòd tandem sanguinem ex renibus eliciat. Iisdem vlceratis, valdè nocet: nam magis exulcerat, vt est apud Dioscoridem: flatus gignunt & venerem prouocant, quo fine dantur admissarijs equis. E

DE

A DE FRVCTIBVS. CAP. XVII.

TERTIVS locus inter esculenta fructibus tribuitur, qui sunt duorum generum, vel enim sunt fugaces qui nimirum suæ durationis breue tempus obtinent, nisi melle aut saccharo condiantur. Cuiusmodi sunt pruna, cerasa, mora, cucumeres, pepones. Alij sunt diuturni, quales autumnales, qui in totum fere annum seruati possunt integri, sine vlla conditura: omnibus fructibus mollem & serosam substantiam habentibus commune est, serosos & tenues succos gignere in corpore, qui asseruati magnis sæpe morbis dant initium, nisi prius per vrinas, aut aluum vacuentur: fructus fugaces ferè expeti solent ad feruorem bilis & sanguinis edomandum, aluum subducendam, partes internas humectandas, in quorum vsu ea cautio esse debet, vt primis mensis assumantur quæ citò secedunt, vt racemi, cerasa, Quæ verò tardius, vt pira, mespila, sorba, secundis.

B

DE OVIS. CAP. XVIII.

IN OVO duæ sunt partes alibiles, albumen & vitellus, albumen succum crassum gignit glutinosum & calculo gignendo opportunum. Vitellus temperatus est, & boni succi, minimè excrementosus, si mediocriter coquatur: ex eo paratur oleum valdè anodynum. Tremula expeti debent, dura vitari: etiamsi vulgus illis in aceto induratis vtatur ad dysenteriam: meliora sunt suffocata, vel in aqua buliente cocta, exempta C testa, deinde succo acetosæ conspersa.

DE CARNE. CAP. XIX.

AB animalibus gressilibus & volatilibus petendum est alimentum quod sit boni succi & facilis coctionis, quale non tantùm à specie animalis deligetur, sed ab ætate, sexu, corporis habitu, pabulo: Ab ætate quòd tenella animalia, quæ non multùm distant ab ortu, vietis sunt meliora, nam agni caro veruecinæ præferenda est, Vitulina bubulæ: sic pipio columbum anteit, capreolus capram, hinnulus ceruum. In piscibus dispar est ratio: Senioris enim caro præferenda. Castrata animalia, sunt pinguiora, & melioris succi, quia seminis & pinguedinis communis est materia, quod decedit vni alteri accedit: vt capi gallis, boues tauris præferendi sunt. Mascula quoque animalia tetrum habent odorem ex feruore libidinis contractum, illorum sanguis & hepar libidine D aduruntur, fiuntque strigosa, portione sanguinis alimentarij in semen abeunte. Pabuli genus, salubriorem quoque vel insalubriorem carnem reddit: nam boues, quia herbam grandiorem depascunt vere & ineunte æstate sunt meliores quàm hyeme: capræ, germinantibus arboribus sunt melioris succi: sic de veruecibus iudicandum, quibus cùm herba sicca sit vtilior, æstate summa maiorem habent gratiam quàm quouis alio tempore: cæterùm de tortiuo iure quod ex carnibus assis torculari exprimitur, & consummatis quæ à carnibus elixis ad putrilaginem, & per linteum colatis educuntur, necnon de distillatis, opportuniùs cùm de Diæta ægrorum.

DE PISCIBVS. CAP. XX.

E OMNES pisces per se humidum & frigidum alimentum præbent, pituitam multam gignunt, facilè corrumpuntur in ventriculo, sitim pariunt & interdum venenatam qualitatem acquirunt. Recens enim elixi, si inter duos discos sinantur, venenati euadunt, vt affirmant qui de venenis disputarunt: Non omnium tamen par est ratio, nam alij alijs sunt salubriores, de quo vt certum iudicium ferre possis, multa adhibere oportet in consilium: Considerandus imprimis locus, in quo degunt, deinde substantia. Præterea odor & sapor consideranda sunt, non neglecta præparatione. Considerandus, inquam, locus vt degant ne in aqua marina, fluuiali, lacustri, vel stagnante. Quantò enim purior fuerit aqua, minùs limosa & cursu concitatiore feretur, eò pisces erunt salubriores, hinc aqua fluuiatilis in nutriendis piscibus stagnante multò

melior. Aqua marina tres piscium differentias continet. Quæ enim longiùs à littore A remota est, vt medium mare, pelagios pisces profert, vt scombros, mugiles, & capitones, dracones, littoralis quæ terræ proxima est atque saxis multis obruta, saxatiles habet pisces, inter littorales meliores, quòd magis exerceantur & meliore alimento vtantur: Substantiæ ratio multiplex: quædam enim dura, quædam mollis, quædam mediocris: Item friabilis vel lenta, quædam pinguis, quædam lenta: sicci & friabiles pisces longè meliores, quàm molles & glutinosi: Dura caro vt ostreorum, mitulorum crassum gignit succum, & ægrè coquitur, quanquam eorum decoctum subducendi aluum vim habeat. De odore & sapore hoc habeto, eos pisces salubriores iudicari, qui gratum saporem & odorem habent: qui verò tetrum, & virus olent fugiendi sunt: Quod ad præparationem attinet, Assati, frixi, siccius & salubrius; elixi verò humidius alimentum præbent: qui condiuntur sale, si duram B habent carnem vt salmones saliti, Ichtyocola, ægrè coquuntur, succósque crudos gignunt. Lege Rondeletium de piscibus, qui post Aristotelem & Appianum, hac de re scripsit accuratissimè.

DE QVANTITATE ALIMENTI.

CAP. XXI.

IN alimentorum vsu consideranda est imprimis substantia, síntne boni succi, & facilis coctionis, deinde qualitas, síntne temperata, vel intemperata: Tertiò quantitas, scilicet, vt parcè & tenuiter viuatur: quo pertinet quotitas, vt quoties in die sit edendum. Postremò spectari debet ordo, vt C an liquida solidis sint præmittenda. De substantia & qualitate hactenus, de quantitate & ordine restat vt paucis transigamus. Intemperantia est nutrix medicorum; Plures enim occidit gula quàm gladius. Plato intemperantem ciuitatem hoc signo coniiciebat, quòd aleret multos medicos: Maiores nostri, inquit Galenus paucioribus morbis laborabant, quia frugalius viuebant, mulieres & ennuchi, Hippocratis temporibus podagra non laborabant, hodie propter ingluuiem frequenter his morbis vexantur. Scitum est illud Socratis, esse oportet vt viuas, viuere non vt edas. Tantum cibi & potus sumendum, quantum reficiendis viribus sit satis. Sanitatis tuendæ duo sunt prima præcepta: nũquam satiari & impigrum esse ad laborem: Inædia ex accidenti vacuat, & leuioribus morbis à repletione succurrit, quia calor non occupatus in conficiẽdo nouo alimento operã conuertit ad coctionem cruditatũ & superfluitates expellẽdas. Verũ vt est in prouerbio μηδὲν ἄγαν, ne quid nimis: grauius est enim peccatum inanitionis, quàm repletionis: magis in defectu delinquitur, quàm in excessu, quia facilius est causis replentibus subuenire, quàm exhaustum humidum primigenium, & exuctas partes solidas alimento reficere: Denique morbi ab inanitione sunt longiores & periculosiores quàm à repletione: cæterùm quoties in die sit comedendum, non potest absolutè definiri, quia vt pituitosi facilè inædiam ferunt, ita semel tantùm debent comedere, biliosi vt inædia grauiter læduntur, ita debent parum & sæpe comedere, ientare, prandere, cœnare, sed parcè. Quæsitum est an veteres Græci & Romani, quotidie semel dunraxat comederent, quia mirabatur Plato Siculos bis in die saturos fieri. Respondeo Romanis in more fuisse, leuiter prandere, liberaliùs cœnare, ientaculum & merendam esse antiqua Latinorum nomina, non temerè, sed ad res ipsas significandas inuenta: Hippocrates secundo de ratione victus in acutis explicans quantùm possit consuetudo, si prandeat inquit, qui consueuit tantùm cœnare, sentiet se grauari, quòd si consueuerit terin die cibum sumere, ista consuetudo nihil afferet illi molestiæ. Galenus quinto de Sanitate tuenda vult in præscribenda mediocritate habendam esse rationem ætatis, quia senes quotidie ter, pueri quater cibandi sunt. Ceterum varietas ciborum, præsertim si contrarijs constent facultatibus, autore Galeno primo de Dięta in acutis, est nocentissima. Debet prandium esse liberalius cœna. Athletę solùm panem in prandio edebant: in cœna carnem cum pane.

A *DE ORDINE.* CAP. XXII.

DE ordine ſic ſtatuit Galenus ſecundo de facultatibus alimentorum, capite decimo: præpoſterè ſumunt alimenta qui εὐπέπτα δυσπέπτοις non præmittunt, humida ſiccis, lubricantia aſtringentibus: quæ facilè deſcendunt, ijs quæ tardè permeant: cui ſententiæ ſubſcribens Aëtius: humida, inquit, lubrica & quæ facilè aluo ſecedunt, quæque facilioris ſunt coctionis alimenta, primis menſis aſſumenda ſunt, vt enim faciliùs coquuntur, ita citiùs deſcendunt, alijſque viam parant: quæ ſi poſtremis menſis ſumerentur, alia corrumperent, & ante coctionis legitimum tempus deturbarent. Ad ordinem pertinet altera quæſtio huic valdè affinis: An incipiendum ſit à potu,
B Ita videtur, ſi modo liquida ſint præmittenda. Accedit quòd priùs humida ſubſtãtia diſſipatur quàm ſicca. Atqui potu humida, cibo ſicca ſubſtãtia reparatur. Item coctio ſimilis eſt elixationi, Atqui in ollã primùm aqua, deinde caro immittitur, ergo in ventriculũ potulenta, ante eſculenta inijcienda ſunt. Inde illud Scholę Salernitanę: A potibus incipe cœnã: quod Vilanouanus de potulẽtis, vt iuſculis interpretatur: Ea conſuetudo inualuerat, inquit Plin. vt potus cibos præiret, quam quidem cõſuetudinẽ, poſteriores medici multis cauſis repudiarunt, Quia vinum primò ſumptum grauiter neruos offendit, & arthritidem generat: ſecundò quòd ita fluctuet cibus in ventriculo, nihil autem tam interturbat coctionem quàm fluctuatio. Hinc Galenus libro ſeptimo Methodi, exiſtimat priùs edendum quàm bibendum, ego viciſſim bibendum & edendum puto, vt fiat cibi & potus exquiſita permixtio: neque pla-
C cet Aſclepiadis ſententia, qui exiſtimabat primum cyathum bibendum eſſe ad neceſſitatem, ſecundum ad voluptatem, tertium ad ebrietatem, quartum ad inſaniam. Potus enim definitur ab effectis: liquor qui ſedat ſitim, alimenta permiſcet, & permixta diſtribuit: hauſtus Germanicus facit vt fluctuet cibus, præſtat parum & ſæpe bibere.

DE SOMNO ET VIGILIA.
CAP. XXIII.

HACTENVS de aëre, & alimentis, cætera rerum non naturalium ſumma capita, quorum mediocritate ſanitas conſeruatur, inſtat vt abſolua-
D mus, à ſomno & vigilia ducto initio: Vigilijs ſomnum ſuccedere oportet, qui diſſipatos ſpiritus reparet & vires reficiat: Nobis enim vigilantibus animales facultates, vt ſenſus, motus, diſcurſus, vigent: tum magna fit diſſipatio animalium ſpirituum. At nobis dormientibus functiones naturales meliùs fiunt: calore in viſcera recurrente, quibus quidem, vt pote alimenti triplici coctione, ſpirituum & virium iactura reſarcitur, in vtroque tamen tenere oportet modum, quia vigiliæ immodicæ corpus deſiccant & attenuant, ſomnus longior humectat tandemque refrigerat, necnon caput opplet vaporibus, vnde catharri, & frigidi morbi, & apoplexia, lethargus, paralyſis, obliuio: dormientes quippe nihil aut minimùm excernunt. Nam omnes fluxiones ſiſtit ſomnus excepto ſudore. A retentis omnes ferè morbi: Mediocritas multis circunſtantijs limitanda eſt: Senibus enim
E & pueris longior ſomnus conuenit, ſenibus, vt ſiccitas emendetur, coctio iuuetur, & vires roborentur: pueris vt fluor immodicus ſiſtatur: Magna enim fit diſſipatio per cutem laxam & mollem: A calore humido retentrix imbecilla, excretrix robuſta: Bilioſis quoque, natura peruigilibus, concedendus eſt ſomnus longior, vt humectentur, & bilis acrimonia temperetur. Pituitoſis verò, ſomnolentis humoris dominatu, imperandæ vigiliæ, ne longior ſomnus augeat frigidam & humidam intemperiem, eamq; in morbidam conuertat: gracilibus & extenuatis longior ſomnus concedendus eſt, quia pinguefacit, partim quod adiuuet coctionem, partim quòd impediat difflationem. Obeſis præſcribendæ vigiliæ, quia deſiccant & attenuant. Porrò noctu dormiendum & interdiu vigilandum,

Lux eſt, taurus arat: nox eſt, requieſcit arator:
Liberat emerito feruida colla boui.

Lux quippe propter similitudinem, spiritum & calorem foras trahit, non aliter quàm ignis maior minorem: Tenebræ verò, silentium, & quę diurnas vigilias sequitur lassitudo, suadent potiùs noctu quàm interdiu dormiendum. Cur hyeme somni longiores? quia noctes longiores & aër frigidior: Cur in locis obscuris citiùs & longiùs dormitur quàm in claris? quia in his, est quod sensus mouet, in illis minimè: Somnus verò est animalium functionum, præsertim sensuum, cessatio. Quæret aliquis nunquámne licet interdiu dormire? In genere enim hoc præcipitur, Somnum fuge meridianum. Respondeo meridianum somnum valdè senibus & infantibus conuenire, cæteris nocere, nisi fortè consuetis, quandoquidem consueta quamuis deteriora, insuetis, minùs molesta esse solent. Sed cur somnus meridianus fugiendus est? primò quia tempus somni breuius est, quàm vt perfectæ coctioni possit sufficere: Proinde cibi manent incocti: Secundò quia diurnus somnus impedit nocturnum: Tertiò quia fit motus violentus & naturæ contrarius. Nam vt diximus, lux diurna calorem & spiritum foras trahit, vtrumque somnus in interiora retrahit. Licere verò senibus statim à cibo dormire, docet Galenus Homeri testimonio, qui de Nestore ita scribit, A B

Vt lauit sumpsitque cibum, dat membra sopori.
Namque hæc iusta seni.

Cęterum notandum illud Celsi. Quibus caput est infirmum ijs ne cogitatio quidem à cibo tuta.

DE MOTV ET QVIETE.

CAP. XXIIII. C

ARs quæ explicat modos exercendi corporis, Gymnastica nuncupatur: in qua præsertim tuendæ valedinis rationem veteres Gymnastæ collocabant, vt scribit Galenus libro ad Thrasibulum: vbi definitur exercitatio: Vehemens corporis motus, quem anhelitus mutatio consequatur. Etenim articulorum motu auctus calor, per venas & arterias cordi communicatur, vnde maiorem, velociorem & crebriorem fieri respirationem necesse est: Eos qui sola deambulatione contenti sunt, Gal. scribit libro de Euchymia in otio viuere. Mediocris exercitationis hęc sunt commoda, vt ferrum quiete rubiginem contrahit, animus torporem, minuiturque memoria si non exerceatur, sic totum corpus otio refrigescit, pituitam multam & excrementa congerit, quæ omnia ille idem exercitio auctus dissipat, meliùs coquit & nutrit, Sensus omnes vegetiores reddit, alacriores spiritus, denique omnes tam animæ quàm naturæ functiones meliùs obeuntur. In quo vt tenere possis modum, consideranda est in primis temporis opportunitas, nam intempestiua exercitatio plurimùm nocet sanitati, quia crudum alimentum trahitur in habitum corporis, si statim à cibo exerceatur. Vnde morbi cutanei, pruritus, scabies. Exercendum itaque corpus ante cibum, depositis priùs alui & vesicæ excrementis, habenda quoque est ratio temperamenti in definienda mediocritate: Nam, vt est sexto Epidemiωn, calidis naturis quies, aquæ potus, balneum: Præterea non parum refert quo quisq; vtatur exercitij genere, quia quædam est exercitatio totius corporis, quæ generalis dicitur, vt lusus pilæ palmariæ, saltatio: altera particularis, qua duntaxat pars vna roboratur, vt incessu, tibię; brachia pugilatu, ventriculus equitatione, pulmones vociferatione. Exsufflata enim fuligine repurgantur, Hinc fit sæpenumero, vt cantores, & concionatores, professores, intermissa ista consuetudine, peiùs habeant. Cauendum tamen ne statim à pastu magna vocis & laterum contentione loquamur, quia à coctionis officinis, ventriculo & iecore, assurgit multus vapor ad superiores ventres, thoracem & caput, à quibus sępe ferina destillatio excitatur, quę illos omnes ad interitum pręcipitat. Sed quis erit tandem exercitationis modus, quousque corpus exercendum est? Respondet Hippoc. secundo de diæta: desistendum cùm lassari, sudare, aut dolere corpus incœperit, idem scribit Galenus secundo de sanitate tuenda. D E

A DE FRICTIONE CORPORIS.

CAP. XXV.

AD exercitationem pertinet frictio, quia in his qui propter imbecillitatem exerceri non possunt, frictio supplet vicem exercitationis, veteres gymnastę iubebant fricari corpus antequam exerceretur, vt blando calore ex frictione quæsito, partes solidæ remollirentur, vię laxiores redderentur, & excrementa attenuarentur. Quod genus frictionis præparatorium appellabant, Alterum genus ἀποθεραπευτικὸν siue recreatorium nuncupabant, quod excipiebat exercitationem, corpus humectabant oleo, vt partes solidæ exerci-
B tio desiccatæ remollirentur, forasq; excrementa, si quæ restarent faciliùs excluderentur. Sunt autem apud Hipp. frictionum quatuor genera, pro varijs eorum effectis distincta, dura, mollis, multa, mediocris: dura frictio corpus indurat, mollis remollit, mediocris mediocrem habitum inter durum & mollem efficit, multa extenuat & gracilitatem affert: A mediocri carnis incrementum: quod efficitur sanguine attracto à calore robusto, & vegeta facultate.

DE PERTVRBATIONIBVS.

CAP. XXVI.

A Stoicis hoc primùm requiritur in sapiente, vt sit ἀπαθὴς, vacuus & liber à
C perturbatione: Peripatetici verò pro ἀπαθείᾳ μετριοπάθειαν reponũt, quia sapienti non est cor ferreum, homo cum sit humani à se nihil alienum putat: natura fel animalibus ingenuit quo ad iram incitantur: armauit quædam vnguibus, alia cornibus, alia dentibus, vt his medijs & instrumentis iniurias depellant: irascibilem animam in corde, concupiscibilem in iecore posuit: appetitum denique brutum, sensualem, omnium perturbationum fontem, nobis adiunxit, vnde quisque intelligat impossibilem esse ἀπάθειαν, imò verò non tantùm sunt ineuitabiles perturbationes, sed vtiles ad seruandam sanitatem. Pituitosos enim ad iram prouocare confert, vt iracundia auctus calor, pituitam coquat, naturæ & animæ functiones meliùs obeat, nec dubium est moderato gaudio corpus & animum meliùs habere. Aristoteles docet quarundam perturbationum, vt ve-
D recundiæ, laudabilem esse mediocritatem & virtutibus moralibus affinem. Nascuntur autem perturbationes ex opinione boni, vel mali præsentis, vel futuri, ex opinione boni præsentis, lætitia, inuidia, maleuolentia: ex opinione futuri boni, spes, amor, & ira: ex opinione mali præsentis, mœror, tristitia, misericordia: ex opinione futuri mali, timor, pudor, desperatio, quę omnes, sunt vehementes & violenti motus animæ irrationalis, quibus tamen ratio possit modum statuere: data enim nobis est, vt velut sessor effrenem equum, aut gubernator ventis & procellis agitatam nauem, sic illa appetitum ferocientem comprimat & intra fines mediocritatis contineat: in μετριοπαθείᾳ igitur consistit animi & corporis tranquillitas, quę est humanæ vitę summa fœlicitas, erit autem tranquillus animus, si tibi persuaseris rerum irrecuperabilium fœlicissimam esse obliuionem, Deos ipsos, non
E habere ius in præterita, præterquam obliuionis. Preterea cum Stoicis sibi quisque persuadeat solam virtutem habendam esse in bonis, sola nos meliores efficit. Bona fortunę non esse bona: eorum enim iacturam faciliùs feremus, minusq; afficiemur, si honoribus spoliemur. Item quoties serui nobis irascendi occasionem dabunt, reuocemus in memoriam apophtegma Cęsaris, Cleon non est dignus ira Cęsaris, Seruus non est dignus heri iracundia.

DE EXCRETIS, ET RETENTIS, AC primùm de venere. CAP. XXVII. A

SI excernẽda retineantur fient morborum causæ. Propterea tuẽdæ bonę valetudinis hoc est primum præceptum, vt corpus excrementis grauatum exoneretur: sunt autem excrementa quædam benigna, quæ sola quantitate sunt excrementa, vt semen, & sanguis menstruus, alia planè inutilia, quæ non tantùm quantitate, sed etiam qualitate sunt excrementa, quorum alia sunt generalia, vt triplicis coctionis totidem excrementa: alui proluuies, lotium, & sudor: alia particularia, vt mucus cerebri. De singulis dicturus suo ordine, quantùm necesse est ad sanitatem conseruandam, exordiar B à seminis excretione, in qua tenere oportet modum, quia retentum semen putret, & veneni vim acquirit, quâ causa iuuenes viduæ, sæpe suffocantur ab vtero. Quò, inquit Galenus, quid perfectius est, cùm integram naturam seruat, eò fit deterius eùm ab illa degenerat, quia mutatio omnis fit à contrario in contrarium, ab optimo in pessimum. Immoderata autem illius profusio plùs nocet vitæ, quàm si eò plus sanguinis cẽties effluxisset, hinc omnia animalia salacia sunt vitæ breuioris. Ea causa passeres vix vnquam duos annos excedunt, & mares quia femellis sunt salaciores, citiùs moriuntur. Olim gymnastæ suos Athletas venerem exercuisse conijciebant, si ad cursum, saltum, pugilatum, solito segniores se pręberent: ergo quisquis suæ sanitati benè consultum cupit, venerem non exerceat nisi vt satisfaciat naturę, hoc est ad necessitatem, non ad voluptatem. Semen enim cùm sit benignum excrementum, C duntaxat cùm quantitate incipit esse molestum excernendum est, hac cautione & prudentia excretum, cor exhilarat, respirationem liberiorem reddit, melancholiam sedat & tristitiam, iracundiam mitigat, peruigili conciliat somnum: Non est pręter eundum in definienda mediocritate habendam esse rationem temperamenti, quia melãcholici, & biliosi venere magis lędũtur, quàm sanguinei & pituitosi: Nam morbis à pituitâ venus medetur, vt est sexto epidemion, quia motu auctus calor, pituitam fundit. Obseruandam quoque ætatem memineris: nam qui sunt in ætate florenti, minùs lęduntur quàm senes, exucti, frigidi, sicci: Immodicę autem veneris hęc incommodata memorantur, virium & spirituum exolutio, obliuio, visus hebes, fœtor oris, neruorum & articulorum morbi, vt tremor, paralysis, arthritidis omne genus, Podagra, Chiragra, Gonagra, Ischias: pręterea Gonorrhœa, mictus sanguinis & vrinę stillicidium, vt mittam luem veneream, & illius præcursores, cariem pudendi, virulentam gonorrhœam, & bubonem venereum. D

DE MENSTRVO FLVORE. CAP. XXVIII.

MENSTRVA purgatio non tantùm vterum, sed etiam totum corpus & sanguinis massam repurgat, neque tantùm copiam sanguinis minuit, sed etiam impuritatem. Crudior enim & fæculentior sanguinis portio per vterum à natura excluditur, quæ retenta magnos sæpe morbos adfert, quia sanguis retentus putret, quibus imminentibus vt prouideatur, imperanda sunt quæ menses mouent, primùm leuiora, vt decoctum cinamomi, vel syrupus capilli veneris, cum decocto radicum aperientium, vel hydromel in quo hyssopi pugillus vnus bullierit, vel pillulæ de hiera, cùm instat tempus ordinariæ fluxionis, vt naturam habeamus adiutricem: quibus frustra tentatis imperanda sunt potentiora, In methodo medendi opportuniùs explicanda. Quia vehementiora ægris potiùs quàm sanis conueniunt. E

A *DE MEDICAMENTIS AN conueniant sanis.* CAP. XXIX.

HACTENVS de vtroque excremento vtili, semine & menstruo: de inutili dicturus, hanc primùm quæstionem explicabo, si in tuenda valetudine locum aliquem habeant medicamenta. Quæstioni occasionem dedit Hippocrates, qui tertio Aphorismorum scribit eos, qui sano sunt corpore ægrè ferre medicamenta. Cauendum, inquit Celsus, in secunda valetudine ne aduersæ præsidia consumantur. Purgationem & venæ sectionem vulgus reseruat ad necessitatem, de quo sic statui potest: Medicamenta quædam esse ὑγιεινὰ, quæ Galenus plurimùm commendat, cuiusmodi sunt quæ succos B crassos tenuant, viscidos detergunt, & quæ mouent vrinas, qualia multa commemorat quarto de sanitate tuenda, vt oxymel, diacalamintes, diatriumpipereum, & alia quamplurima, ad roborandum ventriculum & discutiendos flatus accōmodata, neque ijs tantùm locus est in seruanda sanitate, sed etiam medicamentis blandis, quæ vulgò minoratiua appellantur, cuiusmodi sunt eccoprotica, quæ fæces deturbant: in eo genere sunt cassia, catholicum, manna, syrupus rosatum pallidarnm, hierapicra, pillulæ ante cibum, clysteres blandi, balani quibus contenta prima regione excrementa vacuantur, καθαρτικὰ vehementiora, vt scammoniata, minimè imperanda sunt ijs qui integra sunt valetudine, de quibus Aphorismus Hippocratis intelligendus est: fortassis ijs quibus grauis aliquis morbus imminet non omnino repudianda ad præcautionem: nam vt est doctissimè scriptum à Galeno, quæ reme- C dia præsentibus morbis, eadem imminentibus conueniunt. Eadem sunt therapeutica, & prophylactica, dummodo à perito artifice præscribantur. Cæterùm aluus pigra & difficilis infinita affert incommoda: putrent enim retentæ diutius fæces, & fumis cerebrum impetunt: vnde grauedo & dolor capitis: inde etiam inappetentia, & cordis palpitatio à putri vapore affecto stomacho. Hæc accedunt præsertim ijs quibus natura, aut accidente (vt crapula) viscera sunt calidiora & ficciora: quæ mala vt auertas, facilitetur aluus iusculis prunorum dulcibus, aut aliquo blando & naturæ amico cathartico, vel sero lactis in quo fumaria, senna, aut epithymus bullierint. Iisdem benefacit lactis asinini vsus frequens æstate, necnon balneum & aquæ potus.

D *DE VOMITV.* CAP. XXX.

SCRIBVNT Diodorus Siculus & Herodotus, Ægyptios & Caldæos ter quolibet mense vomere consueuisse pro conseruanda sanitate, aut clysteribus aluum proluere, à qua quidem consuetudine non recedit Hipp. Nam lib. de Insomnijs, scribit salubre esse vomere bis in mense, & tertio de Diæta, humidiores, inquit, debent vomere ter, ficciores, bis. Hanc tamen consuetudinem improbat Gal. ad tertium Aphorism. quia vomitus est motus violentus: subuertitur & resupinatur ventriculus & fumis replet caput. Proinde, inquit Auicenna, vomitus ijs nocet qui proba vtuntur victus ratione: Ijs solis prodest, quibus malè coquuntur cibi, & in ventriculo corrumpuntur. Accedat quòd E tam multæ requiruntur conditiones ad vomendi consuetudinem, vt non mirer à nobis neglectam. Stomachicis enim nocet, & capitis dolori obnoxijs, valdè gracilibus, alatis, & qui sunt angusto depressoq; thorace. Soli qui sunt amplo thorace & firmo capite aptì sunt ad vomendum: si nihil impediat, nauseanti ventriculo & cruditatibus multis grauato, præscribatur leue vomitorium, vt aqua tepida cum oleo: Omnia enim tepida, & omnia pinguia ventriculum subuertunt.

DE IIS QVÆ VRINAS ET SVDORES mouent. CAP. XXXI. A

DISSERVIMVS paucis de excrementis primæ coctionis quæ vomitu, aut deiectione excluduntur, secundæ & tertiæ coctionis excrementa nisi liberè fluant, diureticis & hydroticis vacuentur: diuretica quędam sunt calida, quæ sanguinem attenuando & liquando, quinetiam serum à tota massa secernendo, efficiunt, vt renes id totum emulgendo, vrinæ magnam copiam in vesicam effundant: eiusmodi sunt quinque radices aperientes, Asparagi, fœniculi, dauci, petroselini & apij, quibus non est vtendum sanis, nisi ad præcautionem imminentis morbi, quia frequenti vsu iecur & sanguinem resoluunt. Alia sunt diuretica frigida, vt radix graminis, quatuor semina frigida maiora, cucumeris citrulli, cucurbitæ, & melonum: quibus minore sanitatis incommodo vti possumus. Dicuntur autem diuretica, non quòd sanguinem fundant. Hoc enim est proprium caloris, sed quòd sanguinem serosum, & insipidum reddāt, qualem ob naturæ familiaritatem renes attrahunt: De sudore controuertitur, an sit naturæ excrementum: nam Diocles, qui iunior Hipp. ab Atheniensibus vocabatur: negabat esse secundùm naturam, quia nemo perfectè sanus sudat, nam perfectè sani non plùs appetunt quàm coquere possint. Integra coctio nihil aut minimum relinquit excremēti. Sanos tamen sudare, quinetiam vtiliter exercitio sudorem prouocari ad sanitatem conseruandam, experientia quotidiana testatum habemus. Præterea sudoris & vrinæ communem esse materiam in Physiologia demonstratum est. Quòd si vt Diocles existimabat, sudor fieret ex reliquijs tertiæ coctionis, non ob id sani contra naturam sudarent: quia impossibile est quin calor, separando heterogenea, vnaquaq; coctione quędam relinquat excrementa: Cutis est commune receptaculum, præsertim excrementorum tertiæ coctionis, quam de industria natura peruiam effecit, vt sudori, & diflationi liber esset exitus. Proinde sanis hydrotica non inutiliter pręscribi possunt. Ijs qui sunt sicca, & dura cute, denso corporis habitu, tepidum aquæ dulcis balneum prius imperatur, vt per cutem laxiorem sudor faciliùs diffluat. Humidioribus verò, laconicum. Decocto cinæ, salsæ parillæ, aut ligni sancti, catarrhosi fœlici successu vtuntur. De balneo hoc adijciam, Græcis & Romanis illius vsum ferè tam fuisse familiarem, quàm nobis manus abluere: exoleuit tamen ista consuetudo quia corpora reddit mollia & effeminata: liberat quidem corpus ab internis causis malorum, quia transpirationem adiuuat, & fuliginis excretionem, sed externis iniurijs vt aëris mutationibus illud magis obijcit: nihilominus, sicci, graciles, melancholici, balneo vti debent, ea tamen cautione ne impuro aut plethorico corpore balneum ingrediantur, sed blandè repurgato, ne calor externus, saburram ad cutem trahat & cutaneos morbos inducat. Ea etiam lege, vt si pars quędam interna vel externa imbecillitate laboret, ne vndique ad partem afflictam balneo liquati humores confluant, caueatur. Si præcordia intumuerint, dura sint, dolorem faciant: ita enim suspitio est inflammationi, balneo abstinendum.

(Right margin letters: B, C, D, E)

FINIS.

MEDICINÆ

MEDICINÆ PARS TERTIA QVAE

B PATHOLOGIA DICITVR.

SECTIONE PRIMA

TRACTABITVR DE DIFFERENTIIS ET CAVSIS MORBORVM.

INSTITVTI RATIO, QVID MORBVS.

C CAP. I.

TOTA medicina trium rerum explicatione concluditur, naturalium, non naturalium, & quæ ſunt contra naturam: rerum naturalium ſcientiam, deinde non naturalium iam abſoluimus: Reliquum eſt vt earum quæ ſunt cōtra naturam primùm theoriam, deinde praxim explicemus. Res contra naturam ſunt morbus, cauſa morbi, & ſymptomata: quarum ſcientia pathologia, quaſi τῶν παθῶν theoria, affectuum cōtra naturam ſcientia nuncupatur, præceptorum vſus θεραπευτική, Ars depellendi quęcunque naturæ incommodant. Pathologiæ ſubſunt αἰτιολογικὴ & σημειωτική, illa cauſas morborum exponit, hæc ſigna, tam diagnoſtica quàm prognoſtica: Diagnoſticis præſens morbi ſtatus digno-
D ſcitur. Prognoſticis euentus morbi præuidetur, ſitne cōualiturus æger an moriturus: Sitne morbus futurus breuis an longus. Vt autem morbi ſunt generales, aut particulares: Generales, vt prima genera morborum: Particulares, vt morbi ſingularum partium proprij, ophthalmia oculi, hepatitis hepatis, peripneumonia pulmonis: Ita cauſæ & ſigna. Particulares cauſæ morbos partium efficiunt, eoſdem indicant particularia ſigna, quorum doctrinam referemus in therapeuticem, quia videntur mihi ſingulorum morborum remedijs coniungendæ cauſæ & ſigna, vt ex eodem fonte omnia promat therapeutes. Ergo hìc generalium duntaxat morborum, generales cauſas & ſigna meditamur, à definitione morbi ducto initio: definitur autem à Gal. Affectus præter naturam, actionem primò lędens: quia contrariorum contraria eſt ratio. Sanitas eſt affectus ſecundùm naturam, actiones primùm perficiens. Intereſt
E tamen quòd vt ſanus quiſpiam dicatur, requiritur actionum omnium integritas. Valetudinarius verò dicitur vnius duntaxat partis actione læſa. Affectus nomen generaliùs hic vſurpatur, prout diſpoſitionem ſimul & habitum includit: Sunt enim morbi quidam ſchetici, alij verò hectici: illi, ad ſeparabilia accidentia pertinent: hi, ad inſeparabilia: Galeno non refert, ſi præter, an contra naturam dixeris. Auenrois tamen docet ignem naturaliter moueri ſurſum, violentia deorſum, in orbem præter naturam: cauſa morbi actionem quoque lędit, non proximè & immediatè, ſed interiectu morbi. Cur dicitur proximè actionem lædere non facultatem, cùm actio à facultate procedat? quia vt quies tollit motum, non facultatem mouendi; ita morbus eripit actionem, manēte facultate. Obſtructione tollitur vſus inſtrumenti, illæſa facultate: Argenterius obijcit vulneratę partis actiones integras manere,

quia nutritur, nutritione vulnus repletur: respondendum, sanguinis attractionem, A retentionem, & assimilationem fieri à parte sana, quę subest aut vicina est ægrę.

DIFFERENTIÆ MORBI SIMILARIS.

CAP. II.

VT sanitas consistit in partium similarium bona temperie, dissimilarium iusta magnitudine, numero, situ, & conformatione: conformatio in figura, meatu, læuitate & asperitate, præterea in ambarum vnione & cõtinuitate, tùm enim similaris pars sana est, & probè suam actionem edit, cùm temperiem naturę suę conuenientem seruat. Instrumentum suo vsu & officio defungitur, cùm instam obtinet magnitudinem, partes nec plures, nec B pauciores habet quàm decet, easq; bene sitas & cohęrentes, deniq; quando commoderatum est: Ita morbus similaris seu intemperies dicitur, quando pars similaris, natiuam suam temperiem perdidit: Instrumentarius quando instrumentum maius est, vel minus, quàm conueniat. Partes habet iusto plures, aut pauciores, easque malè sitas, aut conformatas, propterea similaris morbus definitur, Intemperies actionem partis similaris primò per se lædens. Organicus qui instrumenti vsum peruertit. Morbi similares tot sunt quot intemperies, totidem verò intemperies, quot temperamentorum prima genera, quatuor simplices, calida, frigida, humida, & sicca: totidem compositæ, calida humida, calida sicca, frigida humida, frigida sicca. Intemperies calida dicitur, quando in toto, vel in parte, vsque adeo est auctus calor, vt actionem lædat: Atque ita de cæteris sentiendum est. Præterea intemperies tam simplex C quàm coniuncta, vel est nuda, & immaterialis, vt phlogosis & congelatio, vel cum materia, sanguine, pituita, aut alterutra bile: Item æqualis, vel inæqualis, æqualis vt febris hectica, quę est sicca intemperies totius corporis. Inæqualis, vt febris lipyria & epiala: sub illa vruntur interiota, rigent exteriora, quod accidit inflammato aliquo viscere. sub epiala verò, vna pars frigore obrigescit, altera æstuante. Fernelius præter intemperiem, similaris morbi nouas differentias excogitauit, immoderationem materiæ, & morbos formę: materiam appellat immoderatam, quando iusto mollior est aut durior: laxior, aut astrictior: tenuior, aut crassior: rarior, aut densior: quas quidem materiæ qualitates, non morbos, sed morborum effectus Gal. appellaret: intemperiem enim humidam sequuntur mollities & laxitas materiæ, siccam durities & astrictio. Verùm de morbis materiæ & formæ quid sentiam, copiosè explicaui commentario ad librum secundnm Fernelij de abditis causis. D

MORBORVM ORGANICORVM DIFFERENTIÆ.

CAP. III.

MORBVS in numero dicitur, quando aliquid redundat, aut deficit quod sit necessarium ad obeundam functionem partis organicæ, vt puta si manus quatuor, aut sex digitis cõstaret, malè apprehenderet, si quis vnicum haberet testiculum, aut plures duobus, esset ineptus ad prolem: scribit Fernelius sibi notam in hac ciuitate familiam, cui gentilitium est habere tres testes. Noui ego, qui habet quatuor, sed tam exiles, vt sit sterilis, quia materiam seminis non possunt coquere. Item quæ preter naturam connascuntur, E vel adnascuntur parti, vt polypus naso, caruncula in vrinę meatu, calli, verrucæ, condylomata, suffusio in oculo, pterygium vnguis, omnes sunt morbi in numero, qui ad exuperantiam pertinent: Si membrum aliquod ex toto, vel ex parte abscissum fuerit, est morbus in defectu, huc pertinent quæ toto genere sunt contra naturam, vt calculi & vermes, si Gal. credendum sit, libro de differentijs morborum: nam Scaliger commentario ad librum Hipp. de insomnijs, contendit calculum ad obstructionem potiùs pertinere: Non modò si totum instrumentum, vt brachium, fuerit longius aut breuius quàm conueniat, sed etiamsi illius vna particula ad obeundam functionem necessaria supra modum aucta vel imminuta sit, erit morbus magnitudinis: vt enim vnicuique rerum speciei, certa magnitudo definita est à natura, ita vnicuique particulę: supra quam, aut infra nescit cõsistere rectum. Nicomacho Smyrnæo totũ corpus

A corpus vsque adeò intumuerat, vt se loco mouere non posset. Morbus erat auctæ magnitudinis in toto. Quòd si mammæ, restes, aut abdomen adeò crescant, vt eorum actio lædatur, erit morbus auctæ magnitudinis in parte, cui penis iusto longior, aut breuior fuerit, talis ineptus est ad generationem: Aut si lingua tam magna, aut breuis fuerit, vt loquutio impediatur. Præter numerum partium & iustam magnitudinem, requiritur, vt instrumentum proprium & naturalem situm obtineat, atq; etiam vt partes omnes ex quibus constituitur, bene cohæreant. Proinde si membrum aliquod luxetur, si intestinum aliquod in inguen, aut in scrotum deciderit, si anus aut vterus prociderint, morbus est in situ, si testes sint penduli relaxatis ligamentis, vel si eadem causa lingua promineat forasq; exeratur, morbus quoque erit in situ. Ad hanc morbi speciem pertinet coalescentia labiorum, digitorum, palpebrarum, sedis & pudendi muliebris, siue ab ortu, siue ab vlcere fuerit.

b PRÆTER numerum, magnitudinem, & situm requiritur & conformatio instrumenti, quæ in quatuor consistit, figura, meatu, siue cauitate, læuitate, & asperitate: faciamus alicui nares esse natura, ictu vel casu, depressas atque resimatas, morbus erit in figura: caput quod debet esse è fastigio depressum, si fuerit acuminatum, vel rotundum: vitium est in figura: callus qui insigniter articulis eminet, figuram partis peruertit: luxatione quoque, aut fractura malè curata, sæpe contingit, vt naturalis figura membri vitietur, item pedes vari, qui introrsum flectuntur, & vaccij, qui extrorsum ad morbum figuræ referri debent.

SI meatus vt pori cutis, oureteres, ouretra, venæ, arteriæ, nerui nimiùm pateant, vel coalescant, si obturentur ab humoribus multis, crassis, viscidis, vel comprimantur à vicina parte, humore vel flatu tumida, vel contrahantur, vt accidit resiccata C partis substantia, morbus erit in meatu, cuiusmodi affectus si ventriculo, aut intestinis adueniant, eorumq; cauitas obstruatur, vel constipetur, morbus erit in cauitate, vtrumque Auicenna morbum in via appellat: Quando pars quæ natura debet esse læuis exasperatur: Vt aspera arteria, cuius interior tunica debet esse læuis, si acri distillatione asperior reddatur, aut pars quæ debet esse aspera, vt ventriculus, vterus, intestina, ad meliùs continendum, si læuigentur, quod accidit intestinis lienterico fluore vexatis, & grauidis, quæ abortiunt, propter vteri læuitatem, morbus erit læuitatis, aut asperitatis. Pruritus, scabies, psora, lepra, morbi cutanei, sunt morbi asperitatis vt lentigo.

Angustiarum differentiæ sunt apud Gal. coalescẽtia vt in phymosi, subsidentia compreßio, constrictio, & obstructio.

D MORBI COMMVNIS DIFFERENTIÆ, *qui solutio continui dicitur.* CAP. IIII.

INTEMPERIES partis tantùm similaris actiones lædit, quales sunt naturales quæ seruiunt nutritioni: organicus verò morbus, instrumenti duntaxat vsum peruertit, vt obstructio venæ distributionem sanguinis, compressio nerui, vel arteriæ, animalis spiritus, aut vitalis commeatum. At solutio cõtinui, vt vlcus, vulnus, fractura, luxatio, & tumores contra naturam, tam similaris partis functiones, quàm vsum instrumentorum interturbant, vnde communes morbi nuncupantur. osse fracto non tantùm malè fit nutritio, sed etiam corporis moles malè fulcitur: incidantur nerui, venæ, arteriæ, vsum simul cum actionibus naturalibus amittent. Itaque solutio continui non potest referri ad morbum E similarem, vt Auenrois contendit, sed genus morbi à similari, & organico distinctum constituit, cuius propriæ differentiæ sumuntur à partibus affectis. solutio enim continui in osse, fractura dicitur: in neruo conuulsio: in ligamento, diuulsio: in cute excoriatio, in carne vulnus, vlcus, ruptio, contusio: ruptio est carnosæ partis, vt musculi, nõnunquam venæ aut arteriæ solutio sine vulnere. Vulnus est solutio continui in parte carnosa, à causa externa: vlcus à causa interna, vt humore acrimonia sua erodente. Auicenna antequam pus factum sit propriè vulnus dici vult, facto purè vlcus.

ALIÆ DIFFERENTIÆ MORBORVM *quæ sumuntur ab accidentibus.* CAP. V. A

PRædicti morbi sunt longi, vel breues: longi, si vltra diem quadra-
gesimum perdurent; breues, si ociùs finiantur, vt febris diaria, qui-
quidem si cum vehementia sua tempora celeriter percurrant, acuti no-
minantur: Acutornm terminus decimusquartus dies. Peracutorum se-
ptimus: perp eracutorum sen acutissimorum quartus, saltem die quar-
to in melius aut in peius terminantur: Qui excedunt diem decimumquartum, acuti
ex decidentia nominantur. Omnes quidem acuti morbi, sunt breues, non contra,
quia diaria est breuis, non acuta: Item morbus est magnus aut paruus: magnus vel
per se, vel ratione partis affectæ: nam morbus alibi paruus est magnus in corde: vel B
malitia causæ. nam dysenteria ab atra bile, est lethalis, Aut vehementia symptoma-
tum, vt doloris, vigiliæ, inquietudinis. Præterea morbus omnis est benignus, vel ma-
lignus: Omnes maligni sunt magni, non cōtra: Ad malignos pertinent cōtagiosi, ve-
nenati & pestilentes: cōtagiosi dicuntur, qui maligno aliquo effluuio quod morbidā
excretionem vocat Hipp. cominus aut eminus obuios afficiunt: non omnes tamen
peræquè, quia requiritur patientis aptitudo: peste citiùs corripiuntur quibus corpus
est imputum, quia humorum putredo est præparatio ad pestem, cominus inficiunt
qui vel contactu contagionis seminarium communicant, sic lues Indica, & elephan-
tiasis serpunt: vel fomite, vt scabies: Scabiosus enim in linteis in quibus dormierit,
relinquit fomitem, cuius cōtactu inficietur, qui in ijsdem post eum decubuerit. Emi-
nus inficiunt, contagionisq; seminarium, vt auram pestilentem, in alios transmittunt C
peste correpti, dum in ambientem efflant: Tetro enim halitu aerem contaminant,
quem qui inspirat, simili morbo prehenditur, præsertim si iam adsit corporis prepa-
ratio. Venenati morbi, partim fiunt à veneno intus genito, nam menstruum & se-
men longiore mora putrent, putredine veneni vim & qualitatem acquirunt: nec du-
bium est humores vstione, aut putrefactione, venenatam qualitatem acquirere. Huc
pertinent morbi, qui à vermibus, à grumo sanguinis, aut à cœco quodam humorum
vitio excitantur. Partim ab assumptis venenis fiunt, partim ab admotis, vt puta à
morsibus venenatorum animalium, vt scorpij, serpentis, canis rabidi. Ab Hippoc.
vt iam notaui, diuiduntur morbi in dispersos & communes, hi subdiuiduntur, in en-
demios & epidemios: endemij vocantur, aliquibus incolis familiares, aeris aut ali-
menti vitio, vt Iudæis lepra, Indis lues venerea, phtisis Lusitanis, strumæ Hispanis, D
broncocele Alpinis. Epidemij verò appellãtur qui passim in vulgus grassantur: quo-
rum alij sunt pestilentes, alij non: Nam popularis catarrhus, vulgo Cocluche, quam-
uis à communi causa, vt aete crasso excitatus, tamen habet aliquid malignum, cu-
ius causa non cedit ordinarijs remedijs, non est tamen pestilens & contagiosus. Idem
de pleuritide & dysenteria populari dixeris, habent quiddam cacoëthes, mitius ta-
men peste. Addi possunt aliæ partitiones morborum sumptæ à partibus anni, ab ęta-
tibus, ab humoribus, vnde morbi quidam dicuntur æstiui, hyberni, verni, autum-
nales: morbi quidam pueriles, alij seniles, quidam pituitosi, alij biliosi, quales Hipp.
in Aphorismis describit: Alij quoque sunt aduentitij, alij naturales, vt hæreditarij,
alterutrius parentis vitio à prima conformatione contracti. Nam liberi paternorum
malorum vt bonorum sunt hæredes: Item alij simplices, alij compositi, simplices vt E
vlcus, fractura: compositi, vt fractura cum vlcere, vlcus cum intemperie vel cum
phlegmone, quid multa? Diuisiones quamplurimæ occurrent inter legendum
Hippocratem, & Gal. quas obseruabis, & in vnum locum omnes reuocabis. Non est
æquum eam præterire, qua mobus omnis primarius dicitur, vel per consensum.
Nam maximi est vsus, in exercenda medicina, de qua initio Therapeuticæ.

A ## DE CAVSIS MORBORVM.

CAP. VI.

HACTENVS primas & generales differentias morborum exposuimus, sequitur vt eorundem causas explicemus. Omnia autem fiunt ex materia, per formam, ab efficiente, aliquo fine: Itaque quatuor causarum genera physici constituerunt. Subiectum in quo morbus existit, habet locum materię: nam materia quæ committit morbum, vt humor morbificus, habet rationem efficientis, definitio morbi est illius forma, finis nullus, si modo bonum & finis reciprocentur, vt est apud Platonem in Philæbo: quo argu-
B mento reprehenditur Euripides ab Aristotele secundo Physicorum quòd scripsisset mortem esse finem rerum omnium. Non enim quicquid agit habet certum finem suæ actionis, sed quicquid agit naturaliter: vt vt sit, hic solam morborum efficiẽtem causam inquirimus. Nam sola, propriè & sine adiuncto causa nominatur. Galenus in libro de causis morborum & symptomatum, non alias explicat causas quàm efficientes. Efficiens verò causa morbi omnis est externa vel interna, illa euidens & præcedens nominetur. Hæc à Celso abdita dicitur, quòd ex nobis ipsis profecta sit, & in nobis ipsis delitescat: Hæc diuiditur in antecedentem & coniunctam: Coniuncta dicitur quæ proximè & immediatè facit morbum vt sanguis, qui phlegmonem committit. Antecedens verò quæ primum fecit & fouet morbum. Inter quam & morbum, aliæ sunt causæ interiectæ, eiusmodi sunt plethora & cacochymia. Has
C omnes causarum differentias medicus debet cognoscere antequam cogitet de morbo depellendo, quia curantur morbi primùm remouendo causas antecedentes, deinde coniunctas: externis verò etiam si nihil præscribatur, tamen quia mouent internas, corpusq́; variè immutando, morbos procreant, idcirco præcognoscendæ sunt, summaque diligentia perquirendæ, vt nos deducant in interiorum & abditarum cognitionem: Externæ verò, vel sunt necessariæ, necessariò ferendæ, sine quibus viuere non licet, quale sunt Aër, cibus, potus, motus, quies, somnus, vigilia, excreta, retenta, & perturbationes: non necessariæ, sunt fortuitæ, vt belluarum occursus, vulnus à gladio aut lapide inflictũ: quæ cum arte vitari non possint, frustrà de illis præciperetur: At aër quidem est ineuitabilis, aliquis enim necessariò viuenti inspirandus est, nec potest animal vllum viuere, sine alimẽto, sed hic aer, vt qui Lutetię est pestilens, deuitari potest. Meminimus libro superiore rerum non naturalium prout
D salubres sunt causę, & sanitatis conseruatrices, deinceps verò explicabuntur, prout sunt insalubres morborumque efficientes. Efficiunt sanitatem moderato vsu, morbum verò immoderatione. Cęterùm ex physica oportet medicum huc appellare sex modos causarum: per se, per accidens: Actu, potentia: priùs, posterius: Vniuersale, singulare: Solum, coniunctum: proximum & remotum: nam Rhabarbarum exempli gratia calefacit per se, ex accidenti refrigerat, quia calidos humores euacuat. Plethora, & cacochymia quandiu est morbus in fieri, sunt causę potentia, proxima, vel remota: iam morbo existente, sunt actu: Aër est causa morbi vniuersalis, indefinita, vt & alimentum: hic aër, hoc alimentum, est causa particularis.

E ## AN SIT CAVSA CONTINENS IN morbis. CAP. VII.

NOMEN causæ continentis Galenus lib. contra Iulianum scribit à Stoicis in medicorum scholas introductum: ignem quippe diffusum per vniuersum Zeno continentem hoc est efficientem & conseruatricem mundi causam appellabat, quo præsente perdurat, eodem absente mox dissolueretur. Arist. tamen in Politicis scribit animam continere, id est regere & conseruare corpus: Idemq́; scribit de natiuo calore quarto meteorω, cuius pręsentia viuimus, eiusdem priuatione morimur. Medici magna contentione disputant, an talis causa in morbis sit constituenda, qua posita ponatur morbus, eadem sublata tollatur. Equidem est aliqua morbi causa cõiuncta & immediata: veruntamẽ omnis causa continens est coniuncta non contrà, quia intemperies cum materia,

vt sit hoc pro multis exemplum, habet causam coniunctam, nempe humorem impactum parti qualiscunque ille fuerit, qua sublata, nihilominus manet intemperies in parte. Itaque humor affixus parti, est coniuncta, non continens causa morbi: At humor obstruens, aut partem in tumorem attollens, præsens facit & conseruat morbum, absens eundem secum tollit: faciamus lapillo vreterem obstrui, quo tempore cœpit obstruere, incœpit morbus in via, cùm primùm sublatus est, desijt morbus: sanguis qui ad partem appellit, phlegmonem committit, tandiúq; manet phlegmone, quandiu sanguis illic subsistit, eodem missione sanguinis, aut resoluentibus vacuato, statim disparet inflammatio. Itaque non est dubium quosdam, non omnes, morbos habere causam continentem. A

VT AER SIT CAVSA MORBI. B

CAP. IX.

QVEMADMODVM Sol præsens calefacit, sic absens refrigerat, calefacit autem vicinia, longiore mora, & directo radio hyeme recedit à terra longiùs, nec admodum diu nos illuminat, radiósque obliquos emittit non perpendiculares, proinde hybernum cœlum frigidum, æstiuum calidum, ver temperatum est, autumnus intemperatus, propter caloris & frigoris inæqualem vicissitudinem, hinc æstiui morbi, hyberni, verni, & autumnales: mutationes enim temporum pariunt morbos, natura non fert subitas mutationes quales potissimùm autumno, & singulis anni quadris: Aër non tantùm inspiratus, sed etiam transpiratus qualitate sua nos immutat, vel manifesta, vt calore & frigore, siue illam à cœlo contraxerit, siue à ventis: Aquilonibus enim perflatus refrigescit, Austro incalescit: Vel occulta, vt pestilenti, siue seminarium pestilens quietè, non perflatus, contraxerit, siue aliunde, vt ab Austro, aut à maligna constellatione, aut à terris concitata Memphyti, vt exhalante de specu tetro halitu. Quantùm verò potest purus & temperatus aër ad seruandam sanitatem, tantùm impurus, & intemperatus ad producendos morbos: nónne vides quamplurimos sola aëris mutatione graues morbos incurrere, alijs contra vt longis morbis defungantur à medico aëris mutationem imperari? profectò tales sunt spiritus, qualis est aër qui inspiratur. Nam ex aëre crasso crassi, ex tenui & perlucido, clari generantur. Atqui sunt primi, & præcipui facultatum & functionum animæ ministri, itaque ab intemperato & impuro aëre infiniti morbi, id est functionum naturæ, & animæ læsiones. Frigidus aer densat cutem, impeditque perspirationem: à suppressis excrementis fuliginosis, innumerabiles morbi: Præterea externum frigus comprimendo cerebrum, distillationem excitat, multorum morborum parentem: calor verò externus, qualis sentitur diebus canicularibus, spiritus primùm, deinde humores, postremò totum corpus calefacit, inflammat, quinetiam exhaurit spiritus, humores vrit, & liquat. Hinc morbi calidi, illinc frigidi. C D

VT CORPVS AB ALIMENTIS IMMVTETVR.

CAP. X.

TALES sumus quales humores qui toto corpore dominantur, tales sunt humores quale est quod quotidie sumitur alimentum. Vt ergo ab alimentis temperatis quæque sunt boni succi facilisque coctionis, & minimè excrementosi, sanitas conseruatur, dummodo in eorum vsu teneatur modus, ita ex ijsdem intemperatis mali succi, vel difficilis coctionis omnes ferè morbi oriuntur: neque enim sine causa scribit Hippoc. morbos omnes ab aëre aut victu profisci, quia vix ab alijs causis, vt perturbationibus animi, aut exercitio vehementiore inuadunt morbi, nisi præcedat præparatio ad morbum, ad quem tùm corpus inclinat cùm subest repletio, aut impuritas. Vtrumque verò à prauo aut immoderato victu. Ab intemperatis alimentis excitantur congeneres morbi: Calefacientibus, vt mero multo, eoq; generoso, allijs, porris, cæpis, piperatis, calidi: vt morbi à bile, refrigerantibus, vt multo zytho, pomacio & frequenti vsu piscium, frigidi, vt pituitosi: quæ sunt crassi succi, vt bubula, panis azymus, obstructioné E

pariunt,

A pariunt, omnium ferè morborum parentem, quæ difficilè coquuntur, cruditatem.
Sanitati nihil tam incommoda quàm immodicus vsus cibi & potus. Ideo enim plu-
res occidit gula quàm gladius, quòd pauci sobriè & temperanter viuant. Appetitus
non tantùm veneris, & vindictæ, sed etiam cibi, & potus, tantùm exercet in nos
imperium, vt vulgo dicatur primos motus appetentiæ non esse in nobis. Venter bene
monenti rationi non auscultat, quia non habet aures. Quantitate igitur, qualitate
& substantia sua nos imminat alimentum. A repletione habitus qualis athletarum,
venæ vsque adeo copia tenduntur, vt nisi vena secta materia minuatur, rupturæ im-
mineat periculum: Quæsitum est, sintne grauiores morbi ab aere an ab alimento,
responsum, ab aere acutiores esse, ab esculentis & porulentis longiores. Aer enim
qualitate sua manifesta & occulta, citò & potenter nos afficit, alimentum tardiùs
quidem, sed contumaciùs. Cæterùm non tantùm peccatur in excessu, sed etiam
B in defectu alimenti, vt inædia longiore. Morbi verò ab inanitione sunt periculo-
siores & curatu difficiliores, quàm à repletione, quia humidi primigenij iactu-
ra difficillimè reparatur. Illud autem potiùs absumit calor quàm ocietur, si non
habet intus quod agat: nisi subinde nouum pabulum illi offeras, ad proprium
subiectum conuertetur.

VT EXCRETA ET RETENTA SVNT causæ verborum. CAP. XI.

INEVITABILIS est excrementorum prouentus, quia nullum est ali-
mentum tam simile nostræ naturæ, quod non habeat aliquid dissimile,
C caloris est separare heterogenea, ab homogeneis, vt hæc retineat, illa
excernat: triplicis igitur coctionis tria excrementa, foras excludi de-
bent vt salubritet viuatur: si subsistant, pariunt morbos. Idem de men-
struo & semine sentiendũ est. Cùm primùm enim quantitate incipiunt esse molesta,
nisi vacuentur, mora putrent, putredine prauam acquirunt qualitatem, vnde hysteri-
rica symptomata, De particularibus excrementis, vt muco & sputo, idem esto iudi-
cium: nam qui liberè nõ mungunt, sunt obnoxij morbis cerebri à retento muco: qui
non spuunt, morbis pulmonum, vt autem si retineatur excernenda excitantur mul-
ti morbi, ita si excernantur retinenda. Nam sanguinis & seminis immoderato pro-
fluuio dissipantur spiritus, viresque concidunt, inde morbi ab exhausto. Nec refert
vnde sanguis erumpat, ab vtero, pulmone, hæmorrhoidibus, vel à naribus, quia
D immodica illius vacuatione perpetuò vires deiiciuntur: multò magis seminis: quin-
imo, inutilis excrementi vacuatione immoderata, cum spiritibus vires fatiscunt,
morsque tandem consequitur. Quod contingit cùm imperitus Chirurgus, de ma-
gno abscessu totum pus confertim & semel exhaurit, aut de ventre hydropicorum
omnes aquas. Ergo ab excretorum, & retentorum immoderatione morbi. Rogabit
aliquis cur alimenta, & excrementa inter causas externas numerentur, cùm in cor-
pore lateant: An eo sensu vocantur externæ causæ morborum, quo calor febrilis
externus, hoc est alienus à natura, nuncupatur? Alimentum enim non est causa
morbi, nisi cùm à natura sua qualitate, aut quantitate recessit. Nec excrementum,
nisi contra naturam excretum, aut retentum. Aut alimentum dicitur externum,
quod extrinsecus primùm accessit. Excrementum verò dicitur morbificum, quan-
E do est excernendum quamuis ex alimentis ortum ducat.

VT MOTVS ET QVIES SINT CAVSÆ morborum. CAP. XII.

QVEMADMODVM mediocri exercitatione veluti flabello commotus ca-
lor intenditur, omnesque suas functiones exercet melius, ita quiete tor-
pet, agitque omnia languidiùs: immoderato motu degenerat in febrilem:
Nam quæcunque mediocritate seruantur, excessu & defectu corrumpun-
tur. Longo & vehementi motu auctus calor, spiritus & humores inflammat, vnde
morbi calidi: exercitatione verò neglecta ignauum corpus redditur, languidior ca-
lor, inde cruditas frigidorum ferè omnium morborum parens. Offendit præsertim

biliosos, & quotquot sunt calidioris temperamenti motus vehemens, quies pituitosos, nisi forte ex accidenti vehemens motus refrigeret morbósque frigidos exsuscitet, quia spiritus exhaurit: Calidos morbos efficit positiuè, frigidos priuatiuè: calidos per se, frigidos per accidens: Præterea impurum corpus qui exercuerit statim à pastu, attrahet incoctum alimẽtum in habitum corporis, vnde cutanei morbi, tubercula, pruritus, scabies: Deinde vt moderato motu sanitas conseruatur: sic immoderato, calidi morbi, vt febres oriuntur. Otio frigidi, vt catarrhus, apoplexia & epilepsia. Hinc Galenus libro de εὐχυμία, vt vitam à morbis securam traducas mediocriter corpus exerceto, si modum excedas toto corpore calidi humores succrescent atque inde morbi calidi, si infra modum subsistas frigidi humores, atque inde frigidi morbi emergent. A

VT PERTVRBATIONES SVNT CAVSÆ morborum. CAP. XII. B

PATHEMATA sunt irrationalis animæ motus non naturales, quibus etiamsi anima priùs potiusque commoueatur, ex ea tamen in corpus redundant, quia vel calorem & spiritum à centro ad circunferentiam educunt, vel à circunferentia ad centrum reuocant. Hinc Auicennæ, tristitia refertur inter causas morbificas, quòd coctionem & distributionem impediat, nam dum cor se constringit & impedit ne spiritus & calor in habitum corporis effundantur: naturales facultates debilitantur, corpus refrigescit, & paulatim desiccatur: Tristia solo auditu horrorem, aspectu animæ deliquium sæpe afferunt. Nam, vt inquit Aristoteles in Problem. plurimi cùm alios laqueo strangulari viderent, ipsi defecerunt. Morbificus quoque est metus, vtrumque, propter affinitatem hoc Aphorism. coniunxit Hippocrates, si metus & tristitia perseuerent non tantùm atra bilis iudicatur, sed etiam inducitur: subito metu multi exanimantur extincto scilicet calore: nam timore dum anima cõcutitur, repentè sanguis confluit in cor, atque ibi incuneatur, vt explicant Aphrodiseus in Problemat. & Galenus secundo de causis symptomatum. Contraria causa multi immoderato gaudio perierunt, sanguine scilicet cum calore, & spiritu interiora deserente: nam vt metus & tristitia ista retrahunt, in suos fontes, ita gaudium foras euocat: Insano amore multi animo & corpore ægrotant. Iracundia vsque adeò feruet sanguis in præcordijs, vt non sit mirum facilè inde febrem accendi, cùm nihil aliud sit quam auctus calor in corde. Ergo perturbationes plurimorum morborum sunt causæ. C D

VT SOMNVS ET VIGILIA, SI MODVM excedant sint causæ morborum. CAP. XIII.

VIGILIIS immoderatis alterantur vires, præsertim animales, vt sensus & motus arbitrarius, spiritúsque exhauriuntur; quos somnus reparat. Propterea, inquit Auenroes, secundo collectionum, nisi vigilijs somnus succederet, perirent sensus, ex consequenti vita. Corpus vigilijs exsiccatum & attenuatum, humectat somnus: quia iuuat coctionem, quam sequitur tandem copia humidi alibilis. Verùm si longior fuerit, refrigerat, & excrementitio humore corpus replet, imò verò somni præter naturam, vt Letargus, fiunt ab intemperie cerebri frigida humida, excitaturq; somnus arte ijs quæ refrigerant & humectant. Ergo longioris somni hæc sunt incommoda: corporis grauitas, & animæ ignauia, transmissis ad cerebrum vaporibus, quia per somnum astricta & densata cute, dum transpirare non possunt excrementa fuliginosa, cerebrum replent, inde frigidi & humidi morbi. hebetiores reddi pueros longo somno eorúmque iustum & naturale incrementum impediri ex Varrone notauit Gellius. Ergo vt somni & vigiliæ vicissitudine sanitas seruatur, sic ab alterutro immoderato morbi. Prodigio enim simile est quod scribit Montuus se vidisse mulierem quæ triginta quinque annos insomnis vixit, sine vlla noxa & detrimento sanitatis; probabilius est quod scribit Seneca lib. de prouidentia, Mœcenatem tres annos insomnes traduxisse, excitatum tandem illi somnum harmonia. E

DE INTERNIS CAVSIS MORBORVM.

Cap. XIIII.

A MORBORVM causæ ad quatuor prima capita reduci possunt, inanitionem, repletionem, alterationem simplicem & corruptelam. Corrumpere dicuntur quæ specifica, eaque inexplicabili qualitate substantiam partis, vel totius labefactant: quò pertinent morbi formæ contagiosi, venenati, & pestilentes, fiunt enim à causis corrumpentibus, quæ basim primùm impetunt, & conuellunt. Nos simpliciter immutant quæcunque qualitate manifesta, vt calefaciendo, vel refrigerando, relaxando vel astringendo corpus alterant. B Ad inanitionem pertinent omnes immodicæ vacuationes, tam vtilium vt sanguinis, seminis & spirituum, quàm inutilium, vt excrementorum: Vtilia vacuantur vehementi motu dissipatis spiritibus, sanguinis aut seminis immoderato profluuio, inædia longiore: Illa enim sanguini materiam substrahunt. Inutilia verò, diarrhœa longua, pure confertim educto: & superpurgatione: Ad repletionem pertinent quæcunque prima, secunda, aut tertia regione corporis contra naturam continentur: In prima regione subest cruditas à crapula, helluonibus familiaris, qui vomitu, clystere aut eccoprotico depleti, ab eminente morbi periculo liberantur, Ita à saburra, qua mesenterium, quin abdomen totũ sæpissimè oppletur, infiniti morbi emergunt, iíque longi, & difficiles, quorum causa à medicis hæc putatur. Venæ mesenterij sunt exiguæ, quas crudus chylus liberè permeare non potest, inde obstructio, C innumerabilium morborum parens. Secunda regio venoso genere circunscribitur, humores autem quatuor qui continentur venis, vel peccant quantitate, vel qualitate, si omnes peræquè exuperent, seruata tamen ea proportione vt plurimum sit sanguinis, deinde pituitæ, minimum bilis: Plethora nuncupetur, omnium humorum æqualis redundantia: si vnicus, vt pituita, vel alterutra bilis exuperet. Aut tota massa, manente iusta quantitate, solius qualitatis vitium contraxerit, incaluerit, si placet, hoc vitium cacochymia nuncupetur: vitiosi alicuius humoris redundantia in venoso genere: qui permixtus sanguini efficit, vt non amplius simpliciter sanguis appelletur: sed cum adiuncto pituitosus, biliosus, aut melancholicus. Plethora est duplex; vna ad vasa, altera ad vires. Plethora ad vasa dicitur, quando sanguinis copia vsque adeò tument & distenduntur venæ; vt immineat periculum D rupturæ. Ad vires, quando maior est copia sanguinis, quàm vires ferre possunt: Illa absolutè dicitur, hæc comparatè pro cuiusque viribus. vt enim eadem sarcina robusto adolescenti leuis est, imbecillo puero, aut seni grauis, ita eadem sanguinis quantitas imbecillas vires aggrauat, neque à natura regi potest, qua causa putret & graues morbos excitat, naturis robustis alioquin leuis. Cacochimia pro dominatu humoris distingui potest, in biliosam, pituitosam, & melancholicam. Biliosa dicitur, cùm bilis redundat: pituitosa, cùm pituita. non potest autem bilis redundare nisi per intensionem natiui caloris, viciſſimque, redundans bilis, totam massam, atque adeò totum corpus recalefacit: pituita fit à calore remisso, illáq; aucta viciſſim natiuus calor remittitur. Itaque non debet cuiquam esse mirum, si Plethora quantitatis, cacochymia qualitatis vitium passim à medicis finiatur, etiam si sub cacochy-E mia vnus humor præter naturam redundet. In morborum quoque causis interioribus habentur ea quæ tertia regione corporis, nempe toto habitu, præter naturam continentur, vt obstruentes calculi, humores qui de venis in partem aliquam internam, vel externam, aut in capacitatem aliquam effusi, morbos efficiunt: vt tumores contra naturam, hoc vitium cacochymiam particularem vocare possis, vt eam quæ est in venis generalem: hanc antecedentem, Illam coniunctam causam morbi. Fac phlegmone, aut erysipelate tentari partem aliquam interiorem, vt pulmonem, ventriculum, Aut exteriorem, vt brachium, femur, humor impactus parti, est coniuncta causa morbi, qui continetur venis, primùmque efficit & fouet morbum, antecedens: omnes istæ causæ vno repletionis nomine continentur, proinde vt paucis concludam, morborum causæ quædam sunt replentes, vt plethora & cacochymia, quædam inanientes vt inædia & immodica effluuia, quædam corrumpentes,

vt venenatorum animalium morsus, quædam simpliciter alterantes, vt calor & A frigus externum; quibus quatuor primis differentijs omnes tam internæ, quàm externæ causæ morborum concludi possunt. Inanientes & replentes ad materiales morbos pertinent, vt humorales: Alterantes & corrumpentes ad immateriales, vt spiritales, & intemperiem nudam.

CAVSÆ MORBORVM SIMILARIVM.

CAP. XV.

QVAS in genere & indefinitè proposuimus morborum causas instat vt ad singula morborum genera accommodemus, ducto à similaribus initio. Intemperiem calidam efficiunt quæcunque valdè calefaciunt B sumpta, vt alimentum, medicamentum, venenum: Admota vt circunstans aer, admotum emplastrum causticum: facienda, vt vehemens tam animi, quàm corporis motus: educenda, vt retenta excrementa: His enim quatuor capitibus, assumendis, admouendis, faciendis & educendis, plurimi omnes morborum causas concludunt: Malim per constituta causarum genera, tam externarum quàm internarum, medicum tacita mēte excurrere, & de singulis ægrum, vel assidentes, sigillatim percontari. Calidos enim morbos efficiunt aer iusto calidior inspiratus, vel transpiratus, alimentum plus satis calefaciens. Quo in genere censeri possunt medicamenta & venena calida. Calefacit autem alimentum, non tantùm qualitate, sed etiam quantitate, quia ex copiosiore alimento nascitur Plethora, propter quam calefactus, nec liberè difflatus sanguis putret à putredine morbi calidi. Item retenta, vt astricta cute suppressa fuligo, aluus subsistens, à qua calidi, C & acres fumi: vehementior, & longior exercitatio, perturbationes quædam, vt iracundia: quibus quidem causis euidentibus nascitur cacochymia biliosa, morborum à bile, vt tertianæ, aut ardentis febris interior causa: sic enim iam admonuimus non tantùm commoueri, sed etiam suscitari interiores causas ab externis: Frigidos morbos efficiunt aer frigidus, alimenti refrigerantis vsus nimius: imò verò alimenta calida immodicè sumpta refrigerant, vt crapula, ebrietas, quia obstruunt & suffocant calorem: Præterea somnus longior necnon vigiliæ immoderatæ, propter dissipationem spirituum, vita otiosa, & sedentaria: Nam vt motus calefacit, ita quies refrigerat. Quinetiam vehementior motus refrigerat, quia dissipat spiritus: Vt enim mediocri ventilatione flamma conseruatur, sic extinguitur: immodica quiete verò D marcescit: Refrigerant quoque tam inutilia, quàm vtilia, supra modum excreta; Vtilia, vt venus immodica, insignis hæmorrhagia: Inutilia, vt longa diarrhœa, aut dysenteria. Perturbationes quædam, vt metus & tristitia, hinc cacochymia pituitosa, morborum à pituita interior causa. Morbos melancholicos hæc quoque proferunt, sed imprimis alimenta crassi succi, vt bubula, leporina: Intemperiem siccam excitant aer siccus, alimenta & medicamenta desiccantia, cuiusmodi sunt hydrotica, decoctum guaiaci, ligni sancti, radicis cinæ, salsæ parillæ: desiccant quoque inædia, vigiliæ, tristitia, vita sollicita & curarum plena. Plurima quoque admota, vt balnea aluminosa, nitrosa, sulfurea. Intemperiem humidam efficiunt aer humidus, alimenta & medicamenta humectantia, potus plurimus, genialis & otiosa vita, somnus, gaudium, frequens vsus balnei aquæ dulcis, præsertim post cibum, quod erat E tam frequens veteribus, quàm nobis manuum ablutio: Atque hæ sunt causæ similarium morborum simplicium. Compositorum verò compositæ sunt causæ, nam calida humida intemperies, fit à rebus non naturalibus quæ calefaciunt simul & humectant. Calida & sicca ab ijs quæ calefaciunt & siccant: Non admodum diu manet nuda & simplex intemperies, quia perseuerans calor, siccitatem inducit, frigus, humiditatem: siquidem ab imbecillo calore inconcoctio, ab inconcoctione humoris excrementitij copia.

MORBO-

A *MORBORVM ORGANICORVM CAVSÆ.*

CAP. XVI.

ACTENVS similarium morborum tam internas quàm externas causas paucis conclusimus, sequitur vt organicorum, deinde communium causas explicemus. Morbus numeri, vt inde exordiar, vel est in excessu, vel in defectu: deficit quod necessarium est, vt secundus testis, quintus digitus, aut amputatum membrum, multis causis: Inopia materiæ, facultatis imbecillitate, præterea sectione, vstione, perfrigeratione, putrefactione: Putrefaciunt medicamenta septica, excrementa, transpira-
B tio prohibita: redundat verò partim naturale, vt tertius testis, sextus digitus, partim non naturale vt verrucæ, polypi, propter materiæ copiam & facultatis robur. Materiæ inquam vel vtilis & alimentariæ, ex qua tertius testis, sextus digitus: vel inutilis & excrementitiæ, ex qua verrucæ & polypi. Magnitudinis vltra modum auctæ eædem sunt causæ quæ exuperantis numeri, copia materiæ, & robur facultatis: Imminutæ verò eædem quæ deficientis numeri, nempe inopia materiæ & imbecillitas facultatis. Præterea, sectio, vstio, perfrigeratio, putrefactio. Mutati situs causæ sunt humida intemperies, aut vehemens aliquis motus: Vehementiore motu, vt saltu, articuli confertim rumpuntur, peritoneum quoque: Intemperie humida paulatim relaxantur, atque inde membrum loco dimouetur. Sic relaxato aut rupto peritoneo, omentum in inguen, intestinum ali-
C quod in scrotum sensim delabitur. Omenti prolapsus in inguen, bubonocele dicitur, quemadmodum intestini alicuius in scrotum, enterocele: Idem de ani, aut vteri procidentia iudicium esto: Ruptis enim vel relaxatis ligamentis accidit: Morbi conformationis consistunt in vitiata figura, meatu, asperitate aut læuitate: Figuræ morbus aut est à natura, aut ab aliquo accidente: naturalis est, si à prima conformatione, vt seminis aut menstrui aliquo vitio, videlicet impotentia seminis, materni sanguinis excessu, defectu, aut aliena qualitate, contractus sit: exempli gratia, si quis nascatur simus, claudus, varus, alatus, aut tabulato pectore: Accidente, si in partu ipso obstetrix tenella membra, & in omnem partem ductilia contorserit, vel nutrix infantem malè inuoluerit, fractura quoque, collisione, paralysi, aut conuulsione, pars figuram suam perdit, quod accidit conuulsione cani-
D na, quæ vulgò oris tortura nuncupatur. Elephantico facies talis est qualis satyri, nares simæ, labra dura, callosa, inuersa: Tabidis facies est cadauerosa, nares acutæ, oculi caui, collapsa tempora, peruersa denique faciei figura. His inopia vtilis, illis copia inutilis materiæ: idem efficiunt tumores contra naturam. Morbi in via multæ sunt causæ, constipatio, constructio à callo, grumo, lapillo, humore crasso, viscido, apertio vasorum, eorumdemque residentia, coalescentia: Aperiuntur verò laxitate instrumenti, expultricis robore, retentricis imbecillitate, alimenti vel medicamenti alicuius acrimonia: residentin sese astringentium aut exsiccantium vi. Coalescunt caruncula, tuberculo, abscessu, tumore, exulceratione. Astringuntur aliquo externo, vel interno comprimente, externo, vt arctiori ligatura, interno vt calculo, abscessu premente vicinam partem.

LÆVITATIS causa est humor pinguis viscidus, à quo interior superficies instru-
E menti læuigatur, vt accidit sub lienteria, cùm alimentum tale redditur, quale sumptum est. Asperitatis causa est humor aut vapor mordax qui abradendo superficiem redditasperam & inæqualem: Sic asperæ arteriæ interior tunica, quæ debet esse læuis, exasperatur destillatione acri, vnde raucedo: Idem efficiunt alimenta acria, vt venena, in arteria & in intestinis.

CAVSÆ MORBI COMMVNIS. A

CAP. XVII.

VAMVIS communes morbi pro varietate partium distingui soleant, tamen à Chirurgis quinque primis differentijs concludi solent, vlceribus, vulneribus, fracturis, luxationibus, & tumoribus, quorũ causas in pauca contrahemus. Vlceris primarij quod nõ succedit vulneri, abscessui aut tumori contra naturam causa, vel est interna vel externa, vt acre medicamentum, cauterium, ignis: vulneris causa semper est externa, nempe vel quod incidit vt gladius: vel quod pungit vt acus, quod genus vulneris definitiùs punctio nominatur, vel quod mordet, vt canis (morsus non est vulnus, sed eius causa,) vel quod contundit, vt lapis, fracturæ: fracturæ causa est vis magna, vt calcitrantis equi vngula. Luxationis causa vt plurimum est externa, vt casus, intorsio, aut motus aliquis violentus, aliquando interna vt musculorum, aut ligamentorum, articuli, laxitas: relaxantur autem humectatione: Idem contingit eorundem extensione, aut si sinus articuli humore repleatur, tum enim necesse est os suo loco dimoneri: Tumores contra naturam, sunt calidi vt phlegmone, & erysipelas. Aut frigidi, vt œdema, & scirrhus: omnes fiunt duobus modis, fluxione, aut congestione: Calidi fiunt fluxione, frigidi congestione: Nam humor frigidus est crassus & ad motum ineptus: congeritur humor, & paulatim aggregatur partis imbecillitate, nam quod relinquitur excrementum post tertiam coctionem quæ fit in singulis partibus, nisi expultricis robore extrudatur, aut per insensibilem transpirationem discutiatur, sensim partem in tumorem attollit: Remanet autem plurimum excrementum si pars propter aliquam intemperiem, proprium alimentum perfectè coquere sibique assimilare non possit, aut si plùs attrahat quàm conficere possit. Fluit verò humor tenuis & calidus, vt humor acrimonia sua carnem erodens: vel à parte robustiore ad imbecilliorem transmittitur, expultricis robore: Quoties enim quantitate grauatur, vel qualitate vt acrimonia, irritatur, toties illum excutit & velut onus in alteram imbecilliorem deponit. Retentricis imbecillitate vt plurimum fluxiones fiunt in glandulas, quia sunt laxæ & molles, proinde fluxionibus excipiendis opportuniores: Sunt glandulæ ponè aures, in quas veluti ad emissaria cerebrum excrementa deponit quoties opprimitur, vnde parotides. Inguinis glandulæ sunt emunctoria iecoris, vbi fiunt bubones venerei, quia primò & præcipuè iecur sub hoc morbo laborat, sub alis sunt cordis emissaria, vbi fiunt bubones pestilentes. Adiuuant fluxionem humoris tenuitas & viarum laxitas, nam humor crassus per vias angustas rarò & difficillimè fluit: Cutis plurimis morbis tentatur, eò quòd sit totius corporis commune receptaculum.

(In the right margin, the letters B, C and D stand beside the lines ending "sed eius", "transpiratio-" and "bubones pe-".)

PATHOLOGIAE SECTIO SECVNDA, DE DIFFERENTIIS ET CAVSIS SYMPTOMATVM.

QVID SYMPTOMA, QVOT ILLIVS *primæ differentiæ, & quot modis lædatur actio.* E

CAP. I.

RES sunt affectus contra naturam, causa morbi, morbus, & symptoma: causa præcedit morbum, eundem symptoma comitatur non aliter quàm vmbra corpus: proinde etiamsi generaliore significato, quicquid nobis accidit contra naturam, symptoma nuncupetur, siue illud sit causa, siue morbus, propriè tamen quæ morbo præter naturam adueniunt, symptomata, quasi morborum ἐπιγεννήματα nuncupantur: si malis affectus contra naturam quinec sunt

A sunt causæ, nec morbi. Accidentia quæ naturę vi & excretricis robore adueniunt die critico, præcedentibus signis coctionis, propriè non dixeris symptomata, sed ea duntaxat quæ sunt à morbo profecta: Postea enim demonstrabitur symptomata omnia, si non proximè, saltem mediatè ab aliquo morbo ortum ducere. Ea autem quanquam propemodum sint infinita, tamen ad tria summa genera reduci possunt. Actionem læsam, immoderationem in excretis & retentis, & affectus simplices, seu qualitates præter naturam immutatas: Actiones omnes tribus modis lædi possunt, abolentur, minuuntur aut deprauantur. Argenterius obiicit, actionem lædi non tantùm si minuatur, sed etiam si vltra modum augeatur. Quandoquidem appetitus quatuor modis lædi potest: aboleri, minui, deprauari, vel augeri, nam βουλιμία & appetentia canina, sunt appetitus immoderati, vt vigiliæ immodicæ & veternum: An
B aucta actio contineri potest sub imminuta, vt contrarium suo contrario? An potiùs ad deprauationem pertinet, quia fit à deprauata facultate? oportet enim facultatem appetendi deprauatam esse quæ nullum in appetendo tenet modum. Quæri solet an dolor primo genere symptomatum, nempe actione læsa comprehendatur nec ne. In ea quidem opinione fuit Galenus, dum illum definit sensum tristem, si modo tristis sensus sit actio læsa, alij enim negant dolorem sentiri, sed causam dolorificam, vt diuellens frigus, vrentem calorem: Dolorem verò esse affectum dolorificæ qualitatis consequentem. Quando enim dico me sentire dolorem, inquiunt, significo me grauiter affici à re aliqua dolorifica. Veruntamen siue dolor sit sensatio rei tristis, siue qualitatis dolorificæ perceptio, ad actionem læsam referri debet, ad quem sensum? an ad solum tactum an verò ad omnes pertinet? Equidem vt veneris voluptas
C omnes alias longè superat, deinde gulæ, est enim gustus quidam tactus. Ita acutissimi sunt dolores, qui tactu percipiuntur. Non est dubium alios quoque sensus à suis obiectis immoderatis grauiter affici, nam fulgore immoderato læditur visus, sono immodico vt tonitrui, multi surdastri, quinetiam surdi euaserunt, odore putido, & sapore alieno, odoratum & gustum contristari quotidie experimur. Itaque cùm tactus sit effusus per totum corpus, nullúmque sensorium illius sit expers, singula sensiteria duplici dolore affici possunt, proprio, à suo obiecto immoderato: Altero communi, à communi obiecto, nempe alterante, aut illius continuitatem dissoluente, prout tactu participant: Nam alio loco demonstratum est cutem, contextam ex carne & neruo, esse proprium instrumentum tactus: Cutis autem nomine tam internas quàm externas membranas comprehendi, in Physiologia notauimus: Proinde non debet esse mirum si oculi tunicæ acribus humoribus aut fumis irriten-
D tur, vel punctus oculus doleat: Idem de aure, nare, & lingua sentiendum est. In summa, dolor est leuis qui excitatur in singulis sensorijs à proprio obiecto, multò acerbior, qui fit vel in communi cute, vel iisdemmet sensorijs, exempli gratia, à frigore diuellente, aut mucrone pungente.

ACTIONES TAM ANIMÆ, QVAM naturæ tribus modis lædi inductione demonstratur.

CAP. II.

E EX Physiologia repetendum est actiones omnes esse naturales, vitales, aut animales, naturales, nutrire, augere, procreare: nutritioni seruire appetitum alimenti: eiusdem attractionem, retentionem, coctionē, & inutilium excretionem: Procreatione alterationem & conformationē contineri. Functione vitali, pulsum: Animali, sensum, motum, respirationem, & tres actiones principes, discursum, memoriam, & imaginationem. Sensum vel esse internum, vel externū, ad internum, pertinere somnum & vigiliam. Exteriores esse quinque, visum, auditum, odoratū, gustum, & tactum. Has omnes actiones tribus modis lædi sigillatim demonstremus à naturalibus sumpto exordio: Communis attractio aboletur, cùm ventriculus nihil omnino appetit, minuitur cùm vix & longo tempore: Deprauatur cùm inter trahendum palpitat, aut conuellitur. Retentio aboletur cùm ventriculus nihil omnino retinet, vt accidit in lienteria, minuitur cùm vel non comprehendit cibos, vel si complectatur non retinet donec sit perfecta coctio. Inde fluctuatio, inflatio, corruptio, deie-

ctio festina, macies: Deprauatur, quando ventriculus comprehendit cibum cum A saltu, tremore, conuulsione, inde singultus frequens, & ructus. Aboletur coctio cùm cibus non mutatur, ἀπεψία, seu cruditas nominatur. Minuitur cùm tardè & imperfectè coquitur βραδυπεψία dicitur: deprauatur, cùm in alienam qualitatem, vt in pituitam aut atram bilem permutatur. Inde leuce & elephas, lepra alba & nigra: Excretrix aboletur, cùm nihil omnino excluditur, vt fit in colico dolore: Minuitur cùm tardè excrementa secedunt, deprauatur si ante perfectam coctionem excretrix operetur. Abolita & diminuta nutritio, ἀτροφία, dicitur, vt deprauata, κακοτροφία, inde καχεξία: Abolita appetentia ἀνορεξία appellatur: Deprauatur κίττα seu μαλακία, alieni, vt calcis aut carbonis, appetentia. Quò referri debere βουλιμίαν & caninam appetentiam nunc demonstraui: Ecce vt nutritio, & quæ illi seruiunt actiones tribus modis læduntur: Abolita procreatio sterilitas nominatur. Mola est imperfecta, aborsus, deprauata B generatio, quò pertinent monstrosi partus à copia, aut inopia materiæ: Pulsus abolitio ἀσφυξία, vt abolita respiratio ἄπνοια, tarda βραδύπνοια difficilis & deprauata δύσπνοια. A naturalibus & vitalibus, pergendum ad animales actiones: Abolita ratiocinatio, ἄνοια, imminuta, mentis torpor, deprauata delirium, abolita memoria obliuio dicitur, imminuta torpor memoriæ, deprauata, vocetur delirium: neque enim suppetunt propria nomina. Quinetiam imaginationis læsæ differentias, torporis & delirij nomine cogimur exprimere: Abolitus motus παράλυσις dicitur, imminutus, stupor: deprauatus multas habet species, cóuulsionem, tremorem, palpitationem, rigorem, horrorem, tussim, sternutamentum, pandiculationem, oscitationem: quò referre etiam possis singultum, vomitum, ructum. Cæcis visus aboletur, lusciosis minuitur, deprauatur strabis, & ijs quibus suffunduntur oculi rubro aut flauo colore. Illi enim C existimant quicquid vident esse rubrum, hi flauum (παρόρασις seu hallucinatio propriè nominatur) Ita surdo abolitus est auditus, surdastro imminutus: Ei verò cui perpetuò tinniunt aures deprauatur, idem de cæteris sensibus esto iudicium, etsi desint propria nomina, quibus singulorum actiones læsæ designentur. Ergo actio omnis vel omnino non fit, vel malè fit: Malè, inquam, quia imperfectè vel deprauatè.

DE EXCRETORVM ET RETENTORVM immoderatione. CAP. III.

EXCRETORVM retentorumque ἀμετρία consistit in eorum substantia, quantitate, aut qualitate. Vitium est in substantia excreti cùm per dysenteriam D intestinorum ramenta deiiciuntur, aut caruncula exit de pulmonibus, vel de renibus vlceratis: huc pertinet sanguinis immoderatum profluuium, quod fit aperta, rupta, aut exesa aliqua vena, aut retentricis imbecillitate. Exempli gratia, qui de pulmone tussiendo, aut de ventriculo vomendo excernitur, nó ratione excrementi, sæpe enim sanguis laudabilis excernitur, sed excretionis, quia excernitur substantia retinenda, affectus est contra naturam: Idem de profluuio seminis dicendum est, vtriusque excretiones immoderatæ, vt hæmorrhagia, quæ plethoram deplet, venus tempestiua, quæ seminis copia grauatam naturam leuat in symptomatibus non habentur, quemadmodum nec excretiones aliæ naturales quæ sanis contingunt, vt aluum, aut vesicam quotidie exonerare: At vitium est in substantia retenti, cùm calculi, arenulæ, aut vermes, quæ omnia expedit excerni, retinentur. In quantitate excreti peccatum est, siue vtilia, siue inutilia excrementa supra modum E exeant: vtilia vt semen in gonorrhœa, sanguis in mensium, aut hæmorrhoidum immodico effluuio: inutilia vt vrina sub diabete, stercus in diarrhœa, sudor in Anglico sudore, quo totum corpus veluti colliquatum in sudores resoluitur. Peccatum est in quantitate retenti, quando illa ipsa cùm excerni debent, incipiuntque naturæ esse molesta, retinentur. Quò pertinent Ischuris, vrinæ suppressio, & disouria, meiendi difficultas, vitium est in qualitate excrementorum, cùm præter naturam fœtent, vt sudores & vrinæ graueolentes, aut cùm alieno colore prædita sunt, vt puta si vrina, aut deiectiones sint nigræ, vel virides, si sudor rubore tingat linteum, quod aliquando accidit per diapedesim. Hoc est seroso sanguine de venis resudante vulgò dicuntur sanguinem & aquam sudare. Plura exempla suggeret therapeutice.

A
DE AFFECTV SIMPLICI.
CAP. IIII.

VALITATES præter naturam, non in excrementis, sed in corpore ipso immutatas, Galen. pro quinque sensuum varietate quibus percipiuntur, distinxit in visibiles, audibiles, gustabiles, olfactibiles, & tractabiles: Visibiles appellat quæ visu, Andibiles, quæ auditu sentiuntur: In aspectabilibus habentur omnes colores qui toti corpori ægrorum, aut illius partibus, præter naturam adueniunt, vt flauus color, qui sub auriginetotum corpus
B fœdat, aut pallidus, quo contaminatur cutis iecore, aut liene obstructo: quò pertinent virginum fœdi colores. Perardentes febres, cùm lingua nigricat, est affectus simplex vnius duntaxat partis, isque aspectabilis; Cutis liuet sub carbone, aut gangrena, rubet sub phlegmone, flauescit sub erysipelate. Auditu percipiuntur, intestinorum rugitus, stertores, tinnitus, stridor dentium, crepitus, denique soni omnes qui accidunt ægris præter naturam. Ad odorarum pertinet fœtor, non excrementorum, sed corporis totius, vel vnius partis, vt anhelitus putidus: narium fœtor sub ozœna, quo referri debent ructus acidi, nidorulenti, graueolentes: gustabiles sunt, sapores ingrati, qui palatum, & linguam inficiunt, vt oris amaror à flaua bile, sapor acidus à melancholia, salsus à salsa pituita. Ad qualitates tractabiles pertinent, affectus simplices cutis, vt laxitas, durities, asperitas, quæ duplici nomine tractabiles di-
C cuntur, primò, quia cutem immutant, & afficiunt tactus sensorium, secundò quia à medicis contactu percipiuntur.

DE CAVSIS SYMPTOMATVM AN OMNIA *ab aliquo morbo procedant.* CAP. V.

ALENVS lib. de diff. symp. hoc argumento demonstrat omnia symptomata ab aliquo morbo proficisci. Affectus simplices & immoderatio excrementorum procedunt ab actione læsa: nam exempli gratia, coctionem aliquam minui, aut deprauari necesse est vt nascatur excrementitiæ bilis, pituitæ, aut melancholici humoris magna copia: à redundante bile ictericorum flauus color, ab exuperante succo melancholico spleniticorum cutis nigra. Atqui
D actio omnis læditur ab aliquo morbo, definitus enim est morbus affectus contra naturam, actionem, primò, lædens, ergo cuiuscunque generis symptomata, si non proximè saltem mediatè procedunt ab aliquo morbo: Accedat quòd immoderatio excretorum & retentorum ferè nascitur ab impotentia excretricis, aut retentricis, atqui facultas non læditur, nisi malè affecto temperamento, quia in illius integritate suam habet essentiam. Ergo ab aliquo morbo, excretorum, retentorumque ἀμετρία. Item affectus simplices, sunt secundæ, aut tertiæ qualitates. Secundæ, vt laxitas, astrictio, durities, asperitas cutis: tertiæ, vt odores, & sapores ingrati, soni non naturales: Atqui omnes à primis oriuntur, calore, frigore, humore aut siccitate, à similari igitur morbo, nempe intemperie, primùm originem trahunt affectus simplices. Hanc Galeni demonstrationem, multi aliquot argumentis tentarunt conuellere. Fœtor
E inquiunt corporis & excrementorum, nascitur ex putredine, ictericorum fœdus color à redundante bile. Ergo non omne symptoma ex morbo. Respondeo humorum putredinem sequi obstructionem, & impeditam difflationem, atqui obstructio est morbus organicus: exuperantia bilis in ictericis, ardorem, aut obstructionem iecoris, vel cystis felis comitatur: Atqui calida intemperies & obstructio iecoris sunt morbi, itaque si causas, ex causis persequamur, tandem apparebit, morbum aliquem, esse primam omnium symptomatum causam. Quod prærerea obiiciunt à cacochymia biliosa nonnunquam sanis rigorem aduenire & à crapula vomitum, Galen. ipse dissoluit, Accidentia enim inquit à morbo non profecta non propriè dixeris symptomata, vt neque accidentia critica.

QVIBVS CAVSIS CONTINGAT LÆDI naturales functiones. CAP. VI.

A ETIAMSI specialem scientiam singulorum symptomatum referuem in therapeuticem vt causas & signa singulorum morborum suis remedijs coniungam, quò faciliùs intelligat lector, vt causæ morbi accommodari debeat remedium, non erit tamen alienum hoc loco de causis vniuscuiusque generis symptomatum paucis differere, vt superioris demonstrationis veritas pateat euidentiùs: Corpus non nutritur: vel quòd partes dicatæ nutritioni, ventriculus & iecur: aut singulæ aliæ partes nutriendæ, malè trahant, peiùs retineât, coquant, neque alimenti reliquias conuenienter expellant. Istæ B naturæ functiones, & in suo fonte, & in singulis partibus abolentur, & minuuntur intemperie frigida: vtplurimùm verò deprauantur intemperie calida, nisi euidens sit causa; vt assumptum alimentum, quod sit substantia, quantitate, aut qualitate vitiosum, aut morbus aliquis organicus, vt obstructio venarum, propter quam impeditur distributio sanguinis: Cur ventriculus omnino non trahit, non retinet, non coquit, saltem diminutè has naturæ functiones exercet? quia laborat intemperie frigida: cur deprauatê? quia intemperie calida: Illam pituitosa, hanc biliosa cacochymia comitatur. illam acidi ructus demonstrant, hanc nidorulenti: Cur in parte aliqua, vt in brachio, istæ functiones minuuntur? propter frigidam. Cur deprauantur? propter calidam intemperiem, nisi causa sit manifesta, vt vitiosum alimentum aut excrementum, quod propter crassitiem & lentorem ab expultrice, quamuis robusta, C foras ablegari non potuit, causas læsæ procreationis tum exponemus, cùm de causis sterilitatis, molæ, aborsus, & monstrosi partus differemus, de læsa functione vitali ex professo proximo libro differemus cùm de pulsu.

DE CAVSIS LÆSÆ ACTIONIS ANIMALIS. CAP. VII.

ACTIONES animæ quæ in cerebro exercentur, vt ratiocinatio, imaginatio, & recordatio, vt plurimùm læduntur subiecti intemperie, aut obstructione, quemadmodum enim actiones naturales abolētur & minuuntur frigida & humida, deprauantur calida & sicca intemperie: sic D animales. Cur quidam natura, alij accidente sunt fatui? quia illi à natura cerebrum habēt frigidius, & humidius, hi morbo. Cur memoria minuitur senibus illisque sub finem vitæ repuerascunt? nam vt est in prouerbio: Bis pueri senes: quia vt infantes propter cerebri humiditatem (illis enim adhuc madet humore materno cerebrum) neque discurrunt, neque reminiscuntur: Ita neque valdè senes, propter copiam humoris excrementitij, & frigus: quod paulatim succedit priuatione caloris natiui. Cur phrenetici, paraphrenetici, maniaci, & melancholici delirant? quia eorum cerebrum inflammatur. Est enim phrenitis delirium cum febre, ab inflammato cerebro: Paraphrenitis est delirium temporarium superueniens febrium exacerbationibus, dum à calidis & acribus fumis cerebrum offenditur. Maniaci sunt furiosi à bile vsta: Melancholici delirant sine febre, obsesso cerebro humore melancholico, E qui naturæ fines iam excessit, nisi fiat per consensum, vt in melancholia hypochondriaca: cui tum demum delirium succedit cùm cerebrum trahitur in consensum: A rectricibus animæ functionibus, ad minùs principes, nempe sensum & motum arbitrarium, pergamus. Vtraque fit, facultate cum spiritu per neruos influente à cerebro: nam ad sentiendum influit in singula sensoria per neruos molles, qui indè sensifici nominantur. Ad mouendum accurrit in musculos per neruos duros: Itaque sæpius pereunt motus & sensus ijs instrumentis malè affectis, quàm cerebro ipso: si alicuius partis, vt brachij vel digiti obstruantur nerui, aut ita comprimantur vt facultas motrix cum animali spiritu affulgere non possit, resoluetur: si aliquantulùm obstruatur vel comprimatur, tantumq; impediatur spirituum commeatus, non omnino tollatur: nascetur stupor, via ad paralysim: vt enim sunt affectus, intensione duntaxat

&

A & remissione differentes, sic eorum causæ differunt tantùm intensione & remissione: deprauatur motus conuulsione, rigore, horrore. Conuulsio id est inuoluntaria contractio neruorum versus suum principium, fit à causis contrarijs, inanitione aut repletione: Siccitate enim distenduntur nerui, eo modo quo aridæ chordæ rumpuntur: repletione mollescunt, relaxantur. Rigor est inæqualis & vehemens totius corporis succeßio, fit dum partes sentientes, vt neruosæ, humoris confertim & vehementer impulsi acrimonia vellicantur: est præcursor tertianæ, quia bilis mordax initio à centro ad circunferentiam truditur, quæ sub finem accessionis resoluitur in sudorem.

Horror & rigor tantùm differunt intensione & remissione: Est enim horror exiguus rigor, vt rigor vehemens horror: Cæterorum motuum vt palpitationis, tussis, sternutamenti, vomitus, ructus, singultus, pandiculationis, oscitationis causas, B eo loco exponemus quo ex professo cuiusque sensus aboliti, imminuti, aut deprauati causas explicabimus. Hoc loco satis fuerit causas doloris demōstrare, & quæ in controuersiam reuocantur, dissoluere: Est enim dolor frequentissimum & maximi momenti symptoma in morbis, cuius placandi oportet medicum imprimis esse sollicitum, quod non possit causis ignoratis.

QVOD DVÆ SVNT CAVSÆ DOLORIS, alteratio & solutio continui: An humor & siccitas dolorem faciant.

CAP. VIII.

C GALENVS libro de inæquali intemperie, interpretans illud Hippocrat. Omnis morbus est vlcus, scribit cùm nondum essent solutæ continuitatis differentiæ proprijs nominibus distinctæ, vlceris nomine solutionem continui ab Hippoc. designatam. Hancque fuisse illius mentem, dolorem omnem fieri, à solutione continui, neque enim quæ alterant aut permutant nos, dolorem faciunt, nisi continuitatem partis dissoluant, à qua sententia planè dissentit Auenrois: Exstimat enim omnem dolorem fieri ab alteratione, non quauis, sed vehementi & repentina. Quia quæ dissoluunt vnionem partis, vt incidentia, contundentia, non faciunt dolorem nisi temperiem partis dissoluant: Est enim dolor tristis sensus, nihilque facit dolorem nisi molestum fuerit sensibus. Cùm igitur perfectio sensus consistat in bona temperie sensorij, hanc priùs immutari necesse est quàm dolor sentiatur: Sanè quemadmodum moderatis obiectis, D vnusquisque sensus oblectatur, vt auditus, harmonia, ita ijsdem immoderatis offenditur: Verumtamen alterando, simul & vnionem sensorij dissoluendo, sensibile immodicum dolorem facit. Cur exempli gratia splendor aut candor immodicus corrumpunt visum? quia spiritus visiuos dissipant: congregare & disgregare visum, non minùs ad solutionem continui pertinent quàm ad alterationem, immodici soni contristant auditum, diuellendo sensorium, insignis fœtor ingratus est odoratui, quia illius dissoluit sensiterium, sapores valdè acres & amari gustum erodendo, valde acerbi, & austeri astringendo & comprimendo dolorem faciunt. Proinde non est dubium à duabus causis dolorem excitari, alteratione & solutione continui: quamuis enim vix solui possit continuitas quin simul temperies dissoluatur, vicissimque vix possit lædi intemperies, vnione partis salua & integra permanente. Nihilo-E minus duę sunt causę dolorificę, non tantùm ratione, sed re ipsa differentes: Cæterùm non quæuis alteratio est dolorifica, sed vehemens tantùm & quæ fit confertim, vt explicat Galenus ex Platone in Timæo, quæ fit sensim, est indolens. Vehemētes quippe & repentinas mutationes nō fert natura sine molestia, sed ijs quæ paulatim fiunt facilè assuescit: Quæret hic aliquis, cùm Aristoteles quarto meteorum, ex quatuor primis qualitatibus duas tantùm constituat efficaces, calorem & frigus, totidem patibiles, humorem & siccitatem, possuntne omnes dolorem efficere? Respondeo Aristotel. loqui comparatè non absolutè, quando duas tantùm qualitates agnoscit energiticas, totidem pathiticas: Reuera enim humor humectat & siccitas desiccat, sed tam remisse & languidè operantur, vt si caloris & frigoris actionibus comparentur, meritò inefficaces iudicari possint: dolorem igitur inferunt, sed tamen exiguum vt comparatus dolori quem calor & frigus efficiunt, doloris loco

haberi non debeat. Alij respondent humorem non per se & absolutè dolorem facere, sed ratione quantitatis, aut qualitatis, ratione quantitatis, inquam, dum copia partem distendit, inde tensiuus dolor. Ratione qualitatis, dum acrimonia, partes sentientes, vt membranas pungit, inde punctorius dolor. At siccitas, diuellendo dolorem facit, nam aridæ membranæ, non aliter contrahuntur, quàm corium ardore exsiccatum. Itaque totam disputationem ita concludamus: Dolor est symptoma primi generis, nam ad actionem læsam pertinet, actionis læsæ morbus est coniuncta & immediata causa. Proinde dolor omnis à præcedente aliquo morbo excitatur, quo? similari vel communi, hoc est intemperie vel solutione continui. Quidni ab organico? quia obstructio, verbi gratia, non facit dolorem, nisi fortè pars obstructa rei obstruentis quantitate distendatur, vel eiusdem qualitate vellicetur. Ita de cæteris sentiendum, tum enim incipiunt dolorem facere, cùm vel intemperiem habent coniunctam, vel solutionem continui. Soluitur autem continuum multis modis, incidendo, pungendo, contundendo, conuellendo, (quò pertinet distensio,) rumpendo, erodendo.

A — B (margin letters)

CAVSÆ ἈΜΕΤΡΊΑΣ IN EXCRETIS ET retentis. CAP. IX.

IN excretionibus contra naturam, recensuimus imprimis sanguinis profluuium, vomitum, diarrhœam: in retentis, suppressionem, & difficultatem vrinæ, quorum symptomatum causas, exempli tantùm gratia, breuiter exponemus. Sanguis immodicè fluit, vena aliqua aperta, rupta, aut erosa, aut sanguine resudante: Per anastomosin, hoc est apertis venarum osculis, tum fluit sanguis, cùm adeo redundat, vt venarum capacitate contineri ampliùs non possit, aut cùm à venis propter intemperiem, atque inde natam impotētiam, retineri non potest. Quod accidit quoties venæ laborant intemperie humida, inde enim laxiores & molliores redditæ, nihil retinent: nam vt retentrix siccitate roboratur, ita humiditate debilitatur. Aperiuntur etiam humoris acrimonia expultrice irritata. At cacochymia increscente eroditur vena, siue acer humor venis ipsis concludatur, siue aliunde adueniat, vt à cerebro in pulmones distillet, à serino enim & acri catarrho nonnunquam in pulmonibus vena eroditur. Rumpitur externa quadam & violenta causa, vt ictu, casu, saltu, vociferatione: sanguinis profluuium à soluta continuitate venæ, siue fluat illa erosa, siue rupta διάῤῥηξις appellatur. Quamuis propriè profluuium sanguinis, ab erosione διάβρωσις siue ἀνάβρωσις appelletur: duabus causis fit διαπήδησις, aut enim transcolatur sanguis è venis, quia ipse sit valdè tenuis, & aquosus, aut quia sint rariores tunicæ venarum: Sic videor causas hæmorrhagiæ in pauca contraxisse: Sequuntur causæ immoderati vomitus: Imprimis alienum quidpiam in ventriculo contentum: siue enim quantitate grauetur, siue qualitate aliqua assumpti alimenti, medicamenti, aut veneni irritetur, siue malignus & ventriculo molestus aliquis humor, vt pituita excrementitia, aut alterutra bilis, in eo genitus sit, siue eo aliunde, vt à capite, defluxerit, aut à iecore regurgitarit, resupinatur, vt noxiũ excludat, quibus causis fiunt tussis, & sternutatio. Est enim tussis, motus pulmonum, sternutatio, cerebri: vt expurgent quod noxium est. Aluus nimium facilis & cita redditur, vel quòd ventriculus pluri alimento grauetur, præsertim humectante, aut quòd humoris alicuius acrimonia ad excretionem irritetur, sitque retinendi impotens: Aut sphynctere resoluto, qui affectus paralysis ani nuncupatur: difficilis verò & pigra redditur (quod vitium est in retento) si quis, alimento pauciore, præsertim sicco vtatur, aut sit obtusus sensus intestinorum, aut musculorum abdominis imbecillitas, denique retentrix aucta. Augetur autem siccitate qua expultrix debilitatur: Simili causa vrina, vel planè supprimitur, vel cum difficultate redditur. Excernere autem non potest vesica, potissimùm tribus causis: Intemperie aliqua, obstructione, aut angustia: Obstruitur pituita viscida, grumo, arenulis, lapillo, caruncula; quæ succedit frequenter virulentæ gonorrhœæ malè curatæ, plura in particulari methodo.

C D E (margin letters)

A *CAVSÆ AFFECTVVM SIMPLICIVM.*

CAP. X.

Vt copia & impuritas excrementorum, aliquam actionem, vt coctionem læsam, consequuntur: sic affectus simplices à copia, aut vitiosa qualitate excrementorum, vt plurimùm proficiscuntur: cur flauo colore ictericorum cutis præter naturam inficitur? quia exuperans bilis ad cutem, vt emissarium commune effunditur. Cur spleniticorum & elephanticorum cutis denigratur? quia illi humore melancholico, hi atrabilario abundant, qui humores ad cutem effusi eam sibi concolorem efficiunt. Cur mutis aures tinniunt? à copia flatuum, qui leui-B tate sua sursum ascendunt, flatus verò fiunt ex pituita ab imbecillo calore. Cur icterici quæ gustant, quantumuis dulcia sint, iudicant amara? quia linguam habent felle perfusam, nihil autem refert si obiectum ipsum re vera tale sit an sensorium, nam oculus sanguine suffusus omnia rubra existimat, denique ex copia excrementorum, ferè nascuntur affectus omnes simplices, quemadmodum immoderatio excrementorum, ab actione aliqua læsa, actio læsa, ab aliquo morbo.

PATHOLOGIAE SECTIO TERTIA, IN QVA ΣΗΜΕΙΩΤΙΚΗ EXPLICATVR

C ARS INSALVBRIVM SIGNORVM.

MVLTIPLEX SIGNORVM DIVISIO.

CAP. I.

SIGNA sunt salubria, vel insalubria: sanitatis demonstratiua in arte tuendæ bonæ valetudinis iam sunt explicata: insalubria dicuntur quæ partem affectam, morbi causam, speciem, & euentum demonstrant: vt pars affecta, species, & causa morbi, dignosci possint, primus liber therapeu-D ticæ explicabit. Galenus reponit medicinam inter artes quas Plato in Philebo appellat στοχαστικὰς, quæ στοχασμῷ, artificiali coniectura, veritatem inquirunt, eo quod inter medicos, qui melius nouit conijcere perfectior iudicatur, neque enim tam difficile est curare, & accommodatum morbo remedium inuenire, quàm partem affectam, morbi speciem, causam, & euentum dignoscere: medicina enim ad singulos morbos remedia innumerabilia proponit, quibus tamen prudēter vti non possis ignorato morbo, iuxta illud. Non intellecti nulla est curatio morbi: Medicus, qui ignoto morbo præscribit remedium, oculis clausis pugnat, Andabatarum more: Itaque in hanc Pathologiæ partem, sine qua perfectè nemo mederi possit, diligenter incumbendum est. Philosophi constituunt signa quędam necessaria, quę vocant E τεκμήρια, ex quibus constat demonstratio quę ab Aristotele appellatur, τεκμηριώδης ex signis necessariò cōludens. Actionum omnium integritas, est certa nota sanitatis, vt actio aliqua manifestè lęsa morbi: nam quicunque habet actiones omnes integras, est sanus, cùm verò aliqua manifestè læsa est, haud dubiè ægrotat; huius generis signa medici appellant παθογνωμονικὰ, perpetuò morbum concomitantia, cùm eo incipiunt & cum eo desinunt. Philosophi habent singularum rerum summas proprietates, vt risibile hominis, hinnibile equi, ex quibus solis speciem necessariò concludunt: Nam quicquid ridet, homo est: & quicquid hinnit, equus. At Medici non habent morbi propria accidentia, ex quibus solis morbi speciem demonstrent, propterea coguntur vti collectione multorum signorum, quam syndromen appellant, vt ex ijs coniunctis, non diuisis, morbi speciem necessariò conuincant: Non enim quicunque delirat, protinus phreneticus est, quia etiam melancholici delirant, sed

quicumque delirant cum febre sunt phrenetici, qui verò sine febre melancholici, A non est pleuriticus quicunque sentit in latere dolorem punctorium, sed si prætera febricitet, tussiat, & cum difficultate respiret, certò pleuriticus iudicatur. Præter hęc signa, Logici verisimilia quædam agnoscunt, quæ illi appellant εἰκότα, medici cum Galeno nomine generis σημεῖα, ad quæ pertinent συνεδρεύοντα. Assidentia, quæ non semper, nec necessariò, sed vtplurimum morbis accidunt, illa sunt propria & inseparabilia, hæc communia & separabilia morborum accidentia, vt in ardente febre, sitis, vigiliæ: in pleuritide dolor ad iugulum ascendens, aliquando enim ad hypochondria descendit, tam hæc quàm illa vel sunt diagnostica, vel prognostica: ἀναμνηστικῶν enim rarior est vsus, nisi fortè quæ præcesserunt morbum, vt res non naturales, de quibus medici debent ægros sollicitè percontari, ad hoc signorum genus referantur. Sunt enim signa & causæ morbi, non tantùm mouent, sed etiam indicant internas: τεκμάζοις, dignotio partis affectæ, morbi, & causæ morbificæ (quibus capitibus ferè B tota diagnosis concluditur) initio therapeuticæ; vbi prædictionum summa capita explicabuntur. Hîc signa tam diagnostica, quàm prognostica quę petuntur à pulsibus & vrinis explicare consilium est, si priùs de crisi pauca præmisero.

VT INTERIOR SEV ABDITA causa morbi dignosci possit. CAP. II.

MIHI satis erit exemplo causæ morbificæ vim signorum diagnosticorum declarare: morborũ materialium, quales sunt humorales, duæ sunt primę & communissimæ causę, plethora, & cacochymia: cacochymia, inquam, biliosa, pituitosa aut melancholica. Plethora indicatur tumore & tensione C venarum, inde spõtaneæ lassitudinis ea species quæ tensiua nuncupatur, sub qua prę pondere corpus moueri non potest, vix manus pugnum potest facere: pulsus quoque vehemens & plenus, quia ex plenioribus venis aliquid semper per anastomosin in arterias effunditur: propterea arterię non tantùm in carpo, sed alijs quoque in partibus, vt in temporibus & in capite vehementer pulsant, respirant cum difficultate, pręsertim à motu. Certior erit coniectura, si vita genialis præcesserit. Res enim non naturales sunt signa simul & causę morborum: cumque ab externis non tantùm moueantur, sed etiam generentur internæ, de singulis sollicitè medicus ægrum, aut assidentes interrogabit, vt euidentium cõmemoratione, ducatur in cognitionem latentis causę. Exempli loco faciamus ægrum valdè calefacientibus & siccantibus alimentis vesci solere, vt mero, sinapi, porris, piperatis, corpus vehementiùs exercere, D vigilijs sese conficere, excanduisse, vomitus biliosi consuetudinem desijsse, aut diarrhœam biliosam. Ex ijs conijciemur bilis dominatum, quibus si attestentur, vlcerosa lassitudo, calor ipso etiam contactu mordax, pulsus velox, ob refrigerationis necessitatem, vrina flaua, flammea, in qua nihil aut minimum subsidet, multò certiùs cacochymiam biliosam, vt parentem morbi, accusabis.

Simili modo si æger fateatur, se frequenter vsum alimentis quæ refrigerent & humectent, vt aqua cruda, zytho, piraceo, pomaceo, vitam se degisse ociosam, aut se somnolentum agnoscat, præsertim à cibo, vomitu pituitæ consuetudinem suppressam, aut alui fluorem pituitosum accuset: Erunt argumenta pituitosæ cacochymiæ, quibus si consentiant pulsus paruus & tardus, vrina alba cum multo sedimento, certior erit coniectura: nunquam negligenda erit consideratio ætatis, sexus, temperamẽti & temporis anni, quia vt in physiologia didicimus, prima ætate sanguis dominatur, secunda bilis, tertia melancholia, ad extremum pituita excrementitia: suntque vt frigidiores viris fœminę, ita pituitosiores. Quatuor anni quadræ, quatuor ætatibus ita respondent, vt vernos morbos probabile sit esse sanguineos, æstiuos biliosos, autumnales melancholicos, hybernos pituitosos, nec dubium est pituitosos morbis à pituita magis esse obnoxios, biliosos morbis à bile, quia morbũ naturę suę congenerem faciliùs quisque incurrit: humoris melancholici exuperantiam præter ea indicabunt vsus frequens crassi & terrenni alimenti, cuiusmodi sunt bubulæ, ceruinæ, leporinæ carnes: vina crassa, nigra, metus quoque & mœror sine manifesta causa, solitudo, suppressa vacuatio ordinaria quę per aluum aut vomitum, aut hæmorrhoidas, aut sedem fieri consueuerat: Insomnia turbulenta, ex quibus omnibus, E

aut

A aut plerisque, tacito mentis discursu, medicus interiorem & quę sensum effugit, morbi causam deprehendet.

DE SIGNIS PROGNOSTICIS. CAP. III.

ΗΜΕΙΩΤΙΚΗΣ duæ sunt partes, διαγνωστικὴ quæ partē affectam, morbum & illius causam indicat, & προγνωστικὴ, quæ non tantùm euentum morbi prædicit, hoc est sítne conualiturus æger, an moriturus: sed etiam quæ ventura sunt, vt deliraturum ægrum, præcognoscit: Item sítne futurus morbus breuis an longus, quando sit futura crisis, & si illa bona vel mala, salutaris an exitiosa expectanda sit. Hæc signa crisima nuncupantur, quemadmodum quę breB uitatem aut longitudinem morbi ostendunt peprica, quia coctione præsertim, aut cruditate humoris morbifici, breuitas aut longitudo morbi indicatur. Quæ pręnuntiant euentum morbi propriè & quadam nominis prærogatiua prognostica nuncupantur: mortis aut salutis signa, magna ex parte consistunt in comparatione morbi, & naturæ: Nam si morbus intendatur, vires minuantur, coniectura est ægrum moriturum: si verò naturæ victoria ex virium robore declaretur, breui conualiturum. Naturam cùm dico, vires dico, seu facultates tres à quibus nostrum corpus gubernatur. Itaque medicus certantis naturæ cum morbo spectator, Animalis primùm facultatis, vitalis & naturalis robur aut imbecillitatem diligenter explorabit, Animalium facultatum robur obseruatione singulorum sensuum, motus arbitrarij & princ C ipum actionum. Ad interiorem sensum reuocabit somnum & vigiliam, in quibus si æger teneat modum, bonum, si verò sit peruigil, aut somnolentus, malum: si per morbum sensuum maneat integritas, sapores & odores benè discernat, bonum, alioquin malum: Item in omni morbo benè spirare aut sese in lecto facilè mouere bonum, malè spirare, neque sese in lecto erigere posse, malum: constantia mentis, & placida insomnia bonum quiddam promittunt, delirium verò, & terrifica insomnia sinistri sunt ominis: Vitalis facultatis robur, aut imbecillitatem, pulsus indicabit moderatus quique à naturali non admodùm recessit, ęqualis, ordinatus, robustæ vitalis est index. Quo verò à naturali recessit longiùs, eiusdem imbecillioris fidelis est nuntius: Robur facultatis naturalis conijcitur potissimum ex appetentia & alimenti coctione, de coctione verò ab excrementis, vt vrinis, deiectionibus, sputis, sumitur coniectura. Vt ergo inappetentia & D fastidium ciborum, in malis habentur, sic mediocris appetentia in bonis: nam vt est in Aphorismo, benè habere ad ea quæ offeruntur, in omni morbo semper bonum est. Facultatum robur, aut imbecillitatem, cùm ex singularum actionum integritate, vel læsione, prudens medicus, tacita mente diligenter expenderit, vnde morbi exitum possit præuidere, Cōsiderabit cuiusmodi sit pars afflicta, princépsne an ignobilis, quia in parte principe, corde, cerebro, hepate, Aut ad vitam necessaria, vt ventriculo, pulmone, est morbus grauior, quàm in alia parte: morbi quoque species ad prædicendum magni est momenti: nam quidam sunt incurabiles, vt apoplexia fortis, marasmus, cancer, elephantiasis: alij longi, vt quartanæ autumnales. An desperati non sunt attingendi? Ita placet Galeno, ne infamentur pręsidia, quæ multis fuere saluti, néve videatur medicus eum occidisse, quem sors ipsa peremit: Attamen E Celsi ipsius consilio, pręstat anceps remedium experiri, quàm nullum: videtur inhumanum sine artis vllo auxilio ęgrum relinquere. Respondeo insanabilis morbi non esse promittendam sanitatem, quod faciunt Empirici, sed prenuntiata morte, aggrediendam esse curationem, non quę tollat morbum, sed quę leniat, & demulceat: hoc saltem commoditatis afferet ęgro curatio, vt minori cum dolore moriatur, erigendus ipse æger in bonam spem, vltimum perfugium miserorum: Interea parentibus & amicis mors prædicenda est. Nonnunquam accidit vt derelicti, veluti reuiuiscant, præter spem & expectationem medici, superueniente humoris morbifici insigni vacuatione, per sudores, diarrhœam, hæmorrhagiam. Cæterùm cùm morbus est in principio, nec dum coctionis vllum apparet signum, suspendendum est iudicium, quandiu enim humor est in motu, metuendum est ne ruat in partem nobilē, propterea nihil triste, inquit Galenus, prædicendum est neque lætum, nisi simul adijciatur,

dummodo nihil superuenerit, & si æger bene monenti medico paruerit: nam sæpe A
ægri non tam morbi magnitudine pereunt quàm propria culpa. Appetunt quidam
noxia, vt febrientes vinum, quidam refugiunt salutaria, vt pharmacum, venę sectio-
nem, saltem tempestiuè præscripta, negligunt.

DE CRISI, ET CAVSIS DIERVM *criticorum.* CAP. IIII.

ALIQVANDO non tātùm acuti, sed etiam chronici morbi, quomodolibet
facta solutio ab Hippocrate crisis appellatur. Quinetiam naturales excre-
tiones, quæ non tantùm ægris, sed etiam sanis contingunt, vt menses, hæ-
morrhoides, partus, impropriè crises appellantur. Propriè est humoris mor-
bifici à natura repente facta excretio. A foro videtur translatum nomen. Vt enim B
coram iudice actor & reus disceptant, ita spectatore medico, morbus & natura, in
morbis acutis: Cùm natura de morbo triumphat, materia morbi subitò vacuata,
bona crisis appellatur, quæ fit ad salutem ægri. Cùm verò materiæ morbificæ copia
aut violentia contingit repentina euacuatio in ægri perniciem, mala crisis dicitur:
neque critica, sed veriùs symptomatica dicitur, quæcunque fit vi morbi secretio. Ea
sola quæ fit victoria naturæ, & excretricis robore, critica dici meretur: Est quædam
crisis perfecta, quæ omnino tollit morbum, planè vacuata materia morbifica. Quæ-
dam imperfecta, quando portio tantùm humoris morbum committentis excerni-
tur, quam sequi solet recidiua. Nam quæ reliquuntur in morbis recidiuas faciunt:
modico fermento tota massa acescit. Ad perfectam crisim tria requiruntur: primum
vt cocta sit materia morbi, & pepticis signis indicata: Secundum vt die critico non C
ex parte, sed tota vacuetur: Tertium, vt æger se manifestè leuatum sentiat, dispareát-
que simul omnia symptomata, hoc modo quæ iudicantur finere oportet, neq; medi-
camentis natura tum irritanda est. Verùm si imperfecta sit crisis, neque satis natura
moueat, adiuuandus est illius conatus, nec tantùm roboranda erit alimentis, sed da-
to cathartico, reliquijs materiæ morbificæ exoneranda, metu recidiuæ: hinc obiter
patete potest quo tempore morbi fiat perfecta crisis: Omni enim die bona vel mala
crisis fieri potest, sed optima & perfecta, tantùm fit in vigore morbi: Primò quia na-
tura, coctum excernit non crudum, principio autem cruda sunt omnia, in incremen-
to fit coctio, perfecta est tantùm in statu: Secundò, quia in vigore morbi, magna fit
commotio morbi & naturæ: Atqui tum fieri crisim probabile est, cùm nihil sit aliud,
quàm subita mutatio in peius, aut melius; ergo ferè semper in statu morbi fiũt perfe- D
ctæ crises. Morbi qui prærumpũt, id est ante statum ad crisim ruunt ob aliquod irrita-
mentum id patiuntur: Cæterum bonę crisis certa est scientia, malę incerta, quia na-
turę victricis determinati sunt motus, victæ inordinati. Sequitur vt causas dierum
criticorum paucis explicemus. Causa videtur eadem quę periodicę omnis fluxionis.
Quoties excretrix, vel copia grauatur, vel qualitate, vt acrimonia, irritatur: hęc qui-
dem est generalis, & indefinita causa crisis, sed cur septimo potiùs, quàm sexto die fe-
licior fiat excretio, hoc modò non explicatur. Gal. dierum criticorum causam refert
in motum lunę: illam enim in humores manifestum habere imperium hoc manifestè
conuincit, quòd inde sit oceani fluxus & refluxus, ostrea, mituli, & conchilia omnia
cum luna simul implentur & cum ea deplentur, sicut & medulla in ossibus, sic cere-
brum ipsum luna crescente augetur, eadem decrescente minuitur, propterea vulne- E
ra capitis luna plena aut crescente sunt funestiora. Venæ ipsę tum pleniores sunt, pro-
pterea enim cum datur tempus electionis, potius crescente aut plena luna mittitur
sanguis quàm eadem decrescēte aut noua. Atqui luna singulis quadris insignes acci-
pit mutationes, quando enim congreditur cum sole dies sunt illunes, tumque noua
dicitur, & silens: die septimo à nouilunio cùm iam à sole aliquantulum recessit, & me-
dio orbe illustratur, luna crescens appellatur: decimoquarto die, toto orbe illustratur,
& plena tum dicitur. Vigesimo decrescens. Vigesimoseptimo redit nouilunium. Er-
go cum immutata luna, quę illius subsunt imperio humida corpora, simul immuten-
tur, non est mirum si morbi humorales, qui soli crisim admittunt, per septimanas, si
malis per lunæ quadras iudicentur: Non defuerunt tamen, vt Asclepiades, & Celsus,
qui vno potiùs, quàm altero die, fœliciùs morbos terminari audenter negarunt: dies
critici,

A critici, inquit Auentoes Hipp. tantùm anthoritate & experientia nituntur, nulla firma & solida ratione possunt corfirmari. Sed Gal. non tantùm criticos dies vult obseruari, sed etiam criticorũ indices, quos propterea appellat contẽplabiles. Quartus enim, inquit, est index septimi, vndecimus decimiquarti, denique quaternarius quisque sui septenarij: si septimo die futura sit perfecta crisis, precedent signa coctionis die quarto, & contra, si quid triste appareat quarto die, futura est crisis mala die septimo: Equidem omni die fieri potest crisis, non æquè bona: nam Hipp. metuit à recidiua, nisi morbus die impari iudicatus sit.

QVOT MODIS FIAT CRISIS, ET *quot modis indicatur?* CAP. V.

B MORBI duobus modis terminantur, λύσει aut κρίσει: chronici finiuntur λύσει, acuti κρίσει: nam morbi lõgi, aut soluuntur cocta paulatim, aut vacuata, aut insensibiliter resoluta materia, acuti iudicãtur insigni & repentina aliqua euacuatione, vt hæmorrhagia superueniẽte, diarrhœa, sudore, vomitu critico, mensibus, hæmotroidibus, Aut alio translata materia, vt à parte nobili ad ignobilem, hæc ctisis per abscessum, vel κατ' μετάστασιν, per ttanslationem dicitur. Illa verò κατ' ἔκκρισιν, per excretionem. Quæ fit per abscessum, non est optima, quia est imperfecta, neque omnino morbum soluit: priori quippe nouus morbus, etiam si leuior, succedit. Exempli gratia: si petipneumoniam terminet parotis, à pulmone ad glandulas quæ sunt ponè aures, translata materia, erit parotis critica & salutaris quia morbo, alioquin funesto, ægrum liberabit: crisis tamen imperfecta, quia perfectam sanitátem non restituit. Perfecta crisis, planè tollit morbum & motbi symptomata. Est
C crisis per decubitũ quãdo παραπληγία succedit apoplexiæ: à cerebro decũbente materia in brachium. Supcrest vt de signis crisim indicãtibus paucis differamus. Horum, alia tãtum sunt signa, vt colli dolor, vertigo, dolor capitis, vigilia, veternum, sitis, nausea, delirium: alia sunt signa simul & causæ, vt vomitus, sudor, diarrhœa, profluuium sanguinis, horum enim aliquod si die contemplabili apparuetit, euidentiusq; redeat die critico, erit crisis theoritico die iudicata. Hippocrates, futuræ crisis præcipuum signum æstimabat, quando nox quæ præcedit crisim ægto est valdè molesta, dolore, delirio, vigiliis, difficultate spirandi, inquietudine, quæ quidem vt sunt plena periculi si morbo crudo appareant, ita si morbo iam cocto, vt in statu morbi, adueniant, sunt secura, breuique futuram crisim pollicentur. Quorum quidem symptomatum
D vehementia vulgus terretur, at prudens medicus in bonæ valetudinis certam spem erigitur: sed cur molestior est nox quæ præcedit crisim? quia tum maiote conatu natura certat cum morbo. Ad modum crisis prædicendum, & definiendam speciem: considerare oportet res naturales, non naturales & contra naturam: naturales vt ętatem, temperamentum, consuetudinem: non naturales, vt victus modum: contra naturam: morbi genus, causam, & symptomata: nam si morbus sit à sanguine, vt synochus, verisimile est, quòd hæmorrhagia iudicabitur. Augebitur coniectura si ęger fuerit sanguineus, adolescens, si cõsueuerit illi per nares, aut per venas hæmorrhoidales multus sanguis effluere, si lautè & opiparè vixerit, vitamq; genialem egerit. Si verò morbus sit à bile, vt febris ardens, vel tertiana, ægrotus sit iuuenis, calido sicco temperamento, gracili habitu, consuerit bilem mouere, aut sudare, aut alui fluore
E bilioso frequenter corripiatur, si vsus sit cibis bilem procreantibus, credibile est horum trium modorum aliquo, eoq; magis consueto, morbum iudicatum iri: Sic morbos melancholicos, vt quartanam, hæmorrhoidali, aut menstruo fluore terminandos, aut alui fluore fœculento, aut vrinis nigris, prædicere possis. Quorum quidem modorum vnum ęgri consuetudo indicabit, hæc qui præuiderit, habebit ægrum obsequentiorem, indeque sibi gloriam & questum comparabit.

 A

PATHOLOGIAE SECTIO QVARTA, SIMIOTICES EA PARS QVÆ SPHYGMICE DICITVR, ars diuinandi ex pulsu.

SITNE CONIECTVRA certior à pulsu an ab vrina? B

CAP. I.

AD diagnosim & prognosin, actiones omnes oportet medicum contemplari, sed maximè omnium vitalis facultatis robur diligenter obseruata arteriæ pulsatione ad carpum, ea enim parte cùm homo sit excarnis, pulsationis differentia meliùs percipitur & ægri istam partem quàm aliam quamuis, faciliùs ferunt à medico contrectari. Vt vrina est secundæ coctionis, quæ fit in hepate & venis, excrementum, ita coctionis aut cruditatis quatuor humorum morbos committentium fidelis nuncia. Quamobrem medici in C depellendis morbis ad hæc duo potissimùm animum ac cogitationem conuertunt: quæritur sítne potiora signa à pulsu an ab vrina? Rhasis sexto Aphorismorum plus fidei & certitudinis tribuit pulsui quàm vrinæ, in qua opinione videtur fuisse Galenus, qui hanc medicinæ partem ab Hippocrate neglectam diligenter excoluit. Hipp. enim vrinarum potiùs quàm pulsuum obseruatione de morbis iudicabat: egóne fidam pulsui inquit Celsus rei fallacissimæ? leuissima enim occasione pulsum immutari quotidiana experientia testatur. Dissensionem, hac distinctione quidam componunt, ex vrinis certiora signa diagnostica petuntur, quibus morbi species, causa & tempus dignoscantur. Prognostica verò quibus præuidemus, sítne moriturus æger an conualiturus, certiora sumuntur à pulsu: Alij aliter contentionem dirimunt, partium naturalium affectus & quotquot sunt in genere venoso, ex vrinis veriùs deprehendi: Vitalium verò seu spiritalium partium affectus, arteriæ pul- D satione: Vt vt sit, non est dubium vtrumque in curatione morborū maximi esse momenti, siue exitus morbi prædicendus sit, siue dignoscenda causa, siue species morbi naturales aut vitales partes occupantis. Accedat quòd generalia quatuor tempora morborum, humoris morbifici coctione aut cruditate distinguuntur: Principio enim cruda sunt omnia, tandiúque morbus in principio est quandiu humor morbificus incoctus manet: in incremento incipit coqui, in statu perfectè coctus est, si modò morbus fœliciter sua tempora percurrat. Tempora verò particularia, quæ sunt singulorum paroxysmorum propria, discernuntur pulsu. Nam in principio febris, pulsus est paruus, arteria cōtrahitur, calore in præcordia cōfluente, qui in incremento paulatim intenditur, calore per habitum corporis effuso in vigore æqualis manet. Vt enim intenditur in accessionis augmento: In declinatione verò remittitut, & ad E naturalem paulatim redit. Ita in statu consistit, & aliquandiu ęquabilitatem seruat.

QVÆDAM PRECOGNOSCENDA PRIVSQVAM ex pulsu de morbo iudicium feras. CAP. II.

MEMINERIS pulsum non tantùm rebus contra naturam, vt morbo & symptomate immutari: sed etiam rebus naturalibus & non naturalibus: naturalibus, vt ætate, sexu, temperamento: non naturalibus, vt anni constitutione, alimento, exercitatione, perturbationibus: Viri enim velocior est pulsus quàm mulieris, iuuenis quàm senis, biliosi quàm pituitosi: æstate quàm hyeme, adeo vt si pulsum iuuenis

A biliosi æstate obserues, eumque cum pulsu vetulæ, pituitosæ, hyeme, conferas, iuuenem quamuis sanum, febricitare indicabis, quia vetula febricitans non habet pulsum velociorem quàm iuuenis sanus: quod exercitio, propter calorem auctum, pulsus velocior solito reddatur, non est dubium: metu quoque paruum effici, tristitia languidum, iracundia velocem, notum est experientia. Item pulsus dormientis minor & tardior est quàm vigilantis. Propterea cùm primùm æger à somno excitatur, pulsus à medico obseruari non debet, quia tùm pulsus ex paruo fit magnus, ex tardo velox, nam qui erat per somnum retractus calor in viscera, excitato ægro repente in habitum corporis effunditur. Quo quidem refluxu arteria vehementiùs, & celeriùs pulsat, eam ob rem iubent medici vt in aliquod tempus post somnum differamus arteriæ contactum: sæpe etiam fit vt æger primo aduentu medici terreatur, metuque, pulsus minor & tardior reddatur. Propterea illi quoque inbent vt obseruationem
B pulsus in breue aliquod tempus differamus: Si æger fuerit valdè pinguis, pulpis digitorum vehementer arteriam preme: alioquin pulsationis differentia difficillimè percipietur. Vtriusque etiam brachij arteria attingenda, nonnunquam enim accidit, aut propter brachium constrictum, aut propter vulnus aliquando in arteria vnius brachij acceptum, vt pulsatio sit imperceptibilis: qua de re extat nobilis historia apud Struthium in arte sphygmica, qui de ista parte simiotices omnium accuratissimè post Galenum disseruit.

DE QVINQVE PVLSVVM *primis differentiis quæ ab adiunctis petuntur.*

C
Cap. III.

Hactenvs quædam de pulsibus præcognoscenda, ad artem nunc aggredior quam tribus cap. cōcludam: primo differentias, secundo causas, tertio signa tam diagnostica, quàm prognostica explicabo: ijs iactis primis fundamentis ex quibus primæ pulsuum differentiæ desumuntur, pulsus est motus quidam: Ad motum verò requiruntur mouens, mobile, spatium in quo fit motus, & tempus tam motus quàm quietis. A mouente nempe vitali facultate, quam ratione sola distingui à pulsifica alio loco docuimus, pulsus dicitur vehemens, aut languidus: vehemens cùm arteria dilatata tangentis digitum vehementer impellit, languidus cùm languidè tactum ferit. Quæsitum
D est sitne pulsus aliquis vtrique interiectus veluti medium extremis: non videtur, ille enim authore Galeno, qui nec tactum euertit, neque ab eo euertitur, est præter naturam, vt languidus, quia quò vehementior, eò maius robur facultatis vitalis indicat. Vt ergo virtutes mentis non admittunt mediocritatem, quia nemo potest esse iusto doctior, prudentior, aut sapientior: Ita neque pulsus vehemens, quia nullus potest esse iusto vehementior, siquidem quò vehementior eò melior, quia maius robur facultatis vitalis designat. Perge: A mobili seu corpore arteriæ pulsus dicitur mollis, durus, aut mediocris. Durus cùm siccior, & in modum corij rigidior arteria occurrit, vt in febre hectica, in pleuritide, aut à phlegmone arteria compressa: Huc pertinent pulsus plenus aut vacuus: calidus aut frigidus: plenus, cùm arteria dilatata plenior sentitur, & contactu ipso humiditate plena percipitur.
E Vacuus cùm impulsu digitorum inanitas sentitur, calidus, quando arteria calidior apparet, quàm partes vicinæ: frigidus, quando arteria frigidior sentitur. Quę sunt impropriè pulsus differentiæ, potiùs enim ad febrem quàm ad pulsum pertinent: A spatio verò in quo fit motus, dicitur pulsus magnus, paruus, aut mediocris: præterea longus vel breuis, latus vel angustus, altus vel humilis: Magnus dicitur, qui longus, latus & profundus simul est, si malis cùm arteria in omnes dimensiones simul extenditur. Paruus verò qui breuis, strictus, humilisque simul est: quamuis celeritas & tarditas non sint differentiæ motus, vt est in lib. cœli, tamen à celeritate, aut tarditate, pulsuum nouæ differentiæ emergunt: Dicitur enim inde pulsus velox, tardus, aut mediocris: vt autem velox motus definitur, quando mobile pauco tempore longum spatium conficit, ita pulsus velox quando arteria breui tempore distenditur, vtque tardus motus dicitur, qui longo tempore paruum spatium metitur, ita tardus

pulſus, qui longo tempore arteriam diſtendit. Ecce vt à mouente, mobili, ſpatio, & A tempore motus pulſuum differentiæ deſumuntur. Sequuntur aliæ, quæ à tempore quietis petuntur, inde enim pulſus frequens ſeu creber, aut rarus dicitur: creber, quando breue eſt tempus quietis inter diaſtolem & ſyſtolem. Rarus quãdo longum. Demonſtratum eſt in phyſiologia pulſum conſtare duobus motibus contrarijs, Diaſtole & Syſtole, vtrumq; intermedia quiete dirimi. Reſpondet pulſus frequens crebræ reſpirationi, qualis eſt aſthmaticorum, aut eorum qui currendo longum iter confecerunt, tam crebro illis attollitur & deprimitur arteria, vt vix intermedia quies ſit perceptibilis, in pulſu verò raro quies eſt tam manifeſta, vt nil magis. Ariſt. in lib. de motu demonſtrat motum reflexum media quiete diſtingui, quia in puncto reflexionis eſt finis prioris & principium poſterioris motus: cùm reſilit pila à muro, in reſultu, eſt finis antecedentis, initium conſequentis motus. B

NOVÆ PVLSVVM DIFFERENTIÆ *à conſequentibus deſumptæ.* CAP. IIII.

QVAS conſtituimus pulſuum differentias tria conſequuntur: proportio, æqualitas, & ordo: quæ ſunt per ſingulas ſpecies diffuſa: Inde enim pulſus vehementes, magni, veloces, frequentes dicuntur, proportionati vel improportionati, æquales, vel inæquales, ordinati, vel inordinati: finge duos pari febre laborare, vnum iuuenem & bilioſum, alterum ſenem & pituitoſum, vtrique auctum calorem ad eundem gradum, erit tamen velocior pulſus febrientis iuuenis quàm ſenis, alioquin erit improportionatus naturæ & ætati. Corripiatur alter vehementi & maligna febre, quæ ſtatim ita deijciat vires, vt pulſus paruus & languidus appareat, quia non reſpondet magnitudini febris, erit improportionatus morbo. Æqualis pulſus vocatur quando eiuſdem generis pulſationes æquales percipiuntur, vt ſi pulſus febricitantis velox, ſingulis pulſationibus perequè velox, vel ſi magnitudo cõſtanter perſeueret, perequè magnus, perequè vehemens & ita deinceps. Inæqualitas verò, aut cernitur in pulſatione vna, aut in pluribus: profectò vix in vna pulſatione poteſt obſeruari, ſed in diuerſis ſatis frequenter, in vna & eadem parte arteriæ, aut in diuerſis: fieri enim poteſt, vt circa vnum medici digitum incipiat velociùs, aut vehementiùs moueri arteria, deſinatq; moueri tardiùs, aut lãguidiùs, aut vnum digitum magis, alterum minùs feriat. Exempli gratia, pulſus recurrens, cùm veluti malleus ex incude reſiliens arteria digitum bis ferit, inæqualitas eſt in eadem parte arteriæ, quæ vno eodemq; digito deprehenditur. At ſub pulſu myouro, vndoſo, vermiculante, formicante: inæqualitas in duobus, aut pluribus digitis percipitur, vno digito magnus ſentitur, altero paruus: Dicitur etiam ordinatus vel inordinatus. Ordinatus quando ſeruatur idem ordo circuituum, ſuntq; omnes pares magnitudine, frequentia, velocitate, vt ſi duo pulſus fiant magni, deinde duo parui, & ſic deinceps, eiuſmodi pulſus inæqualis quidem eſt, ſed ordinatus. Eſſet verò inordinatus, ſi nullam prorſus circuitus ſeruaret formã. Cæterùm iubet Gal. vt faciliùs quiſq; intelligat, quis pulſus ſit magnus, quis velox, quis æqualis, vel ordinatus, vt imprimis naturalem obſeruemus, quia quod naturale eſt cæterorum debet eſſe regula & menſura: Plutar. lib. de ſanitate tuenda præcipit, vt vnuſquiſq; dum ſanus eſt frequenter pulſum obſeruet, vt ſi quando ægrotet faciliùs intelligat quàm longè à naturali receſſerit. E

DE CAVSIS PVLSVVM. CAP. V.

PVLSVVM tres ſunt cauſæ continentes, facultas, vſus & inſtrumentum: Facultas vitalis eſt efficiens: Arteria & cor inſtrumẽta: Vſus verò, finis, nempe id cuius cauſa arteria hoc aut illo modo mouetur à facultate vitali. Eſt autem triplex; reparatio vitalis ſpiritus, contemperatio natiui caloris, & excretio fuliginis, finis tam in operibus artis quàm naturæ eſt cauſa princeps, quia efficiẽs illius cauſa operatur. Itaq; vſus potiſſimum immutat pulſum. Has tres interiores cauſas dum externæ afficiũt, nẽpe res naturales, nõ naturales & contra

A & contra naturam constitutas pulsuum differentias proferunt, neque enim pulsus à natura sua & mediocritate recedit nisi ab externa & violenta aliqua causa primùm alteretur. Quod partium enumeratione breuiter demonstremus. Pulsum mollem efficit arteria mollis, dura, durum: mollities est comes humiditatis, durities siccitatis, proinde quęcunque arteriam humectant vt frequens balneum aquæ dulcis, somnus longior, vita otiosa & delicata, cibi humectantes, morbi humidi, vt Anasarca & Lethargus, pulsum mollem efficiunt. Quæcunque verò desiccant, vt inædia, tristitia, cura, labor, immodica vacuatio, pręterea tensio ab inflammatione profecta, conuulsio & perfrigeratio sunt externæ causæ pulsus duri. Vehemens fit à vehemēti, languidus à languida facultate vitali: Ergo quæcunq; facultatem vitalem debilitant, vt cura, labor, immodica vacuatio, languidum pulsum efficiunt: fit pulsus plenus; B humorum copia, quæ potissimùm à cibi & potus abundantia nascitur: vacuus fit contraria causa. Ad pulsum magnum concurrere debent facultas robusta & exuperans in corde calor: Proinde refrigerationis vsus multus, pręterea obsequens instrumentum, vt secundùm dimēsiones omnes simul facilè possit extendi. Quòd si pulsus magnus non satisfaciat vsui, hoc est ardori cordis cōtemperando, accedit in subsidium velocitas, fitque pulsus magnus simul & velox: quòd si ne velocitas quidem sit satis, adijcietur crebritas: Pulsatione frequenti efficiet natura quod non potest magnitudine & velocitate. Hanc opinionem Gal. iniquè Fernelius reprehendit: Existimat enim vrgente necessitate fieri imprimis pulsum frequentem, deinde velocem, ad extremum magnum: Gal. cōtra ex magno velocem, ex veloci crebrum: temerè, inquā, reprehendit, quia pulsus fit creber, languida, oppressa, vel exoluta facultate vitali, C velox & magnus ab ea robusta, postulatæ vsu. Itaq; verisimilius est ex magno in crebrū desinere vigente morbo quàm ex crebro in magnum assurgere: propterea quòd facultatis vitalis robur minuitur vehementia morbi: Porrò tantùm potest vsus ad pulsuum naturalium immutationem, vt si insignis sit ardor cordis, qui refrigerationem postulet, fuliginis autem vacuandę minor necessitas, vt in causo, vbi pauca est vstæ materiæ superfluitas, diastole sentiatur concitatior quàm systole: Cōtra in humoralibus & putridis febribus vbi maior est necessitas expurgandæ fuliginis, quàm contemperandi caloris, concitatior est systole quàm diastole: quod est τεχμήκειον, febrium putridarum, hoc enim in physiologia est demonstratum, pulsum constare diastole, & systole, diastoles hunc esse proprium vsum, vt aëris substantia reparetur iactura spiritus, eiusdem qualitate temperetur ardor cordis, systoles verò, vt fuliginosa excrementa foràs excludantur: Pulsus æqualis fit à robusta facultate, inæqualis eadem D languida, oppressa, vel exoluta: Aliquando instrumenti vitio languet: vel per se, vt senio, vel morbo opprimitur, plenitudine aut impuritate humorum: exoluitur vacuationibus immoderatis, dissipatisque spiritibus, dolore, vigilijs, inædia, labore, inde syncope. Instrumentum læditur non tantùm arteria malè affecta, vt si iusto durior sit, aut calidior, tensa, constricta, compressa, obstructa, sed etiam si cor ipsum temperie aliqua inæquali laboret: Summam inæqualitatem Galenus obseruauit in Antipatro, propter insignem obstructionem arteriæ venosæ ex tuberculo: Ad inæqualitatem pertinent pulsus bis feriens, vndosus, vermicularis, formicans; Bis feriens fit, quando facultas est robusta, sed arteriæ durities renititur: Vndosus humidiores affectus sequitur, qui collabente facultate paulatim declinat in vermiculantem, eadem collapsa degenerat in formicantem.

E

SIGNA TAM DIAGNOSTICA, *quàm prognostica, quæ sumuntur à pulsu.*

CAP. VI.

ETIAMSI actio lęsa, quæ pars sit afflicta, quæ sit species, quę causa morbi declaret, quia ea pars per se, vel per consensum laborat, cuius actio læsa est, tamen quia cor omnibus ferè partibus tam externis quàm internis per arterias compatitur, vix quisquam certò diuinarit ex pulsu immutato quænam pars afficiatur, quæ sit species, quæ causa morbi: pulsus mollis & vndosus affectus humidos, vt anasarcam, & lethargum comitantur, neutrum

tamen poſſis ex molli, vel vndoſo pulſu interſtinguere. Itaque ſigna potiùs prognoſtica deſumuntur à pulſu quàm diagnoſtica, quandoquidem ad prædicendum euentum morbi, ſemper oportet comparare vires ægri cum morbo, quia ſi morbus ſit ſuperior, mortis periculum imminet: ſi verò augeantur vires, minuatur morbus, certa ſpes eſt bonæ valetudinis: Atqui virium robur, aut imbecillitatem nihil æquè deſignat ac pulſus. Itaque illius differentiam imprimis medicus explorabit, non neglectis excrementis & deiectionibus, ad euentum prædicendum. Tritum eſt illud, effectus eſt index ſuæ cauſæ, pulſus vehemens fit à vehementi, languidus à languida facultate, ergo quoties pulſus vehemens obſeruabitur, toties vitalem facultatem robuſtam eſſe certa coniectura cognoſcemus: Atque ægrum bene ſperare iubebimus: contra cùm languidus pulſus ſentietur, languere facultatem vitalem teſtabitur, ideoque ſiniſtrum quiddam minabitur. Pulſus magnus fit à facultate robuſta, aucto vſu, & arteria obſequente: paruus à facultate imbecilla, nulla vrgente neceſſitate. Ergo quoties ægri magnus pulſus deprehendetur, toties conſtabunt vires, etiamſi neceſſitas aliqua vrgeat, vt extinguendi incendij, ſpiritus reparandi, aut excernendæ fuliginis: Idem de veloci & crebro iudicium eſto. Cùm enim hic fiat oppreſſâ, aut proſtrata facultate, vrgente vſu, ille vero vſu quidem vrgente, ſed facultate robuſta: Pulſus velox oſtendit eſſe magnum vſum, ſed vires conſtare: Creber verò magnum vſum indicabit, cui facultas vix poſſit ſufficere. Perpetuò in malis ſunt languidi pulſus, parui, tardi, rari, eoque peiores, quum languidiores, minores, tardiores, rariores, inſtante morte ſolent eſſe languidiſſimi, minimi: Æqualis pulſus virium robur ſemper indicat, inæqualis imbecillitatem in maligna, vt peſtilenti febre, aut aſſumpto veneno, necnon in fiſtulis pulmonum obſtructis, pulſus valde inæqualis percipitur. Licet enim ferè ſemper ſit languidus, paruus, tardus, rarus, tamen per interualla nunc magnus aut velox aut creber percipitur, quæ eſt ſumma inæqualitas obſeruata à Galeno, in Antipatro aſthmatico. Intermittens pulſus ſummam imbecillitatem arguit, periculoſior in iuuene quàm in puero, aut ſene: Galenus nunquam vidit iuuenem, qui euaſerit cum pulſu intermittente. Adijciendum tamen niſi fuerit aſthmaticus: nonnullos videas etiam ſanos habere pulſum intermittentem, propter ſummam pulmonum obſtructionem, quò diutiùs intermittit, eò periculoſior. Longa eſt intermiſſio, quæ excedit tempus duarum pulſationum, deficiens eſt deterior intermittente, recurrens in bonis habetur, quia reſurgentis facultatis eſt index: Vndoſus pulſus humidos morbos oſtendit, vt plenus plenitudinem, inanis inanitionem: ex vndoſo fieri vermicularem, malum: vermicularis enim facultatem vitalem paulatim labaſcere denuntiat: quemadmodum formicans eandem iam collapſam, & iamiam conclamatum. Iſti pulſus ſunt præcurſores mortis niſi fortè contingant in animæ deliquijs. Pulſus hecticus inſanabilem morbum arguit. Serratus inflammationem partium neruoſarum: Conuulſiuus conuulſionem à ſiccitate, quæ ſolet eſſe lethalis. Vibratus pulſus oſtendit naturæ certamen cum morbo: An ordinatus perpetuò bonus? diſtinguo: In bonis ſemper ordo optandus eſt, quia natura eſt ipſe rerum ordo: In malis præſtat nullum ſeruari ordinem, exempli gratia: Pulſus intermittens ſemper eſt malus, peior tamen ſi intermittat cum ordine, quàm ſi ſine ordine, exempli gratia, quarta quaque aut ſexta pulſatione intermittere, deterius eſt, quàm nunc quarta, nunc ſexta, aut decima: denique malus ordinatus deterior eſt malo inordinato.

DE RESPIRATIONE. CAP. VII.

IAM affinis eſt pulſui reſpiratio, tanti in curandis morbis momenti, vt ſine piaculo ſilentio præteriri non poſſit, nam vt in omni morbo, preſertim acuto, liberè ſpirare perpetuò bonum eſt, ita malè ſpirare malum, eoque peius quò difficilior erit reſpiratio: Analogam verò eſſe diaſtolen inſpirationi, ſyſtolen expirationi, vtriuſque eaſdem generè eſſe cauſas continentes, nempe facultatem, vſum, & inſtrumenta, ſpecie tamen differentes, quia reſpiratio ſit opus animalis facultatis, pulſatio vitalis, quę ad naturalē propiùs accedit,

A accedit differentia quoque esse instrumenta, nempe diaphragma respirationis lenis, Thoracem, pulmonem, & musculos intercostales vehementioris, in physiologia demonstratum est. Accedat quòd internallo vnius respirationis quinquies cor pulsat: Ad Pathologiam pertinent tam respirationis quàm pulsus differentiæ, causæ & signa, differentię ferè sunt communes, dicitur enim respiratio magna aut parua, velox aut tarda, crebra aut rara, æqualis inæqualis, proportionata improportionata, ordinata inordinata. Ad magnam respirationem concurrunt facultas robusta, magnus vsus & obsequens instrumentum: scilicet vt totus thorax liberè secundùm dimensiones omnes extendatur. Paruam efficiunt imbecilla facultas, nullus vsus, male affectum aliquod respirationis instrumentum: Fit velox vrgente necessitate à potenti facultate: Tarda, imminuto calore, vel instrumenti alicuius vitio, vel angustia, B dolore: fit crebra vrgente maxima necessitate, facultate oppressa, aut prostrata. Inæqualis fit à motrice imbecilla, vel obstructis pulmonum fistulis: ecce sunt simplices differentiæ, & earum causæ, quæ multis modis coniungi solent: Aliquando enim est magna simul & frequens cùm summum est incendium, talis solet esse in febre ardenti, tumque calidus spiritus ore naribusque efflatur: At parua simul & frequens fit, imbecilla, aut oppressa facultate, vel impeditis instrumentis, aut dolentibus, qualis apparet inflammatis visceribus, vt pulmone, diaphragmate, iecore, liene, pleura. Inæqualis & intercisa respiratio dicitur, quando dupla videtur aëris intra pectus reuocatio, quam funestam esse, inquit Hippocrates, quemadmodum cùm spiritus frigidus ore & naribus efflatur, aut spiritus prope totus per nares inspiratur, & expiratur, pinnis contractis & dilatatis. Orthopnœa quoque semper est ple-C na periculi, cùm ægri non nisi recta ceruice spirant, supiniqúe cùm iacent, putant se suffocari: Sequitur enim ferinam destillationem in pulmones, vel anginam suffocantem, vel empyema, vel asthma incurabile: Magna & rara spiratio nota est insaniæ, quicunque enim delirant, magnum, & ex longis interuallis spirant, non contra, quia sine delirio potest contingere.

PATHOLOGIAE SECTIO QVINTA, IN QVA οὐροσκοπία, ARTIFICIALIS VRINARVM INSPECTIO, VEL potiùs οὐρομαντία, diuinatio de morbis per vrinas explicabitur.

D

QVID INDICET VRINA.

Cap. I.

AB excretis coctionis aut cruditatis materiæ morbificæ certa signa petuntur, Superfluitas enim cuiusque coctionis quæ à natura excluditur, humoris morbifici pepasmum aut ἀπεψίαν indicat: Alui proluuies primæ, lotium secundæ, Antecedentes causæ morborum, nempe ple-E thora & cacochymia, à quibus primùm fiunt, deinde fouentur morbi, cōsistunt in venis, Atqui vrina est serum sanguinis, id est quatuor humorum. Nam cuiusque suum est serum: Ergo illa, antecedentis causæ morbi coctionem aut cruditatem: proinde statum morbi & quatuor tempora, quę distincta sunt coctione vel cruditate humoris morbifici, certò demonstrat: propterea affectus hepatis, venarum, renum, & vesicæ, manifestè declarat: quia renes à massa sanguinis secernunt & alliciunt serum, quod deinde per oureteras in vesicam deponunt. Atqui permeando fieri vix potest quin praui affectus, si quis sit in parte, vestigia retineat: si malis quin pars male affecta prauę suæ constitutionis notas vrinæ transeunti imprimat inuratque: Itaque illa morbum & causam morbi, præsertim in venoso genere consistentis, vt febris, sine dubio demonstrat. An non coniunctam quoque causam,

morbi & affectus qui sunt in habitu corporis? Respondeo cum Galeno, Antecedentem causam & affectus partium naturalium quæ secundæ regionis finibus concluduntur, vrinam primò per se, quod est verè & propriè, indicare: coniunctam verò causam & affectus tertiæ regionis pulmonis vel cerebri, tantùm ex accidēti: Serum enim quo sanguis diluitur vt capillares etiamnum venas faciliùs permeet, defunctum hoc officio, per easdem venas refluit in venam cauam, vnde à renibus attrahitur, singulas partes quantumuis longinquas & remotas dum attingit serum, vix fieri potest quin colore, sapore, odore, aut simili aliqua qualitate prauæ dispositionis notas non referat. Præterea quæsitum est ex qua materia fiat hypostasis vrinæ, conclusum tandem, Sedimentum sanorum fieri ex portione crudiore secundæ coctionis: In ægris verò esse portionem materiæ morbificę. Atqui hoc modò testatur morbum & morbi causam non tantùm antecedentem, sed coniunctam, si modo in venoso genere consistat, vt febris: Item ad prædicendum euentum morbi imprimis vitalis, deinde naturalis facultatis robur considerandum est, vt si appetat æger, si benè vel malè coquat alimētum: Atqui non possis hoc melius conijcere quàm ab excrementis: Itaque non tantùm ad dignotionem causæ & morbi, sed etiam ad prognosim plurimùm confert vrinarum inspectio. Sanè tanti olim fuit, vt medicos [illegible], matulam inspicientes, depingerent, quasi præcipua diuinatio de morbis ab vrina sumeretur. Sunt qui in vrina vitro excepta, tres designant regiones, summam, imam, & mediam, ima primæ, media mediæ, summa tertiæ regionis, affectus potissimùm declarari existimant.

A

B

VRINARVM DIFFERENTIÆ ET EARVM *causæ.* CAP. IX.

C

IN vrinis quatuor cōsiderari debent, substantia, quantitas, qualitas, & contenta: substantiam hîc appello consistentiam, síntne tenues an crassę, clarę, an turbidæ: de quantitate quęritur síntne multæ vel paucę. Ad qualitatem pertinēt color & odor, vrinas enim gustare est indignum medico, etiamsi Rasis hoc factum à Gal. scribat. At odor etiam ab inuito sentitur: Contenta sunt, sedimentum, eneorema, quod pendulum est & stat in medio veluti ponderibus suis libratum: & quæ consistunt in sublimi, vt corona & nebula: Ad contenta pertinent heterogenea quæ liquori permiscentur, vt sanguis, pinguedo, pus, arena, furfures: ex ijs veluti fontibus vrinarum omnes differentiæ desumuntur. A consistentia enim dicitur tenuis vrina, vt aqua: vel crassa, qualis iumētorum, A quantitate multa, pauca. D
A qualitate, alba, nigra, & vrique, veluti medium extremis, interiecta citrina, pallida quoque rubra, viridis: Item si suaue vel graue oleat: nam assumpta therebintina, vrina purpureas violas redolet: à contentis: quædam sedimentum dicitur habere, alia non: quædam laudabile, alia illaudabile, laudabile quod sit albnm, lęue & æquale: illaudabile siue sit alieni coloris, siue inæquale & diuulsum: A permistione alieni dicitur vrina cruenta, purulenta, sabulosa, furfurea: Harum differentiarum causas paucis complectamur: Tenues fiunt duabus causis, cruditate, vt aqua, coctio enim fit incrassando: aut obstructione, quia solum tenue percolatur, crasso remanente, nephriticorum vrinæ sunt tenues ab obstructione: hepaticorum & stomachicorum qui laborant iecoris, aut ventriculi imbecillitate, ἀπεψίᾳ. Redduntur crassæ viarum
laxitate & alieni permixtione, vtraque causa mulierum vrinæ solent esse crassiores E
quàm virorum, pluribus enim abundant cruditatibus, quia sunt naturæ frigidioris, quæ idcirco vrinæ permiscentur, quod vesicæ quidem collum habeant breuius, attamen latius quàm viri: vrinæ non tantùm tenues, sed etiam crassæ possunt esse perspicuæ & transparentes: nam multa crassa, vt vitrum, albumen, oleum, sunt perspicua. Fernelius turbatas vrinas distinguit à turbidis & confusis, eo quod turbentur frigore, deinde igni expositæ declarentur. Turbidę verò redduntur alieni, vt arenę, pituitæ, puris permixtione: quę longa residentia perspicuitatem acquirunt calore heterogenea separante: hanc impuro minimeq; defęcato vino non malè compararis. Confusam apellat, quę, neque residentia longa, neq; igne clarescit, similis est vino vetustate acido, aut quod fulgur, aut tonitru corrupit, talis redditur humorum, qui venis primis continentur, corruptela. Propterea in malignis, vt pestilentibus

A febribus, vrinæ solent esse confusæ: Sequitur, vt parcioris vel copiosioris vrinæ causas explicemus: pauca redditur cùm parum bibitur, aut quòd ardore febrili humiditas consumatur, vel quòd materia vrinæ aliò transferatur, cùm enim sudoris & vrinæ communis sit materia, non debet esse mirum si parum meiat qui multum sudat. Proportione potus parum meiere non est mirum, cùm serum retinetur in abdomine, nec à renibus emulgetur: Nephritici parum meiunt propter obstructas vrinæ vias: At copiosiorem vrinam efficiunt multus potus, vsus diureticorum, vt vini albi, aliarum euacuationum, vt sudoris & deiectionum suppressio: catarrhus per spinam ad renes descendens, colliquatio totius corporis, diabete, hydrops ad matulam: cum renes laborant intemperie calida & sicca, vndique attrahunt serum, vnde vrinæ immodicum profluuium: multi morbi vrinarum copia iudicantur: per vrinæ ductus vacuato sero: A substantia & quantitate, ad qualitates, colorem dico &
B odorem pergamus. Tribus causis vrinæ variis coloribus tinguntur, primum alteratione, vt coctione, cruditate, vstione: secundo rei alicuius, vt sanguinis, chyli, permixtione, tertio dominatu seri, nam à sero sanguinis copiosiore, vrina fit rubra, hoc ad vrinarum singulos colores accommodemus: fiunt albæ, vel cruditate, vel albæ alicuius rei, vt chyli, seminis, pituitæ, puris, permixtione, aut seri pituitosi copia; aliquando priuatione bilis, vt in ardenti febre, quando illa ad cerebrum rapitur instante delirio, tum enim phrenetici album meiunt absentia bilis, qua solet vrina colorari: fiunt nigræ contrarijs causis, humorum scilicet vstione, humoris nigri, vt melancolici, vel atrabilarij mixtione, vel seri melancholici dominatu: non est nouum morbos melancholicos, vt quartanas, vrinis nigris terminari, humore morbifico per vrinas excreto: Ad colorem album pertinent aqueus, lacteus, & pallidus,
C qui omnes fiunt cruditate, humoris albi mixtione, aut absentia bilis, pallida iam accedit ad colorationis principium, ideo rudimentum coctionis demonstrat: Ad nigrum pertinent color ruber, viridis & liuidus: fit enim vrina rubra, humoris rubri, vt sanguinis permixtione, vel seri sanguinis (quod est bilis rubra) dominatu, vel assatione incipiente: fit viridis maiori vstione, aut bilis porraceæ permixtione. Liuida aucto vstionis gradu, aut bilis ceruleæ mixtione, vtrique, veluti medium extremis, interiicitur vrina citrina, ad quam pertinent flaua, subflaua, rufa, subrufa, quæ fiunt à calore mediocri. Cùm igitur vrina coloretur, alteratione, alieni mixtione, vel seri dominatu, facilè soluetur in scholis pertrita quæstio, si vrina colorem priùs acquirat quàm consistentiam: nam si coloretur alteratione, nempe coctione, cruditate, aut vstione priùs acquiret colorem, si verò alieni permixtione priùs consistentiam,
D deinde colorem: non est omittendum nonnunquam assumpti alimenti, aut medicamenti, colore vrinas tingi, ne hoc impponat medico: nam epotum rheum concolorem vrinam reddit, & ægri qui pro ordinario potu vtuntur decocto radicis oxalidis, vel cetrac, rubrum meiunt. Putidæ sunt vrinæ putredine, aut cruditate, quamuis enim fœtor, vt plurimùm sit soboles putredinis, aliquando tamen procedit à cruditate: nam putidum expirant, qui alimentum malè coquunt, propterea apud Aristotelem, vrinæ leonum graueolent, voraces enim cùm sint, multis cruditatibus abundant, inde putidum meiunt. Aliquando fœtet vrina longiore mora, aliquando quorumdam alimentorum vsu, alliorum, anisi, aliquando assumpto medicamento, siue quòd ipsum graue oleat, siue quòd humores putres putidósque commouerit. Superest, vt de contentis differamus. Fernelius existimat tam in ægris
E quàm in sanis materiam sedimenti esse terrestrem portionem alimenti quæ effugit coctionem, & sanguini in magnis venis commiscetur; vnde cum sero à renibus attrahitur, viquè caloris secreta subsidet: à communi tamen opinione receptum est, in sanis quidem fieri sedimentum à crudiore portione alimenti, hoc argumento, quòd voraces & qui minùs coquunt, plus habent in vrinis sedimenti, qui verò sobriè viuunt & bene coquunt, nihil aut minimùm. In ægris verò esse portionem materiæ morbificæ. Morbi à bile sine sedimento iudicantur: Color, consistentia, suspensum, nebula, abundè coctionem, atque inde sanitatem testantur: quia bilis est humor tenuis, & aliorum humorum comparatione pauca est in massa. Cæteri morbi ferè cum multo sedimento terminantur: optimum, debet esse analogum puri: album, quia excrementum tertiæ coctionis partibus solidis debet assimilari: quin alteratrice venarum facultate coquitur, atque dealbatur: si quod alterius sit coloris,

prodet suo colore humorem peccantem; rubro sanguinem, nigro melancholiam, bilem flauo: si quis miretur hypostasim à venis coctione dealbari: ille eodem iure A miretur, sanguinem à mammis in lac conuerti, eumdémque in vasis spermaticis in semen transmutari, in vlceribus & abscessibus, coctione in pus album conuerti. Est præterea æquale, id est sibi perpetuò simile, non hodie coctum, cras crudum, aut vna ex parte coctum, altera crudum: coactum non distractum: quia caloris est vnire, diuelli à se inuicem non possunt partes sedimenti sine magna conturbatione facta in profundo corporis: Suspensi eadem est materia quæ sedimenti, idem efficiens nisi quòd materia morbi minùs cocta in medio consistit, neque potest à calore, vt potè imbecilliore planè secerni & in imum deturbari: nubes fit in sublimi à materia flatulenta, nebula, est sterilis nubes in paruo, vt in magno mundo, serenitatis prænuncia: In sublimi quiddam pingue nonnunquam natat, oleo simile, quod accidere potest aut liquata tantùm pinguedine rerum, à calida eorum intemperie, aut à B colliquatione totius corporis. Quòd imprimis ad prædicendum discerni debet, quia hoc lethale, illud minimè. Discernetur verò ex antecedentibus, si renum dolor ex ardore, præcesserit, aut febris συντηκτικὴ, immodico calore corpus totum colliquans: heterogenea quæ permiscentur vrinæ, crassamenta veriùs dixeris quàm sedimenta, pus si magna copia & confertim exeat per vrinæ ductus procedit ab abscessu aliquo rupto, cuius signa præcesserunt: si verò paucum & sensim reddatur, vlcus indicat. Squamæ & furfures, nisi secedant à vesica scabiosa, testantur summum ardorem in sanguine, quo interior tunica venarum desquamatur & in furfures resoluitur. Tractarum de causis vrinæ absoluero, si primum hunc scrupulum exemero cur in febre pestilenti sæpe vrinæ sint similes sanorum. An quia vsque adeo languet excretrix, vt nihil penitùs humoris morbifici excludat? An quòd venena intus genita, vel assumpta, in corde residentem facultatem vitalem primùm impetunt, non iecur, non venosum genus? An in speciali tantùm peste, nempe spirituali, hoc verum est, quando virus spiritus tantùm inficit non humores: quæ est omnium perniciosissima. C

INDICIA MORBORVM QVÆ SVmuntur ab vrinis. CAP. X.

VRINA sanorum constituenda est, quæ sit cæterarum regula: Quæ illi similiores erunt, meliores, quæ dissimiliores, deteriores iudicentur. Ea verò debet habere mediocrem consistentiam, & citrinum colorem, frustrà, adiicitur laudabile sedimentum, quia non necesse in vrinis sanorum aut ægrorum connalescentium, apparere sedimentum. Quod D præcipiebat Plutarchus de pulsu, de vrina lubenter præciperem, vt quisque dum sanus est suam vrinam diligenter inspiciat, ex qua faciliùs cognoscat, si quando ægrotet, quantùm ab illius mediocritate recesserit. Sexu, ætate, temperamento, vitæ & victus genere, memineris immutari, nam biliosi coloratior est vrina quàm pituitosi, viri quàm mulieris, iuuenis quàm senis: Pituitosi verò crassior est quàm biliosi, mulieris quàm viri, quia multa saburra vt in vterum ita in vesicam vndique descendit, pueri quàm iuuenis, propter ingluuiem senum, propter naturæ & caloris imbecillitatem vrina est cruda, tenuis, alba: Ætati ergo, temperamento, sexui, proportione debet respondere, neque medicus peræquè seni febricitanti metuere debet ab vrinis crudis atque iuueni, cùm sint ætati congruentes. Tenues & aqueæ vt E inde exordiat nisi manifesta sit obstructio, sunt indices cruditatis. Proinde constitutionem morbi designant: Quandiu enim tenuis & cruda est vrina, tandiu morbus est in principio. In acutis febribus delirium minantur. Quòd si iam delirante ægrotalis appareat, morietur, quia non est credibile iam malè affectum cerebrum, nouum ascendentis bilis insultum perferre posse, cùm aquea perseuerat, cæteris signis salutem spondentibus, futurum abscessum prænuntiat, præsertim in partibus, quæ sunt sub diaphragmate. Vrinæ crassæ, quales iumentorum, capitis dolorem iam præsentem, aut in propinquo esse denuntiant, humorum enim conturbationem indicant, propter quam vaporibus multis oppletur cerebrum. Claræ perpetuo sunt indices coctionis, confusæ, quæ igne declarari non possunt malignum esse morbum demonstrant: quæ cùm primùm mictæ sunt, turbantur & igne clarescunt, principium

cipium coctionis arguunt: Nisi paucioris vrinæ sit manifesta causa, vt paucus potus,
A insignis sudor, alui liquidum profluuium, aut ingens incendium à quo vrinæ materia resoluatur, coniectura est vrinę vias calculo aut muco obsideri. quòd si deficiēte humido & expellendi facultate infirma, pauca reddatur, aut penitus cohibeatur, præsertim in morbis acutis, mortem indicat, in longis, durationem longam portendit: nisi copiosioris vrinę euidens sit causa, vt potus multus, suppressę alię vacuationes solemnes, vt sudor, catarrhus, aut colliquatio totius corporis: probabile est vrinarū copia morbū terminari: præsertim si ęger leuetur: Colores extremi, & qui ad illos accedūt, humorum cruditatem aut vstionem indicant, medij coctionem, nisi tales sint alieni permixtione: Distinguentur verò potissimùm hoc signo, quod earum quæ alteratione sola præter naturam colorantur: tenuis sit consistentia. Earum verò quæ permixtione, crassa: Alba ergo & tenuis, cruditatem ostendit, aut bilem, aliò, ad cerebrum
B transferri: Alba & crassa, humoris crudi & pituitæ dominatum, atque inde longitudinem morbi denunciat: At vrinæ tenues & nigræ, sunt lethales, quia summæ vstionis aut extincti caloris sunt indices, nigror enim ab vtraque fit causa, aut à calore vrente, qua quidem causa carbo denigratur, aut à frigore positiuo condensante, qua causa densa nubes est nigra, pellucentia abeunte: aut priuatiuo, quod est caloris extinctio, vnde liuor & mortificatio partis: Vrinæ nigræ & crassæ non sunt perpetuò lethales, quia multi morbi melancholici iudicantur vrinis nigris: vrina citrina seu subaurea, ruffa, nec non flaua, subflaua, coctionis sunt indices: rubra & tenuis, quæ flammea dicitur, ardentem febrem indicat & iecur immodicè calens, qualis si perseueret, interitum portendit: At si rubra simul & crassa fuerit qualis in synocho sæpe redditur, aut bilis rubræ copiam, aut assari sanguinem ostendit: nisi
C talis sit permixtione sanguinis, quod accidit dum renes à calculo atteruntur: sed tùm vrina cùm refrixit, sedimentum veluti concreti sanguinis exhibet: Viridis fit summo incendio: liuida natiui caloris extinctione: proinde si ex viridi fiat nigra, summi incendij nota est: si ex liuida nigra, summæ frigiditatis: vtraque lethalis: Vrina fœtida, cruditatis insignis aut putredinis est index: si sedimentum habeat purulentum, renum, aut vesicæ vlcus ostendit, si verò residentia longa mucum deponat & cum dolore excludatur: calculum subesse in vesica demonstrat. Hactenus de vrinæ consistentia, quantitate & qualitate, sequitur vt de contentis disseramus: Semper laudabile sedimentum apparet ad salutem. Quòd si nullum appareat, propterea non imminet periculum, quia, vt dixi, morbi à bile sine sedimento fœliciter terminantur. Suspensum adhuc infirmam naturam arguit: nubes adhuc magis de-
D bilem: Cùm enim horum trium communis sit materia, potens calor eam coquit, incrassat, secernit, & in imum deturbat. Impotentis ergo argumentum est, si materia sedimenti subsistat in medio, impotentioris si in sublimi: semper contenta inferiora meliora sunt sublimioribus: si nullum horum trium in vrinis ægrorum appareat, periculosum: quòd si appareat, sed tenue, aut alieni coloris, tenuitate cruditatem & longitudinem morbi denuntiat, colore humorem peccantem, rubro sanguinem aut rubram bilem, nigro melancholicum succum, aut oppressionem caloris: Quibus citò excernuntur contenta bona, citò liberantur: In vrinis febrium erraticarum, si nebulæ nigræ appareant, sequetur breui quartana: Ouromantiam finiero, si de crassamento siue sordibus quæ lotio permiscentur pauca addidero. Caruncula renes exulceratos docent: vrina squammea & furfurea si liquida & tenuis fuerit, summum incendium denotat, si crassa, vesicam scabiosam: subsidentes are-
E nulæ subesse calculum indicant, si albæ in vesica, si rubræ in rene: Pus, pituitam, & semen discernere oportet: nam per gonorrhœam semen effluit cum vrina. Mulieres verò quibus albi menses fluunt, pituitam reddunt cum lotio: sæpe etiam arthritis & Ischias sedimento pituitoso terminantur, at purulentum meiunt qui renes habent vlceratos, hæc inquam tria, pus dico, pituitam, & semen diligenter distinguere oportet, hoc modo. Quod semen cùm sit tenue, leue, & spirituosum, natat in vrina, pus & mucus subsident. At pus commota matula dissoluitur diffunditurque, mucus verò tenax & viscidus cohærebit.

ΣΚΑΤΟΜΑΝΤΊΑ, *DIVINATIO EX FÆCIBVS.* A

Cap. XI.

IN alui proluuio quemadmodum in vrina considerari debent substantia, quantitas & qualitas: Substantia, sítne mollis an dura, liquida, vt aqua, sicca, vt terra. Quantitas, si multa an pauca, vel quoties æger deiecerit: qualitas sítne alba, nigra, flaua, item si suaue an graue oleat: nam damarum stercus bene olet, & gazella cacat zybetum: A permixtione alieni, dicitur cruenta, flatulenta, spumosa, quò pertinent per aluum excreti vermes: harum differentiarum causas, deinde signa percurramus: fiunt liquidæ deiectiones, vel frequentiore vsu liquidioris alimenti, vel cruditate, vel catharro dum à toto, vel à parte aliqua, vt à cerebro humor multus ad sentinam concurrit. Obstructo quoque mesenterio: nam chylus non attractus à iecore, liquidam aluum reddit. Contrarijs causis fæces indurantur: pauco eoque sicciore alimento, calore resiccante, siue sit auctus febre, siue interna inflammatione. Multùm verò deiiciunt, qui pluri cibo vtuntur, eoque excrementoso, vt pane furfuraceo, vel qui faciliùs coqui & distribui possit, minus, qui parum edunt, & alimentis vtuntur facilis coctionis, minimeque excrementosis: cita & frequens aluus redditur, acrimonia humoris assiduè excretricem stimulantis. Colorantur fæces, vt vrinæ, alteratione, vel permixtione: alteratione, nempe cruditate, vstione, aut mediocri coctione: permixtione alieni, vt chyli, sanguinis, pituitæ, puris, vnde chylosæ, cruentæ, purulentæ, mucosæ, nuncupantur: fiunt albæ cruditate, vel humoris albi, vt chyli, aut pituitæ commixtione, nigræ, vstione, vt humoris nigri accessione, flauæ & rufæ mediocri coctione, aut permixta naturali bile, quam natura quotidie à folliculo in ecphysim transmittit per meatum cholidocum, vt veluti clystere excretricem ad officium incitet: A bile rubra, aut immixto sanguine, fiunt deiectiones rubræ, ab æruginosa, virides, ab atra, nigræ, & splendentes vt pix: fœtor contingit cruditate, aut humorum putredine, nisi manifestam habeat causam, vt vsum alimenti, vel medicamenti putridi. Aphrodisæus in problematibus inquirit, cur hominis stercus peius oleat, quàm cæterorum animalium: respondet, hoc pendere à cruditate, hanc verò à varietate alimenti: immanis enim gula nulli viuentium generi parcit: quæ præterea arte condiuntur, vt istis irritamentis excitata appetentia ventrem impleat, cùm ceteræ animantes vno simplicíque genere alimenti contentæ viuunt: boues eruo, equi fœno. A differentiis & causis pergamus ad signa: ex secundo prognostic☉n, hoc veluti constituto fundamento: quod laudabile alui excrementum debet esse molle, vt mel, compactum, & cohærens, subrufum, assumptis alimentis proportione respondens. inde enim colligitur, id quod habet consistentiam duram, vel liquidam, aut quod alieno colore, albo, rubro, viridi, tinctum est, quod paucum, vel multum, quod partes habet distractas minimeque cohærentes: esse contra naturam. Deiectiones nigræ in morbi principio semper sunt malæ, in statu possunt esse criticæ: Atrabilariæ quæ splendẽt, vt pix, semper sunt funestæ, de quibus intelligi debet Galenus, cùm scribit cap. tertio, de atra bile, nunquam vidi vnũ qui deiecerit nigra, & mortuus non sit. Versicolores varios affectus multósq; humores prauos indicant, qui cùm egeant longo tempore ad coctionem, portendunt longitudinem morbi, nisi tales sint à cathartico. hoc enim in bonis ducẽdum est: nisi æger assumpserit pinguia aut sola intestinorum pinguedo à calore fundi videatur, deiectiones pingues sũt lethales, quia colliquari totum corpus indicant. Aluus liquida & aquosa præsertim in morbis acutis, mala: periculosum, si aluus fluat citra sensum & voluntatẽ ægri, hoc enim prostratas vires arguit, deiectio quæ fuerit insigniter putida, in malis haberi debet quia cruditatem, vel putredinem insignem arguit, nisi vacuatio sit critica, naturæ motu excreto humore putri qui morbum faciebat. Spumosa deiectio, & quæ more fimi bubuli, leuis est & plena flatu, mala: quia aut multũ flatum, aut magnum intus incendium ostendit. Superest, vt de vermibus pauca subiiciam, qui cũ suscitẽtur ex materia putri, vt ex limo ranæ: & ex luto terreni vermes, ex animalium stercoribus insecta, vt muscæ, scarabæi, vespæ, sunt indices suæ causæ, hoc est

A est cruditatem, aut putredinem subesse attestantur, quò plures sunt aut maiores, eò maioris putredinis sunt testes: Melius est expelli deorsum quàm sursum, in declinatione, & in vigore morbi sine periculo excluduntur. In principio, mortem, aut morbi longitudinem portendunt: nam exeunt vt effugiant corruptelam, quòd si tum mortui excludantur, credibile est illos insigni corruptione periisse: In malignis febribus semper exeunt, in perniciem ægri. Porro iniquè Aristophanes, medicos σκατοφάγους nuncupabat. Sunt quidem illi scatomantæ, deiectiones ægrorum aspiciunt, vt ex eis speciem, causam, & euentum morbi coniiciant, quia nihil inhonestum existimant, quod in humani generis salutem & conseruationem cedit. Galenus tamen decimo Simplicium reprehendit Zenocratem, quòd passim ægris præscriberet non tantum admouendum stercus animalium, vt caprillum, columbinum, bubulum, sed etiam assumendum, vt stercus canum ad anginam,
B stercus galinæ cum vino albo ad colicum dolorem, ad fungos cùm oxycrato: his inquit abstinendum cùm suppetunt gratiora, si tamen ruri faciamus medicinam, aliorum inopia, poterimus illa vsurpare: dignus erat Aristophanes Xenocrate medico.

ΥΔΡΟΜΑΝΤΙΑ.

IVDICIA MORBORVM EX SVDORIBVS.

CAP. XII.

VT stercus primæ, lotium secundæ, ita sudor tertiæ coctionis est excrementum, proinde, vt stercus affectus primæ regionis certò indicat, vrina secundæ, ita sudor tertiæ, distinguitur à substantia, in tenuem & crassum, viscidum aut friabilem: A quantitate multum, vel paucum: à qualitate, in frigidum, aut calidum, salsum vel dulcem: naturalis enim debet esse calidus: dulcis fit colliquatione corporis: distingui etiam potest in flauum, rubrum, aut viridem: nam Arist. tertio de partibus, & tertio de historia animalium, meminit sudoris rubri, qui fit per diapedesim: Auicenna meminit sudoris viridis: naturalis est ruffus, à bile, quæ sola ex quatuor humoribus in sudores resoluitur. Isti colores discernuntur lintei detersorij tinctura: diuidi etiam potest sudor in generalem, qui de toto corpore erumpit, & particularem qui ex vna
D parte: de quo Hippocrat. solo capite sudare, malum: est quoque criticus vel symptomaticus, ad quas postremas differentias imprimis medicus debet attendere: criticus debet esse generalis, calidus, copiosus, quia nullum paucum criticum, præterea aduenire debet die critico, præcedentibus signis, coctionis, cum ægri tolerantia, talis enim sudor cum morbo tollit omnia symptomata, ex eóque tempore incipit æger conualescere: Symptomaticus dicitur qui contingit magnitudine morbi, aut morbificæ causæ nullis præcedentibus signis coctionis, qualis solet esse paucus, particularis, frigidus harum differentiarum causas, deinde signa explicemus: Sudor tenuis fit ex sero tenuiore & crudiore. Crassus coctione, aut humoris sicci permixtione: viscidus colliquatione, aut humore viscido, friabili, humorum assatione, atque ita dicam incineratione: fit multus multo potu, copiosiore
E sero, aut à calore humido, qui solus humores in sudorem resoluit, hinc natura calidi humidi, vt sanguinei, necnon pueri, & adolescentes, plurimùm & frequenter sudant: graciles verò, sicci, senes & quibus lien, aut iecur, aut totum corpus inaruit, non sudant. Adiuuat plurimùm laxitas cutis, nam qui sunt sicca, dura & astricta cute, raro minimúmque sudant. Cur hydropici cùm abundent sero non sudant? quia deest efficiens, nempe calor humidus, qui serum fundat, & in sudores resoluat: sudor calidus fit calidi, frigidus frigidi humoris permixtione, aut calidus à calore febrili, frigidus natiui caloris extinctione, qualis est syncopticus, qui viribus exolutis syncopem comitatur, atque etiam diaphoreticus, gelidus sudor, mortis prænuncius. Vterque veriùs ἐφίδρωσις, mador, quàm ἱδρὼς à medicorum coryphæis nuncupatur. Graue olet sudor propter humorum putredinem, pu-

trent verò illi quia non difflantur : ſudor ille non eſt perfectè criticus, qui ſingulas acceſſiones febris intermittentis, vt tertianæ, finit, ſed qui morbum funditus euellit, qui accidit in principio morbi, indicat morbum fore longum, quia originem habet à repletione : ſic enim Galenus commentario ſecundo ad primum epidemiωn, morbo adhuc crudo, qui adueniunt ſudores non poſſunt eſſe ſignum bonum, quia vel humorum magnam copiam denunciant, vel virium infirmitatem, frigidus ſudor in acuta febre, eſt index mortis, in mitiore, longioris morbi. Copioſus ſudor qui ęgrum non leuat, in malis habendus eſt, quia vires exoluit. A
Hęc compendiosè, quibus introducantur candidati ad medicinæ fontes, qui totius mundi exemplar circumferunt, nauigant tutiùs.

FINIS. B

THERAPEVTICA, C

SIVE ARS BENE MEDENDI.

PER IOANNEM RIOLANVM.

SENATVI PARISIENSI D
IOANNES RIOLANVS SANITATEM.

NON EST mirum (Patres æquiſſimi) ſi maiores noſtri in publicis conuiuijs decantarent: O Sanitas tu maximum hominibus bonum: detracta enim ſanitate, quid poteſt in hac vita eſſe gratum & iucundum?

Viuere non eſt, ſed valere vita. E

Fingite, ſi placet, Crœſo, non Cyri, ſed morbi tyrannide oppreſſo, Deum ſanitatis aut opulentiæ liberam dediſſe optionem, cui dubium eſt eum bona fortunæ cum ſummo corporis bono facilè permutaturum? At medicina eſt ars ſeruandæ & reſtituendæ ſanitatis, præſentem quippe ſeruat & abſentem reducit : Itaque certum eſt quantum erat olim ſtudium ſanitatis, tanto in honore fuiſſe medicinam. Sed enim, ſi quis hoſtem ciuitatis interfeciſſet commendabatur encomio publico, erántque Romanorum, vt Athenienſium, legibus, tyrannicidis ſtatuta præmia:

A Atqui morbus est summus & capitalis hostis ciuitatis, isque non externus, sed ciuilis, nec ciuilis modò, sed domesticus, quem omnes cuiuscunque sint sexus, fortis & ætatis, natura duce refugiunt: non est monstrum immanius, non crudelior tyrannus, nullus denique nostræ vitæ capitalior inimicus. Ergo si quis Hercules inuictum hoc genus monstri doceat arte superare, si Apollo aut Æsculapius aliquis sese vobis offerat qui iuratum hostem humanæ naturæ & vestræ ciuitatis crudelissimum tyrannum recipiat iugulandum, nónne vobis erit ἀλεξίκακος & tutelaris Deus? At medicus ipso etiam nomine est morbicida, non fumiuen-

Vitam dare vnius Dei proprium est, datam seruare plusquam humanum.

B dulus Chymista, qui suo stibio morbos deploratos suscipit sanandos: non circunforaneus circulator, qui vanis pollicitationibus plebeculam miserè ludificat, & imposturis muliercularum loculos exhaurit: non ambitiosus chirurgus, qui sola operatione animosus, medici titulo insolescit, acsi inferiores affectus sensu cognoscantur & manus opera curentur, quos Hippocr. lib. de veteri Medicina cognitu & curatu difficillimos esse profitetur: non futilis seplasiarius, qui nulla temperamenti, ætatis, sexus, nulla consuetudinis & habitus corporis, nulla temporis habita ratione, remedium quod vni & alteri profuit, (quasi omnium hominum vna &

C eadem sit natura) ad quósuis promiscuè accommodat, vnóque calapodio, vt est in prouerbio, omnes calceat: Vno collyrio omnibus oculorum morbis medetur. Quibusdam odore solo, quinimo sola apprehensione catarthici aluus commouetur, alijs cassia, etiam mediocri quantitate sumpta, mortem attulit: quæ in dolore capitis, propterea quòd fumos excitat, & ad caput mittit, necnon in imbecillitate intestinorum, quià lubrica, plurimum nocet. Agaricus est medicina domestica, atque, si credimus Auicennæ, cardiaca, ventriculo tamen infimo, nauseabundo, colicis doloribus obnoxio, & in principio morborum phlegmaticorum tutò & sine periculo non datur. Non est Medicamentum ventri-

D culo roborando commodius quàm aloe, datur in cibis ad purgandum & roborandum infirmum ventriculum: calidiores tamen naturas longo & frequenti vsu ad tabem deducit. Rhabarbarum, benignum & pueris innoxium medicamentum, quia fumosum, in doloribus capitis vitandum, nisi aqua endiuiæ aut violarum temperetur, eiúsque abstringens substantia plurimis morbis: vt plenitudini, peripneumoniæ est incommoda, cúmque perhibeatur vita hepatis, eius tamen calidioris mors est. Senna facit tormina nisi corrigatur, nec tantùm flatulentis, sed etiam valdè siccis naturis noxia. Tantùm refert ad bene medendum ἰδιοσυγκρασίας, id est pro-

E prias ægrorum, morborum & medicamentorum naturas cognouisse: quas cum ex animi sententia ingeniosissimus Auenrois non assequeretur, medicinam cuius erat peritissimus, non est ausus exercere: Ægyptij, vt est apud Herodotum, cùm intelligerent esse tam difficilè ex arte mederi, quàm pulchrum & humanæ vitæ necessarium, singularum partium morbis proprios medicos deuouerunt, ne pluribus intentus, in vna minus excelleret: & impunè nugiuenduli sophistæ in luce mundi, in emporio bonarum artium, vobis conniuentibus, exigua pyxide se conclusa teneremorborum omnium remedia per compita iactabunt? Duo sunt lumi-

na faciendæ medicinæ tam necessaria, vt eorum altero citra manifestam A
iacturam sanitatis medicus carere non possit, ratio & experientia. Vtrúmque per se indigens, alterum alterius auxilio viget: per se naturáque sua fallacem experientiam regit ratio, rationem vicissim experientia confirmat, quæ nihil est aliud quàm operatio inartificiosa vsu solo comprobata: At Philosophi quod fit sine arte temerarium appellant, ídque solum bene fieri quod fit consilio & ratione totius populi, hoc est Dei, voce iactatur: Quoúsque ergo ἀλόγους & inertes Empiricos feretis? Nunquámne bonarum artium ignaros sufflones extra pomœria vestræ ciuitatis amandabitis? vt is solus pro medico habeatur qui Philologiæ, & Philosophiæ, præsertim naturalis, peritus, causas & signa B
morborum cognoscat, qui humani corporis principia & elementa, humores, spiritus, singularum partium vsum & temperamentum, animæ facultates & functiones non ignoret, qui aeris, cibi, potus, exercitationis, perturbationum, somni, vigiliæ: excretionis, retentionis: mediocritatem sanis & ægris ex arte præscribat, quíque remediorum tam simplicium quàm compositorum vires & vtendi modum habeat in numerato. Credite mihi, Patres, Andabatarum more, clausis oculis cum hoste naturæ pugnat, quicunque istorum ignarus facit medicinam, nullúsque medicus dici meruit, qui minimum istorum ignorat. C
Quòd nemini obscurum erit qui summa medendi capita à nobis breuiter & perspicuè, quatuor libris comprehensa attentè legerit. Quorum primo, tria medico esse præcognoscenda demonstro, antequam de remedio cogitet, partem affectam, causam, & speciem morbi, eorúmque cognoscendorum artem breuiter expono: deinde vt inueniendum sit medicamentum & inuento prudenter vtendum, maxima, ni fallor, facilitate explico. Secundus liber generum morborum, Similaris, organici, communis, generalia & indefinita remedia indefinitè explicabit. D
Tertius, interiorum partium particulares morbos & propria remedia demonstrabit. Quartus, externos morbos externáque remedia declarabit. Quos sub vestri nominis auspicijs in vulgus emitto, vt vestrum nomen sit terrori impostoribus, qui in Parisiensium vitam impunè grassantur, faciúntque per mortes experimenta.

STVDIOSIS E

A

STVDIOSIS VERÆ MEDICINÆ.

B

SAPIENTER Herophilus morborum remedia si ab indoctis medicis vsurpentur venena, si verò à adoctis & exercitatis, deorum auxiliares manus appellabat: Quotquot enim neglecta scientia, solis remediorum formulis instructi, medici titulo passim insolescunt, nunquam securi, sed dubij semper & incerti medicinam exercent. Solus sibi bene conscius est medicus, neque vlla palescit culpa, qui ratione & authoritate, non tantùm exemplo medetur: quia tot circunstantijs vsus medendi circunscribitur, tot
C habet indicationes, mitto subiecti & morbi circunstántiam, vt valdè artificiali coniectura sit opus ad inueniendum remedium quod morbo & ægri naturæ conueniat, non minus maturo iudicio vt inuentum prudenter & ex arte dispensetur. Quare per Apollinem & sacras Musas (quia nil præstantius hîc agnosco) vos oro & obtestor, ne priùs de facienda medicina cogitetis, quàm quæ nobis insunt secundùm naturam ex Physiologia, Affectuum præter naturam causas, & signa, ex Pathologia, eorundem remedia, ex Therapeutica didiceritis: ea verò de fonte ipso, non ex riuulis hauriatis: Malim enim errare cum Hippocrate, cuius scientia, gentium omnium vno consensu tot seculis probata est, quam cùm Paracelso, non tantùm
D politioris literaturæ & bonæ Philosophiæ planè ignaro, sed impio pseudomedico, bene sentire: Quotquot extiterunt Philosophi, Poëtæ, Legislatores, suæ doctrinæ & inuentionis autorem Deum perhibuerunt, quamuis illum diuersis nominibus appellarint, Orpheus Calliopem, Musæus Vraniam, Pindarus Polymniam, Homerus Clionem, Hesiodus Terpsicorem, Linus Phœbum, Virgilius Thaliam, Ouidius Euterpem, sui poëmatis autores profitentur, iisque insalutatis nil magnum aggrediuntur. Summus ille Legislator Trismegistus, Mercurio, Zaleucus & Zamolsis Vestæ, Charondas Saturno, Lycurgus Apollini, Solon Mineruæ, Minos & Plato Ioui, Numa Aegeriæ, Mahumetus Gabrieli, Moses ineffabili Deo, suarum legum inuentionem tribue-
F runt: Vnus Paracelsus, suæ medicinæ autorem diabolum nominatim profitetur, nec referre putat impostor, vtrum à spiritu veritatis an mendacij scientia proficiscatur. Quamuis enim artes diaboli nostris minimè sint similes, omnes tamen, inquit, peræquè sunt artes, verba & characteres, sunt medicinæ dæmonum, vt syrupi & aposemata, hominum: Enimuero, cùm tam mali quàm boni spiritus, creaturæ Dei sint, cur eorum scientia peræque creatura Dei non erit? profectò « quidquid in nostrum commodum cedit, etiamsi à diabolo proficiscatur, à Deo est: « Quod si mihi in foueam delapso diabolus manum porrigeret, parem illi gratiam re- « ferrem, & perinde mihi benefactum putarem, ac si vnus Apostolorum me de «

Libro de causis inuisibilibus.

fouea extraxisset. Hoc si quis miretur meminerit scriptum esse, petendum auxilium ab inimicis. Et erit adhuc qui se Paracelsi discipulum audeat profiteri? Etiam si illius doctrina sapienter & cum ratione descripta esset, tamen propter autoris nomen non ausim illam attingere; & primis labris gustare, tantum abest vt amplecti velim, quid enim aliud diabolus, quàm subdolus sophista qui veri specie nos ludit, calumniator, impostor? Diabolus est iuratus hostis humanæ naturæ, illique perpetuò struit insidias, quis ergo prudens crediderit illum salutaria remedia, non potiùs venena, communicasse Paracelso in lucem & vulgus efferenda? princeps tenebrarum delectatur fumis, ministros habet fumiuendulos Alchymistas, sufflones, carbonarios, quorum scientiam cur non appellem βαναυσικὴν *cùm propriè* βάναυσοι *dicantur fornæcarij Chymistæ? Sed mox disparebit fumus iste, cùm perdiderit gratiam nouitatis, temporísque filia veritas istas falsitatis tenebras, breui suo lumine dissipabit: vos interim ea ad vsum diligite remedia quorum maiores nostri tulerunt pericula. Eáque iudicantur optima quæ pluribus sæculis sunt approbata.* A B

C

GENERALIS METHODI
MEDENDI LIBER PRIMVS.

CVRANDORVM MORBORVM PRIMA capita, Partem affectam quæ produnt Modi & causæ compaßionis.

D

SECTIONIS PRIMÆ. CAP. I.

MEDICVS vocatus ad ægrum imprimis obseruet partem affectam, vbi est sedes morbi, deinde causam, postea speciem morbi, quorum per propria signa dignotio τεκμαρσις nuncupatur, prima & præcipua pars medicinæ, quia facilius est curare morbum quàm dignoscere. Medicus qui potest dignoscere, inquit Hippocrates libro de arte, potest sanare, qui potest difficilius, facilius poterit.

His cognitis quærat remedium morbo & ægri naturę accommodatum. Inuento prudenter vtatur: His capitibus, veluti finibus, primus liber Sinopseos Therapeuticę concludetur. E

Partem affectam, si sit interior, neque pateat sensibus, hæc indicabunt, Situs partis, in dissecto cadauere diligenter obseruandus: Actio læsa. (ea enim pars per se aut per consensum laborat cuius functio læsa est) Dolor, ibi enim morbus vbi dolor: Excreta, retenta: sunt enim naturalis Oeconomiæ fideles internuntij, deiectiones loturæ carnium recens mactatarum similes, hepar malè affectum certò denuntiant: Adde propria accidentia, seu signa Pathognomonica: quorum alia solitaria concludunt, vt genæ rubræ pulmonis: alia coniuncta, vt febris acuta, dolor pungens in latere, & difficultas spirandi cum tussi, pleuræ inflammationem: non est negligendus ægri decubitus: Nam si exterior sit affectus, grauiùs in partem affectam decumbit: si interior, melius, quia pendulum viscus dolorem ingeminat.

Imprimis

A Imprimis verò contempletur si pars affecta per se primò, an per consensum laboret. nam parti primo laboranti primùm succurrendum est, quia quæ condolebant, illa percurata conualescent. Tribus autem modis vna pars alteri compatitur. Vicinia, Operis vel generis societate, aut communione vasorum: propter viciniam vterus compatitur vesicæ & recto intestino, vicissimque hæc vtero, vnde tenesmi, stranguriæ, & suppressiones vrinæ per consensum. Ab inflammato recto intestino & vtero strangnria, inquit Hippocrates, compatiente vesica. Læditur etiam respiratio, ventriculo, liene aut hepate malè affectis, quia hæ partes sunt connexæ diaphragmati. Ventriculus compatitur intestinis & gulæ propter continnitatem.

Itaque ad viciniam pertinent contiguitas, continnitas, cohæsio, & quæ medio aliquo copulantur: Hoc modo cerebrum consentit vtero per spinam cui alliga-
B tur, inde dolor occipitis mulieribus tam frequens vt nil magis, eadem causa inguina compatiuntur vtero: alligatur enim lumbis & ossi sacro.

Operis verò societate condolent mammæ vtero, pulmo auribus. pulmo enim loquitur, sermo ex auditu, hinc tussiunt qui duriùs aures scalpunt, compatiente pulmone, & peripneumonia, parotide salutariter terminatur. Generis Physici, seu materiæ similitudine, condolet neruosum neruoso. Propter communionem vasorum ventriculus consentit cordi per aortam & venam cauam, inde syncope stomachica. Cerebro per neruos sextæ coniugationis vnde dolor capitis per consensum ventriculi, & vomitus læso cerebro aut meningibus: Iecori per portam, lieni per venam quæ melancholicum humorem eò transmittit ad appetentiam excitandam.

C Cæterùm positiuè aut priuatiuè fit omnis compassio: Positiuè re aliqua ex vna parte ad alteram delata, vt spiritu, vapore, qualitate, facultate: sic cerebrum compatitur ventriculo fumanti: Priuatiuè, non affluente, eo quòd affluere debet, quæ sympathia incompleta dicitur ab Auicenna. Cur apoplectici difficillimè spirant? quia impeditur influxus animalis facultatis ab insigni obstructione cerebri. Cur luxata spinæ parte superiore brachia, inferiore, crura resoluuntur? priuatione facultatis motricis, conspiratio & confluxio vna, Sympathea omnia. Conspirant partes per intermedios spiritus & confluxum humorum, vtroque modo compatiuntur inuicem, vnáque alterius condolet calamitati.

Duobus signis deprehendetur affectus per consensum: si alteri superuenerit, vt febris inflammationi, Cæphalea cardiogmo: aut si cum altero intendatur & remit-
D tatur, sic dignoscitur suffusio per consensum, faciamus nauseam, acidum aut nidorulentum ructum, doloremque stomachi consequutam Cephalagiam, non erit dubium eam per consensum ventriculi accidisse: augebitur coniectura si cum dolore ventrieuli augeatur & minuatur, Affectus enim primarius continenter affligit, Secundarius per intetualla, neque præcessit affectus cuius comes putetur.

PARTIS AFFECTÆ PRIMUM ARGUmentum ab actione læsa. CAP. II.

AD morbos arte & methodo curandos, non satis est nouisse tres esse differentias actionum, sed earum sedes & instrumenta tam prima quàm
E secunda præscienda sunt, vt animalis principium esse cerebrum, cor vitalis, Hepar naturalis: Ad animalem pertinere, sensum, motum, imaginationem, discursum, memoriam: adde si vis respirationem. Ad vitalem, arteriarum & cordis pulsationem. Ad naturalem, nutritionem, accretionem, & procreationem. Ad nutritionem referri attractionem, retentionem, coctionem, & reliquarum alimenti excretionem. Non est etiam ignorandum sensum fieri emisso animali spiritu ab anteriore parte cerebri ad sensoria per sensificos & molles neruos. Motum, eodem à parte postica ad musculos influente per duros & motorios, qui originem habent à spinæ medulla: Animam imaginari in anterioribus ventricolis cerebri, in medio cogitare, in postremo recordari, temperaturæ cerebri & spiritus animalis auxilio. Cor simul & arterias dilatari, vt aer per os & nares inspiretur, atque per cutem transpiret, vndique autem trahi vt

temperet ardorem cordis: comprimi verò vt fuligo per eosdem ductus excludatur: respirationem lenem fieri à solo diaphragmate, vehementem qualis efflatio, (quæ fit denso & multo spiritu confertim erumpente) musculorum thoracis ministerio, affluente de cerebro animali facultate: Internis enim dilatatis, inspiramus: externis compressis, expiramus: Internos appello, qui replent interstitia costarum; externos, qui illis incumbunt. Cùm thorace dilatatus pulmo, per asperam arteriam haurit spiritum, cuius qualitate potiùs quàm substantia cor fruatur. Sunt ergo quatuor instrumenta respirationis, Aspera arteria, Pulmo, Diaphragma, & costarum musculi. A

Nutritio fit sanguine ad singulas partes veluti per tubos ab hepate deriuato: est enim opifex sanguinis, venæ eiusdem distribuendi media & instrumēta. Partes quarum publicum est officium neque sibi tantùm, sed etiam alijs natæ sunt, trahunt rectis fibris, retinent obliquis, expellunt transuersis. B

Quibus positis & constitutis, si sensus vni duntaxat particulæ eripitur, neruum malè affectum esse, aut sensorium laborare coniectura est: si totum corpus stupidum reddatur, in principium ipsum nempe cerebrum (quod est primum & commune sensorium) causa referenda est, si pars aliqua priuetur motu: musculus aut neruus motorius huius mali autor perhibetur, fortè tamen non in ipso neruo, sed in origine nerui vitium est, ea enim vertebra luxata ex qua ducit originem, vis motrix non influit: qua methodo gloriatur Galenus se multos paralyticos sanitati restituisse, admotis ad originem nerui non ad partem resolutam remedijs, cùm audiisset illos ex alto in dorsum cecidisse. Si quis artus mouere nequeat, solumque caput inflectat, ceruicis vertebras laborare certum est, si ne caput ipsum moueat, cerebrum malè affectum est: Tota manus resoluitur affecta quinta vertebra. At sexta & septima, brachij primæ partes manent illæsæ, manifestiùs si octaua laboret: sola memoria læsa, occiput laborat, illique admoueri debent remedia: corrupta imaginatione, synciput: vitiata ratione, in vertice fons est mali. Si æget conqueratur de spirandi difficultate, enumeratione partium quibus respitamus quærenda est pars affecta, estque vna definienda remotione aliarum. Si pulsus à mediocritate recessit, cor per se aut per consensum laborat, consentit autem omnibus ferè partibus per arterias. Si corpus non nutritur omnino, aut malè nutritur, (hoc cachexiam, illud atrophiam vocamus) hepar malè habere suspicamur. Si verò pars aliqua non nutritur, aut obstructæ sunt venæ per quas excipit alimentum, aut illa quòd sit imbecillior, non trahit, non retinet, non coquit, non expellit. Cæcitas visum, Surditas auditum, cruditas ventriculum malè affectum, cibi fastidium, stomachum laborare certò demonstrant. Quid multa? qui ex Physiologia didicerit, singularum partium vsum & actionem, neque ignotet quibus medijs & instrumentis vnaquæque perficiatur; ad hanc artem facilem habebit aditum: Qui verò eas ignorant, empirici curant ex euentu, non arte & consilio. C D

PARTIS AFFECTÆ SECVNDVM ARGVmentum à dolore. CAP. III.

DOLOR est tristis sensus & naturæ molestus, molestia accidit soluta continuitate partis, aut eadem affatim alterata: dolorificum enim dicitur quod subitò naturam partis immutat, aut eius continuitatem soluit: alteratur intemperie, præsertim calida aut frigida, humor enim & siccitas sunt qualitates patibiles, habentque lentam & ignauam operationem, dolor autem fit membro confertim, non sensim alterato: nam si partes valdè refrigeratas confertim calefacias, insignem dolorem excitabis: Intemperies verò hectica, quia fit sensim, est indolens. Quod si cui videantur humor tendendo, siccitas conuellendo, & rumpendo, dolorem facere, respondendum, hoc inanitioni, illud plenitudini tribuendum: Atque etiam si quando humor pungit, hoc facit quia talis, calidus, putris, acer, mordax, non per se & natura sua, neque enim datur humidum ad siccum ad tertium gradum quod non sit calidum aut frigidum. Itaque quo iure Aristoteles ex quatuor primis qualitatibus duas efficaces constituit, calorem & frigus, totidem patibiles, humorem & siccitatem, eodem E

Galenus

Galenus dolorificam alterationem in calidam & frigidam intemperiem reiecit,
A quarum comparatione humida & ficca, vt funt inefficaces, fic indolentes. Soluitur continuum quinque modis, vulnerando, rodendo, tendendo, comprimendo, conuellendo.

Dolor autem quidam pungit, alius fenfum infert grauitatis: alius tenfiuus, alius pulfatorius, alius acutus: punctorius eft proprius membranæ, non tamen conuenit omni, nam quæ offibus non alligantur, vt quæ pulmonem, cor, iecur & vefícam inuoluunt, graui dolore vexantur, non pungente: hoc figno peripneumonia & hepatitis difcernuntur à pleuritide dextri lateris: nam in pleuritide fentitur dolor pungens, propter inflammatam membranam quæ cohæret offibus, in pulmonis verò & hepatis inflammationibus, dolor grauis. Dolor pulfans oftendit arteriam premi. Si pars acuto & vehementi dolore cruciatur, exquifiti eft fenfus non obtufi, acuti fen-
B fus funt oculi, cerebrum, membrana, ftomachus, vterus, & partes neruofæ: obtufum habent fenfum, cor, hepar, pulmo, Renes ambigunt, nam in venis, arterijs, tunica fuccingente, & in exortu oureterum, acutus: In carne, obtufus dolor percipitur. Ceruix vefícæ exquifitè fentit, non vefica, fortè propter meatus anguftiam & tranfitus difficultatem, doloris ergo magnitudo colum, non vefícam affici declarabit.

PARTIS AFFECTÆ TERTIVM *argumentum ab excretis.* CAP. IIII.

C QVOD excernitur, Aut eft toto genere præter naturam, vt calculi, vermes. Aut de fubftantia partis affectæ: vt fi in dyfenteria, vlcerati inteftini ramenta fecedunt: Aut parti adnatum, vt pinguedo craffioribus inteftinis, illa enim natura pinguedine illeuit vt facilis & lubrica via fæcibus pateret: Aut coctionis excrementum, ftercus primæ, lotium fecundæ, fudor tertiæ: femen, & menftruus fanguis, quantitatis tantùm ratione funt excrementa, excernuntur etiam flatus & humores, criticè vel fymptomaticè, humores inquam tam naturales, vt fanguis & pituita dulcis, quàm qui funt præter naturam, vt pituita vitrea & gypfea, bilis vitellina, Æruginofa, Glaftea.

Confiderandum autem imprimis, quod excernitur, fi quale, quantum, qua via, quomodo & quando decet excernatur, obferuata confiftentia, vt fi fanguis per os reddatur, procedátne è faucibus, cerebro, thorace, an ex ventriculo: fi per mu-
D liebria, ex vtero an à vefica: fi enim vomitu redderetur, affectum effe ventriculum conftaret: fi tuffiendo, thoracem vel pulmonem: vtrum verò affectum fit, fic diftingues: pulmo quia neruus illius tantùm fuperficiem attingit, fubftantiam haud peruadit, non habet fenfum nifi grauitatis: Thorax verò, quia totus offeus & neruofus, exactè fentit, itaque fi indolenter reddatur, de pulmone: fi cum dolore, de thorace procedit. Adhæc pulmonis vafa funt maiora, fanguis biliofus & fpirituofus, ergo fi multus, tenuis, ruber, fpumans, eijcitur: quis dubitet vas aliquod in pulmone? Si verò paucus, craffus, & liuidus, in thorace, apertum, ruptum, vel exefum? Age verò, faciamus per aluum pinguedinem feceffiffe, fufpicio eft incipientis vlceris in craffis inteftinis, quæ tum vlcerata effe conftabit, quando fecedent abrafiones tunicarum. Cumque craffioris inteftini craffior, tenuioris tenuior fit fubftantia ab excretis quodnam vlceratum fit quis non facilè coniecerit? quod ad medendi ratio-
E nem & ad prædictionem, non parum conducit: craffiorum enim inteftinorum vlcus, per fedem iniectis: tenuiorum verò, fumptis per os remedijs commodiùs curatur: & craffiorum inteftinorum vlcera faciliùs fanantur quàm tenuium, ieiuni autem vlcus lethale: vlceratum autem aliquod è tenuibus inteftinis certius erit, fi pus aut fanies permifceantur fæcibus, vt aliquod è craffis, fi feparatim deijciantur. Sed caue ne puris & pituitæ fimilitudine decipiaris, quod vt auertas, iube ægrum deijcere, aut, in morbis renum vel vefícæ, mingere in matula aqua tepida femiplena, fi quod eijcitur petat fundum, pus eft. Nam phlegma, quia flatulentum & vifcidum, innatat: pus, aduftione graue, deprimitur. Aut in prunas proijciatur, pituita enim vt pus, non fœtet. Item puris color eft cineritius, pituitæ albus, præterea pituita quia lenta & vifcida non patitur fe diuidi, puris autem diuifi partes à fe inuicem

abscedunt, quod in alijs morbis, vt pulmonis & vteri, diligenter obseruandum, vt A
sit hoc semel & obiter dictum. Pergamus: si caro cum lotio reddatur, vlcus est in renibus, si arenæ in matula subsident, suspitio est calculi renalis: si per vulnus chylus exit, aut cibus, venter perforatus est; si fæces, aliquod ex intestinis; si vrina, vesica aut oureter. Huc referre possis coniecturam ab adnato, vt si fungus exoriatur vulnerato capite, meningem affectam esse certum est.

PARTIS AFFECTÆ QVARTVM & postremum argumentum à retentis.

CAP. V.

CONQVERATVR aliquis de suppressa vrina, Iube illum sedere, contrecta pubem, si ex circunscripto tumore vesicam plenam sentias obstructio est non in renibus aut oureteris, neque enim confluetet lotium in vesicam, sed in vesica ipsa, collo, aut ouretra: vtrum horum obstruatur Chirurgus deinde cathetere explorabit, cuius ingressum si sentiat impediri, malum est in ouretra. Ad hæc Platonis, & Arist. diuino præcepto, quærendæ sunt imprimis rerum differentium similitudines, similium differentiæ, mentitur autem sæpe colicus dolor nephriticum, qui à retentis discernuntur, nam in nephritide vrina cum difficultate redditur, aluus fluit, in coli dolore aluus sistitur, vrina fluente: sic pars affecta simul & species morbi dignoscuntur. Quod dictum sit gratia exempli: hic enim generalem duntaxat & indefinitam methodum curandorum moborum docere, & primos signorum fontes explicare proposui: plura suppeditabit quæ in alijs libris tradetur specialior doctrina. B C

DE CAVSA MORBI, Sectio secunda.

Eiusdem est artis nosse causas & remedia morborum Hippoc. lib. de arte.

DOCTE, si quid aliud, scripsit Herophilus, oportere medicum, quæ, qualis, & quanta sit causa morbi priùs agnoscere quàm de remedio cogitet, quia non potest curari morbus nisi remota causa, non potest remoueri nisi cognoscatur. Illa autem aut est externa seu procatarctica, aut interior, eaque antecedens, quæ primùm fecit & fouet morbum. Aut coniuncta quæ immediatè morbum facit, ea si posita ponat, sublata tollat morbum, continens distinctiùs D
& magis propriè nominatur. De externa primum medicus sit sollicitus, licèt enim remedio non oppugnetur, ad interioris tamen cognitionem maximi est momenti.

Si constet de præcedente diæta, (quæquidem sex rebus quas vulgus non naturales appellat, continetur) medicus magno labore leuabitur, habebitq; iam dimidium facti. Cùm enim sint neutræ & adiaphoræ, bene vtenti, salubres & sanitatis conseruatrices causę; malè vtenti, insalubres & morbi effectiuæ, de singulis ægrum percontetur: Aër iusto calidior inspiratus, alimenti, medicamenti aut veneni calidioris vsus, motus vehementior, ira, vigilia, excernendorum retentio, vt lotij, stercoris, sudoris, aut consuetæ & solemnis alicuius vacuationis, vt menstrui & hæmorrhoidum: contactus calidiorum, vt aëris, aquæ balnei, admoti medicamenti, vt E
confectionis ex anacardis: calidos gignunt morbos. Aër verò & alimenta iusto frigidiora (memineris autem definiendam esse mediocritatem ægrinatura non absolutè & per se) longior somnus, otium, metus, retinendorum, vt seminis & sanguinis, quin etiam excrementorum omnium immoderata profusio, propter inanitionem spirituum: contactus frigidorum: frigidos gignunt morbos. Morbi sicci, calidos, humidi frigidos vt plurimum comitantur: calor enim diuturnitate vel subito incremento accersit sibi sociam siccitatem; frigus verò, quia parens cruditatum, humiditatem. Sunt qui causas morborum, & modos remediorum his quatuor capitibus concludunt: Assumptis, admotis, agendis, educendis.

Internæ causæ sunt duæ, humores & spiritus quantitate peccantes, aut qualitate, totidem

A totidem modi, congeſtio & fluxio: Peccant quantitate, ſi excedant aut deficiant, natura enim temperie, temperies medioctitate definitur. Plenitudinem præcedunt otium & crapula, eandem ſequuntur torpor & dolor grauans: Inanitionem, inedia & vehementior tam animi quàm corporis motus antecedunt, eandem macies comitatur: Cacochymiam pariunt aëris & alimenti praua qnalitas, adiuuant raritas cutis vel denſitas, rara enim externis, denſa, internis patet iniurijs: nam ſi corpus liberè non perſpiret, & ſanguis non diffletur, ſi fuligine non expurgetur, naſcitur putredo, obſtructionis ſoboles.

Internæ cauſæ mouentur ab externis.

Ab excretis

Cnm ergo, vt dixi, interiorem morbi cauſam exterior prodat, hanc primùm medicus diligenter ſciſcitetur, conſiderato imprimis habitu patientis: ſi pinguis an macilentus, carnoſus an gracilis. Deinde affectus ſimplices præſertim colorem contempletur, refert enim cutis colorem humoris toto corpore dominantis, flauus color
B bilem, niger melancholiam, albus pituitam, ruber ſanguinem exuperare oſtendit, cuius varietate tumorum differentiæ diſcernuntur. Idem in excretis diligenter obſeruandus; nam ſputum rubtum pluritidem eſſe à ſanguine; flauum, à bile; album, à pituita; nigrum à melancholia indicat; pallidnm pituitam bili aut ſanguini permixtam. Vrinæ rubræ redduntur ſanguinis permixtione, nigræ melancholiæ, flauæ bilis, albæ pituitæ, & cruditatis: quorum varia permixtione variè colorantur: non aliter deiectiones colore produnt humorem peccantem: non eſt negligendus deijciendi modus, ſonoræ enim deiectiones fiunt à flatu, flatus ex pituita ab imbecillo calore.

A retentis

A retentis tam certa ducitur coniectura quàm ab excretis, nam ſi conſueta & ſolemnis aliqua vacuatio ſupprimatur, vt menſtrui aut hęmorroidum, habemus cau-
C ſam & originem morbi: ſi alicuius coctionis excrementum præter conſuetudinem retinetur, lotium, ſtercus, ſudor, cauſa morbi, ſi non coniuncta, ſaltem antecedens intelligitur: retentæ enim fæces, fumos ad caput mittunt, vnde dolor capitis, vertigo: ſi iuuenis vidua ſuffocetur ab vtero, accuſanda retentio ſeminis inſueta, præſertim, ſi menſes pro more fluxerint.

Dolor quoque detegit cauſam morbi, nam ſi pungat, eſt analogus laſſitudini vlceroſę, indicatque copiam humoris acris & mordacis. Tenſiuus plenitudinem arguit; ſi cum grauitate, humoris, cum leuitate, flatus: Phlegmonoſus, cum æger membra veluti contundi & oſſa ſibi frangi putat, ὀστοκόπον propterea vocat Galenus, Plethoram ſimul & cacochymiam multam: Dolor pulſans indicat à copia ſanguinis arteriam premi. Faciamus ergo quempiam de laſſitudine conqueri; conſiderandum
D erit, ſi ſit ſpontanea, & à cauſa interna non externa, vt exercitatione vehementiore, tumque per ſingulas ſpecies tacita mente diſcurrendum, ſi cutem dicat ſibi veluti acu pungi, vlceroſa eſt, ab humore vt plurimum bilioſo, rarius à pituita ſalſa & putri, ſi ſentiat in membris tenſionem, ſubeſt plenitudo humoris flatulenti: ſi contundi membra exiſtimet, multus humor ſubeſt, iſque craſſus & frigidus, qualis pituitoſus aut melancholicus. Pituita enim & melancholia non valdè acutos dolores inferunt, partim quòd craſſitie ſua obſtruunt & ſenſum partis impediunt (impedito enim ſenſus & caloris commeatu pars obtuſè ſentit) partim quòd illam frigore ſtupefaciunt: Itaqne acutiſſimi, vt arthritici dolores, neque fiunt à pituita, neque à melancholia, niſi bili aut flatibus permixta: argumento eſt quòd his diſcuſſis reliquus tophus ſit indolens. Morbus ipſe eſt index ſuæ cauſæ, vt febris tertiana, bilis exupe-
E rantis, Quotidiana pituitæ, Quartana melancholiæ, Inflammatio ſanguinis, Eryſipelas bilis, Oedema pituitæ, Scirrhus melancholici, cancer atrabilarij ſucci: A iuuantibus, qnoque & lædentibus certa & cauſæ morbificæ & ſpeciei morbi ſumitur coniectura. Intemperies enim omnis ſimilibus læditur, gaudet contrarijs, calidus morbus refrigerantia poſtulat: frigidus calfacientia: propterea Hippocrates iubebat fotu cauſam ſimul & ſpeciem morbi explorare in doloribus lateris.

Non eſt ignoranda conſequutio morborum: nam ſæpe vnus alterius eſt cauſa, Si cui brachium reſoluitur, interrogādus eſt an apoplexia primùm laborarit, ſæpe enim deſinit in ſparaplegiam: ſi ſit Empyios, num prius angina, pleuritide, aut peripneumonia vexatus ſit, his enim morbis ſuccedit empyema: ſi tabeſcat, an ſanguinem expuerit, nam ad ſputum ſanguinis tabes: ſi hydropis incipientis aut cachexiæ iam ap-

pareant signa, quærendum si insigni aliqua & longa fluxione laborarit, vt hæmorragia, dysenteriæ aliqua specie, gonorrhœa, diarrhœa, nam diarrhœam biliosam dysenteria comitatur, humoris acrimonia abrasis intestinis, dysenteriam tenesmus, quinetiam intestinorum vi & temperie tandem exoluta, lienteria: Pruritum scabies sequitur, vertiginem epilepsia, epilepsiam melancholia, febres erraticas quartanæ, nephritim arthritis, & contrà, materia hinc illuc translata. A

DE SPECIE MORBI,

Sectio tertia.

SPECIES morbi arte & methodo diuisiua deprehendetur, quam Plato in Philæbo scribit esse donum deorum, vna cum Promethei lucidissimo igne in terras demissum. Quærendum imprimis coniunctum genus morbi: B nam sumptum cum parte affecta definiet morbum. sic Aristot. docuit accidentia πρώτοις δεκτικοῖς, id est subiectis quibus primo per se insunt, definire. Quoties igitur actionem partis manifestè læsam videris, eandem morbo tentari affirmabis: ecce primum & summum genus: considerandum deinde si actionem partis, vt similaris est, lædat, an eiusdem vsum, qnatenus alicuius functionis est instrumentum, peruertat: an vtrumque simul, hoc est sítne morbus similaris, organicus, an communis: similaris morbus, intemperies vocetur. Simplex, vel composita: simplex, calida, frigida, humida, sicca: composita, calida humida, calida sicca, frigida humida, frigida sicca, nuda, vel cum materia, sanguine, pituita, aqua, flatu, alterutra bile.

Instrumentum, partisue vsus, læditur, vitio conformationis, magnitudinis, numeri, situs: conformationis vitia sunt, in figura, meatu, læuitate, & asperitate: quę sunt species subalternæ morbi organici, vt dictæ intemperies morbi similaris. Vt C enim pars similaris sana est & actiones integras edit: trahit, retinet, coquit, & excernit, quę temperata, & vsu suo probè defungitur instrumentum quod est iustæ magnitudinis, partibus constat nec pluribus nec paucioribus quàm conueniat, eisq; bene sitis & connexis, item quod à natura fuerit bene conformatum: ita pars similaris laborat, si intemperata, instrumentum malè affectum est, si malè conformatum, partes similares, ex quibus constat, bene sitas & cohærentes non habet, easq; in magnitudine aut numero peccantes.

Solutionem continui diuidunt, tumores pręter naturam, vlcera, vulnera, luxationes, fracturę quæ singula minutiùs subdiuiduntur: Tumorum enim multę sunt species, plegmone, œdema, erysipelas, scirrhus, emphysema: quibus definitè cognitis, proximum genus morbi innotescit: quod si coniunxeris partis affectæ, habebis morbi, quamuis innominati perfectam definitionem. Faciamus exempli gratia inflammari membranam cerebri; per se primò, cerebrum per consensum, hęc species morbi, à symptomate, phrenitis vocabitur, quęrentique quid phrenitis, si responderis esse inflammationem membranarum cerebri, veram definitionem, nempe genus proximum cum parte primo affecta, responderis: esto inflammatus oculus per consensum adnatæ, ophthalmia erit, vt Angina, inflammatio musculorum laryngis, internorum cynanche, externorum synanche, partium quę antestant internis, paracynanche: earum verò quæ externis, parasynanche. Hîc velim lectorem obiter notare, quãtus fuerit veterum labor in distinguendis & definiendis morbis: species autem & definitiones vsque adeo differentes natas esse ex dissimilitudine partium affectarum: perge: inflammatio pulmonis, peripneumonia, hepatis, hepatitis, pleurę, pleuritis dicitur à partibus affectis deducta appellatione: Inflammatio glandularum, Bubo, (sic enim Hippocrates vocat glandulas) Earum quę sunt ponè aures (quę sunt emissaria cerebri) Parotis: earum quæ sunt sub alis, (vbi sunt emunctoria cordis) bubo, vtplurimùm pestilens: earum quę ad inguina (quę sunt emissaria hepatis) venereus, nisi benignus, criticus, & salutaris fuerit. D E

Reliquæ partes corporis, Auris, ventriculus, diaphragma, vesica, inflammari etiam possunt, non sunt tamen illis imposita propria nomina, fortè ne infinitate morborum lectoris animus obrueretur: adde quòd omnes iisdem ferè remedijs curantur, quantitate & forma remedij pro natura & situ partis, prout suo

loco

A loco docebitur, immutata, vsurpamus autem in illis designandis definitionem loco nominis sen definiti. Nam quoties dico phlegmonem vesicæ definitione speciem exprimo morbi nondum nominati, quod erit definiendis singularum partium morbis breuissimum compendium. Nam cerebri, exempli gratia, quiuis morbus necessario similaris est, instrumentarius, vel communis. Esto similaris, discurrendum per omnes intemperiei differentias, vt illa sumpta cum cerebro constituat & definiat quæsitam speciem morbi.

Viden' quanti sit hęc doctrina momenti ad bene medendum? Principium medendi, inquit Galenus, est cognitio morbi, minimusque error commissus illius ignoratione (vt si quis phrenitim pro mania curaret) maximus est in fine. Morbus cognoscitur ex parte affecta & genere coniuncto, nulla enim rerum notio certior est quàm definitio. Atqui docuimus vt pars affecta deprehendi possit, exposuimus quoque
B methodnm inueniendi verum & proximum genus morbi, ergo iam habemus plusquam dimidium facti: Ad hæc effectus est signum suæ causæ, ex sensibilibus enim cognoscuntur intellectilia, atqui symptoma est primus effectus morbi: itaque discurrendum per symptomatum genera, actionem læsam, excretorum, retentorumque ametriam, & affectus simplices: Morbi species, inquit Galenus lib. 3. de crisibus ex symptomatibus dignoscitur, eiusdem magnitudo ex eorum magnitudine: veternus intemperiem frigidam humidam ostendit, vigilia calidam siccam, dolor detegit causam simul & speciem morbi, si tussiendo excretus sit multus sanguis, phtisis coniicitur, si loturæ carnium similis per sedem redditur, hepatis imbecillitas arguitur, genæ rubræ peripnenmoniam indicant: quid multa? symptomata morbi genus demonstrabunt.

C Dicet aliquis, Si vnaquæque species morbi primo subiecto finiri debeat, cur phlegmone ex materia, tumor à sanguine, œdema, tumor à pituita, definitur? Respondet Arist. 6. metaph. cap. 1. quod si singulorum accidentium cognitum haberemus proprium & primum subiectum, quomodo species est subiectum suæ proprietatis, haud dubiè, eo cōmodissimè finirentur, quia idem est principium essentiæ quod existentię, sed quia plurimorum prima subiecta ignorantur, cogimur ea suis causis, physica, materia & efficiente, ethica, suo fine, definire.

Atqui tumorum præter naturam non est definitum subiectum: omnes enim partes illis sunt obnoxiæ. Itaque hoc generale sit præceptum, morbos omnes, si fieri possit, definiendos esse primis subiectis, alioquin pro illis substituenda esse materiam, aut efficientem, quod posteà notum erit dum lib. secundo genera, lib. tertio, species
D morborum definientur.

PRÆDICTIONVM IN MORBIS
summa capita.

VT intelligatur communes ferè esse fontes prognoseωs atque diagnoseωs, operæpretium existimaui contrahere in pauca, & veluti ob oculos ponere medicæ diuinationis summa capita. Hippoc. vocat πρόνοιαν, pręuisionem futuri euentus morbi. Vt in aëre numquam tempestas oritur, inquiebat Diocles, quam non signa quædam præmonstrent, ita hominem non inuadit morbus, qui non possit aliquo signo pręuideri. Monendus autem
E medicus, vt nihil est gloriosius quàm futura præuidere, & euentum morbi prędicere, (ægri enim plutis faciunt medicum qui præuiderit exitum morbi: eoque modo à vulgi calumnia liberatur) ita nil esse fallacius, nilque periculosius: ob id quandiu humor est in motu suspendendum esse iudicium, quia dubium est quam in partem sit fluxurus, nobilem vel ignobilem, forásne an intro, per conuenientes ductus an naturæ & humori contrarios, quinimò etiam si parti sit infixus, & appareant signa coctionis, conualiturum ægrum non affirmabit, nisi simul adiiciat, dum nihil superuenerit, vt triste nuntium (propter quod insomnis æger redditur) ægerque bene monenti paruerit, & ex pręscripta formnla vixerit.

Ad prędicendum verò contempletur imprimis partem affectam, si sit princeps, an ignobilis, publica an priuata: quia principium, quinetiam pnblicarum partium, vt ventriculi & pulmonis, morbi sunt periculosi. Etiamsi per se sint exigui, tamen

ratione partis affectæ, cuius vſus toti eſt neceſſarius, ſunt magni. Deinde ſpeciem, A
magnitudinem & cacoethiam morbi, Alij enim ſunt longi, Alij breues, Alij benigni, Alij maligni; multi ſunt inſanabiles, vt elephantiaſis, cancer, apoplexia fortis, Maraſmus, ſchyrrus confirmatus. Alij rarò & difficilimè perſanantur, vt vlcus pulmonis. Alij ſunt periculoſi, vt febris continua: alij ſecuri, vt tertiana.

Obſeruanda etiam atque etiam cauſa, nam morbi ab atra aut æruginoſa bile, lethales: A pituita & melancholia longi, à bile acuti & difficilis iudicij, propter humoris inconſtantiam. Conſideranda etiam excreta & retenta, tam communia, vt lotium, fęces & ſudores, quàm particularia, vt ſputum in pleuritide & peripneumonia: apparentibus enim ſignis coctionis vtriuſque materiæ, morbificę & antecedentis, nemo vnquam mortuus eſt, fieri tamen poteſt vt coniuncta materia cocta æger moriatur antecedente incocta: nã apud Hip. in ancilla paſtoris, & Eraſtiona cta parotidibus ſuppuratis nihilominus interierunt. Maximè omnium iuuat explorare vires B
ægri naturales, vitales, animales, eaſque cum morbo comparare. nam ſi paulatim concidant, malum, ſi recuperentur, bonum: Actiones primum animales obſeruabis: Si conſtet mente (delirare enim malum) Si libere ſpiret morbo ingraueſcente. Si ſenſus habeat integros morbo decreſcente, Deinde vitales, ex pulſu: qui vitæ ac mortis fidelis eſt nuntius. Naturales verò, vt appetere & bene habere ad ea quæ offeruntur, Bene coquere: quod vrinę & deiectiones indicabunt: Mira ſunt, quia ſupra artem & rationem N.

Nicoli prognoſtica. Vrticam, inquit, in vrinam ægri immitte, niſi marceſcat æger conualeſcet: Vel vtinam miſce cum lacte mulieris, ſi ſocientur, viuet; alioquin morietur: Aliud ſubiungit non minus admirabile, lardo pedem ægri inunge, & offer cani, ſi comedat, ſeruabitur, ſi aſpernetur, aut comeſtum vomat, morietur. C

DE REMEDIO,

SECTIO QVARTA.

D

QVA METHODO INVENIENDVM ſit proprium & conueniens morbo remedium.

CAP. I.

Quando. INVENIENDVM remedium quod profligando morbo conueniat, inuento prudenter vtendum, inueniri autem poterit ſpectata cauſa & qualitate morbi, quia enim remedijs contrarijs oppugnandus eſt, calidus frigidis, frigidus calidis, ei qui genus morbi nouerit, non erit difficile proprium & accommodatum morbo remedium inuenire, ſi modo E
genera & vires medicamentorum non ignoret: quandoquidem, vt dicitur, dignotio morbi eſt inuentio remedij: contraria voco quæ diſtent à medio pari gradu, vt morbus ad tertium gradum calidus eodem gradu frigidis expugnetur: nam ſi infra modum ea exhibeas, periculum eſt ne ſuperſint morbi reliquiæ quæ recidiuam faciant, ſi vltra, ne nouum morbi genus priori contrarium importune inducas. Simplicium itaque remediorum qualitates veluti in tabella tibi ipſe deſcribe (nolo enim actum agere) vt habeas communes locos ad quos cùm vſus poſtulabit confugias. Illæ autem vel ſunt manifeſtæ, vel occultæ, manifeſtę ſunt quatuor primæ, calor, frigus, humor, ſiccitas, & quę ex primis, mediatè, vel immediatè oriuntur: actiones enim habent ſatis perſpicuas, nec de earum cauſa dubitatur: At occulta qualitate Agaricus trahit pituitam, rheum bilem. Aſplenium lieni, Agrimonia Iecori, peculiariter

A peculiariter prosunt Vngula Alces, Epilepsiæ, Saxifraga calculo, Arthritica arthritidi: Occultiore medentur physica amuleta, vt Pæonia appensa : ineffabili, verba & characteres, quibus, cum sint quantitates, etsi nullam vim inesse Peripatetici existiment, qui tamen plures sanat in quem plures fidunt, dicique vix potest quantum possit ad sanitatem recuperandam de medico & remedio anticipata opinio, siquidem phantasia habet imperium in spiritus & humores, morborum parentes, ego non puto illorum vsu esse interdicendum, nocere enim non possunt, sæpe per accidens & ex euentu prosunt. Theologi tamen eorum vsu interdicunt, quia dæmonum occulta virtute operari existimant. B. Augustino videtur tacitum pactum cum dæmone.

Porro maiores nostri, quorum vigilijs excultam habemus artem medendi, non B contenti fuerunt scripsisse, hoc esse calidum, illud frigidum, sed calidorum & frigidorum quatuor gradus constituerunt, vt morbus à suo contrario facilius vinceretur: quinimmò cuiusque gradus tres ordines, principium, medium, & finem descripserunt. Ne quis autem existimet solam intemperiem curari contrario, placet primùm faciendæ medicinæ principium scriptum ab Hipp. lib. de flatibus, & à Galeno libro de constitutione artis demonstratum, generalium morborum inductione breuiter declarare.

Non tantum qualitati, sed etiam magnitudini morbi debet esse analogum remedium.

Morbus est similaris, organicus aut communis, hic, Solutio continui vulgo nominatur: cuius curandi vnicus est, isque contrarius scopus, nempe vnio. Intemperies vel est nuda, vel cum materia, illa suo contrario alteranda, calida frigido, humida sicco, si materia corrupta fuerit illicò vacuetur, si cruda, coquatur, si crassa, incidatur & tenuetur, si tenuis incrassetur: si lenta detergatur: denique, nisi quid in- C stet, ad vacuationem præparetur: si pestilens, venenata, & deleteria, alexiterijs malitia retundatur.

Morbus organicus, aut est in numero, magnitudine, situ, conformatione: morbus conformationis in figura, meatu, asperitate, læuitate. Atqui morbi numeri & magnitudinis eodem ferè modo curantur. Vt enim aucta magnitudo, exempli gratia, caro supercrescens ex dentibus, cauterio aut scalpello minuenda, imminuta verò, vt vulneris aut vlceris magni cauitas, sarcoticis & alimentis boni succi augenda, ita pars superflua, vt sextus digitus aut tertius testis, si manifestè incommodet actioni (alioquin sinatur) remoueri debet: quæ ad vsum necessaria desideratur, si fieri possit, arte resarciatur, saltem aliquid simile, vt callus pro deperdito osse, cicatrix pro cute, substituatur: pro vero dente ad vocis dearticulationem, qui- D dam vtuntur eburneo, alij ad decorem, oculo caprillo vacuam replent orbitam: non desunt qui truncas nares (vulnus inhonestum) vt reparent, brachium cauât parte musculosa, & in vulnus illico reliquam nasi portionem immittunt, appulsu enim & concretione sanguinis ad partem, regeneratur quidem nasus, sed valde deformis, qualis elephantici, quia imbecillus calor non potuit illum cute contegere, tolerabilior tamen cauitate.

Morbi situs & connexionis, veluti luxationes & herniæ, etiam contrario curantur, nam si intestinum aut omentum in scrotum exciderit dilatato aut rupto peritonæo, reponendum est deinde aliquo astringente, vt emplastro contra rupturam, & subligaculo continendum: si forte fluxione aut congestione membrum aliquod luxetur, vt femur Ischiadico dolore, absumendus humor digerentibus, atque vacuadus: si E violenta impulsione loco motum fuerit, intendendo atque in contrarium impellendo, reponatur.

Morbi in meatu sunt, Angustia & obstructio, hæc detergentibus & aperientibus tollatur, aut transponatur: lapis vrinæ meatus obstruens, si elatis cruribus ægrum succutiendo, aut catherete, dimoueatur, præsens erit remedium, sed ad integram sanitatem, incisione & extractione est opus, Angustiores meatus dilatentur, latiores astringantur.

Morbus asperitatis læuigetur, læuitatis exasperetur, quę enim partes naturę instituto sunt lęues, vt lingua & arteria, si exasperentur, lenientibus humidis, iisque lentis non mordacibus syrupis eclegmatis, naturæ suę restituantur, quæ verò debent esse asperę, vt ventriculus & vterus ad retinendum, si iusto læuiores reddantur, vt fit lienteria, humor lentus detergendus ijs quæ parum astringant. Cuti duræ emollitio,

Tensæ relaxatio: nónne vides labori quietem, vigilijs somnum, tristitiæ eam animi iucunditatem quæ ex sermonibus, actionibus, spectaculis percipitur, remedio esse? Ergo morbi omnes contrario curantur. Sit hoc primum inueniendi remedij principium, quod in genere breuiter declaratum sequentibus libris singulorum morborum & remediorum comparatione fiet notius. Velim interea lectorem obseruare quàm sapienter Paracelsus suæ medicinæ contrarium iecerit fundamentum. Morbos omnes sanari similibus. Quòd si contrariorum contraria sint consequentia, sanitas autem seruetur similibus, quis non videt morbos abigendos esse contrarijs? Nónne morbus cum sit hostis naturæ se depellendum indicat? at simile non agit in simile, contrario igitur profligandus. Indicatio prima sumitur à morbo, secunda à viribus, seruandæ vires, tollendus morbus: Vires seruantur alimento, morbus tollitur medicamento; alimentum oportet esse simile, medicamentum dissimile.

DE VSV INVENTI REMEDII.
CAP. II.

PARVM prodest inuenisse remedium, nisi inuento prudenter vti possimus, medicos enim videas solertes & ingeniosos quibus sylua remediorum suppetit, quæ tamen sine delectu & inconsultò dispensant: alios quibus maturum est iudicium, sed habent pauca, quamuis selecta remedia: perpauci sunt ingeniosi simul & prudentes: nescio enim quomodo fit, vt in his ferè desideretur iudicium, qui valent ingenij promptitudine. Arte igitur supplendus est naturæ defectus; inuentionis celeritas iuuanda est artificioso commentario remediorum; consilij verò maturitas, tribus circunstantijs veluti finibus circumscribenda. quanto, quando, & quomodo: tale enim remedium, puta calidum vel frigidum, phlegmagogon, melanagogon, vel cholagogon vsurpare, est opus inuentionis, considerata (vt dixi) causa & genere morbi. At illud iusta quantitate dispensare, conueniente formula præscribere, & quando decet offerre, iudicij atque prudentiæ: quod esse difficile non sine causa monuit Hippocrates: Nobis itaque de singulis ordine disserendum est initio ducto à tempore.

TEMPVS REMEDII, VT ARTE ET *prudentia sit deligendum.* CAP. III.

Quando. SAPIENTER Plato, si quid aliud, in humanis id solum bene fieri scribit quod fit opportunè: est enim occasio domina rerum agendarum, data tempore prosunt, & data non apto tempore quæque nocent, ptisana nil est ægris conuenientius, si tamen detur intempestiuè, est exitialis; vt primo acutorum scripsit Hippocrates: Medici qui Eudemo exhibuerunt Theriacam paulo ante paroxismum ex simplici quartana duplicem fecerunt, vt est lib. ad Posthumum. Ecce ne longiùs exempla petantur quis non videt quantum hodie peccetur in ægrorum diæta atque therapio? In paroxismo nō est nutriendus, minus purgandus æger. Obseruandum tempus quo morbus remittit, si non intermittit. Quiescendum die critico, quia periculum est ne natura occupata in materia morbi conficienda, medicamento, aut copiosiore alimento ab officio distrahatur, néve ad medicamentum aut alimentum conuersa ab hoste interim prosternatur: Obseruanda inquam non tantùm morbi, sed etiam paroxysmi quatuor tempora, principium, incrementum, status, declinatio: tutius enim in declinatione quàm alijs temporibus præscribuntur alimentum atque medicamentum: verùm quotusquisque est empiricorum qui istas temporis circunstantias obseruet? tantum abest vt solis & lunæ motus contemplentur: Sub canc & ante canem, quinetiam media æstate, quia æstu vires languent; & hyeme, quia frigore humores densi torpent ineptique sunt ad motum, minùs tutò venæ sectio & pharmacum imperantur quàm vere & autumno, nisi placet externorum morborum, vt vlcerum, curationi commodiorem esse æstatem, quia vlceris curatio est exsiccatio: Auenrois vetat ante pluuiæ descensum ne purgationem autumno moliamur, vt humores æstu siccati per laxiores meatus liberiùs fluant, iisdem causis præstat plena aut crescente luna

sanguinem

A sanguinem mittere, quandoquidem tum pleniores sunt venæ:noua aut decrescenre purgare, quia tum humor excrementitius vergit ad imum. Hora secunda vel tertia post exortum solem salubrius sanguis mittitur, quia tum viget & dominatur ipsoque diei lumine fit tenuis & fluxilis, & aër qui vacuati locum subit, efficit spiritus tenuiores atque lucidiores.

Memineris tamen hæc intelligenda, si per morbum liceat opportunum tempus eligere, est enim quoddam tempus electionis, alterum necessitatis; in valdè acutis, vt in angina, aut apoplexia suffocante, procrastinare & nouam lunæ quadram, aut benigniorem constellationem expectare, ridiculum sit, quia prius æger vitam quàm cœlum malignam coniunctionem finierit, præstatque tnm lotium aspicere, vel pulsum explorare, quàm astrorum motus contemplari. Adhæc leuia medicamenta,

B vt pillulæ stomachicæ, de hiera, elephanginæ, assajeret, manna, cassia, dari possunt vna hora ante cibum, neque illis superdormiendum est, ne per somnum auctus calor illa conuertat in alimentum: At fortioribus, præsertim siccis & solidis, vt pillulis cocijs licet superdormire, quia somno à circumferentia ad centrum receptus calor, alimentum coquit, humores fundit, facitque vt vis medicamenti simul cum alimenti vapore longius feratur. Deinde naturam roborat & malitiam medicamenti retundit. Tamen vigilandum est cum incœperit purgare, quia somnus omnes fluxiones sistit excepto sudore.

Habenda igitur non tantùm morbi & paroxysmi, sed etiam anni, mensis, & diei ratio, in præscribendis morborum primis remedijs, pharmaco, & phlebotomia.

C DE QVANTITE REMEDIORVM.

CAP. IIII.

NIHIL est perinde arduum & obscurum, nil tam fallax, quàm iusto dosis remedij, vnumquodque enim eò fallacius & obscurius, quò pluribus obnoxium est circunstantijs: non potest autem definiri quantitas remedij nisi sumpta indicatione à rebus naturalibus, vt ægri viribus, natura & temperamento, habitu corporis, pingui, macilento, gracili, carnoso, ætate, sexu, consuetudine; est enim altera natura: Item non naturalibus, vt tempore, aëre, regione, excretis, retentis: & quæ sunt præter naturam, causa, morbo, symptomate. Quis enim prudens pharmacum eadem quantitate dederit infirmo ac robusto, mulieri & viro, puero & adolescenti, Parisino & Scythæ? Eunuchis, & balbis quia sunt aluo humidiore minor dosis, conuenit, *Quantum.*

D consuetis medicamentis aut abstinendum est, quia consuetudine etiam venena fiunt alimenta, aut eorum quantitas augenda. Spectandum esse tempus, anni, mensis, morbi, paroxysmi, considerandam causam, & speciem morbi, necnon vehementiam symptomatum, eorumque ratione augendam vel minuendam dosim remedij, notius est quàm vt doceri debeat. magnus enim morbus magna & maiore dosi remedia deposcit: est autem magnus per se, vt vlcus malignum, vel ratione causæ, dysenteria enim ab atra, aut quiuis alius morbus ab æruginosa bile lethalis, aut vehementia symptomatum. Colicus enim morbus non est magnus nisi ratione doloris. Item quibus sensus sunt sopiti, vt apoplecticis, aut mês laborat, vt phreneticis, aut si vehemens vrget dolor; maior quantitas conuenit, quæ non potest arte definiri: verùm quemadmodum lex non est Polycleti immutabilis regula, sed Lesbia norma,

E quam magistratus æquitas pro factorum, personarum, & temporum circunstantijs non abrogat, sed immutat: præmium quod virtuti, pœnam quam illa vitio decernit, augens vel minnens: sic medicus quam ars indefinitè præscribit quantitatem remedij pro circunstãtiis, ætatis, sexus, temperamenti, regionis, cõsuetudinis, virium, morbi, symptomatis; limitat & definit. In qno non tantùm ægri, sed etiam medicamenti habet rationem, non fœtida, vt Castoreum & Galbanum, tum rara & pretiosa, quia chara: quæ nascuntur in oriente, quia maiores habenr vires, recentia, quia rerum omnium vires vetustate exolescunt, parciore manu dispensat. Ego qui scribo Gallis, exponam quæ dosis illis conueniat, vt catharticæ ad hominem, non ad hunc aut illum relata, curatur enim Socrates, de homine tamen sanando præcipitur. Prudentiæ medici fuerit, spectatis indiuidui tam externis quàm inrernis circunstantijs, eam augere vel minuere: vt infanti cassiæ ℥ij. mannæ ℥iij. rhei infusi ʒij. satis sunt, Adultis

cassiæ ℥j. mannæ ℥iß. rhei. ʒij. vix sufficiunt, hæc inquam non possunt arte exactè A
definiri, multa relinquenda sunt prudentiæ artificis, quæ confirmatur experientia, & longo rerum vsu, propterea malim iudicium prudentem quàm scientem: etiamsi vtrumque necessarium existimarim.

DOSIS CHOLAGOGωN SIMPLICIVM ET *compositorum quæ sunt in frequentiori vsu.*

RHABARBARVM in substantia ad summum datur ad ʒij. infusum ad ʒiij. non coquitur, ne vis purgandi coctione vanescat, est enim tenuium partium.

Cassia ad ℥iß. si tamen recens fuerit, quia magis laxat satis erit ℥j. B

Manna, vt pruna acida & Tamarindi seu oxyphœnici ad ℥ij. diluitur iusculo.

Myrobalani citrinæ in substantia, sed tarò, dantur ad ʒiij. infusæ ad ʒx. in decoctione ad ℥iß.

Aloe non lota, in substantia datur ad ʒij. infusa ad ʒiij. lotæ augetur dosis, quia lotione vis purgandi minuitur, nisi lauaretur aqua aut decocto purgante, præstat eam cogere in pillulas propter amarorem, cum syrupo aliquo, melle aut terebinthina. Aëtius iubet vt superbibatur mulsa.

Diacrydium seu scammonium præparatum à g. iiij. ad g. xij. Mesue, Dioscorides verò ad ʒi. Paulus, Aëtius & Actuarius ad ʒß.

Diaprunum simplex datur ad ℥iß. solutiuum, & electuarium de succo rosarum, vt C
Hiera picra Galeni, ad ʒvj. In quo Galenus sibi non constat, nam aliquando ad ʒiii. aliquando ad ʒv. ascendit.

DOSIS PHLEGMAGOGωN.

AGARICI substantia datur ad ℈iiij. infunditur ad ʒij. coquitur ad ℥ß.

Turbith in substantia datur ad ʒß. infusum ad ʒij. coquitur ad ℥j.

Colocynthis datur ad ℈ß. rarò tamen propter amarorem & virulentiam datur sola, tutior erit vsus trochiscorum alandal, dosis ad summum ℈j.

Cataputiæ puluis sumptus cum modico cinamomo ex ouo sorbili, vel cum iusculo, à ℈ij. ad ʒj. crassam pituitam purgat. Styrax pinguis flauus ʒij. pondere cum D
æquali portione terebinthinæ in pillulas coactus ducit pituitam multam citra molestiam, Aëtius: idem præstat Bdellium pari quantitate sumptum, semen carthami mundatum includitur caricis duabus, datur ante cibum, aut teruntur simul, detur magnitudine trium ficuum.

Diaphœnicum, Diacarthami, Benedicta laxatiua, & Indum maius, dispensantur ferè ad ℥ß.

DOSIS MELANAGOGωN.

SENNÆ orientalis substantia datur ad ʒiij. decoquitur ad ℥i. rarò infunditur, quia mucosum reddit liquorem, nostratis, quia vis minor, augenda dosis. E

Epithymus Cretensis decoquitur ad ℥j. substantia datur ad ℥ß.

Ellebori nigri substantia non est tuta, multo minus albi, quare coquatur aut infundatur in mulsa vel iusculo pingui, in quo Hippocratis consilio, anisi, dauci, seseleos, cumini ʒii. bullierint, vt odoratorum accessione graueolentia ellebori corrigatur, quæ alioquin ventriculum offendit; quæ fuit sententia Galeni libro 2. de ratione victus in acutis: Rondeletius præfert decoctum amaranti & nympheæ, quibus putat malitiam ellebori corrigi. Olim cauato raphano includebantur corticis radicis ℈ii. plus minus pro viribus ægri, expressus succus ad ʒi. ex lacte bibebatur, corpore præparato & septem dierum inedia macerato, vt inani stomacho exciperetur. Quidam per talleolas sectum infigunt malo curtipendulo, pondere

pondere ℈iiij. lento igne coquunt, coctum pomum comedunt, detracto elleboro, sic
A enim vim, non substãtiam, sumunt innoxiè. Aëtius hoc modo exhibet, ℞ fibras radicis ellebori, maceretur in aqua, deinde auferatur cortex & siccetur in vmbra, tundatur, cribretur, puluis detur cum passo aut aceto mulso: Cõdimenti gratia, adde aliquid petroselini & dauci, si efficaciùs vis purgare, adde aliquot grana diacrydij: Pillulæ inde constant elleboro correcto: Pillulæ de lapide armeno earundem sunt virium. Extremis morbis à melancholia summum & extremum remedium.

Diasenna datur ad ʒvj.
Confectio Hamech ad ℥ß.

Catholicon est polychreston, tum vtile cùm vel multi humores peccant, vel quis peccet non est satis definitum, cumque per se sit indifferens, ei se accommodat cui
B permiscetur: vt si ad ʒij. electuarij de succo rosarum ℥j. catholici addideris, purgabit bilem: si tantundem. ʒij. diacarthami permisceas, pituitam, si confectioni Hamech melancholiam.

Alij breuiùs & faciliùs dosim medicamentorum ita explicant, fortiorum dosis ℈j. leuium ʒx. mediocrium mediocris.

Alij hoc modo: cathartica seu purgent trahendo, vt Scammonium, seu comprimendo vt myrobalani, seu leniendo, vt cassia, seu lubricando, vt mucago psyllij, in quatuor gradus distingui possunt: primi gradus sunt succus & syrupus rosarum & violarum, serum lactis, decoctum Tamarindorum & prunorum acidorum: quæ ad sex vncias possunt exhiberi. Secundi gradus sunt manna, cassia, aloe, catholicon, Polypodij, fumiterræ, & Epithymi decoctum, quę ad sesquunciam tutò dari possunt:
C Tertij ordinis sunt Rheum, Agaricus, Senna, Turbith, quorum dosis varia est prout coquuntur, infunduntur aut solida sumuntur.

Quarti ordinis sunt diacrydium, colocynthis, elleborus, quorum substantia vltra ℈j. sine periculo sumi non potest. Securiùs datur decoctum, aut infusum, malimque illa permixta quàm sola exhibere. Ad vim aliorum acuendam & purgationem accelerandam cholagogis diacrydij, phlegmagogis, trochiscorum alandal, melanagogis ellebori correcti aliquot grana non temerè addideris.

DE VTENDI MODO

CAP. V.

D VTENDI modus duobus capitibus continetur, forma & delectu remedij. Appello formam miscendorum proportionem: non enim aqua, vinum aut acetum cum melle quouismodo permixta, hydromel, oinomel, aut oxymel dixeris, sed ratio mixtionis, formam & nomen dedit medicamento, nemo igitur hîc expectet materiam remediorum, puta, quæ calfaciant, aut refrigerent, quæ bilem & pituitam præparent aut purgent. Illa enim ex locis inuentionis repetenda est. Sed qua forma commodiùs parari possint, docere proposui: Omnia autem tam ἀλλοιώτικα quàm cathartica sumuntur, admouentur, inijciuntur, instillantur, insufflantur, induntur: consistentia liquida, sicca, media. Assumuntur forma liquida, Syrupi, Apozemata, Iulapia, potus, emulsiones, gargarismi: Sicca, pulueres, pillulæ, trochisci, tabellæ, conseruæ, condita, apophlegmatismi: Media: opiatæ, linctus. Inijciuntur clysteres in aluum, vesicam, vterum, aures: *Quo modo.*
E in quas liquida multa, vt olea, instillantur: puluis in nares insufflatur: Induntur pessi in vterum, balani in anum: Admouentur, olea, vnguenta, cerata, linimenta, emplastra, cataplasmata, fotus, sacculi, anacolemata, epythemata, balnea.

Horum nonnulla à parte cui destinantur nomen magis proprium & definitum habuerunt. Quæ naribus medentur, Errhina vocantur, Græci enim nares ῥῖνας appellãt, quæ inijciuntur in vterum, metrenchytæ, ἀπὸ τῆς ὑστέρας μήτρας, quæ in aures, ὠτεγχύται, quæ in oculos, collyria, quæ sub lingua tenentur, hypoglottia, sic multa remedia cephalica, ocularia, hepatica, cardiaca, splenica dicuntur, eo tamen discrimine, quòd hæc nomina, propter symbolum materiæ cum parte, primum imposita sint, illa verò, habita ratione formæ, quam situs & figura partis indicarunt.

Analyticum est præceptum non tantùm in docenda, sed in facienda etiam medi-

cina diligenter obseruandum, præmittenda esse generalia remedia particularibus, A
cum hæc ex illis vt conclusiones ex principijs dependeant, neque enim potest om-
nia docere semel, vitiumque Tautologias & inanis repetitionis euitare, non potest
methodo & sine confusione docere, quicunque particularia simul cùm generalibus
docuerit: De particularibus ergo remedijs tum dicendum erit cum ad morbos par-
tium ventum fuerit, nunc generalia exponamus, siue purgandis, siue preparandis hu-
moribus conueniant, doctrinæ autem & facilitatis gratia, quę inter se maiorem ha-
bent affinitatem, simul explicemus.

DE REMEDIIS QVÆ SVMVNTVR FORMA *liquida, Apozemate, syrupo, iulapio, potu, infusione.* B

CAP. VI.

SYRVPOS & apozemata videntur Arabes excogitasse ad apparan-
dos potius quam purgandos humores, hoc Hippocratis consilio insti-
tuti: Corpora cum quis purgare volet oportet fluida reddere, & si mor-
bus det inducias, vt si non turgeat humor, cocta medicari, non cruda:
Fluida redduntur corpora meatus aperiendo, per quos humores noxij
attrahendi sunt, vt clystere primum subducta aluo. Apparantur humores crassos in-
cidendo, tenuando: viscidos detergendo, tenues enim, vt serum & bilis, quæ longè
à temperie recessit, sine apparatu quàm mox vacuandi sunt, quemadmodum & ma-
ligni. Crudorum verò deiectio tormina & rosiones parit animique deliquia, nec
quidquam notatu dignum educit catharticum, quandoquidem crudi omnes succi C
pigri sunt & ad motum inepti ob crassitudinem & frigiditatem, quo fit vt omnes an-
gustas vias quas permeant priusquam ad aluum descendant obstruant: Itaque ipsi
non vacuantur & alijs sunt impedimento. Veteres Græci populariùs & minore
sumptu domi paratis iusculis vtebantur. Ecquid enim aliud sunt apozemata quàm
saccharata aut mellitea iuscula? non is sum qui inanem luxum approbem, sed quod
æquè commodè minore sumptu, & maiori facilitate parari potest frustra pluribus
tentari existimo. vulgo persuasum est ad essentiam & nomen apozematis, necnon
syrupi, congerendas esse radices, herbas, semina, fructus, flores: ego verò ex vno isto-
rum vtrumq; fieri posse existimo, quin ex aqua sola cũ melle cocta: mulsam enim ad
apozema, oxymel Gal. ad syrupum reuoco. Coquatur lento igne Guaiaci ℔ß. in sex
libris aquę; ad tertias, collaturæ adde si vis parum sacchari, ad gratiam, hydroticum D
apozema feceris. Ad internum dolorem de cuius causa non satis liquet: Accipe flo-
rum chamæmeli pij plus minus, coquantur, collaturæ ℥iij. adde si placet sacchari ℥j.
Anodinum erit apozema: differt à syrupo, non materia (ex ijsdem enim parari pos-
sunt) sed consistentia, quòd syrupus sit crassior, apozema liquidius & clarius, nam vt
fiat syrupus plus mellis aut sacchari decocto permiscetur, deinde simul bulliunt dum
filum faciat, aut in corpus læue, vt marmor vel vnguem, effusa guttula hęreat. Apo-
zema fit addito pauciore saccharo, melle vel syrupo ad decoctum, nec simul debent
bullire, sed quò aspectu sit gratius & clarius, cum oui candido à sordibus repurgatur:
additur dum feruet decoctum & scopis agitatur: sic enim sordes detrahũtur & deco-
ctum clarificatur. Æstate dum plantę virent vtimur apozematis, hyeme syrupis, nam
vt nihil desit pharmacopœis ad humores præparandos, ęstate parant syrupos in hye- E
mem, addendo plus sacchari ad custodię diuturnitatem: modus sacchari non potest
certo definiri, nam syrupi qui fiunt ex plantis amaris, qui diutius sunt seruandi, vt cõ-
positi, vulgò magistrales nominantur, aut qui ex succis fiunt (citiùs enim succi cor-
rumpuntur) plus mellis aut sacchari desiderant: Vt plurimùm pro vna dosi seu ℥iiij.
decocti additur syrupi ℥iß. vt fiat apozema. Ad syrupum, pręsertim ex succis, tantum
sacchari additur quãtum sumitur liquoris. est igitur apozema, decoctum dimidio sy-
rupo aut saccharo dulcoratum: Syrupus verò liquor, ferè cum pari saccharo coctus.

Iulepus idem ferè videtur cum apozemate, nam si ℥j. alicuius syrupi in tripla aut
dupla aqua, distillata aut decoctionis non refert, dissoluatur: fiet iulep. Atqui non
fuit alia syrupi cum aqua proportio ad compositionem & formam Apozematis. Er-
go videntur nomina diuersa res eadem, exempli gratia ad bilis feruorem.

A ℞. rad. graminis & acetosæ ana ℥ij. cichorij totius, scariolæ, endiuiæ, lactucæ ana M ß. quatuor seminum frigidorum maiorum ana ʒij. florum violarum & nymphææ ana p. j. fiat decoctio in collaturæ ℥iiij. dissolue syrupi de cichorio simplicis ℥iß, nónne fiet apozema vel iulep. nec materia nec forma immutata? Item si ad aquæ rosarum distillatæ vel decoctionis ℥iij. addideris ℥j. sacchari, fiet iulep, quod vulgo dicitur Alexandrinum, hoc autem quid vetat apozema nominare?

Potus non videtur ab illis differre materia, neque forma, sed fine, quod purgandis humoribus conueniat, illa præparandis, nam si in præscripto ad bilem decocto, pro ℥iß. syrupi de cichorio semunciam diapruni solutiui aut electuarij de succo rosarum dissolueris, potionem effeceris, quam si quis apozema purgans velit appellare, non habebit me repugnantem: Vt enim potiones non omnes sunt B cathartica, sed quædam ἀλλοιωτικά, vt cardiacæ, hypnoticæ, & vulnerariæ, ita non est necesse apozemata humores præparare, sed quædam ad eosdem vacuandos parari possunt, tribus modis: primo: si aliquod catharticum, vt senna, vel agaricum, bulliat simul cum decocto, herbis permixtum, vel separatim nodulo inclusum. Secundo: si in decocto infundatur, dicitur autem infundi, dum in liquore aliquandiu maceratur, in quem paulatim vim suam & qualitatem deponat. Puta si in aqua vel decocto cichorij, si mauis, in sero lactis tota nocte macerentur ʒiiß. Rhabarbari, manè collaturæ dentur ℥iij. ad gratiam si placet condiatur pauco saccharo aut syrupo violato, erit potio purgandæ bili idonea: Tertio, si in liquore aliquo, vt aqua hordei, iusculo, decocto prunorum, aqua distillata, hydromelite: aliquod catharticum dissolueris, potum effeceris, vt ℞. Catholici ʒx. dissolue in ptisana, fiat po- C tus, Aut.

℞. Diaphenici ℥ß. dissolue in hydromelite vel quouis alio ex herbis suo proposito conuenientibus, vt ex cephalicis aut spleniticis, decocto: fiat potus.

Possis istos modos coniungere, vt ad purgandam melancholiam.

℞. confectionis hamec ʒij. dissolue in decocto polypodij, in quo ʒiij. fol. sennæ bullierint cum drageta communi, addendo syrupi de epithymo vel de fumaria ℥j. fiat potus.

Videsne vt quatuor nominibus res propemodum vna significetur, nec difficile esse ei qui vnum norit, eadem arte reliqua describere? Vt enim species in rebus naturæ à forma specifica & essentiali constituitur, ita in rebus artis à structura & compositione; atqui omnium synthesis ferè vna, sola differens ratione, ergo videtur ca- D dem remedij formula quatuor nominibus expressa.

DE REMEDIIS QVÆ SVMVNTVR *forma sicca: puluere, trochiscis, tabellis, catapotijs.*

CAP. VII.

PVLVIS est communis materia medicamentorum siccorum & consistentiæ mediæ, ex eo enim fiunt electuaria tam solida, quàm mollia, trochisci, pillulæ, eúmque in ea tandem vnumquodque soluatur ex quibus primum ortum est, ex iisdem resiccatis & comminutis refor- E mabitur puluis, non aliter quàm ex plantis siccis & mineralibus, omnibus denique quæ possunt puluerari: exempli gratia, ad prohibendum ascensum vaporum, statim à cibo puluis astringens ex coriandro, corallo, & cornu cerui vsto paratur, in gratiam palati admixta saltem pro singulis dragmis sacchari rosati semuncia: Sed monendi sunt pharmacopœi, suo primùm, tum ægrorum manifesto dispendio pulueres in officina reseruari, cùm enim vis dispersa minus resistat externis aeris iniurijs quàm coacta, nil autem sit facilius quàm electuariorũ aut trochiscorum tritura puluerem quem velint conficere: Quorsum species diamargariti frigidi, Diarrhodô abbatis, Trium santalorum, Aromatici rosati, cum sint ad manũ electuaria, ex quibus puluis eo momento quo præscribitur possit regenerari? Aliquo igitur succo aut liquore puluis cogendus est in trochiscos, ne illius vis tã facilè exhalet. Ex eodem cum saccharo in quodam liquore, vt aqua distillata, ea proportione soluto vt pro ʒj.

pulueris accipiatur ℥j. sacchari, fieri sol et Pâdaleon, electuarij solidi corpus integrum, A
quod si in portiones quadratas diuidatur, fient tabellæ, si in rotundas, orbiculi, vulgo rotulæ. Si in triangulas, lôzengæ; si in oblongas, manuschristi appellantur, quæ quidem non sunt diuersæ formæ remediorũ, sed eiusdem electuarij partes, non synthesi sed figura sola differentes, ne quis terreatur tanta nominum varietate qua Arabes non illustrarunt, sed obscurarunt potiùs medicinam. Porrò electuaria solida, tam cathartica, vt diacarthami ad pituitam, de succo rosarum ad bilem, quàm ἀλλοιωτικὰ vt triasantali, ad hepar calidius, Diarrhodon, ad ventriculum roborandum, præscribuntur hac formula. ℞ electuarij, diacarthami tabellam vnam pondere ℥ß. plus minus, pro medici consilio, capiat manè, si vis dissoluatur in ptisana vt fiat potus, aut ℞. pulueris diamargariti frigidi ℈ii. trochiscorum de camphura. ℈i. conseruæ violarum ʒi. cum saccharo in aqua buglosi dissoluto fiat electuarium per lonzengas pondere ʒi. B

Si puluis exceptus succo, syrupo, aut liquore aliquo, vt aqua distillata, formetur in globulos, fient catapotia, quæ à figura, vulgò pillulæ nominantur: quarum dosis ad summum ℈iiii. vt si Rhei puluerati aut Agarici ʒi. excipiatur syrupo violato fient pill. sex, si cum massæ pill. de aloë ℈i. ad robur ventriculi, diacrydij aut trochiscorum alandal. ℈ß. misceas, vtrumque aqua menthæ vnias atque remollias, fient pillulæ tres. Solemus vti pillulis iam paratis & correctis, quæ ad vsum seruantur in officinis, hoc modo. ℞ massæ pill. de agarico vel de Rhabar. ℈iiii. malaxentur cum syrupo violato, fiant pill. molles. Rondeletius aquam præfert succis & syrupis, quia his augetur moles, ægris molesta, quod verum est in remollienda massa iam composita, non componenda. C

DE HIS QVÆ FORMA MEDIA ET consistente assumuntur. CAP. VIII.

ELECTVARIVM molle, generalius Opiata nominatur, non quod constet opio, sed quod habeat opij consistentiam. Partim autem purgandis, partim alterandis humoribus præparatur, purgant Diaprunum simplex, & solutiuum, seu diacrydiatum, Diaphœnicum, confectio Hamech, Lenitiuum, Humores planè putres & tota substantia à venenata qualitate corruptos immutant magnæ opiatæ, vt Theriaca & Mithridatium, quæ non tantùm à consistentia opij, sed etiam ab opio quo constant opiatæ nominantur. D

Parari autem poterit in rem præsentem, ex puluere excepto aliquo syrupo, vt ex conseruis & tabellis, trochiscis & alijs quæ puluerari possunt, Puta, si conseruæ anthos, ℥i. corticis citri conditi ℥ß. aromatici rosati & diagalangæ ana ʒii. excipias syrupo conseruationis citri, fiet opiata ad frigidam intemperiem ventriculi.

Huc pertinent medicamenta mollia quæ forma boli assumuntur, vt cassia & Catholicum. ℞ cassiæ ℥i. adde si vis Rhabarb. ʒi. cum saccharo fiat bolus, quem delicati capiant ex cochleari cum aliquo syrupo, exemplorum varias formulas proximus liber suppeditabit: docebit enim singulis morborum generibus quæ remedia, & qua forma conueniant.

DE CLYSTERE. CAP. IX. E

QVAMVIS liquor in cauitatem iniectus generaliùs clysteris nomine vocetur, tamen qui in aluum inijcitur sine adiuncto clyster appellatur, si in aurem, auricularius, si in vterum, vterinus: Hi, cum sint particulares, ad librum de morbis partium reseruandi sunt, quando enim de morborum auris, vesicæ & vteri remedijs disseretur, opportuniùs de iniectionibus in aurem, vesicam, & vterum dicetur: At clyster non est particulare, sed commune remedium, non enim tantùm ad intestinorum morbos imperatur, sed ad primam regionem expurgandam & sentinam exhauriendam, nam decauis hepatis trahit per venam portam, in quam cum lien melancholiam exoneret per

A tamnm splenicum, quis dubitet etiam de liene trahere? Item reuellit & diuertit à
partibus superioribus, ab intestinis etiam eradicando vacuat. Tum præmittitur me-
dicamento vt patientiores habeat meatus & minore molestia purget: quæ ob id di-
cuntur, ne quis miretur quòd inter generales & indefinitas remediorum formas à
nobis explicetur. Olim minus artificiosè parabatur ex vna libra liquoris, vt hydro-
melitis ad detergendum, lactis, aut decocti chamæmeli, ad dolorem placandum:
Hodie, ex radicibus, herbis, seminibus, paratur decoctum. In cuius collaturæ libra
vna ℥i. mellis ad detergendum, sacchari rubri, ad irritandam excretricem, tantun-
dem dissoluitur: aut eius loco ʒi. salis: adduntur ad lubricandum olei ℥iiii. quin-
etiam catharticum aliquod adiicitur ad purgandum, exempli gratia ad remollien-
dam aluum.

℞ decoctionis clysteris communis, seu remollientis ℔. i. dissolue mellis & sac-
B chari rubri ana ℥i. catholici ℥i. ß. (maiore enim dosi iniiciuntur cathartica quàm
assumantur, quia longus est intestinorum anfractus, vis obtusa) olei communis ℥iii.
fiat clyster, quod sit dictum gratia exempli, hic enim formam non materiam medi-
tamur. Quòd si pro remollientibus & purgantibus substituas adstringentia, vt centi-
nodiæ, plantaginis, Thapsi barbati an. m. i. accipias, & fiat decoctio, in collat. ℔. i.
dissoluas olei alicuius, succi, aut pro diuitibus, syrupi adstringentis, puta myrthini,
vel cydoniorum, ℥iii. fiet clyster superiori effectu contrarius.

Memineris autem non esse tam exquisitè definitam quantitatem liquoris, vt au-
geri vel minui non possit, quando enim intestina premuntur, vt in hydrope & in
grauidis, quando flatu distenduntur, vt in colico dolore, necnon in enterocele:
C quando clysterem diutius retineri volumus, minuenda est quantitas: At quando
clysterem altiùs peruenire cupimus, vt in vlceribus tenuium intestinorum, & renum
dolore, aut cum virtus est sopita vt in apoplexia, caro & lethargo, augenda & acuen-
da: clysteres tum oportet esse acriores: est etiam cum oleum nocet, vt in dy-
senteria, quia vlcus reddit sordidum, nisi fortè placeat astringentia, vt rosarum vel
cydoniorum admiscere ad robur. Quæsitum, sintne clysteres alimentarii, vt qui ex
iusculis, ex lacte cum vitellis ouorum, ex vino diluto parantur, cùm æger præ im-
becillitate aut alia causa vt ob resolutam gulam, non potest deglutire, hoc enim vi-
detur non probari Galeno, quia negat substantiam clysteris ferri vltra ieiunum in-
testinum, vnde quidam solo vapore alimenti ægrum refici contenderunt, verùm
animalem appetitum vapor alimenti satiat, non naturalem, quia in locum solidæ
substantiæ quæ continenter deperit, alia similis substituenda est. An ergo bene affe-
D cto ventriculo clysteris substantia ieiunum non transcendit, eodem inani & fame-
lico fuga vacui trahitur: alimentarij enim inopia. i. excrementitium humorem attra-
hit venter quo se expleat: An potius clysteres alimentarij qui naturæ grati attrahun-
tur, medicamentosi minimè, quia ingrati, veruntamen cum in illo morbo clyste-
res medicamentosi sæpè vomitu reddantur, quis neget ad ventriculum peruenire?
Matthæus Gradi interpres Auicennæ, affirmat se vidisse puellam quæ subditas glan-
des illico tanta violentia traheret & per os redderet, vt vix manu retineri possent,
iusculorum autem pinguium frequenti vsu, obtusa facultate tractrice, sanitatem
recuperasse. Instabit aliquis, nos nutriri sanguine, hunc autem fieri in hepate,
præparari in ventriculo, quod de substantia clysteris nemo dixerit. Respondet
Oribasius, vt venis sic intestinis inesse vim sanguificam, saltem eamdem cum
E ventriculo vt substantiam, ita præparandi vim obtinere, inde per venas me-
senterij à iecore exugi, & in sanguinem transmutari. Hinc patet famelicis pur-
gantes clysteres minimè conuenire. Ægros igitur prius nutries: neque tamen
statim à pastu dari debent præsertim purgantes, ne cibum adhuc crudum at-
trahant. Cæterum Colici proni contineant clysterem, Nephritici supini: Coli-
cis iniiciatur calidus (quia tepida flatus augent) cæteris tepidi: Colicis parua, Ne-
phriticis magna quantitas conuenit.

DE REMEDII DELECTV. A

CAP. X.

DVo sunt primi scopi faciendæ medicinæ, sanitatem præsentem ser-
uare & absentem reducere, seruatur diæta, restituitur therapia, diæ-
ta vacuatum replet vsu similium, curatrix verò medicina quæ fun-
ctionibus incommodant remedijs cōtrarijs amonet. Tria autem sunt
quæ actionem lædunt, causa, morbus, Symptoma. Causa præcedit
morbum, eundem, vt vmbra corpus, symptoma consequitur. Itaque in cau-
sa morbi remouenda primùm medicus laborat, qua permanente frustrà spera-
ret morbi depulsionem, nisi fortè symptoma, vt dolor, tam crudeliter sæuiat vt B
cum ab ordinaria curatione augeret, illique, quod magis vrgeat & grauius quid-
dam minetur, prius succurrendum sit, quàm de remouenda causa cogitetur:
mox redeundum ad expugnationem causæ, cum qua morbus, cum morbo sym-
ptomata disparebunt sensim & euanescent. Causam verò externam ad interio-
tis quidem cognitionem plurimum prodesse, iam monuimus, huic tamen soli de-
stinata esse remedia: quæ aut est coniuncta aut remota, hæc antecedens, illa conse-
quens appelletur. Coniunctam appello quæ proximè & immediatè morbum facit,
vt humorem fluxione aut congestione præter naturam parti affixum: Remotam ve-
rò & antecedentem, à qua illa nata est & fouetur, Plethoram scilicet aut cacochy-
miam: Appello Plethoram, sanguinis immoderatam copiam, siue quatuor simul
humores exuperent, siue propriè dictus sanguis, colore ruber, sapore dulcis, con- C
sistentia mediocris, quæ non semper adeò distendit vasa vt periculum rupturæ mi-
netur, vt in habitu athletico, tanta cum fuerit vt à natura regi non possit, morbi
causa est, & actionem lædit: Illa venarum capacitate, hæc virium imbecillitate de-
finitur: proinde vulgo, ad vasa & ad vires nominantur, vtrique remedio est venæ
sectio, natura enim plenitudine qua grauabatur leuata, vires resumit fitque vege-
tior, vt imbecillitatis causa diligenter exploretur, nec putemus omnem imbecilli-
tatem dissuadere venæ sectionem, Magna laus est oppressas vires à languidis posse di-
stinguere.

Cacochimia, est omnium humorum, aut vnius, vitiosa qualitas: siue enim san-
guis à sua temperie longe recesserit, siue bilis, pituita aut melancholia, cacochy-
mum est corpus, cui succurrendum est purgatione. Si, vt ferè semper accidit, D
quantitate simul & qualitate peccet, Plethora est cacochymica, quæ à dominatu
humoris sanguinea, biliosa, pituitosa vel melancholica, nominatur, quæ quidem
vt coniuncta est, ita vtrumque remedium deposcit: Vt enim duæ sunt primæ &
communes causæ morborum, Plethora & cacochymia, sic totidem sunt prima &
communissima remedia, missio sanguinis & purgatio, nullum quippe nouimus me-
dicamentum αἱμαγωγὸν, nisi fortè quod mouet menses. Qui enim, aliud agens, ea vir-
tute plantam repererat, si credere dignum est, iusto iudicio cum inuento sublatus est,
ne ad posteros tam miserabilis inuenti memoria perueniret, eademque terra inuen-
tum & inuentorem sepeliuit.

Habes igitur deligendi remedij primum præceptum, Succurrendum prius cau-
sæ quàm morbo aut symptomati, antecedenti, priusquam coniunctæ: anteceden- E
tes & morborum ferè omnium primas & communissimas causas esse duas, Plętho-
ram & cacochymiam, illam missione sanguinis deplendam, hanc si lenis sit alteran-
dam, si capiat incrementum, cathartico vacuandam. Alterum est vt aperiatur ve-
na cum delectu. Cephalica enim de capite, Basilica de naturalibus partibus, media
de partibus interiectis, necnon vtrinque simul vacuat: Cacochymiæ autem sedes
diligenter spectanda, quia eccoproticon, vt aloë & cassia, quin clyster communis,
ad vacuandum de prima regione (ventriculo, intestinis, cauis hepatis, mesenterio,
liene, vesicula fellis) sæpè sufficiunt, Rheum, Senna, & Agaricus, de media (quæ
conuexis hæpatis, magnis venis & arterijs circunscribitur) vacuant: Ex habitu cor-
poris scammoniata, & quæ Colocynthidem recipiunt, plurimum verò refert hoc
an illud præscripseris.

A Faciamus pituitam quantitate vel qualitate peccare, vacuanda erit phlegmagogo,
hoc inuentionis, sed phlegmagogon, blandum, vehemens, aut mediocre, deligere,
indicij: quod spectata potissimum sede cacochymiæ regendum est.

Magnitudo morbi alterutrum, sæpè vtrumque, remedium deposcit, dum vires
consentiunt & cætera coindicant, leuiores enim morbi leuioribus remedijs vt inæ-
dia sola & frictione curantur. Quod si magnus morbus, sed vires deiectę contra indi-
cent, per epicrasim causa minuatur, quo maior erit Plethora, eò audentiùs & libe-
raliùs mittatur sanguis. Galenus misit ad sex libras, sæpè ad animæ deliquium: quò
maior cacochymia, eò catharticum vehementius eligatur, vt sit remedium morbo
potentius, prius iniecto clystere, si per morbum liceat, debet enim præcedere venæ
sectionem, ne crudus humor qui vt plurimum prima regione continetur, feratur in
locum vacuati sanguinis: vehemens verò catharticum, vt per vias iam patentes vn-
B dique tractus humor liberiùs & minore molestia exeat: obstructis enim vijs solet
magna tormina & intolerabiles cruciatus excitare.

F I N I S.

C
GENERALIS METHODI MEDENDI LIBER SECVNDVS, IN QVO GENERALIA GENERVM MORBORUM REMEDIA EXPLICANTUR.

THERAPEVTICEM TOTAM IN DVOBVS capitibus consistere, Indicationibus & Remedijs: Remediorum
D ## *generalis diuisio.* CAP. I.

HIPPOCRATES artem medendi primus descripsit & salutaribus præ-
ceptis illustrauit, quæ bona ex parte in Æsculapij templo inuenit, il-
lic enim quo quisque remedio conualuisset describebat, vir prudens
ex multorum collectione præceptum, ex multis præceptis, methodo
dispositis, artem efformauit, sicque

Per varios vsus artem experientia fecit;

sed βραχυλογία tam obscura & ęnigmatώδη, vt à paucis sine docto & fideli interprete
intelligatur, qualis Galenus omnium voce (meritò quidem) celebratur. Iacuisset
enim in tenebris Hippocrates, neque in nostras vnquam manus peruenisset, nisi
E Galeni commentarijs illustratus legeretur, qui profectò, quamuis Asiana prolixi-
tate sępe lectoribus molesti, pleni sunt solidę scientię, ab illisque Lector quantum-
uis doctus, semper recedit doctior. Adiecit prętereа indicatione quæ in Hippocra-
tis medicina requiri videbantur, eaque parte mancam perfecit & exornauit: Duo-
bus enim capitibus continetur, Indicationibus & Remedijs, hęc Hippocrates pro
natura eorum quibus scribebat abundè exposuit, quibus tamen nobis, vt potè mol-
lioribus, magna cautione vtendum sit, Galenus eorum vsum certis circunstantiis
limitauit, quas ἐνδείξεις, officij regulas, appellauit: indicant enim quid, quantum,
quando, & quomodo agendum sit. Vt ergo Traianus vias publicas restaurando
non minorem gloriam meruit, quàm qui primus earum extruendarum autor exti-
terat, ita Galenus, Hippocratis interpretatione, & artificiosa indicationum addi-
tione medicinam locupletando, potest pro suo iure parem cum primis inuentori-

bus gratiam à posteris reposcere: Quemadmodum enim cerdo mihi frustra calceum confecerit qui meo pedi sit inæqualis, sic ægri viribus & morbi magnitudini nisi conueniat remedium, salubre dici non debet. Hæc sunt indicationum prima capita, in quæ animum semper defigere oportet eum qui citò, tutò, & iucundè sanare velit. Aegri vires seruandæ, depellendus morbus: seruantur diæta, depelluntur therapia. A

Thessalus omnes medendi scopos duobus capitibus concludebat, Vno, vt fluor præter naturam prudenter sisteretur, Altero, vt quod præter naturam in corpore retinetur actionumque integritatem peruertit, vacuaretur: quibus si adieceris alterantia remedia, (ad quæ referri possunt alexiteria) me iudice magnam partem faciendæ medicinæ paucis comprehenderis. Vt autem fluxiones præter naturam sunt generales, veluti, aimorragia insignis & Diarrhœa, vel particulares, vt fluor vteri, ita fluxionum omnium remedia, vel sunt communia, qualia, forma solida, liquida, consistente assumuntur. Vel particularia, qualia in oculos, nares, aures, vterum iniiciuntur, induntur, insufflantur: omnia verò astringentia: Similiter vacuatio noxij fit generali vel particulari remedio, vacuantà toto, phlebotomia & purgatio, à parte verò, particularia remedia, non tantum quæ parti admota materiam peccantem illic digerunt & resoluunt, sed etiam quæ eandem per proprios ductus expurgant, vt errhina, Bechica. Hæc tria faciendæ medicinæ principia qui non tantùm in genere, sed in parte & definitè nouerit, si iam scientia medendi institutus ad praxim accesserit, non video præterea quid desiderare possit ad bene medendum. Omnia enim tam generalia quàm particularia remedia non est difficile ad horum alterum reuocare: Enimuero quid aliud innuit Hippocrates cum vniuersam medicinam in duo capita coëgit, addendo necessaria & remouendo superflua? Qui intemperiem cum materia purgatione curat, qui supra modum auctam totius vel partis magnitudinem minuit. Qui excessum in numero, vt carnosam excrescentiam, cathereticis absumit, qui obstructionis causam tollit, pituitam, grumum, calculum, quid aliud quàm inutilia remouet? Qui vero nudam intemperiem alterantibus immutat, qui imminutam totius aut partis magnitudinem augere & amplificare conatur, qui partem iusto asperiorem læuem, qui læuiorem asperam efficit, qui figuræ vitia emendat, aut luxatum membrum reponit, qui solutam continuitatem reunit, & in locum substantiæ vlcere aut vulnere deperditæ aliam arte substituit, quid facit, si non reddit parti quod deest & actioni obeundæ necessarium est? Ergo Hippocratem accusat quisquis Thessali κοινότητας criminatur. Ego ad illorum imitationem faciendæ medicinæ methodum in compendium cogere proposui, quòd omnia semel ea arte doceat, vt Antecedentia consequentium sint principia, pendeántque ex prioribus posteriora, non aliter quàm effectus à suis causis. Antecesserunt libro superiore quædam præcognoscenda. B C D

PRO EXEMPLO MORBI SIMILARIS SEV IN-temperiei febris proponitur ex Galeno libro de differentijs morborum.

CAP. II.

TRES sunt affectus præter naturam quibus Therapeutes succurrit, Causa, Morbus, Symptoma: Communi causę communibus remedijs medetur, Plethoram missione sanguinis deplendo, cacochymiam purgando. Hinc curatio ordienda, nec generalibus intentatis vsurpanda sunt particularia remedia: nisi tam leuis sit affectus vt solo topico discuti possit. Morbus omnium communissimus & frequentissimus, citra controuersiam, est febris; non est enim acutus aut magnus morbus qui non habeat comitem Febrem: Si tres acutissimos exceperis, Apoplexiam, Tetanum, & Choleram morbum. Vulgatum est neminem mori sine Febre, quinetiam per se primò leuissima sępe occasione inuadit: proinde nemo miretur nos ad commune totius corporis incędium extinguendum omnem imprimis operam & studium conferre, nemo enim medetur oculis nisi capiti prius prospexerit, nec capiti prospicitur nisi primùm toti consultum fuerit. E

Definiri

A Definiri autem poteſt, calor auctus præter naturam, aut Calida intemperies totius ſi non per ſe primo, ſaltem per conſenſum cordis, quia quantumuis luculento foco ſit auctus calor, non eſt tamen febris donec incendium ad cor peruaſerit, à quo per arterias, æqualiter an inæqualiter non refert, in totum corpus effundatur. Si mauis haud abſurdè finietur: Calida intemperies, actionem cordis, (vitalem & pulſificam intelligo, non iraſcibilem,) primo lædens: cuius differentias, ſingularum differentiarum cauſas, ſigna, & remedia primùm meditamur, vt inde facilis pateat aditus ad aliorum morborum curationem: Nam febris eſt primaria ſeu eſſentialis aut ſymptomatica, hæc morbos acutos, vt nobilium partium inflammationem, comitatur: quæ Peripneumoniæ ſuccedit, Crymnώδης dicitur à Tralliano & Aetio, quæ hepatitidi, Typhώδης, quæ ventriculo inflammato, Lypiria. A Galeno febris ἐλεώδης, in qua æger primo die ſudat, ſymptomaticè, τυφώδης ap-
B pellatur; Lipyria verò, maligna febris qua vtuntur interiora, algent exteriora, Primaria verò, aut eſt in ſpiritibus, in humoribus aut ſolida ſubſtantia: quæ in ſpiritibus conſiſtit, Ephera nominatur, quia viginti quatuor horarum ſpatium non excedit. Vt enim in ſtipula non eſt diuturnum incendium, ſic in ſpiritu non perdurat igneus calor, quia incenſus, citò facileque abſumitur, ſi perſeueret, in humores graſſatur, & de ſubiecto in ſubiectum, vicinius aut partius, immigrat: Hanc febrem tum à ſubiecto, ſi placet, humoralem nuncupemus, vt eam quæ partes ſolidas occupat, hecticam: Humoralis aut eſt à Pletora vt Synochus tam ſimplex quàm putris, aut à Cacochymia, eáque vel pituitoſa, quæ quotidianam facit, aut bilioſa, quæ tertianam, aut melancholica, quæ quartanam, in magnis vaſis, putteſcens continuam, in paruis aut extra vaſa, intermittentem.

C Atqui cæteto tum morborum (materiales intelligo) non aliæ ſunt cauſæ antecedentes, nullúſque eſt qui ad aliquam prædictarum reduci non poſſit.

Ergo generalia remedia quæ tradentur proximè ad febres ſanguineas, deinceps ad omnes morbos à ſanguine, vt inflammationes tam internas quàm externas, accommodentur: Quæ febribus pituitoſis cōueniunt, morbis omnibus à pituita communia ſunto; atque imprimis ad vacuationem cauſæ antecedentis vſurpentur: Idem de morbis ab alterutra bile dictum volo, ne cogar idem millies inculcare; Exempli gratia, quæ ad Synochum præſcribuntur remedia, morbis à ſanguine, Phrenitidi, Anginæ, Peripneumoniæ; pleuritidi & hepatitidi conueniunt. Synochus, quia morbus à ſanguine, potiſſimum phlebotomia curatur: Ergo phrenitis, Angina, Peripneumonia, Hepatitis & Pleuritis & epthalmia, eodem remedio curentur: ſi quod
D habent ſinguli morbi proprium & peculiare remedium, proprio capite exponetur, prætermiſſo generali tanquam cognito.

DE FEBRE EPHEMERA. CAP. III.

DIARIAM curare quàm dignoſcere facilius eſt, raróque ægri primo die mitioris morbi medicum accerſunt, Vocatus pulſum imprimis obſeruet, quem ſi frequentem, attamen æqualem & ordinatum deprehenderit, mox vrinam aſpiciat, quam ſi ſanorum ſimilem eſſe viderit, illico cauſam externam ſciſcitetur, (omnes enim Diarias ortum habere à cauſa aliqua externa ſcribit Galenus 1. de different. febrium,) Cibóne an
E potu calidiori, vt mero copioſiore, vſus ſit: Num in aprico inſolatus incaluerit, vigilarit, aut ſeſe plus iuſto exercuerit, excanduerit, num conſueta & ordinaria excretio ſuppreſſa ſit, denique ſingula interroget quæ calidam intemperiem gignunt libro ſuperiore commemorata: nec prætermittendus inuaſionis modus, cum enim quotidiana à refrigeratione, Tertiana à rigore, Quartana ab horrore incipiat, illáſque præcurrant, laſſitudo ſpontanea, oſcitationes, pandiculationes, ſi nihil horum præceſſit, ſed repente à cauſa aliqua externa prehenderit, febrem eſſe ephemeram certò affirmabis, quæ vt plurimum madore aut ſudore terminatur: habetque calorem morbo prope ſimilem: ſi tamen æger bilioſus fuerit, corpore ſicco, inædia aut vigilijs confecto, aſtricta cute, periculum eſt ne degeneret in hecticam. Imperandum ergo balneum in declinatione, vt ſqualida cutis relaxetur, atque adeo totum corpus humectetur: Diatritarij negabant ſpeciem febris ante tertium diem

Galenus lib. 1. ad Glauc. c. 2.

dignosci posse. Ægyptij lege cauebant ne Medicus ante tertium diem ægro quid- A quam præscriberet, quia non existimabant causa morbi ignorata Remedium morbo depellendo conueniens posse imperare. Hoc autem cognoscere posse ante tertium diem. Galenus octauo methodi gloriatur, se mox diariam agnouisse, cognita causa, nempe astrictione cutis, ægrum lauisse, balneo febrem plane sustulisse. Si verò plethoricus videatur, febricitetque à repletione, vt crapula est synochus simplex quam Galenus sub Diaria comprehendit. Tum interdicendum vino, clystere aut blando cathartico, vt cassia, catholico, corpore repurgato, mittatur sanguis, ne in Synochum putrem degeneret, Aer balnei quia digerit & sudores mouet, vtiliter imperatur. Notandum corpus calidum siccum minori occasione febrire quia facilior est transitus inter ea quæ symbolo qualitatum consentiunt, febris autem hæc æstate frequens est Æthiopibus & Orientalibus familiaris qui sæpè B febre vexantur: sed morbi congeneres sunt minus metuendi, vt leuissima causa inuadunt, sic minimo negotio profligantur.

MORBORVM A SAGVINE GEneralia remedia sub Synochi exemplo declarantur.

CAP. IIII.

SYNOCHVS est febris continua, à sanguine, qui difflationis beneficio prohibitus, primùm accenditur, mox putret, proinde Plethoram cacochymia comitatur: Adolescentes ferè prehendit, sanguineos, vere C ineunte: Sese prodit faciei insigni rubore, somnolentia: Plethorici, etiam sani, difficillimè spirant, (propterea quibusdam hæc febris dicta est asthmatica) vrina rubra est, Systole quàm dyastole concitatior, quia maior est expurgandæ fuliginis quàm cordis refrigerandi necessitas, quod est febris putridæ signum pathognomonicum. Spectanda igitur Antecedentia, præcedens vitæ ratio, natura, ætas, Habitus ægri: Adiuncta, vt qualitas caloris, sanguinis enim est minus acer & mordax calor quàm bilis: dorsi dolor detensionem & repletionem venæ cauæ: Consequentia: Actio læsa, vt spiratio difficilis. Pulsus magnus, velox, Excreta: maximè omnium vrina: Somnolentia propter quam Synochus ab Auicenna dicitur febris profundi somni. Retenta: vt mensium & hæmorrhoidum suppressio, quam vt plurimum Synochus putris comitatur: Affectus simplex: vt faciei insignis rubor, oculorum venæ turgidæ. D

Causa & specie febris perspecta non est difficilis curatio: prima regio clystere aut blando quouis cathartico repurgetur, Cassiam excipio, partim quod humectando augeat putredinem, partim quod dolor capitis huic febri familiaris vsu cassiæ ingrauescat, propter copiam vaporum, quæ illos reddit somnolentos: Deinde aperiatur basilica dextra, nullum enim habemus medicamentum quod sanguinem vacuet, nec deplendæ Plethoræ præsentius remedium: Consilio Galeni mittatur sanguis ad animæ deliquium, vt habitus corporis refrigeretur, sudorque aut alui fluor subsequatur, malim tamen Arabum consilio ad syncopem mitti exclusiuè: vt si fortè vi morbi aut virium imbecillitate aliquid humanitus accidat, vitetur calumnia, nec in medici decretum de inanitione syncoptica causa mortis reiiciatur: Si quid repugnet, vt ætas, aut morbo sint deiectæ vires, vacuatio partienda. Putredo sistenda E syrupis de acetositate citri, de limonibus, de granatis oxysacharo simplici, cum aquis rosarum, acetosæ, graminis, cichorij.

℞. syrupi de acetositate citri ℥ ij. cum quadrupla aqua graminis fiat iulep, quo vtatur inter pastus: Sanguinis eluuiem expurgant Syrupi de buglosso, de lupulis, de fumaria, quibus licebit vti cum aquis prædictis, cùmque tenuis & pinguior portio sanguinis bilescere, crassior, in melancholiam credatur degenerare: Cacochymia tandem purgetur cholagoga, vt Rheo, & melanagoga, vt senna, cum decocto refrigerante simul & aperiente, his additis quæ sanguinem puriorem reddunt: exempli loco.

℞ radicum graminis, acetosæ ana ℥iii. cichorij totius endiuiæ, Scariolæ ana m.i. quatuor seminum frigidorum maiorum, (sunt enim diuretica) ana ℥ii.

florum

A florum cordialium ana p. i. foliorum sennæ mundatorum ℥i. fiat decoctio, In colaturæ ℥viii. infunde Rhabarbari ℥iii. in leui expressione, dissolue syrupi de cichorio simplicis, syrupi de fumaria compositi ana ℥iß. fiat apozema in duas doses. Clysteres toto morbi decursu repetantur qui vim habeant refrigerandi, sit hoc pro multis exemplum.

℞ lactucæ, endiuiæ, Scariolæ, portulacæ ana m. i. fiat decoctio, in collaturæ ℔. i. dissolue mellis & sacchari violati ana ℥i. diapruni solutiui ʒvi. aut confectionis Hamech ℥ß. vel vtriusque ʒii. olei violati ℥iii. fiat Clyster. Quia sanguis qui putret in magnis venis, quæ sunt circa lumbos calorem simul & dolorem illic excitare consueuit, Cerato refrigerante Galeni illinantur, aut iis quæ ad calidam renum intemperiem suo loco præscribentur.

B Victus sit tenuis qui sanguinem non augeat, Plethorica enim & impura corpora quo magis nutries eo magis lædes: pro vino vtatur aqua hordei, aut graminis, poteris quædam, ptout commodum videbitur, admiscere: vt si difficillimè spiret Glycirrizam, Iuiubas, radicem vngulæ cabalinæ, Ad tobur cordis, buglossum, borraginem, ad hepar calidius, cichorium, lactucam, portulacam: Ad renes, semina frigida, alcecengi, Ad ventrem astrictum, violas, pruna, acida, Tamarindos: abstineat ouis, vino, atque si fieri possit carnibus, quia sanguinem augent, morbi causam.

MORBORVM A BILE GENERALIA remedia sub exemplo febris biliosæ intermittentis.

C

CAP. V.

Bilis in magnis vasis, venis scilicet & arteriis quæ sunt inter alas & inguina à natura sua degenerans, quia continenter fumis cor impetit, continuam febrem excitat, in habitu verò longè à corde putrescens, vno die intermittit, tertianam enim habet circuitum, continua remittit, minusque affligit: intermittens inquam, vno die dat inducias, redit paroxysmus die tertio, quo continua solet exacerbari, fitque tum anadiplosis seu reduplicatio: si placet hoc modo distribuetur: febres biliosæ sunt continuæ aut intermittentes, continuæ vel vnum eumque coæqualem habent vigotem aut aliquando de sua violentia remittunt, ita tamen vt quotidie redeat cum episimasia: *Dignotio.*

D febres tertianæ intermittentes aut sunt puræ, aut nothæ, pura à mera bile fit cuius paroxismus ad summum est 12. horarum. At notha à pituita permixta bili nascitut cuius paroxismus est 20. aut 30. horarum.

Cognoscetur ex antecedentibus, si æger sit natura biliosus & ad iramptonus. Si iuuenis, aut vsus sit cibis calidioribus, qui facilè bilescant, vt synapi, allio, cæpa, piperatis, si æstate, cum rigore, seu vehementi & inæquali concussione totius corporis, prehenderit: est enim rigor præcursor paroxysmi biliosi, Ab adiunctis. Si calor contactu ipso acer & mordax sentiatur, ægerque de lassitudine vlcerosa conqueratur: A consequentibus, vt cordis actione læsa, quam pulsus velocissimus ob refrigerationis necessitatem commonstrat: Ab excretis, Vrina flammea, vomitu bilioso: Ab affectu simplici, vt oris amarore, cuius causam sitis & deiecta appetentia

E consequuntur. Sudor terminat paroxismum intermittentis, qui non excedit duodecim horas, si Febris fuerit exquisita, vixque septem superat accessiones, vt causus septem dies: Hippocrates in Coacis scribit nouem accessionibus finiri. Sed nothæ, quæ fit pituita permixta bili, vltra viginti quatuor horas paroxismus producitur, Tertianæ exquisitæ paroxismus desinit in manifestam apoplexiam, nothæ minimè. Febris ipsa in multos paroxysmos protrahitur, quia pituita permixta bili difficilimè coquitur. Galenus vidit in sex menses ptotractam, vt plurimum in duos menses producitur.

Tertiana continua differt à Febte ardente, non materia, neque loco, vtraque enim fit à bile in magnis venis putrente, sed in causo calor est intensior, quia humor putret in vasis vicinioribus cordi, proinde, quamuis eadem, grauiora tamen sunt symptomata, sitis & vigilia maior, lingua à fumis biliosis

quos summum incendium excitat, nigra, arida, scabra. In causo non sunt manifestæ & periodicæ exacerbationes vt in tertiana, similis enim est hac parte Febri continenti. A

Omnium vt communis causa, ita communia ferè remedia, Bilis feruor demulcendus imprimis vsu refrigerantium. Quemadmodum enim succinum vento agitatam paleam non trahit, nec magnes ferrum nisi quietum, ita per se naturaque sua mobilem & inquietam bilem Cholagogon non traheret, nisi primùm à suo contrario alteratam: præscribantur ergo Syrupi de Cichorio, de Endiuia, de Granatis, Violarum, Rosarum, De Limonibus, de Nymphæa, si magnum sit incendium, cum aquis Lactucę, Portulacę, Plantaginis, Cuscutæ, Acetosę, Solani, mox vacuanda rheo infuso in decocto quod refrigeret simul & aperiat, vt

℞. rad. graminis acetosæ ana ℥ii. Cichorij, endiuiæ, Cuscutæ ana m߳. quatuor seminum frigidorum maiorum ana ℨi. florum Violarum & nenupharis ana p. i. fol. oriental. ℥ß. fiat decoctio: In collat. ℥iiii. infunde rhab. ℨii. in leui expressione dissolue syrupi rosarum solutiui ℥iß. fiat potus. B

Galenus imperat diaretica calida in declinatione, commodius in tertiana notha quàm exquisita, vsurpantur.

In tertiana commodè admodum imperantur aperientia, malim frigida quàm calida, vt decoctum Pulegij & origani, quod Galenus commendat primò ad Glauconem, sub finem tamen vtilis erit syrupus de quinque radicibus cum aqua Cichorij, aut syrupus de cichorio cum decocto radicum aperientium (si vis ad calorem temperandum) in aceto priùs maceratarum, sic enim Galenus à Tralliani censura & animaduersione defendi potest.

Clysteres parentur ex sero lactis in quo lactuca, Violaria, & Portulaca bullierint: In collat. dissolue diapruni solutiui ℨvi. mellis & sacchari violati ana ℥i. olei violacei & nenupharis ana. ℥iß. si magnus sit ardor, alioquin, violati ℥iii. C

Galenus in ardentissimis febribus mittit sanguinem ad lypothimiam, quia nil habet præsentius ad refrigerandum. Arabes verò in morbis à bile contenti sunt purgatione, nisi adiuncta sit Plethora, aut bilem sanguini permixtam vrina rubra indicet, quia sanguis est frænum bilis suo tepore feruorem bilis contemperat, illiúsque ferocientis impetum cohibet & sistit, priuatione sanguinis, bilis redditur acrior, Fernelius parcit venæ sectioni quia materia est extra vasa. Gordonius consulit expectare quartum paroxismum. Iubentque illi ergo vt naturæ motum diligenter consideremus, & quo illa vergit ducamus: Si nauseans stomachus bilis excretionem affectet, oxymelitis ℥iii. cum tepida paulò ante paroxysmum vomitus prouocetur; Aetius perseuerante tertiana notha vomitum adeo prodesse affirmat, vt viderit multos statim à vomitu sanatos. Si infra feratur, Clysteribus attrahatur, purgetur: Diureticis per vrinas vacuetur, si eò inclinare videatur: Si ad cutem erumpat aliquo diaphoretico, vt oxymelite simplici aut diuretico cum aqua graminis sudor excitetur: Aetius ex Dioscoride commendat hydrotica vt seminis smyrnij ℨi. cum vino, vna hora ante accessionem: aut Aristolochiæ tantundem. In quartanis & quotidianis dat ℨi. castorei cum decocto calamenthæ, malim dari diuretica & diaphoretica sub finem paroxysmi: Non alienum fuerit tepidæ balneum tum ingredi, vt cutis astricta relaxetur, & fuligo quæ retenta febrem auget, liberius excernatur, nisi suspitio sit phlegmones aut insignis obstructionis. D

Interea prospiciendum hepari, illud enim iam per se calidum (tale quippe esse oportet quod bilem copiosam & præter naturam gignit) fel in sua cysti æstuans propè adurit, ex aquæ cichorij ℔i. cum electarij triasantali ℨii. fiat epithema. Respicere oportet semper ad focum febris: Galenus appellat focum febris partem obstructam à putredine, vel phlegmone obsessam: fotus hypochondriorum, inquit Galenus lib. 9. meth. & l. ad Glauc. plurimum confert coquendis humoribus. E

Non absurdè vulgus in ardentis febris vigore admouere solet carpis refrigerantia, vt lactucam & Semperuiuum contrita, aut oleo nenupharis vel Mandragoræ imbutum linteolum, quia arteriarum quæ illic pulsant dilatatione spiritus refrigerantur, & ardor cordis temperatur.

Autore Galeno frigidæ haustum agonisticum (vt lib 4.) tum exhibere in eundem finem valdè confert, Paulus Ægineta gloriatur hoc modo sæpiùs se febrem iugulasse. Alioquin periculum est, nisi mors anticipet, ne degeneret in hecticam: exhibeatur

exhibeatur tamen seruatis, quæ sequuntur circunstantiis: Non sint deiectæ vires
A æger non sit naturæ frigidioris, nec febris materia frigida, crassa: magis enim densaretur: Nec cruda & adhuc incocta, tardaretur enim coctio, propterea neque in principio, neque in augmento, sed in vigore tantùm quidam contendunt tutò exhiberi, ne augeatur febris, aqua in materiam febrilem conuersa, Celsus vetat ne propinetur ante diem quartum: Item non sit habitu gracili, frigus enim lædit partes neruosas: Galenus, vt ipse scribit libro de consuetudine, gracili frigidam propinauit haustu Germanico, sed mortuus est, non desiit propterea alijs non gracilibus eandem propinare: Non sit coniectura abcessus in visceribus. Assueuerit frigidæ: alioquin metus est ne magna & subita mutatione conuellatur. Aetius ex Philumeno commendat stratum molle & sæpiùs renouatum: Amicula assiduè permutata, & satis gracilia, non sordida: contra medicorum quorundam opinionem quibus religio est mutare lintea aut indusia. Item flabello aerem agitat: Portulacam probè
B teritadiecto ouo crudo, vnà cum vitello & candido, admixtoque modico oxyrhodino, hoc corpus inungit, atque ita ardorem extingui affirmat vt postea nulla redeat exacerbatio. Estne secura febris tertiana? non videtur quia inter acutos morbos ab Hippocrate 3. Prognost. & Galen. in Aphorismos recensetur. An quatenus nomen tertiana secura est, sed quando afficit corpus ægrum, periculum estne degeneret in continuam. Ergo non de continua tertiana sed intermittente loquuti sunt.

MORBORVM A PITVITA GEneralia remedia, sub exemplo febris pituitosæ.

C

CAP. VI.

FEBRIS quòd quotidie repetat non est quotidiana, nam duplex tertiana & triplex quartana quotidie redeunt, sed tertiana cum rigore, quartana cum horrore, quotidiana cum extremorum refrigeratione: nec quotidiana desinit in ἀπυρεξίαν, quia vt ex viridi ligno, ita ex humore crudo semper aliquid effumat: neque paroxismum quotidianæ, vt tertianæ, sudor terminat, quia pituita in sudores difficile, bilis citò faciléque resoluitur, solet autem esse longior accessio & ad duodeuiginti saltem horas perdurare: qui humor frigidus crassus vt tardè & difficilè coquitur, tardius resoluitur.

D Coniicienda causa simul & species febris, primùm ex antecedentibus: Si ægrum deditum gulæ, pituitosum, qui otiosam vitam egerit, hyeme, in regione aut aeris constitutione frigida humida, inuaserit: Si fuerit puer aut senex. Si fœmina, Si pinguis, nam pueri propter ingluuiem, senes, fœminæ, obæsi, naturæ & caloris vitio, multam congregant pituitam: Ab adiunctis, Si calor humidus, quamuis ob putredinem aliquantum acer sentiatur: A consequentibus, vt actione læsa: Si pulsus fuerit paruus, pituita quantitate & qualitate calorem obruente: Ab excretis: Si vrinæ tenues (tales autem sunt propter obstructionem, quia solùm tenue percolatur) albæ, ob serum & cruditatem, tandem turbidæ propter humoris crassi permixtionem, Deiectiones, liquidæ, crudæ, pituitosæ: Sitis nulla, quia ventriculus scatens pituita sitis cau-
F sas, calorem & siccitatem, reprimit, nisi fortè pituita fuerit salsa, putredine, aut admixtione bilis: Diligenter autem, vt ex arte procedat curatio, distinguenda erit species pituitæ ab effectis: (acida autem famem, salsa sitim, dulcis somnum conciliat) quia acida coquenda, salsa mox vacuanda, dulcis naturæ committenda.

Dignotio.

Febris à pituita est quotidiana.

Cùm primùm febris speciem ex dominatu pituitæ conieceris, febrem fore longam admonebis, quia crudus humor difficile coquitur, nec vacare periculo, quia nullas dat naturæ inducias, deinde hac arte aggredienda curatio. Quia pituita in ventriculo & intestinis colligi solet, ad humorem illinc vacuandum nihil aptius enematum vsu frequenti, quorum hæc sit formula.

℞. parietariæ, Mercurialis, Chamæmeli, meliloti, pulegij, adde si vis, hyssopi,

thymi, origani, calaminthæ ana m.ß. feminum anisi fœniculi ana ℥ij. fiat decoctio, A
In collaturæ libra vna dissolue mellis anthosati aut Mercurialis & sacchari rubri ana ℥i. diaphœnici, hieræ, aut benedictæ laxatiuæ ℥vi. olei chamæmeli & anethi ana ℥iß.

Humor præparetur syrupis, de Hyssopo, de Marrubio, de absynthio, De duabus, de quinque radicibus, De stœcade, Oxymelite composito, scillitico, cum decocto radicum aperientium, vel aquis Apij, fœniculi, Asparagi, Petroselini, Absynthij, methæ, Saluiæ: mox purgetur phlegmagogis, vt agarico, diaphœnico, diacarthamo. Si placet paretur hoc modo apozema purgans crassam pituitam.

℞. radicum aperientium, vel radicis Enulæ campanæ & pœoniæ, ana ℥ii. hyssopi, thymi, Absynthij, Chamedrios, Chamepitios ana mß. feminum anisi fœniculi, adde si vis, Pœoniæ, Seseleos, ana ℥iii. florum anthos & stœcados ana p. j. foliorum sennæ mundatorum ℥i. fiat decoctio addendo sub finem agarici nodulo inclusi ℥ß. B cum ʒi zingiberis in collaturæ ℥viii. dissolue cuiusuis dictorum syruporum ℥iii. fiat apozema in duas doses, aromatisetur cinamomo. Poterit qui volet ex iisdem parare syrupum vt vocant magistralem, quo vtetur æger semel aut bis in hebdomade cum morbus fuerit chronicus.

Si quis à potione abhorreat, malitque catapotia, conuenient pill. aureæ, cocciæ, de Agarico, aggregatiuæ, Leuiores sunt de hiera, stomachicæ, & Elephanginæ, quæ per se aut coniunctim præscribi poterunt dosis ʒi.

℞. massæ pill. aurearum & de hiera ana ℈ii. cum syrupo de absynthio fiant pill. molles, vel. ℞. agarici trochiscati ℈iiii. vel massæ pill. de agarico ʒi. cum syrupo de mentha vel de hyssopo fiant sex pill. molles.

Circa principium refrigerationis, instante paroxysmo, non alienum fuerit vomitum prouocare ad vacuandam pituitam quæ ventriculo continetur, præsertim si natura illum appetere videatur. C

℞. syrupi acetosi aut oxymelitis simplicis ℥ii. cum decocto corticis raphani & seminis atriplicis, in quo ʒß. agarici bullierit, fiat potio, detur tepidæ. Hippocrates & Galenus in ista febre vomitum valdè commendant: in epidemijs scribit vxorem Theotimi, vomitu percuratam.

Vtile etiam erit tum spinam inungere oleo irino, aut anethino: vtatur hydromelite in cuius decocto parum hyssopi bullierit.

℞. Hyssopi. p. ß. bulliat in tribus libris aquæ ad perfectam despumationem, seu consumptionem tertiæ partis, addendo mellis ℥iß. cuius quantitas minuatur, fiatque mulsa dilutior si calor in præcordijs auctus videatur, ne bilescat.

Memineris toto morbi progressu habendam imprimis rationem ventriculi, vbi D sedes pituitæ morbificæ, roboretur assumptis Aromatici rosati, vel electarij diarrhodon tabellis, Admoto cerato stomachico cum oleo de absynthio, oleum nucis moscatæ arte chymica extractum valdè commendatur: vtatur sæpe syrupis de mentha vel de absynthio: misce, capiat sepe cochlear vnum ieiunus.

Quidam affirmant Gentianę succum cum vino tepido sumptum ante paroxysmum febrem tollere, Certius est vna hora ante accessionem, corpore repurgato, Theriacæ veteris aut mithridatij ʒi. dare ex vino albo. Quidam deierant tribus tantum guttis succi Mercurialis in dexterā aurem vel narem instillatis febrem solutum iri, quod, vt indifferens, experiatur qui volet, cæteris non neglectis. Alij iubent instante paroxysmo, vt pedes teneantur in aqua calida, in qua herbæ calidæ bullierint: estne secanda vena? est sane ratione febrilis ardoris, non ratione causæ, alij audacius si quotidiana sit continua, habeatque sedem in venis. E

Confert etiam ad febres à melancholiæ noti atrabile.

Ad quotidianam pertinet febris Epiala, Contraria lypiriæ, quando frigent interiora, vruntur exteriora, quia pituita vitrea parte qua putruit incenditur, altera summè refrigerat: quę est valdè periculosa propter contrarietatem. Dictis ergo remediis incidenda & tenuanda, deinde purganda, quę cum sit valdè crassa & frigida, vehementiora vsurpentur, Gordonius in febribus à pituita concedit vinum tenuè dilutum ratione causę: Enimuerò inquit Valesius si radices aperientes concedantur, si piper, si syrupus de mentha & de absynthio, quidni vinum? Celsus dat vinum mulsum vt pituita coquatur & ventriculus roboretur, habens rationem causę non morbi.

A *DE HEMITRITÆO, SEV SEMITERTIANA.*

CAP. VII.

HIPPOCRATES, primo Epidemiωn semitertianam appellat horrificam, non tantùm quia inuadit cum horrore, sed etiam quod toto decursu morbi æger totus tremat horreatque: Constat ex quotidiana & tertiana. Quotidianam mox & sine vlla intermissione excipi tertiana; ideoq; ad continuas potest referri. A pituita igitur perfrigeratio, A bile, externarum partium leuis succussio, ab vtroq; horror: dicitur autem semitertiana non eo sensu quo semiputridum dicimus, est enim longè grauior tertiana, sed eo sensu quo hominem semideum: Est enim autore Hippocrate multis causis lethalis: primo B propter varium conflictum contrariorum, pituitæ & bilis. Secundò quia nullum tempus relinquit naturæ ad alendum corpus, coquendum humores noxios & vires reparandas, qua causa necesse est magnam excrementorum copiam aceruari: Tertiò: quia duplex: postremò, quod stomachum & neruosas partes exerceat, vnde frequens syncope: Mixtis tamen ad bilem & pituitam remedijs tentanda curatio, stomacho, sumptis & admotis, roborato: necnon hepate refrigerato: nescio enim quomodo fit vt vnum alteri calorem surripiat, & à maiori calore minor attrahatur. Celsus suadet venæ sectionem. Cæteri non meminerunt, quia raro conuenit propter grauitatem symptomatum.

C *MORBORVM A MELANCHOLIA, communia remedia, sub exemplo febris quartanæ.*

CAP. VIII.

FEBRIS à Melancholia ob id quartana dicitur, quòd Melãcholia quartoquoque die commoueatur, vt bilis tertio, pituita quotidie: Securior est quæ primùm inuadit, neque alijs morbis succedit. Febres enim quę degenerant in quartanam aliquando ad duodecim annos perdurant. Valescus vidit vnum qui trigesimoquoque die febricitabat, durauit febris triginta annos.

Cognoscenda est imprimis ex antecedentibus: Si æger fuerit melancholicus, D ætate inclinante, & autumno prehenderit, quamuis Hippocrates libro de hebdomadibus scribat potissimùm inuadere in flore ætatis ab anno scilicet 25. ad 45. sed multa alia scripsit de quartana quæ experientia quotidiana refellit, vt neminem bis quartana labotare, neque laborasse vnquã, nec laboraturum, si semel euaserit, Securam esse febrem: neminemque perimere, imo verò à mgnis morbis liberare: & sexto epidemiωn, Quartana, inquit, laborantes nullo alio magno morbo corripiuntur, quòd si aliquo laborent, liberantur superueniente quartana: Verùm pergamus, dignoscetur, Si paroxysmus incipiat cum tremore & stridore dentium, ibiq; veluti contuudi ossa conqueratur: sentit autem dolorem in profundo, quia frigidus, siccus, crassus, vno nomine terrestris humor non potest trudi ad cutem. Ab adiunctis, calore scilicet non admodum acri & mordaci, nisi humor sit atrabilarius. A consequentibus, vt actione læsa, quàm pulsus rarus, ob humoris crassitudinem indicabit. Ab ex-E cretis, sudore pauco, quia terrestris humor difficillimè resoluitur in sudores, vrina tenui & aquosa, deiectionibus siccis. *Dignotio ex Aetio.*

Distinguendum in primis humorem melancholicum ab atrabilario, monent Aëtius & Trallianus, quia diuersa postulent remedia: Quartanam enim atrabilariam (qualis vt plurimum ardentibus & longis Febribus succedit humore per adustionem in atram bilem conuerso) curant cholagωgo, causa vsu refrigerantium, vt syrupo de cichorio aut de endiuia, prius alterata. Quasi verò atra bilis ex flaua vsta perpetuò gignatur, non etiam à pituita salsa, & feculento sanguine: Pituita, necnon bilis, quædam naturalis, altera præter naturam, quæ rursum non est vnius modi, à qualitate enim salsa & acida (ad quam vitrea referri potest, quia acidæ qualitatis est particeps) à materia aquea, gypsea, mucosa dicitur: Bilis verò, vitellina, Porracea, Æruginosa

ſa, Glaſtea. Tot tamque differentes ſpecies cum idem Catharticum vacuet, idem dico non tantùm ſpecie, ſed numero, cur non pari iure eodem melanagogo Melancholicus humor & atrabilarius purgantur? Præferendum igitur Galeni conſilium, qui humorem craſſum incidentibus & tenuantibus, vt oxymelite, præparat, deinde melanagώgω, purgat: in progreſſu morbi his vtitur, quæ ſanguinis eluuiem repurgant, quod præſtant ſyrupi de bugloſſo, de lupulis, De fumaria, non auſim tamen ſyrupis de Thymo, & de calamentha atram bilem tam audenter qnàm humorem melancholicum præparare, ne feruor calidiorum vſu augeatur. Prædictis ſyrupis vtendum cum aqnis lupuli, fumariæ, bugloſi, borraginis, Scolopendriæ, meliſſæ, Sambuci, Geniſtæ, ſi placet præſcribatur hoc apozema. A

℞ radicum capparis, tamaricis ana ℥iij. polipodij. ℥ß. lupuli, cuſcutæ, meliſſæ, Bugloſſi, borraginis ana m. j. ſeminis aniſi fœniculi ana ʒij. florum geniſtę p. j. fiat decoctio: In collat. ℥viij. diſſolue ſyrupi de fumaria ſimplicis vel compoſiti, ſyrupi de pomis aut regis Sabor ana ℥iß. fiat apozema clarnm in duas doſes. B

In eodem decocto bulliant foliorum ſennæ mundatorum ʒvj. collaturę ℥iiij. diſſolue ſyrupi de Epithymo compoſiti ℥j. fiat potus. Ad purgandum humorem præparatum præſtat leuioribus, iteratis, quàm vehementi, ſemel atque, vt aiunt, eradicando vacuare, quia humor contumax ſolet exaſpetari fortioribus catharticis: pauperibus tamen & robuſtis hoc proderit.

℞ confectionis Hamech ʒiij. diſſolue in decocto lupuli & ſcabioſæ in quo ℥ß. foliorum ſennæ bullierit, addendo oxymelitis Galeni ℥j. fiat potus.

Pulueris ſennæ orientalis aut Epithimi cretenſis ʒij. ex vino albo ſatis erunt, aut infuſio ʒvj. in ſero, vel aqua violarum, ſi humor ſit atrabilarius.

Si corpus plethoricum & vrina rubra videatur, mittatur ſanguis de baſilica ſiniſtra, qui ſi ruber effluat, ſiſtatur, ſi niget, magna copia educatur: mulieribus menſes, viris hæmorrhoides excitentur, præſertim ſi quando fluxerint. Quidam aperiunt ſaluatellam etiam in ipſo paroxyſmo. C

Monet Galenus proſpiciendum lieni tam ſumptis quàm admotis, remedijs capite de obſtructione lienis explicandis: quia illic ſedes humoris melancholici, illic focus febris. At Trallianus & Aëtius ex Ruffo in quartana atrabilaria habendam potius rationem hepatis obſtructi & longo blioſæ febris ardore prope ſcirrhoſi ex hoc demonſtrant, quòd dextrum hypocondrium tenſum & contactu ipſo valdè durum ſentiatur: Vomitus valdè confert ad vacuandum humorem peccantem, ſi duabus horis ante paroxyſmum iam dictis remedijs prouocetur. Vinum album tepidè datum initio, vomitum excitat; in declinatione, ſudorem, cuius vſu non eſt interdicendum niſi die acceſſionis. D

Multi commendant balneum, vt ſicca & aſtricta cutis, qualis eſt melancholicorum, relaxetur, quod in calida quartana magis conuenit ad refrigerandum, quàm in frigida: alij iubent paulo ante paroxyſmum ſpinam & pedes, quia inde incipit paroxyſmus, inungi oleo de iunipero, de Scorpionibus, coſti, Caſtorei, vnguento atragonio vel in quo rana viridis bullierit, hæc enim humoris maligni eſſe alexiteria: alij Thericam ſolutam in aqua vitæ præferunt.

℞ theriacę ʒi. nardi & carypillorum ana ℈i. cum aliquo ex dictis oleis, aut cum vino generoſo fiat linimentum pro ſpina dorſi, ſic enim tremor, prodromus quartanæ, minuetur, quia calore natura roborata, frigori potentius reſiſtit, quinetiam ſudor aliquando ſequitur, quo minuitur acceſſio, vacuata portione materiæ morbificæ. Confectio alcermes data vna hora ante acceſſionem corpore priùs repurgato benefacit. Quemadmodum & decoctum agrimoniæ cui adiectum ſit parum vini albi ſub finem decoctionis, datum in ipſa acceſſione; aut decoctum ſcorpluri datum ante acceſſionem vna hora, mouet aluum, & vomitum prouocat. E

Mirum quod inculcat Rondeletius, vſu vini albi in quo ſaluia per noctem maduerit ſolui quartanam: idq; ad omnes morbos à melancholia magnum & certum eſſe remedium: Mirabilius quod affirmat Trallianus, Scarabæum viuum fuluo linteolo appenſum collo, certo experimento quartanam tollere, Alij laudant vermem, repertum in carduo qui labrum Veneris vulgò dicitur, appenſum collo, lege plura amuleta apud Trallianum, Valeſcus ſcribit ſuccum Thapſi barbati ter datum vna hora ante paroxyſmum ſoluere quartanam. Quidam hoc habent pro ſecreto, Acci-

pecor

A pe cor leporis ita præparati vt solet pulmo vulpis, diuidatur in tres partes æquales, dentur ægro cum vino ante paroxysmum, quarto paroxysmo sanabitur.

Valdè calfacientibus, vt diospolitico, pipere, sinapi, diatriopipereo, in calida seu atrabiliaria quartana abstinendum esse memineris, in frigida, cautè & magna religione vtendum. His enim remedijs qui vtuntur, ante vigorem morbi ex simplici quartana duplicem faciunt, inquit Aëtius, in statu dari possunt ante accessionem, ℞ myrrhæ, piperis & foliorum rutæ viridium ana partes æquales cum melle, fiant pill. quarum ℈j. detur ante accessionem. Trallianus affirmat solo vsu salsamentorum se multos sanasse quartanarios.

MORBORVM AB INANITIONE *generalia remedia sub exemplo febris Hecticæ.*

B

CAP. IX.

FEBRIS Hectica est intemperies æqualis, proinde indolens, morbum enim non sentit hecticus nisi priuatiuè, quia solitas actiones obire non potest: adde quod fit sensim alteratio, nec in motu essentiam habet. Incipit cum Febrilis calor humorem alimentarium, rorem, gluten, cambium (tot autem Febris quot humoris sunt gradus) inuasit. Confirmata dicitur cum humorem primigenium & spiritum fixum consumpsit, vt diaria vagum & fluentem, quorum communione non rarò accidit vt diariæ succedat hectica, calore Febrili ex vago in C fixum serpente, qui in humore primigenio subsistit: Consequitur sæpius Febres ardentes colliquātes, & magnas euacuationes, vt aimorragiam, diarrhœam, dysenteriam, lienteriam, necnon Empyema, Phthisin: minùs periculosa quæ ventriculo, hepati, lieni, vtero, renibus succedit.

Vnica species febris hecticæ differens tātum gradibus, primùm humorem alibilem inuadit, idq; quod instar roris dispergitur Ros nominatur: deinde carnem ipsam: Postremò solidas partes; tumque est confirmata, & Marasmos dicitur.

Cognoscetur calore, non ægro, sed tangenti medico mordaci. Vrina tenui, cruda, alba, ad extremum oleosa, à colliquatione: Tussi sicca, Pulsu languido, duro, atque vt dicitur, hectico, propter arteriam siccatam: statim à pastu calorem sentiunt, præsertim in manibus & pedibus quia humoris alibilis sapore veluti calx aqua, calor siccus perfunditur: venter propè adhæret costis, facies plumbea, propter caloris & spiritus paucitatem, ad extremum cadauerosa, oculi caui, nares acutæ, collapsa tempora. Quando capilli defluunt, tibiæ inflantur, accidit fluor alui, mors est in propinquo.

D Curatio potius consistit in diæta quàm in pharmacia. Si tamen aluus sponte non feratur, Clystere aut Cassia recēti molliatur, vescatur gallinis quæ nutritæ sint ranis, vel hordeo quod cum ranis bullierit, ex quibus simul pistis fiat pasta, extinctos ouorum vitellos, & Testiculos gallorum in lacte coctos quidam commendant, sed causæ, nempe inanitioni, magis quàm Febri conueniunt. Vtatur hordeato, Amygdalato, gelatiua, consumptis, destillatis, restauratiuis, pullastro infarcto hordeo mundato, syrupo resumptiuo, vino albo, tenui, diluto, si longo vsu ptisanæ fatiscant vires: fugiat vigilias, coitum, perturbationes omnes quæ exsiccant & attenuant, vt iram, tristitiam: Balneum actu tepidum quod habeat vim refrigerandi, & humectandi confert incipienti non confirmatæ, multo minus si coniuncta sit fetina destillatio: Lauetur quotidie semel, moretur in balneo si potest per quatuor horas, hauriat illic lac asi-E ne, cum saccharo violato, rosato: à balneo mox inungatur cerato refrigerante Gal. vel vnguento rosato Mesue, oleo rosarum, violarum, nimpheæ.

Curatio ferè tota analeptica.

Marasmus est insanabilis, siue sit naturalis consenio, siue accidentarius. atque vt dicebat Philippus, μαραίνεται, Extenuatos enim percurarunt qui tabidos se sanasse gloriantur: Quemadmodum si in exustum elychnium oleum affundas, oleum & operam perdis. Ita solidam substantiam calore, spiritu & oleo suo priuatam, (tot enim cōtinet humidum primigenium) frustra suę naturę restituere cōtendis, quia aqueus, non aërius humor à calore febrili ex alimento substituetur. Estne aliarum febrium, vt biliosarum, calor major quàm Hecticę? de hoc enim certari video. Respondeo: biliosę febris calor est maior intensiuè, ardet in suo foco. Hecticę calor major est extensiuè, habet enim in subiecto humorem primigenium, qui diffusus est per omnes corporis particulas, pręsertim solidas.

MORBORVM MALIGNORVM, VENENATORVM, A *contagiosorum, pestilentium communia remedia.*

Cap. X.

QVAMVIS quidam contendant pestem differre à febre pestilenti, quod epidemij carbones & bubones pestilentes ab Hippoc. in epidimijs visi sint sine febre, & Galenus nono simplicium peste correptis bolum armenum exhibet, ijs qui sine febre erant, cum vino, alijs absque vino, quia tamen à morbis acutis febris est inseparabilis, pestis autem (quamuis eo nomine anthracem & pestilentem bubonem comprehendas) est morbus acutus, semper habet adiunctam febrem, occultam tamen aliquando & insensiblem: B Corpus quippe tangenti medico frigidum apparet, æger verò intus incendio se flagrare conqueritur: quod in peste Atheniensi accidisse autor est Thucidides: Ergo pestis finiatur, febris epidemia, contagione deleteria: Quod habeat communem causam, vt aëris extraordinariam immutationem, popularis: quòd illi non simplex, sed summa insit putredo, est contagiosa: inquinatur aër & virus concipit seminatium contagionis, per se, non difflatus; Sic vitium capiunt ni moueantur aquæ: Cum M. Antonij milites auri spe in Seleucia Babiloniæ, arculam Auidi Cassij aperuissent, inde tam putris aura exhalauit, vt non regionem modo peste infecerit, sed ventis in Græciam, deinde Romam, delata hominum magnam partem sustulerit: corrumpitur etiam astrorum maligna cōiunctione, alioquin præuideri & prædici ab Astrologis non posset: Tum expirationum quæ à terris feruntur, fœtore, vt à cloacis C & cadaueribus insepultis: Sæpe etiam λοιμὸς μετὰ λιμὸν pestis post famem. In summa annonæ penuria, vulgus cogitur vti prauis alimentis, quorum esu praui humores succrescunt.

Dignoscetur antecedentibus. Si quę ex prędictis causis antecesserit. Si iam multos prehenderit; Si austrina, seu calida & humida fuerit anni constitutio: Ab adiunctis, vt antrace & glandulatum, potissimùm quæ sunt sub alis, vbi sunt cordis emissaria, inflammatione: A consequentibus, vt cordis actione læsa, quod syncope, cardiogmos, pulsus languidus, celer tamen, inæqualis: difficilis & putida spiratio, non iniuria sanè demonstrant, cum omne venenum eo ipso quod venenum, aduersum vitæ, illius arcem primùm impetat, nisi cum alia parte priuatas & occultas inimicitias gerat, vt lepus marinus cum pulmone, cantharis in Vesica: Ab excreto non est D certa coniectura, Vrina enim aliâs sanorum similis, qualis in diaria simplici, aliâs oleosa, vt in hectica & colliquante febre, aliâs cruda, flaua, nigra, qualis in humorali: quia enim seminarium contagionis spiritus, humor quin solida viscerum substantia primùm excipiunt (non enim promiscuè & indifferenter obuio cuique, sed analogo duntaxat communicatur) accidit vt nonnunquam diarię, aliâs humoralis, alias hecticæ speciem & signa præ se ferat: Omnes tamen ea consequuntur quę continuas & malignas febres. In pręcordijs summum incendium, vnde sitis incredibilis, & inquietudo, Somnolentus torpor accedit virium imbecillitate, quo tamen interdicendi sunt, vt motu & vigilijs venenum forâs erumpat. pauci conuulsi euadunt quibus tumores vel pustulæ statim erumpunt, pauci quibus blandus est calor, aut aluus liquidis fluit excrementis.

Curatio. Pugnandum est imprimis aduersus causam externam: Aër, publicè & priuatim E accenso igne repurgandus, heterogenea enim separat & putredinem absumit, si ex lignis odoraris vt Iunipeto paretur, erit gratior & spiritus vitales magis recreabit: facultas ipsa vitalis, sumptis & admotis cardiacis roboranda, vt resistat veneno. Syrupus de limonibus in aquis cardiacis dissolutus est singularis, vel

♃ conserue buglossi & borraginis ana ℥j. corticis & seminis citri ana ʒij. diamargariti frigidi, trochiscorum de camphora ana ʒj. adde si vis boli armeni & terræ sigillatæ tantundem, rasurę vnicornis, smaragdi, ambrę ana ℈ß. cum syrupo conseruationis citri fiat opiata, vel cum saccharo in aqua violarum, buglossi, Scabiosæ, Cardui benedicti, soluto, fiat electuarium per tabellas, quę si calidiora videantur, prefertim ęstuante cœlo, temperentur additis rosis, violis, santalis. Pauperibus satis erit

A citrpuluis ex cortice & semine citri, cornu cerui, Zedoaria, dictamno, Angelica, Tormentilla, scirdio, gentiana, sumptus cum aqua cardui aut borraginis, pondere ʒj. Admouentur cordi Sacculi, Fotus, Epithemata: Sacculi parentur ex tosis rubris, violis, floribus buglossi, cortice citri: ex eorumdem decoctis, aut aquis destillatis, fiat fotus, Additis pulueribus aut electarijs cardiacis, epithema: In officinis seruantur duo venenorum omnium & venenatorum morborum alexiteria, Theriaca & Mithridatium, quibus ad imminentis mali præcautionem & præsentis depulsionem manifesto vitæ & sanitatis cōmodo vsa est antiquitas tam sumptis quàm admotis: Sumuntur ʒj pondere per se, aut ex aqua cardiaca, Admouentur cordi forma linimenti cum succo limonum, aut permixta conseruis cardiacis forma emplastri: Moses Ægyptius affirmat narratum sibi à Medico doctissimo, cùm tempore pestis in Antiochia medicinam exerceret, experientia didicisse, vt nullis alijs B remedijs pestis cederet, eos autem solos qui Theriacam sumpsissent seruatos fuisse. Conuenit inter doctos cacochymiam leni cathartico minuendam, quo vtendum erit cum decocto cardiaco: exempli causa si accensa bilis & maximè omnium humorum virus concepisse videatur, quod febris biliosæ iam dicta signa demonstrabunt, quamuis propter cacoëthiam & virus coniunctum, aucta.

℞ scordij, radicis acetosæ ℥ß. Scabiosæ, cichorij & Pimpinellæ ana m. i. seminum citri & cardui benedicti ana ʒij. florum cordialium ana p. i. fiat decoctio: In colaturæ ℥iiij. infunde Rhabarbari ʒiiß in expressione leni dissolue syrupi rosarum pallidarum compositi cum agarico ʒiß. adde camphoræ grana duo, fiat potus, non ausim vehementiora, vt diaprunum solutiuum & electarium de succo, & confe-C ctionem Hamech, dissoluere, ne naturam conturbent, tantum abest vt diacrydio, aut antimonio vti velim. Multi tamen huius quatuor aut quinque grana in aquis cardiacis macerant, Infusionem affirmant dari fœlicissimo successu, quidam commendant elleborum ℞ pill. indarum ʒß. diacredij & trochiscorum Alhandal. g. vj. excipiantur, confetua, buglossi fiat bolus, superbibat aquam cardui benedicti. Celsus catharticum improbat, præsertim vehemens.

Si pestis synocho summè putri similis videatur corpus Plethoticum, non dubito venam tutò & ægri commodo aperiri posse: Si vero ephemeræ aut Hecticæ, minimè: Pestilentis diariæ essentia quæ est spiritalis, eodem die interficit, Hecticæ quando anhelitus fœtet, neque sentit se febrite. Hinc illæ querimoniæ de mittendo sanguine in febre pestilenti: Omnibus probabili ratione & contraria experientia certantibus. Quidam affirmant eorum vix vnum euasisse quibus aperta est vena, D vix vnum interiisse, nullumque maius & præsentius auxilium se percepisse. Febrium distinctione dissensio componenda est. In humerali vtiliter tūditur vena initio cum vires adhuc constant: at progresso morbo ne collabantur abstinendum est. Celsus laudat phlebotomiam si febris sit cum dolore. Quidam commendant cucurbitulas scapulis, lumbis, cruribus admotas, alij vesicantia. Ille idem Celsus laudat balneum & hydroticum, vt per cutem virus erumpat. Confert alas & inguina illinere oleo scorpionum vt venenum eo attrahatur substantiæ similitudine.

Præstàtne fames an crapula? fame, inquit Aetius, materia efferatur, & vires infringuntur: quas imprimis custodire oportet. Celsus laudat sobrietatem & semel quotidie comedendum putat: Auicenna paulò plenius corpus alendum existimat, vt benigno alimenti vapore humoris malitia retundatur: Auicennæ fauet Galenus; E Sed liquidis, non solidis velim eos nutriri, vt gelatiua, consumptis, iusculis pulli & vituli, saporatis, herbis, cardiacis, vt vtraque acetosa, buglosso, borragine. Conuenítne vinum? non videtur, quia febricitantibus noxium, Verum est optimum cardiacum, citò reparat spiritus, & animi deliquijs succurrit. Confert febribus malignis, vt resistit putredini & cacoethiæ, non febri, diluendum tamen aqua acetosæ, scabiosæ, borraginis: Quibusdam placet in principio interdicendum, in augmento aut vigore cum vires violentia morbi opprimuntur, concedunt. Notabile est quod scribit Plutarchus in Iulio Cæsare, cum illius exercitus ciborum inopia, prauis alimentis vteretur, correptum fuisse peste, quæ tamen euanuit cum primum appulit in regionem feracem, præsertim vini.

DE MORBIS ORGANICIS SECTIO SECVNDA.

DE MORBIS CONFORMATIONIS.

CAP. I.

SOLA conformatio facit instrumentum, parumque refert si membrum dixeris organicum an conformatum: Illa autem consistit in meatu nec- B non cauitate, figura, asperitate & læuitate, siue enim meatus angustior, siue amplior fuerit, quàm naturæ coueniat, si peruertatur vsus ad quem destinatus est, morbus est in meatu. Quibusdam à prima conformatione scapulæ alarum instar prominent. Alijs tabulatum est pectus (Illi *πτερυγώδεις*, hi *σανιδώδεις* appellantur) vtriusque tam angustus est thorax vt pulmo liberè dilatari non possit, proinde difficillimè spirant & proni sunt ad tabem, morbus est & in figura & in cauitate. Galenus sæpè & diu retento spiritu existimat thoracem dilatari posse, Quòd si densitate, obstructione aut compressione vena distribuendo sanguini fuerit inepta. Si natura, vel ex morbo, carne vel membrana supercrescente & meatum obstruente, viris aut mulieribus genitalia perforata non sint, (*ἄτρητοι* nominantur) morbus est in solo meatu. Si vicinum aliquod viscus, vt C lien, adeo intumuerit vt premat intestina, morbus est in sola cauitate. Si cutis densior & astrictior fuliginem liberè non excernat, fiat laxior frictione molli, balneo aquæ dulcis: Si iusto rarior fuerit, & immodico sudore diffluat, densetur frictione sicca, baneo astringente, oleo rosato, & myrthino inungatur, respersis si placet earundem virium pulueribus, vt melicorij & rosatum siccarum.

Obstructio est morbus inter organicos frequentissimus, aliorumque propè innumerabilium parens, quam nemo miretur in ordinem morborum referri, nam vt ad motum duo requiruntur, mouens & mobile, ad actionem quod agit & quod patitur, sic ad obstructionem duo concurrere necesse est, quod obstruit & quod obstruitur, obstruunt humor crassus, viscidus, multus: grumus, callus, arena, vermis, calculus: obstruuntur cutis, vena, arteria, neruus, (quamuis solus opticus sensibilem habeat D cauitatem) ventriculus, vesica, renes, denique partes omnes cauatæ à natura atque perforatæ: obstructio est morbus ex vtroque constans, vtrius est affectus? profectò vt Aristoteles docet motum esse affectionem mobilis non mouentis, sic obstructio est affectus obstructi instrumenti non obstruentis causæ, cui hac arte prospiciendum est.

Calculus nõ est morbus, sed causa Morbi.

DE SOLVENDA OBSTRVCTIONE.

CAP. II.

CAVSA primùm antecedens, quæ fouet, mox coniuncta, quæ facit morbum, tollatur: Antecedens, Plethora frequentiùs quàm cacochymia, Illa sæpè à suppressa solenni & solita vacuatione, vt mensium & E hæmorrhoïdum, quæ imprimis arte prouocetur: Generali obstructioni succurrendum est aperta vena, vt Cathartico, deinde pateant viæ & quoquouersum liberiùs feratur: mox cogitandum de coniuncta remouenda.

De lapide. Pituita in quauis parte caua potest lapidescere, nam Hippocrates quinto Epidemiωn famulam Dyseridis è vulua lapidem excreuisse affimat, Tussi reiectos viderunt, Galenus, Paulus, Trallianus, Beniuenius, Dodonæus, nec dubium est sæpe in bronchijs asthmaticorum, in lapilli duritiem pituitam crassam & viscidam concrescere, Arculanus & Gentilis viderunt bis de cωlo, semel de ventriculo reiectum: Francisco de Pedemõtio spectatore per integrum mensem, durauit lapidosa diarrhœa, quidam oui magnitudinem æquabant. Simile quiddam obseruatum in Medico huius ciuitatis. Dominus

A tis. Dominus de Belienre Cancellarius optimè meritus excreuit duos, secundus erat malogranato similis, quibus reiectis melius habuit. Beniuenius Carhartico vehementi lapidem ovi colũbini magnitudine ex intestinis deturbauit. In vesica fellis sępè obseruantur. Beninenius in tunica hepatis cõspexit. Vnde mirari licet cur Fernelius neget generari in vesica. Acceptis enim in rene primordijs illic tantum incrustari existimat, hoc argumento: Lapides renum & vesicę differunt substantia, in illis enim poro ides gignitur, in hac densus & solidus. Tum colore, renalis enim ruber est, concolor reni: vesicalis albus vel cineritius: Atqui si lapidem repertum in vesica fregeris, videbis in medio lapillum, veluti nucleum colore & substantia renali planè similem: Ergo genitus primum in renibus, in vesica accepit integumentum. An hoc in multis ita est, non in omnibus? quidam enim sine nucleo visuntur. An arena quæ à renibus rubra excidit talis in centro manet, at in superficie continuo vesicæ contactu albescit? Enimuerò cùm posita causa sequi possit effectus. In

B vesica autem, præsertim infantium dum in cunis vagientes supini meiunt, arena multa colligatur quæ pituitæ lentore inuiscatur, quid vetat hic vt alibi cogi in lapidem? Hipp. potius in vesica quàm in renibus arenulas colligi existimat, quod Philoteus fieri putat, quia maior est vesicę quàm renum capacitas. Iisdem vnumquodque augetur quibus ortum est, suntq; vt nutritionis, sic accretionis eadem principia quæ generationis, fatetur accrescere in vesica, cur negat generari posse? Sed ad rem: ratione & experientia testatum habemus vbiuis lapillum concrescere, sed ab illo definitè partem obstrui certa coniectura assequi non possumus, faciamus tamen cathetere exploratum, anum, vesicam, vterum, à lapillo obstrui: Remolliente semicupio, clystere, facilitandus exitus, Pars affecta oleo scorpionum & liliorum cum adipe cu-

C niculi illinenda. Si rimula sit angustior, chirurgia est opus: de pulmone vt expectoretur faciliùs, syrupo de althæa, de Glycirriza, oleo amigdalarum dulcium cum alphenico & diatragacantho frequenter vtendum, additis incidentibus, vt syrupo capilli veneris, oximelite: quibus non tam lapillus comminuatur, quàm pituita crassa quæ excretionem tardat tenuetur.

Vermes in eorum quoque sunt numero quæ obstruunt, illi vt lapides, in qualibet parte, ex quouis humore, præsertim ex pituita putri, generantur, non aliter quàm ex fimo infinita animalcula: Sed enim cum vbiuis pituita possit putrere, prę stoadsit calor humidus, quidni quacumque in parte excitantur? Holerius vidit scorpionem in cerebro cuiusdam Itali natum ex Basilicæ herbę frequenti odoratu, Beniuenius vadit de pulmone tussi excretum, Dodoneus de vesica. Descendisse eos à *Vermes.*

D renibus verisimile est. Visus sæpè vermis qui demorso corde vitam ademerat. Visus ab Auicenna qui abdomen perforauit. Valesco spectatore duo vermes ex auribus prodierunt febrientis cuiusdam adolescentis, qui mox conualuit. Alzarauius & Mundella rubros cum lotio reiectos viderunt. Alexander Pedemontanus scribit repertos esse in capsula cordis, qui demorso corde primum epilepticos insultus, deinde mortem attulerãt. Pueris dormientibus quãdoque per nares erumpunt, quia vt alimẽtum quęrant vẽtriculum, inde gulam perreptãt, Puer excreuit tres simul & semel, sed minimos omnes in globum coactos, dixisses conglobatas erucas. Ore clauso per foramen palati ad nares ascendunt. Valeriola vidit nouem, Plin. triginta pedes longum: Trallianus, qui excederet duodecim cubitos, quod non est valdè mirum, si verè Paulus & Aëtius affirment interiorem tunicam intestinorum in longum & latum

E vermem aliquando transmutari. Cumque pro varia materię putrentis qualitate tot tamq; differentia animalcula in vniuerso generentur, quid mirum ex tot adeoq; dissimilibus humoribus qui in nobis putrere solent, tam differentes vermes, longos, latos, rotundos, hirsutos, magnos, paruos exoriri? Nobilis quidam in castris annonę penuria coactus est palustrem aquam bibere, & edulijs mali succi per aliquot dies viuere. Inde nati vermes quos datis pillulis ex aloe cum ℈ß. trochiscorum alhandal, vna die excreuit plus viginti, qui anguillarum speciem & magnitudinem ęquabant. Omnibus commune remedium. Dulcia infernè, amara supernè, his pars obsessa verme illinenda: cum enim dulcibus generentur, nutriantur, accrescant: amaris interficiantur, iniecto clystere ex lacte cum melle vel sacchara, sine oleo, quia pinguia vt amara fugiunt, descendent ad pabulum, simulque cum iniecto excludentur. Rhabarbarum infusum in decocto graminis, acetosæ, cichorij, scordij, comæ,

absynthij, seminis portulacę, vel coriādri vermes necabit & deturbabit, addere possis A syrupi, de limonibus aut de acetositate citri ℥j. fiat potus, cuius loco poteris vti aqua infusionis rhabarbari. Idem præstant pill. cōmunes, ex aloë, myrrha, & croco: Theriaca & mithridatium sumpta & admota, cinis vermium & puluis contra vermes ex aqua portulacæ dari possunt, aut forma tabellæ, opiatæ, conditi.

℞. massæ pill. communium ʒß. cum syrupo de absynthio fiant tres pill. molles, capiat media hora ante prandium, continuet per aliquot dies. Item ℞. eiusdem massæ ʒvj. cum oleo amygdalarum amararum & pauco aceto fiat emplastrum vmbilico admouendum, vel ℞. olei de absynthio ℥ij. pulueris contra vermes, aloës ana ℈ij. adde si vis parum fellis, cum cera fiat linimentum. Eadem olea, tum de fraxino, persicorum: Succi: centaurij, athanasiæ, matricariæ in aurem instillari possunt ad necandos illic vermes, malim pulueres in prunas conijci, fumum auribus B captari.

De humore crasso. Humor crassus incidentibus, viscidus detergentibus præparetur, mox per ductus naturæ conuenientes vacuetur. Est enim cum per vrinas commodius repurgatur, vt obstructa secunda, seu media regione: At prima, clystere, aut sumpto eccoprotico, per alum, vltima per cutem diaphoretico & hydrotico expurganda: Incidentes & aperientes syrupi sunt de duabus, de quinque radicibus, de Byzantijs, Capilli veneris, De hyssopo, De marrubio, De arthemisia, Oxymel, præsertim diureticum, quibus vtendum, cum decocto quinque radicum aperientium, cinamomi, cicerum rubrorum, vel herbarum capillarium, aut earum aquis destillatis: dissolui possunt trochisci de Prassio, de calamentha, de myrrha. In naturis & affectibus calidis, vt bile vitellina cystim, hepar, aut renes obstruente, vtendum syrupis de cichorio, C vel de Endiuia compositis, cum decocto radicum graminis, Acetosæ, cichorij totius, quatuor seminum frigidorum maiorum, Alcecengi: Therebinthina omnium viscerum, quin venarum obstructionibus soluendis est aptissima: nec sinit humores putrescere, ex ʒiij. lotis in aqua propria, vt cichorij aut Eupatorij ad hepar, halicacabi ad renes, cuscutæ ad lienem fiat bolus: Ammoniaci ℈ij. sumpti cum aqua aut decocto conueniente, aut in vino albo, mirificè etiam prosunt: ℞. ammoniaci & pulueris hieræ ana ℈ij. terebinthinę ʒij. fiant parui boli, inuoluantur obelijs vino albo madidis: Electaria dialacca & diacurcuma omnes obstructiones, maximè verò hepatis soluunt, vt Trochisci de capparibus, & de Scolopendrio lienis. Ne tamen frequentiore vsu aperientium calor natiuus exoluatur, illis per interualla, & prudenter vtendum, eaq; ad vsum deligenda sunt quę parti obstructę magis conueniant. Ad obstructiones vteri, præferendus est syrupus de Arthemisia. Ad obstructiones pulmonis, D capilli veneris, de hyssopo, De marrubio: Ad hepar, syrupi De cichorio & de Endiuia: Fernelius ad magnas obstructiones renum describit syrupum de Raphano, quo multi vsi sunt fœlici successu: in vsu est Syrupus de althæa, vide tamen vt cassia corpus sit priùs repurgatum, ne impuritas à diureticis ducatur ad partem obstructam, & morbum augeat.

DE SISTENDO FLVORE.

CAP. III.

VT obstructionem sequitur excernendorum omnium, menstrui, hæmorroïdum, stercoris, lotij, sudoris suppressio, tum putredo, febris E putrida, lenta: icterus vterque, flauus cystis aut hepatis, niger lienis obstructione, Apoplexiæ, Resolutiones, Atrophiæ, Tabes, nonnunquam repentinæ mortes, prohibito sanguinis, spiritus vitalis, aut animalis, commeatu. Ita laxitatem & apertionem immoderatam meatus & cauitatis, retinendorum profusio comitatur, quam morbi & symptomata non minus horrenda consequuntur. Nam siue aluus sine modo fluat, vt in diarrhœa, leienteria, Dysenteria, hęmorrhoïdibus: Seu vesica, vt in diabete, mictu sanguinis: Siue vterus, vt in menstruo immoderato & muliebri profluuio: Siue sanguis supernè de pulmone tussiendo, de ventriculo vomendo plurimus erumpat; Luctus vbique, pauor, & plurima mortis imago, funestiores enim sunt morbi ab inanitione quàm à repletione: Huic siccitati iam factæ, medendum hecticæ febris remedijs, fienti verò, succurrendum

Nō est mirum si Thessalus Therapiā, obstructione aut fluxre concluderet.

A dum aliquo astringente, cuiusmodi sunt, syrupi granatorum, cydoniorum, rosarum siccarum, myrtyllorum: Aut trochiscis de bolo, de spodio, de terra sigillata, de carabe omnium præstantissimis, quia non tantùm restringunt, sed etiam coagulatum dissoluunt, quibus cum aqua aut decocto astringente, vt rosarum plantaginis, centinodiæ, vtendum erit ℞. ex prędictis syrupis ℥j. pro dosi, trochiscorum ℈ij. dissolue in ℥iiij. aquæ plantaginis, fiat potio. Si quis humor acer & mordax autor fluoris sub esse putetur, deligatur remedium quod purget constringendo, vt Rheum, Myrobalani.

℞. expressionem fortem ʒij. ß. Rhabarbari infusi in aqua plantaginis vel rosarum, syrupi myrthini ℥j. fiat potus. Vel ℞. ℥ß. myrobalanorum citrinorum in materia biliosa, tantundem chebulorum in causa frigida, infunde & coque in decocto Tamarindorum, in expressione dissolue syrupi de cichorio compositi cum rheo ℥j. vel B ℞. corticis myrobalanorum & rhei electi ana ʒj. excipiantur conseruæ rosarum ℥ß. cum syrupo cydoniorum, fiat bolus. *Ita Tralliamus & Rondeletius, ratione & experientia subnixi.*

Humor diuertendus aut reuellendus purgatione, vel aperta vena opposita. Si fluat supernè, puta de thorace aut pulmone, aperiatur vena malleoli, vt impetus sanguinis in contrarium retrahatur, non brachij, ne tactus ad partem affectam, fuga vacui fluxionem augeat: mulieri sanguinem vomenti menstruis erumpentibus solutio: Conueniunt ligaturæ fortes & dolorosæ, frictiones, cucurbitulæ ad reuellendum.

Morbus figuræ, si vitio parentum & conformationis acciderit, non sanatur. Si à causa externa, vt fractura aut luxatione, Chirurgia curetur, alio loco exponenda.

Morbi Asperitatis & Læuitatis curentur ijs quæ tradentur libro tertio in cura C leienteriæ & Asperitatis arteriæ, ferè enim speciales sunt morbi, paucisque partibus communes.

DE MORBO IN NVMERO.

CAP. IIII.

VT Sanitas in mediocritate consistit, ita morbus in excessu vel defectu, morbi à defectu, hecticæ febris, qui ab excessu. Si à Plethora, Synochi, Si à cacochymia, cacochymarum febrium remedijs curentur: quę in febribus ad causam coniunctam, in cæteris tam organicis quàm communibus morbis, ad causam antecedentem summo cum delectu D prudenterque primùm vsurpentur. Inter organicos primus occurrit morbus in numero, quia omnis causa natura & origine prior est suo effectu. Ille autem sæpè causa est obstructionis, vt obstructio magnitudinis in parte vel in toto diminutæ: Appello morbum in numero, si quid instrumento desit aut superuacuum sit ad vsum: Cum enim natura nil faciat frustra, si quid connascatur aut adnascatur, non inutile modò, sed etiam quod incommodet actioni, illud præter naturam iudicetur: Faciamus ergo quempiam nasci cum vnico, vel cum tribus testiculis, quia didymi ad generationem dantur à natura, morbus est in numero, qui tamen si vitio conformationis acciderit, sanatur. Amatus Lusitanus meminit infantis nati cum cornu in capite, quo resecto obijt. Verum si fuisset aduetitium, quale illud quod scribit Alexander Benedictus natum ex vulnere, materia quæ in ossis substantiam mutari debuerat, in cornu con- I uersa tuto rescindi potuisset. Quæ sunt toto genere præter naturam & manifestè actionem lædunt, vt polypus in naso, caruncula in vrinario meatu, nisi sint congenita, opem & industriam medici requirunt, quæ licet siccantibus, exedentibus sanentur, tamen pro temperamento, vsu & dignitate partis mitiùs aut vehementius deligendum. Nam ad verrucas in cute, multo tutiùs Ægyptiacum per se solum vsurpatur, quàm ad condylomata, carnosas excrescentias in ano aut vtero, propter partium exquisitiorem sensum, maiore periculo in vesica ad carunculam quæ ardori vrinæ neglecto vel malè curato succedit. Propterea Galenus ex tribus granatorum generibus describit remedium ad Polypum, quod cathæriticis omnibus anteponit, ne ex Polypo simplici fiat vlceratus, vnde ozæna, cancer in natura præsertim melancholica: Poterit tamen succo granatorum aut cerato myrthino Ægyptiaci quarta pars admisceri. Si verrucæ, Polypi, condilomata filo constringi

possint, priuata alimento sensim contabescent: ἀναδενδρασμόν, hoc genus remedij veteres appellarunt: Præcipitatum omnes excrescentias, quales vlceribus & vulneribus superueniunt, sine dolore citò absumit: idem præstant olea cathæretica vt sulphuris, calchanti, aqua aluminosa, fortis. Carunculam in vesica ante viginti dies certo experimento consumit sequens vnguentum, corpore priùs cassia repurgato. A

℞. olei rosati ℥iij. cerusæ ℥iiij. Caphuræ ℥ß. Tuthiæ cum aqua rosarum lotæ & præparatæ ℥ß. lythargiri auri præparati ʒvj. antimonij præparati ʒj. mastiches, Olibani, Aloës hepaticæ ana ℈ij. fiat vnguentum in mortario plumbeo, seruetur in pyxide plumbea, quo sic vtendum erit: Vbi candela cerea, intincta oleo aut butyro recenti callum attigeris, (quod tenisus indicabit) illa tenui & detrito linteolo inuoluatur, quod dicto vnguento extrema parte qua carunculam debet tangere imbuatur, reliqua, aut oleo violato, aut sequente vnguento, quod plurimum confert parti solidandæ post consumptam excrescentiam oblinatur. B

℞. Lythargiri auri, tuthiæ præparatæ, plumbi vsti ana ʒiiij. Cerusæ ʒij. Caphuræ ℈ß. olei myrtillorum q. s. fiat vnguentum, quo solo vtendum erit cum sanies amplius non effluens, absumptam carunculam demonstrabit.

Epulis seu excrescentia carnis in gingiuis absumetur puluere ex galla, alumine & sale vsto:

Enchâris verò, (caro præter naturam aucta in magno oculi angulo) alumine vsto.

DE MORBIS AVCTÆ ET imminutæ magnitudinis. CAP. V. C

Causas vtriusque morbi Gal. explicat 6. de sanitate tuëda cap. 8. vbi aliquot recenset remedia, plura 14. methodi cap. 15.

NYCOMACHO Smyrnęo corpus in tantam molem excreuerat vt se mouere non posset, sanatus est ab Æsculapio sequētibus, ni fallor remedijs. Præscripta inedia, vigilia, exercitatio vehemens, frictio multa, dura, coitus, vini crassi abstinentia, Iuscula diureticis alterata, Balnea discussoria ex sale, nitro, sulphure, alumine. Quotidie manè datum cochlear vnum aceti scyllitici, aut semuncia oxymelitis Gal. cum piperis aliquot granis, Potio ex Aristolochia rotunda, Gentiana, Centaurio, aniso, dauco, Semine rutæ syluestris, ex quibus siccis & pulueratis cum saccharo in aqua hyssopi soluto, fiat electarium. Cuius loco non minore commodo poterit assumi theriaca: Humor omni modo, per aluum, per vrinas, per sudores vacuetur.

Per aluum blandis catharticis sæpè repetitis, vt pillulis de Hiera, habent enim magnam vim desiccandi, Per vrinas diureticis, vt decocto radicum aperientium, oxymelite diuretico, scyllitico: Per sudores hydroticis, vt Guaiaco, Cyna, Salsa parilla, quorum decocto dilutiore si vtatur pro ordinario potu maius percipiet commodum. D

Contraria sunt gracilis extenuatique corporis remedia: Ergo nutriatur alimentis boni succi & facilis coctionis, vt hordeatis, amygdalatis, pistalacijs, martio-pane, vitellis ouorum, pullis, vino veteri, rubro, crasso: venus prohibenda, Quies, somnus vita tranquilla & otiosa, Balneum aquæ dulcis, imperanda: Lac mulieris magis, sed tardiùs nutrit, lac asinę minùs, sed celerius: medium est lac caprillum: mollis frictio benefacit, verum ne tractus ad cutem humor exhalet, mox oleo tepido inungatur: Consideranda tamen causa, quia non semper ab inedia, labore, vigilijs contingit, sed aliquando à vermibus alimentum exugentibus, quos nisi deturbaris, prędictis remedijs nil profeceris. Accidit etiam propter lienem iusto maiorem, vt enim aucto fisco ęrarium minuitur, sic quando lien accrescit, molem corporis imminui necesse est: Accidit etiam imbecillitate aut obstructione totius vel partis quæ sit dicata alimento conficiendo vel distribuendo, cuius causæ pręcesserunt remedia. Quidam commendant vsum frigidę ad pinguefaciendum, Auicenna laudat cibos frigidos. Quod me iudice interpretandum est de his qui extenuantur à calida intemperie iecoris aut totius. E

Remedia ἀτροφίας mediocris percussio

Si membrum aliquod, vt crus aut brachium atrophia tabescat: vt intelligas si affectus sit sanabilis nec ne, & quàm facilè, imprimis fricandum erit, aqua tepida lauandum. Quod si nullus in cute rubor appareat, desperata est sanitas, Si vix & magna difficultate

A difficultate excitetur, difficilem & longam fore curationem ostendit; Si citò facilem: Tum pars extenuata leuiter percutienda donec modicè attollatur, fortiter liganda, scarificanda, pix soluta in oleo extendatur super aluta, & illi prius rasę superponatur, antequam refrigescat amoueatur, mox calida reponatur, hyeme bis, æstate semel: Membrum sanum ab infero sursum procedendo ligetur, vt sanguis ad ęgrum pro alimento regeratur. *καταντλήσις, aquæ perfusio, πιττώσις picatio.*

DE MORBO COMMVNI, SECTIO TERTIA.

B

DE SOLVTIONE CONTINVI *quædam præscienda.* CAP. I.

MORBVS communis definitus est qui partis vsum & actionem peruertit: Si pulmo, vocis & spirationis instrumentum, vlceretur: non tantum vsus impeditur, sed etiam actiones quæ illi, vt pars est similaris, conueniunt, nutritio, & quæ nutritioni seruiunt attractio, retentio, vitiantur: Idem accidit abscessu & tumore præter naturam, quos affectus ea causa communes; appello: tum quod in partes tam internas quàm externas conueniant: Cæteros, qui partium proprij sunt, vt fracturam ossis:
C Luxationem articuli, conuulsionem nerui, auulsionem ligamenti, ad particularem doctrinam reseruo, de illis solis hoc libro dicere proposui. Vt autem Galenus Methodum Medendi à curatione vulnerum est exorsus, quia in illis indicationum doctrina, quam cum remedijs meditabatur, euidentiùs pateret, sic ego ab ijsdem exordiar, doceboque non vlceris, pulmonis aut hepatis, sed indefinitè omnis vlceris tam interni quàm externi communem curationem, si primùm vlceris interni diagnosim, deinde prænotiones quasdam exposuero: Est autem vlcus quoddam primarium, ab humoris acrimonia, quoddam ἐπιγεννηματικόν, quale inflammationi succedit, purè enim facto, fit abscessus, rupto abscessu vlcus: discernuntur ergo præcedente inflammatione tum pure multo & conferrim excreto, nam vlcus primarium nil tale præcessit. Si tussiendo reddatur, vlcerati pulmonis suspicio est.
D Si vomendo, ventriculi aut gulæ: Si cum lotio, vesica, renes, aut hepar parte gibba, laborant: Si per sedem exeat, ventriculus, Intestina, mesenterium, lien, aut hepar parte caua: Species & locus doloris, tum excernendi modus vlceratam partem definitè ostendunt, nam vlceratis tenuibus intestinis, dolor sentitur supra vmbilicum, permiscetur que pus fæcibus, crassis verò vlceratis, de dolore sub vmbilico ęgri conqueruntur & separarum pus egerunt. Renibus quoque vulneratis pus immiscetur lotio, vesica vlcerata minimè. Prescien dum autem vlcus in parte sanguinea & molli minore negotio sanari quàm in spermatica & dura, in ignobili quàm nobili, in quieta quàm mobili, quia ad actionem medicamenti opus est quiete, qua causa pulmonis vlcera, quinetiam morbi omnes, difficillimè sanescunt: In infera & depressa ad quam fit continuus descensus materię, difficilius: in parte ad quam citiùs & integris viribus
E medicamētum peruadit, faciliùs: quia enim ad pulmonem via est longissima (quandoquidem gulam, ventriculum, quædam ex tenuibus intestinis venas mesenterij, Iecur, Venam cauam, denique cor pertransierit necesse est priusquam ore sumptum ad pulmonem perueniat, non est mirum si morbi pulmonis difficillimè percurentur. Prescien dum quoque puerorum vlcera faciliùs sanari quàm senum, Virorum quàm mulierum, difficultatem augeri si menses mulieribus, hęmorrhoïdes viris substiterint, qua causa Arist. scribit Eunuchorū vlcera difficillimè sanari, Non est etiam ignorandum vlcus per se facilius aut difficilius vniri, Simplex facilius quàm compositum, Superficiarium quàm cauum, recens quàm inueteratum (dicirur autem quibusdam inueteratum quod intra quadraginta dies sanari non potuit) Quadratum quàm rotundum, Rorundi enim vlceris, vt vulneris, longa & difficilis cura, quia extrema difficillimè coeunt. *Vlcus tribus causis difficillimè curatur, per se, ratione partis, ratione causæ.*

Vlcus in ruffo tardius coalescit.

Item ratione causæ, non tantùm coniunctæ, sed etiam antecedentis. Nam si corpus imputum aut plethoricum fuerit, tardiùs & maiore negotio sanabitur, eoque difficiliùs, quo corpus fuerit plenius aut impurius: Propterea ictericorum & hydropicorum vlcera sunt insanabilia, nisi primùm Icterus & hydrops percurentur. Et vlcus in quod multæ & amplæ venæ desinunt, Rbeumaticum dicitur, eadem causa difficilius sanatur, vt varicosum. Coniunctæ causæ sunt, intemperies partis vlceratæ, dolor trahens, subiectum os, asperum, ruptum, erosum. Hæc quoque præcognoscenda sunt, firmaque memoria tenenda: pro natura & temperie partis deligendum remedium, quia vlcus in parte ficciore, ficciora postulat remedia, Ratio est quod maior lapsus à naturali temperamento fortioribus contrarijs ad naturam reduci debeat: Exempli gratia soluta continuitas ossis (si cætera sint paria) magis siccantia postulat quàm venæ, nerui, aut cartilaginis, & horum remedia ficciora debent esse quàm carnis. Quod intelligendum est si pars natura mollis cum alia temperamento dura, vt caro cum osse conferatur: Nam si præter naturam vna sicca, altera humida intemperie laboret, pars sicca bumectanda erit, minimè siccanda, quia regenerandæ carni nullum suppeteret alimentum: Adhæc pars robustiot potentiora tolerat remedia, quæ si exquisiti sensus fuerit, acria non admittit: Pars nobilis maiote diligentia cnstodienda est quàm ignobilis, Publica quàm priuata, interna quàm externa, quæ proximo libro fusiùs persequemur. Non est prætereundum vlceris, vt alterius morbi, sua esse tempora: Principio sanies tenuis & aquosa, quæ nisi paulatim coctione crassescat, cachexiam corporis totius, partis, aut humorum prauam constitutionem arguit, si præterea virulenta, æruginosa, nigra, fœtida, vlceris, cacoëthiam ostendit: pus album, lęue & ęquale certam sanitatem promittit.

Vlcus virulentum cuius virus corrumpit membrum: putre, quod putrefacit.

DE VLCERE. CAP. II.

Addit Auicenna de qua exit sanies vel pus, vt distinguat à vulnere.

VLcvs est solutio continui in parte carnosa, interna vel externa non refert, quia pattes internæ, vt pulmones, renes, hepar, humotis acrimonia non minus quàm externæ, oculi, nares, aures; musculi vlcerantur, siue ille aliunde fluxerit vt à cerebro in oculos, nares, os, pulmones, siue paulatim in parte congestus fuerit. Est autem simplex vel cum symptomate, intemperie, inflammatione, dolore, febre, conuulsione: Purum vel impurum, à sanie bumidum, à sordibus sordidum, Supetficiarium vel cauum, recens aut inueteratum, Benignum vel malignum, quod non cedit ordinarijs remedijs, quò pertinent, nomæ & phagedenæ, serpentia chironia, Telephiaque vlcera, Qualia Telephus est perpessus, sanauit Chiron. Magnum quoque aut paruum dicitur, longum, latum, quadratum, rotundum.

Omnium curandorum duæ sunt primæ indicationes, vna quæ sumitur à viribus & differentijs remediorum, altera quæ à totius, maximè vero à partis vlceratæ temperamento: neque enim ars vlcus cauum teplet carne, nec cicatricem pro vera cute reponit, sed natura ipsa seu propria temperies partis, quia eius est regenerare, cuius primùm fuit generare, aliquando per se sola, nonnunquam leuioribus remedijs adiuta: Vrina propria si quotidie abluatur vlcus simplex, quamuis profundum, mox linamentis siccis impleatur, coalescet: ex linteolo quod maduerit in aqua tuthiæ, vel thermis sulpbureis, nitrosis si parentur, linamēta magis siccabunt, curatio autem vlceris est exsiccatio: Gal. tabidos ab vlcerato pulmone Tbabias mittebat, quia illic aer esset siccior, multosq; ea causa in Ægyptum nauigasse autor est Plinius, Furnaria assiduo ad furnum inspiratu, vlcus in pulmone exsiccauit: Verùm faciamus esse sordidum, quod in externis sensu, in internis vlceribus ab excreto conijcitur, mundificatiuo de apio, quod paratur ex Apij succo & medulla panis similacei, aut ex terebinthina cum oui vitello, aut omnibus commixtis, purgandum est vel hydromelite, ex aqua bordei & melle rosato abluēdum, Cuius vsus internis vlceribus perequè cōfert, vt ex apij, marrubij aut absynthij succo cum melle aut saccharo rosato paratus syrupus, pro quo substitui possunt syrupi rosarum siccarū de absynthio, de marrubio, assiduo vsu sacchari rosati seu conserua rosarum detersum vlcus in pulmone natura randem agglutinauit: Lac asinæ potum suo sero detergit, eoque magis si saccharum

rosarum

A rosatum admisceas. Therebintina eodem fine sumitur, forma boli in vlceribus re-
num, cum oleo amygdalarum dulcium forma lohoc, pro vlceribus pulmonum:
vtile quidem, sed parum gratum remedium. Quæ primo gradu siccandi & leniter
detergendi facultate prædita sunt, quia incarnanti naturæ tollunt impedimenta, sa-
niem & sordes propterea sarcotica nominantur: quorum tres sunt ordines, In primo
numerantur, Thus, cortex thuris, Sarcocolla, farina hordei & fabarum, quæ na-
turis & ætatibus mollioribus partibusque humidioribus conueniunt, vt puerorum
& mulierum vlceribus. Secundi ordinis sunt, Iris & farina erui, Tertij, Aristolochia,
panax, centaurium vtrumque: quæ naturis robustis & partibus siccis sunt aptiora.
Quæ enim, exempli gratia, in vlceribus oculorum vehementiora sunt remedia, in
vlceribus aurium sunt leuiora, quia oculi natura sunt molles & humidi, aures siccæ,
B faciliùs autem humidum humidæ naturæ restituitur quàm sic cum siccæ, si vtrum-
que à sua temperie degenerarit: Ergo si thus pulueratum terebinthina exceperis, pa-
tabis vnguentum pro externo vlcere pueri, qui si eiusdem vaporem inspirarit, aut
illi per sedem, puella per vterum eundem exceperit, vlcus in pulmone, in ano, in
vtero coalescet: poterit iniici puluis cum vino aut decocto conueniente: vt Agri-
moniæ, aut mnlsa. Robustiores accipiant qnotidie Aristolochiæ ℈ij. ex ouo sorbili,
pro partis interioris vlcere: excipientur terebinthina, si placet cerato rosaceo, pro
vlceribus externis: In sinum, cum aliquo liquore iniiciantur. Idem de cæteris, vt
puluere Iridis illiricæ & centanrij, sentiendum, iisque per se vel commixtis vten-
dum est: Seruantur in officinis, vnguentum aureum, ex leuioribus sarcoticis à
Mesue descriptum & vnguentum viride, quod Galenus & Auicenna componunt
C ex ærugine excepta oleo & cera si placet ad ℥ j. cerati rosacei addere ʒ j. æruginis,
plus minus, prout natura totius & partis, nec non vlceris qualitas indicabunt, facies
optimum sarcoticum: multa tamen prosunt admota, vt ærugo, æs vstum, Cadmia,
Pompholix, cerussa, quæ sumpta, sunt venena, & ventriculi substantiam lædunt.
Bolus armena, & terra sigillata internis & externis vlceribus sumpta & admota pro-
sunt, maximè omnium theriaca, sola enim purgat, incarnat, & cicatricem ducit,
non benignis modò, sed etiam malignis vlceribus perutilis: qua tutiùs vtor quàm
oleo de vitriolo ad vlcera interna à chymistis tantopere commendato. Rondeletius
tamen libro de medicamentis internis ad eadem laudat antimonium sumptum cum
oleo ouorum, quo nil inuenit præstantius, quia siccat sine morsu, faciat qui volet
periculū, ego sum contentus remedijs quorum maiores nostri tulerunt pericula: ad
quid enim epulotica in vlceribus internis, vísne obducere cicatrice quæ natura non
D ferret contenta cute? Dignitas medicinæ non consistit in multitudine aut noua pre-
paratione remediorum, sed in vsu, circunstantijs personæ, loci, temporis & morbi
limitato, quem ignorant sufflones Physiologiæ & Pathologiæ ignari.

Primū vt purges, deinde vt impleas.

Quibus ita positis & constitutis, non possum obiter quin excurram in reprehen-
sionem medicorum, qui cum chirurgis sic suas operas partiuntur, vt affectuum inter-
norum curationem sibi retineant, externorum illis committant: Cùm tamen Ga-
lenus artem medendi ab vlcerum curatione sit exorsus: Hoc dignius reprehensione
quod, quid & quotuplex sit vlcus, quæ sit illius percurandi generalis methodus, in
chirurgia describant, contra analytica præcepta, In quibus hoc est pro constituen-
dis artibus earumque finibus regendis præcipuum, vt communia in arte communi,
particularia in particulari, doceantur. Atqui vlcus est morbus partibus tam inter-
E nis quàm externis, tam organicis quam similaribus communis, communis vtrobi-
que causa, communes in curando indicationes, communia ferè remedia, sola for-
ma pro situ & conformatione partis immutata, quis ergo non videt in Generali me-
thodo medendi, non in arte subalterna & medicinæ subiecta, non theoriam modò,
quæ definitionem, diuisionem & causas contineat, sed etiam curationem vlcerum
explicandam? Idem peccatum committitur in tumoribus præter naturam. Inflam-
matione enim cum partes internæ similiter tententur ac externæ, cur in praxi me-
dicinæ pleuritidis, hepatitidis, & peripneumoniæ exponunt remedia, quid verò sit
phlegmone, quibus causis & qnomodo fiat, in chirurgia demonstrant? quid hoc, si
non est præposterè specialia primo, generalia postremo loco docere? potéstne dice-
te quid sit hepatitis qui priùs non nouerit quid sit inflammatio?

DE TVMORIBVS PRÆTER NATVRAM, *ac primùm de phlegmone.* CAP. III. A

TOT ſunt tumorum quot humorum primæ differentiæ, Phlegmone tumor à ſanguine, Oedema à pituita, Eryſipelas à bile, Scirrhus à melancholia, diſcernuntur colore, refert enim cutis colorem humoris in toto vel in parte dominantis, rumor ruber ſanguinem ſubiectum prodit, albus pituitam, flauus bilem, niger melancholiam: Fiunt congeſtione aut fluxione, congeritur humor in parte ex reliquiis proprij alimenti, excretricis, ſæpè alteratricis vitio: proprerea frigidi rumores ferè fiunt congeſtione: calidi fluxione: congeritur paulatim, fluit repentè, tractus calore aut dolore partis imbecillioris: mittitur excretricis robore: nam ita res habet in œconomia B noſtri corporis vt in Olygarchia, potentior opprimit imbeciliorem, in eumque totum onus deponit: Adiuuant laxitas & amplitudo vaſorum: humoriſque fluentis tenuitas. Phlegmonem interiorem rubor non indicat, ſed ardor cum febre, dolor inflammatorius: Rigor inæqualis & inordinatus, extremorum refrigeratio, quia maior calor minorem ad ſe trahit, cucurbitulæ inſtar. Partes ferè omnes exercet, quarum diſſimilitudine differentes ſpecies conſurgunt, vnum & commune genus, ideóque prima & generalia remedia eadem ſunt, omnibúſque communia, particularia verò, diuerſa: Siue enim cerebrum, oculi, aures, facies, pulmones, pleura, diaphragma, vterus, veſica, iecur: ſiue brachia vel pedes inflammentur, quia morbi ſunt à ſanguine, vno & communi remedio nempè phlebotomia curentur: At ſitus, C conſtitutio & natura partis; tempus morbi, non tantùm diuerſa remedia, ſed eiuſdem remedij varium vſum & formulam indicant. Inflammatis partibus quæ ſunt ſupra thoracem, aperienda cephalica, niſi manifeſta plenitudo prius de fonte hauriendum ſuadeat: Inflammatis verò partibus quæ ſunt infra thoracem, vt ventriculo, hepate, liene, & quæ continentur in thorace, pleura, pulmone, ſepto tranſuerſo aperienda baſilica: vt ſi ſanguis ſuſque déque fluere videatur, aut non ſint conſpicuæ cephalica & Baſilica, communis: Inflammata veſica vtero, pudendo, vena poplitis tundenda, ſi non appareat ſaphæna: Renibus inflammatis, de brachio, vel de poplite miſſus ſanguis benefacit, ſeruata communitate quæ ſecundùm rectitudinem eſt: Inflammato oculo dextro, cephalica dextra; ſiniſtro, ſiniſtra aperiatur: Inflammato hepate, baſilica dextra; liene, ſiniſtra: Rene dextro, dextri brachij aut poplitis; ſiniſtro, ſiniſtri vena præferatur: Deinde vt qui iam fluxit vacuetur, proxi- D mum ventrem incidere oportet, vt in Angina venas quæ ſunt ſub lingua, in Ophtalmia naſi, aut alterutrius anguli. Viden' vt morbis ſyngeneis idem genere remedium conueniat, pro vario ſitu & conſtitutione partis diſtinctum? Pergamus, vtque topica remedia pro quatuor morbi temporibus varianda ſint breuiter exponamus. Si inflammatio interna, abſtinendum repellentibus, ne humorem quem forâs ferri optandum & arte procurandum eſt, intropellamus & impingamus. Si verò exterior & ſenſibilis fuerit, initio dum humor eſt in motu repellendum duabus præſertim circunſtantiis diligenter ſeruatis: ne ſit malignus & venenatus, vt in peſtilenti & venereo bubone, nec feratur criticè ad partem ignobilem, potiſſimum ad emiſſaria, vt in parotide, eóque minus ſi corpus adhuc impurum necdum fuerit repurgatum. Abſtinendum valdè aſtringentibus vt bolo armeno, acacia hypocyſtide, metu Gan- E grenæ, humor enim non difflatus, atque vt ita dicam incuneatus putret: Repellendo ſatisfacient, oxycratum, Ceratum refrigerans Galeni, vnguentum roſatum Meſuæ, nutritum, vnguentum de ceruſa Raſis, quibus ſi magnus ſit ardor adiungi poterit populeum. Si placet ex farina hordei cocta in oxycrato, aut oxyrhodino: Vel ex plantagine, Solano, Semperuiuo coctis in lacte, deinde contritis, fiat cataplaſma. In extremo dolore adde folia aut ſemen hyoſciami. In principio ophtalmiæ paretur collyrium ex aqua roſarum vel plantaginis cum oui albumine, pro quo diſſolue trochiſcorum albi raſis ʒj. & mucaginis ſeminis pſyllii ℥i. plus minus. Initio parulidis, antiadarum, paryſtæmiorum, Anginæ, ex aqua roſarum vel plantaginis cum ſyrupo vel melle roſato, myrthino, os colluatur. Nam in amygdalarum, Gargareonis, gutturis & faucium inflammationibus Meſue non probat vehementem

Guido decē circunſtātias enumerat quæ repellentium vſum diſſuadent.

gargariſmum,

A gargarismum, ne motu calor, cum calore fluxio augeatur, adiungi poterunt dianucum & diamoron: Galenus in tenui & acri fluxione magis probat vsum dianuci: At in phrenitide, peripneumonia, Hepatitide, pleuritide, vitanda sunt apocroustica, præstat oleo violarum & chamæmillæ caput, latus, pectus, hypocondrium dextrum illinere, vt ardor temperetur, dolor demulceatur, & cute relaxata aliquid transpiret, quod vt variandum sit pro natura partis proximus liber explicabit. Iam quid sit agendum in incremento, dum humor fluxerit, nec reuelli repellíque poterit, eadem breuitate & facilitate doceamus.

Si sanguis qui fluxit nondum fixus in parte videatur, aperiatur vena proxima, alioquin topicô dissipetur, atque, si fieri possit, totus insensibiliter resoluatur, paulatim à leuioribus ad valentiora progrediendo, vitando semper acria, ne nouam B fluxionem excitent: Initio ex rosarum, chamæmeli, & meliloti ana p. i. farinæ, fœnugræci, vel fabarum ℥j. simul coctis, deinde contritis, addito oleo rosato & chamæmillæ fiat cataplasma. In fine incrementi dum nullus rubor apparebit, paretur ex farina lupinorum vel orobi cum oleo anethino, aut ex thymo, pulegio, origano, cum semine lini, fœnugræci fiat decoctio pro fotu, residentia teratur, addito oleo lauri vel rutæ fiat cataplasma. In opthalmiæ incremento, ex mucagine fœnugræci, extracta primùm in aqua rosarum, cum eadem aqua vel plantaginis, In fine, (cum calor, rubor & dolor abierint) cum aqua fœniculi vel Euphrasiæ fiat collyrium: In oris inflammationibus dissolue diamoron compositum in decocto chamomillæ, vel fœnugræci, fabarum, quo os sæpè colluatur: In pleuritidis, peripneumoniæ, Hepatitidis incremento prædicta cataplasmata conueniunt, affectæ parti admota, C quemadmodum inflammato vtero, pubi apposita: clysteres primùm refrigerantes, deinde resoluentes in anum, atque si fieri possit in vterum iniiciendi.

Quòd si impactus humor, quia multus & crassus, discuti non potuerit, pepticis maturetur, qualia sunt mediocriter calida humida, vnguentum de althæa, de meliloto, Basilicum, diachylum simplex, tam magno & gummato in contumaci tantùm abscessu vtendum est: Ex folijs altheæ & caricis in aqua coctis, deinde tritis, addito oleo dulci, butyro, œsypo, aut aliquo ex prædictis: Si placet ex farina tritici in hydrælæo mediocriter cocta, fiat cataplasma. Facto pure, vomica scalpello aut cauterio aperiatur, quod fiat ex fermenti ℥ij. vitrioli romani, aut lythargyri, argenti sublimati ℈j. Ruptus abscessus curetur remedijs vlceris. Abscessus internos rumpunt diacalaminthes cum ptisana, aut diaprassium. Ruptis conueniunt Athanasia & Ambrosia, pro quibus theriacæ ʒj. ex aquis cardiacis pauperibus præscri-D batur: quæ sumpta rumpit abscessus internos, admota verò externos, simulque cor à putidis vaporibus puris defendit. Conuenitne purgatio cum suspicio est interioris phlegmones aut erysipelatis? non conuenit, præsertim vehementi: quidni? quia ducit ad partem affectam, & morbum auget: tum si vehemens fuerit, abstinendum erit diagrediatis, contenti erimus blandis cathartieis, vt manna, cassia, catholico. Ad quem scopulum plurimi offendunt, simúlque ægros ad interitum præcipitant. Præstat, nisi manifestè constet morbum non esse inflammationem, semper curationem inchoare à venæ sectione, eitque purgationi præmittenda.

DE ABSCESSV. CAP. IIII.

E INFLAMMATIONIBVS internis non minus quàm externis sæpenumero succedit abscessus, quando pepasmo terminantur. Imo verò quando vel malitia, vel quantitate humoris obruitur calor natiuus, intus vt foris degenerat in gangrænam. Vtrámque diligentiores Medici in dissectis obseruarunt. Obseruaui etiam non semel, non tantum epigenimaticum, sed etiam primarium abscessum. In imo ventre veluti pulticula magna continebatur, magna cysti, cuius mole non aliter tumebat abdomen quàm sub ascite. Ex materia hunc abscessum scitè atherima nuncupa ris. Nec dubium est alias quoque abscessus primarij differentias, Steatoma, & Melicerides, intus vt foris posse suboriri. Sed veteres talium morborum interiorum non meminerunt, quia nullis certis signis se produnt: quæ etsi dignoscerentur, frustra tentaretur eorum curatio. Fit etiam abscessus humoris decubitu, vt cum sanies in partem vicinam

deponitur, exempli gratia si Anginæ succedat empyema transcolato pure à faucibus in capacitatem thoracis, hunc abscessum veriùs ἀπόστημα dixeris quàm apostema. Non est prætereundum quando inflammatio non terminatur via suppurationis, sed putrefactionis; caloris alieni victoria, heterogenea multa intus vel foris apparere, vt cornua, vngues, lapides, pilos, vermes omnis generis. Quæ omnia nihil prohibet in abscessu primario reperiri, si quando humor valde putris è venis eruperit; Nam si talis abscessus aperiatur, exibit materia similis fæci aut oleo, cum insigni fœtore. Si differatur incisio, per moras resiccatus humor in prædicta conuertetur. A

DE ERYSIPELATE.

CAP. V. B

ERYSIPELAS est tumor à bile, discernitur à phlegmone, non tantùm colore, sed ardore & doloris specie; est enim bilis ardentior, facítque dolorem acutiorem, non pulsantem, quia tenui bile arteria non admodum premitur, nec tensiuum, quia copia & crassities cutim non adeo distendit, estque superficiarius & propè insensibilis tumor, non insignis, vt in phlegmone: Vt plurimum faciem occupat, quia bilis leuitate & calore sursum fertur, cutis illic tenella & rara, nulla tamen pars exterior neque interior inflammatur, quæ etiam non possit Erysipelate tentari. Phrenitis fieri potest à bile vt à sanguine, hæc phlegmone, illa Erysipelas cerebri definitur, discernuntur symptomatum vehementia, sunt enim à sanguine mitiora omnia, Delirium cum risu, febris non adeo acuta, dolor mitior, ardor longè minor. Iisdem ferè notis Erysipelas pulmonis à peripneumonia distinguitur, Inflammatis pulmonibus tanta oppressio in thorace sentitur, vt vix dilatari possit, iisdem Erysipelatosis spiratio liberior, sed ardor refrigerationísque necessitas maior, quæ à iuuantibus & lædentibus cognoscetur, frigidi enim inspiratu dici vix potest quantopere recreentur, Spiritum expirant feruentiorem, febris longè acutior, grauioribus comitata symptomatis, vigiliis, inquietudine, siti maiore, syncope, vomitu, vt est apud Hippocratem libro de morbis. Lingua quæ vt spongia supra sita est, à fumis biliosis arida, scabra, nigra: Meminit Galenus Erysipelatis, hepatis, ventriculi, vteri, vesicæ, sed nec proprijs nec communibus signis ab inflammatione separauit: Generalia ad singulas partes accommodare vnius & alterius exempli similitudine poterit medicus mediocriter prudens & eruditus. C D

Cognita caussa & specie morbi, remediis ex capite de febribus à bile repetendis, præparatus humor, pauca cassia vacuandus: sanguis mitti poterit ad temperandum ardorem, nil enim æquè refrigerat, sed timidiùs & parciore manu, quia morbus est à cacochymia, nisi sanguinis permixtione cum bile, fit Phlegmonodes. Topicum paretur ex aquis aut succis, lactucæ, cichorij, portulacæ, Solani, Semperuiui: seminibus frigidis, addito pauco aceto, quibus inculcatum linteolum superponatur parti, sæpe remoueatur, nec permittatur exsiccari, vel simul coquantur, terantur addendo olei rosati vel mandragoræ q. s. fiat cataplasma: Abstinendum frigidis siccis, vt plantagine, balaustiis, malicorio, quia astringunt & repellunt, eóque magis si Erisipelas fuerit internum: Enitendum potius vt balneo bilis foràs trahatur, transpiret, discutiatur, Diaphoreticis per sudores, diureticis per vrinas vacuetur, poterunt vsurpari quæ ad phlegmonem præscripta sunt frigidiora, vt Ceratum de cerusa cum populeo: videndum tamen, ex liuore partis, ne frigidiorum diuturniore vsu vertatur in gangrænam. E

DE OEDEMATE. CAP. VI.

OEDEMA est tumor à pituita, proinde laxus, mollis, albus, indolens, sine febre: quibus notis facilè à cæteris tumoribus distinguitur: Est quidem scirrhus tumor frigidus & indolens sed durus, Oedema si premas, cedit in se, vt cera mollis, digitíque prementis vestigium manet: Quamuis autem partes præsertim laxas, natura frigidas & imbecillas, vt pedes & scrotum exerceat,

Galenus 4. de prædictione ex pulsibus.

Hepar

A Hepar verò densum & robustum minimè: fieri tamen potest vt aqueus & pituitosus humor à cerebro aut ventriculo (vbi potissimum aggregatur) in alias partes, criticè vel symptomaticè transmittatur. Morbus est frequens, quia pituitæ magna copia: familiaris mulieribus, pueris, senibus, otiosis, denique natura, ætate, aut externa causa pituitosis: qui cum partes internas tam sæpe fatiget quàm externas, mirum cur veteres neque œdema neque scirrhum aut Erysipelas, vt inflammationem, pro ratione partium affectarum in suas vnquam species distinxerint, propriisque nominibus appellarint, nisi fortè placet Apoplexiam, cerebri, Anginam notham, gutturis & faucium, Asthma pulmonis, Leucophlegmatiam totius corporis œdema definire: Nolim tamen intemperiem frigidam cum materia, & œdema, calidam cum bile & Erysipelas confundere: quia fluxionem pituitæ frigida partis intemperies aliquando comitatur, potéstque curari tumor intemperie partis remanente cum
B materia, substantia scilicet humore tantùm perfusa: quid moror cùm Apoplexia, Asthma & Angina sint nomina symptomatum non morborum, actionemque læsam significent, non quod actionem lædit?

Attamen curationis eadem sunt capita: Causa antecedens præparanda & purganda remedijs quæ ad febres à pituita perscripsimus, Ad coniunctam admouenda, dum humor erit in motu calida astringentia, vt oleum de absynthio, de mentha, mastichynum, aut ex myrthi folijs, absynthio, mentha, saluia, rosmarino simul coctis, deinde tritis, addito oleo mastichino, myrrhino, paretur cataplasma: nunquam prætermittendum acetum, alioquin cùm humor sit crassus, repellentibus esset abstinendum: Galenus vtitur spongia recenti, quia desiccat facultate quam
C adhuc habet à mari, imbuit posca aut oxyrhodino vt incidendo repellat, Si desit, adde salem oxycrato vt vetus parem vim acquirat, aut vtere elychnio, pro spongia, habet enim vim siccandi: In quo habendam esse rationem partis affectæ ita ille admonuit, Hypocondrijs œdemate tentatis nocet spongia cum posca, licet conueniat laborante genu, Contra non est genu fouendum oleo absynthij, quod iecori & lieni ægrotanti plurimum prodest: podagræ tamen frigidæ, quæ humor est œdematosus, absynthium coctum & tritum forma cataplasmatis vtiliter admouetur.

Si pars œdematosa interior fuerit, vt cerebrum, nocent repellentia.

Resoluatur tumor cum oleo Irino, succo ebuli, diachylo, per se, aut commixtis: emplastro de meliloto cum oleo chamomillæ remollito, adde si vis styracem aut ammoniacum solutum in aceto: Si placet ex hyssopo, thymo, pulegio, origano, Calamentha, ebulo, seminibus anisi, fœniculi, fœnugræci fiat decoctio pro fotu,
D residentia teratur, & addito oleo chamomelino, Irino, anethino, Aut ex farina fabarum, Orobi, lolij, cum succo ebuli, sambuci, Brassicæ, vel oleis prædictis, fiat cataplasma: stercus vaccæ cum butyro aut oleo frixum, addita quarta parte sulphuris, aut stercus caprarum, columbarum cum aceto, fæx vini, bene faciunt.

Non est expectanda suppuratio: Itaque tentata resolutione, ferro aut cauterio aperiatur. Internum potione ex diaprassio vel diacalamintha cum ptisana: Abscessu rupto, sumenda, vt dixi, theriaca cum aquis cardiacis, quibus cor roboratum, à se longiùs repellat & forâs excernat noxium humorem, eóque alexiterio teter fumus & malignus expugnetur.

DE EMPHYSEMATE SEV PNEVMATOSI.

E

CAP. VII.

FLATVS inspatiis inanibus, poris scilicet aut cauitatibus collectus, partem attollit in tumorem, qui Græcis ἐμφύσημα, Latinis inflatio nominatur: fit autem flatus ferè ex pituita ab imbecillo calore: nam cruditates quas resoluere non potest imbecillus calor, vertit in flatus: Itaque ratione causæ communis, referri potest ad œdema, nec est nouum genus tumoris: Hinc est, ad causam antecedentem, cur Phlegmagogon, vt hiera picra Galeni, sumenda, iniicienda impetetur.

Dignoscitur renisu, neque enim cedit in se vt œdema, tensione sine sensu grauitatis, fit enim tensio ab humore aut à flatu, ab humore cum sensu ponderis, A flatu

cum ſenſu leuitatis: dolore mobili & vago, qui proprio remedio manifeſtius demulcetur, faciliùs enim quàm humor, flatus diſcutitur. Hoc genere continentur A Tympanites, cùm venter adeo tenditur, flatu intra peritonæum concluſo, vt percuſſus in modum tympani ſonet: Colicus dolor, quem parit flatus colon diſtendens: Pneumatocele, tumor in ſcroto à copia flatus, qui vulgo hernia ventoſa nominatur. Inflationes lienis, vteri, & ventriculi: Dolores tenſiui, qui ſub cute & in ſpatiis inanibus muſculorum à concluſo flatu frequenter excitantur dum membranas diuellit.

Omnium eadem ferè remedia pro partis ſitu & conformatione varianda: Nam ad colicum dolorem ex calidis incidentibus, qualia ad pituitam conueniunt, vt Hyſſopo, Thymo, Origano, Calamentha, baccis lauri, drageta communi, fit decoctio, in qua ad libram vnam colata, Hieræ picræ ℥ß. benedictæ laxatiuæ, confectionis de baccis lauri, diacumini ana ʒij. diſſoluantur cum oleo nucum, rutæ, B anethi vel lauri ℥iij. fiat clyſter, qui perſeuerante dolore iteretur, ex ſimili decocto fouendus venter, ex iiſdem oleis inungendus. Herbarum aucta quantitate paretur ſemicupium, ex iiſdem ſiccis, vel furfure milio addendo ſi placet flores chamomillæ & meliloti, ſemina aniſi & fœniculi, interſuatur ſacculus ventri admouendus, cuius loco ſuperponatur emplaſtrum de baccis lauri. Interea Dianiſum, Diacuminum, Aromaticum roſatum, Diagalanga, Diacalamentha, Diapraſſium, Dioſpoliticon, Diatriompipereum, Antidotus de baccis lauri, per os ſumantur, cum hydromelite aut decocto cinamomi. Ex quibuſdam vel omnibus parari poterit electuarium molle, vel durum, hoc modo.

℞. conſeruæ anthos ℥ij. Aromatici roſati, Diagalangæ ana ʒiß. diacumini & dianiſi ana ℈ij. cum ſyrupo de hyſſopo fiat opiata, ſi placet imminuta quantitate C conſeruæ cum ſaccharo in aqua fœniculi ſoluto fiat electarium per tabellas, quibus tentatis & victis remediis magna cucurbitula toti ventri admouenda.

Ad tympanitem eadem conueniunt iniecta, aſſumpta, admota: Interea proſpiciendum Iecori proprijs remedijs quæ liber ſequens ſuppeditabit. Ad vteri, lienis, necnon ventriculi, inflationem, non eſt opus alijs remedijs, niſi placet metrenchytes ex decoctionis ℥iij. additis herbis vterinis, vt arthemiſia, nepeta, matricaria. Ad herniam ventoſam non ſunt alia excogitanda remedia, In artubus, oſſium & muſculorum membranis ſi paucus ſubſit flatus, exigua tenſio, nullus dolor, ſatis erit linteolum calens cum frictione, aut ſpongia lixiuio imbuta: vrgente dolore oleum conuenit, quod relaxet ſimul & diſcutiat vt chamæmeli, liliorum, addendo oleum anethi, ruthæ, lauri: Quid multa? eidem cauſæ idem remedium, quod ſpectata natura & conformatione partis, tum pro magnitudine cauſæ, vehementia morbi & D doloris, augendum vel minuendum: paruo enim morbo parua, magno magna, extremo extrema debentur remedia, à leuioribus ad vehementiora paulatim progrediendo.

Paruo pedi non conuenit magnus calceus.

DE TVMORE AQVEO.

CAP. VIII.

A CRVDITATE in ſpatiis inanibus aqua colligitur hepatis imbecillitate: vt intra peritonæum, quæ aſcitem facit, aqueum hydropem, In ſcroto quæ hydrocelem, herniam aquoſam. In capite quæ hydrocephalon: In vtero E quæ ab Aetio hydrops vteri nominatur, cuius meminit Hippocrates lib. de natura muliebri: Generis nomen eſto, ſi placet, Hydrocele, nã tumor, quacumque in parte fuerit, generalius κήλη nominatur, ὕδωρ aqua: Hoc ego vix auſim ad œdema reducere, cum nec ſeroſus humor pituitæ ſit ſpecies (niſi generalius vſurpetur) nec phlegmagogo, ſed hydragogo purgetur, vt ſyrupo roſarum pallidarum, compoſito cum Agarico, aut qui ex Iridis pauco ſucco, multo ſaccharo, ad obtundendam acrimoniam, pro Aſcite præparatur: Braſſicæ marinæ (vulgò Soldanella dicitur) ʒij. ex ſero lactis vtiliter ſumuntur, vel,

℞. Soldanellæ, Cichorij, abſynthij, & Eupatorij ana mß. paſſularum ℥j. florum cordialium ana p. i. fiat decoctio. In collaturæ vna parte infunde Agarici non trochiſcati

A trochiſcati (ſic enim aquas trahit, vt in trochiſcos coactus cum vino infuſionis zingiberis, craſſam pituitam) ℥ij. In altera Rhabarbari ℈iiij. In expreſſione diſſolue ſyrupi roſarum ſolutiui ℥ij. ſucci ireos ʒij. fiat potus: hydragogis multa hepatica commiſcentur, ad robur. Ex folijs Ebuli & Sambuci ſimul coctis, deinde tritis, addito oleo Irino, ricinino, fiat cataplaſma: Vſus topicorum quæ ad œdema & empyſema præſcripta ſunt, ad hunc quoque tumorem non inutilis fuerit. Plura cum de hydrope.

DE SCIRRHO. Cap. IX.

B SCIRRHVS eſt tumor à Melancholia, proinde durus & indolens, ab humore enim craſſo & terreſtri non poteſt non eſſe durus tumor, niſi fortè aliis ſit permixtus, vt pituitæ, túmque ſcirrbus non ſimplex, ſed cum adiuncto œdematoſus appellatur: qui dolorem facit, eſt atrabilarius, & in cancrum degenerat, ſi mollientium vſu irritetur. Huius, vt neque exquiſiti ſcirrhi, non poſſit medicus certam ſanitatem polliceri: At ſcirrhoſus tumor, nec planè durus nec indolens, malacticis primùm emolliendus, deindediſcutiendus eſt: vt vnguento de althæa, diachylo magno vel gummato, emplaſtro de mucilaginibus, cerato œſipato; medulla cerui, aut bouis, quæ molliendo optimè reſoluit: ſi placet ex Althæa & violaria in hydrelæo cocta, trita, cum œſipo, oleo, butyro, adipe anſeris aut gallinæ, fiat cataplaſma; ouorum vitelli infecti croco permiſcentur ad mammarum duritiem, vel ad emplaſtrum de meliloto adde aliquid bdellij, galbani, ammoniaci, ſtyracis, terebinthinæ, cum oleo liliorum fiat C emplaſtrum molle, Caprillum ſtercus in oxycrato ſolutum ſummum eſt remedium, non niſi alijs victis vſurpandum: optimum quoque malacticum paratur ex veteri & vermiculoſo caſeo cum iure in quo ſuilla perna ad tabem coxerit, quod articulorum tophis miraculo prodeſt. Habendam verò rationem partis affectæ ita monet Galenus: Ad ſcirrhum lienis confert Ammoniacum in aceto ſolutum, lien enim gaudet acetoſis, cùm humore acido nutriatur: Tendinibus verò & ligamentis, maximè omnium neruis, eſt inimicum: Scirrho tamen vſu præcedentium remolito: Accipito pyritem, ſi deſit, molarem lapidem, vel ſilicem candentem, extinguatur aceto, cuius vaporem parte ſcirrhoſa excipiat, per interualla redeundum ad emollientia, ne aceti frequentiore vſu pars neruoſa offendatur. In liene & carne muſculi ſcirrhoſa, minori religione aceto vtimur, Caricæ pingues cum oleo capparorum aut D Iridis tritæ, lienis & hepatis ſcirrhis benefaciunt, ſed ad hepar ſcirrhoſum, cum ſit pars princeps, miſcenda ſunt ſemper mollientibus aromata quę calefaciant, tenuent, & leuiter aſtringendo roborent, vt,

℞. Oeſipi & medullæ cerui ana ℥j. ammoniaci in aceto ſoluti, bdellij, ſtyracis liquidæ ana ʒij. (hæc ad remolliendum) ſpicæ nardi, pulueris abſynthij, maſtiches, & aloës hepaticæ ana ʒij. (hæc ad robur partis) cum oleo de abſynthio & cera q. ſ. fiat ceratum.

Memineris tam ad externum quàm ad internum ſcirrhum, antecedentem cauſam præparare, deinde vacuare remedijs præſcriptis ab febres à melancholia, ante vſum topicorum.

E DE TVMORE ATRABILARIO, VT cancro apoſtemoſo. Cap. X.

CANCER eſt tumor atrabilarius, durus quidem vt Scirrhus, ſed cum dolore: Eſt autem ſimplex ſeu occultus, aut vlceratus: Vterque partes ferè omnes, maximè verò laxas & molles, vt mammas, occupat. Cùm primùm erumpit, vix excedit quantitatem ciceris, ſed paulatim in magnam molem aſſurgit, tum venæ in ambitu rument & liuent. Occultus non eſt attingendus, ne irritetur, fiatque ex ſimplici vlceratus: quia lenioribus vt emollientibus & reſoluentibus non cedit (quando quidem remedium oportet eſſe potentius morbo) vehementioribus, vt cauſticis, efferatur. Si à mammis exemeris, inquit Celſus, renaſcetur in vtero: Si de naſo, labris aut quauis alia

parte euulseris, tenascetur nouus in liene, à quo cita mors. Standum igitur Hippocratis consilio, quia, vt ille ait, si non attingatur, æger in longius vitam producet. Satis sit humorem per interualla præparare & purgare, venam secare, Hæmorrhoides & menses, si substiterint, prouocare, Abstinentiam alimentorum crassi succi imperare, vt impedias morbi incrementum. Pro topico, Bolus armena, terra sigillata, vel Tuthia; cum succis Solani & plantaginis agitentur in mortario plũbeo, cum pistillo plumbeo, fiat vnguentum vtrique cancro accommodatum: vel puluis paretur ex cancris fluuiatilibus aut limacibus in furno coctis, qui bolo aut Tuthiæ permisceatur, & cum iisdem succis eodem modo subagitetur; puluis crystalli plurimum laudatur: vtere etiam vnguento de ranis, vnguento de plumbo, Diapompholigos; Tenella fraxini folia in aqua coquantur, decocto pars foueatur, ex residentia paretur cataplasma, vtatur iusculo cancrorum fluuiatilium, lacte asinæ, Theriaca recenti: Balneo aquæ dulcis. Cancro vlcerato optimè facit admota plumbi lamina. Vulgus hanc curationem appellat palliatiuam, quæ tantùm blanditur malo, eiúsque prohibet incrementum.

DE ELEPHANTIASI.

CAP. XI.

EST Cancer totius corporis, proinde insanabilis: Cum enim Cancro non habeamus remedium potentius, de Elephantiasi quid sperare possis? Vt Elephas omnium animalium, sic Elephantiasis omnium morborum maximus: ex qua similitudine traxit nomen: Galenus quidem meminit quorundam leprosorum qui epoto vino in quod fortè vipera irrepserat, conualuerunt. Sed non est verisimile tam exiguo remedio tantùm morbum profligatum: Si tum, quidni hodie? Incipiens igitur non confirmatus morbus epoto hoc vino disparuit. Archigenes difficultatem curationis, in hoc potissimum referebat, quòd viscera priùs ista labe sint infecta quàm foris quidquam emineat: vidi porcum cui minima pustula suberat sub lingua, cùm reliquo corpore sanus videretur, talísque à lanionibus iudicabatur: facta tamen dissectione, inueni totam carnem grandine conspersam, quinimò sanguis percolatus, totus erat grandinosus; vnde cœpi suspicari eorum non leuem esse coniecturam, qui vt discernant Elephanticos, incisa vena, vasculis exceptum sanguinem percolant, quem si grumosum reperiant, inde latentis morbi coniecturam sumunt. Causas habet internas vel externas: In externis primas tenet contagio: nam si scabies fomite sit contagiosa: multo potius Elephas. Qui biberit in eodem vitro cum Elephantico, inquinabitur: Tument enim illi labra; éaque tabo seu saliua putri madent, quæ adhærescens vitro, morbum disseminat & in alios transmittit: Si compotatio inficit, multò potiùs congressus: Itaque sapienter à magistratibus extra pomœria ciuitatis ablegantur: vtinam vxoribus priuarentur, nam coitus illis est noxius, & prole Elephantica ciuitatem fœdant: leges tamen iubent vxorem sanam, maritum Elephanticum ad hospitium diui Lazari comitari, vt perpetuas vitæ miserias hoc veluti solatio leniant (sunt enim salacissimi.) Accedit quòd non alios inuenirent mensæ ministros. Adde quod mulieres, quia frigidæ, impunè congrediuntur leprosis: At qui scortum Elephanticum subegerit non effugiet contagionem: Cur morbus non tantùm est contagiosus, sed etiam hæreditarius? quia semen à toto deciduum, refert principum partium, imprimis hepatis, corruptelam.

Morbus sancti Lazari.

Proprio vitio sunt Elephantici, qui cum habeant natura Iecur retorridum, assans non elixans, Illud calfacientium multo vsu, vt meri, rerum acrium, piperatorum, salsorum, synapi, alliorum, pororum, cæparum, magis magísque incendunt: quam habebant ad morbum propensionem, contrario vitæ & victus genere non emendant, sed simili potius intendunt. Hinc rota sanguinis massa bilescit, Bilis per vstionis varios gradus tandem in atram degenerat, quæ in parte ad quam appulit Cancrum, in toto Elephantiasim producit: Augetur & acceleratur morbus, si imbecillus lien succum melancholicum non attrahat, aut sint obstructæ viæ. Quoties igitur facies leprosa & ficis fœdata, cutis aspera, qualis anserum, Psorica, venientis mali suspicionem iniiciet, Ad præcautionem, medicus calidorum vsu interdicat, eaque omnia

A omnia præſcribat quibus Iecur & ſanguis ad temperiem reduci poſſint: Purgationem ex chologogis frequẽtem: Hali Abbas purgat quadragies potione aliqua conueniente, vt Syrupis de Cichorio, de Epithimo aut Regis Sabor diſſolutis in ſero lactis, aut in decocto hepatico in quo ℥vj. foliorum ſennæ bullierint: iecur oleo roſaceo & pauco cerato ſandalino liniatur: lac aſinæ ſit in vſu frequenti: aut ſerum, præſertim caprillum, in quo fumaria & Epithimũ bullierint: Ingrediatur ſæpe balneum aquæ tepentis: Hæmorrhoides excitentur, Quinetiam vt magis refrigeſcat habitus corporis & in muliebrem ſeu frigidiorem naturam tranſmutetur, caſtrentur: Quod in prophilacticis eſt præcipuum, minus malum comparatum maximo habet rationem boni. Ego ſuadeo vt pueruli qui putantur nati ex parentibus leproſis, vel quorum natura manifeſtè eò inclinat, quàm citiſſimè euirentur. Tres veſicæ apparent in planta pedis infantis recenter nati ex parentibus elephanticis, quæ inciſæ valent ad præcautionem.

Therapeutica remedia leniunt aut celant morbum, eiuſque ſymptomatis ſubueniunt, cõfirmatum eradicare non poſſunt, viperis tãquam anguillis vtantur, bibant vinum in quo vipera fuerit extincta, nutriantur caponibus qui paſta ſint nutriti, confecta ex pane & carne viperina: Theriaca quoq; recẽti, vel ætatis mediocris ſępiſſimè vtantur. Sequẽs vſus decocti ranarum aut teſtudinum eſt ſingularis. Decoctum corticis vlmi medij, pro potu ordinario vtiliter ſudores & vrinas mouet, datur cum vino albo. Hydrargiroſim valdè laudo: nam veteres vnguento emulato cum mercurio ad lepram fœliciter vtebantur, quæ eſt ad Elephantiaſim proximus gradus. Itaque pinguedini viperarum, loco axungiæ, permiſcebis argentum viuum pręparatũ vt decet, ea proportione vt ad ℔j. pinguedinis addantur hydrargiri ℥iiij. me iudice pillulę
C mercuriales illis magis prodeſſent quàm lue indica correptis, ſi modò argẽtum viuũ refrigeret, vt Pharmacopęi exemplo demonſtratur, qui eo epoto imprudenter, ſanguine congelato interiit. Spagyrici longo & frequenti vſu auri potabilis leproſis ſanitatem pollicentur: Tanti pœnitere: remedium eſt grauius morbo, quin peiorem morbum, nempe paupertatem inducit. Vidi aliquoties tincturam auri, aurum potabile nondum vidi, niſi fortè limaturam auri vino aut aquæ cardiacæ permixtam, quam malim ſumere alicui conſeruæ cardiacæ commixtam. Fateor auri magnam vim præſertim in agendis: quid enim non poteſt? Tantam verò eſſe vt ſubſtantiam corruptam in naturalem reformare poſſit & veluti regenerare, nulla ratio mihi perſuadebit, quia à priuatione ad habitum non eſt regreſſus. Cæſalpinus frequenti vſu auri potabilis elephanticos fieri affirmat. Simile erat Ægyptiorum remediũ, lepra
D eratillis endimia; quæ ſi forte eorum regem præhendiſſet, illum in ſanguinem humanum tepentem immergebant, quem ex mactatis infantibus conquirebant: Crudelius morbo remedium, cui me iudice, plùs ineſt oſtentationis quàm veritatis. Cæterum quia magiſtratus ex renuntiatione medicorum verè elephanticos vrbe excludit, & ciuili priuat ſocietate, ne temerè ferant ſententiam elephanticos ex ſyndrome ſeu concurſu ſequentium ſignorum dignoſcent: facie flammea, ficis, craſſis & inuerſis labris, ſimis repandiſque naribus, atque vt dicam vno verbo, facie, ſatyri, cute aſpera, qualis elephanto, pſorica, leproſa, quæ frictione non tantùm in furfures, ſed in ſquamas reſoluitur, voce rauca, anhelitu putido, ſtupore tanto vt puncti non ſentiant: Iubebis ergo vt oculis clauſis locum acu punctum digito deſignent, hoc ſi non poſſint, & cætera concurrant, confirmatus eſt morbus, contagioſus, inſanabilis.

E

DE LVE VENEREA. CAP. XII.

HISPANORVM nauigationibus hæc merces ab India in Europam aduecta eſt. Indis eſt morbus patrius, non aliter quàm ſtruma Hiſpanis, lepra olim Iudæis, eorumque idiomate pũam nuncupatur: Europæis verò eſt popularis & contagioſus, Indos non affligit grauiùs quàm Variolæ pueros, habentque paratum remedium, nempe guaiaci recentis & ſucculenti decoctum, quod ad nos non niſi ſiccum, & exuccum defertur. Benigna natura vbi morbum, ibi poſuit remedium: Contagio non tantùm ſerpit coitu, vnde pudendagra, ad mentagræ ſimilitudinem à quibuſdam dicitur, ſed etiam ſuctu. Nutrix aliquando ablactantem inficit, viciſſimque infans ab eadem inficitur. Sed tum maligna vlcera in mammis primùm apparet, quemadmodum in pudendis,

cum à concubitu sumpsit originem. Obstetricis manum primum virus inficit, si ab
infecta infantem exceperit. Non dubito eum qui dormierit in linteis in quibus In- A
dica lue correptus, eo morbo corripi posse: contagionis seminario, nempè sudore,
aut vlceris maligni sanie, in linteis permanente, cum simplex scabies hoc modo sit
contagiosa.

Qui glandem habet detectam, huic morbo non admodum est obnoxius: Alio-
quin virus sub præputio latēs sensim gliscit in viscera, atque imprimis iecur, proinde
sanguinis massam inficit. Iudæi quia sunt Appellæ, seu recutiti, cum impuris scortis
minore periculo possunt concumbere. Cæteri statim à coitu penem abluant aqua
hordei, plantaginis, sua vrina, vt morbi sementem eluant.

Primum est vt dignoscas morbum, deinde vt cures: Dignoscetur antecedenti-
bus & adiunctis: antecedentibus, vt si æger suspicetur se cum impura rem habuisse. B
Si trium præcursorum aliquo fuerit infectus, Cãcro seu carie pudendi, Gonorrhœa
virulenta, aut bubone venereo: Augebitur coniectura si bubo retrocesserit, vel go-
norrhœa intempestiuè suppressa fuerit. Si quis horum, vt cancer, sit contumax, ne-
que cedat ordinariis & ex arte præscriptis remedijs, vt aquæ plantaginis, vnguento
Diapompholigos, aquæ aluminosæ, forti, cicatrix nihilominus dura permaneat, aut
curatus recrudescat, coniectura non est leuis, latere intus luis seminaria, delitescere
virus quod tandem se prodet. Periculum minus imminet si citò appareant: nam ve-
risimile est longa mora ad viscera virus peruasisse. Adiuncta morbi sunt, Alopecia,
pustulæ siceæ & rotundæ, huius morbi propriæ, maligna vlcera, Tophi, dolor me-
dios artus occupans, qui occidente sole quotidie exacerbatur, mitescit in exortu
solis: Ita illis dolet sternum, acsi manu comprimatur: malitiæ gradus imprimis di-
stingui debet, ne paruo pedi magnus aptetur calceus, lenis enim & incipiens lues le- C
ni remedio profligatur, vt hydrotico solo, inueterata vix vnquam perfectè sanescit,
ferè semper aliquod sui vestigium relinquit, leuis iudicatur quæ solo pilorum deflu-
uio se prodit, superficiarium est virus, necdum altè radices egit: Peior est quæ pustu-
lis & vlceribus innotescit, pessima tophacea quia virus ad solidas partes peruasit.

Curationis hæc sunt capita: purgandum corpus pro ægri temperamento potissi-
mùm confectione hamech, pillulis indis, de lapide, lazuli, foliis sennæ incoctis car-
diaco decocto, quia sub hoc morbo humor melancholicus imprimis peccare cre-
ditur: Vt Hali ad elephantiasim profligandam etiam quadragies corpus repurgan-
dum suadebat, sic expugnari posse hunc morbum quidam existimant frequenter,
vt viginti diebus continuis, iterata purgatione, quæ constet decocto ligni indici pro
vehiculo catharticorum hoc modo. D

♃. decoct. ligni indici ℔ vj. in quibus bulliant fol. sennæ mund. m. iij. radicis
tōrmētillæ & diptamni cretici ana ℥ß. Agar turbith Hermodactillorum, ana ℥j. sem.
cardui, citri, ana ʒij. flor. cordialium ana p. ij. fiat decoctio cuius colatura seruetur
ad vsum, vel ♃. salsæ parillæ minutim incisæ ℥ ij. infunde & bulliant in ℔ vj. aquæ
ad consumptionem duarum librarum addendo Agarici & Hermodactillorum ana
℥j. foliorum sennæ mundator. ℥ij. in Collaturæ ℥ iiii. pro dosi, dissolue syrupi regis
Sabor ℥i. fiat potio, continuet per viginti dies.

Huc pertinent pill. mercuriales quæ præter cathartica & cardiaca continent ar-
gentum viuum pro basi, nam etiam aduersus vermes quidā ausi sunt per os exhibere.

♃. massę pill. indarum aut de lapide lazuli ℥ii. pulueris auri, quo malitia argenti
viui corrigitur; pulueris diambræ & lætitiæ Galeni ana ʒii. argenti viui succo limo- E
num extincti ℥ß. misce diligenter, cum eodem succo fiat massā de qua quotidie ca-
piat pillulam vnam sex horis ante cibum continuet per triginta dies.

Quidam hydrotico, vt decocto, Guaiaci, salsæ parillæ, aut cynæ tenuiorē por-
tionem vacuant, crassiorem purgatione: vtuntur sudorifico quadraginta diebus:
octauo quoque die corpus repurgant, interea parcè & tenuiter viuunt.

Alij vtrumque amuletum coniungunt, per viginti dies sudorificum imperant,
deinde hydrargyrosim, litum ex argento viuo, ea proportione mixto cum axungia,
vt ad libram axungiæ addantur, hidrargiri succo limonum aut saliua extincti ℥iiii.
immixtis oleis vel vnguentis nerualibus, quibus articuli defendantur à malitia ar-
genti viui.

Antequam sudet, purgetur, vtraque basilica incidatur, & balneo aquæ tepentis
commit-

committatur, vt cutis spiracula sint liberiora, & humor liquatus, saliuatione copiosior effluat.

Quòd si displiceant inunctio & sudor, quia ægro non satis otij & temporis suppetat, gestet emplastrum Ioannis de Vigo, mora enim longiore aliquando morbum depulit quem inunctio & sudorificum non potuerant profligare.

Si placet loco opiatæ Fernelij, vtatur quotidie Theriacæ aut mythridatij ℥j. superbibendo decocti sudorifici ℔ß. pro dosi, continuet saltem per triginta dies, & capiat bis in die. Interim vtatur secúdario decocto, pro ordinario potu. Cæterum de tribus luis præcursoribus suo loco & ordine dicetur: Vt de gonorrhœa virulenta, vbi de simplici: de bubone venereo & pestilenti, vbi de bubone: de cancro, quando de malignis vlceribus.

DE VVLNERIBVS, QVORVM DIFFERENTIÆ, causæ, & euentus paucis explicantur. CAP. XIII.

VLNVS est solutio continui recens, & cruenta, in parte molli, ab externo aliquo effecta. Prima & vltima particula differt ab vlcere: Secunda, à fractura: Causa externa vel est animata, vt calcitratio & morsus animalis, nonnunquam venenati: vel inanimata, vt ensis, lapis; harum aliæ incidunt, vt gladius; aliæ contundunt vt malleolus & globulus sclopetorum, aliæ pungunt, vt acus & graphius: Aliæ vrunt, vt ferrum candens. Aliæ tendendo rumpunt, vt tortura, flatus: possis aliter hoc modo: Aut vulneratus ab aliquo est percussus, aut ex alto cecidit, aut occursauit in tenebris rei solidæ, vt currui, lapidi.

C Cæterùm appello partes molles non tantum carnem, sed etiam venas, arterias, neruos, siue sint similares, siue organicæ, eæque vel principes vt cor, iecur & cerebrum, vel necessariæ ad vitam, quamuis non sint principes, vt ventriculus, pulmo, vesica, renes: sine quibus viuere non possumus, quemadmodum sine naso, sine auribus, sine oculis, etiamsi minùs commodè & honestè. (Et truncas inhonesto vulnere nares) pro vsu & necessitate partis vulneratæ potest prædici euêtus; nam à corde, etiam in superficie vulnerato, expectanda mors: à iecore aut cerebro non ita, nisi vulnus fuerit profundum. Colum vesicæ, quia carneum tutò inciditur, vesica, quia neruea, minimè: Eadem ratione vulnus in tenui intestino lethale, in crasso, non ita, vulnus in articulis funestum, quia ibi nerui, tendones, & carne vacua sunt loca: Hinc dolores, vigiliæ, conuulsio, delirium, mors. Vulnera etiam ceruicis, iuguli, inguinum, magnarum venarum lethalia.

D

Possis etiam pro varietate causæ vulnus diuidere, & ex ea longitudinem aut breuitatem prædicere: nam inflictum vulnus à re incidente, citiùs sanescit, quàm à contundente, quia contusum putrescere priùs oportet, proindéque magis cauum reddi: Atqui replendum est carne priusquam claudatur. Itaque cum longiori tempore ad hoc sit opus, cæteris paribus tardiùs coalescunt à re contundente inflicta vulnera quàm ab incidente.

Facillimè omnium coalescunt vulnera longa, tardissimè rotunda in longum findenda sunt, vt faciliùs & citiùs agglutinentur. Sed cur vulnera rotunda difficillimè coalescunt? An quia omnium maxima, vt placebat Herophilo? minimè verò, quia, vt obiiciebat Asclepiades, scinduntur vt vniantur, incisione autem fiunt maiora: An quia in regeneratione carnis quiddam sanum poni necesse est veluti principium à quo incipit motus, in circulo autem, quatenus talis, nullum principium? An quia coalescunt facilius quæ conueniunt secundum angulum. In circulo autem nulli sunt anguli. Secamus igitur ad angulos acutissimos, vt caro citius regeneretur.

E

Vulnus etiam potest diuidi in simplex & cõpositum, siue causæ, morbo aut symptomati implicetur, potestque pro ista adiunctorum varietate euentus præuideri; nam vt est in aphorismo, vulneri superueniens conuulsio lethalis; delirium quoque lethale, vt & febris perseuerans: alienus color partis, ariditas cutis, qualis carnis salsæ: Inflammatio, Gangrena, ingens tumor apparens, subitoque disparens, funesta omnia.

VVLNERIS SIMPLICIS COMMVNIS *& ordinaria curatio.* CAP. XIIII. A

MEDENTIS primus & communis scopus, Quod solutum est reunire: atqui nunquam possis labra vulneris agglutinare nisi heterogenes si quid subsit extraxeris, vt pilum, grumum, globulum, telum, inde igitur exordienda curatio, veteres varia instrumenta descripserunt pro extrahendis telis quorum frequens erat vsus, recentiores pro globulis, cætera volsellis, forcipe, quin etiam digitis extrahuntur: sed prius vulnus dilatandum, si non satis dehiscat. Faciamus nil alienum subesse, mox de agglutinatione cogitandum erit, deiuncta vulneris labra, ligatura agglutinatoria in vnum erunt adducenda. Quòd si magnum fuerit vulnus, sutura est opus, fibulis, glutine, vt in facie. Ad eundem finem medicamento vtimur agglutinante, quod in exiguo vulnere sæpè solum satisfacit nostro instituto: in vsu est balsamum Christi, ex oleo, & vino, quo solo etiam sclopetorum vulnera, si fuerint simplicia, plurimi recipiunt sananda: alij applicant hederæ folia cocta in vino, alij laudant oleum abietis per se aut permixtum rosaceo. Alij Terebinthinam cum oleo hyperici, alij oleum myrrhæ: Galenus commendat folia Quercus, vulgus applicat herbam contusam quæ ab Hortulanis petum nuncupatur: varia balsama à viris doctis in eum finem describuntur, transcribam duo quæ vulnera, quamuis magna & profunda, primò die glutinabunt. Primum est eius modi. B

℞ Myrrhæ electæ ℥vj. mastices ℥viij. aloës hepaticæ ℥xviij. salis communis ℔j. contusa omnia per retortam lento igne distillentur, exhibit primum aqua, deinde oleum, quo etiam vermes necabuntur. C

Alterum balsamum.

℞ olei vetustissimi ℥iiij. Terebinthinæ puræ ℥viij. frumenti integri ℥iß. hyperici ℥ij. radicis cardui benedicti & valerianæ ana ℥j. thuris puluerisati ℥ij. radices & herbæ crassiusculè contundantur, deinde ponantur in olla & tantum vini affundatur vt immergantur: biduò infusis, oleum & frumentum superiniiciuntur, coquuntur omnia ad vini consumptionem, mox facta forti expressione adduntur thus & terebinthina, atque ita sinuntur bullire, asseruantur in vase vitreo. Abluitur primùm vulnus vino albo frigido, statim inungitur totum prædicto oleo calente: quod si fieri non possit, iniiciatur intra vulnus per syphonem. Confestim labra vulneris in vnum adducantur: deinde vicinę partes eodem oleo liniantur. Ad labra vulneris imponitur linteum eodem oleo imbutum, & supra hoc aliud, vino nigro expressum: mox alia lintea sicca quæ fascia continentur. D

Modus cōficiendi.

Vtendi modus.

Chirurgis in more est primùm apparatum conficere ex puluere rubro, subacto cum albuminibus ouorum, & totum vulnus in ambitu oleo rosaceo illinere vt hoc repellente prohibeant fluxionem. Puluis ruber fit ex thuris partibus duabus, sanguinis draconis vna, Boli armeni tertia parte: Guido suadet (nisi quid dissuadeat vt dolor) sinendum esse hunc primum apparatum per dies quatuor, transacto die quarto si non fuerit vulnus agglutinatum, vino aliquo styptico quale est Burgundianum, aut aqua vitæ esse abluendum, deinde puluerem rubrum terebinthinæ esse permiscendum. E

Faciamus vulnus esse magnum & profundum cum multa carnis ablatione, replendum erit vsu sarcoticorum: quemadmodum si fuerit sordidum, detergentibus erit purgandum, de quibus multa cùm de vlcere: nam cum primum vulnus desinit esse cruentum, saniemque aut pus incipit reddere, vlcus dicitur, debetque communi curatione vlcerum persanari, digestiuo, mundificatiuo, sarcotico, epulotico.

A *CVRATIO VVLNERIS COMPOSITI, inflammati, contusi, intemperati, dolorosi, aut quod adiunctam habeat conuulsionem, febrem, Syncopem.*

CAP. XV.

Si vulneri superueniat inflammatio, iam dictis remedijs illi succurrendum, venæ sectione, clysteribus, topico repellente, vt oxyrhodino, cerato Galeni, cataplasmate ex farina hordei & puluere rosarum coctis in oxymelite: atque etiam, si fluxio repelli non possit, cataplasmate resoluente, ex farina fabarum & puluere chamomeli coctis in vino, B discutiatur.

Ad vulnus intemperatum præscribantur intemperiei contraria; si frigidum, quæ calfaciant, vt fotus ex vino aut aqua vitę. Si calidius, quę refrigerent, vt vnguentum rosatum Mesne; nutritum, vnguentum de tutia.

Quod si vrgeat dolor, Anodynis placandus erit. Optima sunt anodyna quæ tollunt causam doloris, vt purgatio, venæ sectio, & alterantia quæ intemperiem dolorificam emendant, cataplasma quoque relaxans & resoluens. Quæ si non iuuerint, transeundum ad ea quæ ideo sunt anodyna quòd sint nostro calori analoga, vt cataplasma vulgare ex farina hordei cocta in lacte cum vitellis ouorum & pauco croco: aut ex pomo cocto in lacte, quod magni facit Rondeletius etiam in doloribus qui superueniunt vulneribus sclopetorum. Ad extremum imperentur narcotica, C vt populeum, opium lacte aut oleo rosarum, chamæmeli dissolutum, correctum duplo croco.

Ad vulnus contusum distinctione est opus: nam si iam putre & corruptum fuerit, vt in valdè magnis contusionibus, quod corruptum est mox abscindatur. Esto digitus adeo attritus, vt ossa ipsa sint contusa, quàm mox exscindatur, Si verò integris ossibus sola caro sit contusa, Celsi consilio coquatur malum granatum, cuius pars interior vnguento rosaceo misceatur; quo si nihil proficiatur, scarificetur, atque vt gangrena curetur. Verùm si leuis fuerit contusio, initio proderit repellens ex ouo integro agitato cum rosaceo, deinde resoluens: Sigillum beatæ mariæ forma cataplasmatis admotum est singulare, prodest etiam cuminum cum cera. Magnis contusionibus conuenit pepticum, non neglectis incisionibus, contusum maturetur, D tur, inquit Hippocrates. Nam phlegmone minus tentabitur, si celerrimè pus moueatur, libro de vulneribus. Caro contusa in pus vertatur, basilico, vnguento de althæa, cataplasmate ex radice liliorum & althæa cum sua radice, ficubus, seminibus lini & fænugræci: coquantur simul, residentia teratur, colletur, adde farinam tritici cum oleo liliorum vel chamæmeli, fiat cataplasma. Non vlceri, sed partibus adiunctis admouendum.

Ad contusionem totius corporis vt si quis ex alto in terram ceciderit Gal. iubet vt pelle arietis recens mactati æger inuoluatur. Cuius inopia totum corpus oleo liliorum & rosaceo liniatur: Interim dentur mumiæ ℈ij. cum vino: aut oxymelitis vel syrupi acetati ℥ij. coaguli leporis ʒj. cum aqua cardui, vt impedias concretionem sanguinis, & grumum si quis sit dissoluas.

Vulneribus aliquando superueniunt febris, syncope, & conuulsio. Ad febrem E præcesserunt remedia, purgatio, venæ sectio, apozema refrigerans, abstinentia vini. Ad syncopem describentur oportuniùs in particulari methodo quemadmodum ad conuulsionem, quæ si contingat ab inanitione, vt si hæmorragiæ succedat, prædicenda mors. Si verò à repletione (vt cum tumor qui apparuit repentè disparet) periclitatur: si adueniat puncto neruo, aut morsui animalis venenati, conuenient quæ ad punctum neruum & morsus venenatorum in chirurgia describentur. Ista generalia de vlceribus, vulneribus & tumoribus præmisi, quia partibus omnibus tàm internis quàm externis sunt communia. De vulneribus capitis, thoracis, & abdominis, in methodo particulari: vbi de fracturis & luxationibus, sunt enim morbi particulares.

Antequam ad particularem methodum aggrediar, operæpretium facturus mihi

videor si ex Gordonio potionis vulnerariæ descriptionem apponam; quam ego ma- A
lim vlcerariam quàm vulnerariam nominari, quia recenti vulneri non conuenit: ne fluxionem augeat & febrem excitet, sanguinem calfaciendo. Sed vlceri præsertim interiori, putri, sordido, cauo, fistuloso, siue sit primarium siue abscessui aut vulneri successerit: estautem eiusmodi.

℞. agrimoniæ, pimpinellæ, Bethonicæ, verbenæ, centaurij maioris, stœcados, saluiæ, pilosellæ, trium consolidarum, plantaginis, sanamundæ, rubiæ maioris, caulium rubrorum, pedis columbini, Callitrichi, absynthij Romani, tanaceti, linguæ auis, Hederæ terrestris, fragariæ, buglossi, gentianæ ana q. s. omnia, vel maior pars, contundantur, & bulliant in vino albo, addendo parum mellis, de hac potione sumat quotidie ieiunus cyathum dimidium, ad summum ℔ß. Si febricitet aut minuatur quantitas, aut abstineat. Decoctum Caryophyllatæ imprimis benefacit internis vlceribus. B

FINIS.

C

PARTICVLARIS METHODI MEDENDI

LIBER PRIMVS, IN QVO AFFECTVS INTERIORVM PARTIUM EXPLICANTUR.

D

PER IOANNEM RIOLANVM.

PROEMIVM,

IN QVO CONSTITVVNTVR TOTIVS artis tria fundamenta. Primum ducitur à remedio, éstque tripertitum. Secundum ab ordine seu legitima morborum & symptomatum collocatione. Tertium à parte affecta. E

QVEMADMODVM genera morborum fiunt species accessione partis affectæ, vt Phlegmone: vesicæ, vteri: Obstructio: mesenterij, iecoris, lienis. Vlcus: faucium, vteri: sic generalia remedia fiunt particularia si illis admisceas quæ cum parte affecta substantiæ quandam habent similitudinem, vt si catharticis indefinitis coniungas cephalica, hepatica, splenica, quorum beneficio facultas purgandi singulis partibus communicetur: in nobis enim vt in vniuerso est vis quædam discretrix, quæ composita alimenta & medicamenta secernit, secreta pro vsu & necessitate dispensat, cerebro pituito-

ſum, pulmoni bilioſum, lieni melancholicum ſuccum, cerebro cephalica, iecori ie-
A coraria, lieni ſplenitica. Illa ipſa eſt vis quæ in prima conformatione ex eadem maſſa
materni ſanguinis tam differentes partes ſecreuit, ex portione menſtrui bilioſa, bi-
lioſas; ex pituitoſa pituitoſas: vt enim mens Anaxagoræ architectrix ex chao, quod
appellabat mygma, res vſque adeo diſſimiles ſecreuit, quarum ordinem mundum
appellamus: ignea enim omnia coegit in vnum, & in ſupremo collocauit, terrena in
imo: ſic mens illa nobis communicata, vel potius cęleſtis calor, quæcunque ſym-
bolo ſubſtantiæ aut qualitatis nobis communicant alimenta, vel medicamenta
iuſtè diſtribuit: iuſta enim eſt natura, vnicuique ſuum reddit. Si turbith aut colo-
cynthidem incoxeris aquæ ſtillatitiæ aut decocto bethonicæ, ſaluiæ, efficies pur-
gationem cephalicam, quia vis purgatrix à bethonica propter ſubſtantiæ ſimilitu-
dinem definitè ad cerebrum traducetur, atque inde noxium humorem vacuabit, ſi
B laborent ſimul cerebrum, iecur & lien, coque ſimul cephalica, hepatica, ſplenitica,
natura communis vnicuique ſuum reddet, naturæ particulari quod conuenit iuſtè
diſpenſabit.

Hic eſt primus modus efficiendi particulare remedium ex generali; ſequitur
ſecundus.

Remedia omnia vel ſunt cathartica vel ἀλλοιωτικά. Cathartica verò vel ſunt defini-
ta, vel indefinita, appello hîc catharticum indefinitum, non quod cum delectu non
purgat, nam colocynthis pituitam; Scammonium bilem, elleborus melancho-
licum ſuccum definitè trahunt & cum delectu, ſed vndique & indefinitè, quia non
dixeris ex qua parte potiùs: definita verò certas partes reſpiciunt, vt hermodactyli
articulos: rheum iecur (illius enim vita & anima perhibetur) Agaricus cerebrum
C & vterum definitiùs quàm alias partes, ſenna lienem & oculos, caſſia & manna par-
tes thorace contentas, aloe ventriculum. Propterea quoties aliquis de articulorum
morbo conqueretur, præferantur hermodactyli: ſi iecur in vitio fuerit, deligatur
rheum: erunt verò definitiora, partique laboranti conuenientiora, ſi proprijs allio-
ticis immiſceantur, vt ſi hermodactyli coquantur pro articulis laborãtibus cum iua
arthritica & primula veris, ſi rhabarbarum maceretur in aquis ſtillatitijs endiuiæ, ci-
chorij, vel in decocto agrimoniæ, paſſularum pro iecore: ſi laborante cerebro aga-
ricum coxeris cum betonica, ſaluia, maiorana, ſerpillo, verbena. Pro vtero verò
cum arthemiſia, nepeta, matricaria: ſic efficies remedium duplici nomine defini-
tum, nempè purgantis ſimul & alterantis. Idem præſtabis ſi pro oculis ſennam co-
xeris cum euphraſia, fœniculo: pro liene cum cortice radicis capparis & Tamariſci,
cetrac, ſcolopendrij. Idem feceris ſi pro articulis pillulas de hermodactylis & ar-
D thriticas præſcripſeris, pro oculis pillulas lucis, pro cerebro coccias vel de agarico,
pro ventriculo aloeticas: verùm definitiùs adhuc reddetur remedium, quia non tan-
tum parti, ſed etiam morbo & cauſæ morbi accõmodatum, ſi in articulorum morbis
frigidis pillulæ de hermodactylis; vel arthriticæ maiores, in calidis minores præſcri-
bantur. In morbis oculorum à cauſa frigida, pillulę lucis maiores, in calida minores:
ſic tabellæ diairis & diatragacanthum conueniunt thoraci malè affecto: cum dele-
ctu tamen præſcribi debent, nec tantùm habenda eſt ratio partis, ſed morbi, quia
diatragacanthum frigidum calidis, diairis frigidis morbis pręſcribi debent, ecce ſe-
cundus modus; ſequitur tertius.

Si catharticis, & allioticis coniungas ea quę certis morbis reſiſtere longa expe-
rientia demonſtrauit, haud dubiè efficies valdè proprium & accommodatum reme-
E dium: vt ſi epilepticis epileptica, pleuriticis pleuritica, aſthmaticis aſthmatica, cy-
nanchicis cynanchica, arthriticis arthritica, iſchiadicis, iſchiadica, nephriticis ne-
phritica pręſcripſeris: exempli gratia, ſi agaricum pro epilepſia delegeris, illudque
coxeris cum betonica, ſaluia, maiorana, ſerpillo, adiectis ſemine & radice peoniæ,
efficies non tantùm cephalicum, ſed definitè epilepticum remedium, vel ſi conſer-
uis cephalicis, vt betonicę anthos, ſaluię ſtœchados immiſceas, vngulam alces, viſ-
cum quernum, cranium hominis, erit epilepticum, Ita ſi pleuritico pręter caſſiam
& mannam, præter bechica, vt ſyrupos violarum, capilli veneris, de glycyrriſa, de
tuſſilagine, tabellas diatragacanthi, vel diairis, dederis, raſurę dentis apri, vel puden-
di cerui ʒj. efficies remedium verè pleuriticum, Atque ita efficies cynanthicum, ſi
his quæ ad anginam pręſcribi ſolent tam aſſumendis, quàm admouendis permiſceas

cynanchica, vt stercus canis, vel nidum hyrundinis.

Mille pedes peculiariter dicuntur prodesse asthmaticis, Gal. eos vrit in furno, au- A
ctore Asclepiade; Paulus Ægineta frigit in sartagine vsque dum albescant, pulueris exhibet ʒj. cum hydromelite vel aquis, scabiosæ, pimpinellæ, adianti: Millepedes 12. in vino albo coquunt, quod colatum & pauco croco, vel cinamomo dulcoratum exhibent.

Instat vt ad secundum fundamentum methodi particularis aggrediamur, quod quidem à Galeno ipso constitutum est, sed vt dicam liberè in libris κατὰ τόπους negligentissimè obseruatum: ille enim demonstrauit omnia symptomata ex aliquo morbo veluti affectum de sua causa dependere: Demonstrationis hæc fuit vis.

Morbus est affectus præter naturam, actionem primò lędens, proinde primum genus symptomatum, nempè actio lęsa, à morbo aliquo immediatè dependet: Atqui B
ad actionem læsam sequuntur immoderatio in excretis, & affectus simplices: Itaque semper morbus aliquis symptomatum est causa; si non immediata, saltem mediata: quorum omnium ea ferè est consequutio, vt aliquam actionem lęsam sequatur excretorum & retentorum ἀμετρία: hanc verò qualitates pręter naturam immutatę. Cur cutis aurigine fœdatur? quia bilis redundat: cur ita? quia iecur malè sanguificat, assat quippe, non elixat. Cur assat? quia in excessu calidum. Itaque cùm affectuum omnium contra naturam depulsio pendeat à remotione causę, Siue docenda, siue exercenda sit medicina, primùm ad morbos veluti ad fontes & causas symptomatum omnium attendere oportet, deinde lęsas actiones cuiusque partis contemplari; postea quę sit in excretis immoderatio, postremò affectus simplices: hunc ordinem C
quisquis in docenda faciendaque medicina obseruauerit, hęc consequetur commoda: primum quòd nullum affectum contra naturam prætermittet. Secundum, quòd singula ad suum genus reuocabit. Tertium, quòd intelligetur facilè eo seruato ordine, vt vnus ex altero dependeat, quod est in medendo pręcipuum. Gal. in particulari therapeutica vix vnquam meminit morborum: symptomata verò non omnia explicat, confusè sanè, & neglecto eo quem ipsemet constituerat symptomatum ordine: Nos singula ad suum genus reducemus: Primumq; de morbis cuiusque partis, mox de tribus symptomatum generibus constituto ordine disseremus, ne minimò quidem prætermisso.

Sequitur tertium fundamentum à parte afflicta, de quo multa Galen. in generali methodo, mallem illa ad particularem remisisset, generalesq; indicationes in generali: particulares in particulari demonstrasset: omnia enim suo loco & ordine docen- D
da sunt, generalia in generali, specialia in particulari disciplina: appello generales indicationes quæ non tantùm in morbis totius, vt in Febribus, verùm etiam in morbis cuiusq; partis tam externis, vt in vulneribus capitis, thoracis, abdominis, quàm internis, vt cerebri, pulmonis, iecoris diligenter obseruari debent, præsertim cùm de magnis remedijs, purgatione, aut venę sectione cogitatur: primæ & generalissimæ illę sunt quæ à morbo & ęgri viribus petuntur, deinde quæ à temperamento totius, ætate, sexu, vitæ consuetudine; quinetiam à temporis constitutione, vt purgationes esse difficiles sub cane & antè canem. At quæ sumuntur à partis affectę temperie, situ, dignitate, conformatione, sensu obtuso, aut exquisito, sunt particulares, de quibus solis hoc loco transigemus, generalibus prætermissis.

A temperamento partis, vt quæ sicciore fuerit natura, si quando à natiua illa temperie recesserit remedijs siccioribus ad naturam reducatur, aures humidiores, in cau- E
sa pari, sicciora remedia postulant quàm oculi: Os vt siccissimum, ita siccissima desiderat quoties fuerit iusto humidius: quia vt maior est lapsus à valdè sicco ad humidum, quàm à mediocriter sicco: ita longior est & difficilior regressus.

A dignitate partis, quia partes nobiles maiore cura tractari debent, quàm ignobiles, astringentia ad earum robur immiscentur, quamuis morbus non talia postulet, quia pro cæterarum partium salute laborare debent etiamsi fuerint valetudinariæ. Hac indicatione neglecta Thessali quidam discipulus Theagenem Physicum interfecit, vt est apud Gal. 13. methodi.

Pro sensu quoque partis obtuso, vel exquisito fit delectus remedij: oculi enim propter insignem sensum non tolerant acria, vt acetum, etiamsi morbus talia postu-

A let, Alijs partibus inflammatis initio ad repellendum præscribi solent oxycratum, aut oxirhodinum, neutrum conuenit oculis inflammatis.

Situs quoque partis indicat genus remedij: Nam quo longiùs abest, eo potentius remedium deligendum est, quia illius vis tractu longiore obtunditur, saltem quantitas pro distantia augenda est: exempli gratia, longissimus est ductus ad pulmones, quando ventriculo exceptum medicamētum eò peruenire volumus, proinde tanto fortius deligatur remedium, quanto suspicamur per moras illius vim immutari: Ita pro situ morbi & morbificæ causę proprium remedium seligitur. Esto sedes morbi in prima regione (quæ ad conuexa vsque hepatis extenditur) minoratiua seu eccoprotica satis erunt, nisi humoris contumacia maius remedium postulet, vt pituita vitrea in colico dolore. Verùm si in tertia regione sit sedes morbi, diagrediata vsurpentur, aut quæ constant colochyntide. Mediam regionem abun-
B dè repurgant, vt venam cauam, his interiecta, siue mediocria cathartica, Rheum, senna, & agaricus, quorum catharticorum delectum indicant situs morbi & sedes causæ morbificæ.

Remedij verò qualitatem, qualitas humoris morbifici demonstrabit, vt si pituita morbum faciat, phlegmagogum præferatur, si bilis colagogum, benignum, fortè, aut mediocre, prout in prima, secunda, aut tertia, regione residebit.

Conformatio non tam indicat genus remedij, quàm viam per quam humor peccans commodiùs expurgari debeat, cerebrum potissimùm per nares & palatum errhinis masticatorijs & gargarismis expurgandum ostendit capitis conformatio. Partem gibbam hepatis per vrinas, cauam per sedem & aluum commodius expurgari, ostendit Anatome: nam renes de vena caua per emulgentes cum sero exugunt
C noxium: Vena autem porta surculos ad intestina transmittit, per quos & sese & partes vicinas exonerat. Intestina per aluum, ventriculum susque deque, vomitu & deiectione vacuari, nemini est obscurum. Infarcti pulmones non possunt alia via quàm per asperam arteriam expurgari, rarum enim est & prodigio simile, si quando per vrinæ aut stercoris vias à natura repurgentur. Rara autem, vti non sunt artis, ita neque ab artifice imitanda: vt enim natura est ordo vniuersi, ita soli motus naturales haberi debent qui sunt ordinarij. Extraordinarij verò & rari vt non sunt naturales, ita neque à naturæ ministro imitandi. Iuuari tamen debet naturæ conatus, si fortè ipsamet aliquid tentet per extraordinarias vias, vt si pulmonum vomicam per renes vacuaret, vsu diureticorum iste conatus esset adiuuandus: si per aluum, clysteribus aut cassia facilitanda esset excretio. Cur ergo, dicet aliquis,
D in morbis pulmonum medici præscribunt cathartica? Respondeo aut præscribi tantùm leuiora, vt cassiam, mannam, aut fortiora quidem, sed ad causam antecedentem, non ad coniunctam, tollunt morbi fomitem, impediuntque ne nouus humor eò confluat, interim dum bechicis per fauces & asperam arteriam coniuncta vacuatur. Quæquidem ferè omnia deprompta sunt ex libris Galeni de methodo medendi. Verùm non conuenit illi cum Thessalo: nam Thessalus negabat in medendo indicationem sumendam à parte affecta, sumebat tantum indicationem à morbo, eoque modo promittebat intra sex menses absolutam artem medendi. Ego verò, inquit Galenus, intra sex dies idem polliceor si negligatur, ea quæ à parte sumitur indicatio. Quid si Thessalus in externis quidem morbis, vt in vlceribus externarum partium, habendam rationem partis confiteatur, in internis verò,
E vt pulmonum, renum, ventriculi, vesicæ vlceribus, in obstructione mesenterij, iecoris, lienis totum medentis scopum dirigendum esse in morbum? detergendum quippe vlcus quacunque in parte fuerit, si impurum; deinde replendum carne, si cauum; postremò consolidandum: toto verò illo tempore exsiccatur, quia detergentia sarcotica & epulotica desiccant: obijciet Galenus, detergentium & incarnantium plures esse gradus: quibusdam vlceribus leniter, alijs valdè detergentia conuenire, quorum delectus fieri debet indicatione sumpta à parte vlcerata. Quid si Thessalus hoc perneget, horumque delectum pendere ab vlcere plus minùs impuro aut cauo defendat? nam medici dogmatici hodie iisdem ferè remedijs interiora omnia vlcera percurant: vtuntur enim aqua hordei, hydromelite & lacte asinæ, ad detergendum: deinde lacte capræ ad incarnandum, postremò lacte ouis ad consolidandum: portiones quoque vulnerarias ad istos omnes vsus imperant in vl-

ceribus quarumlibet partium, hydroticum quoq;, aquas Spadenses vel Niuernenses. Item obstructioni medentur tam mesenterij, renum, iecoris, quàm alterius cuiusuis partis, de oppilantibus, quæ aperiant & detergant, vt data terebinthina Veneta, ammoniaco, vel decocto cicerum, indicatione remedij sumpta à genere morbi, non à qualitate, vt temperie, situ, conformatione partis affectæ. Laboret pars aliqua interior intemperie calida, præscribemus remedium refrigerans, quod recedat à medio pari gradu. Faciamus iecur, lienem, ventriculum, vesicam, phlegmone obsideri; ijs omnibus initio generale remedium nempe phlebotomiam imperabimus: pro topico verò oleum rosaceum cum pauco aceto. Sanè in immensum ars excresceret, essetque infiniti laboris methodus particularis, si pro singulis singularum partium commemoratis circunstantijs immutanda essent singula remedia in singulorum morborum curatione. Thessalus pro suo discipulo, quem Galenus scribit Theagenem interfecisse, quòd omisisset astringentia in partis principis curatione, respondebit fortassis tribus causis abstinendum esse astringentibus (nisi morbus, vt laxitas, ita postulet) primò, quia impediunt difflationem, secundò, quia obstant ne vis proprij medicamenti & morbo conuenientis, ad partem vsque liberè peruadat, astrictis cutis spiraculis: tertiò, quòd medicamenti (exempli gratia, pro duritie) remollientis vires infringantur, quandoquidem quæ emolliunt, solent esse calida humida; quæ adstringunt, frigida sicca: ergo non absurdè Thessalus in depellendis morbis partium internarum negabat tam solicitè habendam esse rationem partis afflictæ, præcipuamque indicationem à morbo ipso desumendam contendebat. Itáne, dices, pars nihil omnino indicabit? Imò verò, vt dixi, indicabit quod est in medendo præcipuum, nempè genus remedij tam purgantis quàm alterantis: vbi enim innotuerit cerebrum laborare, non tantùm agaricum præ cæteris catharticis seligemus, sed etiam cephalicis permiscebimus, à quibus illius vis purgatrix ad cerebrum transmittatur, quomodo ausim intra quatuor menses perfectam Therapeuticen polliceri, dum modò auditor, generalis methodi non sit ignarus. Quam non miror à Galeno à particulari non satis fuisse distinctam, cùm toties scripserit non referre si genus an speciem morbi dixeris: Methodum esse generalium, exercitationem particularium: Methodum cerni in vniuersalibus præceptis, exercitationem in particularibus exemplis. Plurimum interesse si genus an speciem morbi dixeris, ijs manifestum est qui norunt hepatitidem esse speciem inflammationis: vtriusque sua est methodus, vtraque vniuersalis. Curatio verò hepatitidis in Socrate aut Platone, exercitatio est, praxis generalis methodi. Galenus ipse cōmentario ad primum Hipp. de diæta in acutis, vtramq; distinguendam agnoscit, vbi ita scribit. Artis omnis distinctio nascitur ex propriorum à communibus distinctione, quæ quisquis potest distinguere, optimus artifex iudicetur.

ARTIS CVRANDI
MORBOS INTERNOS,
SECTIO PRIMA.

Quæ affectum capitis, dignotionem & curationem explicabit, cerebri scilicet, oculorum, aurium, narium, oris, & faucium, quorum

MORBI ET REMEDIA ARTE PERQVIRVNTVR, in cæteris singularum partium morbis deinceps obseruanda.

CAP. I.

MORBI cerebri, vt ceterarum partium sunt similares, organici, vel communes: Similares, intemperies simplex vel composita; nuda, vel cum materia, naturalis aut aduentitia: Intemperies omnis lædit actionem partis prout similaris est, hoc est naturalem actionem, cuiusmodi sunt quæ seruiunt nutritioni, at-

A tractio proprij alimenti, eiusdem retentio vel assimilatio, deinde reliquiarum excretio. Est autem cerebrum pars spermatica, exanguis, frigida, nutriturq; sanguine pituitoso, proinde si præterea accedat illi intemperies frigidior pessimè coquit, & coctionis reliquias peius excernit, inde frigidi morbi, in cerebro per congestionem, in subiectis partibus per destillationem. Vt organum verò destinatū in meliores vsus, laborat vitijs numeri, magnitudinis, situs aut conformationis: nulli sunt morbi numeri, neq; situs, si qui sint magnitudinis, vt si cui paucum sit cerebrum (locatum enim debet esse æquale suo loco) quidam autem nascuntur pusillo capite, proinde pressiore cerebro, quibus idcirco Iupiter dicitur mentem eripuisse: nam homo comparatione cæterorum animalium, debet habere amplissimum cerebrum. Eiusmodi morbi, quia sunt insanabiles, sunt prætereundi. Vitia conformationis sunt in figura, meatu, asperitate & leuitate: cerebrum proportionatum suo cranio potest quidem, vt cra-
B nium malè figurari, naturalis autem figura capitis ea est, vt sit è fastigio depressum, ab hac figura quò longius, recedit, eò deterius. Sed quid facias latenti vitio, cùm manifestum, vt acuminatum cranium, quale erat Thersitis, emendari non possit? Asperitatis verò & læuitatis nulli quoque sunt morbi. Itaque ex omnibus morbis instrumentarijs, sola restat obstructio, quæ medici opem admittit. obstruuntur verò, aut ventres omnes simul, vt Apoplexia; vel anteriores tantùm, vt Epilesia; vel posteriores, vt lethargo & catalepsi. Quæ omnia symptomata quamuis longissimè differant, tamen ex eodem morbi genere procedunt, quòd pro locorum dissimilitudine, dissimiles species constituit, ne quis ex Aristotele obijciat vnius causæ vnicum esse effectum.

C Morbi communes, sunt tumores, vlcera, vulnera, luxationes & fracturæ. Posteriores duo non cadunt in cerebrum, vlcerari quidem potest & vulnerari, sed insanabiles sunt affectus, nempe sunt huius loci. Supersunt itaq; tumores, phlegmone, Erysipelas, œdema & scyrrhus: Non est obseruatum cerebrum scirrescere, aut in lapidosam duritiem concrescere, quia substantia constat molli: neque etiamsi de illius scyrrho constatet, percurari potest: itaque alij tres tumores supersunt quibus non raró afficitur. Nam phrenitis fit partim à phlegmone, partim ab Erysipelate cerebri, quo nomine etiam meningas comprehendo. Nam desipientia mitis, & quæ cum risu est, fit à sanguine: ferina verò, à bile vel à sanguine bilioso. Arabes lethargum, Oedema cerebri definiunt: Itaq;, vt paucis concludam, quinq; duntaxat genera morborum quę curationem admittunt, cadere possunt in cerebrum: Intemperies omnis, obstuctio, phlegmone, Erysipelas & Oedema.

D Singula tribus potissimùm modis distinguuntur, primò ex proprijs effectis, vt intemperies frigida humida, mentis stupore: Sicca, immoderatis vigilijs: calida: delirio: Obstructio anteriorum ventriculorum ἐπιληψία: posteriorum, veterno & κατάληψις: simul omnium, ἀποπληξία: Nam effectus immediatus est signum ἀποδεικτικὸν suæ causæ, proinde si quis sit epilepticus, haud dubiè illi obstruuntur anteriores ventres cerebri. Est lethargicus seu somnolentus cùm febre, ergo posteriores. Si apoplecticus, omnes simul ventres illi opplentur humore superfluo, & excrementitio. Si phreniticus, vel inflammatum habet cerebrum, vel Erysipelate obsessum: Talia signa medici vocant pathognomonica, Physici τεκμήρια, à quibus ducitur ἀπόδειξις τεκμηριώδης, ex certo signo necessario concludens demonstratio. Symptoma morbum non aliter quàm vmbra corpus comitatur, ideoq; certus fidelisque
E est internuncius suę causę: faciamus alicui esse obtusum & plumbeum ingenium, non tantùm verisimili coniectura, sed signo necessario concludes illi esse frigidius cerebrum & humidius. Fatuitas est certa nota cerebri frigidi. Si peruigil, siccius. A iuuantibus quoque & lędentibus morbi species internoscitur: nam calidi morbi offenduntur calidis, frigidorum moderato vsu recreantur. A doloris quoque specie morbus conijcitur. Nam pūctorius est proprius meningum; si fuerit interior, si exterior pericranij: dolor pulsans ostendit aut arteriam premi phlegmone, aut saltem arteriosum sanguinem valdè incaluisse, proprerea necessariam esse φλεβοτομίαν, In eaque multoties repetita singulare esse præsidium. Obtusus dolor humoris copia grauari cerebrum indicat, pertinetque ad cerebrum ipsum, non ad membranas.

Considerandum etiam atque etiam quonam æger sit temperamento, biliosúsne,

pituitosus, melancholicus, an sanguineus; ætatis quoque & temporis habenda ratio. A
Propterea quòd verisimile est iuuenem biliosum, æstate, morbo calido teneri: senem, pituitosum, hyeme, frigido: Quæ coniecturæ in turba aliquid necessariò concludunt.

Ecce methodus constituendi simul & dignoscendi omnes morbos cerebri, sequitur vt de symptomatis pauca subiungamus priusquam omnibus communia remedia explicemus.

Notæ sunt tres differentiæ symptomatum, actio læsa, excretorum retentorumq; ἀμετρία & affectus simplices, ad quarum aliquam, quotquot occurrent deinceps, singulorum morborum accidentia morbosa, reduci necesse est. Actio autem omnis cuiuscunque partis, tribus tantùm modis læditur: abolетur enim, minuitur, aut deprauatur: solet aboleri & imminui, frigida & humida causa: deprauari, calida B
& sicca.

Actiones cerebri siue sint principes, vt ratiocinari, imaginari, & recordari: siue minùs principes, vt mouere corpus, & obiecta sentire, horum modorum aliquo læduntur. Aboletur discursus siue ratio, Amentia, minuitur fatuitate, deprauatur delirio: delirant autem phrenetici, melancholici, maniaci: phrenetici cum febre, melancholici sine febre. Quibusdam melancholicis non tâtùm ratio, sed etiam phantasia læditur, imaginantur enim quæ neque sunt vsquam, neque possunt esse profectò, vt se viuere sine capite, se esse angelos non homines, propterea sibi neque esse edendum neque bibêdum: lycanthropi putant se esse lupos, Vertiginosi omnia in circum verti: demorsi à cane rabido, fiunt tandem hydrophobi, falsam de aqua opinionem concipiunt, sibiq; ab illa adeo metuunt vt refugiant potum, quanquam sit aqua corum siccitati singulare remedium. C

Memoria minuitur intemperie frigida, nonnunquam etiam aboletur: nam Messalla Coruinus ex frigido cerebri morbo in proprij nominis obliuionem inciderat. De motus, & sensus læsione suo loco. Proximum est vt commemoratorum affectuum cõmunia remedia explicemus. Ea autem vel sunt generalia quæ tollunt antecedentem causam, à qua primùm fit & fouetur morbus, plethoram scilicet & cacochymiam: qualia sunt purgatio, & venæ sectio: hęc plenitudini, illa impuritati succurrit; Vel topica, vt quæ repellunt à parte, vel quæ quod iam ad partem influxit discutiunt & resoluunt, omnia parti afflictæ applicanda, Alia intermedia quæ materiam morbificam & coniunctam per patentes vias vt nares, os & palatum vacuant. Quæ per nares, errhina nominantur, (in quorum censum referri possunt sternutatoria) per os & palatum cerebrum expurgant, gargarismi & apophlegmatismi: Tenuior enim pituita per os masticatorijs attrahitur, crassior verò per palatum, gargarismis. Itaque D
non potest commodiore quàm hoc loco de his remediorum formulis & generibus tractari.

Purgatio non tantùm humori purgando accommodanda est, sed etiam parti laboranti: esto morbus à bile, præscribetur cholagogum, illudq; non leue, quia humor morbificus residet in tertia regione, conuenietq; potius solida, vt catapotiorum forma, quàm liquida: vt longiore mora è longinquo potentius trahat, cæteris paribus præferatur catharticum definitum, vt agaricus in cerebri morbis à pituita, adiungaturq; semper cephalicis, quinetiam (quoties occurrent) morbum antipathia oppugnantibus, vt epilepticis. Ergo in morbis à bile præscribes pillulas aureas, vel sine quibus, In affectibus pituitosis pillulas de agarico vel coccias, quę habent colocyntidem pro basi, in melancholicis pillulas de fumaria, vel si vis fortiores, pillulas indas siue ex elleboro, vel de lapide lazuli, quæ in causa mixta hoc modo permiscentur, ℞. massæ pillularum cocciarum & indarum ana ℥.ß. cum syrupo de stœcade fiat quinque pillulæ molles, aut ℞. pillul. de agarico & aurearum ana. ℈ii. cum aqua betonicæ vel saluiæ, infusionis trium granorum diacrydij fiant sex pillulę molles, sumendæ hora somni, deaurentur. E

Possis dare cum aquis cephalicis ad summum ℥vi. diaphœnici, pro pituita, diapruni solutiui pro bile, aut confectionis hamech, pro qualitate humoris peccantis. ℞. cuiusuis horum ℥vi. dissolue in ℥iiii. aquæ betonicæ, vel saluiæ, vel in decocto betonicæ, verbenæ, maioranæ, saluiæ, serpilli, fiat dosis. Cassia damnatur in morbis cerebri, quia vaporosa, fumis replet caput. Proponam hic potionum duas formulas

mulas quę poterunt esse instar omnium: In morbis frigidis ℞. seminis & radicis pęo-
A niæ ʒ. ij. Betonicæ m. j. florum anthos & stœcados ana p. j. fol. sennę mundatorum ℥ß. fiat decoctio, addendo sub finem agarici nodulo inclusi ʒ. ij. zingiberis ʒß. in colatura pro dosi dissolue syrupi de stœcade ℥ß. In morbis calidis ℞. rhabarbari electi ʒ. ij. santali citrini ℈j. infunde in aquis chicorij & betonicæ, in expressione dissolue syrupi rosarum pallidarum ℥. j. diapruni soluti ʒ. ij. aut iij. fiat potio. Si æger malit purgari forma boli. ℞. Diaphœnici, diapruni vel confectionis hamech ℥ß. vel diacarthami, electuarij de succo rosarum tantundem, adde vt ista cathartica indefinita respiciant partem affectam, atque etiam vt sint gratiora, conseruæ alicuius cephalicæ, vt betonicæ, acori, anthos, stœcados duas aut iij. ʒ. Diamoschi aut diambræ ℈. vnum, cum syrupo cōseruationis citri fiat bolus. Si placet, describes in duas aut tres doses apozema quando morbus erit longus & contumax hac formula. ℞. quinque
B radicum aperientium in aceto maceratarum ana ʒ. iij. betonicæ, saluiæ, maioranæ, verbenę, serpilli ana m. ß. florum anthos & stœcados ana p. j. seminum anisi & fœniculi ana ʒ. j. foliorum sennæ mundatorum ℥. j. ß. fiat decoctio. In colaturæ ℥. octo, dissolue syrupi rosarum pallidarum compositi cum agarico ℥ij. syrupi de stœchade ℥i. fiat Apozema in duas doses, aromatizentur cinnamomo. Ex eadem materia poteris comparare syrupum solemnem aucta dosi purgantium & alterantium, exempli locò, ℞. quinque radic. aperientium, radicis & seminis pæoniæ ana. ℥ß. Betonicę, verbenæ, serpilli, saluię maioranæ ana m. j. florum anthos & stœcados ana p. ij. seminum anisi & fœniculi ana ʒij. foliorum sennæ mūdatorum ℥. iiij. turbith electi, gummosi, & agarici ana ℥i. zinziberis ʒi. fiat decoctio in colaturæ ℔. j. dissolue sachari quantum satis, fiat syrupus mediocriter coctus, quo vtatur bis in mense cum aqua
C betonicæ aut saluiæ, dosis ℥i. ß. Quod si prima non satis purgarit, augeantur reliquæ ad ℥ii. aut infunde ʒi. rhabarbari in aqua betonicæ, in expressione dissolue syrupi præscripti ℥iß. Si placet ex eodem syrupo conficies opiatam laxatiuam addendo Trochiscorum alandal, lapidis lazuli, aut diacridij ʒii. conseruæ alicuius cephalicæ ℥ii. diamoschi dulcis vel diambræ vel lætificantis Galeni ʒi. fiat opiata, de qua capiat semel aut bis in mense ℥i. pro dosi. Quæ quidem purgationum variæ formulæ in omnibus morbis & symptomatis cerebri pro medici prudentia præscribentur, neque opus erit deinceps illas aut similes inculcare, auditor in varietate exemplorum sese exerceat ad imitationem istarum formularum: nam varietas plurimum quidem facit ad decus, & splendorem tàm artis quàm artificis, ad salutem ægri nihil aut parum.

D Clysteres in morbis cerebri nunquam sunt prætermittendi, quia non tantùm fumos reuellunt, sed etiam de cerebro ipso consecutione attrahunt: primus clyster sit communis ad fæces deturbandas, reliqui constent decocto cephalico, hac forma.

℞. Betonicæ, salu. maio. serpilli, camomel. melilori. ana m. j. seminum anisi & fœniculi ana ʒii. fiat decoctio in colaturæ ℔. vna, dissolue, benedictæ laxatiuæ, aut, hieræ colochynthidos ℥ß. vel ʒvi. mellis anthosati ℥i. fiat clyster sine oleis: nam pinguia retundunt vim purgatricem, alioquin possis addere oleum aliquod cephalicum, vt camomeli, liliorum, anethi, lauri.

Non est dubium phlebotomiam calidis affectibus cerebri esse pernecessariam, verùm nocet frigidis, quia, authore Gal. nihil adeo refrigerat, nisi febris sit coniuncta, vt in lethargo: aut insignis & manifesta subsit plenitudo, vt in apoplexia: incisiones
E venæ frontis, temporum, nasi, ranularum, ad particularia remedia pertinent, quia coniunctam morbi causam siue humorem morbificum de parte ipsa vacuant, de quibus iam disserendum est.

Medicus est naturę minister: natura verò in bene habentibus cerebrum expurgat, per nares & palatum, hocque ad sanitatis conseruationem, imprimis requiritur, vt bene quisque spuat & mungat: Itaque si fortè istorum officiorum fuerit oblita, per eosdem ductus humor peccans, arte sequenti vacuetur. Errhina hic appello, non quæ morbis narium, vt ozenæ & polypo medentur, sed quæ cerebrum per nares expurgant, qualia non tantùm debent esse cerebro grata, sed etiam acria, vt excretricem stimulent. Quid si cathartica incoquantur? Sanè trahent potentius: Nam agaricum non tantùm assumptum, sed etiam admorum pituitam trahit, vt in dolore ischiadico authore Galen. experti sumus. Iraque ℞. syrupi rosarum pallid.

Præcesserūt generalia, sequuntur media seu subalterna morborum capitis remedia.

Errhina.

compositi cum agarico ℥ii. aquę betonicæ & saluiæ ana ℥iiii. misce pro errhino, cuius portionem tepidè quotidie attrahat naribus ieiuno stomacho, mox caput deorsum inclinet, aut ℞. Turbith, vel harmodactilorū vel agarici trochiscati ℥ß. Betonicæ, anagallidis flore rubro ana m. ß. bulliat in hydromelite colaturæ ℔ß. seruetur pro errhino, aut ℞. aquę saluię vel bethonicę ℥iiii. vini albi ℥i. si velis fortius, loco vini adde aceti scillitici, vel mellis scilitici ℥ß. fiat errhinum. Aut ex succorum betę, maioranę, anagalidis flore rubro ana ℥iii. mellis mercurialis, vel anthosati ℥i. fiat errhinū. A

Vt humor melancholicus de cerebro vacuetur, ℞. foliorum sennæ aut epithimi cretensis ℥ß. maioranæ & anagalidis flore rubro ana m. ß. fiat decoctio. In colaturæ ℔. ß. dissolue confectionis hamech. ℥i. vel pillularum indarum de lapide lazuli ℈ii. si malis ℞. confectionis hamech ℥ß. dissolue in aquæ saluiæ ℔. ß. collentur per manicam, fiat errhinum, possis etiam parare errhinum forma linimenti, vt ad pituitam educendam. ℞. pulueris pyrethri, staphidisagriæ, pulueris Turbith ana ℈ii. excipiatur melle mercuriali, vel syrupo rosarum solutiuo, vel cera & oleo, fiat linimentum, quo nares quotidie manè perfricentur, aut ℞. lapidis lazuli, vel ellebori ℈ii. excipiantur melle, aut oleo aliquo cephalico cum pauca cera, fiat linimentum, quo nares quotidie perfricentur. Si malis excipiantur cera & mastiche simul liquatis, fiet errhinum solidum in modum turundæ. B

Notabis errhina præsertim vehementiora vertiginosis & epilepticis nocere, quia cōmouent cerebrum & paroxysmum excitant: multo minus cōueniunt sternutatoria, quia sunt acriora, cuiusmodi sunt piper, castoreum, zinziber, veratrum, euphorbium. ℞. piperis & castorei ana ℈. j. fiat puluis: per arundinē aut calamum insuffletur. Si placet idem puluis excipiatur digito intincto in oleo irino, quo nares perfricētur.

Calidis morbis cerebri errhina non admodum conueniunt, multo minus sternutatoriā, nisi placeat refrigerantia quibus exarsio cōtemperetur in errhinis recensere: vt linteum aqua rosarum caphurata imbutum, quod æger subinde odoretur, aut ℞. olei nenupharis, aut papaueris ℥ß. quo imbuatur digitus eoq; nares fricentur. Si optares fortius, adderes granum vnum, aut duo opij, sicq; conciliares somnum. Non est prȩter eundem errhina propriè dicta non esse prȩscribenda vlceratis naribus, aut simili aliquo morbo, vt polypo, laborantibus. Nec vtendum catharticis præsertim ingratis, nisi summa necessitate, vt imminente apoplexia. C

Masticatoria. Masticatoria leuiora sunt mastiche, saluia passulę exacinatę: vehementiora radix pyrethri, cubebæ, staphisagria. Radix pyrethri inciditur per talleolas, maceratur in aceto vt acrimoniam perdat, quotidie manè frustulum vnum masticetur. Si vis artificialius ℞. pirethri, cubebarum & staphidisagriæ ana ℈j. excipiantur mastiche & cera simul liquatis, fiant globuli masticatorij, vel puluis referatur in nodulos masticatorios. D

Gargarismi. Gargarismi parentur ex syrupis incidentibus, iisdq; acribus, vt pituita crassior incidatur, eademque opera excretrix stimuletur, eiusmodi sunt syrupi capilli veneris, de bizantijs, de marrubio, de duabus vel quinq; radicibus, oxymel simplex, diureticum, scillíticum, quæ diluuntur aquis cephalicis, vt betonicæ, saluiæ, calendulæ, aut eorum decocto: poterunt incoqui Turbith, senna, agaricus, non colochyntis, quia est ingrati admodum saporis. ℞. Turbith, ℥. ß. bulliat in aquis stillatitijs betonicę, vel calendulæ. Si malis in eorum decocto, vel in decocto hyssopi, thymi, origani, calamenti, pulegij, in colaturæ ℔. ß. dissolue syrupi capilli veneris, vel oximelitis Gal ℥. ij. fiat gargarismus, quo tepidè quotidie vtatur ieiunus, vide tamen ne æger sit obnoxius destillationi in pulmones, quādoquidem attractus humor, impetu eò rueret, grauissimumq; aliquem morbum induceret, neque bonum est illis assuescere, ne nobis dormientibus distillatio ruat in pectus. Abstinendum quoque similibus gargarismis, vlceratis faucibus. E

Cęterum sunt alij medicorum scopi in prȩscribendis gargarismis, quemadmodum de errhinis dictum est vt ad repellendam fluxionem à faucibus, ad detergendum vlcus, sed non sunt huius loci.

Cucurbitulæ. In subalternis remedijs capitis haberi possunt cucurbitulæ leues, & cum scarificatu, illæ siccæ, hæ humidæ nominantur, non tantùm quæ scapulis applicantur, sed etiam quę vertici: Nam Aretæus ibi admouet, pro melancholia morbo, quamquam in eo magna cautione sit opus: Nam cucurbitulæ non debent applicari scapulis

quando

quando æger est obnoxius paralysi, ne ad spinam tractus humor morbum moueat vel augeat: multo minus vertici, si credimus Aëtio, quia sæpe stuporem animæ & corporis, vel procidentiam oculorum, vel chronicum aliquem morbum excitarunt, sententia tamen est Galeni 13. methodi phreneticis vtiliter in fastigio capitis admoueri.

In eo etiam censu haberi debet cauterium, siue admoueatur bregmati, siue brachijs inter bicipitem & deltoidem, siue in inio (cauo occipitis) ad inflexionem: sensibiliter enim vacuat de capite, manifestius trepanum: quod pro extremo remedio quidam laudarunt, hoc argumento, quod nonnulli capite vulnerati, magno morbo cerebri vt insania liberati sunt. Necessarium est, quando suspicamur cranium carie exesum, aut aliquid heterogenes latere, vt pus, aquam; in obfirmato dolore, alijs frustra tentatis remedijs, præstat non viuere, quàm sine ratione viuere. *Cauterium.*

B Hippocrates, 2. de morbis ad cerebri morbos contumaces, applicat octo cauteria, duo in occipite, totidem in naso iuxta maiorem angulum, duo pone aures, totidem supra arterias, quæ ibi pulsant, quas quidem vrit & obducit callo, vt prohibeat ascensum vaporum: Idem in vertigine ad eundem vsum, suasit Galenus. Seuerus apud Ætium, etiam in Caro, siue somnolentia profunda, cephalea, & morbis omnibus quos spirituosus sanguis excitat: Idem remedium commendat Albucasis ad inueteratos omnes morbos capitis, laudat etiam sectionem venarum temporalium, siue ἀγγειολογίαν.

Sequuntur topica, quorum alia fumos à capite repellunt, vt oxyrhodinum, quo Gal. initio morborum etiamnum frigidorum vtitur ad repellendum, vt in lethargo. Idem præstat frontale refrigerans, Alia verò per suturas humorem morbificum insensibiliter resoluunt, vt quæ commemorauimus olea cephalica. Alia cerebrum roborant, vt emplastrum de betonica, alia dolorem sedant, vt anodinorum tria genera: videlicet quæ tollunt causam doloris, quo in numero habentur 6. epidem. purgatio, venæ sectio, cauterium, clysteres, Item quæ sunt temperata & natiuo calori analoga, vt flos camomeli, lac, vitelli ouorum, & quæcumque stupefaciunt. Tollunt enim dolorem, quia tollunt sensum doloris; quorum omnium sequuntur formulæ. *Topica.*

C

Oxyrhodinum fit ex quatuor aut quinque partibus olei rosati, & vna aceti, cui immisceri possunt succi, aut aquæ distillatæ, lactucæ, solani, semperuiui, vt magis refrigeret, ergo in morbo calido ℞. olei rosati ℥ii. aceti ℥. ß. adde si vis succi lactucæ, plantaginis, solani, semperuiui, cuiusuis horum ℥j. aut aquarum ex his destillatarum
D tantundem, misce pro litu frontis & temporum, quinetiam linteolum eodem tepido inculcatum in modum frontalis applicetur fronti, & sæpe renouetur: nam vbi oleum incaluit, nocet potius quam prosit. Possis ad maiorem refrigerationem, vsu postulante, vt pro exarsione seu erysipelate, pro oleo rosaceo accipere nenupharinum, illiq; addere parum aceti. Ex eodem fieri solet embrocatio: linteum madidum comprimitur, & sinciput, hyeme detonsum, æstate rasum, ex alto irrigatur. Oleis calfacientibus eodem modo vtendum est in morbis frigidis, nisi quod loco aceti addimus aquam vitæ ad facilitandam penetrationem. Gordonius inter olea cephalica valde commendat oleum liliorum; Galen. pluris facit oleum in quo verbena & serpillum bullierint.

Frontalia sunt in vsu frequenti: calidis verò ad frigidos, frigidis ad calidos affectus vtimur, parantur ex conseruis aut herbis contusis, aut ex pulueribus, hæc, anacolemata sicca nominantur, illa, humida: Calidi sit hoc vnum pro multis exemplum, ℞. Conseruæ betonicæ, anthos, stœchados, acori, cuiusuis ℥ij. mythridatij vel theriacæ veteris ℥ß. misce, inuoluantur duplici linteo, fiat frontale. *Frontalia.*
E

Refrigerantis verò hoc exemplar esto. ℞. conseruæ violarum, rosarum, nenupharis, cuiusuis ℥i. ß. populei ℥ß. fiat frontale. Possis prædictas conseruas permiscere dummodò totum vncias duas non excedat. Humidum delicatiores, presertim nobiles mulierculæ refugiunt, proinde sicci frontalis subiiciam duo exempla, vnum quod calfaciat pro affectibus frigidis, alterum quod refrigeret pro calidis.

Calefaciens ℞. maioranę siccæ, florum anthos, stœcados, betonicę ana p. j. anisi, fœniculi & coriandri preparati ana ʒ.ij. fiat puluis qui excipiatur cotone, tegatur duplici linteo, fiat frontale.

Refrigerans ℞. florum violarum, rosarum & nenupharis ana p. j. seminis lactucæ & papaueris albi ana ʒij. fiat puluis ex quo frontale. A

Vulgare etiam est topicum, Sacculus plenus milio & sale pro frictione capitis matutina, quibus addi possunt puluere cephalici, ex maiorana, saluia, stœcade ℞. milij m. ij. salis m. ß. frigantur in sartagine, deinde impleatur sacculus, quo caput perfricetur.

Notabis non esse vtendum frictionibus capitis nisi abundè corpus fuerit repurgatum, ne frictiones attrahant vapores ad caput, & morbum augeant.

Fotus. Fit etiam fotus capitis, ex decocto cephalico in morbis frigidis, Agaricum aut sennam incoquendo, hoc modo.

℞. Betonicæ, serpilli, verbenæ ana m. j. florum chamom. anthos, & stœcados ana pug. j. seminum anisi & fœniculi ana ʒ.ij. foliorum sennæ mundatorum ʒvj. aut agarici tantundem, fiat decoctio addendo sub finem vini quartam partem, hoc decocto manè caput foueatur & lauetur cum spongia. Areteus caput fouet tepida, vt cerebrum liberius perspiret. B

Cucupha. Familiaris etiam est cucupha, in longis præsertim morbis, quales solent esse frigidi, vt resoluas simul & robores. Puluis paratur ex maiorana sicca, floribus betonicæ, anth. stœcados, nuce moscata, caryophylis, ambra grisea, qui excipitur cotone, tegitur linteo & intersuitur, fit biretrum, ad formam datam, puluis non excedat ℥ij. exempli gratia, ℞. maioranæ siccæ, florum beton. anth. stœcad. ana pug. j. nucis moscatæ, caryophillorum, pulueris ireos Florentiæ ana ʒj. ambræ griseæ gr. iij. fiat puluis, cuius vnciæ duæ excipiantur cotone, inuoluantur syndone, vel duplici linteo intersuatur, fiat cucufa ad formam datam: Possis eodem puluere caput detonsum conspergere, abstersoprioresubinde nouus aspergatur. C

Suffitus. Simili puluere possis perfumare integumenta capitis nocturna ℞. olibani, mastiches benioin ana ʒij. nucis muscatæ & cariophillorum ana ʒj. pulueris ex floribus anth. stœca. maio. beto. parati ℥j. misce pro suffitu pilleoli nocturni. Quidam eiusdem pulueris inspiratum commendant, verùm alij damnant, quia aromatum vsus fumis replet caput; Mesue litem hanc componit, moderatus vsus aromatum, inquit, prodest cerebro, quia illud desiccat & roborat: Immoderatus verò nocet, mallem dixisset aromata immodica nocere capiti, vt odorem moschi: Nam basilici herbæ frequenti odoratu natum esse scorpionem in cerebro Holerius in commentarios retulit. Moderata verò (vt ambræ griseę odoratum frequentem) plurimum iuuare: notauit Syluius, nihil æquè prodesse epilepticis.

Emplastrum de betonica est etiam singulare topicum pro roborando cerebro ℞. D
emplastri de betonica ℥ij. temolliatur cum aliquo oleo cephalico, vt lauri, anethi,
Dropax. extendatur super aluta, & applicetur in modum pilleoli. Huc pertinet dropax, emplastrum ex pice: foras enim attrahit humorem noxium.

℞. picis naualis ℥ij. extendatur super aluta & applicetur capiti raso.

Vesicatorium. Vesicatorium etiam in topicis remedijs numerari potest, præsens sanè remedium, quin etiam cauterio longè præsentius ℞. fermenti acris ℥ij. Cantaridum & Euphorbij ana ʒj. fiat vesicatorium: obseruabis sæpè, num excitatæ sint vesicæ, vt remoueas, alioquin exulceraret, Subortæ verò vesicæ, traijciantur filo, superponatur folium brassicæ, cum siccare voles, vtere vnguento albo Rhasis caphurato, potest parari pauperibus vesicatorium quacunque in parte ex allijs mediocriter contusis.

Opiata cephalica. Ad reliquias morbi longi, quales solent esse frigidi, vtiliter præscribetur opiata ex conseruis cephalicis, theriaca, diamoscho, diambra, ℞. conseruæ, saluiæ, anthos, acori, stœcad. ana ʒvj. mythridatij veteris vel theriacę ʒij. diambrę vel diamoschi ℈ij. cum syrupo de stœcade fiat opiata de qua capiat mane & serò, quantitatem auellanæ. E

Pomum odoratum pro cerebro. Potest præparari ad eundem vsum pomum odoratum, cuius hęc sit formula ℞. Benioin & styracis calaminthę ana ʒß. pulueris maioranę siccę ʒ. ij. nucis muscatæ, cariophilorum, cinamomi, ligni aloes ana ʒ. j. Ambrę grisę gra. vj. moschi gr. iij. excipiantur ladano agitato in mortario cum oleo de spica vel costino, si mauis ℞. Maioranæ siccæ & rosarum rubrarum ana ʒij. cariophilorum & nucis moscatę ana ʒi. Ambrę grisę gr. iij. inuoluantur nodulo quem frequenter odoretur.

SVPERIORIS METHODI EXERCITATIO IN *morbis: seu accommodatio ad constitutos morbos cerebri.*

A

CAP. II.

INTEMPERIES naturalis vix vnquam sanescit, natura enim fixa & mutari nescia, insanabilis affectus non est suscipienda curatio: Accidentaria, si nuda fuerit, alteretur suo contrario: faciamus cuidam longiore insolatu cerebrum exarsisse, huic præscribes oxyrhodinum pro litu aut embrocatione totius capitis. Turcis in eo casu familiare est Celsi consilium, frigida caput perfundere, olfacianr linteum aqua rosarum, aut nenupharis caphurata intinctum. Paretur frontale refrigerans, aut nares perfricentur oleo nenupharis, papaueris; Aut nodulum paratum ex puluere rosarum violarum, *Intemperies calida.*
B nenupharis, seminis lactucæ, papaueris subinde olfaciat. Si fuerit cum materia alterantibus præmittantur purgatio & venæ sectio, quin etiam perseuerante morbo iterentur, eóque audentius phlebotomia repetatur, si febris adiuncta fuerit, aut insignis plenitudo, vt si rubeat facies, & oculorum venæ tumeant.

Tum etiam venæ particulares, vt frontis, temporum, & quæ sunt sub lingua, incidi poterunt, quando fumi biliosi ab inferis partibus vt ab hepate calidiore ascendere videbuntur, sanguinísque massa plus iusto incaluerit, benefaciet balneum aquæ tepentis ad refrigerationem totius corporis, viris hæmorrhoides, mulieribus menses, incisa saphena, prouocentur si restiterint. Clysteres sint frequentes, impetretur abstinentia vini, vtatur iusculis refrigerantibus, interdicatur illi salsis, acribus, piperatis, denique iis quæ iecur & sanguinem calefaciunt, vescatur elixis potius
C quàm assis: vitulina, pullastris, neque omittantur apozemata & iulapia refrigerantia, ex syrupo violato, nenupharino cum aquis endiuiæ, cichorij.

Frigida verò intemperies rarò nuda est, quia cruditas mox congenerem materiam accersit, itaque pillulis cocciis aut de agarico corpus non semel repurgetur, ex iis paretur massa, de qua capiat ʒi. pro dosi luna decrescente, parcendum venæ, nisi febris aut plethora ita suadeant. Errhinis & masticatoriis cerebrum depleatur: frigidis enim morbis magis conueniunt quàm calidis: cucurbitulæ non adeo prosunt morbis frigidis capitis ac calidis, ne priuatione sanguinis magis magísque refrigescat. Topica sint litus capitis ex oleis calefacientibus, à leuioribus ad fortiora, vt oleum de euphorbio vel de castoreo paulatim progrediendo. Tandem bene faciet etiam ceratum de euphorbio, in affectibus frigidis, potissimùm in hemictania, tantopere laudatum à Galen. κατὰ τόπ. ℞. olei camomel. ℥ij. euphorbij ʒij. cum cera *Intemperies frigida.*
D quantum satis, fiat ceratum, quod extendatur super aluta & applicetur syncipiti detonso vel raso, si placet ℞. cuiusuis olei vt liliorum, lauri, anethi ℥j. euphorbij & castorei ana ʒ ß. cum ceræ quantitate sufficienti fiat vnguentum pro litu frontis & temporum: Priusquam ad summa illa remedia veniatur, tentanda erit depulsio morbi, litu, frontali calfaciente, fotu, sacculis, suffitu integumentorum capitis: Cucufa solet reseruari ad reliquias morbi. *Ceratū de euphorbio.*

Obstruitur cerebrum flatu, vnde sternutatio immoderata, vel humore pauco eoque tenui & dissipabili, vt qui accessiones epilepticas breues reddit, vel multo, crasso, viscido, à quo epilepsiæ longiores paroxysmi: ab eodem Carus, lethargus, & apoplexia. *Obstructio.*

Potest enim obstruens causa vel ab inferis partibus vt à liene, vtero, ventriculo
E ferri sursum, vnde epilepsia per consensum, vel in ipsomet cerebro generari: generatur autem vt plurimum intemperie frigida: Nam cerebrum frigidius suum alimentum malé coquit, & coctionis reliquias peius excernit, inde pituitæ congestio, quæ retenta neque per nares & palatum conuenienter excreta, frigidos morbos producit, tandémque anteriores, medios, posteriores vel omnes simul ventriculos obstruit.

Quibus pro magnitudine causæ succurrendum est: magno enim pedi malè quadrat paruus calceus. Quoties vapores crassos aut humores à præcordiis efferri sursum suspicio erit, fietque morbus per consensum, vt in vertigine, & epilepsia nonnun-

quam accidit, reuellantur clysteribus frequentibus & purgatione conueniente, vt A lienari si lien, vterina si vterus in causa esse videatur.

Quod si intemperies ipsa cerebri paulatim humores accumulet qui supra modum aucti tandem obstruant, ad obstructionem anticipandam materia vacuetur purgatione primùm generali vt catapotiis: deinde particulari, vt errhinis, masticatoriis, gargarismis, Intemperies verò contrariis alterantibus corrigatur, vt ceraro de euphorbio si inueterata & contumax, quæ leuioribus remediis non cesserit: Quandiu enim illa permanebit, tandiu materiam obstruentem proferet: Intemperiei longæ & contumaci, frigidæ potiùs quàm calidæ, vtiliter cauteria præscribuntur, vesicatorium quoque & dropax.

Vtendum hîc assis potiùs quàm elixis, iuscula alterentur hyssopo, thimo, pulegio, edulia condiantur aromatis, vinum etiam concedatur, quin etiam maluaticum, aromaticum, vt medicamentum potiùs quàm vt alimentum, hydromel vinosum: B potest parari vinum medicatum hoc modo: ℞. Theriacæ aut mythridatij veteris ℨij. conseruæ cephalicæ cuiusuis ℥ß. pulueris diambræ vel diamoschi ℈ij. macerentur in ℔j. vini diluti pari quantitate aquæ cephalicæ, colentur deinde per manicam, quotidie huius vini ieiuno stomacho capiat vnum aut duo cochlearia, cuius loco potest etiam vti opiata præscripta vel pomo odorato. Hactenus de intemperie tam calida quàm frigida, & de obstructione.

Tumores fiunt in cerebro quemadmodum & in quauis alia parte, congestione, aut fluxione, frigidi vt œdema, aggregata paulatim pituita, calidi, sanguine propriè dicto, quantitate potius quàm qualitate vitioso: bilioso, pituitoso, melancholico, per venas cerebri apertas ruptas aut exesas effuso. Non dubito quin humores in cerebro vt aliis in partibus nonnunquam permisceantur, fiatque illic phlegmone C erysipelatosa, vel erisipelas phlegmonodes, œdema quoque phlegmonodes, à quo lethargum fieri quidam affirmarunt, vel phlegmonem œdematosam, à quibus infiniti effectus procedunt quorum ars non meminit, quia excresceret in immensum si singula minutis punctis colligeret, satis est si pituitæ effectus cognoscantur, vt somnolentia, ingenium plumbeum, hebes, stupidum: Bilis, ἀγρυπνία, insomnietas vtriusque coniunctione nascitur coma peruigil: melancholiæ, ridicula phantasmata à quibus læditur imaginatio.

Inflammatio. Phlegmones generatio, vena in brachio sæpiùs secta si fieri potest impediatur necnon clysteribus, purgatione, frictionibus supernè, deorsum: Repellente aliquo vt oxyrhodino, vel frontali refrigerante admoto syncipiti. Quod si assequi non possis, tentanda erit resolutio. Vacuanda materia coniunctà apertis venis particularibus, vt D vena frontis temporum, ranulis. Resoluunt litus syncipitis ex oleo camemelino, gallus viuus per spinam dissectus & admotus syncipiti: tepore enim, sanguinis feruorem contemperat, deligatur albus potius quàm ruffus, quia sanguinem habet frigidiorem: Galli penuriam supplebunt pulmones adhuc calentes, alioquin mergantur in decoctum cephalicum, vt anethi, meliloti, betonicæ, potest etiam parari cataplasma resoluens hoc modo. ℞. florum camomeli & meliloti ana m. ß, radicis liliorum ℥j. florum anthos, betonicæ & stœcad. ana p. j. fœnugræci ℥ß. fiat decoctio. Residentia teratur, coletur: adde colaturæ farinæ hordei & fabarum ana ℥j. pulueris rosarum & camomeli ana. ℥ß. cum oleo camomelino fiat cataplasma admouendum fronti & syncipiti. Non desunt qui primo die fieri inflammationem contendunt, ideoque secundo die vtendum esse resoluentibus, abstinendum repellentibus, alij E differunt ad tertium vsque diem: ex muliebri lacte, aut caprillo, vtiliter fiet embrocario.

Erysipelas. In erysipelate Galenus parcit venæ, contentus vehementi purgatione vt diapruni soluriui drachmis sex, vel diactydij. ℈ß. cum pauca conserua violarum, nenupharis, quod consilium probatur Arabibus: negant enim in morbis à bile secandam venam, quia sanguis fit frenum bilis, suo tepore feruorem bilis contemperat: Verùm etsi demus hoc Galeno, in externo erysipelate, certè in interiore concedi non potest, quia ipsemet scripsit nihil tam refrigerare quàm venæ sectionem, accedat erysipelas esse morbum valde acutum, fieri potius à sanguine bilioso, quàm à bile: Paretur ergo frontale premissis generalibus, vt clystere, venæ sectione, & purgatione; ex conserua nenupharis & populeo: litus ex oleo nenupharino: proderit etiam

A etiam odoratus narcoticorum, non tantùm, vt refrigeres, sed etiam vt concilies somnum, quo nihil vtilius, paretur decoctum ex floribus nenupharis, & papaueris cum semine lactucæ, in quod linteum immergatur quod subinde olfaciat, attrahatur etiam naribus: potest ex eodem fieri fotus cum spongia syncipitis & temporum, vel liniantur nares oleis nimpheæ & papaueris: supponatur puluinum, non plenum pluma, quia calefacit, sed rosis, violis, floribus nenupharis, aut si per tempus non suppetunt, furfure, aut palea hordei: integatur vndula, quam vulgus vocat Camelotum, aut eo corio quod Galli *marroquin* indigetant. Balneum suo tepore feruorem sanguinis biliosi valdè contemperat. Quid multa? cùm causa sit à fluxione, fluxionis terminus à quo, vena caua & hepar, non tantùm studendum est capiti refrigerando, sed etiam, toti corpori, assumptis, admotis, iniectis, cætera etiam B proderunt quæ intemperiei calidæ iam sunt præscripta, quemadmodum ad œdema quæ intemperiei frigidæ: differunt enim quòd materia vacuata permaneat intemperies, deinde suo contrario alteranda; œdemate verò aut erysipelate percurato, nihil supersit, intemperies dispareat.

SVPERIORIS METHODI EXERCITATIO in symptomatis primi generis, seu accommodatio ad actiones læsas cerebri.

IMPRIMIS AD PRINCIPES.

C

CAP. III.

PROPONATVR tibi stultus aut fatuus ad sanandum, illi est abolita, huic imminuta ratiocinatio. Considerabis primùm si vitium sit in conformatione, vt si pusillum vel acuminatum habeat caput. Esto benè conformatum, interrogabis num fatuitas illa sit congenita, aut à parentibus contracta: naturæ enim & parentum vitia quia in principijs radicalibus semine & menstruo fundamentum habent, funditus & è radice tolli non possunt. Faciamus ergo esse aduentitiam, accusabis intemperiem frigidam & humidam: si non totius cerebri, saltem verticis, vbi sedes est rationis, proinde pituita, non tantùm catharticis vehementibus, vt pillulis cocciis, trochiscis alandal, sed D etiam masticatoriis vacuanda: quæquidem propter mentis stuporem si refugiat, liniantur nares vnguento ex Turbith, agarico, vel harmodactylis exceptis melle mercuriali, scyllitico, syrupo rosarum pallidarum; quoquidem poteris etiam os & palatum perfricare. Topica valdè calfaciant & siccent, vt ceratum de euphorbio mixtum cum emplastro de betonica. Tandem vesicatorium, cauteria in capite, in brachijs: non ausim consulere trepanum, ne iam frigidius cerebrum magis magisque refrigescat.

Sequuntur exempla rationis deprauatæ, phrenitis & melancholia. Discurrunt enim melancholici, sed inordinatè & absque legitima rerum & verborum consecutione, Hippocrates quotquot delirabant, phreneticos appellabat, hodie medici definitius phreneticos appellant, qui delirant cum febre, melancholicos qui sine fe- *Phrenitis.* E bre, qua nota facilè discernentur phrenitici à melancholicis. Distinguenda verò imprimis phrenitis à paraphrenetide, quòd phrenitis sit primarium & continuum delirium à phlegmone aut erysipelate cerebri, cui idcirco continua febris semper assistit: Paraphrenitis verò delirium epigenematicum & temporarium, superueniens alteri morbo, vt febribus continuis, necnon aliquando intermittentibus in vigore paroxysmi, quæ exacto illo vigore sponte dispareт: in eo censu fortassis haberi potest delirium succedens inflammato septo transuerso: quamquam Trallianus hoc neget, quæ disputatio non est huius loci, quia de primaria phrenitide sermonem instituimus, cuius efficientes causas phlegmonem dico, aut erysipelas meningum qui percurarit, ille eadem opera effectum, hoc est delirium cum febre, sustulerit. Si phrenitis fuerit cum risu, vt phlegmone, vacuantibus, potiùs quàm alterantibus: si cum furore, vt erysipelas, alterantibus potiùs quàm vacuantibus sanetur, satis sit

digitum ad fontem intendisse: hæc tantùm præsagia obiter adiiciam: signum esse A
funestum si phrenericus fuerit peruigil, neque profuerint hypnotica: si purgatus nihil aut minimum deiiciat, si linquatur animo, nares illi stillare malum: si stilla nigra fuerit, lethale, quemadmodum cùm vrina fuerit alba, bilis enim à qua coloratur vrina, tota rapitur ad cerebrum. Cæterum si phreniticis refrigerantia applicari debeant, tepida, an actu frigida controuertitur. In vsu est admouere tepida, ne difflatio prohibeatur. Auicenna tamen & Hali suadent vt in ferina phrenitide applicentur actu frigida, quia sic ardor bilis citius mitescit, & meningum φλέγωσις melius contemperatur, verùm quotidiana constat experientia si in aquam feruentem, tepidam affundas, mox illam deferuescere, remitti feruorem affusione tepidæ. Pergamus ad genus delirij sine febre quod melancholia morbus, à causa materiali nominatur, pessimus humor, cuius efficiens, vtrique vitæ principio inimicissima intemperies, nempe frigida sicca, si non totius cerebri, saltem anterioris, necnon verticis, qua B
cum imaginatione vt plurimùm læditur discursus. Phantasiæ autem sedes ante, vt memoriæ pone cerebrum: rationis in vertice constituitur ab Arabibus, hinc topica ad rationem læsam, fastigio capitis: ad imaginationem, syncipiti: Ad obliuionem occipiti iubent applicari, Galeno reclamante, qui ad suturas præsertim circa fontanellam mauult admoueri, quo faciliùs ad cerebrum vis medicamenti peruadat, sed ille non putat facultates principes discludi locis, sed per totam substantiam cerebri dispersas, tamen vsus inualuit ad obliuionem topica supra lambdoidem applicare. Perge.

Melancholia.

Melancholia triplex, vna primaria, cuius sedes in cerebro, quæ idcirco si placet Cerebralis nominetur. Aliæ duæ per consensum: aut enim compatiente cerebro delirium accedit, in hypochondriis contento succo melancholico, vt in liene, in C
mesenterio, in vtero, vnde vterinus furor. Quæ melancholiæ species, à minera seu foco illic existente hypochondriaca nominatur: aliquando flatulenta, quòd istius modi melancholici, seu hypochondriaci, præ cæteris omnibus sint flatulenti: humor enim frigidus, quem lien ad ventriclum eructat, peruertit coctionem, à cruditate flatus. Galenus obseruat dyscrasias, siue contrarias intemperies, quæ longum & difficilem morbum efficiunt, φλέγωσιν siue incendium magnum in liene, in mesenterio, aliquando in pyloro, perfrigerationem verò in stomacho. Qua causa crux & opprobrium Medicorum vulgo dicitur: quando enim vni consulimus, alteri nocemus.

De melancholia lege libellū qui circūfertur autoribus Galeno, Ruffo & Possidonico.

Oritur altera species melancholiæ per consensum, cùm æger totus est melancholicus, siue temperamento talis sit, siue accidente, vt vsu ordinario ciborum me- D
lancholicorum, bubulæ, hœdinæ, aut mœrore longo & insigni tristitia: dominari etiam solet melancholia ætate inclinante, vt autumno, quo tempore solet cerebrum trahi in consensum, hanc si placet, generalem nuncupemus, quia in massa sanguinis, quam toto corpore melancholia exuperat.

Melancholia hypocōdriaca.

Hypochondriacam discernes his signis quæ ex Diocle commemorat Galenus tertio de locis affectis, vbi remedia omnia ad tria summa capita reducit, clysteres frequentes, venæ sectionem, & balneum aquæ dulcis, aperiatur lienaris seu basilica sinistra, quia illic præsertim subest focus morbi. Galenus non meminit purgationis, quia vehementiora cathartica nocent inflammatis visceribus. Minoratiuo, siue blando cathartico contenti esse debemus, vt catholicone, syrupo regis Sabor: vtriusque ℥j. dissolue in aqua buglossi, fiat potio. E

Elegans est comparatio apud Mesuem, cap. de melancholia, cathartici vehementioris cum igne, Vt ignis paleam vrit intacto tigno, Ita diacrydium, colocynthis, elleborus, cùm sint ignea, humores tantùm tenues trahunt, relictis crassioribus. Morbi longi quatenus sunt morbi à melancholia, authore Platone in Timæo, blandè tractari debent, non vehementioribus irritari. In primaria tamen & pertinaci melancholia, cogimur vti elleboro, tum propter morbi & humoris contumaciam, tum propter affectæ partis distantiam. Sane ellebori præsertim albi substantia est periculosa. At nigri cortex infusus, aut decoctus tutò dari potest. ♃. foliorum sennæ, polipodij, & epithymi cretensis sub finem additi ana ℥ß. Corticis ellebori nigri, seminis anisi, fœniculi ana ʒj. bulliant in aquarum buglossi, betonicæ & nenupharis ana ℥iij. (Buglossum respicit humorem, betonica partem affectam, nymphea est

alexi-

A alexipharmacum ellebori.) In colaturæ ℥iiij. dissolue syrupi regis Sabor ℥j. fiat dosis, capiat mane ieiuno stomacho. Possis etiam exhibere pillulas indas, aut de lapide lazuli.

Conuenitne phlebotomia? distinguo: si in magnis venis sanguis niger abundare videatur, proderit: alioquin nocebit, qui sciam hoc dices? explorabis, inquit Galen. aperta vena: nam si primum vasculum sit plenum crasso & fœculento sanguine, audenter tria vasa implebis, alioquin, in primo consistendum. Melancholicis si varices, aut hæmorrhoides superuenerint, sanatio, proinde si restiterint, hæmorroides viris, menses mulieribus, arte prouocentur, aut cautera vtrique tibiæ interiori prope saphænam applicentur, eò enim vergit humor terrestris, quo natura mouet, eò ducere oportet. Balneum videtur omnibus melancholicis conuenire, propter humoris & corporis siccitatem, verùm peculiariter hypochondriacis, pro-
B pter φλόγωσιν. Omnibus etiam vtilis erit opiata ex conseruis violarum, buglossi, boraginis ana ℥j. cum puluere lætitiæ Galeni & pauca confectione Alchermes, errhinum quoque solidum primariæ melancholię conuenit, ex puluere ellebori nigri excepto melle in formam parui suppositorij, aut eodem liquidiore liniantur & inungantur nares, aut bulliat elleborus, si mauis folia sennæ in aquis buglossi borraginis & betonicæ, colatura seruetur pro errhino, melancholicorum panicos terrores sanabis, arte conciliato somno. Authore Aretæo poteris vertici admouere cucurbitulas, malim ego vesicatorium ad vacuationem humoris frigidi, aut emplastrum ex pice quod est μετασυγκριτικὸν, ex alto forâs trahit. Ad intemperiem verò frigidam siccam, quæ facit & fouet morbum, foueatur sinciput decocto calfaciente & humectante,
C quale hoc erit ♃. radicum altheæ & liliorum ana ℥j. Buglossi & maioranæ ana m. ß. florum camomeli & meliloti, violarum, ana p. ij. Seminis lini & fœnugræci ana ℥ß. foliorum sennæ mundatorum ℥j. ellebori ʒij. fiat decoctio, addendo sub finem vini albi quartam partem, colaturæ libræ duæ seruentur pro fotu capitis præsertim anterioris, fiat fotus cùm spongia, cùm filtro vel cum linteo. Metus & tristitia sine manifesta causa, sunt præcursores atque etiam assessores melācholicorum omnium: Illi enim omnia tuta timent. Cur ita? dices; An quia natura frigidi sicci sunt mericulosi, queadmodum biliosi, audaces & interriti; An quia interdiu idem illis accidit quod cæteris in tenebris? nam propterea quod habent spiritus atros, viuunt in perpetuis tenebris. Quidni spiritus habent claros & perspicuos? quia spiritus animalis fit ex vitali, vitalis ex naturali, id est ex vaporibus sanguinis: Atqui sanguinis nigri vapores sunt atri & caliginosi. Itaque spiritus animales quorum ministerio anima
D suas principes obit functiones, non possunt illis esse lucidi. Sunt etiam propositi tenaces. Cur ita? quia impressio facta in re duriore est firmior & constantior. Sed cur à nonnullis melancholia dicta est contagiosa? quia vnus melancholicus totum consensum reddit melancholicum: est tamen hæreditaria, nam melancholicorum liberi solent esse melancholici, quia intemperies melancholiæ genitrix, in partibus principibus altè radices agit.

Maniaci seu furiosi differunt à melancholicis quòd sint interriti, ruunt in medios enses, igneos habent spiritus, ideoque scintillant & micant illis oculi: fit enim mania à bile per vstionis gradus paulatim in atram degenerante, tales perhibentur à tragœdis Aiax post Achillis arma Vlyssi adiudicata, & furijs agitatus Orestes propter interfectam matrem. Hinc chologogis, vt diapruno potius quàm melanagogis
E purgandi sunt, audentius & liberalius illis mittendus est sanguis, committendi sunt balneo, denique sumptis & admotis, refrigerandi & humectandi. Febricitántne? Sanè dum humor vritur: postquam verò vstus est, atque ita dicam incineratus, non ampliùs febriunt.

DE IMAGINATIONE LÆSA VT VERTIGINE.

CAP. IIII.

IMAGINATIO simul cum aliis functionibus aboleri potest & imminui, vt apoplexia, vix vnquam sola aliis integris eripitur, quia nunquam otiatur, etiam per somnum profundum operatur, dum somnia fingit sæpe ridicula: neque vnquam in fatuis, maniacis, phreneticis, melancholicis feriatur, sed in illis

vt in dormientibus viget, sepulta ratione. Deprauatur simul cum ratione phreneticis & melancholicis, sola & per se vertiginosis & incubo vexatis: salua enim & incolumi ratiocinatione illi falsam opinionem concipiunt, vertiginosi existimant omnia in circum verti, quibus accedit aliquando visio tenebrosa, caligant illis oculi & veluti tenebræ obuersātur, inde σκότωμα & σκότωσις à Græcis dicitur, vnde falsa illa imaginatio & opinio? à flatu, qui vt plurimum ab inferis partibus, liene, vtero, ventriculo, sursum ascendens, reflectitur à cranio, atque illic vertiginem, veluti ventus in angiportu turbinem, excitat: non enim refert ad imaginationem conuersionis, si res foris an spiritus intus conuertatur. Quemadmodum enim quibus aures tinniunt, foris sonos se audire falsò opinantur: ita quibus flatus & vapores in capite conuertuntur, obiecta omnia verti putant. Quod si rotam aut aliquid simile aspiciant, paroxysmum mox incurrunt, quia obiectum mouet potentiam, spiritus ad conuersionem iam paratos facilè rota commouet. Priusquam de remediis cogites, considerabis si affectus sit primarius, an per consensum, deinde à qua causa, calidáne, vt à vaporibus sanguinis, quod accidit mulieribus quibus subsistunt menses. An frigida, vt ventriculi cruditate, si lien in causa esse videatur, illius malè affecti certa extant signa: si ab vtero assurgant fumi, suppressi sunt menses: si à ventriculo malè coquente, aderunt signa ἀπεψίας, incoctionis, vt ructus acidi, tum parti mittenti consulendum est, vt ventriculo vomitorio, si æger ad mouendum sit procliuis, Alioquin frequenti vsu pillularum de hiera, Assaieret, de mastiche, mirobalanis conditis, tabellis aromatici rosati, syrupo de absynthio, vel de mentha, puluere digestiuo ex coriandro, aniso, fœniculo, cornu cerui vsto, corallo, cum triplo puluere rosato, puluis sumatur à pastu, vt impediatur ascensus vaporum. Qui si fortè per arteriam exteriorem ascendere videantur, primum admouebis temporibus emplastrum ex mastiche, aut emplastrum contra rupturam, vt astrictis viis impediatur ascensus. Oxyrodinum quoque repellit: si nihilominus perseueret vertigo, incidatur arteria pone aut supra aures, qua parte vehementius pulsabit, Galenus cum Hippocrate arteriam vrit, vt via obstruatur. Si à liene fumi assurgant, reuellantur clysteribus frequentibus, purgatione lieni accommodata, secta lienari. Si ab vtero, pronocandi erunt menses pillulis de hiera, Syrupo de arthemisia cum aqua hyssopi, incisa saphena. Quinetiam crutibus admoueantur cauteria ad diuersionem. Quid si vertigo fuerit primaria, habeatque suam originem & causam in ipsomet cerebro? arteriotomia tum est inutilis, quemadmodum cùm per arterias interiores, vapores sursum efferuntur, nullaque foris insigniter pulsat arteria. Purgentur ergo frequenter vertiginosi massa pillularum sine quibus, non neglecta phlebotomia, cùm sanguis videbitur vaporosus, prospiciendum verò capiti topicis, qualia intéperies calida, vel frigida suadebit, non neglectis errhinis & masticatoriis. Marcellus empiricus suadet, vt betæ succo tempora liniantur, & puluis abrotani cum vino tepidè sumatur. Quidam commendant puluerem vermium qui sericum faciunt eoque caput detonsum aliquoties respergunt, hæc empirica experieris, aliis non neglectis.

Vertigo.

Aristot. in probl.

INCVBVS SEV EPHIALTES.

CAP. V.

AD imaginationem læsam etiam pertinet ephialtes seu incubus, quo malo qui vexatur, se ab aliquo pectori incubante premi & propemodum suffocari existimat, quæ inanis phantasia accidit propter impeditam respirationem. Impeditur verò, quia vocales & respiratorij nerui obstruuntur, quod accidit initio somni cum primùm vapores alimenti ad cerebrum ascendunt, vix vnquam aliis quàm supinis, quia calefactis renibus per spinam vapores feruntur ad cerebrum, vnde obstructio neruorum prædictorum: Cùm ergo thoracem attollere non possunt, propter neruos obstructos per quos spiritus facultasque animalis à cerebro descendit, imaginantur se ab aliquo impediri, hinc suspicio incubonis.

Corpus non semel phlegmagogis repurgandum, plenitudo venæ sectione minuenda, clysteres iniiciendi frequentes: decocto cynæ aut salsæ parillæ mouendus sudor:

A sudor: errhinis & masticatoriis deplendum cerebrum: Dioscorides laudat quindecim grana nigri fructus Pæoniæ trita & sumpta cum aqua aut vino quod est Pauli & Aetij experimentis comprobatum; denique leuiora quæ ad epilepsiam deinceps præscribentur conuenient Incuboni: est enim epilepsia nocturna, quæ si perseueret quemadmodum & vertigo, degenerabit tandem in veram epilepsiam.

LÆSA MEMORIA.

CAP. VI.

B HACTENVS ratiocinationis & imaginationis læsiones; sequitur obliuio, seu iactura memoriæ. Aboletur verò & minuitur semper intemperie frigida, verùm aliquando frigida & humida, aliquando frigida sicca, frigida humida, obliuiosi erunt somnolenti, naresque habebunt humidiores: à frigida sicca peruigiles & emunctæ naris, si in vtroque tenuant modum, à frigida simpliciter ortum habet. Itaque conuenient tam generalia, quàm subalterna quæ præcesserunt ad intemperiem frigidam: Pro topico Gordonius laudat primùm oleum de castoreo, deinde de euphorbio, dat verò per aliquot dies confectionis ex anacardis ʒij. cum decocto radicis apij & fœniculi. Verum satis erit ʒ. vna: misceatur cum pari quantitate mithridatij aut Theriacæ: ex quibus etiam vtiliter parabitur linimentum. Si placet ℞ conseruæ acori ℥j. mithridatij veteris ℥ß. Confectionis ex anacardis ʒij. nucis moscatæ conditæ vel zinziberis conditi ℈iiij. cum syrupo de stœcade fiat opiata, de qua capiat manè & serò quantitatem

C auellanæ. Proderit per se syrupus de stœcade datus quotidie manè mensura vnius cochlearis. Cinnamomum etiam quouis modo sumptum creditur iuuare memoriam, propterea quidam illius aqua stillatitia vtuntur, eiusdem oleo caput inungunt.

DE SOMNO ET VIGILIA.

CAP. VII.

MVLTIS causis præcesserunt læsiones principum functionum; instat vt sensus & motus vitia eadem arte percurramus. Sensus autem quidam interior ad quem exteriores quinque suorum obiectorum species immateriales que qualitates transmittunt, à phantasia sola ratione distinctus,

D ad quem pertinent naturalis somnus & vigilia: Ideo enim somnus sensuum omnium vinculum ab Aristotele definitur lib. de somno, quia sensus interior à benigno alimenti vapore præpeditur, sublato illo impedimento, seu discussa benigna illa anatmiasi, succedit vigilia. Atqui contraria nata sunt afficere idem subiectum, ergo immoderatus somnus, & vigilia immodica, non possunt commodiore quàm hoc loco explicari.

Si veternum fuerit cum febre lethargus dicitur, coma primarium seu νωθρὸς pigra: si sine febre, carus, nisi placeat cum Ægineta κάρον nominare κῶμα superueniens febribus pituitosis, quæ inde comatosæ nominantur: assimilare possis carum paraphrenitidi, quod quemadmodum paraphrenitis succedit febribus à bile, ita κάρος febribus à pituita: Quo sensu non requirit propria remedia: disparebit enim cum fe-

E bre, nisi placeat ea imperare quæ à profundiore somno excitant quàm mox explicanda.

Lethargici verò purgentur dragmis duabus pillularum cocciarum, aut de agarico solutis in aqua saluiæ: : catapotiorum enim forma non deglutirent, additur autem dupla quantitas, quia sensus sunt sopiti, excretrix sepulta, tum quia pillulæ dissolutæ minus habent virium quàm solidæ: virtus vnita maior est quàm diffusa, adde quod solida diutius in ventriculo morantur. Phlebotomia hîc conuenit ratione febris non morbi: febris autem accedit, quia pituita quæ committit lethargum est putris, à putredine incendium; fortassis etiam ratione morbi: est enim, œdema cerebri phlegmonodes, à sanguine pituitoso. *Lethargus.*

Carus verò est œdema simplex aut intẽperies frigida cũ pituita, proinde in caro parcendũ venæ: at in lethargo, post apertã cephalicã aperiri potest vena frontis, occipiti *Carus.*

enim dolenti, incisa vena frontis confert: occiput autem in lethargo potissimùm laborat: nam lethargici sunt immemores, petunt matulã ad meiendũ, qua oblata non meiunt, cucurbitulę cũ scarificatu eadem causa bene facient ad deriuationẽ materiæ coniunctæ. Clysteres acres & acria suppositoria omni somnolentiæ cõueniunt, cùm sit excretrix languida, Errhina liquida, masticatoria, gargarismata frustrà imperarentur, liniantur nares, & perfricetur palatum melle mercuriali, vel scillitico, cui aliquid Turbith, agarici, aut pyretri sit immixtum, vel diaphenico, benedicta laxatiua, theriaca, mythridatio veteri. Sternutatoria hic non sunt omittenda, quòd si non sternutent, lethale: Topica sint litus ex oleo de castoreo cum succo rutæ, fœniculi: creduntur enim ista profundiorem somnum interrumpere proprietate, fortassis castoreum suo fœtore à somno excitat, ℞. Castorei ʒj. succi rutæ & fœniculi ana ℥ß. dissolue in aqua betonicæ, vel saluiæ, fiat potio ad eundem vsum, Mesue ex Tralliano conficit vnguentum ex pilis humanis vstis, vt à somno excitet. ℞. pulueris pillorum hominis vstorum ℥j. excipiantur oleo de castoreo, vel oleo de irino, cum pauca cera fiat vnguentum, quo caput rasum perfricetur, quæ quidem, vtpote calidiora, caro primario meliùs conuenirent quàm lethargo; œdemati simplici, quàm phlegmonoso: hinc caros est longè profundior somnus quàm lethargus, adeo vt à quibusdam existimentur apoplectici: caro detentos sanarunt qui apoplecticos se sanasse gloriantur: tam profundus est somnus, vt etiam puncti non sentiant, solo stertore & difficultate spirandi differunt ab apoplecticis; reliqua curatio repetenda ex intemperie frigida humida, siue pituitosa, quam similem esse diximus œdemati, neque fatui ab his longè differunt. A B

Non est prætereundum soporem nonnunquam à vermibus excitari, vaporibus ad cerebrum ascendentibus: nam Alexander Benedictus vidit iuuenculam quæ per septem dies veluti mortua iacuerat, supposita glande excreuit 40. vermes in modum globuli, sine fæcibus, qua excretione mox conualuit. C

Cæterùm lethargus intra septem dies terminatur, quem si excedat, definit esse lethalis; diarrhœa autem superueniens ab Hippocrate tertio de morbis funesta iudicatur. Item ex phrenitico fieri lethargicum lethale, contrà in bonis habetur, si lethargicus fiat phreneticus, ex somnolento peruigil: frigida enim intemperies est peior calida.

DE VIGILIIS IMMODERATIS.

CAP. VIII. D

Modus cõciliandi somnum.

VT somnolenti calfacientibus sunt excitandi: ita peruigiles refrigerantibus ad somnum cogendi, quæ ab effectu ὑπνωτικὰ, somnifica, vel ναρκωτικὰ, soporifera nominantur, eiusmodi sunt succi & olea violarum, nymphææ, papaueris, lactucæ, syrupi quoque de nymphea & de papauere.

℞. cuiusuis syrupi ℥j. ß. dissolue in decocto lactucæ, & florum cordialium, fiat potio sumenda hora somni, si placet abluatur facies decocto parato ex foliis lactucæ, floribus nenupharis & semine papaueris albi. Imperetur frontale refrigerans, ex conserua nenupharis, papaueris, abluantur pedes decocto foliorum lactucæ, salicis, vitis. Lauetur quoque caput aquis aut decoctis lactucæ, florum nymphææ & violarum. Iuuat etiam fons artificialis, supponatur capiti puluinum plenum floribus violarum, & papaueris albi, nenupharis, tandem detur ʒj. Philonij, aut requiei Nicolai, cum aqua betonicæ: au pillularum de cynoglosso ad summum ℈j. ex quo fiant pillulæ duæ. Memineris tamen diligenter obseruare vires, quia narcotica non debent dari fractis viribus, licet tantùm hordeatis incoquere seminis papaueris albi contusi ʒij. minori periculo admoueantur quàm sumuntur. Itaque poteris opij aliquot grana (scilicet duo aut tria) diluere oleo violato, vel succo lactucę, vnde frons & tempora liniantur vel coto iisdem intinctus indatur in narem, vel spongia inebrietur, & offeratur odoranda. Ex floribus nenupharis, & semine papaueris pulueratis, & ladano exceptis, paretur pomum odorandum, consideranda tamen causa: nam si æger esset per nox ratione doloris, anodinis esset placandus dolor. Si intemperies sicca vigilias induceret, humectantia conuenirent E

vt

A vt oleum amigdalarum dulcium, violaceum, liliorum, lac, lana succida. Quoties æger quocunque morbo laboret, vt febre biliosa, phrenitide, fuerit peruigil, hinc repetes artem conciliandi somnum: omnia enim semel & vno loco in arte docenda sunt.

DE STVPORE. CAP. IX.

SVNT quinque sensus externi, visus, auditus, odoratus, gustus & tactus, priorum quatuor læsionem, postea suo loco & ordine: tactus autem est primus & communissimus omnium, quippe per totum corpus diffusus, & sine quo nullum animal possit viuere, proinde imminui quidem potest, sed vita superstite aboleri omnino non potest, nisi fortè ad tempus, vt apoplecticis, catalepticis, & caro detentis, qui tantum abest, vt obiecta proportionata percipiant, B cum neque improportionata quidem, verùm actus sentiendi duntaxat illis eripitur, non facultas, at stupore facultas ipsa minuitur: est autem via ad paralysim, differuntque tantùm intensione & remissione. Quanquam si propriè loquendum sit, membrum tum demum dicetur resolutum, quando priuatur suo motu arbitrario: Stupidum, quando obtusiùs sentit, hoc est qualitates tractabiles, tam primas, vt calorem & frigus, quàm secundas, vt durum imperfectè discernit: etiam saluo & incolumi motu.

Purgetur humor peccans pillulis de hyera cum agarico, aperiatur vena partis sanæ, stupidum membrum exerceatur, fricetur, mergatur in mustum, aut in vulnus bouis recens iugulati, consulendum capiti, vt parti mittenti, neruo torpido, aut resoluto, vt excipienti. Priores enim affectus erant cerebri, & in cerebro veluti in C subiecto: Stupor verò, paralysis, conuulsio, tremor, sunt affectus neruorum, procedentes tamen à cerebro veluti à fonte, hinc remedia nerualia maximam cum cephalicis habent affinitatem, quemadmodum nerui cum cerebro: suas enim tunicas accipiunt à tunicis cerebri, medullam verò ab eiusdem substantia. Oleum de cinamomo, si credimus Valesco, non habet par ad stuporem & paralysim: Auicenna plurimi facit oleum de nuce moscata, quatuor vnguenta nerualia, de althæa, Aragonium, Martiatum, & Agrippæ vtrique affectui, stupori & paralysi, benefaciunt. Vulpes farciatur neruàlibus, vt Iua arthritica, primula veris, betonica, serpillo, verbena, maiorana, addendo catulos caninos minutim incisos, deinde bulliant in oleo cum vini quarta parte ad consumptionem vsque vini, huic oleo possis immiscere medullam cerui, aut pinguedinem taxi: post litum, stupidum membrum aut resolutum inuoluatur pelle eiusdem vulpis: interim vtatur biscocto, sumat manè hydroticum, secundum decoctum sit pro ordinario potu, inedia corpus maceretur, vtatur assis potiùs quàm elixis, præsertim auiculis, vt alaudis, cerebrum leporis valdè commendatur, benefaciunt etiam stuphæ siccæ: papilione, aut magno dolio conclusi, ita vt respirare possint, excipiant toto corpore vaporem vini maluatici proiecti in tegulam ardentem aut vini in quo nerualia bullierint, alioquin illius vapore perfumetur pars resoluta, vel stupida: vtilis etiam erit opiata ex conseruis cephalicis cum mithridatio, aut theriaca; denique quæcunque pituitam discutiunt, corpus desiccant, neruos & cerebrum roborant, erunt ex vsu. Plura mox cùm de paralysi.

(D at margin beside "tum inuoluatur")

DE DOLORE CAPITIS. CAP. X.

E DE dolore capitis videtur priùs transigendum: est enim symptoma primi generis, pertinetque ad actionem læsam, quandoquidem definitur tristis sensus, à Peripateticis refertur ad tactum, velut illius obiectum improportionatum: membrum stupidum, quia sensificus neruus torpet, non percipit dolorem, quòd nulla in eo fit sensatio rei contristantis: stupefacientia, sine narcotica dicuntur tollere dolorem, quia tollunt sensum doloris: suo enim frigore natiuum calorem obtundunt, cuius ministerio fit tactus: qui Aristot. opinione est per aliorum sensuum organa diffusus, neque dolorem sentiunt, nisi quatenus participant tactu. Recens & leuis dolor κεφαλαλγία dicitur, inueteratus, contumax & obfirmatus, κεφαλαία, dolor dimidij capitis ἡμικρανία, vnius tantum particulæ μονοπαγία seu clauus.

Considerabis primùm si sit primarius, an per consensum. Stomacho enim cum A
cerebrum compatiatur per neruos sextæ coniugationis, sæpe à ventriculo dolor capitis excitatur, qui non est continuus, ingrauescitque post pastum, ascendentibus fumis. Succurrendum autem parti primùm per se laboranti.

Considerandum etiam atque etiam si sit externus, an internus, externus, dura frictione capitis percipitur: Internus, qui ad radicem & cauitatem oculorum pertingit, propterea quòd neruus opticus à tunicis cerebri suas accipit. Distinguendus etiam dolor calidus à frigido: nihil enim dedecet æquè medicum quàm calidum pro frigido curare, discernentur, quia acutissimi dolores solent esse calidi, frigidi, obtusi: non tamen semper & necessariò, quia dolores tensiui sunt acutissimi; tenduntur autem sæpè meninges flatu aut humore flatulento & pituitoso, pulsatorius dolor
capitis est calidus, ostendítque copia sanguinis arteriam premi. Punctorius ad me- B
ningas pertinet, si internus: si verò externus, ad pericranium.

Remedia. Calidis doloribus venæ sectio est præsentissimum remedium: Frigidis vehemens purgatio: Anodinis enim omnis dolor placandus est. Anodinorum autem tria sunt genera: primo genere continentur, quæ tollunt causam doloris, eáque sola propriè sunt ἀνώδυνα, quia dolor semel expulsus, non reuertitur. Secundi generis sunt temperata, aut mediocriter calida, vt lac, vitelli ouorum; & ex his oleum imprimis camomelinum, ex eo aqua stillatitia, lana succida, axungia humana. Serenus instillat balsamum in vtramque aurem, cùm enim dolor sit tristis sensus, hæc autem quia ἀνάλογα natiuo calori, iucundum sensum adferant, haud dubiè dolorem mitigant. Tertij generis anodyna sunt narcotica, propterea quòd impediunt, ne dolor sentiatur, qua-
lia sunt, non ita pridem commemorata, carotica siue hypnotica. Hippocrates sexto C
epidem. In anodynis primi generis recenset imprimis venæ sectionem, & purgationem, non tantùm generalem, sed etiam particularem: Quæ enim erhinis, masticatoriis, cucurbitulis cum scarificatu, vesicatoriis sensibilius fit euacuatio materiæ dolorificæ, est anodyna primo modo. Quinetiam resolutio insensibilis quæ fit per suturas admotis topicis, vt emplastro, cucufa: ideò enim tollunt dolorem, quia dolorificum humorem discutiunt.

Faciamus ergo quempiam acerbissimo capitis dolore vexari, quem ab effectis vt ἀγρυπνία, pulsatione, à iuuantibus & lædentibus, calidum esse suspiceris, clysteribus reuellendi fumi, vena non tantùm in brachio semel & iterum, sed etiam in fronte & temporibus incidenda.

Doloribus calidis præsentissimum remedium est, phlebotomia, ait Gal. Cucur-
bitulæ cum profunda cutis incisione scapulis admouendæ, oxyrhodino synciput li- D
niendum, quod paretur ex nenupharino & pauco aceto, applicetur frontale refrigerans: Esto dolor frigidus, purgandum sæpe & vehementer: frigidos enim dentium & capitis dolores sæpe vidimus vnica purgatione sedatos, quemadmodum calidos prima phlebotomia; imperentur deinde erhina & masticatoria, litus capitis ex oleis liliorũ & camomeli, aut ex oleo in quo verbena & serpillũ bulierint, deinde emplastrũ de betonica, cucufa, frõtale calefaciẽs, quale ex conseruis cephalicis præscripsimus, vesicatorium, cauteria in capite, in brachiis. Abstinendũ narcoticis cùm dolor est frigidus ne augeatur intẽperies, & carus aut faruitas inducatur, in calidis doloribus magna religione illis vtendũ propter dignitatem partis naturâ frigidæ, quæ
calore suo animalem spiritum, animalium omnium functionum auctoré efficit, ille
crassescit frigore, & ad motũ ineptus redditur: In causa calida, exhibebis ℨj. requiei E
Nicolai cum aqua betonicæ. In frigida Philonij tantumdem cum vino diluto aqua saluiæ. Malim in cephalea pertinaci & dolore inueterato, quales solent esse frigidi imperare olea, vnguenta, cerata, emplastra, valdè calfacientia, vt oleum de euphorbio, pro litu frontis, temporum, cuius aliquot guttæ vtiliter in aures instillantur, vel teratur cum aceto & fronti atque temporibus ex aduerso illinatur.

Hemicrania. ℞. olei camomelini ℥iij. euphorbij ʒiij. cum cera quantum satis, fiat cerotum, quod Galenus plurimi facit ad hemicraniam inueteratam, & Ischiadicos dolores: Ætius iubet in hemicrania, vt tempus ex aduerso, non quod dolet, liniatur, & oleum in aurem oppositam instilletur. Notabis quoties dolor capitis est periodicus, cuius generis solet esse hemicrania, toties exacerbationem esse anticipandam purgatione & venæsectione, si ita morbus iubeat.

Hoc

A Hoc enim fit præceptum generale in omnibus morbis qui per circuitus veniunt, præueniendum esse paroxysmum.

In monoplegia pyroticum est singulare remedium: sic enim patet via causæ morbificæ, vt auræ venenatæ: dolor qui rot remediis non placatur, si fuerit cum febre, mortem minatur, si sine febre, iacturam oculi. Aliquando solutus est pure per oculos, nares vel aures excreto, vt est aphorismo decimo lib. sexti. *Auicenna.*

Non est prætereundum κεφαλαίαν à lue Indica propriis amuletis esse oppugnandam, vt epilepsiam epilepticis, arthritidem arthriticis, fingamus quendam post hydrargyrosim, dolore capitis vexari, an iterum iisdem remediis symptoma expugnandum? minimè verò, sed pilleolus parabitur ex emplastro Deuigo cum mercurio: Accipe illius ℥ij. extendatur super aluta, & in modum pilleoli, raso capiti applicentur. Aliis omnibus frustra tentatis, expertus sum hoc remedium singulare quo etiam vsus sum feliciter, cùm nulla esset suspicio luis venereæ. Sanè in B eodem affectu longè præstat oleo Sabinæ tantopere laudato, cuius olei sequitur descriptio ♃. Sabinæ ℔. j. triduo maceratur in ℔. ij. olei camomeli, quarto die coquatur ad medias, & exprimatur, vide interim ne oleum incendatur: hactenus læsiones sensus.

Motus verò aboletur, minuitur aut deprauatur, aboletur inquam, vel in toto, vt ἀποπληξία & παραπληξία, vel in parte vt παραλύσει, deprauatur conuulsione, tremore, subsultu.

DE PARALYSI. Cap. XI.

C PARALYSIS quædam generalis non admodum differens ab apoplexia, nisi quod caput inflectitur, reliquo corpore immoto: hinc principes actiones eiusmodi paralyticis manent integræ, quæ dedepereunt apoplecticis, accidit primarū vertebrarū luxatione aut insigni obstructione, estque affectus non minùs acutus & periculosus quàm apoplexia, quorum affectuum & nominum tanta est affinitas, vt Hippocrates membrum resolutum sæpenumero appellet apoplecton. Particularis verò, si dimidij corporis ἡμιπληγία, dicitur, si vnius tantùm membri, vt brachij, παραπληγία nominatur, præsertim, cùm terminat leuem ἀποπληξίαν, materia morbifica à cerebro in brachium excussa, ceteræ resolutiones exprimuntur nomine generis cum parte afflicta, vt παραλύσεις ani, vesicæ, linguæ, digiti, Accidit quoties animalis spiritus à cerebro per neruos D motorios, vt pote frigore incrassatos, obstructos, compressos peruadere non potest. Quæsitum est si fit affectus nerui motorij, an potiùs musculi, cùm sit præcipuum motus voluntarij instrumentum, Responsum. Pati musculum per neruum, affici in sua parte neruosa non carnosa. Generalis quidem resolutio est affectus valdè acutus, at particularis est morbus longus & propemodum insanabilis. Senes potiùs quàm iuuenes, hyeme potiùs quàm æstate prehendir: senes nunquam perfectè conualescunt, iuuenes difficillimè, eóque minùs si inueterauit.

Quando membrum paralyticum extenuatur & ἀτροφία contabescit, & natiuum colorem amisit, non sanescit: quia non tantùm animali, sed etiam vitali & naturali facultate priuatur, adde quòd indicationes sunt contrariæ. Extenuatum enim membrum vult humectari, resolutum desiccari. Si membrum propter incisum E neruum perdiderit suum motum, est irrecuperabilis: neque istius paralysis suscipienda est curatio. Paralysis dignoscetur quòd membrum sese erigere non possit: quinimo, si ab altero attollatur, mox pondere suo cadit, deinde quòd quemadmodum membrum conuulsum retrahitur, ira resolutum extenditur, relaxato, atque vt ita dicam, mollificato neruo: fit enim ab humore aqueo humectato neruo, vt conuulsio ab humore crasso, viscido, secundum cauitatem non substantiam repleto neruo, propterea extendirur in latum, sed minuitur longirudo.

Quæsitum est si paralysis fieri possit à bile. Ita videtur, quia succedit aliquando febribus biliosis criticè, materia ad neruorum principium transmissa. Respondetur fieri quidem à bile, sed per accidens, quia permixta pituitæ illam fundit. Propterea phlegmagogis corpus non semel repurgandum, cùm sit morbus longus, hyeme ergo præscribatur massa pillularum, æstate syrupus solemnis.

℞. massæ pillularum fœtidarum (quæ attrahunt humores putres & fœtidos) pil- A
lularum de sagapeno, pillularum de hyera cum agarico ana ʒij. cum syrupo de stœcade fiat parua massa: de qua capiat bis aut ter in mense ʒj. pro dosi: Ætius, Trallianus & Auicenna suadent vt a venæ sectione curationem ordiamur: vena autem partis sanæ aperiatur non resolutæ, & sanguis parciore manu mittatur, ne nerui magis magisque refrigescant, consulendum imprimis capiti vt parti mittenti, sacculis, litu, cucufa ad roborandum & exsiccandum. Tandem cauteria multa in capite, ad fontanellam, in inio, masticatoriis non neglectis & errhinis. Membro verò resoluto applicabis dropacem, atque etiam synapismum, vt spiritus & calor eò attrahantur, tentatis primùm leuioribus, qualia ad stuporem præcesserunt, vt oleo de cinamomo, de nuce moscata, costino, vulpino, vnguentis nerualibus, præsertim martiato, sinapismi sit hæc formula. ℞ ficuum ℥ij. macerentur vno die in aqua, B
deinde terantur addendo synapi ℥j. in naturis robustis & inueterata paralysi, adde synapi parem quantitatem, in pueris & mulieribus ℥ß. tantùm, fiat synapismus, vt incalescat membrum resolutum. Si placet ad eundem finem, affiges siccam cucurbitulam, primùm origini nerui motorij, deinde partibus consequentibus descendendo paulatim ad partem resolutam. A qua Theriacalis benefacit paralyticis, quotidie mane sumant vnum cochlear, cuius inopia ℞. florum, anthos ℔. j. Theriacæ veteris ℥j. aquæ saluiæ ℔. ij. distilla in balneo mariæ, vtere vt aqua Theriacali: balneum sulphureum à plerisque commendatur, paratur ea proportione vt pro libris aquæ centum, sumantur sex sulphuris. Malim thermas sulphureas, vt Spadenses aut Niuernenses: quæ cum constent vitriolo & sulphure, magnam habent vim siccandi: natura præstat arti, non tantùm aquæ sumi debent, sed corpus in C
balneum immergendum, lutum parti resolutæ applicandum forma cataplasmatis. Memineris interdicere vino, præsertim ante decimum quartum diem, cuius loco vtatur mulsa in qua maioranæ nodulus bullierit, parabitur ea proportione vt pro ℔. j. aquæ sumatur vncia vna mellis, bulliant dum mel despumarit, hoc est ad consumptionem tertiæ partis: Non est omittendum sæpe paralysim succedere colicis doloribus. Materia tenui & calida ab intestinis ad spinam translata, quæ paralysis Melunensibus est familiaris, quam Trallianus & Paulus notarunt, vsu refrigerantium quasi miraculo percurati.

DE ΑΠΟΠΛΕΞΙΑ.

CAP. XII. D

APOPLEXIA est subita priuatio sensus, motus & principum functionum, cum difficultate respirandi, qua nota à veternosis & catalepticis distinguitur, quo difficiliùs spirant, eo periculosiùs ægrotant, quia maior obstructio indicatur, propter quam animalis spiritus ad respiratorios neruos trāsmitti non potest. Apoplexiam fortē soluere impossibile est, lenem difficillimum, distinguūntur stertore, & spuma. Rasis admonet quoties apoplectici spumāt, deserendos esse sine auxiliis. Strangulati, si spuma ad os fertur, statim intereunt: quod est in plurimis, non in omnibus verum: quia quidam cum spuma conualuerunt, verùm non perfectè, quia desinit in paraplegiam. Rhasis tribus notis apoplecticum discernit. Si iaceat veluti dormiens: Si stertat sine somno: Si non sentiat dum pungitur. E

Memineris obseruare imprimis pulsum, vt apoplexiam à syncope discernas. Nam apoplectico pulsus est plenus & fortis, sub syncope paruus & languidus. Cognito morbo priusquam de remedio cogites distingue sanguineam à pituitosa. Ego non semel dissecto cranio apoplecticorum, obseruaui copiam sanguinis per cerebrum effusam aperta aut excisa aliqua vena, non tantùm cerebrum secundum omnes suos ventres implebat, sed illius totam substantiam madefaciebat; de pituitosa idem sentiendum est.

Sanguinea laborant iuuenes, sanguinei, vere aut æstate, quibus etiam sanis facies est rubicunda, venæ frontis & oculorum tument, & qui merum liberaliùs bibunt: vinum enim moderatè sumptum, auget quidem natiuum calorem, sed copia illum obruit, crapula refrigerat cerebrum; propterea popinones maximè omnium

sunt

sunt apoplexiæ obnoxij, de quibus obiter notabitur hic Aphoris. quintus lib. quinti,
A si quis ebrius obdormiat, neque expergiscatur quo tempore vini vapores excuti solent, conuulsus morietur, nisi febris accesserit: Multis, quos videbam indormire mensæ, prædixi mortem repentinam, inquit Valescus, non defuit euentus. Sed cur præ cæteris apoplexiæ sunt obnoxij homines pingues quibus collum est breue? quia non est liber commeatus vitalis spiritus à corde ad cerebrum: Carotides illis facilè obstruuntur: Si quibusdam pituita arterias soporarias obstruat, non aliter quàm si laqueo collum premeretur, strangulati moriuntur. Sed cur tàm studiosè apoplexia sanguinea à pituitosa distingui debet? quia in sanguinea vnicum & singulare remedium à phlebotomia expectandum est, incidenda mox, etiam non iniecto enemate, vtraque cephalica, deinde venæ frontis, & temporum: iugulares ausi sunt quidam secare pro extremo remedio. In pituitosa licet-ne venam aperire? non videtur, ne
B cerebrum priuatione sanguinis magis magisque refrigescat, veruntamen apoplexia est, symptoma tam acutum, vt primo die sæpe iuguler, proinde à purgatione, maius fortassis, non æquè præsens auxilium: ante perfectam operationem cathartici, fortassis æger morietur commotis, non purgatis humoribus. Propterea Ætius: phlebotomia, inquit, aut apoplecticos seruat, aut citò perimit: seruat si fuerit sanguinea, perimit si pituitosa. Et Celsus, si à venæ sectione non redeant apoplecticis sensus, motus, mens, vox aut spiratio liberior, desperatum est, nihilque ab alijs auxilijs sperandum: verùm si venæ sectione aliquantum leuatus videatur, iteretur: vix enim aliud remedium proderit si hoc non profit: fiant frictiones totius corporis deorsum, si subnixus non possit ambulare, Clysteres acres sæpe & sæpe inijciantur, quorum hæc sit formula. ℞. beton. salu. maior. hysopi, thimi, pulegij, chamomeli ana m. j.
C foliorum sennæ mundatorum, & turbith ana ℥ ß. fiat decoctio in colaturæ ℔. j. dissoluemellis mercur. ℥ ii. benedictæ laxatiuæ, aut hyeræ colochintid. ℥ ß. fiat clyster sineolcis. Possis hyeræ colochint. ℥ ß. aut pillularum cocciarum ʒ ii. dissoluere in aqua saluiæ, aut betonicæ, per infundibulum propinare. Amara enim non sentiunt, vtiliter etiam, in frigida potiùs quàm in calida, exhibentur aqua vitæ, theriacalis, imperialis, aut mythridatium, & theriaca, aquis saluiæ, calendulæ dissoluta: olea chimica, cariophylorum, nucis moscatæ, thimi, vitrioli, in os & nares immittantur ad eliquandam pituitam. Si placet nares, & palatum fricentur diaphœnico, benedicta laxatiua: oxymellite scyllitico: admouendum capiti emplastrum, ex synapi, melle, aut caricis: si malis paretur ex synapi, castoreo, pyrethro, euphorbio, exceptis cera & mastiche liquatis in oleo aliquo cephalico, cuius loco sartaginem ardentem propè
D suturam admouebis, sed hęc, vt pituitosæ apoplexiæ prosunt, ita sanguineæ & calidę nocent.

CATALEPSIS, ET CATOCHE.

XIII.

CATALEPTICI non aliter, quàm apoplectici, aut caro detenti sensu, & motu priuatur: verùm ab apoplecticis facilè distinguũtur, quòd liberè respirent; à veternosis, quòd oculis apertis præsentes intueantur. Quidni dices illis palpebræ clauduntur? quia cataleptici à frigido sicco, superiores affectus à frigido humido: atqui frigore sicco ita tenduntur nerui, vt claudi non possint: frigore humido relaxantur, dicuntur etiam à Galeno
E catochi & κατεχόμενοι, congelati, apud quem commentario secundo ad primum prorrhetic. legere possis historiam cuiusdam catalèptici, quem leui admodum catalepsi laborasse existimo: nam audiebat, videbat, præsentes discernebat, quinetiam soluta accessione, quę solet esse trium aut quatuor dierum, meminerat eorum, quæ dicta aut facta erant: catalepsi autem cùm afficiatur cerebrum parte posteriore (vbi principium est neruorum & sedes memoriæ) si vehemens fuerit, vix potest integra manere memoria. Fernelius vidit duos priuatos omni sensu & motu, neq; cernebãt, neque audiebant, neq; puncti sentiebant: permãserunt in eo statu in quo erant cum primùm affectus inuasit, vnde nomen symptomati, ἀπὸ τοῦ καταλαμβάνειν: si te scribentem præhendat, calamum retinebis manu. Sanè non potest meliùs exprimi congelatio, siue catalepsis, quàm à Theone sto libro quem scripsit de veterinaria. Italiam

petentes (inquit) cùm Alpes superassemus, repentè tanta vis niuium circiter horam primam decidit, vt passim milites veluti congelati morerentur, equites distenti, & rigidi manebant equo superstite, qui omnes suo loco & ordine incedebant: omnes enim, veluti agglutinati suis equis, vix poterant auelli. Quòd si equus aliquis obriguisset, perstabat, & vndique fixus in vestigio manebat. Causa igitur cùm sit frigus siccum, vel externum, & immateriale: vel internum, vt vapor quidam humoris melancholici cerebrum, & neruos motorios obstruens, remedijs cerebrum & neruos valdè calefacientibus opus est, vt oleo liliorum, vel camomeli, cum castoreo, aut euphorbio: nisi malis solo oleo de castoreo, vel de euphorbio neruos, spinam & cerebrum illinere, & aquam vitæ ex cochleari exhibere, ijsque oleis immiscere. Extra paroxysmum, qui, vt dixi, non solet produci vltra tres aut quatuor dies, purgetur humor melancholicus, à cuius fumis frigidis & siccis catalepsis excitatur, nisi habeat externam & manifestam causam, vt aëris frigidam siccam intemperiem, cuius B
» remedium ita describit Quintus Curtius octauo suæ historiæ: Memoriæ prodi-
» tum est, quosdam arborum truncis non solùm viuentibus, sed etiam colloquenti-
» bus similes conspectos, durante adhuc habitu in quo mors quemque prehende-
» rat; qui vt summo frigore obriguerant, ita accensis ignibus tandem sanitati restituti
» sunt.

DE MOTV VOLVNTARIO, DE *perdito & deprauato, ac primùm de Conuulsione.*

CAP. XIIII.

ADHVC de motu abolito, deprauatur autem conuulsione (ad quem pertinent spasmus cynicus, seu oris tortura, & epilepsia): Tremore quoque & iectigatione, siue subsultu, de quibus superest vt disseramus. C

Conuulsio. Conuulsio est contractio inuoluntaria musculi versus suum principium, tensio neruorum dicitur à Celso, quia musculi per neruos, sua parte neruosa distenduntur. Est autē generalis aut particularis, vtraq; à repletione aut inanitione: Per se, aut per cōsensum, vera, aut non vera: ad hanc pertinent singultus & epilepsia, conuulsio totius est triplex, emprosthotonos, cum corpus antè, & opisthonotos cum ponè conuellitur, & Tetanus seu rigor, veluti ex vtraque constans conuulsio, cum ceruix manet rigida & immota, neque æger collum, aut corpus in istam, aut illam partem pro arbitrio inflectit. D

Conuulsio à siccitate ferè succedit febribus ardentibus, hæmorrhagiæ immoderatæ, diarrhœæ longæ, vigilis, inediæ, denique causis inanientibus, & neruos desiccantibus, vt immodicæ veneri, quæ etiam si sit insanabilis, quemadmodum quæ ab elleboro: tamen pronuntiato euentu, vt leniatur malum, & dulciùs moriatur, conuulsus mergatur in balneum ex hydreleo paratum: fit autem hydreleum ex oleo coctō cum aquæ sex partibus. Si placet parabitur ex lacte: Interim tota spina aliquo oleo relaxante & calastico, vt liliorum, amygdalarum dulcium, butyro recenti liniatur.

At conuulsis à repletione mox incidatur vena, & liberaliter mittatur sanguis ex aduerso, propter morbi magnitudinem, eoque liberaliùs, si succedat inflammationi. Purgentur pillulis fœtidis addendo singulis dragmis castorei ℈j. Nam Gal. cap. E de Castoreo ad conuulsionem à repletione non habet maius aut promptius remedium. Itaque detur dragma illius cum hydromelite quotidie, aut cum aqua saluiæ, betonicæ: addendo syrupi de stœcade cochlear vnum. Si placet in generali conuulsione caput, & ceruix oleo de castoreo inungatur, in particulari, origo nerui retracti cum membro conuulso, vt septima vertebra retracto brachio, os sacrum contracto crure. Aut vesicæ eodem oleo semiplenæ membro couulso vicissim applicentur calidè: refrigerata enim omnia remedia nocent. Rhasis etiam magni facit oleum costinum, benefacit vnguentum de althea, statim à litu, membrum conuulsum aut resolutum inuoluatur pelle vulpis, aut lupi (si fieri potest) recens occisi, alioquin inungatur oleo costi, aut de castoreo, deinde conspergatur ex floribus anthos, stœcados.

ana

A ana p. j. nuce moscata, caryophilis. Hippocrates commendat affusionem frigidæ, vt subito occursu frigoris calor retractus in viscera conuellentem humorem coquat & resoluat, sed remedium est plenum periculi, non vsurpandum nisi media æstate in corpore eusarco: potuit Græcis prodesse, Gallis non æquè. Item conuulsis à repletione febrem superuenire, bonum, quia dissoluit causam: neque properea arte febris excitari debet. Vtiliter membrum conuulsum vt resolutum immittitur in vulnus bouis recens occisi. Persumetur pars conuulsa fumo sequentis puluetis, ℞. florum anthos, stœcados, betonicæ ana p. j. nucis moscatę, cariophilorum, & castorei ana ʒ j. fiat puluis crassus, cuius portio proijciatur in prunas, æger interim vaporem recipiat membro conuulso, nisi malis vini in quo nerualia bullierint, aut aceti scyllitici vaporem: dropax vtilis est obstinato malo, pix fundatur in oleo costi, adde aliquid castorei.

B Vt ℞. picis ℥ ij. plùs minùs pro partis magnitudine, liquetur in quarta parte olei costini, adde semunciam castorei, fiat dropax: ad originem nerui quidam applicant cucurbitulam siccam, alij cauteria præferunt. Si retracta sint crura coxis & vltimæ vertebræ, si manus primæ vertebræ dorsi applicentur, in spasmo cynico ponè aures & in ceruice, in tetano, ceruici & scapulis: hæc de conuulsione primaria.

Puncturam quidam reducunt ad siccitatem, accidit autem aliquando per consensum, vt morsu animalis venenati, scorpionis, serpentis, vel puncto neruo, aura maligna ad principium neruorum sublata, qualem non tantùm ab externa, sed etiam ab interna causa excitari demonstrat Gal. tertio de locis affectis, præceptoris sui Pelopis exemplo. Conuellebatur enim per longam inediam stomacho à bile demorso. Huic C dato vomitorio succurendum est, illi cardiacis, vt data theriaca & admota, suctu, cucurbitulis, vt venenum foras attrahatur, cauterio actuali, vt putredo & venenositas omnis tollatur: Ignis enim domat omne genus veneni. Cæterùm, vt notat Paulus, quando solum labrum, vel palpebra, vel lingua conuelluntur, quia partes sunt exiguæ, vulgò leuis affectus videtur, est tamen grauis, & plenus periculi, quia aliquid grauius, vt apoplexiam, minatur.

DE SPASMO CYNICO.

CAP. XV.

D SPASMUM Cynicum vulgus appellat torturam oris, ac si maxillarum sola conuulsione, seu neruorum & musculorum maxillarium contractione perpetuò os intorqueatur. Verum certum est hanc faciei deformitatem sæpius accidere paralisi, seu eorundem neruorum, & musculorum relaxatione: plurimùm autem refert vnum ab altero discernere, ne applicentur remedia parti sanæ non ægræ. Distinguentur autem quinque notis, prima quòd sub paralysi pars sana (vt pote siccior) trahit ad se ęgram (vt pote laxam, & sequacem) at sub conuulsione pars ægra cùm sit tensa, frigida, contracta, trahit ad se sanam: secunda, quòd sub paralysi multa est, & frequens saliuatio, cùm fiat ab humore tenui. Sub spasmo cynico, seu canina cóuulsione, nulla: eò quod sit ab humore crasso & sicco. Tertia, quòd sub spasmo meliùs os clauditur, quàm sub paralysi. Quarta, quod maxillæ resolutæ nullus aut perexiguus insit sensus, nullus dolor. Postremò quòd spasmo afficiũtur nerui parte externa, hoc est in suis tunicis: paralysi in-E terna, id est in medulla: humor enim crassus, & siccus qui conuellit neruum, illius interiora seu medullam subire non potest. Qui verò committit paralysim, cùm sit tenuis, & fluidus, facilè ad medullam sese insinuat.

Ad spasmum præmittantur generalia, purgatio ex pillulis fœtidis cum castoreo, venæ sectio, primum in brachio, deinde sub lingua. Admoueantur ceruici cucurbitulæ, moueatur sternutatio, insufflato castoreo, masticet saluiam, pyretrum, teneatq; sæpè in ore nucem moscatam conditam, aut zinziber conditum, aut aliquid opiaræ ex conseruis neruabilus, saluiæ, anthos, stœcados, cum pauca nuce moscata condita, vtatur gargarismo ex syrupo de stœcade, vel oxymelite scyllitico cum aqua saluię, aut betonicæ, maioranæ. Olea, & vnguenta neruualia, vt costi, & de castoreo pro litu colli & faciei imperentur. Tandem cauteria ponè aures, & in ceruice, vide ne topica admoueas parti sanæ.

DE EPILEPSIA. A

Cap. XVI.

PRæter tres differentias generalis cóuulsionis quædam est peridioca,
quæ per interualla inuadit cum mẽtis & sensuum læsione, quę epilepsia
nominatur, morbus sacer, & planè Herculeus: ex omnibus conuulsio-
nibus cum sola epilepsia status habeat paroxysmos, hac sola nota à cæ-
teris potest distingui. Primariæ accessio inuadit obstructis anterioribus
ventriculis cerebri: nunquam enim fit ab inanitione. Obstructionis causa, intem-
peries frigida, quæ materiam paulatim congerit: congregatus humor in cerebro tan-
dem opplet ventres, inde paroxysmus: conuellitur corpus dum cerebrum sese com-
primit vt excutiat humorem vel flatum obstruentem. B

Morbus est pueris familiaris propter ingluuiem, & cerebri humiditatem, verum
aucto calore per ætatem, resiccatur cerebrum, & sponte, saltem leuissimis auxilijs,
sanescunt: Accedit seminis & menstrui noua & insolens excretio. Quòd si non ter-
minetur intra annum 25. commorietur: epilepsiam enim per consensum, non pri-
mariam sanarunt qui se quadragenarios epilepticos persanasse gloriantur: Gordo-
nius multos curauit & ab alijs curatos vidit, sed neminem vidit persanatum: Quan-
do eò procedit malum, vt cadentes clament, dentibus strideant, spument, aut semen
inuoluntariè emittant, Si mens læditur, aut neruorum fiat resolutio, conclamatum
est: Vix autem sanescet cuiuscunque ætatis fuerit cui totum corpus simul afficitur:
nullaq; in parte sensus est venientis mali, sed ex improuiso concidit: Aliquando ac-
cessio est, tam leuis, vt ab Auicenna spasmus insensibilis dicatur, sed hunc credibile C
est fieri per consensum à vapore aliquo ex partibus inferis, vt liene, ventriculo vel
vtero ad cerebrum translato: nam epilepsiæ primariæ solent esse longiores & gra-
uiores, paroxysmi interdum conuulsorij: quo signo imprimis discernentur, deinde
quòd primariam præcedant grauitas, & dolor capitis, caligentq; oculi, vt est apud
Trallianum.

Remedia generalia, hyeme purgatio, ex pillulis fœtidis cum castoreo, aut de
hyera cum agarico, æstate syrupus solemnis: venæ sectionem in brachio laudat Au-
relianus (si cætera consentiant) Celsus præfert saphenam. Notabis à recentioribus,
vt apoplexiam, sic epilepsiam quoque sanguineam obseruari, in qua licet auden-
ter mittere sanguinem, detur per aliquot dies ʒj. castorei cum ℥ß. oxymelitis
scyllitici, dissolue in aqua, aut decocto seminis & radicis pæoniæ: errhinis, & masti- D
catorijs depleatur cerebrum: Pentaphylli decoctum vt ligni sancti aut salsæ parillæ,
vtiliter datur quia sudores mouet, applicentur scapulis cucurbitulæ, cauteria in ca-
uo occipitis, aut ad fontanellam, cerebrum sacculis plenis milio & sale: cucufa, em-
plastro de betonica desiccetur: Paretur opiata ex conseruis cephalicis cum mithri-
datio veteri addendo epileptica, quæ iuuant proprietate, vt vngulam alces, cranium
humanum, viscum quernum, aliquid pulueris diambræ, aut diamosci: ambræ enim
griseæ frequens odor imprimis à Siluio commendatur: Gal. 10. simplicium, laudat
coaguli leporis quantitatem, erui, sumptam ex aceto. Alij ramentorum eboris ʒij.
quotidie manè sumptas, cum hydromelite, alij gestant vngulam alces pala annuli in-
clusam. Radix Pæoniæ quotidie frigatur cum butyro & edatur. Sit vsus frequens
conseruæ ex floribus Pæoniæ: Quindecim grana fructus Pæoniæ siccata, deinde E
Cap. 134. trita, ex aqua aut vino vtiliter dantur, autore Dioscoride libro tertio, quod est Pauli
& Ætij experimentis comprobatum.

Mihi præ omnibus probatur hoc Gordonij magisterium, ℞. ambræ griseæ, se-
minis pæoniæ, & styracis, calaminthæ ana ℥j. ladani, mastiches, cariophilorum, &
ligni aloes ana ʒiij. moschi gr. vj. fiat confectio cum aqua rosarum, quę diuidatur in
tres partes. Ex prima fiant pillulæ sumendæ noctu, scilicet pillula vna. Ex secunda,
pomum frequenter odorandum, ex tertia trochisci, quorum vnus proijciatur in pru-
nas: epilepticus inspiret vaporem.

Cæterùm alia sunt morbi, alia paroxysmi remedia, Castoreum olfactum, ruta na-
ribus admota, aut oleum aliquod tenuium partium in aures instillatum: vt anethi,
cinamomi, castorei. Theriaca in os immissa ab accessione releuant: Vnguibus oc-
ciput

A cipnt scalpendum, vel cadentis sanguine labra oblinenda. Valescus auctor non contemnendus affirmat se multoties expertum epilepticos mox resurgere, si ter in aurem hæc insusurrentur.

Gaspar fert mirrham, thus Melchior, Balthasar aurum,
Hæc tria, qui secum portabit nomina regum
Soluitur à morbo Christi pietate caduco.

Non est pretereundum aliquando à vermibus epilepticos insultus aduenire, quibus deturbatis, disparent. Aliquando ab aura putri, & venenata quæ assurgit ex aliqua parte, vlcere fortassis carioso: liganda tum erit pars supra mineram siue focum: applicetur verò parti cauterium, vt via pateat auræ putri & venenatę, simulque putredo sistatur. Sentiebat aliquis à tibia inferna vaporem efferri, cauterio potentiali tibiæ applicato sanatus est. Alter à putri & carioso cranio per suturas aliquid
B transmitti, qui conualuit admoto pyrotico. Abstineant coturnicibus, Turturibus autem frequenter vtantur, ex corio capre confectas chirotecas ne gestent. Confértne vomitus epilepsiæ? Distinguo: confert quidem ei quæ accidit per consensum ventriculi, nocet primariæ.

DE STERNVTATIONE.

CAP. XVII.

C STERNVTATIO tam affinis est epilepsię, vt illam quidam paruam epilepsiam appellarint. Sub vtroque affectu cerebrum sese vehementer comprimit vt noxium excludat, bonum signum ex mala causa: bonum signum, inquam, quia expultricis robur indicatur: Ideo enim instante morte nunquam sternutant ęgri, quia languet excretrix. Quòd si sternutatorio aliquo insufflato, vt pipere aut castoreo non sternutent, moriuntur. Ex mala causa, nempè humore, aut flatu mordaci, suaque qualitate, vt acrimonia, excretricem irritante: fortassis apud nos inualuit hæc consuetudo, vt bene precemur sternutantibus, ac si rogemus Deum, vt liberet illos ab epilepsia: parturientibus quidem vtiliter accidit, quia facilitat partum. Hippocrates iubet, vt arte prouocetur ad excludendam secundinam morantem: at infœliciter aliquando aduenit, vt initio catharri, quia caput replet, eoque infeliciùs, si materia cruda in thotace fuerit collecta: Frequens sternatatio in morbis plurimùm lethalis:
D Hęmorrhagię quoque nocet plurimùm: distinguenda causa quæ immodicè, & intempestiuè sternutationem commouet, vt vnicuique suum remedium opponatur. Esto causa humoris alieni in cerebro contenti acrimonia, vel sternutatorium acrius, vt ex elleboro insufflato, refrigerantia naribus admouebis, vt oleum rosaceum, violaceum, nenupharinum, vel offeres odorandum linteum, aqua stillatitia aut decocto rosarum, violarum, florum nenupharis intinctum, aut oxycratum attrahat naribus paratum ex aqua rosarum, & pauco aceto. Causæ verò frigidæ, vt pituitæ putri & flatulentę oppones decoctum ex cephalicis calidis, betonicę, maioranę, & floribus chamomeli. Oleum etiam lauri, anethi, chamomeli in aurem vtiliter instillatur, Spongia aceto imbuta naribus admota, immergēda manus in aquam feruentem. Basilisci herbæ frequens odoratus creditur proprietate sedare sternutationem: Holerius tamen inde natum scorpionem in cerebro obseruauit, vulgi reme-
E dium est perfricare interstitium quod in radice nasi vtrique oculo interijcitur, frontem, collum, oculum: frictione enim cerebrum incalescit, & flatus discutitur. Cæterùm vehemens sternutatio non tantùm est deprauatus & violentus motus cerebri, sed etiam colli & thoracis: illius enim musculi coöperantur ad vehementem sternutationem. Propterea, vt dixi, nocet initio distillationis in pulmonem, quia materia adhuc cruda frustrà commouetur.

DE TREMORE. CAP. XVIII. A

TREMOR est motus deprauatus propter imbecillitatem aut obstructionem neruorum, senes sunt tremuli, neruorum & motricis imbecillitate, qui tremor est insanabilis, quia cum ætate augetur illa imbecillitas: accidit etiam neruis perfrigeratis, & debilitatis venere immodica aut crapula, necnon potu frigidę, balneo aut aëre frigidiore. Denique omnibus quę debilitant & refrigerant neruos, cui causę succurrendum est remedijs quę ad stuporem præcesserunt: Tremor enim & stupor sunt præcursores paralysis, in eamque degenerant, si perseuerent. Tremori à crapula peculiariter medetur oleum paratum ex trifolio vulgari: Alia occasione tremunt membra, videlicet ministris aurificum inauratoribus, propter assiduum contactum argenti viui, Aliquando B etiam propter luem veneream, diutius aut copiosiore hydrargiro inuncti, toti tremunt horrentque, quibus singulariter medetur oleum de sulphure, quod ita parabitur: sulfur feruefiat in aqua vitæ, vsque dum enatet liquor, quem oleum appellant, qui excipiatur cochleari pro litu articulorum, aliquoties cōmutanda erit aqua, dum satis olei collectum sit: Quidam conseruis cardiacis rosarum violarum buglossi, boraginis, melissæ, immiscent puluerem auri, & inde paruum bolum conficiunt. Alij scobem delimatam exhibent cum vino: Certò enim experimento aurum ad se attrahit argentum viuum: parcendum hîc venę, sed multò magis in superiore causa, siue immodica venere, nisi complicatus aliquis morbus, vt angina, aut pleuritis hoc suadeat. Est altera causa tremoris, nempè obstructio neruorum, propter quàm facultas motrix à cerebro per spinam ad neruum motorium liberè non appellit: Est enim tremor, motus compositus ex animali & naturali: anima, id est, animalis facultas, conatur membrum attollere, sed cùm satis potens non sit, à natura. j. pondere suo, deprimitur: de hoc tremore scripsit Hipp. libro 6. aphor. aphoris. 26. febribus ardentibus aliquando superuenire tremorem, materia febrifica ad neruorum principium siue ad spinam translata, qui, vt ait Galenus libro De tremore, vacuato illo humore febrili sanescit, tremori ab obstructione vtilis est venę sectio, verùm quæ vena secanda? Hippocrates puerperæ tremulæ quod lochia non liberè erupissent, aperuit saphenam; sed causa tremoris erat manifesta, & quoties à suppressis mensibus tremor adueniet, imitandum erit Hippocratis consilium, alioquin aperienda erit basilica, sed parciore manu mittendus erit sanguis quàm morbus postulet: Præstat enim in affectibus neruorum vt paralysi, D conuulsione, tremore infra subsistere, ne refrigescant nerui iam per se frigidi; accuseturque remedium alioquin perutile. Cucurbitulas etiam admouebis spinæ, siue ad fontem fluxionis, ipsique cerebro, vt parti mittenti prospicies, nisi, vt dixi, euidens sit causa, vt suppressi menses; aut lochia, aut materia febrifica ad spinam translata. Topica sint nerualia, vt oleum vulpis, costi, castoris; vnguenta nerualia, Opiata ex conseruis bethonicæ, anthos, acori, stœcados, mithridatio: Castorei, ℥j. sæpiùs data cum hydromelite, Obstruens humor resoluatur & imbecilli nerui roborentur: purgentur pillulis fœtidis, vel de sagapeno, benefacit etiam hydroticum, vt decoctum ligni sancti, Thermæ Spadenses, Niuernenses, balneum sulphureum: Paulus tremulos à neruis desiccatis, vt cùm tremor succedit febribus ardentibus, mergit in hydrœleum non aliter, quàm conuulsos à siccitate, lac caprillum prodest tremori à quacunque causa quemadmodum & vrina pueri quotidie E à ieiuno epota.

DE JECTIGATIONE SIVE SVBSVLTV membrorum. CAP. XIX.

SVBSVLTVS valdè affinis est tremori. Tremunt enim membra, sed longioribus internallis, accidit multoties febrientibus, significatque materiam rapi ad cerebrum, neruos aut partes neruosas, vt meningas vellicari à fumis mordacibus, obseruaui non semel ingentem subsultum instante crisi: metuebant assidentes ne quid sinistri contingeret, sed consequutus est generalis

A generalis & calidus sudor, qui febrē perfectè terminauit. Potest referri ad palpitationem: partes enim molles & dilatabiles; dum à flatu attolluntur, simul totum membrum extollunt, quę mox suo pōdere recidunt: adeò vt subsultus videatur palpitatio generalis, vt palpitatio subsultus quidam particularis, partium mollium & dilatabilium tam externarum, vt frontis & genarum, quàm internarum, vt cordis, vētriculi, vteri, intestinorum. Conclusus flatus intra tunicas ventriculi palpitationem efficit. Remedia sunt vt humorem peccantem purges, & flatum discutias, purgabis pillulis de hyera cum agarico, resolues flatum, litu ex oleo carminante, vt lauri, anethi, rutæ, habebunt singulæ palpitationes, vt cordis, ventriculi, suo loco sua remedia.

Quoties generalem subsultum in febribus obseruabis, toties ægrum audenter purgabis, vt diapruni solutiui ʒvj: ad reuellendam bilem & à cerebro retrahendam, alioquin periculum est delirij.

B

DE EXCRETORVM RETENTORVMQVE *ametria exercitatio tertia.* CAP. XX.

PRÆCESSERVNT symptomata primi generis quæ ad actionem læsam pertinent: Instat vt de secundo genere disseramus. Immoderatio in excretis contingit, quoties cerebrum, vel quantitate materiæ grauatum, vel eiusdem qualitate, vt acrimonia, irritatum, onus in totum, vel in subiectas partes deponit, vel in patentes & ordinarios ductus, nares, os, & palatum, vel occultos: neruos, venas, arterias: hinc cerebrum non absurdè omnium morborum parens perhibetur, fluxione facta in oculos per tunicas, quę à meningibus oriuntur, aut per neruum opticum, fiunt ἀμαύρωσις, vulgo gutta serena, repētina obstructio nerui optici, quę visum eripit: ἐπίφορα quoque seu lachrimatio inuoluntaria, suffusio siue cataracta. Si per nares liberalius tenuis humor destillet, coriza dicitur, quæ actimonia sua aliquando nares exulcerat: ex vlcere simplici sæpè fit putre, quod ozena dicitur. Inde etiam est polypus, excrescētia carnis in naso. Quod si destillatio descēdat in os, propriè tum catharrus dicitur, quanquam & ῥεῦμα seu destillatio omnis quandoq; ita, generaliori nomine, nuncupetur. Si in fauces, raucedo siue branchus, si in gurgulionem staphyli, quod si à faucibus per asperam atteriam deerret in thoracem, morbos thoracicos inducit, vt pleuritidem, phtisim, Asthma, catharrum suffocantem. Si per œsophagum descendat in ventriculum, illum relaxat, appetitum, & coctionem peruertit, diarhœam deinde parit, lienteriam, colicum dolorem. Quod si per venas diffluat, febrem excitat catharralem, & affectum rheumaticum, ἀτροφίαν, καχεξίαν, λευκοφλεγματίαν, tota massa sanguinis à catharro contaminata. Si per arterias transmittatur compatiente corde per aortam, frequens vrgebit syncope, difficilis palpitatio. Si per neruos feratur, nascentur neruorum affectus nouissimè commemorati, stupor, tremor, paralysis, conuulsio. Vidi sæpe luxatas vertebras catharro per spinam descendente, Vrget tum dolor in dorso aut in lumbis, impeditur motus, vixque potest erigi corpus. Hinc gibbi, claudicationes, ischiadici cruciatus. Fernelius ab exteriore cerebro existimat oriri arthriticos dolores. Sanè à cerebro ferè semper oriuntur, sed ab interiore, facta fluxione per venas, arterias, & neruos. Quibus ita constitutis patet duobus modis à medico destillationem considerari, per se, vt est, symptoma secundi generis (quo sensu hîc à nobis consideratur) & vt causa morbifica: nihil enim prohibet quin symptoma aliquando sit causa morbi: nam dolor sæpe fluxionem accersit, à qua tumores præter naturam excitantur: Quoties cerebrum causa alterius morbi videbitur, toties pro morbi istius depulsione in duo animum cogitationemq; defiges, in partem affectam, vt excipientem, & in cerebrum, vt partem mittentem. Nos catharri, vt symptoma est, primùm causas, deinde remedia arte & methodo iam constituta perquiramus.

Hip. lib. de glandul.

C D F

Immoderationis omnis in excreto causa est, actio quædam læsa. Catharri quæ? animalisne an naturalis? Nam cerebrum præter animales (quas habet, vt instrumentum) habet etiam naturales functiones, vt similare: nutritur enim, vt quæuis alia pars, naturæ suæ congenere, hoc est pituitoso sanguine: quem idcirco ad se trahit, retinet, assimilatque: alimenti verò reliquias in sanis dum bene habet, per patentes ductus atque etiam per suturas excretricis robore expellit, verùm si qua in- *Catharrus.*

temperie laboret, malè coquit; hinc prouentus excrementorum, quibus non potest A facilè sese expedire, tandem granatum quantitate, aut qualitate irritatum, retentricis imbecillitate, qua potest sese exonerat, catharrum igitur producit actio naturalis læsa, non animalis, quæ tantùm ex consequenti læditur. animales enim functiones solito peius obit cerebrum intemperatum, humoris alieni copia onustum, naturæ functiones omnes lædit intemperies aliqua; quæ? frigidáne semper, an aliquando etiam calida? Sanè, vt plurimùm cerebri intemperies frigida est causa catharri, non semper. Veruntamen calida cerebri intemperies alio modo catharrum facit, quàm frigida: calor enim vndique vapores ad se trahit, caput figuram habet cucurbitulæ: si accedat flamma seu alienus calor, haud dubiè non aliter, quàm cucurbitula humores, ad se rapiet vapores, qui à cranio reflexi, aquescunt, inde catharri materia. Auicenna ad figuram, & calorem cerebri adiungit intemperiem hepatis calidam; catharro enim præ cæteris sunt obnoxij quicunque habent iecur præcalidum: Eiusmodi enim iecur, congenerem facit sanguinem proindeque vaporosum, quiquidem vapores siue attrahantur, siue calore & leuitate sponte sursum ferantur, materiam suggerunt destillationi. Aristoteles idcirco hominem præ cæteris animantibus destillationi obnoxium esse scribit, quòd solus habeat rectum corporis situm, propterea enim vapores rectà feruntur sursum: Calidam fluxionem ostendit prutitus nasi in coriza, aut oris in catharro, aut palati, & pectoris in raucedine, cui singulatiter phlebotomia succurrit: sola enim destillationes calidas reptesit, quòd si accesserit calor hepatis, non est dubium audentiùs, & liberaliùs tum mittendum esse sanguinem, quia sanguis feruet, & eadem operâ parti mittenti consulitur. At in frigido, & pituitoso catharro, abstinendum missione sanguinis, nisi, aut febris fuerit coniuncta, aut insignis plenitudo. purgandum frequenter phlegmagogis quæ materiam catharri vacuent, vt pillulis cocijs, de agarico. In materia calida C ad ℥j. cassiæ, adde rhabarbari ℈iiij. Purgabis enim astringendo. Cùm purgaris, sequitur scopus alter curationis, nempè vt sistas fluxionem, quod fiet patentiores vias claudendo, & tenuiorem humorem incrassando: Itaque catharrosi quotidie hora somni capiant duo cochlearia, plus minus, syrupi rosarum siccarum, & iuiubini. Prior astringit, posterior incrassat, aut præscribe tantundem diacodij. Si placet ad veterem, & liquidam conseruam rosarum adde boli, terræ sigillatæ, vel coralli, tantillum, de qua capiat quantitatem nucis iuglandis hora somni, quo tempore catharrus solet commoueri. Vel. ♃. conseruæ rosarum & symphiti ana ℥j. coralli rubri, boli armenti, terræ sigillatæ ana ℈j. cum syrupo rosarum siccarum fiat opiata, de qua capiat dormiturus ʒj. pro dosi: vel ♃. coralli rubri, terræ sigill. & boli ana. ℈j. excipiantur sacchàro in aqua rosarum soluto, fiant paruæ tabellæ, quarum vnam sæpè D contineat ore, vel ♃. seminis papaueris albi, seminis lactucæ, & portulacæ, sacchari candi, pænidiorum, diatragacanthi ana ℥ß. opij gr. duo cum syrupo iuiubino, fiant pillulæ tenendæ sub lingua, quę inde hypoglotides, seu hypoglottia nominantur. Ad eundem finem excipiat naribus (si coriza molesta fuerit) vel ore si branchus, vel catharrus, vaporem aceti proiecti in tegulam ardentem, vel pulueris sequentis. ♃. rosarum rubrarum, mastiches, & succini ana ʒij. fiat puluis ad eundem vsum. Auicenna sandaracæ magnam vim tribuit in sistendis omnibus destillationibus: est autem sandaraca Arabum, vernix vulgaris, cuius poteris addere ʒij. superiori puluerí: Vt diuertas fluxionem, admouebis brachijs cauteria inter bicipitem & deltoidem: capiti etiam prospicies iam commemoratis remedijs, litu, fotu, E sacculis, cucufa, emplastris, vt intemperies corrigatur, & humor per suturas vacuetur. Quin etiam iecori refrigerando studebis, si fortassis catharrum fouere videatur. Auicenna non tãtùm præscribit iecoraria (vt syrupos de endiuia, de chicorio, aquas, atque ex his epithemata) sed etiam balneum, corpore diligenter repurgato: ad sanguinis, & hepatis feruorem temperandum. Cæterùm Trallianus reprehendit Galenum quòd etiam in distillatione calida vesicatorium admouerit capiti, quia calefaciunt quæcunque vesicas excitant, augéntque intemperiem calidam. Verùm Galenus non vt alterans præscribit, sed vt vacuans. Quidam habent pro singulari remedio ad catharrum dormire capite demisso: hoc enim situ corporis vapores ad cerebrum non ascendunt.

Nos & vesicatoria & cauteria iuxta suturas ad eundem finem applicamus.

Recen-

A Recentiores annotarunt, quando iecur est primus fons catharri, aut ventriculus malè coquens, ad reuulsionem, vtiliter admoueri cauterium cruribus, vt fontanellę ad vacuationem: brachijs ad diuersionem quoties à cerebro originem habet: Victus sit tenuis, quia repletio est nutrix catharri, cænandum parcè.

Vt sis nocte leuis, sit tibi cœna breuis.

Quia copiosioris alimenti vapores suggerunt pabulum catharro, & distrahitur calor à coctione catharri, occupatus in alimento coquendo. Abstinendum vino, saltem mero, quia vaporosum. Gestandus pilleolus (vt sis diu senex, sis citò senex) qui caput frigidum defendat ab aëris iniuriis, poterit inferciri puluere cephalico, benefacit hydroticum, quinetiam pro ordinario potu vtantur per aliquot dies secundo decocto. Prosunt etiam laconicum, & stufæ siccæ, nisi catharrus manifestè sit calidus, & iecur plus satis incaluerit, fugiat aërem frigidum, & humidum, ne diu dormiat, quia longior somnus humectat, & fumis replet caput, Vigiliæ verò desiccant:
B Esuriant, sitiant, vigilent, qui rheumata curant. Schola Salernitana non damnat somnum (coquit enim si moderatus) sed longiorem. Imprimis somnum fugiant meridianum: solis enim senibus conceditur: Ita enim Homerus de Nestore.

Vt lauit sumpsitque cibum, dat membra sopori,
Námque hæc iusta seni ---

Nocet supinus decubitus quia calefacit renes, vnde per spinam multi vapores assurgunt ad cerebrum, dormiant erecto capite, præsertim qui sunt obnoxij destillationi in pulmones. Quia hoc situ epiglottis clauditur, nec paret via destillationi, studeant recti, non proni, & veluti mensæ incumbentes.

Quemadmodum cùm retentricis imbecillitate, aut excretrice à causa morbifica
C lacessita, exeunt de cerebro, retinenda, quia intempestiuè fluunt & maiore impetu: infiniti morbi in toto, & in subiectis partibus oriuntur: Ita quando in cerebro ipso retinentur excernenda, in ipsomet cerebro tãquam in subiecto nascuntur iam commemorati affectus, Apoplexia, epilepsia &c. Retinentur verò, vel obstructis vijs, vel excretricis impetentia. Quibus causis opposuimus errhina, & masticatoria quę vim haberent detergẽdi & aperiendi: Topica quoque resoluentia, quę naturam onustam per suturas liberarent, cerebrumq; ipsum roborarent, generalibus præmissis purgatione & venæ sectione. Sanè qui ex retentorum, & excretorum ametria non tantùm cerebri, sed omnium ferè morborum causas repetiuerit tanquam ex primo fonte, illecum ratione fecerit: Nam à retentis fiunt in cerebro, ab excretis à cerebro, in toto, vel in subiectis partibus ferè omnes morbi.

D

PARTICVLARIS METHODI MEDENDI SECTIONIS PRIMÆ,

TRACTATVS SECVNDVS.

E *IN QVO ENVMERANTVR MORBI oculorum, eorumdémque curandorum primum generalis, deinde particularis methodus explicatur.*

MORBI SIMILARES. CAP. I.

Cvli, vt sunt naturæ mollis, & delicatæ, ita leuissima occasione offenduntur: fumo, puluere, splendore, aquilonio flatu, tetro vapore, qualis è minera exhalat, hoc tamen habent proprium, & peculiare, quòd non gelantur, quia sunt ignei, & constant aëria pinguedine. Patiuntur omne genus morbi,

ſimilare, organicum, commune: vt partes ſimilares laborant omni intemperie, ca- A
lida, quoties à fumo aut puluere conturbantur, quæ perturbatio procedens ab ex-
terna cauſa propriè τάραξις nominatur, rubor oculi phlogoſi ſimilior, quàm phlegmo-
næ, quia rubet abſque tumore. Intemperies frigida hebetat viſum: humida dilatat
pupillam: ſicca, vel totus oculus, vel pupilla corrugatur, ſiccatur, extenuatur, vt ac-
cidit extremo ſenio, & venere immodica inde φθίσις & ἀτροφία oculi: appello φθίσιν, exte-
nuationem pupillæ, cùm ſit anguſtior, & obſcurior ἀτροφίαν: verò cum totus oculus
manifeſtè minuitur, inopia alimenti.

Morbi organici.

Vt inſtrumentum verò patitur morbos numeri, magnitudinis, ſitus, conforma-
tionis: conformationis (inquam) in figura, meatu, & aſperitate. Eſt vitium in ma- B
gnitudine, quoties ſunt iuſto maiores & eminentiores: præſtat eſſe minores, quia vir-
tus coacta maior eſt quàm diſperſa, minuſq; patent externis iniurijs: Inde fit, vt qui
à natura habent exiguam pupillam acutiſſimè videant, non ſi ex accidenti, vt ſi im-
moderata venere extenuaretur; fieretq; foramen anguſtius: tunc enim res videntur
maiores quàm ſint, vt eadem dilatata minores: huc referri poſſunt ἐγκανθὶς, & quæ illi
opponitur ῥυάς: contraria enim ſunt eiuſdem generis. Ἐγκανθὶς eſt excreſcentia eius car-
nis; quę eſt in maiore cantho. ῥυάς verò quando eadem caruncula eroſa veluti hiatus
apparet.

Morbi numeri.

Ad morbos numeri pertinent ὑπόχυμα ſeu ſuffuſio (vulgo cataracta) eſt humor con-
cretus inter corneam & vueam. Item πτερύγιον, quod eſt Sebet Arabum, ὄνυξ ſeu vngula C
& ὑπόπυον. Πτερύγιον eſt membrana neruea, quæ vt plurimum, à magno angulo procedit
ad pupillam vſque, tandemq; aliquando totum oculum tegit. ὄνυξ verò ſeu vnguis eſt
cicatrix ab vlcere, quæ vnguis refert imaginem. Ὑπόπυον eſt pus ſub cornea colle-
ctum, quale ſuccedit inflammationi ſuppuratæ & χήμωσι, ὑποσφάγματι, ſeu cruentatis,
& ſugillatis oculis, quales ſunt cùm ſanguis liuet aliqua vena aperta, rupta aut exeſa.

Morbi ſitus.

Ad morbos ſitus pertinet ἐκπιεσμὸς, cum totus bulbus extra ſuam orbitam egredi-
tur, quod accidit relaxatis muſculis qui opticum neruum obuoluunt, qui πρόπτωσις;
ſeu prolapſus oculi dici poteſt. Quamquam Paulus appellet πρόπτωσιν, cùm eroſa
cornea, vuea procidit, cuius προπτώσεως diuerſa ſunt nomina: Primum enim cùm emi- D
net vuea, quia velut caput muſcæ refert, κέφαλος appellatur. Cùm verò ampliùs cre-
uit, & acinum vuæ repræſentat, σταφύλωμα nominatur. Cùm plus increuit, & occalluit,
quia capitis claui refert ſimilitudinem, inde clauus nominatur, vterque affectus eſt
morbus in ſitu, verùm prior eſt totius oculi; poſterior vnius duntaxat particulę, nem-
pè vueæ.

Morbi conformationis.

Morbi conformationis ſunt, cùm naturalis oculi figura peruertitur, vt ſtra-
biſmo ſeu conuulſione, μυδριάσει ſeu pupillæ dilatatione: Morbi quoque in via, vt
obſtructio repentina nerui optici, quę ἀμαύρωσις nuncupatur. Æger nihil omnino vi-
det, cùm tamen in oculo nulla appareat cauſa. Oculorum tunicæ quæ debent
eſſe læues, terſæ, politæ, aliquando interna, vel externa cauſa, vt puluere, fumo, E
exaſperantur.

Morbi communes.

Morbos communes frequentiſſimè patitur, vt vlcera, & tumores contra natu-
ram, imprimis phlegmonem, quæ ὀφθαλμία dicitur: illa dignoſcitur tumore, rubore,
& dolore. Vlcera verò ſe manifeſtant pruritu, dolore, & ſanie, verùm non tantùm
adnata, ſed etiam cornea quandoq; vlceratur, vtra ſit vlcerata, hoc ſigno facilè diſ-
cernes, quòd vlcerata cornea, in nigro oculi veluti punctum album appareat cum
vlceris prędictis ſignis: Vlcerata verò coniunctiua, in albo oculi veluti punctum ru-
brum appareat, horum morborum curandorum artem priùs expediam, quàm deſ-
cendam ad ſymptomata.

A *Curatio.*

Præceptum est Platonis in Carmide familiare Galen. Quemadmodum frustrà medetur capiti, qui priùs toti non prospexerit: Ita temerè remedia oculis præscribi, nisi prius capiti fuerit consultum, vbi est origo oculorum, & fons omnium ferè morborum qui fiunt fluxione. Itaque imprimis purgandum est corpus pillulis lucis maioribus in causa frigida, minoribus in calida: vel senna & agarico, quæ bullierint in decocto, aut aquis stillatitijs fœniculi, & euphrasiæ, quibus veluti vehiculis vis purgatrix ad oculos deferatur, adde quòd agaricum cerebro, senna oculis specialiter prodest.

Venæ sectio vtilis calidis, non frigidis morbis, neque enim temerè vulgo persuasum est, phlebotomian visum debilitare: nam exhaurit animales, proindeq; visiuos

B spiritus, quia vapor sanguinis seu spiritus naturalis est materia spiritus vitalis, vt hic animalis: oculi autem debent esse ignei, & pleni animali spiritu.

Masticatoria haud dubiè prosunt ad deriuationem humoris morbifici à cerebro. Verùm errhina nocent, præsertim vehementiora, quia trahunt ad partem afflictam: maximus enim est narium cum oculis consensus: manifestum est foramen ab oculo in narem, cuius operculum est caro lachrymalis: verùm dicet aliquis. Aëtius præscribit errhina, distinguo: leuiora, neque fiente, sed iam facto morbo, humore iam fixo, non fluente. Cucurbitulæ scapulis admotæ ab oculis fluxionem reuellunt, quemadmodum Setum, & cauterium in inio. De Vigo byrudines, & vesicatorium applicat ponè aures. ♃. fermenti acris ℥j. cantharidum, & seminis synapi ʒj. misce pro vesicatorio. Ibi Fernelius iubet applicari cauterium, subiungit rationem, quòd

C inde ramus à vena iugulari intro subeat, & ad opticos neruos vtrinq; excurrat, alij secant venas.

Quoties tumentes venæ frontis fluxionem esse externam indicabunt, tumoremq; descendere à pericranio, à quo oritur coniunctiua, toties vtiliter sistetur adstringente aliquo frontali, quale parabitur hoc modo. ♃. Emplastri contra rupturam, desiccatiui rubri ana ℥j. malaxentur cum oleo myrrbino, aut rosaceo, extendantur super linteo, fiat frontale, quo etiam tempora cingantur, vel ♃. farinæ volatilis ℥j. ß. boli armeni, & sanguinis draconis ana ʒij. agitentur cum albuminibus ouorum, & oleo rosaceo, fiat frontale, non erunt negligenda topica admouenda capiti, vt cucupha exsiccans, densiorem comam iuuat abradere, masticatorijs caput deplere, atq; gargarismis & errhinis.

D Hoc enim est præceptum generale, quoties morbi fiunt fluxione, non tantùm prospiciendum parti excipienti seu laboranti, sed etiam mittenti. Præterea humor tenuis incrassandus est, & viæ laxiores adstringendæ, hoc postremum præstabit frontale præscriptum: primùm verò cephalica iam commemorata.

Vsus vini eufrasiæ imbecillos, & malè affectos oculos confirmat, vel puluis ex euphrasia, & fœniculo dulci ana ʒj. cum duplo sacchari sumptus à pastu. ♃. Coriandri præparati ℥j. euphrasiæ, & fœniculi ana ℥ß. cinnamomi ʒj. macis ℈ij. cum duplo sacchari fiat puluis quotidie vtendus à pastu ex cochleari; si placet excipiatur melle cocto cum succis fœniculi, & euphrasiæ, inde fiat confectio, de qua capiat manè & serò quantitatem iuglandis.

Pro generalibus topicis, describam duo collyria, vnum in morbis calidis initio

E fluxionis præscribendum, vt repellat: alterum in statu & declinatione morborum calidorum, In frigidis verò quolibet tempore vsurpandum. Prioris collyrij sit hæc formula. ♃. mucaginis seminis psylij, & cydoniorum extractæ in aqua rosarum, vel plantaginis ana ℥ß. cum eiusdem aquæ ℥ij. fiat collyrium liquidum, vulgare est ex albumine oui recentis agitato cum aqua rosarum, vel plantaginis.

Resoluentis verò sit hæc formula. ♃. mucaginis fœnugræci extractæ in aqua euphrasiæ, vel fœniculi ʒj. fiat collyrium, vel cum eiusdem aquæ ℥ij. fiat collyrium liquidum. Pauca mucilago præscribenda est, quia citò acescit.

Debéntne collyria tam calida instillari, quàm tolerari poterunt, vt placuit Scribonio? An frigida, vt Mesuæo; an tepida, vt Galeno? Me iudice instillanda sunt tepida, nisi affectus aliud postulet: nam oculis valdè calentibus frigidam affundimus, valdè refrigeratis debentur calida, alioquin mediocriter calefacta vsurpentur.

EXERCITATIO IN PROPOSITIS oculorum morbis. CAP. II. A

Intemperies oculi.

NTEMPERIES nuda alteretur suo contrario. Calidiores oculos refrigerabit atque etiam roborabit, qui quotidie illos abluet frigida, vel aquis rosarum, Plantaginis. Frigidiores verò mediocriter calefaciet, qui aquis euphrasiæ, fœniculi, rutæ, chelidoniæ sæpè illos abluet. Humidiores siccabit, si tuthiam in iisdem aquis macerarit.

℞. Tuthiæ ʒj. infunde in aquæ euphrasiæ ℥ij. fiat collyrium: sicciores humectabuntur sæpè instillato lacte muliebri vel caprillo aut fotu ex decocto maluæ, bismaluæ, violariæ, naribus attracto oleo violaceo. Quòd si intemperiei iuncta fuerit materia, resoluatur collyrio ex mucagine fœnugreci extracta in aquis prædictis, vel fœnugrecum frigida aliquoties ablutum coquatur, decocto foueatur oculus cum spongia, vel sacculus fœnugreco plenus bulliat in aqua, & calidus applicetur oculo. Hactenus de morbo similari; sequuntur organici, imprimis magnitudinis. B

Maiores aut minores oculi. Si iusto maiores, aut minores fuerint oculi à prima conformatione, inutilia sunt remedia: Si accidente, vt fluxione à cerebro, totum corpus sæpè purgetur, hydrotico desiccetur, capiti humidiori cephalicis prospiciatur, etiam admotis cauterijs humor alienus exhauriatur: pro topico, linteum intinctum in aqua rutæ, chelidoniæ vel euphrasiæ, infusionis tuthiæ, applicetur: aut sacculus plenus fœnugreco, aut ex decocto ipso hydrotico infusionis tuthiæ fiat collyrium. Polemon lib. de signis scribit eos esse prauos quibus naturaliter pupilla est strictior; hoc argumento quòd deteriora animalia, vt serpentes, viperæ, sint eiusmodi. C

Eucanthis. Ἐγκανθὶς nascitur dum sanguis copiosior ad carunculam pro alimento confluit, qui assimilatus eam in molem iusto maiorem attollit; aliquando tanta est, vt non sinat palpebras claudi. Vtatur auto, vel ferro candente: vel incidatur: prouidendo ne quid ex carne ipsa amputetur, sic enim rhias succederet, vel quod exuperat, filo abscindatur: media caruncula, acu cum filo traijcitur, deinde sensim ligatur, destituta alimento omnis excrescentia sponte cadit, hoc remedij genus veteres ἀναβρόχισμον appellabant, Si æger delicatus refugiat chirurgiam, quod exuperat exedatur alumine vsto, aut oleo de vitriolo, oleo de calchanto, sed rosacea, aut lacte diligenter corrigatur, propter partis sensum exquisitum, interim dum hæc vsurpantur, defensiuo aliquo oculus muniendus est ne fiat fluxio.

Rhyas Ῥυὰς sæpè succedit epiphoræ: si planè fuerit exesa caruncula, curationem non admittit: si tantùm ex parte, regenerari potest caro, insufflando sarcotica, vt tuthiam, aloem, thus, vel eadem in succo granatorum infunde, colaturam in maiorem angulum guttatim instilla, verùm dices, Tu misces adstringens nempè succum granatorum sarcoticis, quod Galenus prohibet, ne excrementum siccum retineatur in parte. D

Respondeo: carnem lachrymalem alterius esse generis, nempè, vtcunq; spermaticam, proinde illi regenerandæ non aliter quàm cuti astringens conuenire, quod epulotico fortassis similius est, quàm sarcatico, hactenus de morbis magnitudinis; sequuntur morbi numeri.

Pterygium. Pterygium nascitur ex crassorum lentorumque humorum affluxu, aut crassa & scabra lippitudine. Incipiens, molle, album, curatur vt albugo. Dioscorides commendat collyrium ex cochleis, vtuntur integræ, puluis excipitur melle: Ex osse sepiæ vsto aut pumice simile confici potest cum melle; si velis fortius, misce aliquid salis Ammoniaci: Prius foueatur oculus decocto fœnugræci: Aëtius semen plantaginis vrit, puluer addit myrrham, quin etiam squammam aut florem æris, verùm metallica non debent admoueri oculo nisi vsta & lota: vstione enim & lotione acrimoniam suam & mordacitatem deponunt, sicque fluxionem non excitant, à qua metus est. Vti etiam possis oleo de vitriolo, sed lacte diligenter correcto. Io. de Vigo, describit duo collyria, Vnum liquidum, alterum siccum, liquidi hæc est formula. E

℞. aquæ plantaginis & rosarum, ana ℥ij. vini albi ℥j. ℞. bulliant vnica ebulitione, mox adde floris æris optimè triturati ʒj. Tuthiæ ʒjß. saccari candi ʒij. myrobalanorum citrinorum ℈j. trita omnia misce, & sinantur per duos dies: deinde colletur & clarificetur,

clarificetur, hoc liquore attingatur excrescentia. Siccum est eiusmodi ℞. florum æris
A ʒij. calchanti vsti ʒvj. salis ammoniaci ʒij. Sal dissoluatur cum succo rutæ & cætera puluerata misceantur. Veruntamen notabis magna, aut inueterata pterygia, non aliter quàm chirurgia curari. Talia sunt quæ nigrum oculi & pupillam tegunt. Crassa, nigra, valdè dura & quæ tempora per consensum afficiunt, quia iam accedunt ad naturam cancri, memineris non esse attingenda. Item si suffusionis incipientis sit suspicio, existente iam pterygio, etiam albo & molli, abstinebis exedentibus, quia generarent vel augerent suffusionem. Chirurgiam explicant Aetius, Celsus, atque imprimis Paulus Ægineta lib. 6. cap. 28. duplicem modum illic exponit primùm, vt pterygium cum filo extensum scalpello excorietur, secundum, vt traiiciatur acu quæ filum & setam contineat, filo suspensum, seta veluti serra incidatur iuxta pupillam quod reliquum erit iuxta lachrymale, scalpello abscindatur.

B Quia Hypopium sequitur ad ὑπόσφαγμα, oculos cruentos, rupta aperta aut exesa aliqua vena, quod αἱμάλωψ etiam dicitur quia sub hoc affectu omnia videntur rubra, idcirco oculis sanguine suffusis quàm citò succurrendum est, ne per moras sanguis liuescat, deinde suppuret & in hypopium degeneret: Idem enim accidit oculo quod cuti ex ictu, sanguis sub cutem effunditur qui ecchymosin committit, cuius species est ὑπόσφαγμα, deinde liuet, tumque sugillatio dicitur. Postremò nisi sanguis resoluatur putret & in pus conuertitur: tumque πύωσις suppuratio dicitur, cuius species est ὑπώπιον. Itaque ad ecchymosin oculi laudatur instillatus sanguis columbæ, vel turturis: Celsus præfert sanguinem hirundini. Benefacit etiam mucago fœnugræci extracta in hydromelite. Expertus sum verum quod affirmat Archigenes apud Galenum, quod si hyssopi coma nodulo inclusa bulliat in aqua, & tepidè nodulus oculo
C cruento applicetur, tam manifestè sugit sanguinem, vt linteum ipsum sanguinolentum videri possit, collyrium ex decocto aut mucagine fœnugræci, etiam sugillatis oculis, quinetiam hypopio recenti singulariter conuenit. Si non cedat, vtere remedijs pyulcis, quæ pus exugunt, quale est illud Pauli Æginetæ. ℞. Aloes, croci & myrrhe ana ℥j. vini quadrantem, mellis optimi ℔. ß. Crocus primùm teratur in vino, deinde aloe & myrrha, vbi crassitudinem acceperint, adde mel, confectio in vase vitreo reponatur & deligetur oculo, quotidie bis aut ter renouetur. Quod remedium si frustra tentaris, chirurgia est opus, De Vigo iubet fieri incisionem sub cornea qua parte iungitur coniunctiuæ. Aetius acu cauata & aperta quæ mucronem habeat graphij, aut scalpelli, iubet oculum aperire, & ab oculario chirurgo pus exsugi, de qua operatione legendus etiam Celsus & Ægineta. Galen. scribit quendam empyri-
D cum vehementi successione capitis pus à pupilla dimouisse, & à loco nobili ad ignobiliorem transtulisse. Coma prehensa illum suspendebat & succutiebat.

Hypopiũ. Hyposphagma.

Suffusio notha imprimis distinguenda est, appello notham quando fit vaporibus à ventriculo ad oculos ascendentibus: veram quæ habet materiam in oculo ipso consistentem: distinguentur autem tribus signis, primo quòd notha tantum per interualla fatigat, præsertim à pastu dum fit coctio: primaria continenter affligit, neque habet dilucida interualla: secundò, quòd notha vtrumque simul oculum & peræquè afficit: nam quid est causæ cur à ventriculo ad vnum oculum potius quàm ad alterum vapores efferantur? sub primaria verò vterque oculus simul non laborat, saltem vterque non æqualiter: tertiò, quòd si à quatuor mensibus æger conqueratur de muscarum circa oculos volitantium falsa imaginatione, neque quidquam in oculo tenebrosum appareat, est notha: nam intra quatuor menses subsistens hu-
E mor, oculum obtenebraret: sed cur tàm diligenter spuria à legitima distingui debet? quia notha minimis auxiliis sanescit, vt inedia aliquot dierum, vsu frequenti pillularum de hyera, ablutione oculorum ex aquis fœniculi & euphrasiæ. Primaria verò si iam confirmata fuerit, humorque in tunicam concreuerit, non potest aliter quàm chirurgia curari. Incipiens tardè & difficillimè, Incipit cùm primùm muscæ videntur oculis obuersari, quod signum, vt dixi, est commune nothæ & legitimæ, verùm in legitima continenter affligit, in notha per interualla: in legitima vnicum duntaxat oculum, saltem vtrumque inæqualiter: sub notha vtrumque simul & æqualiter.

Suffusio.

Ad incipientem præmittenda sunt generalia, vt purgatio frequens ex pillulis lucis, quinetiam venæ sectio, masticatoria, cucurbitulæ, frictiones capitis, cucupha,

Ita Galen. 14. methodi & Celsus quæ inueterauit manu curanda est. Inter initia nonnũquam diss

titur: Curari potest, inquit Paulus, sed nõ omnis, incipiens non cõfirmata.

cauteria in brachijs, vel in inio, pro topico Dioscorides laudat succum Anagallidis flore rubro coctum cum melle optimo, quod remedium est rusticis familiare. Quidam vrunt caput hirundinis & puluerem immiscent melli, aut dissoluunt aqua ex melle distillata, aut cerebro ipso hirundinis oblinunt oculum. Potentius est quod sequitur ℞. fellis capræ vel perdicis ʒß. succi fœniculi depurati ℥j. Aquæ mellis ℥ij. Collyrium quod sequitur mihi solet esse instar omnium ℞. fœniculi, rutæ, verbenæ, euphrasiæ, betonicæ, tormentillæ, rosarum, endiuiæ syluestris, anagalidis flore rubro, pimpinellæ, marrubij, chelidoniæ, pæoniæ, foliorum vitis, agrimoniæ & caprifolij ana partes æquales, omnia simul trita infunde in vino albo per totum diem, deinde in vrina pueri impubis, tertiò in lacte muliebri. Postremò in melle optimo, quo tempore distilletur. Hæc collyria, vt iam monui, duntaxat conueniunt incipienti non confirmatæ, quæ non potest aliter quàm acu deturbari. Neque omnis suffusio confirmata operationem admittit: maturam enim esse oportet, hoc B est nec nimiùm fluidam nec induratam, quia diffluens humor etiamsi acu deturbetur, mox recurret. Tunica iam siccior & durior pupillam secum trahet. Qui sciam, dices, si sit matura necne. Scies primum ex colore: nam quæ vergit ad candorem sine splendore, quæque est colore gypsi vel grandinis, non est matura: quæ verò vel aquę, vel plumbi, vel ferri colorem prę se fert, est matura, & tutò potest acu deturbari: secundò, quòd mollior, oculo perfricato, mox dissiliat, neque citò reuniatur, durior permaneat: at quæ oculo perfricato dissipatur quidem, sed mox in vnum coit, est matura. Quanquam Celsus aliter senserit, expectandum, inquit, vsquequò non dissiliat frictione, Galenus sanabilem affirmat quoties clauso oculo sano oculi suffusi pupilla dilatatur: à contrario, si non dilatetur, desperatum est. Cæterùm multæ sunt cautiones priusquam acu deturbetur: nam corpus debet esse diligenter repurgatum ad pręcautionem inflammationis, æger triduò ante operationem parcè ac tenuiter viuat, deligatur cœlum serenum, neque luna tum debet esse plena, neque æstate aut hyeme, sed vere potiùs, aut Autumno deturbetur. Præterea si quod vrgeat symptoma, vt dolor non tantùm oculi, sed etiam capitis, priùs demulceatur, quàm ad operationem veniatur. C

Vuea procidentia.

Hactenus morbi magnitudinis & numeri, sequuntur morbi in situ: oculus verò vel totus mutat situm, quoties extra suam orbitam egreditur, vel illius tantùm portio, vt cùm vuea procidit. Quia totus prominet relaxatis musculis qui opticum neruum inuoluunt, idcirco imprimis desiccandum cerebrum, admouendæ cucurbitulæ præmissa purgatione & venę sectione, foris verò applicanda sunt repellentia, vt ex rosis, plantagine, & cidonijs coctis in vino, fiat fotus, ex residentia cataplasma, D vel ex mastiche & carne cydoniorum emplastrum, proderit etiam lamina plumbi aut ferri, admota ad formam palpebrę.

Ad vueam egredientem eadem est indicatio, nempè, vt suo loco reddatur, sed quia procidit propter corneam vlceratam, idcirco cùm primum illam suo loco restitueris, de vlcere curando cogitandum est (subiungam mox vlceris remedia) Vt reponatur, pręter superiora proderit hæc aqua quæ vtilis etiam erit dilatatę pupillæ. ℞. boli Armeni, sanguin. dracon. & tragacanthæ ana ʒß. pulueris capitum hyrundinum vstorum ℥j. infunde in aquæ rosarum & vini granatorum clarificati ana ℥iiij. distilletur aqua, vel bulliant lento igne in balneo Mariæ, deinde colentur, colatura seruetur pro collyrio, quinetiam linteum eadem madidum applicetur: repellet enim & suo loco restituet ragoidem siue vueam procidentem. Eadémque opera vlcus persanabit. E

Sed memineris istos morbos esse immedicabiles, si iam vnum annum excesserint, nisi fortè placeat chirurgia ex Paulo, Aëtio, Celso repetenda, decorem potius quàm visum restituere. Auicenna mauult relinqui quàm attingi ferro, quia humor resluet ad oculum sanum. Constat inter omnes clauum, id est, quando induruit vt clauus, non esse attingendum metu cancri. Vidi adolescentem cui vuea prociderat supra magnitudinem auellanæ, ipse nihilominus eo ipso oculo videbat, sed hoc faciem reddebat illi valdè inuenustam, propterea postulabat sibi abscindi, aut ligari; malui tamen sequi Auicennæ consilium.

Mydriasis seu πλάτυνσις; dilatatio pupillæ.

Sequuntur morbi conformationis. Peruertitur autem oculi figura strabismo & mydriasi. Si à natiuitate pupilla fuerit iusto latior, inutilia erunt remedia: si accidente difficil-

A difficillimè ſaneſcet, quia membranoſa cùm ſit vuea, ſi ſemel extendatur, inquit Aetius, contrahi vnquam vix poterit. Sub hoc affectu obiecta eminus, non videntur, eaque minora apparent quàm ſint, quemadmodum ſub phthiſi & atrophia maiora: Idem enim illis contingit quod oculis ſanis dum res longiſſimè diſſitas aſpiciũt, radio diſſipato. Hic affectus potiſſimùm adnenit his qui nigros habent oculos: ſolent enim habere magnas pupillas, faciléque dilatabiles: pueris familiarior eſt, propter cerebri & oculorum humiditatem: conſulatur primùm capiti omníque arte deſiccentur, initio inſtilletur aqua ſtatim deſcripta pro ſtaphylomate ad reſtringendum, deinde mucago fœnugræci ad humorem ſuperuacuum reſoluendum.

Anguſta pupilla à conformatione viſum reddit acutiorem, quia virtus vnita maior eſt quam diſperſa, quæ talis redditur accidente, eſt inſanabilis, quia vel accidit vuea corrugata, vel cryſtalino reſiccato. Reſiccatur autem priuatione humoris alibilis, nempè albuginei à quo nutritur: Itaque φθίσις non recipit curationem, niſi velis ea præſcribere quæ ad intemperiem ſiccam. *σύνιζησις, conſtrictio pupillæ.*

B

Obiter hic explicandum, quod de mydriaſi quæri ſolet quando accidit ex ictu, ſítne ſanabilis. Hoc enim quidam defendunt, alij pernegant, videtur mihi ita diſtinguendum, ſi ex ictu pupilla dilatetur, vt graphii cuſpide, non eſt ſanabilis: At ſi maneat integra, & ex fluxione ſola quam ictus attulit dilatetur, remediis prædictis eſt ſanabilis, nempè repellente primùm, deinde reſoluente.

Strabiſmus eſt muſculorum mouentium oculos deprauatus motus, oculorum conuulſio: quæ naturalis, eſt inſanabilis. Accidentaria vix vnquam ſaneſcit, niſi fortè infantibus: oculus enim exempli gratia, conuulſus ad leuam reducetur, ſi à dextris apponatur candela in quam cõuertat oculum. Raſis & Auicenna commendant ſanguinem turturis inſtillatum. Pica etiam vtiliter editur, & puluis in collyrium refertur. Sunt qui veſpertilionis caput vſtum & pululeratum. Alij qui caput hirundinis inſufflant. *Strabiſmus.*

C

Obſtructio nerui optici eſt inſanabilis, quia remedia eò non pertingunt; veruntamen nondum conſiſtente humore, auctore Aetio, viſus eſt qui admotis cucurbitulis cum ſcarificatu, viſum recuperarit, non ſunt negligenda remedia: purgatio frequens ex pillulis cocciis cum trochiſcis, alandal, hydroticum, maſticatoria, errhina etiam vehementia: Nam in hoc ſolo oculorum affectu conceduntur. Cerebrum cucupha exſiccandum, cauteriis deplendum, quæ ad aurem, in radice applicentur propter cauſam ex Fernelio memoratam, & in inio ad reuulſionem, caue ne omittas cucurbitulas. *Amauroſis ſeu gutta ſerena.*

D Exaſperatus oculus liniatur butyro recenti, lacte muliebri inſtillato, mucilaginibus quoque pſyllij, cydoniorum, fœnugræci, tragacanthæ, læuigetur, extrahantur in decocto maluæ, biſmaluæ, violariæ. Hactenus morborum ſimilarium, deinde organicorum curatio: ſequuntur morbi communes, ὀφθαλμία & vlcus.

Ὀφθαλμία propriè eſt inflammatio adnatæ, quæ illius tumore, calore, rubore, dolore, tenſione dignoſcitur, Quando eſt rubor ſine tumore, præſertim à cauſa externa, vt puluere & fumo, τάραξις propriè dicitur: Quando album oculi vſque adeò ſupernigrum intumuit, vt hiatus cuiuſdam ſpeciés appareat, Chemoſis appellatur, quo modo Ariſtot. in meteoris oriri caſma in nubibus oſtendit, ſubſidet nigrum albo eminente: Vtrique tumori ſuccurrendum, vena nõn tantùm in brachio, ſed etiam in fronte & in temporibus inciſa, Galenus ſcribit aliquando neceſſariam eſſe ſectionem arteriæ. Chemoſin enim duo ſymptomata comitantur, rubor oculorum ex inflammatione, & ectropi, contorſio ſeu peruerſio palpebrarum, malum phymoſi contrarium: ſub hoc enim affectu, oculi aperiri non poſſunt, ſub illo, non poſſunt claudi: non eſt negligenda purgatio, quia ophtalmicis diarrhœam ſuperuenire bonum eſt: iuuant etiam frictiones deorſum, ligaturæ fortes, cucurbitulæ cum ſcarificatu affixæ ſcapulis ad reuulſionem: frontale aſtringens ad intercipiendam fluxionem, ſi externa videatur. Collyrium initio repellens vt impediatur generatio phlegmones ex mucagine pſilli & cydoniorum, deinde reſoluens ex mucagine vel ex decocto fœnugræci diligenter abluti ne mordicet: fœnugræcum bene purgatum macerabis in aqua puriſſima per totum diem, deinde coque in fictili affuſa bis aut ter noua aqua, coquatur ad mellis craſſitiem operto vaſe: coletur per linteum ſine expreſſione, collatura ſeruetur ad vſum & tertio quoquo die renouetur. Ab ſtinentia *Ophtalmia.* *Chemoſis.*

E

vini initio necessaria est, in declinatione tamen vinum conceditur, quemadmodum A balneum aquæ dulcis ad contemperandum sanguinem, denegatur in principio, ne fundat humorem, & fluxionem augeat.

Vlcus. Vlceratur oculus à causa interna, nempè erosione alicuius tunicæ: vel externa, vt casu: eroditur, vel à re mordaci, vt flaua; vel ab atra bile quæ vlcus facit cancrodes. Priusquam de topicis cogites, memineris inflammationi, si quæ sit, succurrendum: quinetiam dolorem non tantùm partis, sed etiam capitis demulcendum, vomitum quoque, sternutationem & vociferationem nocere. Præmissis generalibus nempè venæ sectione & frequenti purgatione ex iis quæ bilem vacuant, vt pillulis aureis, sine quibus, diapruno, electuario de succo, admotis cucurbitulis, quin & in inio cauteriis; ad reuellendam fluxionem. si vlcus præcedant pustulæ, quæ Græcis φλυκταίναι, Arabibus botor dicuntur, resoluantur, si fieri potest, collyrio ex mucagine aut decocto fœnugræci. Si non possit resolui, aperiantur. Quod succedet vlcus, mundetur syrupo rosarum siccarum aut aqua mellis: Mundum (tale autem est B cum dolor disparuerit & oculus nitidus apparebit) in carnabis collyrio de thure aut tuthia insufflata, deinde obduces cicatrice collyrio de plumbo, quo in vlceribus malignis vtendum est cum oui albumine, cuius sequitur descriptio. ℞. plumbi vsti loti, tuthiæ lotę, ęris vsti, gummi tragacanthę ana dragmam vnam, opij grana iiij. cum aqua pluuia fiat collyrium.

℞. huius collyrij ʒß. cum oui albumine instilletur in oculum vlceratum. Benefacit etiam vlceribus oculorum mucago tragacanthę extracta in aqua euphrasię, aut insufflatus puluis ex tuthia, aloe lota, thure, folijs chamędrios. Prodest etiam plurimùm ad detegendum linctus à ieiuno premāsa euphrasia, fœniculo, marrubio. Ioannes de Vigo hanc aquam mirificè commendat, ℞. sief de thure, sief de plumbo C ana ʒ j. myrobalani cytrini, tuthię & antimonij ana ʒ j. ß. aquę rosarum & plantaginis ana ℥ j. ß. myrrhę & aloes hepaticæ ana ʒ j. distillentur in alambico vitreo. Purgabit vlcus & obducet, etiamsi fuerit malignum. Eadem aqua proderit absumendis excrescentijs, vt pterygio & vngui.

Non est prætereūdum vlcus in cornea vix vnquam sanari. Prædicendūmque ex eo imminere periculum ne albugineus humor effluat. Galenus vidit vlcus corneæ sanatum, sed in puero in quo partes spermaticæ restaurati possunt, & in vlcere quod succedebat vulneri, non erosioni. In adultis quod fit ab interna causa, est insanabile, in coniunctiua difficillimè sanescit: hactenus de morbis oculorum, sequuntur symptomata.

D

PERQVIRVNTVR SYMPTOMATA PRIMI, secundi & tertij generis. CAP. III.

VISVS, vt quælibet alia actio, læditur tribus modis, aboletur, minuitur & deprauatur. Abolitus visus cæcitas dicitur: Atqui à priuatione ad habitum non est regressus. Distinguo, si priuatio includat absentiam facultatis: nam fieri potest, vt functio eripiatur ad tempus, sublato autem impedimento, vt acu deturbata suffusione, aut eroso magno pterygio quod pupillam tegebat, visus in integrum restituatur.

Αμβλυωπία. Imminutio visus ἀμβλυωπία dicitur, præsertim quando non est euidens causa, senibus visus minuitur facultatis impotentia, spirituum inopia, & crassitie tunicarum: E siccitate enim corrugantur, siccescunt humoris alibilis defectu, quæ visus obscuritas est insanabilis. Aliquando à cerebro ipso repetenda est causa tam aboliti quàm imminuti visus, vt cum apoplectici & detenti caro non vident. Aliquando à spiritu visiuo partim qui ingenitus est oculo, partim qui influit à cerebro per neruum opticum, vt illius perennem dissipationem reparet. Qui sciam, dices, si in cerebro ipso sit causa hebetioris visus, an in oculo? Hoc tibi certum erit signum, si cum visu alij sensus obscurentur: est enim cerebrum primùm & commune sensorium, à quo veluti riuuli de fonte emanant quinque sensus particulares. Quemadmodum enim nerui visorij, auditorij, gustatorij, olfactorij, & tactorij à cerebri substantia ortum ducunt: Ita facultas visiua, auditoria, gustatoria, olfactoria, tactoria à vi & facultate animali cerebri: particulares enim istæ facultates sunt tantùm influxus communis.

nis. Vitio autem optici spiritus minuitur visus, vel quia sit parcior, & rarior, ideoque A dissipabilis, vel quia crassior, hebetior, obscurior: debet enim esse multus, tenuis, mobilis, lucidus, denique igneus, participans potius naturam lucis quàm flammæ, qua causa Aquila nos vincit visus perspicuitate. Et miramur adhuc si tanta sit in hebetudine visus sananda difficultas, cùm tot concurrant causæ immateriales, in quas materialia medicorum remedia nullum, aut perexiguum habent imperium.

Hebetioris visus species quædam sunt μυωπία & νυκταλωπία. Myopes verò seu luscio- *Myopia.* si dicuntur qui à natura cominus tantùm vident oculis conniuentibus, remota, quamuis magna, discernere non possunt. Quod accidit facultatis impotentia, vel spirituum inopia, qui affectus, quia naturalis, est insanabilis. Nyctalops verò dicitur qui ex morbo talis euasit, vel qui interdiu videt media luce, occidente sole ob- B scurius, noctu nihil, etiam accensa candela, ideo cæcitas nocturna potest nominari: quod illis accidit, vel propter imbecillius cerebrum, vel propter crassiores spiritus, vel propter albuginei humoris & corneæ densitatem. His enim causis accidit, vt candelæ lumine sufficienter oculi non illustrentur. Equidem certè in genere animalium quædam vident interdiu & noctu, etiam in mediis tenebris, vt feles & capræ. Alia noctu non interdiu, vt vespertiliones: Illis enim oculi tam sunt infirmi, vt diurnum lumen ferre non possint, nocturnum facilè, quinetiam fulgore suo illustrant obscurum aerem, vt squammæ piscium, & vermes qui nent sericum. nullum est animal, quod sciam cui à natura tributum sit interdiu videre, non noctu, quod Nyctalopibus accidit propter tres causas commemoratas. Ecce sunt aboliti & imminuti visus differentiæ, sequuntur exempla visus deprauati in quibus παρόρασις, seu C hallucinatio primum locum tenet.

Hallucinantur verò quibus oculorum tunicæ alieno colore tinctæ sunt: nam vt per vitrum viride omnia videntur viridia, per rubrum rubra: Ita sub hyposphagmate omnia putantur rubra, sub aurigine oculus suffusus bile, omnia existimat flaua.

Deprauatur visus etiam iis quibus pupilla est iusto latior, omnia enim vident minora quàm sint, quemadmodum quibus angustior, omnia vident maiora. Item qui habent pupillam diuisam res duplices intuentur quemadmodum in fracto vitro tot imagines repræsentantur, quot sunt frustula. Faciamus enim crystallinum humorem sursum, vel deorsum intorqueri, à parte vueæ, à qua deflectit, in duas partes scinditur, proinde vno intuitu duo radij ad idem obiectum diriguntur: Quid mul- D ta? siue visus fiat emittendo, siue recipiendo, duplices illis se ostendunt Thebæ. Ad hallucinationem referri potest muscarum circa oculos volitantium falsa imaginatio, incipiente suffusione tam notha quàm legitima.

Oculos etiam malè habet, affectus non prætereundus qui ἵππος dicitur, continua oculi nyctatio, assiduus isque tremulus & instabilis oculi motus, quam Aristoteles scribit esse indicem inconstantis ingenij: quia à calido cerebro causam ducit. Obseruaui quibusdam solam pupillam assiduè moueri tremnlo motu: Hactenus de actione læsa.

Ἐπιφορὰ seu lachrymatio inuoluntaria est immoderatio in excreto, veluti ca- *Epiphora.* tharrus oculi. Celsus vocat cursum pituitæ, solet fluxio fieri sub pericranio, & in maiorem angulum gliscere: medici generaliùs rheumatismum vteri, appellant eiusdem ἐπιφοραν, cùm tamen simpliciter & sine adiuncto effertur, est rheuma E oculi.

Ad affectus simplices seu qualitates præter naturam immutatas pertinent, nebula & albugo, quæ differunt tantùm intensione & remissione, est enim nubes, leuior & superficiaria tantùm albugo, verùm quid sit albugo non satis constat, vulgò *Albugo.* creditur cicatrix ab vlcere quibus onix videtur esse paruum ippopium referens vnguis similitudinem; mihi verò videtur onix cicatrix in cornea, aut coniunctiua, succedens alterutrius vlceri, quæ fortassis ob duritiem vnguis dicitur: albugo verò est vitiligo in oculo, λεύκωμα lence, oculi, macula alba contaminans oculum & lædens visum, præsertim si fuerit in cornea: nam quæ inficit coniunctiuam non nocet visui. Huc etiam pertinent alieni colores, vt cùm sub aurigine flauescit, sub hiposphagmate rubet totus oculus, vel si crystalinus humor mutetur in colorem glaucum

(fit autem mixtio ex albi & viridis) quod vitium γλαύκωσις seu γλαύκωμα nuncupatur, cryſtalini ſuperficies ſiccitate induratur & exuperatur, fitque inæqualis, quæ debet A eſſe nitida, pellucida, æqualis. Sub Glaucomate obſcurè, & veluti per opacum nobis omnia videntur: lux non videtur, quo accidente diſtinguitur à ſuffuſione: Cur γλαύκωσις à ſenio? quia corrugatur ſiccitate, affectus eſt inſanabilis, quemadmodum & ceteri morbi ab immodica ſiccitate contracti. Ergo cæterorum ſymptomatum remedia percurramus.

Remedia viſus imminuti. Amblyopiæ ſiue viſui imminuto, conueniunt quæ proprietate viſum roborant, cuiuſmodi ſequentia perhibentur, iecur capræ. Interim dum aſſatur, fumus oculis recipitur, pinguedo ſeruatur pro collyrio, Iecur ipſum editur. Laudatur etiam fel capræ, perdicis, gruis, diluuntur aquis euphraſiæ, rutæ, calendulæ, quę omnibus morbis oculorum prodeſſe dicitur à quacunque cauſa. Cinis capitis viperarum vſi cõmendatur ab Aetio, aut pica auis, teſtaceo vaſe crematur & in cinerem reducitur: cerebro hyrundinis & veſpertilionis quidam pares vires attribuunt. Raſis affirmat B oculum cancri etiam appenſum collo malè affectis oculis prodeſſe, eaſdem vires Plinius tribuit oculo fellis, alij oculo picæ, alij lupi: cornicum oculos quidam ad cœlum extollunt, ſi placet miſceantur cum euphraſia, ruta, fœniculo, chelidonia, calendula & inde aqua deſtilletur. Huc refert puluerem ex fœniculo, euphraſia, ſumendum à paſtu, aut vinum euphraſiæ & alia quæ primo capite commemorauimus. Contra, hebetant viſum vaporoſa vt lac, piſces, legumina, & frigida humida, vt lactucæ, myopes.

Myopes ex morbo ſeu nyctalopes vtantur lacte aſinæ & cibis boni ſucci qui humectent, vt regenerandis ſpiritibus materia ſuppetat, caput perfundatur oleo violaceo, vt ſiccius cerebrum humectetur, oculus confirmetur iis quæ ad amblyopiam præceſſerunt. C

Turcæ geſtant inaures ad claritatem viſus, oculi videndo laſſi aſpectu iucundi coloris recreantur; Ariſtoteles præfert viridem. Galenus cœruleum: Diſtinguendum, quando ſunt valde diſſipati ſpiritus nigro melius congregari: alioquin viridem viſum magis recreare: ſmaragdum & ſaphyrum ſæpe aſpicere & iiſdem oculos attingere, iuuat, hoc quidem habet commune, cùm cæteris valdè frigidis, vt portulaca, quod frequenti vſu cerebrum & oculos refrigeret, proinde animales & viſiuos ſpiritus hebetiores reddat. Verùm præterea videtur habere quiddam viſui inimicum. Valeſcus annotauit cucurbitulas ſæpius admotas ſcapulis tandem debilitare viſum.

DE DOLORE OCVLORVM. D
CAP. IIII.

QVIA oculorum ſenſus eſt exquiſitus, dolore tam acerbo cruciantur vt neglecto morbo ad tempus, cogamur illi ſubuenire, equidem verè ſunt anodyna quæ tollunt cauſam doloris, purgatio, venæ ſectio, & collyria morbo contraria, vt calida in frigido, frigida in calido, ſed tardior eſt eorum operatio. Propterea illis non neglectis anodyna ſecundi generis imperabis, vt lac mulieris ab vbere inſtillatum: interim de lacte hoc obiter annotatum volo: non eſſe miſcendum collyriis niſi tempore vſus, quia citò aceſcit. Anodynum eſt pomum coctum ſub cineribus, deinde tritum cum lacte & forma cataplaſmatis admotum, addere poſſis vitellos ouorum, E niſi miteſcat his duobus anodynorum generibus, ad tertium velut ad extremam anchoram confugiendum, Trochiſcorum albi raſis cum opio ℥ ß. diluatur lacte mulieris, & inſtilletur, aut opij granum vnum diluatur pauco lacte. Nam Galenus ſcribit opium dolentibus oculis plurimum prodeſſe.

Epiphoræ remedia. Vt epiphoræ ſubuenias, cerebrum, quin etiam totum corpus quacunque poteris arte deſiccato, purgationem frequenter inſtituito, inediam, hydroticum, maſticatoria, cucurbitulas, ſacculos, cucupham, cauteria, ſetonem. Hippocrates lib. de locis homine ſiſtit fluxionem cauterio ad os vſque ſyncipitis adacto, aut multis inciſionibus profundis, quarum vices ſubit veſicatorium. Paulus libro ſexto magni facit περισκυθισμόν. Incidit caput infra ſuturam coronariam ad os vſque, deinde interiectis linamen-

E linamentis vulneris labra diducit, cicatrix tandem exoritur, quæ fluxionem intercipit. In inueteratis fluxionibus aliquando Galenus secat arteriam ponè aures, Topica sint succus granatorum coctus ad dimidij consumptionem, puluis vuæ acerbæ, vel ex ossibus mirobolanorum in oculi maiorem angulum insufflatus, aut thus, bolum vel aloem infunde in succi granatorum, aquæ rosarum & plantaginis æquis partibus, colatura in maiorem canthum instilletur. Cæterum quibus à natiuitate lachrymantur oculi, ne explicata quidem à Paulo chirurgia sanabuntur.

Pergendum ad affectus simplices. Si albugo sit cicatrix ab vlcere recens, vt pterygium curetur, durior sinatur. Quemadmodum si onix sit paucum pus sub cornea, curetur vt hypopium. Macula vero incipiens, in pueris detergenda & eluenda est succis chelidoniæ minoris, quæ hirundinaria dicitur, Agrimoniæ, fumariæ, coctis
F cum melle & pauca aqua vsque ad consumptionem aquæ: Vel butyrum lauetur in aqua euphrasiæ pro ℥j. misce tuthiæ ʒj. puluis candi insuffletur, aut fæx vini maluatici: Inueterata, profunda, dura, non sanescit, vt neque vitiligo confirmata.

Flauus color qui sub aurigine fœdat oculos, eluetur si vapor aceri in tegulam ardentem proiecti, oculis recipiatur, rubor disparebit sanguine columbæ, turturis aut hirundinis instillato, quia sanguinem discutit. Glaucosis est insanabilis.

SECTIONIS PRIMÆ TRACTATVS TERTIVS.

C
IN QVO MORBI ET SYMPTOMATA aurium explicantur. CAP. I.

OCVLVS & auris sunt duæ portæ intellectus, auditus est sensus disciplinæ. Cur naturâ surdi sunt muti? quia sermo ex auditu, cur surdi vt plurimùm anhelosi? per asperam arteriam auris cum pulmone communicat, qua causa qui duriùs aures scalpũt, tussiunt, & peripneumonicis aures madent, & illis parotides superuenientes sunt in bonis. Accidit partium istarum sympathia propter operis communionem: Pulmo enim loquitur, sermo verò ex auditu.

Omni morborum genere vexantur, verùm de intemperie nulla est querela, nisi
D aliquo se prodat symptomate, vt calida doloris acerbitate, humida auribus humidioribus, purulentis: frigida tinnitu. Obstruuntur sordibus, pituita, grumo, pure, vel re aliqua in meatum auditorium ingressa, vt lapillo, pulice.

Phlegmone non rarò tentantur, à venis meningum eo confluente sanguine, qui colligitur intra duram matrem, & eam membranulam quæ audiendi meatui prætenditur. Suppuratam phlegmonem vlcus comitatur, quod etiam humoris alicuius acrimonia primò per se inuadit, ex his morbis procedunt omnis generis symptomata: Auditus enim aboletur surdis, minuitur surdastris, deprauatur iis quibus aures tinniunt: imprimis consulendum morbo, deinde symptomati, prouidendúmque ne ex surdastris fiant surdi.

Obstruens causa quę auditum lædit imprimis consideranda est, vt illi suum re- *Obstructio.*
F medium opponatur. Esto pituita: repurgato corpore ex pillulis cociis vel de agarico; ad detersionem instillabitur in aurem succus allij, cæpę, vel porri, aut oleum in quo allium bulierit, aut fel cum succo allij. Ad euacuationem verò penicillus indatur in aurem ex veratro aut colocynthide exceptis melle. ℞. vtriusque ʒß. aut ana ℈j. cum melle fiat penicillus siue parua glans, quę finatur in meatu auditorio per tres aut quatuor dies. Dioscorides contentus est fibris ellebori.

Si illapsum in aurẽ fuerit liquidum, vt aqua, vinum, acetum, per calamũ vel arundinem exugatur, aut per syringuam retrahatur, aut spõgia sicca in modũ tẽtæ immissa, aut medulla sambuci absorbeatur, aut oleum in aurẽ destilletur, lubricabit viã, & secum reducet aquam. Si verò fuerit siccum (festuca, vel lapillus) candela cera oblita visco, glutine. Terebintina erit inuiscandũ: interim sternutario & tussis moueantur, nares claudantur, vt diuertant spiritus ad aures & noxium excludãt. Animalcula in-

iecto aliquo acri, vt aceto in quo paucum fel capræ dissolutū sit interficiantur, aut vino in quo colochyntis bullierit: Postea auris aliquo detergēte vt hydromelite abluatur. Si à prima conformatione quędam carnis excrescentia obturet meatum, vel cicatrix ab vlcere, considerandum est penicillo indito, si altè penetret. Tùm enim non est attingenda, si fit superficiaria, aut excedatur vt pterygium, aut chirurgia tractetur vt ἀτρησις, quam explicauit Paulus libro sexto, & Celsus libro septimo. A

Phlegmone auris. Inflammatio dignoscetur dolore pulsatorio cum ardore partis & febre continua, quo interior, eo periculosior, propter nobilitatem partis: pertingit enim ad menyngas. singulare & vnicum remedium in venæ sectione, non neglecta purgatione, & clystere frequenti: Itaque phlebotomia repetatur & liberaliter sanguis mittatur, vt impedias ne fiat inflammatio: Ad eum finem instillandum est in aurem oxyrhodinum per se, aut cum oui albumine agitatum aut mucago psylli, cydoniorum extracta in aqua rosarum vel plantaginis. At hæc repellunt, dices, non licet autem à parte ignobili ad nobilem repellere, ab aure ad cerebrum; licet sanè, quando ex doloris acerbitate manifestum imminet mortis periculum: senes aliquando seruantur, iuuenes ratò. Fluxio simul retrahenda est, admotis dorso cucurbitulis cum profundo scarificatu. Quod si his remedijs generatio phlegmones non possit impediri, tentanda erit resolutio, instillata mucagine fœnugræci extracta, in lacte, aut excipiendus per infundibulum vapor decoctionis altheæ, maioranæ, camomeli. Eadem materia impleri possunt duo parui sacculi qui bulliant in lacte, & vicissim calidi applicentur auri dolenti. Si non possit resolui, iuuetur suppuratio iniecto basilico, in vsu dissoluto in oleo liliorum aut camomeli, pinguedo etiam anseris vel gallinæ poterit instillari, aut cataplasma pepticum, ex farinis lini & fœnugræci coctis in hydreleo, sed memineris hîc citiùs quam fieri possit abscessum aperiendum esse, ne sanies per moras aut erodat, aut retrocedat. B C

Vlcus. Suppuratam phlegmonem sequitur vlcus, aliquando per se primò inuadit erosione: detergendum imprimis hydromelite, aut si calor absit œnomelite, nisi malis agrimoniæ, aut marubij succos coctos cum melle, aut syrupos rosarum siccarum, vel de absynthio instilare, deinde verò ad incarnādum & cicatrice obducendum, suffitus ex thuris & myrrhæ æquis partibus, vel diluatur œnomelite. Quòd si vlcus fuerit malignum (quod sanies multa, putida, tenuis, aliquando etiam liuida demonstrabit) Vnguentum apostolorum, quin etiam Ægyptiacum, aut pastilli musæ diluantur aqua vitæ, aut aceto: vel scoria ferri aceto, vel vino septies abluatur: deinde in eodem coquatur donec acquirat crassitudinem mellis. Non est prætereundum Marcelli empirici experimentum, misce, inquit lactis canini ℥ij. cum ℥j. mellis & infunde, mox lana aurem occlude; etiamsi vlcus sit cancrodes, nihilominus sanescet. Valescus hoc remedio aures ab octo iam annis putres & purulentas sanauit, non neglexit empiricum insignis empyrici remedium. D

DE SYMPTOMATIS AVRIVM. CAP. II.

Κώφωσις surdigo dicitur à Marcello. HACTENVS morborum, sequitur symptomatum curatio: natura surdis frustrà præscribuntur remedia: surdastri non sanantur si inueterarit malum, vt si iam duos annos excesserit; Rhasis 3. contin. requirit spatium decem annorum. Vix vnquam si æqualis sit surditas: Inæqualis enim, quia, vt verisimile est, fit à flatu, facilè sanescit. Appello inæqualem quæ affligit inæqualiter vno die magis, altero minus: fiunt etiam surdastri quando aër conclusus membranula est valdè crassus, quia aër crassus à forti tantùm impressione mouetur, magnos tantū sonos percipiunt, exiguos non discernunt: Surdastros etiam, quin & surdos efficit ingens strepitus, vt tonitrui: qua causa qui incolunt eā partem Ægypti, qua Nilus se præcipitat, omnes ferè sunt surdi. Dicet aliquis, Archig. apud Gal. pro remedio surditatis ponit vehementem inclamationem: neq; dubium tubarum sono curari surditatem, quia calfacit & discutit humorem aut flatum impactum. An moderatus sonus confert, non vehemens? an confert depleto capite, non pleno? Surditas quæ accedit morbis acutis, sanatur superueniente diarrhœa, aut hæmorrhagia: Ita enim Hippocrates. Quibus in febribus aures obsurduerunt, sanguis ex naribus fluens, aut aluus turbata soluit morbum. Nil æquè confert surditati quam aluus biliosa, inquit Celsus, distinguit Galenus, si fiat per consensum, E

A sensum, vt ab inferis partibus translata materia: neque enim verus est Aphorismus de primaria & essentiali surditate.

Vt ex arte & cum ratione surdastros percures, læsi auditus diligenter perquirenda causa: aliquando enim à cerebrn ipso humidinre repetenda est: nam cerebrum est sensorium primnm & commune, ex quo vt ad nculum videndi, sic ad aurem audiendi vis influit per nerum auditnrinm, qui à quinto pari deriuatur. Quidem est audiendi primarium instrumentum, vt cristaloides videndi, quo neruo malè affectn vt inremperato, audirus minuitur. Hippocrates Austrum appellat βαρυ-κώφον, quia nerunm & cerebrnm humectat, eodem, indurato, abnletur, cnnsiderandainquam causa: Nam si interinr carnis excrescentia, aur cicatrix ab vlcere meatum obstrueret, irrita essent remedia. Estn cerebrum humidius causa auditus imminuti, desiccandum erit vt in epiphora. Si pituitæ meatum nbstrnentis suspicio fuerit, præter iam commemorata remedia, vti etiam possis olen amygdalarum amararum, aut de castnren, in quibus cum vini pari quantitate bulliant cnlochyntis & elleborus ad cnnsumptionem vsque vini, colatura instilletur. Galenus ex Andromacho prn surditate magni facit hnc remedium ℞. veratri & castorei ana ℈ i. dilue aceto ant vinn, & lana exceptum infunde. Aëtius maunlt veratrum excipi melle, & forma glandis demitti in aurem. Dinscorides iubet taleolam ellebori nigri per tres dies in aure detineri. Holerius desperatis aliis auxiliis, præscribit per aliquot dies decnctum ligni sancti, & applicat toti ceruici emplastrum Ioannis de Vign cum Mercurio. Non sunt nmittenda cauteria, eáque pnne aures authnre Rhasi admouenda.

Cnnferrne surdis & surdastris venæ sectio? Confert in causa calida, aur cnrpnre plethnricn, alinquin, vt cerebrn frigidiore & humidiore, vel obstruente pituita, nocet, hęc de auditu abnlito & imminuto.

C Depr auatur tinnitu: Tinniunt aures, membranula quę spiritum auditorium includit à flatibus impulsa: non enim refert, si quid strepat foris an intrò. Quibusdam videtur falsa imaginatio, quemadmodum de vertiginosis & suffusis dictum est. Propterea Auerroes appellauit auditum phantasticum. Flatus aliquando ab inferis partibus, vt à liene aut ventriculn assurgunt, aliquando à cerebro ipso ad aurem transmittuntur, qui tinnitus dicitur fieri per cōsensum. Primarius in ipsamet aure causam habet, discernuntur quod primarius sit continuus: per interualla verò affligit qui per consensum; tum parti primò labnranti succurrendum est, vt ventriculo, vsu frequenti pillularum de hyera, vel elephanginarum. Ar primario tinnitui ea conueniunt quæ surditati: nam cum perseuerat, neque cedit ordinariis remediis, minatur D surditatem, primum forti cathartico corpus repurgetur: nam diarrhœam superuenire bonum est, deinde ℞. succi cæpæ, alliorum vel pnrrorum ℥ß. bulliant in oleo amygdalarum amararum vel castnrei, vel anethino, laurino, rutacen, vel cum adipe anseris, aut vini, aut aquæ vitæ pari quantitate. Serapin & Auicenna plurimum commendant oleum de scnrpinnibus, Zoar qutidie guttam vnam olei de synapi instillat. Si displiceant pinguia quia obstruunt, fiat decoctio ex mainrana, floribus camomeli, meliloti ana m. j. Baccis lauri, semine anisi, fœniculi; adde, si vis, parum castorei, euphorbij vel colochyntidis, huius decocti vapor excipiatur aure tinnienteper infundibulum: possis eodem mndo vti vapnre aceti scyllitici, aut vini in quo castnreum aut elleborus bullierint. Si placet prædicta materia impleantur duo parui sacculi qui auri tinnienti vicissim applicentur.

Surditatis remedia.

Tinnitus aurium.

Jis sæpius aures tinniunt, quibus acutus est auditus, qui à leuissima causa offenditur.

F Memineris nlea, succns, decncta instillanda esse pauca quantitate, vt duas vel tres guttas quæ exceptæ cntnne repidè instillentur (aures enim neq; valdè calida tnlerāt, neque valdè frigida) proinde quæcunque in aurem iniiciuntur tepida suntn, mox auris lana occludatur, nec nnuum prius immittas, quàm detersa fuerit, aut repurgata.

Quidam iubent ne vltra ttes hnras cnntineatur, alij etiam octn horis cnnrineri volunt, quia nnn putant tres horas sufficere ad iustam nperationem medicamenti.

Memineris etiam, cum primum liquorem instillaris, ægrn præcipere, vt iaceat in aurem sanam, cum tres hnræ plus minus effluxerint, vt facilè iniectum effluat, iubevt caput nbuertat, & reclinet in alteram partam.

Sternutatnria hic valdè prnsunt; confert etiam habere perpetuò aures occlusas cornne muscatn, ne ventus subeat & flatus augeat: cæterùm tinnitus ab ictu est insanabilis, queamdmodnm & confirmatus, vt qui iam duos annos excessit.

DE DOLORE AVRIVM. A

CAP. III.

AVRIS dolor sæpe tam acerbus est propter neruum auditorium, vt cum febre continua delirium, quinetiam mortem inducat: Itaque mox placandus est, si fieri potest forti & frequenti purgatione in frigida: venæ sectione in calida causa: topica accommodentur causæ, si ab inflammatione oxyrhodinum instilletur: si à flatu membranas distendente, oleum anethi, lauri, castorei, de synapi. Quando dubia est causa, ea conueniunt, quæ iuuant proprietate, vt oleum de scorpionibus. Dioscorides, Plin. Celsus, Auicenna magni faciunt vermes terræ, coctos cum axungia anseris. Alij extollunt oleum in quo cochleæ, aut blattæ bullierint. Galenus ad Pisones laudat oleum in quo bullierint B scarabei, Auenzoar oleum de vitellis ouorum, Scribonius Largus pissæleum oleum de pice, Hippocrates iubet applicari auri cucurbitulam ad flatum discutiendum, quibus si nihil proficitur, imperentur anodyna secundi modi, vt lac ab vbere instillatum vesicæ semiplenæ lacte tepido, vicissim admotæ, in quo lacte, maiorana & flores cameli bullierint, quæ duo simul coquantur, & vapor aure dolente excipiatur, per infundibulum. Si neque hoc neque illo anodynorum genere demulceatur, præscribantur narcotica, qualia in dolore oculorum, ℞. trochiscorum albi rhasis cum opio, aut Philonij ℈j. dissolue in lactis muliebris ℥j. instilletur, aut granum opij dilutum lacte: prouidebis ne longiore vsu narcoticorum ægrum surdastrum relinquas: Quod si causa manifestè fuerit frigida, instillabis olea calida, vt anethi, lauri, castorei: Hactenus de auditu læso, sequitur ἀμετρία in excreto. C

Sanè expedit pueros habere aures humidiores, & multa scabie fœdatum caput: hæc enim duo in infantia habere, caput scabiosum, & aures humidas bonum est auctore Hippocrat. liberant eos à magnis morbis, præsertim ab epilepsia: à contrario qui priuantur hoc naturæ beneficio, magnis morbis obnoxij sunt. Si tamen post annum pubertatis perseueret, corpore diligenter repurgato nec non cauterio brachijs admoto, humor vacuandus: in suo fonte hydroticorum vsu & admotis cephalicis siccandus, pro topico cotonem qui maduerit in decocto astringente, vt vino decoctionis malicorii, balaustiorum, vel aluminis desiccato: eoque fluentes & humidas aures obturato.

D

SECTIONIS PRIMÆ TRACTATVS QVARTVS.

IN QVO NARIVM MORBI ET SYMPTOMATA explicantur. CAP. I.

Sic Celsus & Aetius definiunt polypum.

AVENROIS nares appellat odoratus deferens instrumentum: processus mammillares eiusdem sensiterium, os ethmoides, siue cribratum, E est medium per quod nares odores transmittunt ad papillas: Nares obsident, morbi in numero, vt polypus, est caruncula modò alba, modò rubra, quæ narium ossi adhæret, & modo ad labra pendens, narem implet: modò retrò per id foramen, quo spiritus à naribus ad fauces descēdit, adeo crescit, vt post vuulam conspici possit, aliquando strangulat, potissimùm Euro aut Austro flante. Polypus albus fit à sanguine pituitoso: ruber à sanguine propriè dicto. Tentantur etiam vlcere simplici, vel putri, quod ozena dicitur: vlcus simplex fit corizæ acrimonia, quod nisi prouideas, degenerabit in ozænam, hæc in carcinoma. Laborant etiam plerumque vitio conformationis, vt cùm adeo sunt depressæ, vt impediatur respiratio: resimi non mungunt liberè, mucus retentus putret, vnde cæteris, quinetiam sibi ipsis sordent: idem accidit, quoties os cribratum multo

muco

A muco oppletur: Intercepta enim via odoribus, manifestè olfactus læditur, & pituita tandem putrescens fœtorem parit intolerabilem.

Sensorium oportet esse temperatum, proinde quibus processus mammillares sunt humidiores, ij odores malè discernunt, quemadmodum cùm grauedine laboramus, humidæ nares malè distinguunt odorum differentias, propterea qui sunt emunctæ naris, acrioris iudicij putantur, contrà parum sapere dicuntur quibus assiduè styria pendet de naso.

Qui nares habent humidiores, cerebrum habent humidius, geniturum liquidiorem: inexplicabile est, cur quidam delectentur putidis odoribus, suaues verò refugiant, malum est picæ analogum. Grauidæ primis quatuor mensibus gestationis appetunt carbones, cretam, lutum, edulia boni succi aspernantur: Magnitudo nasi in bonis habetur, vt paruitas in malis, inde nasuti prudentes censentur.

B *Nasutus sis vsque licet, sis denique nasus.*

Instat vt morborum propositorum remedia explicemus initio ducto à polypo, cuius curationem priusquam suscipias, cum speculo nasi eius colorem explorabis, quia albus duntaxat, aut ruber est capax remediorum: niger verò quia iam accedit ad naturam cancri, neque ferro incidendus, neque caustico exedendus, sed succo solani, aut eiusdem aqua in qua aliquid tuthiæ maceratum fuerit, illi blandiendum est, hoc est cura non vera, sed palliatiua tractari debet: Si ad nigrorem accedant durities & dolor, sine dubio est cancrosus: oportet esse mollem, indolentem, album, vel rubrum, qui medicamentis, vel chirurgia tutò curari possit: Antequam medicas manus tali polypo admoueas præmittantur generalia, purgatio & venæ sectio præsertim in polypo rubro, masticatoria, ad deriuationem: frontale adstringens ad intercipiendam fluxionem, vita frugalis; deinde experite leuiora, etiamsi tardioris sint operationis, qualia sunt Galeni duo remedia, vnum ex succis granatorum cuiuscunque generis, acidorum, dulcium & dulciacidorum: expressos succos diu agita in mortario æneo cum pistillo æneo, donec acquirant consistentiam mellis: hoc vnguento intinctum pœnicillum, qui attingat polypum indito, aut specillo sæpè attingito, quia medicamentum à grauedine diluitur. *Polypi curatio.*

C

Alterum constat ex cerati myrthini ℥ j. ß. & Ægyptiaci tertia aut quarta parte, quo remedio soleo vti fœliciter in absumendis excrescentijs, vt callis, verrucis & condylomatis: verùm quia ceratum myrthinum non extat in officinis, parabitur in rem præsentem ex olei myrtini ℥ j. pulueris myrtilorum ʒ j. & ceræ rubræ sufficienti quantitate, huic vnciæ cerati, misce ʒij. Ægyptiaci, hoc vnguento attingendus sæpè polypus, aut turundæ extremum, quod attingit polypum, eodem vnguento inebrietur. Fortiora sunt, & citius operantur cauteria potentialia, vt oleum de vitriolo, aqua fortis, aqua vitæ infusionis vitrioli, puluis Mercurij. Poterunt ratione partis destillationi obnoxiæ, & causa sternutationis, quæ commota impedit actionem remedij, ista caustica aqua rosarum, vel plantaginis temperari. Chirurgia verò est breuius & tutius remedium: lato specilli mucrone abscinditur polypus, mox radix cauterio clauali vritur. Quando non aliter quàm pensilis verruca extra nares descendit, foras attrahatur, deinde forficibus propè radicem abscindatur, mox radix cauterio vratur. Non desunt qui incidunt narem, mox bolum cum albumine superponunt ad sistendam hæmorragiam. Sic conspicuum polypum, cultello incidunt, deinde vrunt, tandem vulnus suunt, quod in rusticis fieri potest, quinon metuunt faciei deformitatem. Est cum descendit in fauces per foramen naribus & palato commune, quantum fieri poterit, attrahatur forcipibus, mox incidatur: vratur, vel equi seta incidatur veluti serra, eo modo quem copiosè declarat Mesuæus cap. de polypo. *Probatum remedium.*

D

E

Aliquãdo polypus vlceratur succeditque vlcus malignum: vlcus verò siue huic, aut alteri morbo succedat, siue primarium fuerit, dignoscetur ex molesta crustula, quæ mungendo excluditur, quam sanguinis putris, aut saniei aliquot guttæ comitantur. *Vlceris narium curatio.*

Primùm errhino detergente & siccante curetur, quale hoc fuerit, ℞. agrimoniæ & marrubij odorati ana m. ß. rosarum rubrarum & hordei ana pug. j. bulliant in hydromelite, colaturæ ℔. j. feruetur pro errhino, deinde hoc vnguento illinatur. quod Aetius ex Oribasio describit. ℞. cerusæ & lithargiri ana ʒvj. plumbi vsti &

loti ℥iij. myrrhæ & aloes ana ℥j. Gallarum ʒj. omnia vino & oleo myrthino excipiantur, fiat vnguentum. Paretur etiam candela ex cera rubra addendo aliquid mastiches vel myrrhæ, fumus attrahatur naribus in camera bene clausa. Ad eundem vsum poterunt parari trochisci hoc modo. ℞. masticis myrrhæ, Benioim, styracis, calaminthæ ana ℥iij. Sandaracæ & auri pigmenti ana ʒj. cum terebinthina fiant trochisci, quorum vnum manè proiiciat in prunas, & fumum naribus captet. Ad maligna vlcera ex lue indica insufflatur puluis ligni sancti cum melle Hispano vsto. Chirurgi solent maligna illa vlcera attingere aliquo caustico, vt oleo de vitriolo, aut aqua forti, sed tum vt præmonui, generalia sunt præmittenda, & defensiuo aliquo, vt frontali adstringente impedienda fluxio, continenda interim ore aqua frigida, ne quid acre in fauces delabatur per foramen commune. A

Ad obstructionem ossis cribrati: vtere errhino detergente quale initio ad vlcus præscriptum est. B

Nares simæ à natura, non recipiunt curationem: si verò accidente aliquo, vt ictu, casu sint depressæ, indito tubo plumbeo, suæ figuræ & integritati, in tenella ætate, cùm malum est recens, restitui poterunt. A morbis pergendum ad symptomata.

Odoratus aboletur cerebro aut præcipuo sensorio humidiore: minuitur polypo, grauedine, obstructione ossis cribrati: deprauatur ozæna, & inexplicabili intemperie sensorij: Si vox simul cum odoratu lædatur, vitium est in naribus: si verò integra voce solus odoratus læditur, extra nares: vel in cerebro, vel in sensorio, denique in facultate ipsa odorandi: cui malo succurrendum est, olfaciendo sæpè tes odoratas, quæ siccêt & roborent humidiores cerebri ventriculos & processus mammillares, vbi sita est facultas odorandi. Itaque castoreum aceto scyllitico dissolutum sæpissimè odoretur; quinetiam assumat ʒj. castorei cum mulsa, aut gestet pomum odoratum. cuius formula præcessit, vel sacculus impleatur puluere ex rosis, maiorana, nuce moscata, cariophyllis: singulis morbis, vt ozenæ, polypo, obstructioni, simitati, propria descripsimus remedia. C

Coriza. Ad excretorum ametriam pertinent coriza, & hæmorrhagia; coriza sisteturinspirato vapore aceti proiecti in silicem ardentem, vel lapidem molarem. Si placet, vt acquirat astrigendi vim maiorem in aceto bulliant galla, malicorium, vel nuces cupressi.

Aimorragia. Hæmorragia critica imprimis distinguenda est à symptomatica, quia critica sinenda est, nisi manifestè deiiciat vires, aliquando tres aut quatuor libræ sanguinis fluunt manifesto sanitatis commodo, & dolores capitis acutissimi superueniente magna hæmorragia soluuntur. Critica dicitur quæ aduenit die critico vt 7. & 14. præcedentibus signis coctionis cum εὐφορίᾳ, ex ea æger melius habet, minuitur morbus & omnia morbi accidentia. Sinenda etiam est hæmorragia consueta: nam consuetudo est altera natura, neque temerè reprimenda est, quæ accidit mensibus, aut hæmorrhoidibus suppressis, quia metus est ne repulsus sanguis aliò, vt in pulmones diuertat, ibique peripneumoniam aut hęmoptoïdem excitet, proinde interrogabis an menses sint suppressi nec ne, si hęmorrhoides fluere consuetę destiterint. D

Esto symptomatica, vena in brachio è directo naris cruentę incidenda est exiguo foramine. Quid si ex vtraque nare profluat? præferatur basilica dextra, cum subest plenitudo, alioquin cephalica. Deinde admouebis scapulis cucurbitulas cum scarificatu, quinetiam ad hypochondrium, quod est è directo, vt sistatur in suo fonte. Confert etiam frontale adstringens, quia non semper sanguis ab inferis, aliquando à superis partibus defluit. Vnguentum comitissę, emplastrum contra rupturam, aut cataplasma adstringens ex plantagine, centinodia, rosis, balaustijs fronti, collo, temporibus vtiliter applicatur: vel succi plantaginis, rosarum centinodię bulliāt in oleo rosarum vel myrtilorum, quo succo intinctum linteum applicetur collo qua parte ascendūt iugulares, olfaciat etiam linteum oxycrato imbutum, simile admoueatur testibus, hepati, scapulis, vel aceti in tegulam candētem proiecti vapor inspiretur, os posca frigida coluatur propter venas quę à faucibus ad nares feruntur, artus arctissimè ligentur, corpus deorsum fricetur ad reuulsionē. In assumendis sunt syrupi & trochisci adstringentes, vt syrupi rosarum siccarum, cydoniorum, myrtilorum, E

A tilorum, granatorum, iulep rosatum. Trochisci de bolo, de terra sigillata, de carabe, de spodio, ℞. cuiusuis syrupi ℥j. cuiusuis trochiscorum ℈ij. ad summum, cum aqua rosarum, plantaginis vel centinodiæ fiat iulep.

Pauperes bibant poscam frigidam parua quantitate, iuuat etiam corpus repurgare expressione ʒij. rhabarbari infusi in aqua plantaginis addendo iulepi rosati ℥j. vel ℞. mirobalanorum citrinorum & tamarindorum vel prunorum acidorum ana ℥j. fiat decoctio, dentur colaturæ ℥iiij. ad purgandam bilem adstringendo, non enim semper hæmorrhagia excitatur à plethora, sed aliquando à cacochymia præsertim biliosa. Confert tandem penicillus intinctus albumine in quo bolus armena aut sanguis draconis dissoluta sint. Perseuerante malo parabitur bolus ex conseruis adstringentibus, vt rosarum & symphiti maioris addendo prædictos trochiscos, exempli gratia.

B ℞. conseruæ rosarum & symphiti ana ℥. ß. trochiscorum de carabe & coralli rubri ana ℈ij. cum syrupo cydoniorum fiat bolus: interim alterentur iuscula refrigerantibus, quæ incrassent sanguinem tenuiorem, vt lactuca, porrulaca, vtatur cibis glutinosis quia inspissant, aqua calybeata cum iulepo rosato sit illi pro ordinario potu: vino enim planè interdicendum est, nisi vires sint valdè languidæ, cerebrorum galli & gallinarum sit vsus frequens, iaceat supinus, non in molli pluma quæ renes calefacit, sed in stramine potius, non aspiciat res rubras. Quod si prædicta remedia non iuuerint, imperabis narcotica, vt philonij ʒj. cum aqua plantaginis aut pillulatum, de cynoglosso ℈j. vel opij ℈ß. Aut quæ ad conciliandum somnum non ita pridem descripsimus: nam somnus omnes fluxiones sistit excepto sudore. Non sunt negligenda quæ creduntur proprietate sistere sanguinem.

C Vt succus porri & stercus asini, recens diluitur pauco aceto, deinde exprimitur, coquitur cum saccharo ad formam syrupi qui datur sæpe ex cochleari, aut siccatur puluis, & insufflatur per arundinem vel excipitur melle rosato, vnde fit turunda indenda in narem, quæ etiam ex linamentis eodem succo inebriatis potest preparari.

Considerabis tamen diligenter quonam modo fluat sanguis non tantùm de naribus, sed de quauis alia parte, (hoc enim præceptum volo esse generale) si aperta, rupta, an erosa vena, quia apertæ conueniunt astringentia, vt succi & aquæ plantaginis, rosarum, centinodiæ, oxycratum, Ruptæ glutinantia, vt bolus cum albumine agitatus, vel sanguis draconis subagitatus cum mucagine cochlearum. At erosæ sola cathæretica benefaciunt: paretur priapiscus ex linamẽtis imbutis succo plantaginis, qui puluere vitrioli respergatur & in venam fluentem indatur, nisi placeat

D hoc cauterium potentiale, imperabis actuale. Cæterùm notabis quoties ex arteria fluit sanguis, toties ægrum versari in magno discrimine, quemadmodum cùm fluit de magnis venis, quod si descendat à venis meningum aut retis mirabilis, hæmorrhagia est lethalis. Cum immoderatæ hæmorragiæ accidit conuulsio, aut singultus, mortiferum.

MORBI ET SYMPTOMATA ORIS.

CAP. V. Sect. I.

E ORIS partes precipuæ & effatu dignæ, sunt dentes, gingiuæ, lingua, palatum, fauces. Singulæ habent suos morbos, de quibus sigillatim nobis differendum est, quia frequentissimè de illis medici consuluntur.

Dentes eroduntur, deinde putrent, relaxantur, neque stabiles in suis alueolis manent, stupent, malè colorantur, dolore intolerabili cruciantur, qui nulli alteri cedit, est acutior dolore capitis, inquit Galen. etsi non adeo periculosus. Quibusdam placet dentes ipsos non dolere, eo quòd sint ossa, & limari possint indolenter. Sanè dolor communicatur denti per neruum, qui à tertio pari in radicem cuiusque dentis inseritur, verùm de dolore mox: Eroso & putri denti nil tàm cito succurrit, quàm ignis, omnem enim putredinem sistit. Ad cariem ossis nullum tam præsens remedium, verùm quia cauterium actuale plurimi refugiunt, Galen. autho- *Morbi dentium.* *Ad dentes putres & erosos.*

re colluatur os aceto decoctionis corticis radicis capparis, nigellæ: vel zinziberis. Si placet zinziber coquatur in aceto, deinde teratur & in cauernam dentis immittatur, sunt qui eam implent caphura, alij aqua de caphura cum aqua vitæ destillata: Si placet ℞. capitis leporis vsti & puluerati ℥ß. myrrhæ ʒj. aluminis ℈j. excipiantur melle, fiat confectio, qua quotidie putres & erosi dentes perfricentur. A

Dentes mobiles. Si gingiuarum laxitate dentes vacillent, quod accidit inunctis tempore saliuationis, huic malo succurrendum est decocto adstringente, vt vino, aut aucto in quo malicorium, balaustia, cornu cerui, saluia, vel alumen bullierint, quia tamen galla & malicorium denigrant dentes, omissis his, vtere cæteris, vel ex corallo rubro, puluere ossium dactylorum vstorum, sale gemmæ, cornu cerui vsto fiat puluis, pro dentifricio, vel ℞. coralli vtriusque mastiches, Tragacanthæ, gummi arabici ana ʒj. fiat puluis, quo dentes perfricentur: Albucasis docet mobilem alligare fixo denti cum filo aureo. Interim vtantur alimentis liquidis siue sorbitionibus, quia solida non perferunt, vitellis ouorum, pultricula, iusculis. Præmittatur purgatio frequens, & cucurbitulis fluxio diuertatur. B

Dentium stupor. Ad aimodiam, seu stuporem dentium Arist. commendat portulacam mansam, confert etiam os vino calido colluere. Strupent autem humoris acidi appulsu, non aliter quàm rerum acidarum esu.

Ad fœdũ colorem dentium. Vt malè colorati dentes dealbentur, primùm abluès os vino, deinde sequenti puluere dentes perfricabis ℞. testæ ostreorum vstæ ℥j. Coralli, cornu cerui vsti, salis gemmæ ana ℥ß. pumicis & ossis sepiæ ʒij. fiat puluis pro dentifricio, ad gratiam possis addere moschi duo aut tria gr. aut parum nucis moscatæ.

Odõtalgia dolor dentium. Dolor dentibus accidit aut propter fluxionem factam in neruum, qui inseritur in illius radicem, aut in gingiuas, vtriusque enim causæ dens, alioquin indolens, compatitur. Si in gingiuis subsit causa doloris, manifestè tument, vt cum parulide tentantur, saltem si non intumuerint, his etiam leuiter compressis dolor geminatur, si verò causa delitescat & neruum occupet, pressis gingiuis non augebitur dolor, potiusque secundùm dentis longitudinem extenditur, quemadmodum cum à gingiuis secundùm latitudinem. Quando causa doloris consistit in gingiuis, quia superficialis, faciliùs tollitur: si in neruo, quia latet nec facilè remedia eò peruadunt, difficiliùs. Errant, inquit Valescus, qui vno & eodem remedio omnes dentium dolores se sanare posse gloriantur: Nam est cum à calida, est cum à frigida causa excitatur. Propterea Gordonius vtitur hac distinctione, in causa frigida, colluatur os vino in quo radix Tythimali bullierit: in calida, decocto seminis aut foliorum hyosciami. Verùm imprimis purgandum corpus pillulis coccijs vel de agarico: Quòd si fluxio calida videatur, vt si tumore, rubore, dolore gingiuarum inflammatio significetur, liberaliter mittatur sanguis, cucurbitulæ applicentur scapulis cum scarificatu. Hæc enim sunt anodyna primi generis, quæ tollunt causam morbificam quemadmodum & masticatoria, vt ficus, passulæ, mastix, radix pyretri, & authore Galen. staphisagria siue pituitaria. Verùm, dices, trahunt ad partem affectam, Respondeo idcirco imperari, vt humorem in profundo delitescentem foràs trahant, quæ singula prosunt masticata, verùm efficaciora sunt cocta in aceto & gargarizata, quia citiùs & faciliùs penetrant ad radicem vsque dentis. Dicet aliquis, acetum neruis & partibus neruosis est inimicum: & Aëtius damnat aceti frequentem vsum, quia gingiuas & dentium alueolos erodit. Respondet Guido acetum per se solum non conuenire, sed alijs permixtum, vt sit vehiculum. C D E

Galenus commendat acetum decoctionis gallæ, & acetum decoctionis corticis radicis capparis, quo vtendum tam calido quàm ferri poterit. ℞. gallarum ʒij. bulliant in ℔ß. aceti ad consumptionem tertiæ partis, fiat collutio. Auicenna præfert acetum decoctionis colochintidis, quia trahit ex alto poretiùs causam dolorificam, possis eodem modo vti radice pyretri, vel staphisagria. Interim vt intercipiatur fluxio quæ à vertice per tempora, vt plurimùm descendit, iuuabit temporibus applicare emplastrum, ex mastiches & desiccatiui rubri, aut emplastri contra rupturam, æquis partibus malaxentur cum oleo myrthino. Oleum quoque de castoreo vel lumbricorum, vel in quo ranæ bullierint, vtiliter in aurem denti dolenti quæ est è directo, instillatur. Vulgus imponit brachiali allia contusa aut batrachium, flammulam aut simile vesicatorium è directo dentis dolentis ad diuersionem: quæ sunt authoritate

A thoritate Galeni comprobata. Hæc si non iuuerint veniendum ad narcotica quæ priuant neruum sensu, cuiusmodi sunt non tantùm valde frigida, vt granum j. opij, croci & castorei totidem granis correcti, excipiuntur cotone, & in dentis cauernulam, si fortè fuerit erosus, induntur, aut ♃. mithridatij ℈ß. opij g. j. excipiantur cotone, & indatur in foramen dentis erosi. Serenus puluerem dentis cerui dilutum aceto, aut puluerem lumbricorum immittit in cauitatem. Alioquin pauco lacte, vel oleo rosato diluatur opium, eoque radix dentis dolentis perfricetur, non modò valdè frigida stupefaciunt, inquam, sed etiam valdè calida, vt olea chymica cariophillorum, nucis moscatæ, thimi, de vitriolo: hæc enim caustica vrunt neruum, eumque priuant sensu. Quando dens est erosus & facilè neruus attingi potest, ego mallem cauterium actuale, extremum est remedium dentem putrem euellere. Si radicem pyrethri in aceto spatio quatuor dierum macerati, contusam immittas in cauitatem,
B quarto die sponte cadet dens, authore Galeno. Quidam tenui terebello perforant, vt transpiret, si reformides ferrum, attingatur vna gutta olei vitrioli, sponte cadet.

DE MORBIS GINGIVARVM.

CAP. II.

GINGIVAS malè habent inflammatio quæ parulis dicitur, & carnis excrescentia, vt plurimùm succedens vlceri malè curato, quæ ἐπουλὶς dicitur. Monet Aëtius gingiuis malè affectis acetum valdè nocere. Propterea quando prohibebat aceti vsum in dolore dentis, distinguen-
C dum, si fuerit dolor à gingiuis. Initio parulidis vt repellas & phlegmones generationem impedias, mittatur sanguis de cephalica, admoueantur cucurbitulæ, colluantur syrupi granatorum, rosarum siccarum, diamoro, vel succo ipso mororum dissoluto, aqua plantaginis vel rosarum, aut decocto rosarum, plantaginis, balaustiorum, nucum cupressi. Guido applicat hirudines. Si nihilominus facta fuerit inflammatio, vt resoluas colluatur os secundo decocto fœnugræci: est enim ad hoc singulare, si non possit resolui, abcessus aperiatur scalpello, deinde vlcus hydromelite colluto mundetur. *Parulis.*

Aliquando abcessus est primarius qui non aliter sanescet, quàm incisione. Aëtius iubet, vt incisio sit lata, alioquin periculum esse, ne abcessus degeneret in fistulam. *Abcessus.*
Cæterùm dolor gingiuarum collutione lactis præsertim asinini demulcetur, aut la-
D cte in quo fœnugræcum bullierit. *Dolor gingiuarum.*

Epulis abscindatur, vel caustico exedatur, oleo de vitriolo, aqua forti, alumine vsto. Si placet flos æris in aceto per aliquot dies maceretur, cui exsiccato permisce puluerem gallæ, eoque excrescentem carnem consperge: monebis interea ęgrum ne transglutiat saliuam. Ecce sunt dentium & gingiuarum, sequuntur linguæ palati & faucium affectus. *Epulis.*

MORBI LINGVÆ. CAP. III.

LINGVA laborat intemperie præsertim humida & sicca, humidiorem consequuntur telaxatio & paralysis: relaxatur humidioribus ligamentis. Resoluitur, id est vtroque vsu, loquendi scilicet & gustan-
E di, priuatur; ambobus neruorum generibus impeditis: etenim neruis septimæ coniugationis (qui non longè à principio spinæ exorti ad radicem linguę propagantur) fluxione remollitis, amittit motum: neruis verò obstructis, aut perfrigeratis, quos habet à tertio pari, perdit gustandi saporésue discernendi beneficium: Isti effectus erunt signa suæ causæ. Linguam ficciorem, qualis est per febres ardentes, comitantur asperitas, excoriatio, conuulsio seu retractio versus suum principium: Ad morbos communes pertinet ranula; est tumor sub lingua, ex eo nomen habens, quod ranulę, seu venę quæ sunt sub lingua, sub hoc morbo manifestè tumenr: vel quòd qui hoc affectu laborant, inter loquendum coaxant veluti ranæ, vel quòd ranæ similitudinem præ se ferat.

Relaxationis & resolutionis communia ferè sunt remedia: purgetur corpus ex *Paralysis linguæ.*

na & agarico, quæ bullierint in decocto cephalico: caput cephalicis desiccetur, quin A etiam totum corpus, dato per aliquot dies decocto sudorifico. Cauterijs diuertenda fluxio quæ in inio atque etiam sub mento applicentur; colluatur sæpè vinum decoctionis saluiæ, maioranæ beto. cariophylorum, nucis moscatæ, zinziberis, cinamomi, teneat sæpè in ore zinziber conditum, aut nucem moscatam conditam, & vtatur sequente opiata: ℞. conseruæ salu. anth. stœcados acori, ana ℥ß. mythridatij, vel theriacæ veter. ʒ ij. nucis moscatæ conditæ, vel zinziberis conditi ℥j. cum syrupo conseruatonis citri fiat opiata, de qua capiat manè & serò quantitatem auellanæ. Totum collum oleo de cinamomo, vel de castoreo, vel aliquo vnguento neruali inungatur, castoreum ipsum per aliquot dies sumatur ʒj. pondere cum hydromelite, quæ quidem remedia resolutę quoque maxillę conueniunt, quæ paralysis

Paralysis maxillæ. est molestissima, quia masticationem peruertit. Omnia enim animalia, excepto crocodilo, mandunt cibos mouendo mandibulam inferiorem. B

Asperitas linguæ. Asperitas linguę lenienda est continendo in ore oleum seu succum amygdalarum dulcium, cremorem lactis, mucaginem psyllij, cydoniorum, extractam in lacte: lingua perfricetur, teneat in ore tabellas diatragacanthi frigidi, penidia, pillulas albas, bechicas. Semen portulacæ excipiatur mucagine tragacanthæ, fiant hypoglottia, siue paruæ tabellæ tenendę sub lingua, quę coueniunt etiam linguæ, ardore & nimia siccitate excoriatę.

Conuulsio. Retractæ verò siue conuulsę imperentur humectantia, vt decoctum amygdalarum dulcium, passularum, ficuum, glicyrrhisæ, iuiubatum, sebesten cum syrupo violato iuiubino de glicyrrhisa.

Sed memineris conuulsionem à siccitate esse lethalem, quemadmodum & paralysim liguæ: Apoplexiam enim minatur, pauci euadunt. C

Ranula. Pro ranula Paulus singulare constiruit præsidium in apertione ranularum, prius purgetur corpus, vena in brachio incidatur, præsertim si fuerit tumor plegmonodes, generatio phlegmones impedietur, initio colluendo oxycratum, si non possit generatio illius impediti, tentanda resolutio, colluendo decoctum origani, malicorij & salis: si tendat ad supputationem quàm citò aperiatur, effluet humor albugineus similis albumini, siue aquato oui.

Notandum verò quòd aliquando ranula non est humoralis, sed adnata caro sub lingua veluti rana aut altera lingua, quæ si fuerit alba, vel rubra, mollis, indolens, vt de polypo dictum est, exedatur caustico, vt oleo vitrioli: Si verò subnigra, dura, doloremq; faciat, neque ferro neque caustico irritetur, metu cancri.

Chirurgiam docent Paulus, Celsus, & Albucasis, hamo præhenditur, vndique D à lingua separatur, sic tota carnis excrescentia facilè euellitur, vt de pterygio dictum est.

DE PALATI AFFECTIBVS.

CAP. IIII.

Aphtæ. IN palato, infantibus ex calidiore lacte nutricis, adultis ex biliosiore sanguine, erumpunt aliquando pustulæ, quibus ruptis succedunt vlcuscula quæ aphtæ nominantur, quibus succurrendum est colluendo aquam hordei, rosarum, plantaginis cum melle rosato, syrupis rosarum, siccarum, granatorum, myrtillorum, diamorum, quod est in omnibus oris E vlceribus singulare: Itaque infantibus os eodem, cum baculo perfricabis (quandoquidem per ætatem gargarizare nequeunt) interim nutrici prouideatur purgatione & venæ sectione, refrigerantium vsu: vel alia quæratur cuius lac sit temperatum. Adultis quoque purgatio & venæ sectio conueniunt, deinde diamorum dissolutum aqua hordei & plantaginis. Si vlcuscula reddantur maligna, attingâtur aqua aluminosa, quin etiam forti, sed in pueris multa aqua plantaginis temperata. Prodest etiam in malignis os abluere omphacio, aut aceto, decoctionis malicorij, nucum cupressi, vel gallarum.

A

DE TONSILLARVM MORBIS.

CAP. V.

IN radice linguæ sitæ sunt glandulæ vtrinque vna quæ tonsillę, vulgò amygdalę nominantur, quas duo morbi obsident, phlegmone & scyrrhus; Paulus appellat Paristmia cùm inflammantur; Antyades verò cùm scyrrhescunt, quo nomine vocari à Gręcis induratas ex inflammatione tonsillas Celsus annotauit.

Inflammationi conuenit sectio venæ primùm in brachio, deinde sub lingua, non neglectis cucurbitulis: colluat os oxycrato, vel in aquis rosarum, plantaginis, dissol- *Tonsillarũ phlegome.* uantur diamorum, syrupi astringentes, rosarum siccarum, cydoniorum, granatorum, B myrtillorum, cum iisdem aquis fiat gargarismus. Ad resoluendum vtere vt priùs decocto secundo fœnugræci, abcessu facto cuticula facilè rumpitur, erumpitq; pus in os & fauces, hinc vlcus sordidum graue olens.

Aliquando oboritur vlcus primarium: distillationis enim acrimonia eroduntur *Vlcus.* tonsillæ, nulla præcedente inflammatione, qualia vlcera sæpè aduenium lue venerea infectis.

Pro duritie tonsillarum hæc etiam sit cautio, vt si iam dolorem faciat, sinatur, *Stirrhus.* metu cancri: alioquin quod superfluum est impeditq; deglutitionem & respirationem, abscindi potest. Si totam glandulam funditus & è radice vellere coneris, inquit Aëtius, operatio erit plena periculi.

Tunica palati aliquando inflammatur, eaque inflammationis species ab Areteo *Lorum siue κράσπεδον.* C lorum siue crapedon nominatur, tunica tumore extenditur instar alarum vespertilionis, quod genus phlegmones non semel obseruaui, idque non alijs remedijs quàm alias oris inflammationes persanaui.

DE INFLAMMATIONE ET RELAXAtione vuulæ. CAP. VI.

GARGAREO inflammatur quandoque, sed raro, nec sine periculo, frequenter relaxatur destilatione, & ita pendet vt quoties ægri vel saliuam transglutit, carnis aliquod frustulum se vorare opinetur, à quo veluti strangulantur obsessus inflammatione, eo quod racemi præfert spe- D ciem, idcirco morbus σταφύλωμα à Græcis, à Latinis vua seu vuula nominatur. At quando fluxione laxior, veluti gracili cauda dependet, inde tum columella quasi parua columna nominatur: Staphylomati seu inflammato gargareoni succurrendum ijs remedijs quibus tonsillis inflammatis & faucibus: Ad columellam verò seu relaxatum pendulumque gargareonem, Scribonius myrrham & piper excipit melle, quo illum oblinit. Asclepiades apud Galenum myrrhæ & piperi immiscet gallam & alumen, vt à calfacientibus eliquescat pituita, & eadem opera ab astringentibus suo loco reddatur. Ioannes de Vigo piperi commiscet myrobolanorum citrinorum parem portionem, eumque puluerem cum spatula pendulo gargareoni bis quotidie supponit. Asclepiades etiam insufflat per arundinem puluerem ex anethi vsti partibus duabus & ireos Florentiæ parte vna: Mesue ex Ga- E leno vt retrahatur suadet ægrum ex coma suspendere. Si his artibus non possit reddi suo loco, aut ligetur, aut incidatur, eoque audentiùs vtrumque præstabis, si candam habeat gracilem, Volsellis pinsitur, mox forficibus abscinditur, deinde adstringens aliquod gargarizatur, vide tamen vt tantum quod excedit & superfluum est abscindas, quia cùm totus gargareo abscedit, vox eripitur & vitales partes refrigescunt.

Notabis ex Celso nunquam incidendum quandiu inflammatione tenetur, neq; si cancrosus videatur. Albucalis etiam monet non esse incidendum nisi pendeat è cauda gracili, metu hæmorragiæ.

Inflammationi nonnunquam succedit gangræna, tum qui priùs rubebat incipit liuescere, quod est Gangrænæ principium: hoc viso citiùs quàm fieri poterit scarificetur, quin etiam parum Ægyptiaci dissolutum oxycrato gargarizetur, aut sal cum

posca: Si nihilominus putrescat, Guido per canulam eum attingit aqua forti, spatio dimidiæ horæ, sic sponte cadit; abscindi etiam potest, vt pendulus. A

DE INFLAMMATIONE FAVCIVM. CAP. VII.

Angina. FAVCES appello internum oris spatium vbi gulæ & asperę arteriæ extrema concurrunt, vtrumque seorsim & coniunctim potest inflammari: faucium inflammationem Latini vno nomine Anginam appellarunt, Græci distinctiùs inflamationem laryngis siue gutturis cynanchem: inflammationem verò œsophagi Synanchem nominarunt, imò verò Paulus maioris distinctionis causa, cùm afficiuntur interiores musculi qui laryngem mouent ad vocem efformandam, cynanchem, cùm exteriores paracynanchem appellat: Quemadmodum cùm gulæ interiores musculi phlegmone tenentur, Synanchem; cùm externi parasynanchem: Discernuntur actione læsa: nam inflammata gula deglutitio aboletur manente respiratione: inflammato gutture vox & respiratio valdè læduntur: cibus interim etsi cum difficultate transglutitur: omnis enim Angina deglutitionem plus minus lædit. Quo maior est deglutiendi aut respirandi difficultas eò angina periculosior, quia inflãmatio pertinet ad partes interiores. Periculosissima angina, inquit Hipp. cùm depressa lingua, in faucibus nullus apparet tumor, ægri nihilominus coguntur erecti spirare, isti primo die vt plurimum è viuis tolluntur, alij intra diem quartum. Causa sæpius in pulmone reperitur dissecto cadauere. Quando anginosi spumant, non minùs sunt deplorati quàm spumantes apoplectici, suntq; sine auxilijs deserendi, mortem certam esse & in propinquo, significandum est. Spuma enim tum ex partibus internis procedit, non tantum ex palato & faucibus, vt in epilepticis. Oribasius. B C

Vena primùm cephalica secanda est, quia pręsens requiritur auxilium, quin etiam iterari phlebotomiam magnitudo morbi postulat, iniectis interea clysteribus acribus, quales in apoplexia descripti sunt: deinde ranulæ aperiantur: Nam Galen. non semel annotauit ranularum sectione sæpè anginam fuisse persanatã: si æger possit deglutire, laboretq; cynanche non synanche, detur potio purgans bilem. ♃. expressionem ℥ij. rhabarbari infusi in aqua cichorij cum ℈j. santali cytrini, in qua dissolue syrupi rosarum pallidarum vel de cichorio ℥j. diapruni solut. ʒij. fiat potio, quæ in synanche esset inutilis, quia ne aqua quidem transglutitur, in angina suffocante licet aperire iugulares, saltem admouere collo cucurbitulas cum scarificatu. Beniuenius deploratum, colli & maxillarum profundis incisionibus persanauit. Obseruat. 28. D

Topicorum eædem sunt indicationes quæ fuerunt in alijs inflammationibus oris, initio repellendum, vt prohibeatur generatio phlegmones: si non possit impediri, tentanda resolutio: abscessus factus aperiendus si fieri potest scalpello, alioquin alligetur carnis frustulum filo, & detur comedendum, mox retrahatur: idem fiet si alligaris filo spongiam. Gargarismi lenis ad repellendum sit hæc formula ♃. aquę rosarum & plantaginis ana ℥iiij. dissolue syrupi granatorum, rosarum siccarum, cydoniorum, myrtillorum cuiusuis ℥ij. fiat gargarismus. Erit vehementior ex decocto balaustiorum, malicorij, nucum cupressi, dissoluendo diamorum, aut dianucum: astringentibus ratione doloris immisceri debent lenientia, vt iuiubæ, passulæ ficus, glicyrrisa. Exempli gratia, ♃. malicorij ʒiij. balaustiorum & glicyrrisæ ana ʒij. passulas decem ficus & iuiubas ana numero quatuor, fiat decoctio, in colaturæ ℔. j. dissolue diamorum vel diancum ℥ij. fiat gargarismus: Vt demulceatur dolor qui anginosos cruciat, per interualla gargarizent lac asinæ, capræ, vaccæ, aut serum lactis in quo parum cassię ad leniendum dissolui potest, vt resoluas vtere secundo decocto fœnugręci, in quo dissolue diamorum compositum: Tale autem redditur addendo ad simplex parum myrrhę & croci, si neque resolui neque repelli potuerit, abscessus quàm citò fieri poterit arte dicta aperiatur. Cęterum quia scripsit Hippoc. in Angina, si tumor in collo appareat, bonum, idcirco omnibus artibus procurandum vt materia foras attrahatur, cucurbitulę sub mento & circa E

fauces

A fauces admoueatur, inquit Celsus, id quod strangulat euocetur, ad eum finem vulgus pattam leonis applicat collo, forma cataplasmatis, miro profectu, cuius loco vti possis synapismo aut vesicatorio. Collum lana succida, imbuta oleo aliquo calastico siue relaxante, vt camomeli, liliorum, inuoluitur. Quæ omnia remedia adiuuant manifestis qualitatibus anginosos, at proprietate inexplicabili iuuant tam sumpta quàm admota quæ sequuntur, ideo dicta cynanchica. Stercus canis album (tale autem redditur si per duos dies canis nihil præter ossa comederit) siccum teritur, cribro traijcitur, deinde melli, syrupo, vel diamoro permiscetur. Item hyrundinum vstarum, cochlearum, vel cancrorum vstorum cineribus eodem modo vti possis: pondere ʒij. pulli ipsi hirundinum vtiliter eduntur, aut vruntur, & puluis edendus datur cum mulsa: vel ℞. nidum hirundinis, subigatur cum melle, fiat cataplasma applicandum collo, quæ omnia sunt auctoritate Gal. firmata, deinde Aëtij, Pauli,
B Celsi, Scribonij testimonijs comprobata. Dioscorides vrit millepedes, puluerem immiscet melli pro litu colli.

Hactenus de vera & exquisita Angina, quę fit à sanguine vt plurimùm bilioso, id est, tenui & feruido: Quæ enim fit à sanguine pituitoso est quidem vera non exquisita: at notha fit à pituita, potiusque ad œdema, quàm ad phlegmonem referri debet: habet quidem multa communia cum vera, vt sensum angustiæ siue compressionis, difficultatem spirandi & deglutiendi, verum abest febris, nullus vrget dolor, propterea non est adeò periculosa. Purgatio, si deglutiri possit, præscribatur ex senna, turbith, agarico quę bullierint in decocto cephalico; clysteres acres: applicetur collo cataplasma resoluens, quale hoc fuerit, ℞. radicis liliorum
C ℥j. altheæ cum radice m. j. florum chamomeli & melil. ana p. j. seminum anisi, lini, fœnugræci & fœniculi ana ʒij. fiat decoctio: Residentia teratur, coletur, adde colaturæ farinæ fabarum & nidi hirundinis ana ℥j. vel ℞. pulueris cancrorum vstorum, stercoris canini ana ʒvj. cum oleo camomeli fiat cataplasma applicandum collo, gargarizetur decoctum hyssopi, thymi, pulegij, atque imprimis calamentæ, in quo dissoluatur oxymel. ℞. Calamenthę m. j. fiat decoctio, in colat. ℔. j. dissolue cochlearum vstarum ℈iiij. oxymelitis Gal. ℥j. fiat gargarismus. Quādo impedita gula anginosi nil omnino deglutiunt, sorbitiones per cannulam siue gutturnium indantur, vel cucurbitula primis colli vertebris applicatur, vt gula dehiscat: Interea exhibentur cibi liquidi.

Non est omittendum abscessu rupto fieri vlcus, quod imprimis hydromelite aut aquis vel decoctis hordei, ligustri, caprifolij, agrimoniæ, detergendum, dein-
D de diamoro replendum & obducendum, maligna vlcera in faucibus; vt alijs in partibus, attingi debent aqua forti, aluminosa, oleo de vitriolo. Cæterum, piè credendum est, Fabium Pictorem in lactis haustu, vno pilo strangulatum, quemadmodum & Anacreonem Poetam acino vuæ passæ, vt scribit Plinius libro 7. cap. 7.

PARTIVM ORIS ENVMERATARVM symptomata, primi, secundi & tertij generis.

CAP. IX.

E COMMEMORATIS partibus velut instrumentis natura vtitur ad respirandum, ad loquendum & ad gustandum. Propterea illis malè affectis, istæ actiones læduntur: equidem pulmo est præcipuum vocis instrumentum, sed ad vocem dearticulandam concurrunt preterea bronchia seu trachiarteriæ propagines per pulmonem dispersæ veluti fistulæ, lingua, gargareo, guttur, dentes, nerui recurrentes, qui propter istum vsum vocales nominantur. Loqui non possunt quibus lingua inutili ligamento veluti filo constricta tenetur, quo forcipibus inciso incipiunt loqui. Sunt etiam muti quibus lingua est resoluta, aut quibus impediti sunt, vt obstructi, incisi, perfrigerati vocales nerui qui cum à quarta vertebra exoriantur illic applicanda erunt Topica ad paralysim dictata. Loquuntur quidem balbi, sed deprauatè, quemadmodum Trauli qui t, & r, non possunt pronunciare, quod de Demosthene & Alcibiade ferunt historiæ. Vox etiam deprauatur *Filum.*

raucedine siue destillatione in fauces: aër enim per materiã catharri veluti per aquam A delatus raucum edit sonum: Instrumenta musica, vt fides, cytharæ, debent esse sicca, proinde fluxione humectatis vocalibus instrumentis vox raucescit. Raucedo in valdè sene est insanabilis. In cæteris si vnum annum excesserit, vix vnquam sanescit. *Hippoc. in Aph.* Si anteriores dentes suis acetabulis emoti locutionem impediant sufficiantur in eorum locum eburnei. Ecce sunt causæ præcipuæ vocis impeditæ: Aboletur gustus impeditis neruis gustatorijs, à tertio pari, vt motus præpeditis motorijs, à septimo pari. Deprauatur verò lingua alieno humore infecta: nam sub aurigine perfusa felle, iudicat omnia amara: quæ vitia frequentius contrahit ex inferis partibus quibus veluti spongia incumbit: indeq; ascendentes vapores excipit. De respiratione opportuniùs sectione sequenti. Age verò, ponamus quempiam de abolita, imminuta aut deprauata voce apud nos conqueri, tacita mente excurremus per commemorata vocis instrumẽta, vt cuius vitio hoc accidat dignoscamus, & remedium causæ morbificæ accommodemus. B

DE RAVCEDINE.

CAP. X.

Sto vox rauca à destillatione in fauces, quæ idcirco raucedo nominatur: purgandum erit corpus cassia cum rheo, atque si fluxio calida videatur, mittendus sanguis.

Obiter tamen notandum est quod Valescus in commentarios retulit, si rauco à destillatione mittatur sanguis quo tempore catharrus commouetur, aucta C destillatione amissurum esse vocem. Consulendum capiti vt parti mittenti, gargarismo vtendum est repellente, ex syrupis & aquis adstringentibus, aut ℞. diacodij ℥ij. capiat hora somni duo cochlearia ad sistendum catharrum. Aut ℞. gummi arabici tragacanthæ, glicyrrisæ rasæ, amygdalarum, penidiorum, seminum cucurbitæ, cucumeris & portulacæ ana ℨij. croci ℈j. fiant pillulæ tenendæ sub lingua. Cubebæ, vulgò grana paradysi, sensim transglutitæ, vel sumptæ cum aqua mellis, creduntur proprietate mederi raucedine: quod sequitur vocem claram efficit.

℞. Croci myrrhæ & thuris ana ℨj. coquantur cum passo, siue musto decocto ad consistentiam mellis, sumat manè & serò instar castaneæ. Quod si abolita sit vox aut imminuta ob paralysim linguæ, iam præcesserunt remedia: si à neruis vocalibus incisis est malum immedicabile: si ab eisdem resolutis, obstructis, perfrigeratis, non tantùm collum liniatur oleo de castoreo, costi, cinnamomi, vnguento netuali, sed D etiam quartæ vertebræ, vnde exoriuntur, eiusmodi topica applicentur: non neglectis ijs quæ ad paralysim linguæ nouissimò dictata sunt: Si propter arteriam exasperatam vox lędatur, syrupis, & eclegmatis lenientibus leuigetur, vt syrupo violato, iuiubino, de glicyrrisa, de tussilagine, tabellis diatragacanthi & cæteris quæ ad exasperatam linguam præcesserunt, vt pillulis albis, bechicis.

Si vitium sit in pulmone vt si phtisicus fuerit aut asthmaticus, isti affectus habebunt statim sua remedia. De mutis & balbis locus hic postulat vt pluribus disseramus: neque enim in arte possis commodiore loco.

Imprimis notandum quia sermo ex auditu est quotquot nascuntur surdi, eosdem necessariò esse mutos: at si fuerint surdi aliquo accidente, vt raure obstructa, nihil obstat quin loquantur: multi resoluda, aut inutili ligamento constricta lingua sunt muti, qui arte, quin etiam sponte aliquando sanescunt. Nam Athis Crœsi filius cùm videret ensem iam districtum ad interficiendum patrem, qui nunquam antea locutus fuerat & pro muto habebatur, cœpit exclamare. O homo ne occidas Crœsum, vnde tam repentina mutatio? an disrupto linguæ ligamento, an percurata momẽto paralysi, quia calor & spiritus magno animi impetu ad linguã alioquin ignauam & torpentem confluxerunt: quosdam enim paralyticos qui per aliquot annos in lecto iacuerant cùm domus conflagraret, aut deposcerentur ad necem, audio eadem causa in pedes domo effugisse. Maximilianus Frederici tertij imperatoris filius, cùm pro muto haberetur, quia ante nonum annum non erat locutus, euasit tandem in virum eloquentissimum, vt hinc obiter intelligat medicus non esse desperandum etiamsi quibusdam pueris tardè adueniat loquendi beneficium. E

A Balbuties vt plurimùm accidit cerebri & linguæ nimia humiditate. Qua causa pueri & ebrij balbutiunt, eadē ratione scripsit Hipp. balbos alui profluuio sæpe corripi. Quocirca cephalicis desiccandum est cerebrum, quinetiam totum corpus, sumpto per aliquot dies hydrotico, cętera etiam peragenda quæ ad mollitiem linguæ dictata sunt: conserua saluiæ ore detenta imprimis commendatur. *Balbuties. Ingenium præceps tarda&lingua.*

Traulis conueniunt illa eadem remedia, nam credibile est illos τ & ς malè pronunciare propter mollitiem linguæ; ideo enim fit vt lingua prioribus dentibus malè innitatur, humidiores linguę musculi non possunt linguam firmiter stabilire, quod tamen necessarium est ad harum literarum pronunciationem. Ecce sunt læsæ vocis, sequuntur deprauati gustus remedia. Considerabis primum à qua parte ascendant vapores quibus lingua inficitur, si à ventriculo, an ab hepate, vt parti primò laboranti subuenias: Si ab aurigine lingua felle perfundatur, percurata aurigine, lingua suę integritati restituetur, interim paretur gargarismus detergens ex decocto hordei, agrimoniæ, marrubij, vel ex aquis stillatitijs caprifolij, ligustri cum pauco melle rosato. *Τραυλός. Ad gustū deprauatū.*

Ad ametriam in excreto pertinent multa & frequens sputio, nec non screatus sanguinis, aperta aut erosa in faucibus aliqua vena, à ventriculo enim & hepate sanguis profluit vomendo: à pulmone tussiendo, ab ore & gingiuis spuendo: à faucibus screando. Immodica saliuatio aut contingit à perēni & tenui destillatione, aut à ventriculi cruditate. Nam malè coquente ventriculo multa pituita colligitur quę ascendit in os per tunicam communem ori & ventriculo. Qui natura & temperamento sunt melancholici solent esse sputatores: Verùm maximè omnium hypochondriaci, fortassis quod lien eructet humorem acidum in ventriculum à quo refrigescit. Itaq; vt huic symptomati succurras, cōsiderabis diligenter vnde procedat, si à cere-C bro, ventriculo, aut à liene vt vnicuiq; causæ suum accommodes remedium, cerebrum exsiccandum, sistendus catharrus, ventriculus roborandus & iuuanda coctio remedijs suo loco explicandis: Lieni verò prospiciendum remedijs quæ postea ad melancholiam hypochondriacam describetur. Screatus verò sanguinis sistetur aliqua detenta in ore conserua adstringente, vt rosarum, symphiti maioris, quibus immiscere possis aliquid terræ sigillatæ, boli, vel coralli rubri: vel gargarismo ex syrupis astringentibus dissolutis aqua quapiam astringēte, rosarum plantaginis centinodię: addere etiam possis nonnihil trochiscorum de bolo, de carabe, de terra sigillata, de spodio. Denique conueniunt quæ ad hæmorragiam præcesserunt, & quæ deinceps ad hæmoptoidem. *Frequens sputio. Screatus sanguinis.*

Ad affectus simplices referri potest oris fœtor, cuius imprimis recognoscēda causa, D procedatne ab ore ipso, vt à dente putri, an à ventriculo malè coquente, an à pulmone vlcerato, an ab ozæna: Mulieres præsertim ruffæ hircum olent, sub alis trux habitat caper. Si fœtor procedat à dente putri, experienda remedia quę ex Galeno ad putres & erosos dentes dictata sunt, tādem euellatur: Si à ventriculo malè coquente, frequenti vsu pillularum de hiera aut de aloe corruptus humor vacuetur. Ventriculus sumptis & admotis roboretur. Si ab vlcere putri pulmonum, quia phtisis est insanabilis, satis erit fallere fœtorem, teneat itaque sæpe in ore cariophylum vnum, aut aliquid nucis moscatæ conditæ: Nam suspecta sunt quęcunque suauius olent, vt moschum, & zilethum. *Oris fœtor.*

Posthume non bene olet qui bene semper olet.

Cæterum de aspera arteria memorabilis est historia apud Cardanum quæ hic vi-E detur coronidis loco inferenda. Mediolani nebulo quidam adindicatus cruci nunquam potuit laqueo strangulari, quod cùm vulgus haberet pro miraculo, relegatus fuit à iudice in cœnobium, vbi vitam finiuit, cuius euentus causam vt inuestigaret Cardanus, operum naturæ scrutator diligentissimus, postulauit sibi dari corpus dissecandum, inuenit asperam arteriam illi fuisse osseam: tam duram vt nullo fune comprimi potuerit. Vt hoc exemplo in fingendis miraculis simus cautiores.

 A

PARTICVLARIS METHODI MEDENDI SECTIO SECVNDA,

IN QVA EXPLICANTVR MORBI & Symptomata partium quæ Thorace continentur. B

IMPRIMIS MORBI PVLMONVM.

CAP. I.

PVLMO patitur omne genus morbi: Laborat enim intemperie calida, frigida, humida, sicca, nuda, cum materia sæpe obstruitur à pituita crassa & viscida quæ aliquãdo resolutis partibus tenuioribus in lapillos concrescit: potest enim in fistulis pulmonum non minùs quàm in renibus, aut in cysti fellis pituita lapidescere. Vlceratur etiam à destillatione C ferina, vnde phtisis: Inflammatur à copia sanguinis biliosi quo nutritur, quę inflammatio pulmonis à parte affecta peripneumonia nominatur. Patitur etiam abscessus non tantùm in se, siue in bronchijs collecta materia purulenta, sed in arteria venosa, aut vena arteriosa, qui exigui abscessus tubercula nominantur.

Intemperies calida. Calidiores pulmones arguunt genæ rubræ, ascendentibus fumis, ardor thoracis, & sitis ingens quæ non mitescit potu, sed frigidi aëris inspiratu. Qui fit vt sitiant, dices, cùm siris causam Galenus attribuat superiori orificio ventriculi? an quia pulmoni calfacto stomachus compatitur? an quia fauces arescunt à calidiore pulmone?

Frigida. Frigidam intemperiem contraria signa demonstrant, frigidum pectus, sitis nulla, *Sicca.* & quòd calido aëre recreentur, frigido offendãtur, pulmonem aridum vulgus appel- D *Humida.* lat flaccidum. Quo malo affliciti paulatim tabescunt, tabidorum facta dissectione nullam tabis & mortis causam obseruate potui præter pulmones veluti in camino exsiccatos: motus, fames, vigiliæ & quæcunque exsiccant huic hominum generi sunt infensissima: sufflones hoc mobo pereunt, vt Chymici & aurifices, pulmonem humidorem tussis humida comitatur, vt sicciorem tussis sicca cum asperitate arteriæ.

Calidioris pulmonis refrigeratio. Refrigerabis calidiorem pulmonem vsu frequenti cassiæ, missione sanguinis, abstinentia vini, cuius loco vtatur ptisana pro ordinario potu aut aqua hordei, hordeata sint in vsu frequenti & amygdalata, quin etiam panis ex hordeo cõficiatur, syrupo violato, iuiubino, tabellis diatragacanthi vtatur aliquando inter pastus, liniatur thorax oleo violaceo: Nam frigida quę adstringunt vt rosaceum & myrthinum nocent, E quia respirationem impediunt. Lac asinæ ardorem simul & siccitatem pulmonis contemperat.

Frigidioris calefactio. Frigidiores verò calefacies ordinario vsu hydromelitis in quo hyssopi comanodulo inclusa bullierit, syrupis de prassio siue de marrubio, de hyssopo, tabellis, diairis litu thoracis ex oleo irrino, anethino vnguento resumptiuo, quod etiam aridis & exuctis pulmonibus benefacit, vt syrupus resumptiuus, seu de testudine. Crocus perhibetur anima pulmonis, propterea ex ouo sorbili sumi potest, & linimentis immisceri, vt oleo amygdalarum amararum, butyro, immiscebis quoque potulentis vt iusculis. Frigidiores & humidiores purgabis sæpe addendo ad cassiæ ac catholici ℥j. turbith vel agarici trochiscati ℈iiij. si malis diaphœnici aut diacarthami ʒij. fiat bolus, capiat ex cochleari cum syrupo capilli veneris. Estne mittendus sanguis in

A in frigidis & humidis morbis pulmonum? Minimè verò, nisi manifesta sit plenitudo, tumque licet ad causam antecedentem, non ad coniunctam. In longis morbis quales solent esse frigidi & humidi, possis imperare syrupum solemnem ex bechicis, in quibus turbith aut agaricum bullierint hac formula. ℞. radicis enulæ campanæ, serpentariæ & ireos florent. (ad incidendum pituitam crassam viscidam) ana ℥ß. polipodij querni, glicyrrhisæ rasæ, passularum mundatarum ana ℥j. tussilaginis cum radice, scabiosæ, morsus diaboli, pimpinellæ, adianti, Hyssopi ana m. j. iuiubas & sebestem num. 10. Seminis cartami & bombacis ana ℥ß. florum violarum pug. ij. fiat decoctio, in qua bulliant ℥iij. Agarici nodulo inclusi cum ʒij. zinziberis, in colat. ℔. j. ß. dissolue sachari ℔. j. ß. fiat syrupus perfectè coctus, de quo capiat ℥ij. pro dosi cum aquis scabiosæ, pimpinellę, adianti, vel cum prisana magistrali. Si ad hunc syrupum adieceris cassiæ ʒij. pulueris diairis, vel conseruæ enulæ campanæ, capilli veneris ana ℥ß. fiet opiata pectoralis laxatiua.

B Auicenna plurimi facit ius gali decrepiti, farciendus est hordeo, passulis, ficubus, glycyrriza, iuiubis, sebestem, in colaturæ ℔ß. dissolue mannæ calabricæ ℥ij.

Memineris quoties morbis pulmonum coniuncta erit destillatio, vt frequentissimè coniuncta est, toties omni arte procurandum vt sistatur, alioquin inutilem fore nostram operam, cephalicis ergo exsiccandum caput, vtendum hora somni diacodio, aut hypoglottijs: ad diuersionem verò admouenda erunt brachijs cauteria.

OBSTRVCTIO QVÆ PARIT dispnœam, asthma, & arthopnœam. CAP. II.

C AGE verò à morbis similaribus, de quibus non est admodum frequens querela, pergamus ad organicos in quibus præcipuum locum tenet obstructio: Angustæ enim pulmonum fistulæ congesta ex intemperie frigida pulmonis, vel à cerebro destillante pituita, sæpè obturantur: Tum æger difficulter respitat, tussit, & in thorace manifestam sentit oppressionem.

Huic malo subuenient incidentes & detergentes syrupi, vt capilli veneris, de hyssopo, de marrubio; oxymel simplex diureticum, scyllyticum, tabellæ diairis simplicis & diairis Salomonis, iuscula cicerum, & caulium rubrorum, vnde looch de caulibus, expressus succus & depuratus coquitur cum melle, vel cum saccharo candi ad consistentiam syrupi, quo vtendum ex cocleari, vel cum baculo glycyrrizæ, vel cum

D aquis prædictis scabiosæ, pimpinellæ, adianthi.

Vesperi quo tempore catharrus commouetur, capiat syrupi rosarum siccarum & iuiubini cuiusq;, vel diacodij, duo cochlearia. Manè vt quod nihilominus influxit in pulmones & per asperam arteriam deerrauit, expectoretur: vtatur syrupis incidentibus & detergentibus commemoratis. ℞. syrupi capilli ven. & de hyssopo ana ℥j. aquarum pimpinellæ & scabiosæ ana ℥iij. fiat iulep in duas doses, vinum conceditur aut eius loco hydromel in quo coma hyssopi nodulo inclusa bullierit. Benefaciet quoque syrupus magistralis iam descriptus, aut cassia cum agarico, litus thoracis ex oleo irino, anethino, amygdalino cum croco: opiata ex cōserua capilli veneris, enulæ campanæ, ireos, cum puluere diairis, diatragacanthi: non sunt prætereunda remedia, quę ideo asthmatica vocantur, quòd proprietate iuuent asthmaticos, vt mil-

F lepedes, vtendi modus ex proœmio huius operis repetendus, puluis millepedum vstorum misceatur opiatæ prędictæ, exempli gratia, ℞. conseruæ capilli ven. ℥j. conseruæ enulæ camp. & ireos ana ℥ß. pulueris millepedum vstorum ʒij. diairis simplicis ʒiij. cum syrupo capilli veneris fiat opiata, de qua capiat quātitatem nucis iuglandis mane antè pastus, superbibendo parum scabiosæ, aut capilli veneris. In obstructione contumaci, qualis est asthmaticorum, Galenus laudat diasulphur quod conficit ex sulphuris, piperis & synapi ęquis partibus, vt frigida & crassa pituita eorum calore eliquescat, datur ex ouo sorbili à ℈j. ad ʒj. aut therebinthinæ permiscetur. ℞. pulueris prædicti ℈ij. therebinthinę ʒij. fiat bolus, therebinthina ad omnes obstructiones est singularis. Arabes exhibent solum sulphur cum ouo, chymici flores sulphuris, alij dant quotidie tabellam vnam diatragacanthi conspersam oleo anisi chymico. Diasulphur.

VLCVS CVIVS COMES PHTISIS. A

CAP. III.

HACTENVS morbi similares & organici, sequuntur cōmunes, imprimis vlcus, deinde inflāmatio, cui propter affinitatem coniungemus inflammationem musculorum intercostalium, quæ mentitur pleuritidem: vlceratur autem pulmo vt plurimùm ferina destillatione, cui malo multis causis est obnoxius: Primò quòd habeat carnem mollem, proinde vlcerabilem: Secundò quia subest cerebro, à quo per amplum & patentem canalem facilè fluxionem excipit, aliquando biliosi sanguinis acrimonia eroditur, vlcus pulmonum hectica febris comitatur, vnde macies totius corporis seu tabes quæ proprio nomine phtisis appellatur: neq; enim omnis tabes ab vlcere pulmonis: nam omnis febris hectica emaciat corpus, & atrophiam Celsus vocat Tabem, sed tabes ab vlcere pulmonis propriè phtisis appellatur. Sed cur vlcus pulmonum hectica febris consequitur? quia pulmo est flabellum cordis, aëris inspirati qualitate ardorem cordis contemperat, eiusdem substātia spirituum vitalium materiam illi suggerit: Atqui vlcerati pulmones cum aëre fumos putres ad cor transmittunt, quin etiam aërem ipsum contaminant. Itaque cor vsque adeò tandem inficitur, vt inde febris hectica necessariò oriatur, quæ consumptione humidi primigenij tabem inducit. B

Dignoscetur ab antecedentibus, vt si præcesserit sputum sanguinis: ab adiunctis, vt sputo puris, quin etiam cum vlcus inueterauit, excretis pulmonis aut asperæ arteriæ fistulis: Aliquando spongiæ aut pumici quiddam simile expuitur, dissecto cadauere, ingens sinus in pulmone conspicatur. A consequentibus, vt corporis totius extenuatione: quæ tria vno aphorismo Hippocrates comprehendit. A sanguinis sputo puris sputum, à puris sputo tabes: Indicationes eædem sunt quæ aliorum vlcerum: si vlcus impurum & sordidum fuerit, detergendum, deinde si cauum, carne replendum: quod si mundum & superficiarium fuerit duntaxat, minimè profundum, quàm citò fieri poterit cicatrice obducendum: quod fiet vsu frequenti syrupi rosarum siccarum vel granatorum cum aqua chalybeata. Auicenna vsum longum & frequentissimum sacchari rosati, seu vulgaris conseruæ rosarum adeo commendat, vt illius solo vsu vlcera coaluisse affirmet: Inspiretur aër siccus: dici enim vix potest quanti momenti sit aër in morbis pulmonum: multi ea causa in Ægyptum nauigarunt, & furnaria sui furni frequenti halitu vlcus pulmonis tandem desiccauit. Pulmo vulpis pulmonibus malè affectis creditur proprietate subuenire, sed imprimis vlceratis, quia maximam vim habet desiccandi: Curatio autem vlceris desiccatio est: Itaque illius puluerati ℥j. exhibeatur quotidie cum hydromelite, aut permisceatur veteri & liquidæ conseruæ rosarum, ℞. conseruæ rosarum ℥ij. pulmonis vulpis præparati, vt decet, hoc est abluti vino in quo hyssopus bullierit, aut aqua scabiosæ, pimpinellæ, adianti, deinde exsiccati, ℥ß. pulueris diatragacanthi frigidi ʒvj. cum syrupo de glicyrrhiza, fiat opiata, de qua capiat sæpe inter pastus: vel pulmo assetur sine ferro, & in pastu edatur. Celsus parem vim attribuit iecori vulpis. Verum faciamus non esse recens & superficiarium, sed cauum, sordidum vel inueteratum vlcus: imprimis prædices esse insanabile, eoque minus si adiunctam habeat inflammationem, aut hecticam febrem. Cur ita? quia id à quo vnicum & singulare prædium sperari potest, est illi nocentissimum, non enim potest aliter pure expurgari, quàm tussiendo: Atqui tussi dilaceratur: inflammatio magis magisque augetur. Quid ergo facies? blandiendum malo, & arte procurandum, vt minore cum molestia moriatur. Certior est & celerior interitus quando ipsiusmet pulmonis portio excreta est tussiendo. Producit vitam lac asinæ. Nam suo sero detergit, caseosa substantia consolidat, butyrosa nutrit: quod est necessarium ratione emaciationis. Sumi poterit ad ℔. ß. cum saccharo rosato, tribus horis ab assumpto lacte, capiat vitellum vnius oui. Villanouanus extollit aquam de sanguine humano distillatam, quam non dubito extenuationi profuturā, non vlceri. Dioscorides mirrhidis iusculum commendat: confert, inquit Galenus, quia facit vt phtisici purulenta facilius expuant: idem C D E

A præstat radix angelicæ. Valescus sequentem puluerem ex Hali plurimi facit: eo enim se phthisicos persanasse affirmat, qui ab omnibus pro desperatis habebantur. ℞. papaueris albi ʒx. Gummi arabici, amili, tragacanthi ana ʒij. Seminum portulacæ, altheæ & maluæ ana ʒv. Seminum cucurbitæ, melonis, citrulli, cucumeris, mundatorum ana ʒvii. Spodij & succi glicyrrhizæ ana ʒiij. Penidiorum ad pondus omnium, fiat puluis, de quo capiat quotidie ʒij. cum syrupo papauerino, aut iuiubino. Eodem puluere, inquit, iubebam vt conspergerent hordeata & amygdalata (quibus sæpe vti debent phtisici) & benè habuerunt. Pro bellariis Marci panes, pasta regia, pistacia quoque, passulæ & amygdalæ: Cæterùm proni sunt ad phtisim, quibus collum est longum & gracile. Item qui pectus habent depressum, vel elatas scapulas, hi πτερυγώδεις siue alati dicuntur: Illi [illegible]: Huic malo obnoxij sunt, adolescentes
B potius quàm pueri, aut senes, propter feruorem sanguinis biliosi, & qui carne sunt molliore. Præcedunt autem tussicula inanis siue sicca, quæ vulpina dicitur vulgò. Titillantur fauces, & sentitur punctura in thorace, cum vrinis tinctis, tum prouideto ne vlcus fiat, quia factum est immedicabile, crustula ad tempus quandoque obducitur, sed quæ post aliquot menses, aut annos tussi excluditur, & vlcus recrudescit.

Prophylactica sunt, sistere catharrum & cauterijs diuertere, quia vlceri iam facto parum prosunt, præsertim iam emaciatis. Cassiæ cum Rheo, sit vsus frequens, vt quolibet mense semel, luna decrescente, vtatur tabellis diatragacanthi, mittatur sanguis saltem semel quotannis ineunte vere.

Vlcus asperæ arteriæ curetur pauco bolo, thure vel mastiche exceptis mucagine
C tragacanthi aut aquato oui, inde fit looch quo vtatur sæpe ex cochleari, vel cum baculo glicyrrizæ: Ita enim fiet vt adhæreat aliquid vlceri.

DE PERIPNEVMONIA ET PLEVRITIDE.

CAP. IIII.

SCRIBIT Aristoteles septimo Topic. post Platonem in Sophista, vnum esse ex principiis humanæ sapientię rerum dissimilium similitudines, & similium dissimilitudines cognoscere: Hoc enim posse est tantùm periti artificis. Atqui peripneumonia & pleuritis multa habent similia inter se, multa dissimilia. Itaque placet vna fidelia duos parietes
D dealbare. Vtrique communia sunt: febris continua, difficultas spirandi, tussis, sputum cruentum, dolor, verùm sub pleuritide sentitur pungens, cuius occasione à quibusdam telum dicitur, est enim proprius membranarum: Vt plurimum in alterutro latere, non semper: At in peripneumonia dolor grauis in toto thorace: pulmo enim est indolens, non habet sensum nisi grauitatis, quia neruus illius substantiam non penetrat, per membranam solam diffunditur, distenta tamen illa membrana, aut compatientibus partibus vicinis nonnunquam dolorem acerbum excitat. Quæret aliquis, cùm dolor pulsans consequatur magnas inflammationes, quidni pleuritidem? quia illic nulla arteria. Cur dixisti non semper dolorem pleuriticum alterum latus premere? quia pleura per totum thoracem extenditur. Inflammatio mediastini, à quibusdam vera pleuritis dicitur: dolores acutissimi qui in dorso sæpe contingunt, sunt pleuritici: nam si partes externas affligant ad notham,
E si pleuram ipsam, ad veram pleuritidem referuntur, antè, ponè an ad latera non refert.

Peripneumonia fit à sanguine quouis, potissimùm tamé à pituitoso, quia pulmo per systolem excludit bilem, vtpote tenuem & mobilem: pituitosum verò sanguinem retinet, quia est crassus & tenax. At pleuritis ferè fit à sanguine bilioso: pleura enim crassior est quàm vt pituitosum, aut melancholicum sanguinem transmittat. Sanguis qui committit pleuritidem, à vena sine pari impetu & maiore copia defluit: Qui peripneumoniam, à vena caua ad dextrum sinum cordis, atque inde ad pulmonem per venam arteriosam. Peripneumonia aliis morbis aliquando succedit, vt anginæ & pleuritidi, materia à faucibus vel à pleura translata ad pulmones, quæ peripneumonia est lethalis. Pleuritis aliquando fit à catharro.

Pleuritidi hęmorrhagiam ſuperuenire bonum eſt, peripneumoniæ malum. Aretæus tamen hæmorragiam ſcribit ſalutarem eſſe peripneumonijs, diarrhœam quoque cum vrinis purulentis. Senes vt promptius tentantur pleuritide, ita intus eadefunguntur, nec tam periculosè laborant vt iuuenes. Peripneumonia terminatur ſuperuenientibus parotidibus, non pleuritis: quanquam Rhaſis decimo nono continentis & Meſue ex Galeno, annotarunt, aliquando pleuritidem ſalutariter terminari ſanguine liberaliter fluente ex aure quæ eſt è directo lateris dolentis: Peripneumonia eſt acutior & periculoſior quàm pleuritis: ideoque citiùs in melius, aut in peius terminatur. Peripneumonici halitum habent longè calidiorem, propterea aere frigido magis recreantur quàm Pleuritici. A

Communia ferè remedia: vnicum enim præſidium in venæ ſectione, quia ſunt morbi à ſanguine, clyſteres frequentes, purgatio ex caſſia, manna, gallo decrepito, aut catholicone: bechica, partim quæ læniant, vt ſyrupus violatus, de Glicyrrhiza, de tuſſilagine, Iuiubinus, partim qui incidendo & detergendo facilitent ſputum, vt ſyrupus capilli veneris & oxymel. Citò enim & facilè ſpuere bonum eſt: non ſpuere (cruda pleuritis tum dicitur) malum: nam niſi materia pleuritidis intra dies quatuordecim expurgetur, fiet empyema: Placet Aretæo intra vigeſimum diſtinguendum: Hippocrat. 14. diem numerat à die quo cœpit æger ſpuere, quia Anaxion primis diebus non ſpuerat, vt eſt tertio epidem. morbus productus eſt ad diem trigeſimumquartum, quod ſi primis quatuor diebus æger liberè ſpuat, pleuritis terminabitur intra diem ſeptimum. B

Quæ vena in pleuritide ſit ſecunda, dici vix poteſt inter doctos quanta contentione certetur, Placet Arabibus in principio dum adhuc humor eſt in motu, ſiue quandiu ſit fluxio, ad reuulſionem, aperiendam eſſe primùm ſaphenam, deinde baſilicam lateris oppoſiti. Tandem ad euacuationem materiæ morbificæ, baſilicam lateris dolentis. Huic opinioni fauit Curtius, quam oppugnauit Briſſotus, quem hodie ſequitur ſchola Pariſienſis, quia fruſtrà fit per plura, quod fieri poteſt per pauciora, Atqui ſecta baſilica lateris dolentis, quia reuellit, deriuat & vacuat ſimul, promptiùs adfert auxilium, vena lateris oppoſiti inciſa, pleuriticos nihil aut minimum iuuat, inquit Gal. lib de ſanguinis miſſione. Itaque fruſtra æger toties cruciatur. Scaliger, tantum abeſt, vt fateatur par commodum aduenire pleuriticis ſecta initio vena è directo, cum affirmet quoties hanc opinionem ſecutus eſt, toties ægros deceſſiſſe, omnes ferè ſeruatos Arabum conſilio. Veſallius contendit in omni pleuritide ſemper aperiendam eſſe baſilicam dextram, quia hac parte ſit truncus venæ ſine pari: nam eſto pleuritis ſiniſtra, fiet reuulſio de fonte: ſi fuerit dextra, non tantùm fiet reuulſio, ſed etiam deriuatio & vacuatio. Holerius obiicit ſanguinem lateri ſiniſtro impactum, non poſſe retrahi inciſa hepatica, quia ſi vena azygos calamo inſufflетur, ne ſpiritum quidem ad cauam tranſmittat, multo minus ſanguinem. Sit ita ſanè: nihil enim tale adhuc comperi. Donemus materiam affixam lateri ſiniſtro reuelli & retrahi non poſſe, At quæ fluit, antecedens cauſa quæ facit & fouet morbum, quidni ſiſtetur, reuelleturque? in pleuritide dextera non tantùm initio ad reuulſionem, ſed etiam toto morbi decurſu ad euacuationem materiæ coniunctæ aperienda eſt hepatica: In ſiniſtra verò quandiu ſit fluxio, ad reuulſionem aperienda videtur hepatica, vt reuulſio fiat de fonte ſiue de trunco, deinde vt impactus humor educatur, baſilica ſiniſtra: Saphæna verò aperiatur, cum hęmorrhoides viris: menſes mulieribus ſubſtiterint. Cæterùm quidam negant poſt diem quartum pleuriticis tutò mitti ſanguinem, verùm Hippocrates Anaxioni pleuritico octauo die morbi aperuit venam fortè quia non fuerat prius vocatus. Itaque quandiu dolor premit, licet venam aperire: pacato dolore, parcendum venę, ne fruſtra deiiciantur vires: nam ſalus pleuriticorum & peripneumonicorum tota dependet à virium robore. Quando dolor abeſt manente febre cum difficultate reſpirandi, credibile eſt iam factum abſceſſum, proinde tum inutilem eſſe phlebotomiam. Conueníŧne purgatio pleuritidis? Sanè cum dolor vergit ad ingulum, tota ſpes in phlebotomia: at cum vergit ad hypochondrium, Hippocrates etiam purgat elleboro, quia cacochymia magna indicatur, quæ tendit deorſum, quoniam dolor eò vergit: vbi autem dolor, ibi morbus: ibi cauſa morbifica, ſumus autem nos naturæ miniſtri. Veriſimile eſt humorem extra thoracem & extra vaſa conſiſtere. veruntamen hodie C D E

Commentario in librum Hippoc. de inſomnijs.

Idem ſcripſerat in centurijs Amatus Luſitanus

contenti

A contenti sumus minoratiuo, vt cassia & manna. ℞. cassiæ ℥j. fiat bolus cum saccharo, capiat ex cochleari cũ syrupo violato: superassumat iusculum galli decrepiti, in quo vnciæ duæ mannæ dissolutæ sint: metuendum enim à diarrhœa quia conatus egerendi impedit expuitionem in qua tota spes: Si alui fluor accidat pleuritico fractis viribus est lethalis, non adeò periculosus in principio dum adhuc constant vires: Galenus commentario ad secundum de diæta in acutis, quamuis dolor vergat ad hypocondrium præfert venæ sectionem, quia sit tutius remedium: ex ea inquit nullum sequi potest incommodum, ex purgatione verò maximum. Puto Hippocratem ad notham pleuritidem quæ fit in pituita, non ad veram & exquisitam quæ fit à sanguine respexisse: quando suasit, parcendum esse venæ sectioni, dolore descendente: tumque in purgatione totam spem consistere. Topica initio sint, oleum B violaceum, cui immisceri potest mucilago seminis psyllij extracta in aqua scabiosæ, misce, fiat linimentum, vel oleum amygdalarum dulcium, deinde camomelinum. Quibus inebriata lana succida, parti dolenti applicetur. Deinde vt resoluas, coquas, & dolorem lenias, ex oleo liliotum & mucilagine fœnugreci extracta cum iisdem aquis, fiat alterum linimentum. ℞. olei liliorum & mucilaginis fœnugręci extractę in aqua pimpinellę ana ℥j. misce pro litu thoracis, dolor demulcetur sacculis semiplenis lacte tepido, applicatut lateri dolenti vicissim. Ad eundem finem, omentum arietis quod maduerit in oleo amygdalarum dulcium plurimum laudatur. Vel hoc cataplasma; ℞. radicis liliorum ℥j. bismaluę cum radice, tussilaginis cum sua radice ana m. j. florum camomeli & meliloti ana pug. ij. seminum lini & fœnugræci ana ℥ß. fiat decoctio in lacte: residentia teratur, & cum oleo chamemelino fiat cataplasma, addendo duos vitellos ouorum. Vitanda sunt acria, salsa, acida quæ exasperant C fauces, vteudum hordeatis, amygdalatis, gelatina, consummatis, expressis, iusculis, bibatur aqua hordei, vel ptisana cum syrupo aliquo bechico, vt violato, vel de glicyrrhiza, bibat, sæpè & parum, vt per vias lubricas faciliùs sputum procedat, nunquam bibat actu frigidum, quia frigus inimicum pectori, expuitionem impedit: tepidum verò iuuat, quia coquit, maturat, & de parte inflammata aliquid semper resoluit. Michael Seti affirmat iusculum pauonum pleuriticis occulta proprietate conuenire, cuiusmodi remedia peculiari nomine pleuritica nuncupantur, in eo censu habentur pudendum cerui, vel tauri, rasura dentis apri, puluis corticis auelanarum, datur ʒj. cum ℥iij. aquæ cardui benedicti, & semuncia syrupi alicuius bechici, vt de glicyrrhisa, de tussilagine. Quidam magni faciunt papauer rheas, vtendi modus varius: aliqui eum flores macerant in aqua non aliter quàm rosas aut violas, at- D que inde cum saccharo conficiunt syrupum. Alij pulueris exhibent ʒi. cum aqua cardui. Quod medici quidam improbant, quia Galenus primo de ratione victus, prohibet ne pleuriticis dentur narcotica, propterea quòd suo frigore impediunt expuitionem. Fortassis iuuat proprietate, & præterea confert ad dolorem placandum: nam Auicennas quoties vigiliæ infestant, & dolor, iubet dari cum hordeatis, aut iusculis, seminis papaueris albi contusi duas, aut tres ʒ. Itaque vtere audenter hac opiata. ℞. conseruæ ex floribus altheæ vel capilli veneris ℥j. pulueris papaueris rheas ℥ß. rasuræ dentis apri & pudendi cerui ana ʒij. cum syrupo de glicyrrhiza fiat opiata de qua capiat omni hora duas, aut tres ʒ. nam quæ iuuant proprietate, omni tempore possunt exhiberi.

E *MEDIASTINI INFLAMMATIO.*

CAP. V.

MEDIASTINVM quoque, seu septum quod lobos pulmonis disiungit, phlegmone tentatur, quæ omnia habet cum vera siue exquisita pleuritide communia. Febrem continuam, difficultatem respirandi, tussim, sputum sanguinis, dolorem: verùm dolor ad sternum sentitur, non ad latus, aut in toto thorace, præterea semper tussis est sicca, quia pus illic veluti pixide conclusum tenetur, quod si erosa tunica tádem erumpat, nihilominus tabidi moriuntur, remedia eadem quæ pleuriticis & peripneumonicis, vena sæpè & sæpè incidenda, vt impedias generationem phlegmones, quandoquidem facta, est insanabilis.

PHLEGMONE MVSCVLORVM INTERcostalium. CAP. VI. A

INFLAMMANTVR etiam musculi intercostales tam interni qui replent spatia costarum, quàm externi qui illis incumbunt: Internorum inflammatio mentitur pleuritidem, vacat tamen periculo, quia etiamsi suppuret, pus foras erumpit. Distinguitur à vera pleuritide, quod fit sine tussi, sine sputo, sine pulsu duro, non adeo acuta febris, neque tam difficilis spiratio, nisi cùm insufflant: mesopleurij enim seruiunt exsufflationi: Locus contactu indolescit, eóque magis cum inflammatio ad musculos externos attinet, quæ non tantùm tactu dignoscitur, sed etiam visu, dolor non est pungens, vt in pleuritide, nec grauis vt in peripneumonia, sed pulsatorius propter arterias à copia sanguinis compressas: Aperienda vena, admouendum initio repellens, vt oxyrhodinum, deinde resoluens, vt oleum chamomelinum, aut cataplasma ad pleuritidem. B Factus abscessus scalpello vel cauterio aperiatur.

Vrget etiam aliquando dolor in dorso, cuius causa siue sit foris, vt in musculis dorsi, siue intra, vt in ipsamet pleura, quæ totum thoracem vndique cingit, non aliis eget auxiliis.

DIAPHRAGMATIS INFLAMMATIO. CAP. VII.

C

EST etiam cum inflammatur diaphragma, tum trahitur cerebrum in consensum, quia in suo centro est neruosum; consentit autem cerebrum neruis & partibus neruosis, vnde delirium, cuius causa veteres diaphragma φρένας mentem, nuncuparunt: priuatione enim cognoscitur habitus. Atqui malè affecto septo transuerso mens turbatur, itaque ab illius incolumitate videtur quodammodo animæ sanitas dependere. Solus Trallianus pernegat delirium succedere inflammato diaphragmati: cui non alia conueniunt quàm quæ præscripta sunt ad inflammationem.

EMPYEMA. CAP. VIII.

HACTENVS de inflammationibus quæ partibus thoracis tam externis quàm internis adueniunt, sequitur abscessus, ad quem refertur empyema, collectio puris in capacitate thoracis. Cùm fit pus, inquit Hippocr. hoc est cum inflammationis generatio impediri non potuit, neque resolui, sed ad suppurationem tendit, omnia symptomata ingrauescunt, febris intensior, dolor acerbior. Tussis & difficultas respirandi maior, pure facto omnia sunt mitiora: Hipp. 3. de morbis excipit peripneumoniam, omnia exacerbari scribit pure confecto. Aliquando ante confectionem puris vomica rumpitur, & sanguis effluit è pleura: si in capacitatem thoracis, debet expurgari tussiendo intra dies 40. Alioquin suppurati, cõfecti tabe morientur, quia pus, cor & partes omnes vitales longiore mora corrodet, suborietur febris hectica, inde tabes. Quod si in pulmonum fistulas pus, aut sanguis impetu & copia magna irruat, repentè suffocantur: Hæc mala vt deuitent prudentiores medici, quoties obseruant pleuritidem crudam, in qua primis septem diebus nihil expuitur, vt materiam attrahant foras, efficiantque, vt abscessus rumpatur foris, non initiò, applicant thoraci cucurbitulas cum scarificatu, vesicatorium, synapismum, dropacem, ♃. picis nanalis ℥ij. liquetur cum quarta parte olei chamomelini, vel liliorum, fiat emplastrum applicandum lateri pleuritico, quod est μετάσυγκριτικόν, trahit ex profundo. Possis ad eundem finem admouere cataplasma ex parta leonis, quemadmodum in Angina: venæ enim pulmonum in exteriora terminantur, hic abscessus quia succedit inflammationi, epigenematicus appellatur. Aliquando in sinum & capacitatem thoracis irruit multa destillatio, pituita illic coquitur & formam acquirit puris.

D

E

Ita enim Hippocrates: Destillationes in ventrem superiorem, intra viginti dies suppurantur:

ſuppurantur: hi abſceſſus ſunt primarij, qui imprimis diſtingui debent ab epigene-
A maticis: ex antecedentibus, videlicet quòd ſuccedant catharro, non inflammationi, diſtingui debent, inquam, quia non ſunt periculoſi, vidi qui materia iſta purulenta multas pelues impleuerunt, non ſine aſſiſtentium terrore, qui tamen ſaburra illa & colluuie expurgati, omni difficultate ſpirandi, qua priùs premebantur perfectè liberati ſunt. Legitimum pus fit pepaſmo ſanguinis: ex pituita putri & cocta, fit aliquid πυῶδες, puri ſimile. Vtrumque diſtingues quatuor ſignis, primo libro generalis methodi explicatis. In vtroque abſceſſu commune eſt remedium bechicis expuitionem adiuuare, qualia pleuriticis imperata ſunt, vt ſyrupi, capilli veneris de hiſſopo, oximel.

Empyema dignoſcitur ſenſu fluctuationis: ὑδατισμὸν vocat Cælius, Aurelianus percipit fragorem aquæ murmurantis: nam quoties æger in lecto ſe reuoluit, ſentit
B in thorace veluti inundationem. Galenus lib. 4. de locis affectis. Hippocrates ſuppuratis concedit 40. dies pro puris expuitione, quo tempore exacto niſi perfectè ſint expurgati, minatur tabem. An expectandum eſt dum hoc totum tempus prætereat antequam thorax aperiatur, vt pateat via puri? Reſpondeo, ſi materia videatur copioſior quàm vt expurgari poſſit, priùs aperiendum eſſe thoracem, quia metus eſt ne toto illo tempore, aut vires frangantur, corde à fumis putribus inquinato, aut pus pulmonem erodat, vt non ſit poſtea tempus. Itaque tum puri facienda via, quod fiet duobus modis, primò, ſi aperiatur thorax intra tertiam & quartam, vel intra quartam & quintam coſtam, appello quartam incipiendo à veris coſtis & procedendo ſurſum: fotamen reſpondeat materiæ educendæ, diſtetque ſaltem tribus digitis à ſpina, neque ſinas pus confertim effluere, quia vt eſt in Aphoriſmo, ſiue ſup-
C purati ſecentur, ſiue vrantur, ſi pus confertim fluxerit morientur.

Notabis obiter quòd aperto thorace ſi pus exeat laudabile, & febris ſuppuratum eodem die reliquerit, haud dubiè illum euaſurum, alioquin periclitari. Sequitur alterum remedium cuius in Aphoriſmo Hippocrat. meminit, ſc. vſtio, fit autem vſtio cauteriis, actualibus, aut potentialibus. Paulus lib. 6. applicat 13. cauteria, Aetius 15. quæ etiam aſthmaticis imperat, Celſus ſupra omoplatas admouet duo, quæ vetat obduci donec tuſſis conquieuerit; lege Hippocratem ſecundo & tertio de morbis.

HYDROPS PVLMONIS.

D

CAP. IX.

EMPYEMATI & abſceſſui affinis eſt hydrops pulmonis: Abſceſſu primario thorax oppletur pituita craſſa, ſub hidero pituita tenui, ſero acri: niſi iam conclamatum videatur, vt cùm ſub aſcite tuſſis vrget, aquis ad vitales partes aſcendentibus, thoracis apertione, vel cauteriis purgetur.

SYMPTOMATA PRIMI ET SECVNDI *generis, imprimis Aſthma.* CAP. X.

HACTENVS morbi pulmonum & thoracis, ſequuntur ſymptomata. Reſpirationis inſtrumenta ſunt pulmo, qui cum thorace dilatatur & deprimi-
E tur: Thorax verò attollitur, ſubſidètque opera muſculorum intercoſtalium. Diaphragma enim eſt inſtrumentum lenis reſpirationis, thorax verò cum ſuis muſculis, vehementis, quæ fit cum exſufflatione: proinde reſpirationis læſæ cauſa in aliquo horum inſtrumentorum perquirenda, niſi fortè motrix facultas quæ à cerebro tranſmittitur ad thoracem per neruos reſpiratorios impediatur, vt in apoplexia.

Eſto reſpiratio crebra & difficilis ſine febre, quæ aſthma propriè dicitur: nam peripneumonici & ſuppurati, difficilè quidem & crebrò ſpirant vt aſthmatici, ſed cum febre. Cauſa non aliundè quàm in pulmone ipſo perquirenda: cum propter obſtructas fiſtulas natura non poteſt ſemel & vno inſpiratu cor abundè refrigerare materiamque vitalis ſpiritus illi ſuggerere, nec fuliginem excludere exſpiratu, anhelitu

crebro & veluti ſuſpirio hunc defectum cogitur compenſare, inde aſthmatici, ſuſpi- A
rioſi & anhelatores nuncupantur. Quod ſanus & liber pulmo facit vnica reſpiratio-
ne, obſtructus pluribus cogitur efficere: creber iſte anhelitus ſiue aſthma, fieri po-
teſt fiſtulis pulmonum ſeu bronchiis à pituita viſcida, vel à tuberculo obſtructis:
diſcernuntur quod ſi obſtruantur à pituita, adeſt ſtertor, à tuberculo, non ita: notat
Galenus Antipatrum aſthmaticum fuiſſe à tuberculo, erat paruus abſceſſus cum ſua
cyſti in arteria venoſa, qui (compatiente corde) pulſum reddebat inæqualem & in-
termittentem, quæ cauſa aſthmatis eſt periculoſior quàm pituita: quando contra-
hitur in conſenſum breui moriuntur Aſthmatici. Priuſquam remedia exponam no-
tate Aſthma eſſe periodicum, ſtatos habere paroxyſmos: Quoties pituita copioſior
colligitur: Congeritur autem in thorace ex intemperie frigida pulmonum, vel à ce-
rebro impetu & copia diſtillat: commouetur pituita obſtruens, atque inde aſthma
exacerbatur, fitque noua acceſſio. Propterea quædam remedia debentur morbo B
nempè obſtructioni, quædam paroxiſmo, vt de epilepſia dictum eſt. Paroxyſmo;
Auicennæ conſilio, conuenit ſectio baſilicæ, potiſſimùm ſiniſtræ, quia tum ſan-
guis feruet in corde, propterea quòd fruſtratur euentilatione, verum ſi ſuppreſſi eſ-
ſent menſes, aut hæmorrhoides deſiiſſent fluere, aperienda eſſet ſaphena, iniicien-
di clyſteres acres, liniendus thorax oleo amygdalarum dulcium, vel pingui alio, vt
relaxetur: iubendum vt æger ſedeat, eo enim ſitu brõchia melius & liberiùs dilatan-
tur: frigidum aerem inſpiret, nudo pectore, quia parcior aer inſpiratur quàm con-
ueniat refrigerationi cordis, & retenta fuligine cor obruitur, Galenus tum exhibet
diaſulphur, alij ſalis communis ſemunciam, loco nitri aut aphronitri, quibus vete-
res in eo caſu vtebantur: dabant enim in mulſa alterutrius ʒij. aut ℞. oxymellitis C
ſcyllitici ℥ij. vtatur ex cochleari. Victus tum debet eſſe tenuiſſimus. Tranſacto pa-
roxyſmo, cogitandum eſt de illius cauſa, nempe obſtructione tollenda: Mathio-
lus ſuadet, vt quotidie manè ieiuno ventriculo edantur tres ficus, quæ tota nocte
maduerint in aqua vitæ. Rhaſis cap. de experimentis, exhibet decoctum, vtriuſque
atiſtolochiæ. Valeſcus dat per aliquot dies ariſtolochiæ pulueris ʒj. cum hydrome-
lite, habeo remedium ſingulare, inquit Aetius, pro aſthmaticis, tuſſiculoſis, pleu-
riticis, ſuppuratis ex quatuor rebus æqualiter permixtis, ſtyrace, terebinthina, ſan-
daraca & maſtiche, cuiuſque ʒj. inde fit ſuffitus, cuius vſus inquit mihi longa expe-
rientia innotuit. Galenus 7. κτ̀ τόπ. in eo ſolo thoracis affectu præſcribit cathartica
vehementiſſima, cuius auctoritate freti Paulus, & Auicenna præſcribunt colocyn-
thidem: Rhaſis elaterium, ℞. trochiſcorum alandal, ad ſummum ʒß. miſce alicui
conſeruæ conuenienti, vt enulæ camp. ireos, capilli veneris, fiat bolus, capiat ex D
cochleari cum ſyrupo capilli veneris, deinde ſumat hydromelitis ℔. ß. iteretur bis
qualibet hebdomade. Galenus ita trochiſcos conficit ℞. ſynapi ʒj. ſalis communis
ʒß. elaterij grana xv. terantur cum aqua & fiant octo paſtilli, quorum vnus exhi-
beatur alternis diebus ſuperbibendo mulſæ ℔. ß. nos contenti ſumus pillulas co-
chias, vel de agarico dare ſemel quolibet menſe luna decreſcente, aut potionem ex
turbith, aut agarico. At veteres erant audentiores quàm nos, aduerſus rebelles mor-
bos vehementioribus remediis & frequentiùs pugnabant, hinc empiricorum mira-
cula: In chronicis enim morbis exhibent antimonij quinque aut ſex grana cum
pauca conſerua, aliquando fœlici ſucceſſu ℞. diaphœnici ʒij. trochiſcorum alan-
dal. ℈ij. fiat bolus. Cæterùm Trallianus reprehendit Galenum quòd ſolis calfacien-
tibus medeatur aſthmaticis. Calidam enim intemperiem ſæpe augent (inquit ille) E
propterea Meſue, Errant, inquit, qui omne aſthma frigidum eſſe exiſtimant. Mihi
cum Galeno videtur fieri ſemper à pituita, quæ tamen concluſa, putret, incaleſcit.
febrem accendit, hinc anhelitus aſthmaticorum in exacerbatione percalidus: nam
ab obſtructione longa & contumaci putredo prohibita difflatione, à putredine, alie-
nus & febrilis calor.

Ingraueſcens aſthma, inducit orthopnœam, fiuntque aſthmatici tandem or-
thopnoici, non poſſunt aliter quàm recti decumbere: Itaque orthopnoicis, non
alia debentur remedia quàm aſthmaticis. Extrema ſunt remedia (præter vehemen-
tiora quæ ad obſtructionem dictata ſunt) veſicatorium, ſynapiſmus, cauteria mul-
ta in pectore, in dorſo, in collo prope aſperiam arteriam, qualia ſuppuratis, hydropi
pulmonum, conuenire dixi.

A
TVSSIS. CAP. XI.

DVBITARI potest si tussis ad actionem læsam pertineat, cùm sit vehemens conatus pulmonis, an ad ametriam in excreto, quia irritatur ad excretionem à causa morbifica: vtrumque enim tussis hac sua definitione includit: Est vehemens conatus pulmonis, vt excludat noxium. Cur boues non tussiunt? quia saliuari fluxione repurgantur, cur homo frequentiùs tussit quàm cætera animalia? an quia asperam arteriam habet sicciorem? An potius quia destillationi maximè omnium est obnoxius, quia solus habet situm rectum? Est quædam tussis sicca, quædam humida. Appello tussim siccam, quando nil expuitur, quo sensu pleuritis cruda dicitur sicca, & Hippocrates morbos cerebri
B appellat siccos, quando ægri, neque spuunt, neque mungunt. Tussis siccæ multæ sunt causæ, humoris crassities & viscididas, vt in asthmate: pituita enim viscida, tenax, incuneata, non patitur se excludi. Tenuior quoque destillatio pulmonis & spiritus conatum eludit, efflatione enim comprehendi non potest asperitas arteriæ: ideo enim febribus ardentibus coniuncta est tussis sicca, quod exasperetur arteria, & à fumis acribus pulmones offendantur. Ponamus aliquem frustra tussire propter cruditatem, aut crassitiem humoris, coquendus erit & detergendus syrupis præscriptis in asthmate, vt capilli veneris, oxymelite, tabellis diarijs. Si tenuior destillatio eludat conatum pulmonis, incrassetur syrupo violato iuiubino, de tussilag. pillulis albis, sistatur simul & incrassetur diacodij ℥j. vel Philonij ʒj. vel ex pillularum de cynoglosso ℈j. fiant pillulæ duæ.

C Arteriæ asperitas leniatur syrupo de glicyrrhiza, pœnidijs, tabellis diatragacanthi frigidi. Quod si externũ frigus tussim mouerit, aer calidus inspiretur, thorax linteis calidis muniatur, tepidum bibatur, vt aqua cocta cum saccharo candi. Si pueri tussiant, vt frequenter tussiunt, propter vermes, deturbentur aqua infusionis rhei, aut puluere contra vermes. Si pars aliqua malè affecta suis fumis pulmones & partes vitales inficiens tussim moueat, aut morbus aliquis, vt pleuritis, peripneumonia, abscessus, empyema; illi proprijs remedijs consulatur. *Asperitas Arteriæ.*

DE DOLORE THORACIS. CAP. XII.

D THORAX quia totus osseus & nerueus, acerbis doloribus sæpe diuexatur. Quidam sunt punctorij, vt pleuritici, proprij membranarum, alij grauantes, vt peripneumonici. Alij pulsatorij siue inflammatorij, vt qui adueniunt inflammatis musculis intercostalibus. Alij tēsiui, vt cùm flatus inanibus spatiis musculorum, vel intra tunicas conclusi eas diuellunt, vnde tensiui nominantur: qui pleuritidem sæpè mentiuntur, propterea Hippocrates iubet fotu explorare, non morbum, aut speciem doloris, sed causam dolorificam: nam si dolor à flatu excitetur, haud dubiè mitescet fotu tam humido quàm sicco: si ab humore calido, augebitur fotu, tumq; desistendum & incidenda vena, si verò à frigido, resoluta humoris dolorifici portione, aliquantum sedabitur. Fotus humidus fiat ex lana, aut spongia oleis carminantibus insuccata, camomeli, anethi, rutæ, lauri: siccus ex furfure aut auena, friguntur in sartagine, vino interim
F conspergantur, sacculi implentur, qui vicissim lateri dolenti applicantur, possis furfuri permiscere puluerem camomeli, fœniculi, milij, fœnugræci ad resoluendum: Hæc enim sunt anodyna primi & secundi generis.

DE HÆMOPTOIDE, SIVE SPVTO *sanguinis.* CAP. XIII.

AB actione læsa pergendum ad ἀμετρίαν in excreto, vt sputum sanguinis, de quo Hippocrat. Sanguinem supra j. per os ferri malum, & alio Aphorismo. A sanguinis sputo, puris sputum, à puris sputo tabes:

Cernis vt è molli sanguis pulmone remissus,
Ad Stygias certo tramite ducit aquas?

Notat tamen Auicenna hæmoptoidem non esse semper metuendam, quia aliquando est critica; & liberat à magnis morbis; accidit tum cum ægri εὐφορία absque febre: Volusius Saturninus quotannis magnam sanguinis copiam per os reuomebat, attigit nihilominus annum quinquages. Cum febre vero semper hæmoptois est lethalis. Si procedat sanguis de thorace, aperta illic, rupta, aut erosa est aliqua vena, tumque non imminet tantum periculum, ac si à pulmone procederet: discernuntur, quod à pulmone copiosior exit, & tenuior sine dolore, à thorace paucus, crassus, cum dolore & cum tussi vehementiore. Notat etiam Auicenna aliquando sanguinem de capite descendere in sinum thoracis, atque inde excludi tussiendo spumosum, acsi de pulmone ipso procederet, attamen redditur sine vitæ discrimine. Sed cur spumosus? quia ad generationem spumæ concurrunt humor flatulentus, vt materia, calor & motus, vt efficientes causæ; Atqui non tantùm ad sanguinem qui de pulmone ipso exit tussiendo, sed etiam ad eum qui in sinum à cerebro deerrauit, omnes istæ causæ concurrunt: veruntamen potius dicendum est à pulmone spumosum, à cerebro cum spuma prodire: Propterea sanguis in pelui agitandus est baculo, vt discernatur. Quomodo distinguam, dices, si à capite fluxerit in pulmonem? Titillabitur palatum, inquit Aretæus, non aliter quàm ab acri catharro, quinetiam palatum ipsum cruentum, & sordidum videbitur, creber erit screatus, addit Auicenna, præcedit grauitas capitis: à sputo autem illo consequitur leuitas. A B

Faciamus ergo de pulmone, aut de thorace procedere. Galenus 5. methodi suadet, vt bis eadem die incidatur basilica dextra per ἐπίκρασιν. Quinetiam sequenti die, vt eiusdem venæ sectio repetatur: frictionibus quoque & ligaturis crurum, fluxio reuellatur. Trallianus & Auicenna videntur præferre saphænam, quia reuellunt è longinquo: mulieri sanguinem vomenti si menses superueniant, sanatio: aperta vena in brachio, videtur potiùs sanguinem sursum attrahere, quàm retrahere. Propterea Rondeletius deficit à Galeno, mauultque fauere Tralliano, tamen quia basilica secta citiùs & amplius de fonte ipso, nempè de vena caua trahit, videtur præferenda, nisi menses restiterint, tum enim plethora videtur sedem habere infra iecur: Beniuenius puellam hæmoptoicam cui menses substiterant, iam tabidam sanauit, quolibet mense incisa saphena, donec mēses abunde fluere cœpissent. Purgentur hæmoptoici cassia cum rheo, vel expressione ℥ij. rhabarbari infusi in aqua plantaginis in qua dissolue iulepi rosati ℥j. vt bilis vacuetur quæ sua acrimonia solet aperire aut exedere venas, tum vt purgetur astringendo. Clysteres quoque reuellunt, deinde imperanda quæ ad hæmorrhagiam dictata sunt, vt syrupi, trochisci & conseruæ astringentes: ex corallo, cornu cerui vsto, terra sigillata fiat puluis, quo puticula conspergatur, hordeata quoque & amygdalata: edat etiam lutea ouorum cum eodem puluere, qui excipiatur saccharo, in aqua rosarum soluto, fiant paruę tabellæ tenendæ semper in ore. Aimatites perfusus aqua plantaginis fricetur, succus lingitur magno profectu, aut eiusdē lapidis puluerati dentur ℈ij. cū aqua plantaginis, aut cum ouo sorbili: vtatur malis cotoneis, mespilis, sorbis, granatis, prunis, cerasis, moris, fugiat piperata omnia, & quæcunque calefaciunt, vt vinum, cuius loco vtatur aqua chalybeata cum iulepo rosato, aut syrupo aliquo astringente, vt granatorum, cydoniorum, applicentur thoraci primùm litus ex oleo rosato, cydoniorum, deinde ex carne cydoniorum & mastice emplastrum, præmissis tamen generalibus, imprimis venæ sectione, alioquin vt sapienter admonuit Galenus, admota astringentia nocerent, applicat thoraci pattam leonis, finit per tres horas, deinde remouet. C D E

DE MORBIS CORDIS. CAP. XIV.

NON est mirum si natura definiatur motu: res enim omnes fiunt, & conseruantur motu, cor in nobis eandem rationem habet quam sol in magno mundo, propterea Sol cor mundi nominatur. Atqui irrequieto suo motu excitat calorem, cuius vitali influxu vegetant hic omnia: Itaque cor indefinenti pulsatione, hoc est systole sua & diastole, cum spiritu vitalem calorem excitat quo per arterias quoquouersum influente, minimæ etiam corporis particulæ fiunt, atque conseruantur, eoque absente moriuntur:

te moriuntur: neque enim potest vnquam animali superstite motus cordis aboleri.
A Si sol momento quiesceret, illico syntaxis mundi solueretur. Potest quidem ad rempus imminui lipothymia & syncope, potest etiam deprauari, vt palpitatione, non potest aboleri: hæc duo symptomata, aut accidunt per se primò, aut per consensum, per consensum causa aliunde transmissa: per se, quando in ipsomet corde consistit, aut in pericardio, non est dubium cor omni morborum genere tentari, similari, organico, communi, nam suas habet intemperies, obstrui potest in suis ventriculis & in vasis, tumorem, abscessum, vlcera, vulnera patitur.

Vidi mortuos ex palpitatione cum animæ deliquio, quibus dissectis inueni capsulam cordis plenam sero putri. Obseruaui abscessum in dextro sinu cordis: Itaque quando medicinæ proceres scripto affirmant abscessum pati non posse, intelligendum animali superstite. Fernelius obseruauit vlcus in superficie cordis, quod
B ægrum paulatim ad tabem perduxerat. Quando vlcus, aut vulnus non penetrant ad ventres vsque, aliquandiu durat æger, sed quoties profundum est vulnus, repentè moritur. Quid multa? omnibus morbis afficitur, sed quia per arterias partibus omnibus compatitur, morbi species difficillimè dignoscitur, neque etiam si cognosceretur sanari possit. Itaque cum de morbis nulla vnquam sit querimonia nisi alterutro symptomate se prodant, animæ deliquio, aut palpitatione. Mihi satis erit de vtroque disserere, si prius cardiaca tam calida quàm frigida exposuero, quibus etiam aduersus propinata venena, aut inspiratum aërem pestilentem cor muniatur: Hic est medicinæ campus amplissimus. nam vt nulla pars, nullaque facultas tam necessaria est quàm vitalis: Ita nulla remedia tam frequentia quàm cardiaca; frigidis tamen aduersus causam calidam pugnandum, calidis aduersus frigidam. Frigidorum Cardiaca.
C exempla sunto syrupi de limonibus, de acetositate citri, violacei, de pomis, de nymphea, de electuaria, de gemmis, diamargaritum frigidum, manus Christi perlata, trochisci de caphura, Aquæ rosarum, borrag. nympheæ, oxalidis, Conseruæ, violarum, borrag. nenupharis, ex quibus cum puluere cardiaco, vt rasura eboris, cornu cerui, vel monocerotis, semine citri, Margaritarum electarum, coralli vtriusque, succini, aut electuarijs commemoratis parentur opiatæ, tabellæ, condita. Pro ditioribus addere possis fragmenta smaragdi, hiacynti, saphiri, ℞. fragmentorum prædictorũ, rasuræ vnicornis & Margaritarum electarum ana gr. 10. excipiantur saccharo in aqua rosarum dissoluto fiant paruæ tabellæ, vel ℞. conseruæ violarum & borraginis ana ℥j. pulueris diamargariti frigidi ʒij. Rasuræ eboris & cornu cerui ana ℈ij. cum syrupo de parte acida citri, fiat opiata, item in aquis prædictis, scilicet borraginis, nenupharis, dissolue syrupos commemoratos, & aliquid ex electuarijs, vt fiat iulep. ℞. syrupi de limonibus, aut violati ℥ij. pulueris
D diamargariti frigidi ʒß. dissolue in aquæ oxalidis, vel borraginis ℥viij. fiat iulep, in duas doses. Ex iisdem aquis & pulueribus, parabitur epirhema hoc modo, ℞. aquarum oxalidis, borraginis, & rosarum nenupharis ana ℥iiij. dissolue pulueris diamargariti frigidi ʒij. fiat epirhema pro regione cordis. Poterit etiam parari emplastrum ex conseruis & pulueribus hoc modo, ℞. conseruæ violarum & borrag. ana ℥j. pulueris santalorum ana ℈i. pulueris diamargariti frigidi ʒj. cum syrupo de limonibus, fiat emplastrum applicandum ad regionem cordis, vel ex floribus violarum, borrag. rosarum, santalis, caphuræ, fiat puluis qui includatur sacculo & applicetur cordi, idem puluis poterit excipi gummi tragacanthæ, vt fiat pomum
E odoratum, vel includi nodulo quem subinde æger olfaciat. His cardiacis tam sumptis quàm admotis vti possis in febribus omnibus, potissimùm tamen in malignis & pestilentibus, atque cum suspicio est propinati veneni calidi, vt arrhenici, aut affectio quędam calida cor affligit, vt si syncope vel palpitatio fiant à causa calida. Calfacientibus verò tum vtendum erit, cùm propinati veneni frigidi coniectura erit, vt cicutę, aut opii, vel affectionis cuiusdam frigidę, vt syncopes, aut palpitationis à causa frigida.

Calfaciunt verò cor & vitalem facultatem roborant quę sequuntur. Conserue melissę, scabiosę, buglossi, florum aranciorum, cortex citri conditus, atque etiam syrupus in quo solet à pharmacopœis conseruari. Diambra, diamoschum, lętificans Galeni, confectio alkermes, theriaca vetus, mithridatium, Aquę cardui benedicti, scabiosę, morsus diaboli, melissę, buglossi, Florum aranciorum: ex quibus

omnibus opiatæ, tabellæ, potiones, epithemata, emplaſtra, ſacculi concinnantur A ℞. conſeruæ bugloſſi, ſcabioſæ, meliſſæ, corticis citri conditi ana ℥ ß. theriacæ vel mythridatij veteris ʒ ij. lætitiæ Galeni, vel diambræ ʒ j. Confectionis alkermes ℈ ij. cum ſyrupo conſeruationis citri fiat opiata, poſſis addere cinnamomum, crocum, nucem moſchatam, quinetiam ambræ griſeæ, aut moſchi aliquot grana, niſi mulier ſit hyſterica ℞. aquarum ſcabioſæ, bugloſſi & meliſſæ ana ℥ iiij. diſſolue ſyrupi de bugloſſo, vel conſeruationis citri ℥ ij. pulueris diambræ ℈ ij. fiat iulep, in tres doſes: ex iiſdem aquis & puluere fiet epithema ℞. aquarum cardui, ſcabioſæ, bugloſſi ana ℥ iiij. poſſis addere vini maluatici ℥ j. diſſolue pulueris diamoſchi, aut diambræ ʒ j. fiat epithema pro regione cordis, vel ℞. florum bugloſſi, Arantiorum & ſcabioſæ ana p. j. pulueris diambræ ʒ ij. pulueris ireos Florentiæ ℈ ij. fiat puluis, qui excipiatur cotone, & inuoluatur ſyndone duplici, interſuatur, vt decet, & cum ligaturis applicetur cordi: vel ℞. conſeruæ meliſſæ, bugloſſi, ſcabioſæ ana ʒ vj. myrhridatij veteris B ʒ ij. cum ſyrupo conſeruationis citri fiat emplaſtrum pro corde, aut paretur pomum odotatum hoc modo.

℞. florum ſcabioſæ & arantiorum ana p. ij. nucis moſcatæ, cariophilorum, ireos Florentiæ ana ℈ ij. pulueris diambræ vel diamoſchi ʒ j. fiat puluis qui excipiatur ladano, fiat pomum frequenter odorandum. Idem puluis ſi placet referatur in nodulum quem ſubinde olfaciat. His velut iactis fundamentis inſtat vt primum de ſyncope, deinde de palpitatione diſſeramus.

DE SYNCOPE. CAP. XV.

SYNCOPE eſt præceps lapſus virium omnium: terrificum ſymptoma, C quia eſt imago mortis: virium, inquam, omnium, naturalis, animalis, & maximè vitalis: eatum nexum & harmoniam diſſoluit. differt à lipothymia ſeu λειποψυχία intenſione, leue enim deliquium quale accidit nonnunquam tempore phlebotomiæ, ſenſum omnem non adimit, neque vocem, At ſyncoptici veluti exanimes iacent, priuati ſenſu & motus pulſu propemodum impetceptibili, cum ſudore frigido & extremorum refrigeratione, quæ duo poſteriora, ſunt ſigna pathognomonica ſyncopes, niſi ſudor frigidus exolutionem conſequatur, λειποψυχία eſt, non ſyncope: Cur ſudant? retentricis impotentia. Cur frigidum ſudant? extinctione caloris natiui.

Remedia debentur paroxyſmo, aut ſymptomati: In paroxiſmo etiamſi adſint delirium, febris aut inflammatio alicuius viſceris, quidam nihilominus concedunt D cochlear vnum vini, quinetiam aquæ vitæ, theriacalis, aut imperialis: quæ extra paroxyſmum, cum de remouenda cauſa cogitatur, ſunt nocentiſſima. Ego in pari caſu offero ſugendum panem intinctum mero, ſaltem diluatur aliqua aqua cardiaca, vt roſarum, borrag. Turcis lege cautum eſt guſtare vinum, ſyncopticis tamen conceditur in acceſſione, quia nihil tam citò reparat diſſipatos ſpiritus, & recreat. Conſideranda autem cauſa, vt remedium ex arte præſcribatur, extra paroxiſmum.

Hippoc. in Aphoriſmis. Quando ignota cauſa aliquis ſæpe & vehementer exoluitur, repente morietur. Sanè multum refert ſi ab inanitione, an à repletione quiſpiam exoluatur, ſi à veneno, an ab hyſterica paſſione. Fingamus mulierem quæ ab vtero ſuffocetur, ſuppones muliebribus odorata, naribus fœtida, vt caſtoreum, rutam, aſſam fœtidam: cæteris E offeres, odoranda ſuaueolentia, vt ambram, zibettum, moſchum, Inſufflabis ſternutatoria, ſi non ſternutet morietur. Veneno oppones proprium alexipharmacum, ſi ignoretur commune, nempè theriacam, vel mitridatium. Si quis linquatur animo propter doloris vehementiam, quia malum vrget, quàm primùm exhibebis narcoticū, vt philonij ʒ j. cū aqua cardui bened. Si cardialgiæ ſuccedat ſyncope quæ inde ſtomachica nuncupatur, panis toſtus intinctus vino, deinde reſperſus puluere nucis moſcatæ, cariophylorum, applicetur ſtomacho, non cordi: hydreleo vomitus excitetur. Exoluatur aliquis interim dum ſanguis vacuatur, detrahendum puluinum, quia ſic minor aſcenſus vaporum à corde ad cerebrum propterea quòd venæ iugulares & arteriæ ſoporariæ ſiue carotides iſto ſitu corporis concidunt, vires & ſpiritus promptiùs colliguntur quàm recto decubitu, interea aliquid vini exhiberi non eſt mirum,

A mirum, quia nil tam citò reparat ſpiritus quàm vinum: eſt enim vaporoſum, & va-
pores vinoſi cum ſpiritibus maximam habent affinitatem : inter ea quæ ſymbolo
ſubſtantiæ, aut qualitatis commnnicant, facilis eſt tranſitus. Sed cur acetum offer-
tur odorandum? Fortè quòd pungendo odoratus inſtrumentum, diſſipatos ſpiritus
reuocat: Cur facies aſpergitur frigida? vt calor & ſpiritus exilientes foràs, repentino
frigidæ occurſu in ſuos fontes recurrant, à circunferentia ad centrum retrudantur.
Abſtinebis igitur hoc remedio quoties longo alui fluore fatiſcunt vires, ne fluor au-
geatur, exhibebis potius theriacam recentem: nam Galenus hoc ſigno eius boni-
tatem dignoſcit quòd ſiſtat ſuperpurgationes. Verùm eſto ſyncopticus propter ſu-
dorem immoderatum, aqua roſarum etiam caphurata facies reſpergenda, linteis
frigidis non calidis corpus perfricandum, exponendus aeri frigido, quinetiam oleo
roſaceo liniendus. Si à cauſis inanientibus, vt vigiliis immoderatis, venere im-
B modica media longiore (iſta fames ſyncoptica nuncupatur, dicunturque à Latinis
ad ſingultum famelici) ſi à motu & exercitatione vehementiore, reficiantur vires
& ſpiritus recreentur analepticis, liquidis potiùs quàm ſolidis: nam facilius eſt re-
pleri potu, ſeu potulentis, quàm cibo, vt deſtillato reſtauratiuo, gelatina, con-
ſummatis, expreſſis, lacte. ♃. deſtillati reſtauratiui ℔. ß. aquarum cardui & bugloſſi
ana ℥iij. ſyrupi de limonibus ℥ij. pulueris diambræ ʒj. colentur per manicam, fiat
iulep, quo vtatur omni hora inter paſtus. Imperentur quies, ſomnus & abſtinentia
veneris, quòd ſi animæ deliquium contingat à repletione, vt inflammatione alicu-
ius viſceris, plethora minuenda eſt, ſanguine per ἐπίκρασιν vacuato: ſumma enim laus
eſt & perfectio medici diſtinguere poſſe vires oppreſſas à languidis, quia oppreſſæ
C leuantur ſublata cauſa oppreſſionis, nempè plethorá venæ ſectione imminuta. Lan-
guidæ verò, vt iam morbo longo artritæ, phlebotomia concidunt, quia ſanguis
eſt theſaurus naturæ ex cuius vaporibus fiunt ſpiritus vitales. Si venenum fuerit
cauſa exolutionis, reſiſtendum alexiteriis: ſaltem omnibus, dentur theriacæ ʒij.
cum aqua cardui bened. vel ſcab. Admoueatur cordi emplaſtrum ex theriaca, aut
mythridatio, aut epithema cardiacum, dentur etiam per os cardiaca, qualia jam
præceſſerunt. Lege Galenum 12. metho. & 1. ad Glauconem.

DE PALPITATIONE CORDIS.

CAP. XVI.

D QVOTIES aliquid moleſtum eſt cordi ſiue ſit intra, ſiue extra, vt eo ſe
liberet, ſuccutit ſeſe magna violentia, non aliter quàm cerebrum ſter-
nutando, pulmo tuſſiendo, ventriculus ſingultiendo, violentum hunc
motum veteres palpitationem appellarunt, quidam tremorem cordis
vocant, quia tremor fit ſemper à facultate languida. Fernelius obſer-
uauit tam vehementem palpitationem, vt coſtas fregerit aut loco dimouerit.

Palpitat per ſe primò quando cauſam habet intra ſe aut pericardio concluſam: *Primaria*
ſexagenario cuidam cor vehementer palpitabat, interiit, in diſſecto obſeruaui cap- *palpitatio.*
ſulam plenam aquis. Puero trienni incredibili vehementia cor palpitabat, inueni
abſceſſum in dextero ſinu cordis: effuſus ſanguis putruerat, & iam purulentus ap-
parebat. Si aquæ in pericardio contentæ ſuſpicio ſit, imperetur hydroticum cùm
E cardiacis, ſit per conſenſum, eſtque palpitatio ſecundaria ſub melancholia hypo-
chõdriaca, à liene qui aſcendũt fumi ad cor per arterias, ſunt illi permoleſti, propter-
ea palpitat, vt ab illis ſe defendat, diſtinguẽdum ergo imprimis, ſi cauſa palpitationis
aliunde procedat, vt nõ tantùm recipięti cordi, ſed mirtẽti potius ſuccurratur, diſtin-
guendum etiam ſitne cauſa frigida, vt ſerum, vel flatus, an calida, vt ſanguinis copia
ſiue plethora: Nam Gal. liberauit multos, vena ſecta ineunte vere, quo tempore ſan-
guis turget, verùm ille ipſe 5. de locis aff. in eo remedio iubet nos eſſe cautos: nam
inquit cum quidam iam triennio adiutus fuiſſet phlebotomia, quarto anno eadem
repetita interiit: In cauſa frigida parcendum venæ, blandè purgandum, quia diagre-
diara ſiue vehementia cathartica, ſunt infenſa cordi, contenti ſimus caſſia, catholi-
cone diſſolutis in aquis cardiacis, exempli gratia, quando ſuſpitio erit cauſæ frigidæ,
quam exilis pulſus indicabit.

♃. tadicis tormentillæ & dictamni cretensis ana. ℥iij. morsus diaboli, scab. buglossi ana ℥. ß. seminum cardui & citri ana ʒj. florum cordialium ana. p.j. fiat decoctio in qua bulliat agarici trochiscati ℥. ß. (ab Auicenna etenim cardiacum perhibetur) in colaturæ ℥iij. infunde rhei erecti ʒj. ß. cum ℈. ß. cinnamomi in expressione, dissolue syrupum de buglos. si desit syrupum conseruationis citri ad ℥j. vel syrupum regis Sabor, vel syrupum rosarum pallidarum ad purgandum serum fiat potio: Rondeletius affirmat caphuram appensam collo ita vt cor attingat prodesse palpitationi à quacunque causa. Si placet detur ℈ ß. Ambræ griseæ, in causa frigida, cum aqua melissæ: in causa calida cum aqua acetosæ. Rondeletius quia caro cordis est durior quàm vt facilè coqui possit, consulit vt ex cordibus cerui, porci, bouis, cum plantis cardiacis aqua destilletur, quæ substantiæ similitudine cor robotabit, non aliter quàm pulmo vulpis pulmonarios, hepar lupi hepaticos, interior tunica ventriculi gallinarum stomachicos: clysteres dentur frequentes ad reuellendos fumos, confectio alkermes mixta cum pauca conserua melissæ, & Theriacæ ʒ ß. cum conserua buglossi, borraginis, superbibita aliqua aqua cardiaca, imprimis commendantur. Cucurbitula etiam admota dorso, flatum & humorem foras trahit, sed non applicetur nisi corpore benè purgato. Cæterùm, palpitatio cum febre & syncope lethalis est: quia si fuerit vehemens, sæpe in syncopem, tandem in mortem desinit, Rhazis 7. cont. Raro, inquit Galenus, excedunt annum quinquagesimum quibus assiduè cor palpitat.

A B

PARTICVLARIS METHODI MEDENDI, C

SECTIONIS TERTIÆ,

TRACTATVS PRIMVS.

IN QVO EXPLICANTVR AFFECTVS *partium quæ seruiunt nutritioni, imprimis œsophagi, deinde ventriculi.* D

CAP. I.

DEVS concupiscibilem animam, ait Plato, de industria posuit in partibus corporis inferioribus, vtibi pascatur, veluti bos in præsepio, longè à mente ne illam à contemplatione abduceret. Pater uianus hæreticus dicebat ab Antitheo eam creatam, Mentem à Deo.

Præmansum alimentum deglutitur, deglutitionis instrumentum gula, vt stomachus appetentiæ: ventriculus rectis iisque interioribus fibris attrahit alimentum, œsophagus transuersis quę sunt in exteriore tunica, illud deturbat comprimendo: Stomacho inest sensus indigentiæ communis, appetitque pro conseruatione totius. Propterea accepit à natura neruos à sexta coniugatione e per quos exquisitè sentit, attractum ventriculus excipit, comprehendit, subsidet in fundo, coquitur, coctione fit chylus. Per pylorum deinde deponitur in intestina: Iecur mesenterio veluti manu alibilem portionem fugit, fæcem intestina in aluum deponunt. Ex alimentaria portione iecur conficit sanguinem, qui purus & defæcatus quoquouersum per venam cauam transmittatur, felle suo repurgatur à cysti fellis quæ subest cauis iecoris, à liene limus attrahitur, Renes de vena magna, siue caua emulgent serum, quod in vrinam transmutatum, deinde per oureteras in vesicam effundunt: Ita defæcatus & purus sanguis à vena caua ascendente ad superiorum, à descendente ad inferiorum partium nutritionem, demittitur. Harum omnium partium nutritioni destinatarum, affectus meditor hac sectione. E

OBSTRV-

A *OBSTRVCTIO.* CAP. II.

EXORDIAR à deglutitionis instrumento, cuius inflammationem synanchem veteres appellarunt. Obstrui autem potest non tantùm tumore, vt prædicta phlegmone, sed etiam adnata caruncula, vt plurimùm re aliqua imprudenter deuorata: Holerius vidit puellam quæ cum arietis pulmones liberaliùs comedisset, frustulum vnum euomuit, quod cum in media gula restitisset, vsque adeo intumuit, vt omni alimento viam interclu-serit, affixis tamen cucurbitulis supra vertebras colli attractum est, deinde ferramentis extractum; quomodo officula imprudenter deuorata extrahentur. Verùm faciamus minutius aliquid, vt spinam piscis impedire ductum, neq; conspici posse etiam *Obstructio.*
B cum oris speculo, vt volsellis comprehendatur: oleo amygdalarum dulcium via lubricanda, dato vomitorio ciendus vomitus, sternutatio mouenda, interim dorsum pugno fortiter percutiendum est, vt elidatur, vel spongiæ frustulum appensum filo, glutine, terebinthina, oblinatur, deinde transglutiatur: fortassis cum retrahetur, obstruentem spinam inuiscabit, quid si iam adhæreat gulæ? Albucasis monet, in eo casu, peptico cataplasmate, emplastro, aut vnguento (quale paretur ex ficubus & remollientibus quatuor) procurandum esse suppurationem. Quod si spinam imprudenter deuoratam inflammatio consequatur, procuranda, quàm citò fieri poterit, suppuratio cataplasmate, & gargarismo peptico ℞. rad. altheæ & liliorum ana ℥j. fœnugræci ℥ß. ficus n. 4. fiat decoct. pro garg. ex residentia cataplasma.

C *VLCVS.* CAP. III.

ALIQVANDO vlceratur destillatione ferina, vel euomito humore acri, vel epoto veneno, vt sublimi, arrhenico, euphorbio, à quacunq; causa vlceretur, vlcus est immedicabile, tamen in alimentis omnibus sit medicamentum: nutriatur hordeatis ad detersionem, bibat hydromel ex aqua hordei & saccharo rosato, aut aquam hordei. Paretur pulticula ex farina hordei cocta in lacte cum vitellis ouorum, cui immiscebis puluerem ex corallo, bolo, mastiche vel sanguine draconis. Si placet istum puluerem excipies oui albumine, vel mucilagine tragaganthæ, vt adhæreat, vel ouum integrum agitabis cum saccharo rosato: locus vlceris definitè cognoscetur quoties æger quidpiam acre, vt *Vlcus.*
D piper, deuorarit: Nam in parte vlcerata sentit ingentem dolorem.

PARALYSIS GVLÆ.

CAP. IIII.

PARALYSIS gulæ dignoscetur quòd solidum transglutire non possit, quia comprimi non potest à fibris transuersis, liquida velut in lagenam descendunt, ista deglutiendi difficultas in acutis morbis solet esse lethalis. Si aduenerit per se paralysis sine acuto morbo, Verisimile est eam accidere ab intemperie frigida. Proinde curetur vt paralysis linguæ, gargarismo ex decocto saluiæ maioranæ, in quo syrupus de stœ- *Resolutio.* *Hippoc. in Prog.*
E cade sit dissolutus, frequenti vsu conseruæ saluiæ cum theriaca, mithridatio. Aëtius admonet mento cucurbitulas. Topica applicari debent intra duas spatulas siue ad quintam vertebram dorsi, vbi incumbit gula.

AFFECTVS STOMACHI SIVE orificij superioris ventriculi. CAP. V.

INTEMPERATVS stomachus malè appetit eoque signo intemperatus iudicatur: Quemadmodum ventriculus ipse in suo fundo intemperatus censetur, si malè coquat. Aliquando ita obstruitur, vt ad fundum nihil transmittat. Fernelius vidit à tuberculo duro ita obstructum, vt ne potulenta quidem bime- *Intemperies.*

ſtri ſpatio transfluxerint, ego in pyloro tale quiddam obſeruaui, per vndecim menſes æger euomuit, extenuatus tandem interiit; inueni pilorum à tuberculo duro ita obdurtatum, vt vix liquor tranſiret, coquebat venter, ſed coctum poſtero die euomebat. Aliquando comprimitur à xyphoïde cartilagine; inde dolot, qui vomitu, aut deiectione leuatur, tum vulgus dicit pectus decidiſſe, & manu ſublata illa cartilagine, meliùs habet: Si fortè inflammetur, præter tumorem, dolorem acerbiſſimum, & febrem continuam, aduenient delirium, compatiente cerebro per neruos ſextæ coniugationis. Inflammationem ſequitur abſceſſus, abſceſſum vlcus, ſed cum eiuſmodi affectus ſint inſanabiles, pergendum ad ſymptomata. A

Exceſſus appetitus animalis, βουλιμία dicitur: defectus verò ἀνορεξία, inappetentia, ad quam pertinet ἀσιτία ſeu ἀποσιτία, faſtidium ciborum: deprauatur pica ſeu malacia: Picant mulieres grauidæ, primis menſibus geſtationis, aliæ carbones, aliæ calcem appetunt, pro qualitate humoris quem vterus in ventriculum eructat. Auicenna iſta vult expeti vt remedium non propter ſimilitudinem, hoc argumento quòd humor peccans augeretur acceſſione ſimilis: cum tamen expleto appetitu melius habeant. Fernelius vidit mulierem quæ calcem pugni magnitudine comedebat ſine iactura ſanitatis: de appetitu ſecundùm naturam paucis diſſerendum eſt, vt qui contra naturam eſt, faciliùs intelligatur: Eſt autem quidam appetitus naturalis qui ἔφεσις dicitur ab Ariſtotele, inſitus ſingulis partibus, cuius beneficio, non aliter quàm plantæ, conueniens alimentum ſingulæ partes appetunt & ſugunt. Eſt alter appetitus qui ab eodem Ariſtolete ὄρεξις nuncupatur. Cuius tres differentias ille conſtituit, itam, appetitum vindictæ: voluntatem, appetitum honeſti aut inhoneſti, & cupiditatem alimenti, aut veneris appetentiam: Alimenti inquam ſicci ſeu cibi, vel humidi ſeu potus: prior appetitus, fames; poſterior ſitis nuncupatur. Fames naturalis fit cum ventriculus à vicinis partibus ſentit, ſe ſugi: Singulæ enim trahunt & in ſubſtãtiam ſuam conuertunt alimentum: trahunt inquam de venis ea conſecutione, vt deſinat attractio in ventriculo qui ſuctu vellicatus, appetit, non tantùm ſibi, ſed in communem vſum totius: Hic animalis appetitus, hic ſenſus communis indigentiæ, non eſt inditus toti ventriculo, ſed vt eſt octauo κτ' πάντας ſtomacho, cuius idcirco ſenſus eſt exquiſitus per magnos neruos, proinde quoties non appetit, totum corpus tandem ἀτροφίᾳ contabeſcit: Si verò aut plus iuſto, aut deprauatè appetit, inde ἰσχνοτροφία, mater cacochymiæ & cachexiæ. Obſeruatum eſt nationes voraces eſſe breuioris vitæ. B C

Ariſtot. 2. de anima & in eudemijs.

Ἀνορεξίαν excitant repletio non tantùm vtilis, ſed etiam inutilis, & quæcunque ventriculum ſubuertunt, vt pinguia omnia, mellitea & tepida. Languentem verò appetentiam exſuſcitant acida & frigida: frigida, inquam, vt potus frigidæ, panis intinctus frigida comeſtus prima menſa, aër frigidus: Acida, vt ſucci & ſyrupi limonum, granatorum, oxalidis, de parte acida citri, de pomis, acetoſus, oxyſachar, oliuæ quoque & cappares, acetaria primis epulis: Melancholicus humor, quia frigidus & acidus auget appetitum, non aliter quàm pituita acida, quæ parit tandem ingentem famem, ſiue βουλιμίαν. Si humor excrementitius deijciat appetitum, vel dato vomitorio, vel pillulis ſtomachicis, Ante cibum, vel de hyera quotidie vna hora ante paſtus vacuetur: ab eo enim effectu vulgò guloſæ nominantur. ℞. rhei electi ℈iiij. mytobal. condit. ʒj. conſeruæ roſarum ℥iij. cum ſyrupo conſeruat. citri, fiat bolus, ſumendus cum ſyrupo de abſynthio, vel de mentha. D

Inappetentes etiam efficit relaxatio ſtomachi, relaxatur à cauſa calida & humida. Sed cur laxior venter non appetit? quia non ſentit ſe ſugi mollificato neruo per quem appetit: fortaſſis hic affectus paralyſis ſtomachi dici poteſt. Cui conueniunt quæ adſtringendo roborant tam aſſumpta quàm admota, vt cydoniatum à paſtu, puluis adſtringens, cuius hæc ſit formula. ℞. coriandri præparati ℥j. cornu ceruì vſti & eboris ana ʒj. cum triplo ſaccharo roſato fiat puluis de quo quotidie poſt paſtus ſumat vnum cochlear, liniatur etiam ſtomachus aliquo oleo aſtringente, vt roſarum, cydoniorum, maſtichino, abſynthij. Humiditas etiam ſiccabitur ſumpto per aliquot dies hydrotico, vtendum aſſis non elexis, & iuſculis abſtinendum. E

Βουλιμία. Βούλιμος ſiue ingens fames, eſt affectus inappetentiæ contrarius, qui olim Vitellium imperatorem infamem reddidit, vt plurimum accidit pituita acida ventriculum comprimente, aliquando etiam à latis vermibus chylum exugentibus. Trallianus vidit

A vidit mulierem quæ sumpta hiera deiecit vermem duodecim cubitorum, quo excreto mox ingens ista fames disparuit. Accidit etiam per niuem longum iter facientibus, vt olim Bruti militibus, si Plutarcho fides debetur: Aqua vorax, inquit Hipp. 6. epid. effectiuè; inquit Galenus, quia appetentes reddit: frigidæ potu ingẽtem famem excitari experientia demonstrat, hydropote enim solent esse edaces. Nisi summa nascatur intemperies, stomacho veluti mortificato, vt notant Galen. 3. de causis symptom. & Auicenna. Tum enim non sentit se fugi. Cui causæ Galenus medetur alimentis calefacientibus, theriaca quoque & mithridatio veteri, vratur vino absynthite: nam vt est in aphoris. meri potio, soluit famem, id est βουλιμίαν, Gal. affirmat se dato mero copiosiore multos persanasse, Aëtius iubet, vt bibant quantum possunt bibere, vt frigida intemperies corrigatur: proderit etiam dare frequenter syrupi de B mentha, & de absynthio duo coclearia. Gal. 6. de sanitate tuenda, dat etiam cydoniatum compositum cum pipere, zingibere, nuce moscata, cariophilis. Pituita acida deturbetur pillulis de hyera cum agarico. Conualescentes, vt qui ex longo morbo nouissimè resurgunt, solent esse famelici, qui reficiantur alimentis boni succi & facilis coctionis, deniq; analepticis, liquidis potius, quia celeriùs distribuuntur, paulatim assuescere debent solidis.

Boulimiæ affinis est fames canina, euomitur assumptum alimentum, mox que nouum appetitur, vterque affectus, si perseueret desinit in ἀνορεξίαν, fit que mutatio ab extremo in extremum, vtrique vitio hoc est commune quod linquantur animo, nisi habeant præsens alimentum. Vnde fames syncoptica & singultuosa dicitur, assumpto pauco pane mox ad se redeunt, vt Cleomenes ait apud Plutarchum 6. sympos. C quod contigisse olim Bruto, historiarum monumentis proditum est: merum in deliquio exhibendum, ante deliquium panis vt anticipetur. Peccans humor blandè purgetur, dentur quæ appetitum obtundunt & eneruant, vt pinguia, mellitea, tepida. *Fames canina.*

Picant grauidæ primis mensibus gestationis scilicet 2. 3. aut 4. cum effluxit hoc tempus, & iam fœtus grandior copiosius sumit alimentum, sponte disparet, alioquin cassia cum rheo, aut catholicone ventriculus repurgetur, aut tepida, vel hydromelite tepido, vomitus prouocetur: Confert enim grauidis vomere. Oliuarum sit vsus frequens initio pastus, sumant quinque, aut sex amygdalas amaras. Terram appetenti, inquit Aëtius, nihil æquè prodest ac amyllum recens. *Pica.*

D DE SITI. CAP. VI.

Triplici substantia constamus, solida, humida & spirituosa, omnium fit perennis dissipatio, verùm hæc iactura resarcitur aëre, cibo & potu: spirituum enim dissipationem reparat aër qui assiduè inspiratur, humidam potulenta, Solidam esculenta: penuria humidi contingit sitis naturalis, vt fames inopia sicci. Potus igitur sedat sitim non quiuis, sed qui humectat & refrigerat, non tantùm potentia, sed etiam actu: nam aqua calida auget sitim: sitis inquam non tantùm fit à siccitate, sed etiam à calore, si fuerit morbida, vt febrilis, proinde non tantùm quæ humores vacuant, vt vehementiora cathartica, diabete, defectus potionis, sed etiam quæ inaniunt & siccant, vt E vigiliæ, & vehementior motus non tantùm corporis totius, sed etiam linguæ & pulmonum, excitant sitim: quod vitium est cantoribus & concionatoribus familiare, quæ valdè etiam calfaciunt, vt febris, intemperies calida ventriculi, hepatis, cordis, pulmonum, vel humor calidus, vt bilis & pituita salsa in ventriculo subsistens pariunt sitim.

Intemperies omnis corrigitur suo contrario, sicca humido, calida frigido: Itaque siti à calore medendum est potu refrigerante: si verò à siccitate, humectante: quod si à pulmone calefacto sitis excitetur, refrigerandus erit potius aëris frigidi inspiratu, quàm potu frigidæ: itaque aër talis arte paretur extincto foco, apertis fenestris, aut pauimento cubiculi frigida, aut folijs refrigerantibus, lactucæ, vitis, salicis resperso: inspirandus vapor aquæ frigidæ è peluì, os colluendum frigida: Si à vigilijs æger sitiat, arte prouocetur somnus: humectat enim quia coquit, coctione

verò separatur humor alibilis quo stomachus irroratur, vbi est sitis præcipua sedes: A
nisi enim compatiatur toti, vt in febre, aut parti, vt calidiori iecori, vel pulmoni, sitis non excitatur. Cur ijs qui noctu bibere appetunt superdomire bonum est? Quia somno alimẽtum coquitur, eo ctione alibilis succus separatur, quo stomachus humescit. Cur hydropici sitiunt cùm habeant abdomen plenum aquis? An quia aquæ sunt salsæ & putres, quæ similes vapores ad stomachum transmittunt? An quia reliquum corpus priuatur humido cùm in abdomine retincatur? hydropicorũ sitim non sedat aqua, quia materiam auget, neque vinum quia calorem intendit, sed acetum, quia resistit putredini, si multa aqua diluatur, fiatque oxycratum, sedabit sitim à calore, febribusque omnibus malignis & putridis medebitur: habenda semper causæ ratio in secunda siti, vt si à calidiore corde vel iecore oriatur sitis, per consensum erit, non primaria (quæ accidit stomacho per se calido non aliunde calefacto) tùm hepar tam sumptis quàm admotis refrigerandum est, vt aquis endiuiæ, cichorij: Epithemata illi admouenda, quemadmodum cordi in febribus: habent enim omnes sedem in corde. Sitim à siccitate sedabunt quæcunque humectant simul & refrigerant, vt ptisana vulgaris, syrupus violatus, de pomis, de nymphea: sitim à calore, frigida enim sicca, vt iulep rosatum, syrupus de parte acida citri, conserua rosarum agitata cum aqua hordei: Quod si bilis contenta in ventriculo sitim excitet, nisi priùs vacuetur, frigidæ potus nocet potius quàm prosit, quia frigus illam condensat & impingit, facit vt tenacius hæreat parietibus ventriculi, itaque vomitu vel purgatione vacuetur, quomodo interpretor sententiam Auicennæ: In eo casu aquam tepidam magis conuenire, quàm frigidam, quia tepida vomitu vacuat bilem, quæ affigitur ventriculi tunicis & contumacior redditur potu frigidæ. Si pituita salsa in ventriculo consistens excitet sitim, vacuanda catharticis aut vomitorio. Memineris fauces refrigerantibus, vt ptisana vel aqua hordei sæpe irrigare ad sedandam sitim à calore & siccitate, nam febre ardente correpti, si leniter tussiant, non admodum sitiunt, quia à catharro fauces irrigãtur, inquit Gal. dummodo catharrus sit dulcis non salsus, propterea iubemus, vt febrientes assiduè masticent nucleos cerasorum, hyppoglotia imperamus quorum sit hæc formula, ℞. seminis portulacæ, papaueris, cucumeris, glycirrisæ & tragacanthę ana partes æquales, subigantur aqua, & ad fabæ magnitudinem reducantur: Quæritur si agnosticè sit bibendum, ad extinguendam sitim, an parum & sæpe. Priori sententiæ videtur fauere Gal. multis locis. iubet enim, vt καυσουμένοις frigidę largior potus exhibeatur, Auicenna fauet sententiæ posteriori, ne immodico potu frigidę extinguatur calor natiuus. Medicinæ candidatus, cum post vehementiorem potum ad extinguendam sitim è puteo Cœnomano frigidam liberaliùs bibisset, extincto calore in suo fonte mortuus est hydropicus: Itaq; media via videtur tenenda: nam Gal. non omnibus febrientibus, sed ardenti febre tantùm correptis, neque omnis febris tempore, sed tantùm in vigore liberalissimam potionem frigidæ concedit, vt ardor summus qui alioquin humorem primigenium populatur, colliquans corpus, à suo aduersario potentiore oppugnetur. Cęterùm sitis, vt fames, potest aboleri, imminui, deprauari, non tantùm augeri. Aboletur & minuitur quoties ventriculus laborat intemperie frigida & humida cum materia: deprauatur, vt pica, ab humore alieno, veluti si quis cupiat bibere lixiuium & vrinam: Est enim malacia tam humidi quàm sicci, verum quia freqũẽtissimè intenditur, & de hoc solo symptomate medici consuluntur, idcirco alijs missis de sitis excessu duntaxat à practicis præcipitur. Adde quod defectus nõ videtur morbosus, quia multi sine potu salubriter vixerunt: Dom. de Pissani totum decennium transegerat sine potu; sitiebat quidem, sed humidiore cibo fallebat sitim. Noui qui absq; molestia tres aut quatuor dies, quoties vult, trãsigit sine potu. Nobilis quidam ictus est sclopeto in cubito tanto impetu, vt membrum syderatum Chirurgi coacti sint amputare. Suasi, vt parum biberet: ille nil omnino bibit: cum illum exacto iam mense reuiserem affirmauit, sitim cum aliqua difficultate per octo dies pertulisse; sed postea vix captum vllo potandi desiderio, desijssetq; potare nisi eum ad potum coëgissem metu marasmi.

B, C, D, E (margin letters)

DE

A
DE CARDIOGMO SEV DOLORE ſtomachi. CAP. VII.

QVò pars eſt exquiſitioris ſenſus, eò dolore acerbiore diuexatur, ſtoma-
chi ſenſus eſt exquiſitiſſimus per ſe & propter neruos quos habet à ſex-
to pari: Itaque aliquando tam acerbo dolore cruciatur, vt multi dolo-
ris vehementia victi ſibi violentas manus attulerint. Qui ſtomachum
habent ſenſus exquiſitioris, ſuccumbunt dolori, inquit Trallianus, quia
eroſionem ferre non poſſunt, è viuis exeunt, hinc ſyncope ſtomachica compatiente
corde: Ideo enim veteres ſtomachum καρδίαν, illius dolorem καρδιαλγίαν nominarunt,
ſentitur iſte dolor ſub xyphoide cartilagine: vbi autem dolor ibi morbus. Hippoc.
B tamen libro 1. de morbis, ſcribit veſicam à ſuo felle demorſam nonnunquam exci-
tare cardiogmon. Mercurialis veſicam interpretatur iecur, quia Alexander Aphro-
diſeus in Problemat. ſcripſerit, bilem alias omnes partes mordere: ſuam veſiculam
minimè. Verùm, etiamſi hoc ſit rarum, tamen fieri poteſt, vt peccans quantitate aut
qualitate, etiam ſuæ veſiculæ non parcat. Memini me obſeruaſſe dolores ventris in-
termittentes, conſequutum tam copioſum fellis excrementum, vt dubitarem vbi
tanta copia contineri potuiſſet. Vix dolium fuiſſet capax excipiendæ tantæ bilis
copiæ.

Definienda cauſa priuſquàm remedium præſcribatur: fieri enim poteſt ab intem-
perie calida, inflammatione, vlcere, à veneno, à vermibus; à quibus, inquit Tralli-
anus, non tantùm ſycope frequens, ſed etiam mors tandem conſequitur: vt pluri-
C mùm à bile mordaci. Veneno opponendum eſt alexipharmacum; ſi non proprium,
ſaltem commune: nam auctor libri de theriaca, ſingulariter ad cardiogmum com-
mendat theriacam, etiam ſi ab alia cauſa quàm à veneno procedat, vt à putribus fu-
mis malignæ febris, ſi ſuſpicio ſit vermis ſtomachum mordentis detur hieræ picræ
℥ß. aut pillularum de aloë ʒj. Aut expreſſum rhei, infundatur, ſi placet ʒij. in aqua ab-
ſynthij, cum eiuſdem ſyrupi, ℥ß. fiat potio: nam abſynthium quoque valdè com-
mendatur à Galeno in omni cardiogmo, eadem potio proderit, quando bilis mor-
dax affixa ſtomacho illum lancinat, quòd ſi nauſeat ventriculus & æger conſueuerit
vomere, detur vomitorium, vt hydræleum tepidum; vel ℞. Radicum Raphani &
ſeminis attriplicis ana ʒij. fiat decoctio in colaturę ℔ß, diſſolue ℥ij. oxymelitis, detur
tepidè, poſtea digito in oleum intincto lingua deprimatur: clyſteres potenter reuel-
D lunt, quando diſtendentes flatus ſunt in cauſa tam acerbi doloris, admoueatur ven-
triculo magna cucurbitula. Miraculo enim omnes dolores à flatu ſedat, inquit Gal.
liniatur venter oleo aliquo carminante, vt lauri, rutæ, anethi cum pauco caſtoreo,
quod datum cum hydromelite ʒj. pondere, benefacit etiam colicis doloribus. Sac-
culi pleni mentha, abſynthio, maiorana, floribus camomeli, ſeminibus aniſi, fœ-
niculi, bulliant in aquæ & vini æquis partibus, & viciſſim applicentur: potus frigidę,
quoties ſummus eſt ardor, ad tempus confert, quinetiam granum vnum opij dari
poteſt cum mithridatij ℈ß. aut cum ſyrupo de mentha, vel de abſynthio vt corriga-
tur, detur autem ex cochleari, dari poterit cum iuſculo pulli, aut cum pauca con-
ſerua, præſertim quando nauſeat ſtomachus. Cardiaca non poſſunt non prodeſſe,
itaque non erunt hîc negligenda. Cum ſummis doloribus præſentiſſimum ſit reme-
E dium venæ ſectio, non videtur omittenda. Galenus authore Archigene commen-
dat vinum maximè frigidum cum eroſio eſt à bile. Vinum granatorum plurimum
confert, detur ex cochleari, aut medulla panis eo imbuta, ſępe offeratur, eius vices
ſupplet ſyrupus, ſi vinum deſideretur.

Febribus malignis ſuccedit alter affectus affinis cardiogmo, qui cardiaca paſſio à *Cardiaca*
Latinis nominatur, ſtomachus à malignis fumis tentatur, inde ægris langor, & ſum- *paßio.*
ma virium imbecillitas cum diaphoretico ſudore, ſudant ceruice, thorace, ſudor eſt
viſcidus, extrema frigent, febres iſtæ ſolent eſſe anxiæ & inquietæ, ægri aſſiduè ſe ia-
ctant lecto, vt ſitum inueniant naturæ conuenientem, vix poſſunt momento vno in
loco conſiſtere: Aliquando cor ipſum primò afficitur, aliquando ſympathia ſto-
machi. Sed affectus hic eſt à febre maligna & putri inſeparabilis, cardiogmos, vt
plurimum ſine febre; pugnandum ſemper cardiacis tam ſumptis quàm admotis.

Diaphoreticus sudor astringentibus sistendus vt litu ex oleo mirthino lege Celsum libro 3. A

AFFECTVS VENTRICVLI.

CAP. VIII.

LIMENTVM à stomacho expetitum & à gula deglutitum subsidere debet in carnoso ventriculi fundo, vt coquatur, nisi enim vndiq; comprehendatur, vt si fluitet, coctio peruertitur, quia actio physica fit per contactum. A retentrice igitur in fundo contineri debet & vndique comprehendi arctè, donec in chylum transmutetur, non tantum ventriculi, sed etiam partium vicinarium calore: Nam omenti defectu nasci cruditatem B Galenus annotauit, quibus parat scutum ex curato stomachico loco omenti. Læditur chylosis vt quælibet alia actio, quia aboletur, minuitur vel deprauatur. Abolitam & deprauatam chylosim, vno nomine ἀπεψίας Galenus designauit, maioris & facilioris doctrinæ gratia, liceat deprauatam appellare κακοπεψίαν: Tardam verò & imperfectam siue imminutam coctionem ille βραδυπεψίαν nuncupauit: aboletur & minuitur, vẽtriculi intemperie frigida atque etiam humida, nisi in vicinis partibus, vt in omento, iecore, liene manifesta sit causa: deprauatur verò intemperie calida, nuda vel cum materia vt bile, vel alimenti ipsius vitio, siue peccet in substantia, vt difficilis sit coctionis, siue in quantitate, vt copiosiùs assumatur, siue in qualitate prima, vt calidius sit, frigidius, humidius, vel secunda, vt tenuius, crassius, relaxans, adstringens, imò verò si in ordine peccatum aliquod committatur, prima coctio deprauatur. Nam cydoniatum prima mensa sumptum astringit, postrema relaxat aluum. C

Intemperies frigida cognoscetur vomitu pituitæ, ructu acido, à iuuantibus quoque & lædentibus: calidis enim iuuantur, frigidis offenduntur. Solent esse malè colorati & inappetentes, qui propriè dicuntur stomachici: Calida verò dignoscetur à iuuantibus quoque & lædentibus, ructu nidorulento, oris amarore, siti, vomitu bilis. Si deprauetur alimenti vitio, facilis erit curario, nam si bubulam malè coquat imbecillus venter, nutriatur volatilibus. Si propter intemperiem calidiorem non est adeo longa illius ac frigidæ intemperiei curatio: verùm prudentia siue cautione est opus, ne sumptis aut admotis refrigerantibus, ventriculus ad intemperiem contrariam priori longè deteriorem deducatur. Auicenna enim cruditatem appellat matrem omnium morborum, meritò sanè: nam vitia primæ coctionis secunda non D

Intẽperies. emendat: nisi ventriculus bonum & laudabilem chylum suggerat hepati, non poterit alimentarium sanguinem conficere: Ex prauo autem & impuro sanguine omnes ferè morbi. Itaque de ventriculi intemperie priùs differamus quàm ad symptomatum curationem aggrediamur, quandoquidem sublatis causis effectus disparebunt. Veteres, inquit Galenus, solis adstringentibus imbecilliori ventriculo medebantur, ac si omnes illius affectus à relaxatione procederent, verùm intemperie omni eius actio læditur, imbecillitatem parit quæuis intemperies, potissimùm tamen frigida, proinde ad robur partis ad vitam vsque adeo necessariæ, adstringentia permiscemus, sed vnicuique intemperiei proprium remedium opponimus: Calidiorem purgabis cassiæ ℥j. cum rhei ʒj. non neglecta venæ

Calida. sectione, imperabis tabellas diarrodon, triasandali, syrupum granatorum, limonum, cydoniorum. Iuscula refrigerantibus alterentur, Apozemata refrigerantia: acetaria ex lactuca & chicorio: cerasa, pruna. Admouenda erunt oleum rosaceum, cydoniorum, ex quibus cum pauco cerato sandalino pro cera, fiat linimentum: fuge magis refrigerantia, vt oleum papauerinum, ne ad peiorem intemperiem deducatur; refrigerantia autem applicabis circa vmbilicum siue circa fundum ventriculi: ne septum attingas, inquit Auicenna: nam vt scribit Galenus octauo methodi, frigida præcordijs admota lædunt respirationem, propter diaphragma. Si bilis redundans nauseam excitet, vomitus prouocetur præsertim consuetis vomete. E

Frigida. Qui frigidiore sunt ventriculo, vtantur alternis diebus pillulis de hyera aut elephanginis, myrobolanis conditis, tabellis aromatici rosati, cortice citri condito, vel

A vel nuce moscata condita, zinzibere condito, syrupis de mentha, de absynthio, vel conseruationis citri, si placet misce ana ℥j. & capiat manè cochlear vnum, proderunt etiam vinum maluaticum, aromatites, absynthites, fit ex centum libris musti, & vna absynthij, vel ♃. aquæ vitæ librā ß. pulueris ducis ʒj. (puluis ducis fieri solet ex sacchari ℔j. & cinamomi ℥j.) Temperetur aquæ vitæ ℔ß. lib. tribus aquæ rosarum, colentur per manicam bis aut ter, capiat aliquoties in hebdomade cochlear vnum ieiuno stomacho, præsertim hyeme: vulgus solet vti puluere ducis cum vino, vel panem tostum intinctum vino conspergit isto puluere: poterit parari opiata hoc modo. ♃. conseruæ acori, corticis citri cōditi & myrobolanorum emblicorum conditorum ana ℥ß. pulueris aromatici rosati ʒij. nucis moscatæ conditę, theriacæ vel mythridatij ʒj. cum syrupo conseruationis citri fiat opiata. Ante pastum capiat tabellam vnam aromatici rosati, quo die non vtetur pillulis de hyera aut elephanginis,

B aut hoc puluere coctionem adiuuante: malo enim sumi ante pastum quæ iuuant coctionem, quàm à pastu, quia calida, ante perfectam coctionem, alimentum distribuunt. ♃. Caryophylorum & nucis moscatæ, cinamomi ana ʒij. pulueris aromatici rosati ℈iiij. cum quadruplo sacchari fiat puluis, de quo capiat quotidie ante pastus cochlear vnum superbibendo parum vini, vt præparetur ventriculus ad coctionem proximam. Vel nux moscata teratur, coquatur cum melle & aqua vitæ, vsq; ad consumptionem aquæ, sumatur mane ex cochleari.

Topica sint olea de absynthio, de mastiche, de nuce moscata, ceratum stomachicum, si placet ex prædictis oleis cum pauco stomachico pro cera, fiat linimentum, vel addendo parum nucis moscatæ cum cera fiat vnguentum, si placet panis oblinatur melle, deinde conspergatur puluere nucis moscatæ, cariophilorum, cinamomi, &

C applicetur toti ventriculo. Nam à calidis non est metus vt à frigidis, vulgus panem tostum intinctum vino conspergit prædicto puluere vel ♃. cerati stomachici ℥ij. extendatur super aluta, fiat scutum pro stomacho. Parari etiam potest ex mellis & mastiches ana ℥j. vel ♃. pulueris rosarum rubr. absynthij, menthæ, maior. siccæ ana ʒij. ligni aloes, spicæ nardi, calami aromatici, schœnanthi, ana ℈. ij. fiat puluis qui excipiatur cotone, inuoluatur duplici linteo, aut pro ditioribus syndone, intersuatur vt decet, fiat scutum stomachicum cum suis ligaturis. Memineris litus, vnguenta, emplastra, cataplasmata, non tantùm antè, sed etiam ponè applicanda esse circa decimam tertiam vertebram.

Humidiorem ventriculum indicat saliuatio frequens, nausea, diarrhœa aquosa, sensus fluctuationis in ventriculo. Quem resiccabis inedia, nec tantùm potus, sed *Humida.*

D etiam potulentorum paucitate: non cœnent, vtantur biscocto, assis non elixis, hydroticum & laconicum benefaciunt vt & sequens opiata ♃. conseruæ betonicæ & acori ana ℥j. cornu cerui vsti, coralli vtriusq; ana ʒi. cum syrupo de mentha fiat opiata. Pro topico admoueatur sequens emplastrum, ♃. mastiches ℥j. cerati stomachici ℥ß. pulueris menthæ & aromatici rosati ana ʒi. cum oleo de absynthio fiat emplastrum, ex quo scutum pro stomacho. Ad extremum Hipp. & Pauli consilio admouebis tria cauteria, vnum ad xyphoidem, duo paulo inferiùs, forma triangula: non sint profunda, sed cutem solam perforent. Quidam sunt contenti vno magno ad orificium ventriculi apposito, quod iubent diu teneri apertum, vt humor noxius hac expurgetur.

Ventriculi intemperies sicca, Oris siccitate dignoscitur, corporis extenuatione, *Sicca.*

E aluo sicca, fæcibus induratis, appetitu humidorum. Cognita analepticis humectantibus percuretur, vt lacte præsertim muliebri, alioquin capræ aut vaccæ cum vitellis ouorum, syrupo resumptiuo, iusculis testudinis aut eiusdem carne cum amygdalis contusa, hordeatis, gelatina, aqua carnis, succo amygdalarum dulcium, quo etiam ventriculus liniatur, abstineat venere, vtatur elixis non assis, aluus subducatur cassia, aut enemate frequenti, balnei sit frequens vsus. Difficillimè omnium sanescit, deinde frigida.

Quibusdam vitio conformationis, aut materiæ inopia tam exiguus est ventriculus vt reliquo corpori sit inæqualis, si emineat, ex circunscriptione ipsa vitium contactu deprehēdetur. Si delitescat hoc signo conijcitur quod pauci alimenti sit capax. Si fortè plusculum cibi assumpserint, cogūtur vomere, repletur vēter ante satietatē: hi nutriendi sunt cibis boni succi & facilis coctionis, iisq; vti debent sępè & parum.

Obstructio. A

Obstrui etiam potest in vtroque orificio, obstructo superiore, prohibetur introitus alimenti, obstructo inferiore non est liber exitus. Hęc vitia quamuis dignoscantur, curari non possunt.

Inflammatio.

Tentatur aliquando phlegmone, quæ tumore, & dolore cum febre acuta eaque continua dignoscitur. Cuius generationem, nisi clysteribus, iterata venæ sectione, admoto oxyrhodino impedias, frustra deinde resoluentia, & maturantia imperabis.

Vlcus. B

Vlcerari etiam potest assumpto veneno, aut humoris acrimonia: ex vlcere, lienteria, aut cœliacus fluor, quamuis credatur intestinorum imbecillitate contingere.

Vxor domini Poussepim Consiliarij regij hora decima matutina conqueritur de importuno alui fluore, suadeo vt decumbat, quia motus auget fluorem, & deiectiones reseruet. Erant autem similes aquæ albæ, chilosæ quidem, sed liquidæ, implebat magnam peluim quoties deijciebat, territus hoc symptomate, postulaui vt seniores in consilium vocarentur, præscripti sunt litus adstringentes, sacculi, iulepi, expressum rhei pro die sequenti: deiectione frequenti & copiosa vires paulatim collabuntur, admonui tum maritum vt illa rebus domesticis & pietati vacaret, ante mediam noctem interijt, cùm ipsa nihil minus quàm de morte cogitaret: vt explorarem causam mortis tam subitæ & inopinatæ, impetraui vt corpus dissecaretur, inueni ventriculum in suo fundo vlceratum. Si quo remedio iuuari possit, iuuabitur potione vulneraria, vsu longo aquarum Niuernensium, Interim vtatur hydromelite pro ordinario potu, bilis mordax expresso rhei repurgetur, vtatur sæpè tabellis diatragacanthi frigidi, trochiscis de bolo, de terra sigillata, vel ♃. conseruæ veteris rosarum, conseruæ symphiti ana ℥j. pulueris diatragacanthi ʒß. boli armeni & terræ sigillatæ ana ʒj. cum syrupo rosarum siccarum fiat opiata qua vtatur omni hora inter pastus, vtatur etiam hordeatis, syrupo rosarum siccarum cum aqua hordei, quando fastidiet hydromel. C

Inflatio.

Aliquando ventriculus inflatur, & tumet multo flatu, quod genus tumoris ἐμφύσημα, inflatio nominatur, fit autem flatus ex humore crudo à calore imbecillo: vt enim sol meridianus absumit humorem, ita calor ventriculi immodicus, qualis est sub intemperie calida: vtq; hyeme sol nullos vapores excitat: ita neque frigidior venter, sed paucus calor si humorem crassum crudum nanciscatur, cùm illum coquere non potest, in flatus resoluit, vnde inflationes coli, vteri, ventriculi: quibus medendum est carminantibus, qualia nouissimè ad cardiogmum à flatu præscripta sunt: singularis est cucurbitula. D

DE SYMPTOMATIS VENTRICVLI, AC primum de vomitu. CAP. IX.

ACTENVS morbi & syptomata primi generis, sequitur immoderatio in excretis, cuius generis sunt vomitus simplex, vomitus sanguinis, cholera morbus, cùm susque deque vomitu & deiectione ventriculus excernit, nomen habet à causa purata: fortassis singultus & ructus huius sunt generis. Differt enim singultus à vomitu, quòd vomitu ea excludantur quæ ventriculi capacitate continentur. Singultu quæ tunicis sunt impacta: Ad vomitum pertinent supinitas seu subuersio ventriculi, & nausea, inanis vomendi appetentia, differunt quòd nausea contingat ante, subuersio post cibum, quorum symptomatum causis explicatis, exordiar à vomitu. E

Imprimis distinguendus est criticus à symptomatico: aliquando enim prodest vomere, vt initio febrilis accessionis, imò arte prouocari solet, vt materia ad paroxysmum

xysmum parata vomitu vacuetur: Eo enim sensu scripsit Auicenna vomitum vomitu curari: Causa enim quæ excretricem irritat, dato vomitorio vacuatur: Optandum est, vt febrientes vomant in principio paroxysmi, sudent in fine. Vtilis etiam vomitus arthriticis & grauidis quia reuellit. Vomitus criticus minuit morbum & morbi symptomata: fit enim naturæ victoria & excretricis robore, quæ materiam morbificam hac via commodiore excludit. Dignoscetur ægri εὐφορία bona tollerantia, leuantur vomitu & solito meliùs habent: præterea accidit die critico præcedentibus signis coctionis, & vacuatur materia quæ morbum committebat, vt bilis si morbus fuerit à bile. At symptomaticus accidit violentia morbi, & copia materiæ morbificæ, minuit vires non morbum. Ille ergo aut sinendus est aut iuuandus, hic verò sistendus remedijs quæ sequuntur: clysteribus acribus ad reuulsionem, purgatione humoris morbifici; cum rheo, myrobolanis, vel pillulis de quinque generibus

B myrobolanorum: minus enim euomuntur solida quàm liquida: Melius pillulæ aut boli retinentur quàm potiones. ℞. rhei electi, pulueris hyeræ & massæ pillularum de quinque generibus myrobolan. ana ℈j. cinamomi gr. vj. cum syrupo de mentha, fiant pillulæ quinque: deinde liniatur venter oleis adstringentibus, calidis tamen in frigida causa, vt oleis de mentha, de absynthio. Frigidis in calida, vt oleo cydoniorum, myrtillorum, rosaceo, vel ℞. carnis cydoniorum quantum satis, eius in opia accipe cidoniatum, coquatur in vino si frigidior sit ventriculus, alioquin in aceto, postea adde pulueris mastiches, balaustiorum coralli rubri ana ʒj. cum oleo de absynthio fiat emplastrum pro stomacho, pauperibus satis erit puluerem gallarum aut malicorij, aut boli armeni subagitare cum albuminibus ouorum & pauco oleo rosaceo, stupæ hæc madidæ applicentur & arctè contineantur, aut ℞. pulueris rosarum rubr.

C & farinæ hordei ana ℥j. pulueris gallarum malicorij, boli armeni ana ʒij. æstate bulliant in succis plantaginis, centinodiæ, bursæ pastoris cum pauco aceto, hyeme in oleis adstringentibus rosarum, cydoniorum, mastiches, fiat cataplasma. Cui simile est emplastrum Montagnanæ de mica panis, ℞. medullam vnius panis albi, coquatur in vino rubro, adde pulueris alicuius adstringentis ij. aut iij. ʒ. cum pauco oleo rosaceo, fiat cataplasma, applicetur autè, & ponè ad decimam tertiam vertebram. Cucurbitula magna infra vmbilicum, atque etiam supra duodecimã vertebram, admota, plurimum potest in sedando vomitu. Si reuomat cibos, interim dum exhibentur admouenda erit vt retineantur, vtantur à pastu cydoniato, aut puluere parato ex corallo, cornu cerui vsto, pauca terra sigillata cum triplo saccharo rosato, fiat puluis: vitentur pinguia & tepida, quia vomitum excitant, incoquantur iusculis gra-

D na cydoniorum & granatorum inclusa nodulo, quinetiam alterentur plantagine. Vulgus admouere solet ventriculo emplastrum ex pice. ℞. picis naualis ℥ij. coquito in oleo cydoniorum vel de absynthio, adde si placet, pulueris astringentis aliquot ʒ. fiat emplastrum. Vtatur syrupis astringẽtibus, vt granatorum, cydoniorum, de absynthio, de mentha. Auicẽna iubet vt manus in frigidam mergatur. Aëtius verò non tantùm manus, sed etiam pedes vult mergi in calidam, sanè vtrique sua ratio: Auicenna suadet frigidam ad vomitum reprimendum: vapor enim frigidæ communicatus stomacho illum constringit. Aëtius verò præfert calidam, quia calor trahit reuellitque. Proinde vrgentiori symptomati promptius frigida succurit: Calida verò confert causæ symptomatis reuellendæ: ad eundem vsum non tantùm vtilis est cucurbitula, sed etiam iuuat extremorum fortis & dolorosa ligatura.

E Panis tostus, aceto irroratus & subolfactus benefacit. Posca frigida vtiliter quoque os colluitur, aut pomum acidum mãditur, quibus remedijs solemus vti post assumptum catharticum ne reuomatur, datur etiam vtiliter cochlear meri. Conuenitne venę sectio vomentibus? confert sanè, si sit suspitio inflammationis, vt in hepatitide, nephritide, aut ventriculo inflammato. Narcotica conciliato somno compescunt vomitum: Omnem enim fluorem sistit somnus, excepto sudore. Cur nauigantes initio solent vomere? An insueta graueolẽtia aëris marini stomachus offenditur? An quia terreatur nouo & horrẽdo æquoris spectaculo? An propter fluctuationem, seu inæqualem maris agitationem?

DE VOMITV SANGVINIS. A

CAP. X.

SANGVINEM ſupra, id eſt per os ferri, qualiſcunque ſit, malum: infra autem bonum, ſi niger deijciatur, qualis per menſes aut hæmorrhoides. Mutilati tamen & qui conſuetam exercitationem intermiſerunt, vtiliter ſanguinem vomunt, quia iecur ſine conſilio ſanguificat, amputato mẽbro tanquam præſenti ſanguinem facit, qui cum non diſtribuatur, reſtitetq; in venis, cum primùm incipit eſſe grauis, & moleſtus naturæ, vomitu excluditur, idem accidit menſibus, aut hæmorrhoidibus ſuppreſſis.

Mulieri ſanguinem vomenti, ſi menſes ſuperueniant, ſanatio. Itaque incisa ſaphena vomitus ſanguinis reuellatur, aut ſi hæmorrhoïdes reſtiterint, prouocẽtur: Aſtringentia tam ſumpta quàm admota, qualia ad hæmorragiam & hæmoptoïdem dicta ſunt, præſcribantur: vt ſyrupi, & trochiſci adſtringentes, litus, emplaſtra, cataplaſmata reſtringentia. Conſiderabis autem num pars aliqua, vt iecur, aut lien ſanguinem ad ventriculum tranſmittat, quod conijcies primò ex tumore & dolore hypochondrij, 2. quod ex venis ventriculi cum ſint exiles paucus ſanguis effluit: ex iecore ruber, ex liene niger, vtrinque multus, tum è directo aperienda erit vena lienaris, aut iecoraria, quinetiam iecori, aut lieni admouenda erit cucurbitula, hypochondrium oxyrhodino liniendum, qui hoc ſymptoma ſæpius incurrunt, niſi mors anticipet hydropici moriuntur. B

DE CHOLERA MORBO. C

CAP. XI.

TRES ſunt affectus perpetacuti, ſine febre, qui etiam eadem die iugulant, Apoplexia, Tetanus, & Cholera morbus. Quibus idcircò citiſſimè conſulendum, cernitur in ſubitis caſibus ingenium: eſt autem cholera quædam humida, alia ſicca, eo ſenſu quo admonui ab Hippocrate morbos cerebri humidos, aut ſiccos, tuſſim humidam aut ſiccam appellari: humida fit ab humore, ſicca à flatu, aut à ſero mordaci, ſed ita impacto, vt excludi non poſſit. Imprimis purganda bilis morbifica expreſſo rhei, myrobolanis, quinetiam tabella vna electuarij de ſucco roſarum, aut diapruni ſolutiui ſemuncia, venter liniendus oleis roſarum & cydoniorum, aut applicandum emplaſtrum ex carne cydoniorum, & cetera peragenda quę ad ſiſtendum vomitum iam dictata ſunt. Aretæus & Meſue commendant potum frigidæ, iubentq; ſi fortè euomatur, vt continuò noua propinetur. At Rhaſis, Serapio & Hali malunt tepidam exhiberi. Illi præferunt frigidam ad contemperandum ardorem bilis, hi calidam ad ciendum vomitum, quia vomitus vomitum ſedat, vacuata materia vomitum prouocante ſeu excretricem irritante. At Eraſiſtratus, authore Chryſippo, aquæ præferebat crama ſiue vinum frigida dilutum, quod laudant Galen. & Trallianus vt remedium ſingulare, diluit bilem & roborat ſtomachum, confert ſyrupos de mentha & granatorum permiſcere, & ſæpè cochlear vnum exhibere: Vterque enim ſyrupus in hoc affectu eſt ſingularis. Poſſis permiſcere ſingulis vncijs ſyrupi, ℥j. pulueris diarhodon, vel ſandali cytrini vel ligni aloes: miſcenda enim ſemper aromatica, quandoquidem illis ventriculus valdè delectatur, potiſſimùm verò in hoc caſu: frigida iuuant ratione bilis. Conſulendum etiam iecori & lieni, ſi inde humor ad ventriculum confluere videatur, etiam admota illis cucurbitula vt in vomitu ſanguinis. Tandem præſcribantur narcotica, ſed parua doſi vt ʒß. philonij, vel ſemiſcrupulus pillularum de cynogloſſo, vel granum j. opij cum ſyrupo de mentha: Nam adueniens ſomnus immoderatè vomentibus, ſanitatem promittit, omnes quippe fluxiones ſiſtit excepto ſudore, quòd ſi ſedato vomitu humor peccans totus ſecedat per aluum, quò natura vergit eò ducere oportet, ſi modò per loca conuenientia. Atqui inferior via eſt tutior quàm ſuperior, itaque clyſteribus iſte motus adiuuandus eſt.

Ad

A Ad choleram ficcam quam vapores maligni committunt detur lac afinæ, Rhafis commendat balneum aquę dulcis, fi metus fit conuulfionis à ficcitate, paretur ex hydrælco, fit autem ex fex partibus aquæ & vna olei, cæterum hederæ folia cocta in vino & forma cataplafmatis admota fedant vomitum, quemadmodum trifolium fumptum & admotum.

DE SINGVLTV.

CAP. XII.

SINGVLTVS eft veluti conuulfio ventriculi: Se fe enim contrahit vt excludat noxium. Conuulfio autem quædam à repletione, altera ab inanitione, B ergo & fingultus: fit ab inanitione, quando fuccedit caufis inanientibus vt immodicæ diarrhœæ aut dyfenteriæ, hypercatharfi, inediæ longiori, vel ficcitati, vt febribus continuis & longis, ardore febrili tandem teficcato ventriculo. Hipp. etiam meminit febris fingultuofæ quam fcribit effe lethalem nifi fuperueniat fudores critici, æquales fomni, & vrinæ craffæ. Non accidit femper primario affectu ventriculi, fed per confenfum cerebri, iecoris, ilei, inde aphorifmus, fingultus ab ileo lethalis.

A cerebro etiam vulnerato fingultus fequitur, compatiente ftomacho per neruos fextæ coniugationis. Inflammato autem iecore præfertim parte caua accidit vehemens fingultus, fiue quòd aliquid fanici refudet in ventriculum, fiue quòd ventriculus tribus modis compatiatur iecori, propter viciniam, focietatem operis, & vaforum C cōmunionem: Habet enim ventriculus neruos communes cum tunicis hepatis. In malignis febribus accidit fingultus ventriculo compatiente cordi, aut eodem recipiente tetros vapores à toto, aliquando excitatur à caufa externa, vt affumpto veneno, pipere, allio, aut re quapiam mordaci. Cur fingultus à timore? An quia timor ad ventriculum mittit bilem? An quòd motu valde refrigefcit, frigus autem comprimendo retinet excrementa quæ vomitum & fingultum excitant? forte etiam per fe mordax frigus vellicando ftomachum parit fingultum.

Primarij fingultus hic remedia meditamur: Secundarius enim non fanefcet nifi ad caufam & partem mittentem refpicias. Tolle hepatitidem, venter non fingultiet, oppugna cardiacis cacoethiam febris peftilentis, ceffabit fingultus. Abeant caufæ externæ, vt frigus, difparebit effectus. Qui ab inanitione procedit folet effe lethalis, talis eft qui fuccedit longis febribus paulò ante quàm ægri moriantur, tamen qui fe-D quitur longam famem, anlepticis primùm liquidis, deinde folidis percuretur, qualia fæpè iam funt commemorata. Qui fit à repletione, curetur vomitu: nam fingultus ab Hipp. iudicatur malus quem vomitus non fedat: debet enim tollere caufam fingultus, inquit Gal. fi non ferant vomitorium, dentur clyfteres, aut blādum catharticum, vt catholici ℥vj. cum ℨij. puluèris hyeræ, vel pillularum de hyera ℨj. confert etiam fternutamentum: nam fingultienti ex repletione, fuperueniens fternutatio remedio eft: retentus quoque fpiritus diffipat flatus, arcta & dolorofa compreffio annularis digiti, trifte nuncium, aut rei infolitæ narratio. Quę remedia vulgaria Cryfimachus Medicus tradit Ariftophani apud Platon. in fympof. iuuat etiam facies frigida refperfa quia intropellit fpiritus. Acrimoniam humoris retundunt aquæ potus, quia tēperat bilis acrimoniam. Lac afinæ & capræ, necnon fyrupus violaceus & ne-E nupharinus, Anethum & anifum tam fumpta quàm admota creduntur conuenire proprietate, tamen manifeftè iuuant, nempè quod flatus difcutiunt, itaq; fingultientes vtantur fæpè anifo condito, tabellis aromatici rofati, vel fumant cochlear vnum aquæ vitæ cum tantillo cinamomi. Benefaciunt etiam theriaca, mythridatium, & confectio de baccis lauri, detur cuiufuis ℨj. cum hydromelite.

Imprimis conuenit caftoreum quod à Gal. magni fieri in omni conuulfione à repletione aliàs annotauimus. Confert etiam ruta. Liniatur venter oleo rutæ vel anethi cum pauco caftoreo. Prodeft etiam cucurbitula admota ventri, nec non dropax ad extremum, vt ad vomitum, fic ad fingultum detur narcoticum, vt humoris acrimonia obtundatur, & fomnus concilietur (parca dofi.) Vt pillula vna de cynogloffo.

DE RVCTV. CAP. XIII. A

Solus homo ructat, si credimus Aristoteli, quia ventriculo est humidiore, hinc flatus, qui dum sursum erumpunt, ructum efficiunt, cùm deorsum, crepitum: eadem ratione frequentiùs ructant quibus venter est humidior; qua causa Vegetius & Columella obseruarunt etiam boues eructare, tamen non omnes ructus sunt acidj, testes cruditatis. Quidam enim sunt putres & nidorulenti, qui oui corrupti saporem referunt, indices caloris aut putredinis: Itaque si quis acidum ructet, vtatur ijs quæ ad intemperiem frigidam & humidam præscripta sunt: Si nidorulentum, purgetur humor putris & contemperetur ardor. Ructus qui post aliquot horas saporem assumpti alimenti in os refert, magnam cruditatem denotat. B

MORBI MESENTERII. CAP. XIIII.

Non sine causa Sylvius vocabat mesenterium infinitorum morborum parentem, quorum causa ignoratur: obstruitur enim facilè cùm exiles habeat venas, quas crassior chylus non facilè permeat, itaque illius obstructio conijcitur ex deiectionibus chylosis, Beniuenius obseruauit obstructionem ab insigni callo.

Frequens sit vsus pillularum de hiera, aut imperetur syrupus solemnis ex radicibus aperientibus, capillaribus omnibus, qualia deinceps ad iecoris & lienis obstructionem præscribentur. C

Patitur etiam inflammationem, quam abcessus comitatur: sæpè vterque morbus latet medicum priusquam pus multum per aluum erumpat; à mesenterio enim procedere concludimus remotione aliarum partium, neque enim potuit in ventriculo, hepate, liene aut intestinis fieri abcessus sine præcedenti dolore & febre vehementi: at mesenterium est indolens, habet quidem vsum, nempe ἀνάδοσιν, distributionem chili, nullam functionem manifestam, ex cuius læsione pars affecta dignoscatur. Itaque obliquè tantùm, artificiali duntaxat coniectura concludimus abscessum fuisse in mesenterio, quoties deijcitur pus multum, nullo dolore, nulla vehementi febre præcedente. Sic fere Fernelius lib. 6. Patholog. Beniuenius tamen obseruauit abscessum in mesenterio cum insigni dolore. D

SECTIONIS TERTIÆ TRACTATVS SECVNDVS,

IN QVO EXPLICANTVR MORBI HEPATIS ET EORVM SYMPTOMATA. E

MORBI SIMILARES ET ORGANICI. CAP. I.

Hepar laborat omni intemperie, potissimùm calida & frigida: calidam sicca, frigidam humida comitari solet, de intemperie morbosa hic loquor, quæ eius actionem manifestè lædit: Nam signa intemperati iecoris quæ tradit Galenus in arte parua, sunt signa intemperiei quæ consistit intra limites sanitatis. Iecur calidius assat non elixat, chylum magna ex parte conuertit in bilem:

A bilem: Propterea morbis biliosis solent esse obnoxij quibus iecur est præcalidum. Si bilis restiterit in venis, excitat febres à bile, vt tertianam & causum. Si ad cutem protrudatur, illic efflorescent pustulæ, herpes, erysipelas, impetigo, quæ omnia vt sunt effectus, ita signa retorridi iecoris. Cætera signa ferè illi sunt communia cum ventriculo calidiore, vt vomitus & deiectio bilis, sitis, oris amaror, aluus pigra, fæces aridæ, præcessit potus multi meri, vsus piperatorum siue aromatum, allij, porri, cœpe, synapi. Frigidum verò iecur sanguinem facit magna ex parte pituitosum & serosum: est enim serum pituita tenuis: hinc morbis frigidis à pituita aut sero vexari solent quibus hepar est frigidum, vt quotidiana febre, cachexia, hydrope: iisque coniecturis tanquam τεκμηρίοις & necessariò concludentibus signis, iecur esse frigidum, concludamus: est catheciticus, totum corpus habet subtumidum, veluti œdematosum, ergo hepar habet frigidum, nisi cachexiæ sit causa euidens, vt si in B profundo carcere diu conclusus fuerit, aut in loco valdè humido pernoctarit; est hydrops: ergo habet hepar; si non per se, & essentia sua valdè frigidum, saltem aliunde, vt à scyrro lienis refrigeratum.

Intemperiei calidæ dignotio.

Frigidæ dignotio.

Imbecillitas hepatis.

Atonia seu imbecillitas iecoris videtur Auicennæ vt plurimum procedere ab intemperie frigida, non semper, quia vt ille ait, omnis intemperies morbosa inpotentiam parit seu alicuius facultatis imbecillitatem, vt attractricis, retentricis, alteratricis seu sanguificæ, aut excretricis, potissimùm tamen propter impotentiam alteratricis ex refrigeratione, hepar imbecillum dicitur, atque inde hepatici, quos Gal. C ex immutato faciei natiuo colore dignoscebat, vt ex facie subpalida & ex deiectionibus loturę carnium recens mactatarum similibus.

Obstructio.

Obstructum hepar indicat sensus ponderis in dextro hypochondrio sine manifesto tumore aut dolore, aucto malo decolor fit facies, quemadmodum sub atonia: illic impeditur ἀνάδοσις siue distributio sanguinis, hîc αἱμάτωσις. Quemadmodum verò si iecur non generet sanguinem laudabilem & floridum, non potest esse viuidus faciei color. Sic etiam si bonum generet, si tamen non distribuatur, perinde est ac si non generaretur, inde atrophia, cachexia, & pedum œdematosus tumor.

Obstructionem iecoris maximè omnium incurrunt qui vescuntur alimentis crassi succi & difficilis coctionis, vt bubula, suilla, leporina, leguminibus, caseo, D lacticinijs, pulticula, pane azymo, eoque magis si statim à pastu exerceantur, quia iecur chylum adhuc incoctum ad se trahit: cuius eùm sint exiles venæ, facilè obstruitur, vix vllus morbus tam frequens.

Distinguetur si pars conuexa seu gibba obstruatur an caua, quia obstructa gibba solet premere diaphragma, hinc difficilis respiratio: at obstructa parte caua ventriculo compatiente inappetentia, sitis: Fortassis difficultas respirandi accidit, non quia iecur premit septum, sed quia illud trahit deorsum suo pondere, quandoquidem illi alligatur.

Subest cauis iecoris cystis fellis, cuius obstructione varia symptomata contingunt: nam si meatus per quem fel excipit obturetur, inani vesicula, refluet ad venam cauam, & totam sanguinis massam inficiet, inde aurigo si fortè ad cutem E protrudatur: Si verò meatus per quem excernitur & in ἔκφυσιν, siue duodenum deponitur, vt instat clysteris acris excretricem stimulet obstruatur, vrinæ erunt veluti croco saturatæ; felle refluente ad vias vrinæ, deiectiones autem erunt albæ.

Præter similares & organicos sunt etiam morbi communes, inflammatio quæ ἡπατῖτις propriè dicitur, Abscessus, Scirrhus, Vlcus, de quibus transigemus, si priùs intemperiei & obstructionis remedia exposuerimus.

Intemperiei calidæ remedia.

Iecur calidius refrigerabis iusculis multo cichorio & acetosa alteratis, acetariis ex eodem cichorio, aqua decoctionis radicis cichorij aut eiusdem aqua stillatitia, syrupo de cichorio, tabellis triasantali, quæ si placet dissoluantur aquis endiuiæ &

cichorij fiat epithema pro iecore, Initio cassia aut catholicone corpus repurgandum est. Rhabarbarum est quidem vita hepatis, sed calidioris hepatis mors, quia calidum est & siccum ad tertium gradum: deinde secanda vena, nihil enim æquè refrigerat, ex cerati santalini ℥ij. poterit parari emplastrum ad formam lunæ crescentis, aut exolei rosacei ℥j. & cerati santalini semuncia linimentum. Ex succis cichorij, endiuiæ, scariolæ, coctis cum saccharo fiat syrupus quo vtatur cum aqua decoctionis passularum, vide ne quid nimis, ne ad intemperiem deteriorem frigidiorum vsu immodico deducatur. A

Frigidæ intemperiei remedia.

Frigidum calefacito vsu frequenti pillularum de hiera cum rheo, syrupo de absynthio, aut vino absynthite: Absynthium iecori frigido non minus prodest quàm ventriculo, purgetur hoc modo, ♃. agrimoniæ m. j. absynthij m. ß. passularum mundatarum & agarici trochiscati ana ʒiij. fiat decoctio pro dosi, in qua infunde rhei electi ʒiß. cum ℈i. cinamomi in expressione leui dissolue syrupi de cichorio simplicis ℥i. Si vis magis purgare, adde diaphœnici vel diapruni solutiui ʒii. pro qualitate humoris dominantis, in purgando non tantùm oportet respicere ad temperamentum partis, sed totius, quinetiam ad constitutionem anni. Hyeme enim pituita dominatur, æstate bilis. Parari etiam poterit opiata ex conseruæ cichorii & corticis citri conditi ana ℥i. nucis moscatæ conditæ, spicæ, costi ana ℈ii. cum syrupo de chicorio fiat opiata, Ex agrimonia, absynthio & passulis coctis in vino paretur decoctum pro fotu iecoris: Si placet foueatur aquis agrimoniæ aut absynthii, aut vino de absynthio, postis dissoluere pulueris spicæ vel calami aromatici ʒi. vt fiat epithema, aut ex oleo de absynthio & pauca spica, cum cera fiat linimentum. B C

Humidæ intemperiei curatio.

Albucasis vt iecur humidius desiccetur iubet illic applicari cauterium, quemadmodum & humidiori ventriculo.

Obstructio.

Quamuis pars gibba per vrinas, caua per aluum commodiùs repurgetur, tamen consilio Galeni si multa sit saburra, diureticis præmittenda purgatio, etiam obstructa gibba ne materiam ad hepar deducant diuretica, & obstructionem augeant. Itaque cassia cum rheo prima regio expurgetur, inde præscribatur sequens apozema ♃. quinque radicum aperientium in aceto maceratarum, radicum graminis & acetosæ ana ℥ß. cichorii, endiuiæ, scariolæ, hyssopi, marrubii capillarium omnium ana m. ß. 4. seminum frigidorum maiorum ana ʒii. florum cordialium ana p. i. foliorum sennæ mundatorum ℥iii. fiat decoctio addendo sub finem agarici nodulo inclusi ʒi. cum zinziberis, ℈i. In colaturæ ℔i. dissolue syrupi de cichorio compositi, cum rheo pro singulis dosibus ℥i. vel syrupi capilli veneris de bizantiis, de duabus, de quinque radicibus, oxymelitis diuretici tantundem, fiat apozema in quatuor doses: aromatizentur cinamomo aut spica nardi, quod si natura ægri, ætas & tempus sinant; si febris adsit, sitis, oris amaror, incidatur basilica dextra: postremò dentur trochisci de rheo, absynthio, dialaca, diacurcuma, quod est singulare remedium non tantum ad hepatis, sed etiam ad lienis & mesenterii obstructiones, confertque cachecticis & iam ad hydropisim paratis; pillularum de hiera aut elephanginarum sit frequens vsus, item ♃. terebinthinæ venetæ ʒiii. adde pulueris hieræ aut rhei puluerati ʒi. fiant parui boli qui inuoluantur obelis vino albo madidis, deutur ex cochleari cum syrupo capilli veneris. Quando febris erit coniuncta, memineris abstinendum esse valdè calfacientibus, aut ea refrigerantibus, vt cichorio, santalo citrino esse temperanda. Ad obstructiones contumaces quales fieri solent à pituita crassa & viscida, aut à bile vitellina, hanc confectionem plurimum commendat Auicenna, quæ poterit esse instar omnium; ♃. passularum mundatarum ℥iß. calami aromatici & bdellii ana ʒii. Cassiæ ligneæ & cinamomi ana ʒi. myrrhæ ʒß. terebinthinæ & ligni aloes ana ʒii. excipiantur saccharo cocto in vino albo, fiat confectio, de qua capiat quotidie mane ʒi. superbibendo parum vini albi si febris absit, alioquin aquæ cichorii: per interualla purgetur pillulis de hiera cum agarico. hoc D E

remedium

A remedium ceterarum partium obstructionibus proderit si inserantur quæ partem affectam respiciunt, vt cetrac pro liene, aut passulæ corinthiacæ: pro vtero, puluis arthemisiæ aut matricariæ: Pro renibus puluis seminis alkekengi. Topica sint epithema ex agrimonia, cichoraceis, absynthio, addendo spicæ ℈i. aut santali citrini tantundem, cum pauca cera, fiat limentum.

DE HEPATITIDE SEV INFLAMMATIONE iecoris. CAP. II.

SEQVVNTVR morbi communes: Inflammatio partis cauæ mentitur colicum dolorem, vt gibbæ pleuriticum: habet enim multa cum pleuritide communia, febrem continuam, Tussim, resudante sanie in capacitatem thoracis, difficultarem respirandi, compresso diaphragmate: dolorem lateris, ob tensionem membranarum quibus iecur alligatur diaphragmati: distinguntur tamen loco & specie doloris: nam dolor sentitur in hypochondrio dextro, ibique grauat, non pungit, secundò quòd in hepatitide tussis sit sicca, in pleuritide humida, nisi fuerit lethalis. Præterea nisi æger valdè obesus fuerit, si contactu premas hypochondrium, percipietur tumor rotundus ad regionem iecoris. Accedat quòd inflammata gibba, vrina pauca redditur, quia serum retinet & absorbet inflammatum iecur, eáque quantulacunque redditur est acris, propter incendium. *Hepatitis, hypochondrij dextri tumore & dolore dignoscitur.*

B

Distinguetur phlegmone partis cauæ à dolore colico, primò quòd hic raro coniunctam habeat febrem: secundò quòd perpetuò & vehementer singultiant quibus C iecur parte caua est inflammatum, partim ob resudantem saniem, partim ob sympatheiam ventriculi, per neruum: Vrgent inappetentia, sitis inexhausta, vomitus sinceræ bilis: tertiò quòd sub dolore colico aluus sit adstricta: diarrhœa verò solet consequi inflammationem partis cauæ, eaque vt plurimùm lethalis, quartò quòd clystere carminante dolor colicus demulceatur, qui intenditur inflammata iecoris parte caua.

Narrabo morbi vnius historiam vt sitis deinceps cauti alieno exemplo: Adolescens quidam dolore simili colico cruciatur, medici primæ notæ clysteribus, litu carminante, sumpto & dato mithridatio illum percurant, decimo die vocatus cùm iam pacatiora viderentur omnia, in iisdem remediis persisto, iam per cubiculum deambulātem relinquebam, cùm me discedentem clinica reuocat, reuersus inueni mortuum, os illi erat plenum pure, vnde facilè collegi præter meam & seniorum medi- D corum opinionem repentè fuisse ruptum abscessum, dissecto cadauere inueni circa caua iecoris incredibilem puris quantitatem tam putidi vt nemo assistentium fœtorem potuerit tolerare.

Similitudo sæpenumerò etiam peritioribus imponit: Redeo ad hepatitidem, clysteres iniiciantur frequētes, aperiatur basilica dextra non semel, etiam die septimo, si dolor perseueret vt in pleuritide, si menses aut hæmorthoides substiterint, incisa saphena prouocentur.

Minoratum hîc sufficit, vt cassia, manna, catholicum, vehementiora enim trahunt ad partem afflictam, certum est plerumque iuniores medicos, quia in principio non discernunt viscus aliquod phlegmone tentari, datis diagrediatis, aut diaprúno, ægros ad interitum præcipitare. Topica sint oxyrhodinum, aut litus ex oleo ro- E saceo cum pauco cerato santalino pro cera, fiat linimentum, aut epithema ex aquis endiuiæ, cichorii, acetosæ, rosarum cum pauco aceto, in quibus dissolue pulueris triumsatalorum ʒij. admoueatur tepidum ne frigore impediatur transpiratio, vt pateat liberior via cerato, aut linimento, prius fouendum hypochondrium. Si tot remediis non possit impediri generatio phlegmones, tentanda resolutio, si non possit resolui, iuuanda suppuratio.

ABSCESSVS IECORIS. CAP. III.

SI magnus sit abscessus moriendum est, fieri tamen potest vt pus per aluum, aut per vrinas secedat, tùm conatus ille naturæ adiuuandus clysteribus aut diureticis: alij tamen ita distingunt, si pus colligatur intra tunicam hepatis illius substantia nil patiente, ægrum vacuato pure euasurum.

Hippocrates in omnem euentum suadet applicari cauterium ad hypochôdrium, A actuale aut potentiale: quod si exeat pus landabile, benè sperat: Si verò amurcæ simile desperat, quia tale pus indicat carnem hepatis esse iam putrem & corruptam Si pus quod excernitur subsistat intra peritoneum & intestina, suadet vt supra inguen admoueatur cauterium, eóque audentius si tumor aliquis pus illic collectum esse demonstrat.

Cæterum abscessui rupto quod succedit vlcus est immedicabile, quemadmodum & quod humoris alicuius acrimonia excitatur, hoc primarium est, illud ἐπιγεγονός, succedit inflammationi suppuratæ, si quæ tamen spes sit in remediis, ea tota posita est in his quæ ad vlcus vêtriculi iam dictata sunt, potissimùm in vsu aquarum Spadensium aut Niuernensium, potionis vulnerariæ, lactis asinini.

DE SCIRRHO HEPATIS. B

CAP. IIII.

Scirrhus incipiẽs remollientibus curetur, permixtis tamen hepaticis ad robur partis, exempli loco: præmissa purgatione, detur ammoniaci ʒj. cum Mastiches gr. viij. per aliquot dies. Ammoniaci ʒij. dissoluantur in oleo de absynthio, vel spica, si malis diachylum cum gummis, vel diachylum ireatum, malaxentur cum prædictis oleis, addendo parum spicæ nardi vel absynthij ad robur, fiat cerotum, Scirrhus confirmatus non sanescit, facilè autem dignoscitur, nam iecur lapidis instar durum sentitur, neque dolet etiamsi digitis vehementer prematur: hunc scirrhum (nisi mors C anticipet) tandem hydrops immedicabilis comitatur.

SYMPTOMATA PRIMI GENERIS *quæ pertinent ad actionem hepatis læsam.*

CAP. V.

Hepar mesenterio veluti manu chylum trahit, tractum retinet, retentum sanguifica sua facultate in sanguinem conuertit, deinde per venam cauam quoquouersum transmittit ad nutritionem partium singularum: harum quatuor functionum præcipua est sanguifica, quando quidem cæteræ illi ministrant, quę etiamsi omni morbo lædatur, vt D plurimùm tamen intemperie frigida: nam ministerio caloris moderati fit sanguis à vi sanguifica, hęc actio frustrata arguit ἀτονίαν, imbecillitatem, ptopter quam hepatici seu iecorosi nominantur, Tum hepaticis iecur roborandum est, cuiusmodi sunt iecur lupi, passulę, Agrimonia, Santal, cichorij genus omne, spica, cochleę: Itaque hepar lupi siccetur, pulueris ʒj. detur hepaticis quotidie cum vino albo, febrientibus verò cum aqua cichorij, aut misceatur conseruis cichorij, vel rosarum. Poterit permisceri melli passulato, passulę coquantur in vino ad tabem, colaturæ permisce puluerem iecoris lupi, spicæ, & santali citrini. Sit vsus frequens tabellarum triasantali quadruplicato rheo, aut caro cochlearum mundatarum in aqua agrimoniæ, aut cichorij, teratur in mortario cum prædicto puluere, affundendo paulatim aliquot cyathos vini albi, colatura bibatur, aut ex cochleis, capone, perdice, hepate, non tantùm lupi, sed etiam capreoli cum aquis, aut decoctis. Agrimoniæ aut ci- E chorij destilletur aqua restauratiua, quæ etiam confert hecticis à iecore retorrido. Cæterùm, vt aluus chylosa denunciat obstructum mesenterium, aut iecoris attractionem languidam, ita loturæ carnium similis deiectio, significat sanguificam lædi, aut venam portam insigniter obstrui: Tandem putredine & vstione fæci similis redditur. Iste fluor impropriè hepaticus nuncupatur, index læsæ sanguificationis.

SYMPTO-

A *SYMPTOMATA SECVNDI GENERIS.*

CAP. VI.

HEPATIS ἀτονίαν ſequi ſolet καχεξία, cachexiam hydrops, qui videtur mihi ad ametriam in retento pertinere, vt diabete, ſiue hydrops ad matulam, ad ametriam in excreto: hydropicis initio vrinæ ſubſiſtunt, ſolentque ſanari ſuperueniente profluuio vrinæ, affulget magna ſpes ſanitatis quoties hidropici plus meiunt quàm bibunt: hinc thermæ Spadenſes & Niuernenſes cachecticis & hydropicis vtiliter imperantur, quia deſiccant ventrem vrinarum copia. Laconicum quoque & hydroticum valdè proſunt, quia ſudoris & vrinę communis
B materia, nempe ſerum. Cachecticis prodeſt venę ſectio, quando menſibus, aut hæmorrhoidibus ſuppreſſis natiuus calor videtur obrui copia ſanguinis in ſuo fonte: nam in eo caſu hydrops phlebotomiam requirit, authore Galeno, quę alioquin nocentiſſima eſt, quia iecur plus iuſto frigidum magis refrigetat. Cacochimia, præſertim pituitoſa, quę cachexiam facit, agarico, turbeto, diaphœnico, vel tabellis triaſandali quadruplicato rheo non ſemel repurgetur, victus ſit tenuis, deſiccans, proinde vtantur aſſis potiùs quàm elixis, vinum ſit pro ordinario potu non aqua: vinum abſynthites ſumatur quotidie manè ieiuno ventriculo, aliquando etiam theriacæ, aut mythridatij ʒi. proderunt cachecticis quæ iam præſcripta ſunt hepaticis.

C *DE HYDROPE.* CAP. VII.

SVPEREST, vt de hydrope copioſius diſſeramus, cuius tres ſunt differentię, λευκοφλεγματία, veluti œdema totius corporis, Aſcites: quando totum abdomen ad modum vtris tumet aquarum copia, & Tympanites, cùm flatu diſtenditur, & percuſſum ſonat inſtar tympani. Sub aſcite, quandò ęger in lecto ſe reuoluit auditur fluctuatio. Aretęus addit quartam ſpeciē, quam appellat ἀνασαρκά, quando carne veluti liquata mulra ſanies ſub cute colligitur: quę fuit etiam Tralliani ſententia authoritate Galeni firmata lib. 3. de ſympt. cauſis cap. 5. ſolet tamen ſub λευκοφλεγματία comprehendi. In qualibet ſpecie iecur laborat, ſi non per ſe primò ſaltem per conſenſum, vt cum ſcirrho lienis ſuccedit, aut immo-
D dico ſanguinis profluuio, longę diarrhœę. Succedit etiam continuis & longis febribus, quia calor natiuus extinguitur à febrili, mediocris ab exuperante: Dion refert Traianum Imperatorem ob hæmorrhoidas ſuppreſſas incidiſſe in hydropem, extincto calore natiuo, à copia craſſi & fœculenti ſanguinis, quo morbo tandem interiit. Vidi repentinam hydropiſim ex immodico potu frigidę, quæ nullis ceſſit remediis: Beniuenius aliquot hiſtorijs declarat ex valdè frigidis tam ſumptis quàm admotis, lethalem hydropem conſequutum. Quamuis Celſus ſcripſerit, non eſſe terribilem quæ nullo præcedente morbo cœpit.

Aſcites eſt peſſimus hydrops: ſecuriſſimus λευκοφλεγματία. Cur aſcites eſt funeſtior Tympanite? quia flatus fit ab imbecillo calore, ſerum à frigore, proinde flatus oſtendit aliquid adhuc ſupereſſe caloris, Serum eiuſdem extinctionem arguit. Quibuſ-
E dam placet Tympanitem fieri vitio primæ coctionis, Aſcitem ſecundæ, λευκοφλεγματίαν tertię.

Remedia omnia ad tria prima capita reducuntur, Diætam, chirurgiam, & pharmaciam: In diæta hoc præcipuum vt parciſſimè bibatur & corpus valdè exerceatur: Sola enim potus abſtinentia quoſdam conualuiſſe Celſus annotauit, aquis interim à calore natiuo conſumptis. Extat apud Beniuenium Hiſtoria hydropici, qui annua potus abſtinentia conualuit: hoc modo Iulius eques Rom. apud Plinium aquas intra peritonæum & inteſtina collectas diſcuſſit. Vrantur biſcocto: Ad chirurgiam pertinent veſicatorium, ſeto, cauterium, cucurbitula, παρακέντησις: Venæ ſectio quæ in anaſarca conuenit, cum plethora ſubeſt, & in aſcite quando manifeſtas cauſas habet ab hæmorrhoidibus aut menſtruis ſuppreſſis. Veſicatoriis vtimur in Aſcite & λευκοφλεγματίᾳ: Affigantur cruribus duo cauteria, vtrinque vnum, &

abdomini quatuor, ♃. fermenti ℥j. cantharidarum præparatarum ʒij. cum pauco aceto scyllitico fiat vesicatorium: Exortis vesicis superponantur folia brassicæ, betæ, sinantur fluere per viginti aut triginta dies, si cessent fluere, nouum vesicatorium non eidem loco, metu doloris, sed propè applicetur. Magna cucurbitula confert, in solo tympanite, admota ventri: cauteria verò tympaniti sunt inutilia, Asciti & leucophlegmatiæ conuenientissima: hac tamen cautione, ne iam crura intumuerint, quia talia vlcera nunquam sanescunt; succeditque vt plurimum gangræna, tùm ergo vesicatoriis potiùs quàm cauteriis detur aquis exitus. Scrotum tumidum iuuat scarificatu vel setone traiicere: παρακέντησις in solo ascite vtilis est, quæ tamen, vt plurimum lethalis, frustrà tentatur quoties hydrops succedit scyrrho aut ardentibus febribus, aut iam fractis viribus: Auicenna vult vt hydrops absoluta paracenthesi exerceri possit, & inædiam tolerare, vt sit mediæ ætatis, neque puer, neque senex, corpore nondum emaciato, neque permittit hoc remedium tentari nisi aliis frustra vsurpatis. Quòd si tantus videatur in abdomine tumor, vt pharmacia tolli non possit, quàm citò dum adhuc vires constant abdomen perforandum est facto prognostico, est enim remedium plenum periculi, perforetur autem abdomen tribus digitis infra vmbilicum versus latera, & sensim aquæ educantur. Asclepiades quatuor digitis supra talum vel supra maleolum interiorem, incisiones profundas fieri iubebat. At Leonidas mallebat incidi scrotum, fœmora & locos supra manuum iuncturas, quod Hippocrates laudat, eaque vulnera sale iubet perfricari, ne coalescant: me iudice in ascite sequendum Asclepiadis consilium, in Anasarca Hippocratis & Leonidæ. Albucasis iubet quatuor cauteria superficiaria applicari imò ventri in circuitu vmbilici, totidem supra iecur, totidem supra lienem, totidem supra dorsum. Paulus contentus est quinque, duo enim applicat infra vmbilicum, vnum supra iecur, vnum supra lienem, vnum supra dorsum.

Pergamus ad pharmaciam quæ quatuor primis capitibus à nobis concluditur: hydragogis, hydroticis, diureticis, & topicis, Auicennas addit vomitoria, reuellit enim & vacuat aquas, prouocato vomitu.

Hydragoga leuiora sunt seminis ebuli puluerati ʒij. ex vino albo, aut ℥ß. succi ireos nostratis temperati ℥ij. syrupi rosarum pall. diluantur decocto hepatico, cichorij, Agrimon. Passularum: Aqua ex mediano cortice & ex floribus Sambuci destillata. Aut ℥j. ß. succi radicis eiusdem sambuci, detur cum hydromelite, vel laureola per totum diem maceretur in aceto forti, deinde siccetur, puluis detur pondere ʒj. cum aqua hepatica, aut cum aliqua conserua ♃. pulueris laureolæ macerate in aceto & diacartami ana ℥ß. rhei electi & spicæ nardi ana ℈iiij. excipiantur syrupo rosarum pallid. fiat confectio de qua capiat bis in hebdomade ʒij. ex cochleari cum prædicto syrupo: augeri poterit secunda dosis si prima non satis mouerit. Veteres vtebantur pillulis de chamelea & de Thimela: hodie in vsu est frequenti, elaterium: est succus cucumeris agrestis. ♃. elaterij ℈ß. pillularum de hyera aut elephanginarum ℈j. cum syrupo rosarum pallidarum, fiant pillulæ duæ, dentur bis in hebdomade per mensem integrum. Quod sequitur secretum Gordonij potest esse instar omnium.

♃. succi cucumeris asinini, succi laureolæ, succi Ireos flore purpureo, succorum agrimoniæ & absynthij ana ℥j. Rhabarbari & agarici ana ℥ß. spicæ nardi, seminum endiuiæ scariolæ, mastich. laccæ, tragacanthi, salis gemmæ ana ℈. excipiantur omnia melle rosato, & reponantur in vase quod exponatur soli, hac confectione veluti conserua vtatur hydropicus quotidie mane: dosis ʒi. Quidam vtuntur antimonio, Extremis enim morbis extrema remedia, ♃. antimonij & spicæ nardi ana gr. vi. misce cum pauco cydoniato, vel pauca conserua rosarum, susque deque purgabit.

Diuretica sunt syrupus de duabus, de quinque radicibus, de bizantiis, cum decocto cicerum rubrorum immisceri poterit ℈i. pulueris cicadarum grillorum, aut lumbricorum, quinetiam aliquot grana cantharidarum. Serapio eas vrit vt minùs lædant & magis exsiccent: Quando vrina non tantùm hydropicis, sed aliis quibuslibet omnino supprimitur dabis cantharidem vnam integram cum ℈i. spicæ, miscebis cum aliqua conserua cardiaca aut cum syrupo capilli veneris: deinde iuris pulli pinguis exhibebis ℔. ß. aut lactis cyathum i. vtrumque enim impedit ne vesica offendatur

A offendatur à cantharidibus. Galenus & Auicenna dant quotidie cyathum vnum lotij ad mouendas vrinas. Aquæ Spadenses, & Puguenses huic intestino valdè conueniunt.

Vrhydragoga & diuretica prosunt asciti: sic hydrotica leucophlegmatiæ: Serum enim quod sub cute concluditur, vacuant per sudores: Itaqua sudet in Laconico ℞. rasuræ ligni sancti ℥vj. infunde & bulliant lento igne in sex libris aquæ ad consumptionem tertiæ partis, de colatura capiat quotidie ℔. ß. deinde tectus sudet, poterit vti secundo decocto pro ordinario potu. Danda est opera vt ex cælo pluuio fiat serenum, ad quem scopum vt collinearent, Medicos hortabatur Heraclitus hydropicus.

In Topicis primas tenet vnguentum de arthanita maius, quo si liniatur hypogastrium, subducet aluum & aquas educet, Galenus, Aetius, Dioscorides commen-
B dant cataplasma ex cochleis integris: cum suis testis teruntur, deinde forma cataplasmatis ventri applicantur, sinantur donec per se cadant: Aquas exugunt, sed non ante remoueantur quàm omnis sit exhaustus humor, authore Dioscoride: emplastrum de baccis lauri potissimùm valet ad tympanitem, vulgare est cataplasma ex fimo bubulo, caprillo, columbino, friguntur in sartagine, adde si placet sulfuris quartam partem, vt potentiùs deficces & aquas resoluas. Non est prætereundum quod medici primæ notæ in commentarios retulerunt, Coluber fluuiatilis fune suspenditur è cauda, supposito vase aqua pleno, ante tres dies eructabit in aquam lapillum qui totam aquam absorbebit, qui quidem appensus collo hydropico tum ita vt ventrem attingat, totam aquam exhauriet.

C

SYMPTOMATA TERTII GENERIS.

Cap. VIII.

AVRIGO est affectus simplex, seu qualitas præter naturam immutata: cutis genuinus color mutatus in flauum, quam Celsus vocat fellis suffusionem, quia cutem perfundit felle, cuius variæ sunt causæ, obstructio iecoris, aut cystis: refluit enim fel in massam, atque inde ad cutem ablegatur, si non attrahatur à sua cysti: Aliquando accidit obstructo meatu cholidoco, tum fæces redduntur albæ, neuticam felle tinctæ: Intemperies calida hepatis: hepar enim prætorridum multam bilem generat, quia assat, non eli-
D xat, quæ cum sit aliis humoribus improportionata, reliquum est, vt ad emissarium commune protrudatur: Augent calorem hepatis & materiam generandæ bilis illi suggerunt, alimenta valdè calida, vt piperata, synapi, allium, merum generosum. His duabus causis non est difficile mederi, verùm si succedat schirrho iecoris, aut eiusdem inflammationi, est insanabilis. Aliquando obstructio est tam contumax, vt manente causa non possit tolli effectus; exempli gratia, si cystis fellis à concretis illic lapillis obstrueretur. A veneno quoque, vt à morsu viperæ, aurigo excitatur, contaminata massa vt in fel conuersa. Cui resistendum est proprio alexipharmaco, vt theriaca tam sumpta quàm admota, idem enim de vipera quod de scorpio dici potest, ictus à vipera ab eadem petat remedium: fingamus ab obstructione natam auriginem, imperabis purgationem & venæ sectionem, deinde apozema purgans ex decocto apetiente & detergente, balneum detergens, deinde particulatia iam
E dictata: quotidie ʒj. cornu cerui vtiliter datur ex vino albo aqua cichorii diluto. Si intẽperies calida auriginem fecerit, sumptis & admotis iecur refrigerabis. De schirrho & inflammatioue, idem esto iudicium, sed tamen non tantùm difficultas, sed etiam impossibilitas prædicenda. Cæterùm est quædam aurigo critica, qualis succedit febri biliosæ die 7. præcedentibus signis coctionis: sanitatem enim promittit nisi hypochondrium fuerit durum, quia hoc signo, visceris phlegmone indicatur. Celsus non iudicat criticam nisi perfectè febrem tollat: Quæritur si ante diem 7. possit esse critica, Hippocrates negat, Auentois tamen notat salutariter nonnumquam aduenisse die 5. in regionibus calidioribus, quod nos ita esse non semel obseruauimus. Itaque quidam ita distinguunt, febres biliosæ sine iecoris vitio, etiam 5. die terminari possunt fœliciter aurigine supetueniente, quia bilis mordax stimulat

excretricem, poteſt coqui intra diem quartum, in naturis aut regionibus calidioribus. At cum vitio iecoris non niſi die 7.
Huc quidam referunt fœdos virginum colores, malim tamen ad icterum ni- A
grum referri, quia vt plurimùm accidunt vitio lienis.

DE MORBIS LIENIS.

CAP. IX.

DE ſola intemperie rara eſt querimonia, niſi fortè tumorem lienis mol-
lem ſeu œdematoſum, & intemperiem frigidam humidam cum mate-
ria confundas, quod vitium frequenter incurrunt qui degunt in locis
palluſtribus, & abſtemij viuunt: nam vt meto torretur iecur: ita lien B
putret frigidæ potu immodico: præſertim ſi aquæ ſint paluſtres, craſ-
ſæ, turbidæ. Hippoctates videtur hoc genus morbi lienem, aut lienes appellaſſe,
quia lien inſigni tumore ſe prodit, eoſque lienoſos propterea non abſurdè dixeris,
quanquam Galenus lib. 9. κατὰ τόπους ita propriè dici velit quibus lien induruit: quæ
fuit etiam Celſi ſententia: Humiditate illa excrementitia aliquando ita relaxan-
tur ligamenta, vt lien in hypogaſtrium procidat, illúdque in inſignem tumo-
rem attollat, cui alludens leno apud Plautum, in Curculione, liene, inquit, veluti
zona cinctus ambulo. Galenus comparabat fiſcum lieni, quia vt aucto fiſco minui-
tur ærarium, ita aucto liene macreſcit totum corpus, viuidus color in plumbeum
mutatur, adiunctam habet difficultatem reſpirandi, quia tumidus lien premit dia-
phragma, à quo tunicam vnam accipit. Magnitudo lienis non tantùm diffici-
lem reddit ſpiritum, ſed etiam currendi affert impotentiam: hoc indicio veteres, C
authore Plinio, vrebant lienem vt melius currerent. Cur ridere facit? An quia de-
purat ſanguinem & ſua fæce repurgat? Purus autem & lucidus ſanguis exhilarat ani-
mum. Cur coryſæ obnoxij raro tentantut morbis lienis, vt eſt 6. Epid. An quia co-
ryſá minuit materiam, qua lien intumeſcit? An quia coryſa depurat ſanginem, tu-
met autem lien impuro & pituitoſo ſanguine? An quia obnoxij coryſæ humores
habent tenues, Tumet autem lien ab humore craſſo, fœculento.

Verum pergamus ad remedia. Ea autem ſunt diætetica, pharmaceutica chirur-
gica, topica: ratio victus ea eſſe debet, vt vinum diluatur aqua chalybeata; eam enim
habere vim minuendi lienem Celſus hoc demonſtrat argumento, quòd canes fa-
brorum ferrariorum nullum aut perexiguum habeant lienem: Dilui etiam poteſt
aqua decoctionis cetrac. eſt enim Dioſcoridis aſplenium, cui ineſt vis minuendi lie- D
nem. Vaſa omnia parentur ex tamariſco, vt dolium in quo vinum reponitur, ſcya-
tus in quo bibitur, nam porci qui alimentum ſumunt in vaſis ex tamariſco paratis,
carent liene.

Pharmaceutica ſunt clyſteres frequentes, trahunt enim manifeſtè de liene: pa-
retur decoctum ex biſmalua, violaria, ſcolopendrio, bugloſſo, borag. folijs ſenuæ:
in colatura diſſolue catholici ℥j. aut confectionis hamech ℥ß. aut pillularum Inda-
rum ʒij. cathartici ſit hæc formula. ℞. radicis capparis & tamariſci ana ʒij. ſcolo-
pendrij cetrac & fumariæ ana m. ß. Seminum aniſi & fœniculi ana ʒi. florum geni-
ſtæ p. i. foliorum ſennæ mundatorum ʒ vi. fiat decoctio, in colatura pro doſi diſ-
ſolue ſyrupi de epithimo aut ſyrupi regis Sabot ℥i. fiat potio. Si velis magis purgare
adde confectionis, hamech ʒii. aut catholici ℥ß. Proderit in prædicto decocto cha- E
lybem aliquoties extinguere, poteris etiam præſcribere pillulas de fumaria, vel pil-
lulas Indas quę conſtant elleboro.

Chirurgica ſunt veſicatorium vel potiùs cauterium ſupra lienem: Hippocrates
vrebat cum fungis ardentibus. Legendus Paulus Ægineta libri ſexti cap. 48. nos lo-
co ignis vtimur cauterio frigido ſeu potentiali. Parabuntur globuli ex elleboro vt
attrahatur humor melancholicus. ℞. ellebori ʒi. excipiatur ceræ nouæ ℥i. fiant glo-
buli pro cauterio. Quidam traiiciunt cutem hypochondrij ſetone. Admoui interio-
ri tibiæ ſiniſtræ cauterium fœlici admodum ſucceſſu: humor ſuo pondere eò vergit,
propterea ſi varices melancholicis adueniant ſanatio. Conferunt eadem cauſa ſa-
phæna inciſa, aut hæmorrhoidas ante prouocare, vt ſuppoſitorio cum hiera.

Topica

A Topica sint: emplastrum de meliloto ad resoluendum, ℞. emplastri de meliloto ℥ij. pulueris cetrac & tamarisci ana. ʒij. cum oleo de capparibus, fiat ceratum, quod extendatur super aluta & applicetur ad regionem lienis, vel ℞. corticis radicis capparis & tamarisci ana ℥ß. cetrac, scolopendrij, cuscutę ana manipulum vnum, seminum anisi & fœniculi ana ʒii. fiat decoctio in oxycrato: Nam vt lien nutritur acido, Ita delectatur acidis, vt aceto: ex hoc decocto primùm foueatur cum spongia aut philtro. Deinde residentia reratur, coletur, adde colaturæ farinę erui, & lupinorum, vel cicerum rubrorum ana ℥ij. fiat cataplasma resoluens & desiccans.

AD OBSTRVCTIONEM LIENIS.

Cap. X.

B NVllvs morbus in liene tam frequens quàm obstructio, splenitides enim sunt exiles, sanguis autem quo nutritur lien crassus, fœculentus. Qui vescuntur alimentis crassi succi, vt bubula, fungis, hunc morbum frequentius incurrunt: non aliter dignoscetur quàm obstructio iecoris, nempè sensu ponderis in hypochondrio sinistro, sine manifesto tumore: Remedia deoppilantia sunto, quibus insit vis detergendi & aperiendi, farciatur pullus capparibus & passulis corinthiacis: nam lieni tam benè faciunt, quàm damascenæ iecori, sorbeat iusculum ieiunus, vtatur capparibus pro acetario, aut eo, quod ex floribus genistæ parari solet: Venæ sectio in hoc affectu non est omittenda: purgatio autem eadem sit cum superiore, vt ℞. syrupi de epithimo & catholici ana
C ℥ß. dissolue in decocto radicis capparis & tamarisci in quo ℥ß. foliorum sennæ bullierit. Generalibus præmissis detur quotidie ʒj. trochiscorum de capparibus, aut de scolopendrio, quorum inopia ℞. corticis radicis capparis ℥ß. radicis tamarisci ʒij. fiat puluis, cuius accipe ʒi. pro dosi cum oxymelitis, vel syrupi acetati ℥j. dissolue in aqua decoctionis cetrac, quo sumpto æger decumbat in latus sinistrum, qui decubitus debet esse communis omnibus potionibus quæ spleniticis imperantur. Ammoniacum sumptum & admotum confert soluendis obstructionibus lienis, dentur ℈ij. pro dosi cum oxymelite aquoso, in quo cortex radicis capparis & tamarisci bullierit: Memineris obstructionem lienis esse longam & contumacem, vt hoc prognostico excuseris.

D INFLAMMATIO LIENIS.

Cap. XI.

INflammatio lienis est rarior quidam affectus. Raro enim calidis, sæpè frigidis morbis lien tentatur; sed plenus est periculi: dignoscetur hypochondrij sinistri tumore & duritie, quia fit à sanguine crasso: dolore ob tensionem, & febre continua ob viciniam cordis: Vt impediatur generatio phlegmones incidenda non semel lienaris, quinetiam fractis viribus, saluatella, est vena quæ annularem & minimum digitum intercurrit. Clysteres frequentes, purgatio ex catholicone, topica initio quæ repellant, vt oxyrhodinum, deinde quæ resoluant. solet degenerare in scirrhum lethalem, nisi mors anticipet.

E INFLATIO LIENIS. Cap. XII.

INflatio est morbus familiaris lieni: melancholici enim flatulenti, lien distentus multo flatu, diuellitur, inde cruciatus, qui leuantur ructu aut crepitu, dignoscetur sensu leuitatis, cùm cæteris morbis sit coniunctus sensus ponderis. Præterea tumor est fugax si digitis prematur. Succurrendum est huic dolori foru ex decocto radicis capparis, seminis agni casti, rutæ, baccarum lauri: statim à fotu liniatur oleis, rutæ, lauri, anethi, de capparibus. Cucurbitula admouenda ad regionem lienis, emplastrum quoque de baccis lauri benefacit, necnon confectio ipsa de baccis lauri sumpta aut iniecta per clysterem: sumatur ʒj. cum hydromelite.

DE SCIRRHO LIENIS. A

CAP. XIII.

CONFIRMATVS scirrhus in liene, lapidosa duritie dignoscetur, tùm quòd vehementer pressus digito non sentit, addit Ægineta os tùm grauè olere, gingiuas putrere, vlcera in cruribus excitari quæ nunquam coalescunt: sequetur hydrops nisi mors illum anteuertat: Incipit verò schirrhus cum tumor quidem durus est, verùm non fine sensu, tum curetur primum purgatione ex catholici ʒx. & venæ sectione, quæ nocet confirmato, quia accelerat hydropisim, vtantur ammoniaco, cum spleniticis permixto, ℞. ammoniaci dissoluti in aceto scillitico ʒvj. Radicis cappar. & tamarisci ana ℈iiij. lienis equi aut asini ʒj. fiat parua massa, de qua capiat quotidie ʒj. Galenus 14. methodi, cap. 5. scribit solum Ammoniacum dissolutum in aceto, & admotum, lienes induratos persanare ℞. Ammoniaci in aceto scyllitico dissoluti ℥ij. extendantur super aluta, & applicentur hypochondrio sinistro, aut ℞. diachili cum gummis, emplastri de meliloto, cerati œsipati ana ℥ß. misce cum oleo de capparibus, fiat cetotum. B

SYMPTOMATA LIENIS.

CAP. XIIII.

VT cystis felle sic lien limo ex officio sanguinem debet repurgare, attracto ipse fruitur, reliquum velut onus partim ad ventriculum amandat, partim in intestina deponit: Si nô attrahatur, lienis imbecillitate aut obstructis viis, refluit in venam cauam, inde febres melancholicæ: Si portionem aliquam ad partem quamuis transmittat, illic morbus orietur melancholicus, vt scyrrhus, cancer, strumæ, psora, lepta, quinetiam in toto corpore elephantiasis: Quod si ad cutem veluti ad emunctorium commune effundatur, efflorescet icterus niger. Si verò excretricis impotentia, aut aliis meatibus impeditis in liene ipso restitet, hinc ipsiusmet lienis morbi commemorati: In tumorem insignem attollitur, obstruitur, scirrhescit, inflatur, inflammatur. C

Imbecillum lienem, siue non trahat, siue non excernat, robotabis spleniticis, cuiusmodi sunt splenes asini, equi, lupi, leporis, vulpis, quemadmodum enim hepar lupi hepaticos, pulmo vulpis pulmonarios. Ita prædicti lienes spleniticos proprietate adiuuant. Arculanus commendat imprimis puluerem vespertilionis assati, aliquoties maceratur in aceto, siccatur in furno, puluis datur ex cochleari cum suo aceto. D

ICTERVS NIGER. CAP. XV.

ICTERVS niger, vt flauus, si succedat scyrrho lienis, aut inflammationi, non sanescet: si obstructioni, tardè & difficillimè: remediis itaque obstructo lieni, præscriptis, iisque potentioribus tractetur, aut iis quæ sequuntur pro virginum fœdo colore.

Aliquando iecoris, sed vt plurimum lienis obstructionem insignem sequitur, nisi ab vtero procedat, vt cum menses sunt suppressi neque legitimo tempore exeunt. In vsu familiari est limatura chalibis præparata, immiscemus splenica quando causa subest in liene, hepatica quando in hepate: alioquin quæ mouent menses, adiungimus & ea quæ defendunt ventriculum à chalibis iniuria, vt mastichem, absynthium. E

Ad fœdos virginum colores.

Exempli gratia pro liene. ℞. Limaturæ chalybis præparatæ, idest, aliquoties maceratæ in acerrimo aceto, deinde exsiccatæ, ℥j. Radicis cappar. & tamarisci ana ʒii. absynthii ℈ii. fiat puluis, cuius dosis à ʒi. ad ʒii. detur cum vino albo diluto aqua decoctionis tamarisci, aut capparis, aut cetrach, vel misceatur alicui conseruæ, fiat bolus.

Pro hepate ℞. eiusdem limaturæ ℥j. diacurcumæ ℥ij. cum syrupo de mentha, fiat confectio, de qua capiat quotidie ℈iiij. si placet limaturę calibis ℔. j.

A maceretur in ℔. xij. vini vel oxycrati addendo supradicta prout vsus postulabit. Vas per 20. dies insoletur, aut si non liceat per tempus superponatur furno, interim subagitetur sæpè, vt exquisitè misceantur, dentur huius vini colati duæ aut tres ℥. ascendendo paulatim ad ℔. ß.

Annotatione dignum est quod Diascorides de rubigine ferri in commentarios retulit, prodesse quidem obstructionibus, sed mulieres reddere steriles. Quod ego obseruaui falsum: noui enim quæ numerosam prolem susceperunt quamuis perdiu sint vsæ isto puluere.

AFFECTVS RENVM.

CAP. XVI.

B RENES exercet omne genus morbi, intemperies calida frigida, sicca: Obstructio à muco, grumo, arenulis, calculo: Phlegmone, ab ictu, casu. Aliquando sequitur intemperiem calidam, quia immodicus calor per emulgentes trahit copiosiorē sanguinem: Phlegmonē sequitur abscessus, Abscessum vlcus, quod aliquando attritis à calculo renibus excitatur, aliquando humoris acrimonia. Intemperies renum ferè sequitur intemperiem hepatis, qui habent hepar retorridum, solent habere renes calidiores, hinc sitis, quia emulgetur serum, mictus frequens, propter acrimoniam lotii, à qua vesica pungitur, excretrix stimulatur cum primùm vrina in vesicam descendit. Hippocrates meminit tabis renalis quæ sequitur intemperiem siccam, aut C vlcus.

Calidiores Renes si inueniant materiam idoneam nempè pituitam multam & viscidam, habeantque meatus angustos, effiiciunt primùm arenulas, ex quibus pituita inuiscatis, tandem fit calculus, vt enim ardor solis ex materia terrestri arenam producit, sic ardor renum ex cruditate per resiccationem: partes tenuiores resoluuntur, crassiores formantur in arenulas. Pariunt etiam exonirogmum, nocturnam pollutionem, ab acri semine: Itaque in eorum ardore temperando diligenter laborandum est. Temperabitur cassiæ vsu frequenti, abstinentia vini, iusculis refrigerantibus, emulsionibus, lacte asinæ, syrupo violato, nenupharino cum ptisana, balneo, aut semicupio: litu ex cerato Galeni refrigerante, oxyrhodino, oleo nenupharino cum pauca caphura, tenui lamina plumbi perforata & admota lumbis, clysteres etiam dentur frequentes qui refrigerent, decoctum paretur D ex bismalua, violaria, lactuca, in quo dissolue looch de cassia, mellis violati ana ℥i. olei violati. *Intēperies calida.*

OBSTRVCTIO RENVM.

CAP. XVII.

OBSTRVCTIO præmissis generalibus soluetur diureticis, quorum alia sunt calida, vt quinque radices aperientes, decoctum cicerum rubrorum & nigrorum, syrupus capilli veneris, de bisantiis, de duabus, de quinque radicibus, & qui à Fernelio describitur syrupus de raphano, Alia frigida, vt quatuor semina frigida maiora, semen alkekengi, radix E graminis & acetosæ: frigidis vtendū est cum morbus est calidus. Proprerea Valescus admonet, ad calculum nil esse præstantius vino alkekengi, aut aqua ex iis, destillata, vtendum vino hyeme, æstate aqua. Paratur vinum tempore vindemiarum hoc modò. Racemi & fructus alkekengi miscentur æquis partibus, deinde teruntur, fit mustum, quo vtendum cum deferbuerit. Ratio Valesci hæc est, quòd diuretica calida, quibus vti solemus ad calculum, augent renum intemperiem calidam procreatricem calculi, eumq; resolutis partibus tenuioribus indurant. Proinde est bonum præsens, damnnm emergens. At diuretica frigida non tantùm succurrunt præsenti malo, sed etiam expugnant efficientem, impediúntque arenulatum & calculi nouam regenerationem. Agè verò in hoc amplissimo campo liberè exspatiemur, exponamus primum calculi prophylactica, deinde therapeutica: postremò remedia non tantùm morbi, aut causæ morbi, sed vrgentissimi paroxismi.

CALCVLI RENALIS PROPHYLACTICA. A

Cap. XVIII.

VT sibi ex arte caueat qui obnoxius est calculo, siue dispositionem habeat, à parentibus contractam, siue calidam renum intemperiem, vnde subsident in matula multæ arenulæ rubræ, definiendæ sunt causæ, vt singulis suum remedium opponatur, materia calculi est pituita crassa viscida quæ arenulas inuiscat, cuius mater, cruditas, cruditatis repletio, efficiens immodicus calor renum, arenularum rubrarum parens: adiuuat angustia viarum.

Fugienda ergo imprimis repletio, & sobriè viuendum est: fugienda quæcunque B crassum & obstruentem succum generant, lacticinia, panes azimi, zithum: aliquando prouocandus erit vomitus, vt ventriculus pituita liberetur, vel sumendæ pillulæ ante cibum, vt illa vacuetur per aluum & stomachus roboretur. Sit frequens vsus auellanarum: vitanda verò quæcunque iecur & renes valdè calfaciunt: vt piperata, vinum crassum, vtendum tenui, eóque diluto. Aqua graminis est singularis, saltem illa vinum diluatur, non est dormiendum in lectulo molli, neque luculento foco dorsum exponendum, thorax iuxta lumbos aperiatur, vt refrigerentur renes. Acetaria parentur ex crista marina, vescendum alimentis boni succi & facilis coctionis, vt vitulina, pullis, perdicibus, columbis, alaudis, caudæ tremulæ sit frequens vsus: Nam proprietate calculosis conuenire medicinæ proceres annotarunt, fortassis est passerculus troglodites, de quo Græci tam multa promittunt. In decursu lunæ vtile C erit sumere cassiæ ʒ x. cum syrupo violato, aut de althæa, capilli veneris, de limonibus, deinde per aliquot dies sumendum iusculum ex Althea cum radice & semine, saxifraga, radicibus aperientibus, vt petroselini, fœniculi, ciceribus rubris vel nigris, in quo dissolue butyri recentis quar. ß. loco terebinthinę, ne sit ingrata, aut illius olei medium cochlear. Terebinthina per se vtiliter datur calculosis, ℞. Terebinthinæ Venetæ ad summum ℥ ß. lauetur in aqua saxifraga, vt ononidis, argentinæ, alkekengi, parietariæ, fiant parui boli, qui inuoluantur obelliis vino albo madidis, dentur ex cochleari cum aliquo ex prædictis syrupis. Vinum alkekengi est singulare prophylacticum, aut fructus cum sacharo conditus. Aëtius laudat lacasinæ, quia calorem renum contemperat & suo sero detergit, arenulásque deturbat, interdum vti poterit syrupo de althea cum aqua saxifragę. ℞. prędicti syrupi ℥ij. dissolue in aquę parietariæ & ononidis ana ℥iij. fiat iulep in duas doses. D

THERAPEVTICA, QVÆ PRÆSENTEM calculum deturbant & minuunt. Cap. XIX.

CALCVLI præsentis hæc sunt signa apud Hippoc. libro sexto Epidem. In renem dolor grauis, potissimùm cùm cibo repleti sunt, quia tùm premuntur renes, aluo clystere subducta dolor cessat, vacuata materia qua premebantur. Dicet aliquis, aliquando est dolor peracutus; respondeo id fieri per accidens, quia dum lapis affectat exitum, premit caput oureteris, sensus exquisiti, alioquin renum obtusus est sensus, proinde dolor E grauans.

Præterea crus quod est è directo, stupet, & testes retrahuntur, ob consensum quem habent crura & testes cum renibus per venas & arterias quæ dorso incumbunt, vide ne moueas camarinam & irrites crabrones, hærentem sine dolore lapidem in renis cauitate dum saxifragis conaris deturbare, ne cruciatus nephriticos temerè inducas: multi enim indolenter cum calculo renali vitam exegerunt, hoc tamen inito consilio, cum tibi fuerit hic scopus curationis, initio præscribes benedictæ laxatiuæ ad summum ℥ß. pulueris harmodactylorum ʒi. fiat bolus, postea dentur saxifraga, in quo censu habentur ossis mespilorum ʒi. ex vino albo, aut nuclei cerasorum, vel gummi pini tantundem, Corticis radicis lauri ʒii. Galenus dabat cum vino. Radix quoque damazonij (est plantago aquatica) Galeni experimentis

A mentis est insignis: hydromel in quo radix eryngij bullierit, valdè laudatur ab Aëtio, sanguis hirci, capræ, leporis, epotus tepidè. Sanguinis hirci præparati dosis est à ʒj. ad ʒij. si detur per se, sumatur autē cum vino albo diluto aliqua aqua saxifraga, vt ononidis. Serapio ex Philagrij experimētis, affirmat hirci sanguinem etiā illitum lapidem frangere non tantùm in renibus, sed & in vesica: de sanguine vulpis idem Mathiolus pollicetur, liniātur lumbi in calculo renali, in vesicali, pubes & perineum; Cineres scorpionum, cicadarum, vermium terrenorum, millepedum, leporis vsti in furno cum sua pelle, valdè laudantur, ex quibus constat electuarium Auicennæ de cineribus, Lapis Iudaïcus optimè facit, Serapio valdè extollit lapidem qui in spongijs reperiri solet: In felle bouis reperitur lapis, cuius puluis etiam in vesica frangit calculum, si Valesco credimus, quod se multoties expertum affirmat Mathiolus; maiores nostri habebant in vsu frequenti duo electuaria, vnum quod ab effectu litontribon, saxifragum appellabant, alterum quod Iustinum seu electuarium Ducis nominabant, vtriusque dabant ʒij. cum decocto cicerum rubrorum & radicum aperientium, vt petrosel. & fœniculi, adde, si placet oxymelitis diuretici, aut scillitici ℥ß. nos vtimur hoc puluere. ℞. pulueris ossium dactilorum, cerasorum & mespillorum ana ℈ij. lapidis Iudaïci, lapidis spōgiæ, lapidis in felle bouis reperti ana ℈iiij. corticis radicis lauri & seminis altheæ ana ʒii. cineris scorpionum & cicadarum ana ℈iiij. fiat puluis, cuius dosis à ʒj. ad ʒij. poterit permisceri alicui conseruę, vt conseruæ betonicæ: nam betonica tam benefacit renibus quàm cerebro, puluis sumetur cum decocto cicerum in quo si placet radix damazonij bullierit, bolus sumetur cum syrupo capilli veneris ex cochleari. Sed memineris iusculi, aquæ saxifragæ, aut vini albi debere esse magnam quantitatem, vt ℔. ß. & dari debere tepidè, non tantùm vt puluis, aut bolus ad renes deducatur, sed etiam, vt ad vesicam perducatur & inde lapis excludatur.

B

C

REMEDIA CALCVLI RENALIS tempore exacerbationis. CAP. XX.

HIc conuenient anodyna: clysteres, semicupium, litus, cassia, terebinthinæ, & quæcunque hærentem in via lapillum in vesicam deturbant, viasque leniunt & lubricant, vt oleum amygdalarum dulcium: clysteris sit hæc formula ℞. altheæ cum radice, parietariæ, violariæ, camomeli, betulæ, ana m. j. seminum anisi & fœniculi ana ʒii. fiat decoctio in colaturæ ℔. j. dissolue looch de cassia & mellis violati. ana ℥i. terebinthinæ venetæ & olei de scorpionibus ana ℥ß. olei camomeli ℥iii. fiat clyster.

D

Ad viam lubricandam dentur ℥ii. olei amygdalarum dulcium extracti sine igne cum vino albo, si placet diluatur aqua ononidis, ad eundem vsum dari possunt totidem ℥. syrupi de althæa cum eadem aqua, vrgente dolore ingrediatur semicupium, cuius decoctum parabitur ex materia clysteris, aucta quantitate: sumat deinde cassiam ex cochleari, liniatur pars dolens oleis camomeli, scorpionis, adipe cuniculi, vnguento de bdellio, vel ex residentia prædicti clysteris cum oleo camomeli, scorpionum paretur cataplasma. Applicetur cucurbitula infra locum doloris vt subsistēs lapillus in vesicam attrahatur: metu inflammationis mittatur sanguis, primùm de basilica è directo renis dolentis ad minuendam plenitudinem, postea de vena poplitis aut saphena. Perseuerante dolore vehementiore cathartico vtendum erit, quale fuit ex benedictæ laxatiuæ ℥ß. & pulueris hermodactylorum ʒj. sumi poterunt forma boli, vel potiùs dilui aquis parietariæ, ononydis, decocto cicerum rubrorum; Tādem clysteribus atq; etiam potionibus nephriticis quales præcesserunt in therapia, immiscenda erit ʒi. Philonij.

E

Notandum si iam magnus sit lapis in rene & inueteratus, frustra illius dissolutionem commemoratis saxifragis tentari. Obseruaui sæpè etiam in pueris adeo duros lapides vt non putem vlla arte resolui aut comminui potuisse, quandoquidem vix malleoli ictibus cessissent: Quòd si in fragmenta multa solueretur, consequeretur error peior priore, cruciatus ingens, vrinæ suppressio, inde mors. Prosunt itaque dictæ remedia arenulis deturbandis atque etiam lapillis, non lapidibus iam duris & inueteratis, præsertim in vesica subsistentibus.

DE INFLAMMATIONE RENVM quæ nephritis dici solet. CAP. XXI.

A

VI natura aut accidente calidiores habent renes nephritidem faciliùs incurrunt, vt plurimum tamen ictu aut casu cõtingit: rupta enim aliqua vena sanguis per renis substantiam effunditur partis ardore, dolore pulsante, febre continua, vomitu bilis.

Remedia: clysteres frequentes qui refrigerent, venæ sectio, primùm de basilica quæ est è directo inflammati renis, postea de saphena: Prior fit ad antecedentem, posterior ad coniunctam causam. Fugienda hic vt in omni alia phlegmone partium internarum, diagrediata, nec non diuretica præsertim calida, quia ducunt ad partem afflictam & morbum augent, nisi in declinatione, vt abscessu rupto pus per vrinas vacuetur: cætera initio conueniunt quæ ad intemperiam calidam præcesserunt tam sumpta quàm admota. Sumenda sola cassia cum syrupo violato: Admouendum oxyrhodinum, semicupium initio nocet quia auget fluxionem, sed facta fluxione est anodynum (præsertim dùm fit pus) quod indicant horror, febris aucta, & extremorum refrigeratio cæteraque symptómata, vt dolor & ardor grauiora. B

Valescus sæpe expertus est cucurbitulas admotas clunibus sedare dolores renum, quia venę eò desinunt, atque vt est in aphoris. nephritidi superuenire hęmorroidas bonum est. Inædia hic nocet, quia vrinam reddit acriorem: vtendum ptisana loco vini. Cæterum facto pure fit abscessus, quo rupto, multum pus in fundo matulę subsidet. Tùm naturæ conatus diureticis iuuetur, aqua decoctionis radicis graminis, acetosæ, vel iusculo cicerum, hydromelite aquoso in quo radix petroscelini aut fœniculi bullierit. C

VLCVS RENVM.

CAP. XXII.

NFLAMMATIONI suppuratæ quod succedit vlcus est magnum & cauum, proinde insanabile: lotij enim continuo transitu impeditur vlceris coalescentia, quæ tota in exsiccatione consistit. Primarium quod calculus asper & inæqualis attritu excitauit, aut humoris alicuius acrimonia, quotidiano vsu aquæ hordei curetur, aut hydromelitis, ex aqua hordei & melle vel saccharo rosato: clysteribus frequentibus, purgatione ex cassia cum rheo, vena primùm in brachio, deinde in pede secta, benefacit etiam frequens vsus tabellarum diatragacanthi frigidi, hordeata, amygdalata, quę parentur cum saccharo rosato loco cõmunis. Initio ad detergendum vtèdum est lacte asinę, deinde capre ad replendum seu incarnãdum: tãdem ouis ad consolidãdum. Aqua alba benefacit, paratur ex amygdalis cõtusis affundendo paulatim aquã hordei, quo modo parãtur emulsiones, ℞. amygdalarum dulcium mundatarum ℥j. seminum quatuor frigidorum maiorum ana ʒij. terantur in mortario lapideo affundendo paulatim aquę hordei ℔j. fiat emulsio, prodest etiam vlceribus inueteratis potio vulneraria: sed imprimis partium omnium interiorum vlceribus, maximè verò renum & vesicę, prosunt therme Spadenses & Niuernenses: interim dùm occasio sinet istas thermas adire vtatur prędictis, vel trochiscis Gordonij, solutis in sero lactis, Aut hac opiata. ℞. conserue rosarum veteris & liquidę ℥i. conserue consolidę maioris (siue symphyti) ʒvj. boli armeni, sanguinis draconis, tragacanthi, terrę sigillatæ ana ℈ii. cùm syrupo rosarum siccarum fiat opiata, qua vti poterit omni hora. Pro topico vtatur hoc emplastro adstringente simul & siccante ℞. pulueris rosarum, boli, sanguinis draconis ana ℥i. mastiches & carnis cydoniorum ana ℥i. cum oleo rosaceo vel myrthino, fiat emplastrum applicandum ad regionem renis vlcerati. Cæterùm hic aphorismus Hippocratis, Qui sanguinem aut pus meiunt ijs renes aut vesica vlcerata sunt, non est perpetuò verus, quia inflammationi gibbæ hepatis, abscessus qui succedit, vacuatur per vrinas, quin etiam annotauit pleuritidem suppuratam aliquando vrinis purulentis terminari, sed cum hac restrictione intelligendus est, si modò in alijs partibus D E

A bus nullus dolor antecesserit, sed in rene aut in vesica: vbi enim dolor ibi morbus. Quomodo distinguam dicet aliquis: si pus procedat à renibus, anà vesica? respondeo imprimis distingui præcedente sede doloris, secundò quòd à vesica semper pus exit putidissimum, non ita à rene nisi putruerit: Tertiò quod vlcerata vesica pauca sanies & paucus sanguis effluant, quia illius exiles sunt venæ: à rene copiosior: Quartò quod ingrauescente vlcere & iam profundo, abrasiones rubræ veluti carunculæ subsident vlceratis renibus: ita enim Hippocrates si cùm vrina veluti carunculæ subsident, renes esse vlceratos non est dubitandum: Quintò quòd semper dysuria siue difficultas meiendi coniuncta sit vlceri vesicæ, non renum: Sextò quod renibus vlceratis sanies aut pus vrinę permiscentur, vesica vlcerata minimè, sed mox petit fundum. Cauum vlcus indicatur si cum pure sanguis exeat, putre si pus fœtidum.

B

SYMPTOMATA PRIMI GENERIS, *id est quæ ad actionem læsam pertinent.*

CAP. XXII.

RENES ex officio debent attrahere serum vt cystis fel, lien limum: Attrahitur verò sanguini permistum, quem secernunt, sibique retinent ad nutritionem, reliquum per oureteras in vesicam effundunt: Si non attrahant, serum deponitur in abdominis inanitatem quæ est inter peritoneum & intestina, inde ascites, Aut ad cutem effunditur, vnde λευκοφλεγματία siue ἀνάσαρκα. Si
C attrahatur quidem, sed sanguis præ imbecillitate non secernatur, lotium cruentum descendet in vesicam, vrina veluti tincta sanguine apparebit, hic, concretus sanguis non subsidet quemadmodum cùm effluit aperta, rupta aut erosa vena, aut aliunde vt ab hepate, ad renes transmittitur, quod accidit aliquando mutilatis, necnon ijs quibus menses aut hęmorrhoides subsistunt. Quibusdam criticus est & salutaris fluor iste, non aliter quàm hæmorrhoidalis, estque nonnullis periodicus, stato tempore aduenìens.

Imbecilli renes sumptis & admotis roborentur (debilitari autem solent intemperie frigida aut venere immodica) vinum aqua calibeata diluendum est, ex eadem aqua, cum sacchàro rosato parentur hordeata: pineolis inest vis roborandi renes, contunduntur affuso paulatim lacte ouillo, caprillo, deinde coquuntur adiecto sacharo rosato, inde fit pulticula similis amygdalato, eadem pulticula parari potest ex castaneis assis vel elixis, vtantur renibus aliorum animalium, ex quibus cum pineolis poterit aqua destillari, si placet opiatæ immiscebuntur hoc modo, ℞. conseruæ rosarum & symphiti ana ℥iß. terræ sigillatæ ℈iiij. renum galli gallinacei, capræ ouis, puluerato rum in furno & desiccatorum ana ʒiij. cum iulepo rosato fiat opiata, lumbi liniantur cerato sandalino cum oleo rosaceo, vel vnguento comitissæ. Quæ remedia vsurpanda erunt, cum mictus sanguinis erit symptomaticus, de quo paucis transigendum. *Imbecillitas renum.*
D

DE MICTV SANGVINIS.

CAP. XXIII.

E PARTEM affectam, seu terminum à quo, indicat copia sanguinis: nam à vesica & oureteribus, cum sint partes exangues, & exiles habeant venas paucas, à renibus multus sanguis effluit, ibique dolor fixus percipitur. Si vitio secretricis non subsidet, sed vrinam tingit, si aperta aut erosa aliqua vena, concrescit mox & matulæ fundum petit. Causę, aut sunt externę, vt ictus, casus, aut internæ, vt humoris acrimonia, quę vesicam erosit, vnde vlcus quod micto pure dignoscitur: aut caruncula renis. Ad reuulsionem mittatur sanguis de basilica renis dolentis, dentur clisteres quibus renes refrigerentur, expressum rhei infusum in aqua plantaginis cum julepo rosato, ex eadem aqua, aut rosarum cum syrup. granat. cydon. myrtill. fiat iulep, aut apozema ex plantagine, rosſ. centinod. balaustijs, syrup. de plantagine, lactuca, portulaca, cum saccharo,

trochiscis de bolo, de terra sigil. de spodio, de carabe cum conseruis rosar. fiat opiata, ♃. coralli rubri & terræ sigil. ana ʒß. cum saccharo aqua ros. dissoluto, fiant paruæ tabellæ, quarum vnam sæpe teneat in ore. Admoueantur dolenti reni vng. Comitissæ, oleum ros. cyd. myrtil. vel ♃. boli armeni ℥ß. sang. drac. corticis mali gran. balaust. ana ʒi. ß. puluerisentur subtilissimè, & excipiantur albumine oui & aceto, applicetur supra partem affectam. Forestus se sanguinis mictum hoc remedio curasse affirmat, sumendo ℥iiij. lactis & ʒi. boli armeni veri. Hoc idem expertum à Gatinaria qui præcipit, ne post eius assumptionem aliquis dormiat, aut se exerceat.

SECVNDVM GENVS SYMPTOMATIS, diabete. CAP. XXIIII. B

AD ametriam in excreto pertinet diabete: continetur autem vrinæ profluuio, tanquam species genere, quandoquidem omnis diabete est immoderatum vrinæ profluuium, non contrà, quia semper diabete coniunctam habet sitim, propter quam dypsacos appellatur, estq; lienteria renum, potus talis meijtur qualis sumptus est: at nonnunquam vrinæ profluuium est criticum: videre enim possis plurimos morbos, vrinarum copia feliciter terminari, tum vrinæ sunt crassæ, non tenues, crudæ & aqueæ vt in diabete: neque ægri sitiunt in profluuio critico. Accidit diabetes, eò quòd renes immodicè trahunt, non retinent, sed attractum serum mox in vesicam deponunt, vnde hydrops ad matulam nominatur. Renes autem trahunt sine modo, quoties laborant intemperie calida & sicca: Itaque cassia cum rheo corpus imprimis repurgetur: incipiente C malo, non confirmato, sanguis mittatur, vtatur ptisana pro ordinario potu, iusculis refrigerātibus, hordeatis, lacte asinæ, capræ aut vaccæ, à quo butyrum sit extractum: plumbi lamina lumbis admouenda, cerato sandalino vel cerato refrigerante Galeni, vnguento rosato, oleo violato, nenupharino renes illinendi, clysteres dentur frequentes qui refrigerent.

Item syrupi granatorum cydoniorum, rosarum siccarum vel iulepi rosati ℥iß. pro dosi, trochiscorum de bolo, de carabe, vel de terra sigillata ℈i. cum aqua hordei fiat prima dosis iulepi quæ aliquoties iteretur, denique refrigerantibus cum adstrictione pugnandum est: sit hoc pro multis exemplum. ♃. spodij, rosarum rubrarum, acaciæ, balaustiorum, gummi Arabici, tragacanthæ, terræ sigillatæ, cancrorum fluuiatilium adustorum ana ʒij. Seminis papaueris & lactucæ ana ℈iiij. cum D mucagine cydoniorum fiant trochisci pondere ʒj. dentur cum vino granatorum, rarus est affectus, quem bis tantùm Galenus viderit: nisi placeat quodcumque profluuium vrinæ diabetem nothum appellare. Forte Hippocrates illius non meminit, quia numquam viderit. Nos obseruauimus frequenter, & prædictis remedijs sanauimus.

DE MORBIS OVRETERVM.

CAP. XXV.

ALIQVANDO obstruuntur à calculo, ab eodem aut acrimonia lotij vlcerantur: partem afflictam sedes doloris indicabit: consistit enim vreter inter renem & vesicam, ouretere vlcerato veluti filamenta natant in lotio sine magna difficultate meiendi, quæ vlceri vesicæ semper assistit. Obstructioni ea conueniunt quæ ad exacerbationem calculi seu cruciatus nephriticos iam dictata sunt, ad vlcus, ea quæ vlceri renum præscripta sunt, & mox quæ vlceri vesicæ dictabuntur, de cuius affectibus restat vt disseramus. E

A

MORBI VESICÆ, IMPRIMIS de calculo vesicali. CAP. XXVI.

OBSTRVITVR, vlceratur, inflammatur: obstruitur calculo, grumo, aut caruncula. Calculum in vesica ostendunt vrina cruda, aquea, in qua subsident arenulæ albæ, penis assiduus pruritus, eiusdem tensio, in pueris alioquin insolens, guttatim meiunt & laboriose, quin etiam lotium supprimitur cùm lapis in collum vesicæ descendit: Accedat quod quoties meiendi toties desidendi desiderium illos tenet, quod quidem signum quamuis Brassauolus veteribus fuisse ignotum affirmet, Aëtius tamen & Serapio huius mali pathognomonicum esse adnotarunt. Idem notauit Rhasis 10. Con-
B tinent. quod Aretæus refert ad vesicæ & intestini recti sympatheiam, litothomus cathetere faciet nos certiores, aut digito in anum pueri immisso, Peritiores aliquando fefellit catheter, quia lapides inuoluti tunica, aut pituita viscida incrustati, ferro contacti nullum edunt sonitum. Paulus affirmat grandiores esse minus dolorosos, quia ægri iam assueuerunt inflammationi & exulcerationi. Cur pueris frequentiùs in vesica, senibus in rene generantur? Quia pueris latiores sunt viæ, crassamentum multum colligunt propter ingluuiem, quod facilè cum vrina in vesicam descendit: At senibus angustę sunt viæ, propterea materia calculi in rene subsistit. Item pueris inest in vesica calor multus, satis potens ad resoluendum humeris lenti & crudi partes tenuiores.

Pro remedio suadeo vt citiùs quàm commodè fieri poterit lithotomo committan-
C tur, ne saxifragis frustra tentatis puer tandem sectionem non perferat, longo dolore fractis viribus. Si quis tamen crudele hoc remedium refugiat, experiatur iam commemorata: vt puluerem lapidis in felle bouis reperti, litum pubis & perinei ex sanguine hirci, capræ, aut vulpis. Præstat, inquit Trallianus, madentem sanguine spongiam applicare, fortiterq; deligare, idque per interualla aliquoties facere. Rhasis sequentium pillularum longo vsu & iniecto oleo scorpionum, affirmat intra 50. dies frangi posse. ℞. carpobalsalmi, seminis raphani, seminis dauci, seminis petroselini, radicis capparis, amygdalarum amararum, schœnanthi, cyperi, spicæ celticæ, cassiæ ligneę, seminis cicutę, gentianę, Aristolochię rotūdę, asari, amomi, sagapeni, bdellij, piperis & acori ana ℨiij. oppoponacis ℥ß. Gummi dissoluantur in vino albo, cætera incorporentur: fiat parua massa de qua capiat quotidie ℨj. superbibendo decoctum cicerum rubrorum & radicum aperientium, continuet per 50. dies. Poterit permi-
D sceri singulis dosibus sexta pars ℨj. id est ℈ß. cineris scorpionum: Olei verò scorpionum sequitur descriptio. ℞. Aristolochiæ rotundæ & corticis radicis capparis ana ℥j. infunde in ℔j. olei amygdalarum amararum, & expone soli, in quo oleo macerentur decem scorpij, viui an mortui nōn refert, expone rursum soli per duas septimanas, deinde oleum colatum reserua ad vsum.

DE CARVNCVLA. CAP. XXVII.

DE caruncula quæ vt plurimùm succedit Gonorrhœæ malè curatæ multa extant remedia apud Alphonsum Ferrerium; vobis tamen debet esse instar omnium quod descripsimus in methodo generali, quo lóco tractauimus de morbis in numero.

E

DE GRVMO VRINÆ MEATVM obstruente. CAP. XXVIII.

IGNOSCETVR ex antecedentibus quòd præcesserit mictus sanguinis: Ab adiunctis, vt animæ deliquio, exili pulsu, extremorum refrigeratione, faciei pallore, adeo vt vulgus miretur tantos effectus à tam exigua causa. Reiecto clystere & vena secta, detur mox Aristolochiæ, mumiæ, carabes, vel coaguli leporis ℨj. oxymelitis diuretici vel scyllitici ℥j. cum aqua raphani aut arthemisiæ. Topica sunt, parietaria frixa cum oleo scorpionum, vel emplastrum ex bdellio aut ammoniaco solutis in vino, addendo parum Aristolochiæ. Aëtius suadet si

neque assumptis, neque admotis, neque per syringam iniecto succo limonum grumus dissoluatur, vt perineum incidatur, prædicenda mors initio: nam Gal. sexto de locis aff. capite tertio, duntaxat vnicum vidit qui euaserit: in remedijs itaque non est procrastinandum, quia mors est cita. A

DE PHLEGMONE VESICÆ.

CAP. XXIX.

AD phlegmonem vesicæ, reddito clystere aperiatur vena primùm in brachio, deinde in pede, liniantur pubes & perineum oxyrhodino, statim initio prędicenda mors: ita enim Hippocrates, si vesica sit dura, & dolore vexetur, funestum, eoque magis si accedat febris continua. B Meiunt & deijciunt, cum difficultate recto intestino compatiente.

Ad dolorem demulcendum, inijcere possis per syringuam trochiscorum albi Rasis cum opio ℥j. cum lacte, Abstinendum vino, acribus, piperatis. Injiciendi frequenter clysteres qui refrigerent, ex sero lactis, aut aqua hordei cum melle rosato.

VLCVS VESICÆ.

CAP. XXX.

VLcvs in vesica non sanescit nisi fuerit in collo, est enim carnosum: si dolor ingens circa pubem sentiatur, vlcus est in vesica ipsa: Si in perineo, in illius ceruice, si in pene, in vretra. Item vesicam vlceratam con- C ijcimus cùm pus vrinæ non permiscetur exquisitè, vt vlcerato rene, multusque mucus subsidet: vretram aut colum cum pus exit ante vrinam: injiciatur serum lactis coctum cum saccharo, aut melle rosato, ad detersionem: aut dissolue in aqua hordei, syrupos rosarum siccarum, vel de absynthio: possis etiam infundere in eadem aqua tragacanthum, thus, bolum armenam, vel sanguinem draconis, colaturæ injiciatur diapalma emollitum rosaceo, fotis applicetur: Assumenda sunt quæ ad vlcus renum præcesserunt, vt lac asinæ, deinde capræ, ouis, potio vulneraria, thermæ Spadenses vel Niuernenses.

SYMPTOMATA PRIMI ET *secundi generis hic quodammodo confunduntur.* D

CAP. XXXI.

QVÆritvr si vesica attrahat vrinam, an renes eam excernant, placet Gal. excerni à renibus, verùm natura dedit vesicæ fibras rectas quarum munus est attrahere. Itaque respondendum excerni quidem à renibus in oureteres, sed ex illis attrahi à vesica: non trahunt de rene, sed de ouretere, eius actio pręcipua est excernere. Quandoquidem est inutilis excrementi conceptaculum. Secundaria actio est retinere, debet enim lotium ad tempus contineri ne cogamur omni hora meiere, fortassis non tam vitæ aut sanitatis causa, quàm ciuilis societatis: si non retineatur, vrinæ incontinentia dicitur seu mictus inuoluntarius, quo vitio laborant pueri qui stragulas permingunt & qui paralysi E vesicæ laborant: Musculus enim rotundus vesicam, veluti ligamenta crumenam, claudit aperitq́; Claudit comprimendo sese, vt retineatur: aperit, sese relaxando seu dilatando vt excludat: excretio verò aboletur, minuitur aut deprauatur: Quando lotium omnino non excernitur ἰσχουρία vrinæ suppressio dicitur, quando imperfectè & laboriosè excernitur δυσουρία mictus laboriosus. Quando deprauatur, vt cùm guttatim stillat, στραγγουρία seu stillicidium vrinæ nominatur, Celsus vocat substillum: de his omnibus symptomatis differendum est ab ἰσχουρία ducto initio.

Mictus inuoluntarius.

A
DE ΙΣΧΟΥΡΙΑ *SIVE VRINÆ suppressione.* CAP. XXXII.

QVOTIES vrina supprimitur, ex tactu considerabis si vesica sit inanis, an plena: plenam dignosces ex circumscripto tumore: Inanem ex subsidentia. Esto plena, suppressionis causa in vesica ipsa quærenda est, non altiùs repetenda: obstruatúrne an sit impotens excernendi, tacita mente cogitabis, Galenus scribit aliquandò tam esse obtusum sensum vesicæ, vt non sentiat se stimulari, obtundi autem frigore, vtpote cùm vesicæ admota sunt aut iniecta valdè refrigerantia: quæ sententia (vt obiter hoc dicam) mihi non
B admodum placet, quia frigore immodico potius resoluitur, & vrina præter voluntatem excernitur.

Aliquando post ardentes febres, & largum aquæ potum vrina subsistit, fortassis quòd valdè plena vesica se comprimere non potest, hoc enim imprimis requiritur ad excretionem. Propterea tùm manu comprimenda est vt excernat: fingamus quempiam dùm in senatu aut apud principem diceret, lotium perdiu retinuisse, inde fiet vt postea volens meiere non possit, quia vesica plena vsque adeò tenditur vt se comprimere non possit, hunc defectum manus supplebit.

Obstructionis causa vt lapillus, grumus, caruncula cathetere perquirenda, atque etiam si fieri possit dimouenda: verùm memineris inutilem esse vsum catheteris si vesica fuerit inanis, quia causa vrinæ suppressæ est in renibus aut in vrinæ ductibus,
C inutilem quoque si supprimatur ab inflammatione, quia augetur inflammatio & dolor ingens frustra excitatur.

Remedia accommodari debent causæ, obstruens causa cathetere dimouenda: clysteres acres addito multo succo parietariæ, mercurialis, excretricem potenter stimulant, Parietaria frigatur in oleo camomeli & scorpionum, atque pubi applicetur, dentur cassia vel terebinthina, parentur insessus ex quatuor remollientibus, camemelo, nasturtio, maiorana, pulegio, origano: theriacæ ʒj. datur vtiliter cum decocto cicerum, quando supra vesicam subest causa suppressionis: Phlebotomię non est locus nisi sit suspicio inflammationis præsentis aut imminentis, cimices positi in ductu penis excretricem stimulant: Dari etiam debent diuretica quæ in Ascite iam dictata sunt, vt cantharis vna integra. Cur das integram? quia alæ & pedes sunt ventris alexipharmaca, cùm foris applicantur ad vesicas excitandas, inuti-
D les sunt alæ & pedes. Quando assumuntur, debent dari integræ vt quæ ventri inest cacoëthia ab alis & pedibus corrigatur: Tamen quia proprietate vesicam lædunt & vlcerant, malim in affectibus vesicæ isto remedio abstinere. Vritur caput picæ, & pulueris ʒj. exhibetur cum vino albo, alij magnam vim mouendi vrinas attribuunt erinaceis, caro vritur in furno, puluis exhibetur cum aqua raphani aut parietariæ, cicerum rubrorum aut nigrorum. Quidam vrunt eorum duntaxat intestina, alij dant puluerem trium vermium terrenorum cum hydromelite, alij vrinam porcelli, Alij pueri.

DE DYSVRIA. CAP. XXXIII.

E DYSVRIA videtur tantum differre ab ischuria intensione & remissione: sub ischuria mictus aboletur. Sub dysuria minuitur, estque laboriosus, proinde non est opus nouis remedijs.

DE STRANGVRIA. CAP. XXXIIII.

QVÆDAM primaria, quæ accidit renum, aut vesicæ affectu primario, altera secundaria, vt quæ succedit inflammationi, vel vlceri vteri, aut recti intestini, quia vtriusque tumor vesicam premit, & ad excretionem præproperam cogit. Iuuenibus sæpe accidit propter acrimoniam vrinæ, quam illa acquirit renum, hepatis, sanguinis feruore: potissimùm si vsi sint cibis valdè calefacientibus, vt mero copiosiore, piperatis acribus. Accidit

etiam propter lapidem in vesica, tùm propter vlcus renum, aut vesicæ, quia sanies A assiduè pungit, vlcerata vesica non potest diu continere lotium. Senibus aliquando accidit, quia pituita salsa & putris vrinæ permiscetur, soletq; illis commori strangu-ria. Recognoscenda igitur causa, vt in sene, senna & agarico pituita repurgetur, vel detur terebinthina lota in aqua plantaginis. In iuuene, renes, hepar, & sanguis, cassia & missione sanguinis primum temperentur, abstinentia vini, iusculis refrigerantibus, emulsionibus, hordeatis, vtantur etiam syrupo violato, aut nenupharino cum ptisana. Injiciatur mucago seminis psyllij cum aqua hordei, aut oleum ex semine cucurbitę, paratur vt oleum amygdalarum dulcium. Balneum aquę tepidę benè facit. Verùm si oriatur malum ab vlcere, inflammatione, calculo, propria habent remedia, ignota causa, injiciantur clysteres, detur lac asinæ, aut capræ, ad dolorem demulcendum, vtantur aqua alba: caue ne diureticorum vsu morbum augeas. B

DE INCONTINENTIA VRINÆ, seu mictu inuoluntario ob paralysim vesicæ.

CAP. XXXV.

Resoluto sphinctere, aut illius neruis malè affectis qui ab osse sacro oriuntur, vrina præter voluntatem effluit: tum præmissa purgatione ex decocto neruali in quo senna & agaricus bullierint, præscribenda opiata ex conseruis neruralibus, fotus ex iisdem vino incoctis: impleantur sacculi primula veris, Iua arthritica, saluia, maiorana, floribus anthos, stœcados, chamomeli, qui vicissim applicentur pubi, perineo, necnon lumbis: C statim à fotu prædictæ partes liniantur vnguentis, aut oleis neruralibus de castoreo, costi, cinnamomi, vulpis: injiciantur sæpe clysteres qui cōstent decocto neruali, quia rectum intestinum proximum est & immediatum vesicæ. Injici possunt in vesicam ipsam olea & aquæ: saluiæ, primulæ veris, rutæ, stœcados, vel coquantur in vino, dissolue in colatura syrupi de stœcade parum, fiat iniectio per syringam, circa finem ad robur misce leniter adstringentia, vt parum syrupi de absynthio: memineris ab initio prædicere morbum fore longum & difficilem.

DE MEIENTIBVS IN LECTO.

CAP. XXXVI.

Præter imaginationem quę nobis potissimùm dormientibus operatur, concurrunt musculi rotundi laxitas, vrinæ copia, autacrimonia, D stimulans: Primùm curentur pillulis de quinque generibus myrobolanorum, aut expressione ℥ij. rhabarbari infusi in decocto neruali, aut aqua betonicę, saluiæ. Injiciantur etiam clysteres ex neruralibus, dissolue mel anthosatum, aliquod oleum neruale: liniantur pubes & perineum oleo de castoreo, quinetiam illius ℈j. detur per aliquot dies, cum hydromelite: dentur etiam quæ proprietate imbecilliorem vesicam roborant, vt vesicæ capræ, ouis, suis, tauri, siccantur in furno, puluis datur à ℨij. ad ℨj. cum vino: Galen. tamen 9. τόπων exhibet cinerem vesicæ ouis cum posca. Aëtius suadet, vt pulmo hœdi assatus per triduum comedatur à ieiuno sine pane. Prosunt etiam cerebrum & testes leporis, si placet testes coquantur in vino, vinum bibatur & testes edantur. Lingua quoque anseris & E guttur galli, aut gallinæ vrantur, puluis detur cùm tepida, vulgare est (tamen Gal. auctoritate confirmatum) farcimen ex muribus. Cæterum differt à paralysi vesicæ, quia etiam vigilantes meiunt inuoluntariè quibus resoluta est vesica: qui verò se permingunt tantùm dormientes.

DE MORBIS INTESTINORVM.

CAP. XXXVII.

Intestinvm continuitate est vnum, substantia & vsu multiplex, hinc tria crassa, totidem tenuia: Tenuibus excipitur chylus eorumq; calore perficitur: habent enim, vt substantiam eandem cum ventriculo, ita similem vim, nempe chylificam, si non parem: Venæ mesaraicæ sugunt alibilem portionem, crassam

A crassam & terrestrem relinquunt (primæ coctionis excrementum) ex qua in tenuibus intestinis incipit fieri stercus, perficitur in crassis, tandemque à recto, vt onus graue, excluditur. Patiuntur omne genus morbi, similarem, organicum, & communem. Intemperiem quippe omnem, calidam, propter quam thermochylij ab Hipp. dicuntur: quorum fæces indurantur, aluus sicca, pigra, difficilis: Frigidam quoque, ex qua, vt stomachici, ita cœliaci nominantur: quasi ἀτονίᾳ seu imbecillitate intestinorum laborent, vnde fluor cœliacus. A siccitate aluus adstricta: ab humiditate, laxa.

Ad morbos numeri referri possunt vermes, quandoquidem eorum exortu, expullulat noua & inutilis substantia, eodem referri potest lapis qui nonnunquam in colo, vt in vesica generatur ex pituita crassa & viscida, quæ illic plurima congeritur. Frissimelica, affirmante Capiuatio, post coli longos cruciatus excreuit lapi- *Plura in generali methodo.*
B dem qui oui gallinæ magnitudinem superabat, simile quiddam non semel Fernelius obseruauit, nisi malis vtrunque, calculum dico, & vermen, ad obstructionem reuocare.

Ad morbum situs pertinent Bubonocele, & Enterocele: prolapsus alicuius intestini in inguen, aut scrotum. Quò etiam referri potest procidentia ani. Inter morbos confirmationis primas tenet angustia seu morbus in meatu, cuius differentiæ sunt obstructio, coarctatio, compressio, coalescentia, subsidentia.

Obstruuntur intestina flatu, pituita, vermibus potissimùm latis, & à calculo. Coarctantur assumptis, admotis, aut iniectis nimium adstringentibus. Narrat Fernelius puellam immodico vsu cydoniati, ita coarctasse intestina, vt materia per os refluente intra biduum interierit. Læuigantur etiam & lubricantur oblita multo muco, vnde
C lienteria.

Morbi communes sunt inflammatio coli, Ilei, Ani: non dubito cætera quoque intestina posse inflammari, sed rariùs, nec alijs egent remedijs, vlcerantur quoque humoris acrimonia tam tenuia quàm crassa, vt in vera dysenteria: pergemus ad symptomata cùm de propositis morbis disseruerimus sigillatim.

Qui sunt aluo calidiore, sunt etiam ficciore, propterea refrigerantibus vti debent quæ humectent, vt iusculis ex violaria, Althea, lactuca, portulaca, iusculis prunorum, Prunis damascenis, cerasis, cassia, diapruno simplici. Tamarindis, catholicone, clysteribus emollientibus, vt ex decocto omazi. In decocto clysteris communis dissolue looch de cassia, mel violatum & oleum violaceum. Cœliaci verò vtantur his quę ad intemperiem frigidam ventriculi præcesserunt: Aluo humidiori conuenient quæ
D deinceps fluori alui. Notabis obiter, vt siccitate fæces retinentur, ita humiditate liberaliùs excerni, propterea siccam aluum esse difficilem: humidam verò, facilem & lubricam. Inter morbos organicos primi occurrunt morbi in numero, calculi & vermes: materia autem calculi, nempe pituita, deturbetur acrium œnematum vsu frequenti, in quibus colocyntis bullierit. Ita enim si quis lapis in colo restiterit, tandem attrahetur.

DE VERMIBVS. CAP. XXXVIII.

De vermibus imprimis quæri potest cui bono generentur, si modò omnia fiant à natura in hominis vsum: eadē quęstio de cimicibus & pediculis moueri solet. Respondent Peripatetici, materiam putrem dispersam per aëta,
E (quæ alioqui cum aëre inspirata homini esset infensissima) absumi & conuerti in ista animalcula: de vermibus idem dici potest, pituita enim putris ex qua generantur, maiora adferret incommoda quàm vermes ipsi: Præstat eam animari (inquit Auicenna) quàm in dies magis putrefieri.

Ascarides fiunt in recto intestino (sunt vermiculi similes ijs qui in caseo putri reperiuntur) ἀπὸ τοῦ ἀσκαρίζειν, quia assiduè pungunt anum. Lati vermes in medijs intestinis, longi seu rotundi in omnibus quidem, sed potissimùm in tenuibus generantur: ne negligantur, inquit Paulus: nam quidam conuulsi, alij exesi à vermibus moriuntur. Dignoscuntur quòd pueri (qui maximè omnium hoc morbo vexantur propter cruditatis copiam ab ingluuie) à somno expergiscuntur cum saltu, tremore, clamore: pulsus illis paruus. Quibusdam non aliter quàm hydropicis vēter

intumescit, alij vt epileptici conuelluntur. Dormientes habent os humidum, vigilantes siccum. A

Lati hoc habent proprium quòd appetentiam augeant, quia chylum assiduè sugunt, visi sunt longi 30. pedes: hinc ieiuni cruciantur, dolor placatur cibo. Certissima est eorum nota cum excernuntur similia cucurbitæ semini: longi mordét stomachum & cruditatem inducunt. Quando ascendunt, nares pruriunt. Si ergo dolor sentiatur supra vmbilicum, credibile est esse longos, si in medio ventre esse latos. Si in podice esse ascarides: falsum est inreriorem tunicã intestinorum in latum vermem permutari, quia integris intestinis exeunt: Quòd si mortem adferant, tunica interior integra apparet in dissectis.

Ascarides (vt inde curationem exordiar) iniectis acribus, salsis & amaris potius quàm assumptis interficiantur. Acribus & salsis, vt iniecta muria: Amaris vt clystere ex absynthio, Tanaceto, scordio, centaurio minore, coriandro, ruta: In decoctione dissolue hieræ colochyntidos ℥ß. olei rutæ, absynthij, amygdalarum amararum vel de nucleis persicorum ℥ij. vel ♃. suppositorium commune acuatur ʒij. hieræ colochyntidos, suppositorium ex lardo eos inuiscat: finatur diu, alligatum filo vt retrahi possit, iuuabit quotidie dare pillulas ex aloe, paulò ante cibum. B

Longi alliciantur clystere ex lactis ℔j. sacchari vel mellis ℥ij. butyri recentis ℥iij. oleum enim refugiunt: interim venter liniatur oleo de absynthio, mox conspergatur puluere hieræ simplicis, vel colocynthidis, vt ab amaro compellantur ad quærenda dulcia, sumatur expressum ʒij. rhabarbari infusi in aqua cichorij, in quo dissolue syrupi de parte acida citri ℥j. vel detur ʒj. aloes, vel ℥ß. hieræ picræ forma boli, propter amarorem inuoluatur obellijs vino madidis, theriaca vetus & mythridatium prosunt tam sumpta quàm admota, sumatur ʒj. ex semuncia paretur emplastrum vmbilico admouendum: infantes bibant aquam graminis infusionis rhabarbari, eorum pulticula conspergatur puluere cornu cerui, eiusdem medulla venter & spina liniantur: Nam vt serpentes, ita vermes, cerui, antipathia fugant: vel puluis corallinæ immisceatur pulticulę, detur puluis contra vermes cum melle, vel cum pomo cocto, cum prunis, cum vitello oui, aut paretur placentula ex farina & vitellis, immiscendo puluerem prædictum vt fallantur: datur etiam barbotina, fit ex semine absynthij pontici saccharo dulcorato. Pauperibus allium satis erit sumptum, aque etiam cum aceto tritum & forma cataplasmatis ventri admotum, vel ♃. farinæ lupinorum ℥ii. coquantur in oleo de absynthio cum aceto aut vino, adde pulueris hieræ colochintidos ʒii. aut trochiscorum alandal ʒi. fiat cataplasma. C D

Lati ferè commoriuntur, exucto chylo paulatim corpus emaciant: Exereta similia seminibus cucurbitæ non sunt eorum partus, sed partes potius aut excrementa, alioquin plurimi simul gignerentur cum tamen raro duo simul existant: Gal. octauo simplic. puluerem radicis filicis dat pondere semunciæ cum mellicrato. Liniatur etiam venter circa vmbilicum vnguēto de arthanita, quo interficientur simul & deturbabuntur: detur trochiscorum alandal ℈i. ex quo fiant pillulæ duæ.

DE HERNIA. XXXIX.

[He]rnia. PRÆCESSIT morbus numeri, sequitur morbus in situ. Quando aliquod ex intestinis in inguen duntaxat descenderit bubonocele dicitur: Hippocrates enim glandulas inguinum appellat bubones, Celsus tamen vocat bubonocelem quando varices tument in inguine: hic morbus mulieribus & viris communis est: Si verò in scrotum vsque prolapsum fuerit intestinum, enterocele nominatur morbus virorum proprius. Accidunt peritoneo rupto aut relaxato, vtro modo aduenia, imprimis diligenter perquirendum est, quia hernia ex peritoneo rupto, nullis agglutinantibus sanescit, triplici tamen chirurgia quidam pollicentur se descensum intestini in scrotum impedire posse: Cauterio primùm actuali vel potentiali, deinde filo aureo quo liganr peritonei processum per quem dilatatum intestinum descendit in scrotum, Tertius modus est omnium certissimus, nempè amputatio testis, Albucasis exponit quinque modos diuersos ab eo qui legitur apud Paulum libro sexto: E

Quod

A Quod si acciderit relaxato duntaxat peritoneo, medicamentis est locus quæ adstringant & deficcent: ergo ad prognosim. Da imprimis operam vt causam & modum rupturæ discernas. Discernes autem quod sensim & indolenter intestinum procidit relaxato peritoneo: confertim verò & cum dolore eodem rupto. Beninenius obseruauit tussi discissum peritonæum. Adde quòd præcessit aliqua causa violenta, & quòd intestinum immediatè attingit scrotum quoties ruptum est peritoneum, eodem dilatato minimè, quia ab eo inuoluitur: Ileon frequentiùs procidit quam cætera. Faciamus itaque exempli gratia, baiulo, qui prius non fuerat de hernia conquestus, cum ingens pondus è terra attollere conaretur, repentè inguen, scrotum, aut ventrem intumuisse: (est enim hernia quædam ventris,) non erit dubitandum ruptum esse peritoneum, Fernelius existimat solam tunicam interiorem rumpi. Tùm satis erit, prolapsum intestinum reponere, repositum subligaculo
B continere: verùm si paulatim deuolutum sit, primùm in inguen, deinde in scrotum, sine violenta vlla caussa, relaxatum est peritoneum: qua causa infantibus frequentissimè prolabitur: sunt enim humidiores, sed cum ætate paulatim resiccatur processus, aucto calore: huic tantùm causæ, id est dilatato peritoneo destinantur quę sequuntur remedia. Repurgetur corpus expresso ℥ij. rhabarbari, myrobalanis, bolo ex diapruni solutiui & cydoniati semuncia, deinde cum philtro aut spongia foueatur inguen vino decoctionis malicorij, balaustiorum, nucum cupressi, gallarum, aluminis, A fotu applicetur vnguentum comitissæ, aut emplastrum contra rupturam, aut misceantur cum oleo myrtillorum, renouetur quinto quoque die, tum foueatur inguen decocto prædicto. Quoties remouebitur memineris partem digito comprimere ne descensu intestini meatus dehiscat, contineatur in lecto per dies
C quinquaginta: Quinetiam quando incipiet exire domo, totidem diebus gestet emplastrum prædictum, quod arctè subligaculo contineatur: Interim Pauli consilio detur quotidie vinum decoctionis nucum cupressi, vel hic puluis Guidonis: ℞. trium consolidarum, altheæ, sigilli sanctæ Mariæ, vtriusque plantaginis, valerianæ, pimpinellæ ana ℥j. nucum cupressi, nucis moscatæ, cinnamomi, rhabarbari assi, fructus tamarisci, cumini cum aceto præparati, coriandri ana ʒij. sanguinis draconis, thuris, mastiches, mumiæ, terræ sigillatæ, boli armeni, picis, sarcocolæ, tragacanthæ ana ʒj. fiat puluis, de quo capiat quotidie ʒj. cùm ℥ij. vini rubri. Quidam contenti sunt dare quotidie ʒj. conseruæ consolidæ maioris, alij tantumdem pulueris osmundæ regalis, alij pulueris nucleorum dactylorum, alij radicis valerianæ, alij herniariæ parem dosim exhibent cum vino, si placet ex omnibus com-
D mistis paretur hæc opiata. ℞. conseruæ symphyti ℥ij. pulueris nucleorum dactylorum, pulueris osmundæ regalis & herniariæ, radicis valerianæ, ana ℥ß. cum succo scabiosæ qui in eo affectu miras vires habere creditur, fiat opiata, de qua ęger capiat quotidie saltem ʒij. Ego Guidonis alterum modum omnibus prętulerim: repurgato corpore, per triginta dies ille exhibet quotidie ℈j. limaturæ calybis cum vino rubro, interim applicat inguini vnguentum apostolorum subactum cum puluere magnetis: sic enim fiet vt magnes attrahat ferrum ad locum rupturę primis quindecim diebus, tùm tenouandum erit emplastrum: regenerabitur enim super locum carnositas quę erit certum signum perfectæ curationis: Toto tempore curationis vtatur hydrotico, vt decocto ligni sancti, vel salsæparillę, pro ordinario potu ad exsiccationem partis. Huc commodè referri potest epiplocele, descensus omenti in
E inguen aut scrotum: distinguetur ab enterocele, quod omentum vt est mollius intestino, ita sine strepitu reponitur: intestinum vero obmurmurat cùm suo loco redditur: cęterùm, vt bubonocele mentitur tumorem inguinum, ita retractum testiculum memineris nonnunquam mętiri bubonocelem, non ita pridem vidi testiculum quem natura à prima constitutione in inguine collocarat, cuius descensum procurauimus fotu, cataplasmate, semicupio, emolliente. Quod si totum intestinum deuolutum sit in scrotum (hernia completa tùm dicitur, vulgò crepatura, (greuè) si reponi non possit, fiant fotus qui emolliant & resoluant, ex quatuor emollientibus, camomelo, semine lini & fœnugręci, ex ijsdem, aut ex hydreleo, insessus: interim dum ęger in eo stabit, chirurgus conabitur illud reponere: aut elatis cruribus succutietur dato priùs suppositorio, aut clystere acri. Celsi consilio vena in brachio secanda, extremum est remedium incidere peritoneum: inædiam trium dierum

imperat, si vires ferant, alioquin parcè & per longa interualla nutrit, non probat vehemens catharticum, quia, vt ait, plurimùm ducit ad partem, non educit. A

DE VOLVVLO. Cap. LX.

FORTASSIS ilei contorsio & reduplicatio quæ voluulus dicitur & conuoluulus, ad morbum in situ potius quàm ad obstructionem referri debet. Saltatoribus, mimis, aliquando tenuia intestina intorquētur: filiolus domini Petrei medici celeberrimi, voluulo interiit. In dissecto ileum ita replicatū inueni, vt chirotecæ digitus cōtraheretur. Huic morbo, Dioclis consilio succurritur exhibito globulo plumbeo, vel aureo: pondere enim reducit intestinum in naturalem situm, & materiam obstruentem, si quæ sit, deturbat. Galenus libro de remediis paratu facilibus in iliaca passione plurimum laudat oleum amygdalarum dulcium, aut amararum, per os sumptum. Quidam affirmant sanguinem vespertilionis illitum prodesse: alij laudant oleum rosaceum in quo bullierit exuuium siue senecta serpentis, quæ si iuuant proprietate, iuuant etiam manifesta qualitate. B

DE ANI PROCIDENTIA.

Cap. XLI.

EIVSDEM est generis procidentia ani, quæ cum inueterauit, à vulgo morbus sancti Fiacri nominatur. Procidit autem anus relaxatis duobus musculis obliquis à quibus sursum trahitur, necnon sphinctere relaxato, aut resoluto, paralysis ani tum dicitur: priusquam reponas, considerabis duo, primum si subsit inflammatio, secundum si multo muco sordeat, quia vtrique prius consulendum est, quàm reddatur suo loco: inflammationi, vena primùm in brachio, deinde in poplite secta, & admoto rosaceo agitato cum oui albumine: Mucus verò hydromelite, aut vrina propria detergendus. Faciamus neutrum adesse, mox reponi debet, verùm si consueuit procidere, ad recidiuam impediendam, priùs foueatur aliquo decocto neruali & adstringente, vt saluiæ, anthos, stœcados, rosarum rubrarum, balaustiorum, quæ omnia bulliant in aqua fabrorum, si malis foueatur vino decoctionis, Thapsi barbati, Plantaginis, Centinodiæ, gallarum, statim à fotu vtiliter respergetur tenuissimo puluere ex corallo, masticлhe, ex mirtillis, sanguine draconis. Aetius laudat puluerem coclearum vstarum, postea ad adstrictionem maiorem, ℞. mastiches, thuris ladani ana ℥ij. fiat puluis crassus pro suffitu ani: aut excipiat vaporem prædictæ decoctionis nerualis astringentis, per infundibulum, aut per cathedram perforatam. Poterit ex iisdem parari insessus, si placet, bulliant in aceto cuius proiecti in lapidem molarem fumum ano excipiat. C D

Quoties æger deiicit, insideat sellæ cuius foramen non excedat foramen podicis, cucurbitulæ in fine ossis sacri appositæ, vtrinque vna, veluti manu releuant, continentque prolapsum rectum intestinum. Iis tentatis & victis remediis, Leonidas obducit viam crusta, quam inducit actuali cauterio, applicetur sensim & per interualla externæ & inferiori parti ani, quod affirmat fieri posse sine vllo periculo: perfecta operatione superpones lintea imbuta lacte & melle, quæ contineantur fasciis, vt decet, cùm crusta exciderit, vtere cataplasmate ex lenticulis & melle tandem epulotico, vt diapalma. E

Hactenus intemperies, morbi quoque numeri & situs: de obstructione non videtur hoc loco pluribus differendum, quia si obstruantur intestina à vermibus, deturbari debent descriptis iam remediis, si à flatu, aut pituita quæ potissimùm, in plicis & veluti cellulis coli solent asseruari, vnde colici dolores à flatu, aut à pituita: opportuniùs ad hunc locum remittetur, quia neque de obstruente flatu, neque de pituita ægri conqueruntur nisi cùm dolores & torsiones in ventre excitant. Læuitas quoque ad lienteriam pertinet, itaque à morbis organicis pergendum ad communes, nempè inflammationem & vlcus.

A
DE ILEO SEV CHORDAPSO, ET Inflammatione coli. CAP. XLII.

INFLAMMATIO ilei, à parte afflicta εἰλεὸς seu εἰλεὸς nominatur: quam indicat tumor supra vmbilicum cum febre & dolore tensiuo: tenditur enim ileum instar chordæ, vnde ileosim chordapsum veteres nominabant: Obseruauit Beniuenius non semel tensione ruptum intestinum. Accedit primùm vomitus, deinde singultus, postea conuulsio & desipientia, quæ, vt est in Aphorismo, sunt funesta signa. Notat Galenus non semper iliaco dolori succedere vomitum, sed quoties succedit, esse lethalem: propterea à vulgo tùm miserere mei nuncupatur.

B Inflammato colo sentitur tumor infra vmbilicum cum dolore & febre, inflammato recto, præter tumorem, dolorem & febrem vrget tenesmus, inanis & assidua desidendi cupiditas, clyster, etiam ex lacte, offendit, neque siphonem ægri admittunt, de his omnibus scripsit Hippocrates: dolores ventris sublimes, idest quorum materia est extra peritoneum, mali quidem, non funesti, interiores verò lethales. Nam vt ilei, Ita coli & recti phlegmone, exitialis. Colica inflammatoria, inquit Auicenna, exitialis, & Hippocrates alio Aphorismo: In diuturno & contumaci dolore ventris nisi mors anticipet, expectanda suppuratio. Subest enim phlegmone quæ degenerabit in abscessum, quo rupto sequetur vlcus immedicabile. Item habet hoc proprium & inseparabile signum, quòd sub eo nil aluus reddat, etiam acri clystere sollicitata: qua nota distinguitur a dolore colico.

C Omni intestinorum imflammationi vnicum & commune remedium venæ sectio primùm in brachio, postea in pede; catharticis enim, aut abstinendum est, aut minoratiuo tantum, vt cassia & catholicone vtendum: ne ducant ad partem affectam: In ileo iniiciantur remollientes clysteres, quales fiunt ex decocto capitis & pedum arietis. Abscessus & vlcera in tenuibus intestinis, potissimùm verò in ileo, sunt funesta, in crassis non ita.

Vnde obiter quæstio illa soluetur, an dolores iliaci sint acerbiores colicis: nam Galenus 2. κτ τόπους scribit multos colici doloris acerbitate victos sese interfecisse. Respondetur iliacos dolores ab inflammatione esse acutiores & funestiores, sed à pituita, aut flatu replente esse frequentiores in colo & acerbiores, propter pituitæ & flatuum maiorem copiam, à quibus colum distenditur. Obseruaui ileum ex scirrho

D mesenterij compressis intestinis, siue ergo inflammentur, siue obstruantur, siue comprimantur, fæces per os possunt remeare: nam & ileos ad enterocelem atque etiam ad bubonocelem consequitur. De vlcere opportuniùs cum de dysenteria.

DE SYMPTOMATIS PRIMI ET SECVNDI GEneris ac de alui fluore. CAP. XLIII.

CVIVSQVE coctionis suum excrementum, stercus primæ, lotium secundæ, sudor tertiæ, quæ in benè habentibus per loca conuenientia natura expurgat: At cùm morbo vexamur, actionesque præsertim naturales peruertuntur, in singulis coctionum officinis, multa alia excrementa generantur quæ natura quà potest excludit: vt plurimum

E verò per alum, quia totius corporis veluti sentina est: expurgando quidem primæ coctionis excremento naturæ primo instituto destinatur, secundariò tamen seruit totius & nobilium partium excrementis excipiendis atque deturbandis: in hanc cloacam totum corpus, atque etiam singulæ partes quæ per morbos colligunt excrementa, deponunt: hinc deiectionum tot differentiæ, diarrhœa, fluor humoralis. Dysenteria, fluor sanguinolentus: Lienteria, alimenti crudi deiectio, Cœliacus fluor, deiectio chylosa: Synthecticus, deiectio pinguis & oleosa ex synthesi & colliquatione totius corporis. Diarrhœa rursum multiplex pro varietate humorum qui excernuntur: alia enim est pituitosa, alia biliosa, alia melancholica. Fluor quoque sanguinis multiplex pro dissimilitudine sanguinis deiecti, serosus, biliosus, melancholicus. Distinguuntur humor & sanguis, quòd sanguis excretus, in pelui mox

concreſcat, humor nunquam: Itaque vt ſpecies fluoris diſtinguatur, obſeruari debet deiectionis qualitas: ſi ſtercus per morbum deiiciatur, inde ſtercoraria deiectio dicetur, quam Hippocrates ſcribit portendere morbi longitudinem: Si humor, diarrhœa: ſi ſanguis, dyſenteria: ſi veluti oleum, colliquatiua: ſi alba, tenuis, aquea, cœliaca. Si alba quidem, ſed craſſa, chyloſa propriè nuncupetur. A

Cùm ex qualitate excreti hoc modo ſpeciem deiectionis diſtinxeris, vbi illius ſit fons & origo, ſeu terminus à quo, diligenter perquirendum eſt: Bilioſam enim deiectionem ab hepate calidiore procedere, melancholicam à liene: pituitoſam, vt plurimum à ventriculo, nonnunquam à cerebro veriſimile eſt: Chyloſam verò ab obſtructione meſenterij, hepatis attractrice languida, vel à ventriculo, & inteſtinorum imbecillitate: ſanguis aliquando procedit à magnis venis, vt ſuppreſſis menſibus, aut hæmorrhoidibus, aut à mutilatis, dum copioſus per interualla deiicitur. Aliquando à liene, iſque craſſus & niger profluit, vt ab hepate tenuis, feruidus, denique bilioſus, ab eodem hepate frigidiore, imbecilliore, prodit ſeroſus, coctricis & retentricis vitio, ſi malis, quia nō poteſt ſerum à ſanguine ſecernere, illius permixtione ſanguis excluditur aqueus ſimilis loturæ carnium recens mactatarum. Quiquidem fluor ideo hepaticus nominatur, quòd illius inſigni vitio contingat, nihil tam frequens in facienda medicina quàm alui fluor, nihil tamen adeò inuolutum. Efficiam vt methodus tenebras iſtas diſcutiat. B

Imprimis, diſtinguendus alui fluor criticus à ſymptomatico, eo quòd criticus leuat ægrum minuitque morbum & morbi ſymptomata, item accidit die critico, vt 7. & 14. præcedentibus ſignis coctionis, propterea fluor qui accidit primis diebus morbi non poteſt eſſe criticus, quia non potuit humor peccans coqui: natura autem excernit cocta non cruda. Symptomaticus verò non accidit robore naturæ ſeu excretricis, ſed vi & copia materiæ, retentricis imbecillitate, proinde minuit vires non morbum, eſto igitur fluor criticus, ſinendus erit, niſi excedat ſeptem dies auctore Celſo, aut tanto feratur impetu, vt proſternat vires: natura enim non poteſt ſemper ſuos motus regere, idem illi nonnumquam accidit quod ei qui per decliue deſcendit. Quinimò ſymptomaticus fluor non eſt protinus ſiſtendus, quia humor morbificus temerè ſuppreſſus, inducit morbum priori deteriorem, vt Apoplexiam, lethargum, delirium ſi refluat ad cerebrum: propterea medici prudentiores in alui fluore humorali ſolent initio dare catharticum humori peccanti conueniens ſi magna ſit impuritas, vt iuuent conatum naturæ, cuius ſunt miniſtri. In diarrhœa pituitoſa exempli loco dabis catholici ℥i. cum ʒi. agarici trochiſcati, in bilioſa catholici & Rhabarbari tantundem. In melancholica catholici ℥vi. confectionis hamecg ʒii. quinetiam etſi non ſubſit magna humorum colluuies, exhibent nihilominus quidpiam quod purget adſtringendo, vt decoctum ſemunciæ mirobalanorum, vel expreſſionem ʒii. Rhabarbari. C D

In cruenta deiectione cùm manifeſta ſubeſt plethora, ad reuulſionem & vacnationem venā pertundunt. Eſtne ſemper in dyſenreria vena tundenda: minimè verò: nam in fluore hepatico parcendum venæ, ne iecur iam plùs ſatis frigidum miſſione ſanguinis refrigeſcat. In aliis deiectionibus cruentis, licet. In dyſenteria vera ratione inflammationis iam præſentis, aut imminentis, & ad reuulſionem: Audentiùs ſanè & liberaliùs ſi febris coniuncta fuerit. Licétne etiam in ſimplici diarrhœa venam aperire? Diſtinguo: ſi diarrœa fuerit bilioſa, quia arguitur inde feruor hepatis, licet: Si pituitoſa aut melancholia minimè, niſi fuerit adiuncta febris, ſed tùm potiùs ratione febris quàm diarrhœæ, ſanguis mittitur. Hippocrates enim longi & contumacis fluoris, quinque cauſas videtur agnouiſſe: Viſceris alicuius malam diatheſim, propter quam vt perennis ſit generatio excrementitij humoris, ita indefinés fluat; inſignem obſtructionem. Impedita enim anadoſi ſeu diſtributione chyli, aut alibilis cuiuſuis ſucci, neceſſe eſt, vt refluat ad aluū. Syntexim ſiue colliquationem, vt cùm pinguis, oleoſus radicalis humor ab ardente, maligna, aut hectica febri colliquatur: Colliquatione enim durante fluor permanet: Phlegmonem, à qua teneſmus, frequens, inane tamen, deiiciendi deſiderium: & vlcus, à quo vera eaque difficilis & contumax dyſenteria. Verùm Galenus lib. de definitionibus medicis diarrhœam definit, profluuium alui copioſum & diuturnum, ſine phlegmone & exulceratione: vt priore particula diſtinguatur à teneſmo, inflammatione ani, poſteriore, E

à dyſen-

A à dysenteria. Adeo vt videantur restare tres causæ longæ diarrhœæ, partis alicuius mala constitutio, obstructio insignis, & colliquatio: Si partis constitutio sit calidior, magna obstructio, colliquatio incipiens, nihil prohibet quin sanguis mittatur: Si constitutio frigida, leuis obstructio, colliquatio inueterata, abstinendum venæ sectione. Quid multa? considerabitur diligenter non tantum humor peccans, sed pars, quæ facit & fouet diarrhœam, vt illi ex arte prospiciatur, nec tantùm astringendis roborandísque intestinis consulatur, sed etiam parti mittenti à cuius excrementis fouetur.

Conueniúntne adstringentia omni fluori alui? (hoc enim est à purgationis & venæ sectione tertium remedium.) Conneniunt sanè dummodo rectè & opportunè exhibita: vno casu excepto, nisi fluor sit ab obstructione, vt in diarrhœa chylosa.

B Augent enim obstructionem, proinde diarrhœam. In cæteris vti possis tuto generalibus præmissis, astringentibus, vt iulepo rosato cum aqua chalibeata, aut vino chalibeato, saltem diluto aqua ferrata, in causa frigida & ventriculo frigidiore.

Quibus veluti iactis fundamentis de singulis differentiis, sigillatim disseram, si priùs ex Auicenna hoc adnotauero. Omnem alui fluorem etiam disentericum & lieutericum sisti, si admoueatur ventri magna cucurbitula cum multa flamma, & illic finatur per quatuor horas.

DIARRHOEA. CAP. XLIIII.

C SI fuerit pituitosa, aut à ventriculo & intestinis procedit vitio primæ coctionis, aut à cerebro, catharro per gulam in aluum descendente, si spumans & noctu commoueatur (diarrhœa nocturna dicitur) præsertim post primum somnum, auctore Hippocrat. manat à cerebro, quia fluor iste sequitur motum catharri: Commouetur autem catharrus vesperi, alioquin à ventriculo: Si à cerebro (diarrhœa cephalica nuncupetur) purgetur corpus agarico, vel turbith quæ bullierint in decocto cephalico, vt betonicæ, saluiæ, addendo syrupi de stœcade ℥ß. imperentur deinde adstringentia potissimùm calida, quibus etiam ventriculus, vt pars excipieus, roboretur: capiti verò vt parti mitteti cephalicis consulendum, ℞. mastiches & emplastri de betonica ana ℥j. malaxentur cum oleo costino, fiat emplastrum catharri suspensorium, si placet suf-

D fiantur nocturna capitis integumenta ex saluia, betouica, mastiche, thure. ℞. saluiæ florum betonicæ ana pug. j. mastiches & thuris ana ʒii. fiat puluis crassus pro suffitu nocturnorum integumentorum capitis.

Si à ventriculo procedat, purgandum quoque & adstringendum: ventriculus tam sumptis quàm admotis roborandus. Assumptis, vt vino vel syrupo, de absynthio, de mentha, tabellis aromatici rosati: Admotis, vt litu ex oleo mastichino, & de absynthio, fotu ex sacculis plenis absynthio, mentha, rosis qui bullierint in aquæ & vini æquis partibus, vel.

℞. mastiches & cerati stomachisci ana ℥i. cum oleo de absynthio, fiat ceratum quod extendatur super aluta & applicetur ventriculo. Vomitus valdè confert quia reuellit, si sponte adueniat, diarrhœam sanat. Pro diarrhœa biliosa initio purgetur corpus leui expressione ʒij. Rhabarbari infusi in aqua endiuiæ, cum ℈i. sandali ci-

E trini, in qua dissolue syrupi de cichorio ℥i. Postea vt restringas infundatur in aqua plantaginis & fiat expressio fortis, in qua dissolue iulepi rosati ℥i. pulueris Rhabarbari vstulati ℈i. mittendus sanguis, vt iecoris calor temperetur, hepati ipsi tam sumptis quàm admotis consulendum, qualia ad intemperiem iecoris calidam præcesserunt: Vt obtundatur mordacis bilis acrimonia quæ torsiones ventris excitat, & dysenteriam minatur.

℞. syrupi myrthini & papauerini ana ℥i. cum ℥iiii. aquæ plantaginis, fiat potio. Conueniet etiam ad eiusdem vsum clyster ex lacte chalibeato vitellis ouorum & saccharo rosato. ℞. lactis cocti & chalybeati ℔i. dissolue vitellos duorum ouorum & sacchari rosati ℥ii. fiat clyster.

Ad diarrhœam melancholicam, primùm purgetur humor catholici ʒx. deinde

adſtringentibus inteſtina roborentur, ſumptiſque & admotis lienis vt parti mittenti proſpiciatur. A

DYSENTERIA. CAP. XLV.

OMNIS deiectio cruenta, hæmorrhoidibus exceptis, generalibus dyſenteria nominatur, ſiue accidat, natura copia ſanguinis grauata, vt in mutilatis & iis quibus menſes aut hæmorrhoides ſupprimuntur, aut iis qui cùm exercitationem conſuetam intermiſerint, tamen lautè viuunt, ſiue excretrice, bilioſi ſanguinis acrimonia irritata: Galenus enim dyſenteriæ cruentæ vtramque differentiam conſtituit: in vna ſanguis peccat qualitate, altera quantitate. Aliquando hepatis ἀτονίᾳ ſanguis deiicitur ſeroſus, tandem ſimilis fæci, quæ dyſenteria, cum adiunćto hepatica nominatur, vt ſuperior cruenta: B abſolutè verò & ſine vllo adiunćto dyſenteria eſt deiećtio cruenta ab vlcere inteſtinorum. Diſtinguitur à ſuperioribus, quia paucus ſenſim & laborioſè ſanguis exit, cùm ventris torminibus, ex quo ſymptomate vrgentiori à Celſo tormina nuncupatur: In aliis duabus differentiis ſanguis per interualla deiicitur, multus, confertim, & indolenter.

Dyſenteria cruenta quæ accidit propter copiam ſanguinis vt mutilatis, potiùs eget præcautione quàm curatione: Ad præcautionem quotannis aliquoties mittatur ſanguis. Quoties venæ erunt tumidæ & totius corporis grauitas aderit, plethoram ſimul & remedium indicabunt: exerceantur, viuantque tenuiter ne tantùm ſanguinis colligatur.

Hepatica, requirit ea quæ imbecillo hepati iam præſcripta ſunt, vt expreſſum C rhei, tabellas triaſandali quadruplicato rheo, paſſulas integras, hepar lupi, oxyrhodinum ad iecut cum cerato ſantalino.

In vera dyſenteria tantiſper conſiſtendum eſt, hæc fit aliquando, à pituita ſalſa & putri, non ſemper à mordaci bile, materia diſcernetur ab excreto, tùm ab ætate, à temperamento, à vita anteaćta: Senibus enim frequentiùs accidit à pituita, iuuenibus à bile, bilioſis à flaua, atrabilarijs ab atra bile, quæ ſolet eſſe lethalis, quia in inteſtinis vlcus facit cancrodes, pituitoſis à pituita. Qui bibunt merum multum & generoſum veſcuntur calidis, vt piperatis, ſalſis, acribus, qui valdè exercentur, vt quorum vita in perpetuo motu eſt, bilioſa: abſtemij verò, Ićtyophagi & qui vitam agunt ſedentariam, pituitoſa dyſenteria frequentiùs laborant; vtra peior dyſenteria à bile an à pituita? Certè longior eſt & contumacior à pituita, quia tenaciùs hæret D difficiliuſque eluitur ab inteſtinis: Acutior verò à bile: Nam bilis quæ committit dyſenteriam, ſolet eſſe æruginoſa, cærulea, atra: Illa ab inteſtinis primum abradit mucum: (natura enim inteſtina illæuit pituita vt ſiccis excrementis via ſit facilior.) Deinde pinguedinem inteſtinorum, potiſſimum ſi vlcerentur craſſa. Diſcernetur pinguedo à muco ſi excretū proiiciatur in prunas, quia à pinguedine nidor effumabit, à muco minimè: Toto iſto tempore incipit dyſenteria: malum eſt in fieri, perſeuerante malo ſecedunt braſiones interioris tunicæ, tumque fac̄ta eſt dyſenteria, vlceratum eſt aliquod ex inteſtinis. An vlcus ſit in craſſo, an verò in tenui inteſtino imprimis diſtinguendum eſt, primò ad prædićtionem quia vlcus in tenui inteſtino eſt lethale: Secundò ad curationem, quia aſſumptis potiùs quàm iniećtis debet curari vlcus tenuium inteſtinorum: iniećtis verò craſſorum. Diſcernetur autem quatuor ſignis, primo eóque manifeſtiſſimo quia ramenta craſſorum inteſtinorum E ſunt craſſiora quàm tenuium: Secundò quod dolor ſentiatur ſupra vmbilicum tenuibus, Infra verò craſſis vlceratis. Tertiò quòd obtuſior ſit dolor craſſorum, acutior tenuium inteſtinorum, atque inde febris & ſitis maior. Quartò quòd pus & ſanies permiſcentur excrementis, cùm vlcerata ſunt tenuia inteſtina. Syncera verò & impermixta exeant vlceratis craſſis: vlcus in ileo eſt funeſtius quàm in vllo alio inteſtino, quatuor cauſis: Primò propter aſſiduum bilis appulſum: Secundò, propter viciniam hepatis, Tertiò propter tenuitatem ſubſtantiæ & ſenſum exquiſitum: Quartò ob venarum maiorem copiam.

Remedia ſunt diætetica, chirurgica, pharmaceutica. Diæta, ſit tenuis, ne ſtercoris

A ris copia grauet intestina, & vlceris coalitum impediat, bibat aquam chalybeatam, dulcoretur iulepo rosaro, nisi iam senex dysenteria pituitosa laboret & sit expers febris, tùm enim vinum, sed dilutum aqua ferrata, conceditur: In biliosa, iuscula alterentur lactuca, portulaca, plantagine acetosa: quibus bilis, ob tenuitatem fluxilis, inspissetur & fluor restringatur, vtantur hordeatis, amygdalatis, oriza: parentur cum saccharo rosaro loco communis, vtantur etiam panatela, pulticula, lacte coctò cum vitellis ouorum & saccharo rosato, lac capræ, ouis, vaccæ, statim ab vbere sumptum acrimoniam bilis valdè obtundit cùm abest febris: Nam lac dare febricitantibus malum, in eo casu, consilio Dioscoridis lac coquatur cum tertia parte aquæ ad consumptionem aquæ. In eo candentes silices extinguantur. Benefaciunt cydonia, corna, mespila, pruna, quia fluorem astringunt & ardorem bilis temperant: denique sit in alimento medicamentum.

B Pro chirurgia iterum hoc quærendum, sítne semper mittendus sanguis? In biliosa licet, in pituitosa non ita, Valescus tamen de hac quæstione ita pronunciat, valdè senex dysenteria à tribus iam mensibus miserè torquebatur, vocatus in consilium, reluctantibus omnibus aliis medicis, iussi venam aperiri, mox conualuit.

Pharmaceutica assumuntur, vel iniiciuntur: adstringentibus enim admoris medici primæ notæ initio censent abstinendum, quia excernenda, vt bilem mordacem, saniem, pus, retinent: Assumatur primùm quod purget humorem peccantem, vt expressum rhei, clysteres lenientes qui bilis acrimoniam obtundant simul & fluorem sistant. ℞. lactis chalybeati ℔i. succi plantaginis ℥iiii. vitellum vnius oui, C & sacchari rosati ℥ii. fiat clyster qui sæpe iteretur: Plantago quouis modo administrata in dysenteria est singularis, in coquatur insculis, ex illius aqua destillata cocta cum pauco saccharo rosato, fiat iulep, quo vtatur inter pastus: si malis cum eadem aqua dissolue syrupum aliquem astringentem vt rosarum siccarum, granatorum, cydoniorum & myrtillorum: ex conserua consolidarum cum trochiscis de bolo, de terra sigillata, de earabe, de spodio, vel cum bolo, terra sigillata, corallo rubro, cornu cerui vsto, fiat opiata: quæ omnia non tantùm symptomati, nempe cruentæ aut purulentæ deiectioni, sed etiam causæ, nempe vlceri subueniũt, præsertim quando est in tenuibus intestinis: nam vt præmonui, in crassis, iuuatur magis iniecto quàm assumpto. ℞. plantaginis vtriusque, centinodiæ, thapsi barbati & rosarum rubr. ana m. ß. malicorij & balaustiorum, ana ℥ß. fiat decoctio, In colaturæ ℔i. dissolue duos vitellos ouorum & sacchari vel mellis, vel syrupi rosati ℥ii. vrgente dolo-D re dissolui etiam poterit ʒi. Phylonij, & pro sedandis erosionibus dissolue cerati Galeni vel vnguenti rosati Mesue, vel seui hirci aut capræ ℥ß. fiat clyster.

Memineris in dysenteria pituitosa initio imperandos esse clysteres detergentes, cuiusmodi hic fuerit. ℞. absynthij, Agrimoniæ, & marrubij, ana m. j. hordei integri & furfuris ana png. duos, fiat decoctio in hydromelite, colaturæ ℔i. iniiciatur. Quod si vlcus fuerit putre & sordidum, quod indicabit sanies multa, tenuis, putida, similis ei quæ à cadaueribus exudat: nos, inquit Aetius, in eo casu solemus iniicere muriam oliuarum, aut in hydromelitis ℔i. dissolue ʒi. vnguenti diapompholigos, quòd si ab æruginosa bile fuerit vlcus depascens, malignum, cancrodes, prænunciato vitæ discrimine, consilio Auicenæ & Rhasis dissolue trochiscorum, de arsenico ʒi. vel authore Galen. nono κατὰ τόπους trochiscos Andronis, vel Polidæ vel Mu-E sæ: Ægyptiaci ʒi. medici vtuntur cum aqua plantaginis. Nos contenti sumus vnguento de plumbo aut diapompholigos. ℞. aquæ plantaginis ℔i. infunde boli armeni & sanguinis draconis ana ʒii. Pulueres enim malo infundi quia alioquin mordicant, in colaturæ ℔i. dissolue vnguenti de plumbo, vel vnguenti diapompholigos ℥i. smaragdi gr. vj. exhibet Auenzoar cum conserua rosarum, aut ℞ smaragdi & coralli rubri ℈ ß. cum saccharo in aqua rosarum soluto, fiant paruæ tabellæ.

DE LIENTERIA. CAP. XLVI. A

QVÆ succedit longæ diarrhœæ aut dysenteriæ est lethalis. Primaria, si accidat humoris alicuius aut alimenti corrupti vitio coctionem impedientis, purgetur hieræ ℥ß. propter amarorem inuoluatur obeliis vino albo madidis; aut ex massa pillularum de mastiche, ex massa pillularum de quinque generibus myrobolanorum, capiat pro dosi ʒj. Quæ etiam conuenient quando propter summam imbecillitatem, vt intemperiem frigidam, ventriculus omnino non coquit, sed quale sumpsit alimentum reddit, tùm vtendum sæpe tabellis aromatici rosati, vino absynthite, admouenda etiam quæ pro diarrhœa pituitosa & intemperie frigida ventriculi dictata sunt. quidam affirmant pudendum cerui lientericis proprietate conuenire, detur ʒi. B cum syrupo de mentha vel de absynthio ex cochleari.

Notandus Aphorismus Hippocratis, si lientericus acidum ructet, inde affulgere spem sanitatis, quia inquit Galenus, significatur naturam aggredi coctionem.

FLVOR COELIACVS. CAP. XLVII.

SVB hoc affectu chylosa quidem deiiciuntur, sed liquida, quia ventriculi & intestinorum imbecillitate accidit, saltem alimenta exeunt semicocta, non qualia sumpta sunt, vt in lienteria: At chylosæ deiectiones quæ accidunt hepatis attractrice languida, vel mesenterio obstructo, sunt crassæ: Sanè iam confectus chylus à ventriculo & intestinis, C quia non potest distribui, excluditur quidem, sed crassus & coctus, non tenuis & aqueus vt in fluore cœliaco. Itaque si liquidę & albę fuerint deiectiones, quia ventriculi & intestinorum imbecillitatem arguunt, curetur hic fluor vt lienteria: nam authore Galeno, differunt tantum intensione & remissione, verùm si ab obstructione albæ & crassæ exeant deiectiones, abstinendum erit adstringentibus, nisi in declinatione: Aperientia potiùs ex vsu sunt, vt iuscula radicibus aperientibus alterata. Decoctum cicerum rubrorum in quo pulueris diacurcumæ ℈ii. dissoluantur pro dosi, vel trochisci de rheo, de absynthio, vt in hepatis & mesenterij obstructione.

FLVOR SYNTHECTICVS. D
CAP. XLVIII.

SIVE totius, vt in maligna, ardente vel hectica febre, siue partis alicuius, vt hepatis, fiat colliquatio ab inflammatione, statim prædicenda mors, nisi vt in vrinis aliquãdo liquatus renum adeps veram colliquationem mentitur: Ita intestinorum pinguedo fundatur, ideamque referat colliquamenti. Si quæ tamen sit spes, tota posita est in analepticis quę refrigerent cum adstrictione: paretur exempli loco destillatum restaurarium ex conseruis rosarum, & symphiti, pulueribus triasantali & diamargariti frigidi, coralli, eboris, terræ sigillatæ, diluantur omnia iusculo perdicis, caponis, si placet alterari iam lactuca, portulaca, plantagine, acetosa: ex quibus omnibus permixtis, positis in alambico, destilletur aqua E quæ restaurabit vires, febris ardorem, aut visceris inflammati temperabit, simulque fluorem compescet.

DE TENESMO. CAP. XLIX.

QVI præcurrit dysenteriam fit à pituita salsa, aut bile mordaci sphynctęrem assiduè stimulante. Qui verò eandem sequitur, fit ab vlceris sanie: fit etiam à fęcibus induratis: tum iniiciatur clyster communis: Si verò à pituita, clyster detergens, si à bile, clyster ex lacte cum vitellis ouorum & sacchato rosato, si ab vlcere quod post dysentericũ fluorem manet, nihil inueni pręsentius frequenti vsu lactis asinini, cui si non cedat, adeat aquas Niuernenses, benefaciunt enim

A enim omnibus vlceribus internis, si tamen vlcus sit in ano, patesur suppositorium ex emplastro de cerusa, vel iniiciatur vnguentum diapompholigos cum aqua hordei, aut hydromelite: nodulus eodem intinctus indatur; vrgenre dolore addere possis suppositorio duo grana opij. Quod si ab inflammatione sphyncteris procedat, aperiatur primùm vena in brachio, deinde in pede: Postea tapso barbato, plantagine, centinodia, bursa pastoris, impleantur sacculi, qui bulliant in lacte & applicentur podici. Iidem sacculi conuenient quoties in dysenteria podex hiat: si placet semine psillij & cydoniorum contusis impleantur duo parui sacculi, qui bulliant in lacte & vicissim applicentur, ex iisdem herbis parari poterit semicupium.

ALVVS PIGRA ET ASTRICTA.

B

CAP. L.

Calore & siccitate intestinorum accidit, vt fæces indurentur, aluus nil aut parum reddat. Vt enim excretrix humiditate iuuatur, ita retentrix siccitate. Contrariorum autem contraria sunt consequentia: proinde aluus sicca est pigra, difficilis & laboriosa. Humida verò facilis & lubrica. Noui multos qui vix semel septimo quoque die deiiciunt. His exhibemus quotidie mane. Iusculum alteratum herbis refrigerantibus & humectantibus, vt lactuca, portulaca, althæa, oxylapatho, aut iusculum prunorum sacchаro dulcoratum: manna quoque dissolutum in iusculo pulli aut carnis vituli-
C næ plurimum conferet. Indatur in anum balanus acris cum ℥iij. hieræ. Iuuant frequentes Clysteres cum decocto capitis veruecini aut omasorum, in quo catholici, aut cassiæ, aut lenitiui, mellis violati ana ℥i. dissolues olei violati ℥ii. bibat aquam cassiæ per aliquot dies, parabitur cum vnciis duabus cassiæ infusæ in ℔. ii. ptisanæ, de colatura bibat. Laudo etiam semicupij esum frequentem, quando duriores fæces non sinunt syphonem intromitti in anum, emoliri debent dicto enchatismo, aut cataplasma ex desidentia clysteris remollientis imo ventri apponatur. Beniuenius obseruauit in dissecto callum in intestino recto, cuius causa aluus nil nisi decimo quoque die reddebat, si talem obseruaueris, cum cerato myrthino, & Ægyptiaci quarta parte, fiat suppositorium quo callus consumetur.

COLICVS DOLOR. CAP. LI.

D

Rarò fit ab inflammatione, aliquando à bile, vt plurimùm à pituita, aut flatu: Inflammato colo in ventre sentitur pulsatio, atque etiam non tantum fæces, sed vrina retinetur, vrget sitis cum insigni ardore, cui malo succurrendum esse, vena primùm in brachio, deinde in pede secta monuimus, prænunciato periculo: A bile non admodum frequenter excitatur, tùm, carminantibus tam sumptis, admotis quàm iniectis dolor intenditur: itaque Trallianus huic dolori medetur potu frigidæ, verùm non est tutum remedium, nisi simus certi non esse dolorem ab inflammatione, quia actu frigida nocent internis inflammationibus, eo quòd humorem densant impinguntque. Rhasis in eo casu miscet catharticis narcotica vt purget simul & dolorem de-
E mulceat, vtpote Philonij ʒj. diapruni solutiui ℥ß. Quomodo minùs nocet narcoticum, quia non diu moratur, sed catharticum minus purgat, quia obtunditur illius vis à narcotico. Propterea Aëtius dat diaprunum per se, deinde Philonium quantitate fabæ ex frigida. Dentur clysteres qui refrigerent, sine oleis, quia facilè inflammantur, Iusculum pulli infarcti hordeo, in quo bullierint taleolæ cytri, vidi exhiberi fœlici admodùm successu. Meminit Valescus lib. 1. colicæ quam calidam fuisse suspicatur, quia depulsa sit remediis frigidis.

Ad flatus atque etiam ad pituitam, iniiciantur clysteres carminantes hac formula. ℞. hyssopi, thimi, pulegij, calamenthæ, origani ana m. ß. Seminum anisi, fœniculi, carui, dauci, rutæ, baccarum lauri ana ʒij. florum camomeli & meliloti ana pug. vnum, fiat decoctio, in colaturæ quartariis tribus (oportet enim esse paruam quantitatem, quia intestina flatu distēduntur,) dissolue hieræ & benedictæ laxat.

Xx

ana ℥iij. confectionis de baccis lauri ʒij. olei rutæ, anethi vel lauri ℥iij. fiat clyster, A detur calidus, quia tepidis flatus augentur: Potest parari clyster ex vini & olei alicuius carminatiui æquis partibus, assumant per os confectionis de baccis lauri, castorei, theriacæ vel mithridatij veteris ʒi. cum vino albo. Aut olei amygdalarum dulcium ℥ij. cum vino maluatico, aut aquam de floribus chamemeli destillatam.

Soleo dare vitellum oui cum tribus granis piperis integri: admoneatur ventri magna cucurbitula, aut panis de furno calens irroratus vino, aut aqua vitæ. Venter liniatur oleis anethi, rutæ, lauri, Admoueatur tandem emplastrum de baccis lauri, & clysteres repetantur: detur etiam per os benedictæ laxatiuæ ℥ß. forma boli, aut cum vino, decocto coriandri: vtatur trageta communi à pastu. Vsus frequens pillularum de hiera præseruat ab hoc cruciatu, paretur massa qua vtantur sæpe qui colicis doloribus sunt obnoxij, vulgus edat allia & arctiùs ventrem constringat. Cæterùm multa creduntur, huic malo proprietate conuenite. Asclepiades apud Galenum nono κατὰ τόπους gallinarum interanea vrit in furno, pulueris dat cochlear vnum cum mulsa. Alij laudant ʒi. pulueris vermium, alij ʒj. cornu cerui cum vino, Galenus ad Pisones galeritę, & mesengę puluerati easdem tribuit vires: Sunt qui gestant intestinum lupi instar cingnli, Alij vmbilicum infantis linteo inclusum, aliqui gestant argentum viuum lata phiala conclusum appensum collo ita vt vmbilicum attingat: Author libri de remediis paratu facilibus, qui Galeni nomine circumfertur, affirmat si colico dolore vexatus dormientem canem à somno excitauerit & locum in quo dormiebat perminxerit, moriturum canem, sed colicum dolorem mox dispariturum. B

HÆMORRHOIDES. Cap. LII. C

Enas magnas quę multum sanguinem fundunt Hippocrates αἱμοῤῥοΐδας appellat, vnde hæmorthoides nasi vteri, ani, sunt venæ quæ per circuitus in his partibus tument, necnon aperiuntur, venæ quæ potissimùm à porta exortæ desinunt in anum, sine adiuncto hæmorrhoides nominantur: aliæ verò cum adiuncto hæmorrhois nasi, aut vteri. Quædam sunt cæcæ, aliæ apertæ: appellare possis cæcas, quæ delitescunt, aut quæ etiamsi sint conspicuæ nullum sanguinem effundunt, apertas verò quæ per interualla sanguinem emittunt, siue sint externæ, siue internæ.

Naturis & morbis melancholicis idem auxilium adferunt quod menses mulieribus: Liberant enim à magnis morbis, quandoquidem pleuritide non laborant D neque peripneumonia, phagedena, furunculis, lepra quibus liberè fluunt, vt est sexto epidemion. Melancholia quoque & nephritide liberant si superueniant, vt est sexto aphorismorum, ptoinde temerè sisti non debent: non est tamen illis assuescendum, nisi inde magnum aliquod bonum, vt melancholiæ, epilepsiæ, aut quartanæ longæ solutio speretur. Itaque cùm primùm tument incipiuntque esse molestæ, corpus repurgetur catholici ʒx. aut ʒvj. foliorum sennæ cum syrupi de epithymo aut regis Sabor ℥i. incidatur basilica dextra, dolor demulceatur, metu inflammationis: si foris appareant, liniantur vnguento populeo, mucagine fœnugræci, aut oleo in quo millepedes aut scarabei bullierint, Insessus confert etiam internis, decoctum paretur ex quatuor remollientibus camemelo, meliloto, similis decocti vapor poterit excipi ano, aut eodem foueri, si placet impleantur sacculi floribus camomeli & meliloti, bulliant in lacte & vicissim applicentur: perseuerante dolore E adde folia hyoscyami, mandragoræ, vel papaueris, succus plumbi est optimum anodynum, oleum ex vitellis ouorum agitetur in mortario plumbeo cum pistillo plumbeo donec consistentiam vnguenti acquisierit. Cœcæ maiorem concitant dolorem, propter tensionem venarum, & acrimoniam sanguinis. Ergo faciamus nobis esse cōsilium eas aperire maioris boni gratia vt melācholicis, epilepticis, nephriticis, distinctione hîc opus est. Nam si iam emineant tumeántque, aperiantur hirudine admota, aut phlebotomo, nisi malis foliis ficus aut mercurialis perfricare, si non tumeant, aperiatur saphena, dentur pillulę de hiera, indatur suppositorium commune, acurum ʒii. hierę, aut salis gemmę, aur mucerdę: Quid si fluant pręter modum virésque deiiciant, aut metus fit ab hydrope propter iacturam sanguinis? tùm sista-

tur

tur fluor aperta basilica quæ est è directo venæ fluentis, imperentur pillulæ de bdel-
A lio quæ authore Rhasi ita præparentur. ℞. bdellij & ameos ana ℥iii. mytobo-
lanorum omnium vstorum & charabe ana ʒii. ß. infunde in succo porri, fiat parua massa, dosis ʒii. Quidam addunt scoriæ ferri ℥ ß. conueniunt etiam adstringentia tam sumpta, admota, quàm iniecta, quæ priùs pro alui fluore sistendo dictata sunt, exempli gratia, ℞. limaturæ ferri maceratæ sæpiùs in aceto, ad summum ʒij. misce cum conserua rosarum vel symphiti, fiat bolus: In admotis habetur insessus astringens, ex rosis, balaustiis, malicorio, verbena, plantagine, centinodia: ex iisdem fotus. Oribasius commendat fotum ex posca, in qua plumbum vstum sit, aut ferri squamma extincta. Cucurbitulæ hypochondriis & lumbis sunt admouendæ vt reuellatur sanguis & sistatur in suo fonte: fluenti venæ opponatur emplastricum, quale parabitur ex bolo, thure, vel sanguine draconis agitatis cum oui albumine, tan-
B dem escaroticum, vt vitriolum. Albucasis diuertit fluxionem admoto ad coxendicem cauterio, vel tria oliuaria ad dorsi postremam vertebram figura triangulari; Applicat etiam vnum clauale ad regionem iecoris, alterum ad regionem lienis, vnum duobus digitis infra vmbilicum: quintum si ventriculus male coquat, & iam æger cachecticus videatur, vnum ad regionem stomachi, maneant diu aperta.

Cæterùm Hippocrate authore, inueteratas hæmorrhoides sananti vna relinquenda est, Aetius tamen omnes tutò simul sisti posse existimat, dummodo aliquando incidatur vena & viuatur frugaliter. Verùm recentes quidem sanati omnes simul possunt tutò non inueteratæ, saltem non simul, sed paulatim, interiecto longo temporis spatio.

C

PARTICVLARIS METHODI MEDENDI,

SECTIO QVARTA,

IN QVA EXPLICANTVR MORBI ET symptomata partium quæ seruiunt procreationi.

D

AFFECTVS GENITALIVM VIRI, IMPRIMIS Testium. CAP. I.

TESTES in generatione primas tenent, deinde penis, quorum inuolucrum commune, scrotum. Testes potissimùm laborant intemperie frigida, ex qua veneris impotentia: In eosdem incidit morbus numeri: debent enim esse bini. Est tamen qui vnicum habet, qui monorchis dicitur, est qui tres, quod cuidam familiæ gentilitium in hac ciuitate Fernelius obseruauit, vidi qui haberet quatuor paruulos, erat salacissimus, nullos tamen liberos suscepit. Peccant etiam in magnitudine, vidi qui duos habebat
E sed perexiguos: nupserat, illiúsque vxor pepererat, sed partum habebat pro spurio: hoc motus argumento, quòd post longum coitum nihil præter flatum emitteret, si spiritus iste sine corpulentia seminis satis potens fuerit ad procreationem, scholis disputandum relinquo: Nam Zeno semen finiebat genitorem spiritum: multæ aues columbando concipiunt.

Ad morbum magnitudinis referri potest sarcocele, est caro præter naturam adnata testi, contactu veluti alter testiculus deprehenditur, hocque modo à scyrrho distinguetur, sunt qui appellant non carneam sed callosam herniam.

Ad morbum situs pertinet retractus ille testis à natura qui mentiebatur bubonocelem: Item indecore penduli testes, relaxatis cremasteribus quod obseruaui ex frequenti natatione, affectus iste rhacosis appellatur. In morbis communibus primum

locum tenet inflammatio, estque morbus admodnm frequens, deinde scyrrhus, testis durities lapidosa. Pergam ad morbos penis si propositorum remedia in pauca contraxero. A

De intemperie frigida mox cùm de impotentia veneris, morbus numeri medicam manum non postulat.

Sarcocele. Pro sarcocele non videtur aliud imperandum remedium quàm testis ipsius amputatio: Frustra enim carnis emollitio, deinde resolutio fotu, litu, emplastro, cataplasmate, semicupio tentatur, nisi cùm primùm enascitur & caro adhuc mollis contactu percipitur, vidi emollientium & resoluentium longo vsu planè absumptum testem. Quando excrescentia longè latéque serpit, quorundam opinione testis non est amputandus.

Contracto testi à natura, imperaui fotum, situm emollientem, cataplasma semicupium ex quatuor emollientibus, sed frustra: naturam pellas furca, tamen ipsa recurret. B

Rhacosis. Ei verò cui ligamentis relaxatis immodicè testes pendebant vtiliter imperaui fotum ex saluia, rosis, maiorana, primula veris, malicorio, & balaustiis, quæ bullierint in aquæ & vini æquis partibus, ex magmate cataplasma. Abstinentiam veneris: chirurgiam Paulus explicat libro sexto.

PHLEGMONE TESTIVM.
CAP. II.

De inflammatione pluribus differendum: dignoscetur autem tumore duro, calore, dolore, febre, vt plurimùm fit à causa aliqua externa, vt ictu, equitatione dura, immodica venere relaxatis vasis, aliquando etiam succedit gonorrhϾ virulentæ, quando enim intempestiuè supprimitur, materia refluit ad testes, atque illic phlegmonem excitat. Remedia sunt clysteres frequentes, purgatio ex cassia aut catholicone, vena primùm in brachio, deine in pede secta: Topica: initio cataplasma quod repellat, quale hoc fuerit: ℞. farinæ hordei ℔ ß. pulueris rosarum ℥ij. coquantur in oxymelite, cum oleo rosaceo fiat cataplasma, deinde imperetur alterum resoluens ex farina fabarum, & puluere camemeli, fœnugræci coctis in vino, impediatur omni arte suppuratio, quia est plena periculi: quando testis detumuit, soleo applicare emplastrum de meliloto, ceroneum, vel oxycroceum ad reliquias absumendas & partem roborandam. C D

Scyrrhi emollitio & resolutio minore profectu tentatur quàm carnis supercrescentis, sola spes in amputatione restis, quæ tamen, non est sine maturo consilio aggredienda.

DE MORBIS PENIS, AC PRIMVM VLCERE.
CAP. III.

VLCERATVR foris & in vretra, vlcere simplici, aut maligno, quod vulgò caries pudendi dicitur, quale ex fœdo concubitu contrahitur. Vlcus etiam malignum, abluatur primùm aqua plantaginis, superponatur deinde vnguentum diapompholigos, si non cedat, attingatur aqua forti temperata aqua plantaginis, ratione partis. Causticum enim sistit putredinem & cacoethiæ resistit, vel ad vnguenti diapompholigos ℥i. adde argenti viui ʒi. nisi malis vnguentum de Vigo cum mercurio. E

OBSTRVCTIO PENIS. CAP. IV.

OBSTRVITVR aliquando lapillo qui in via substitit, attrahatur suctu, litu glandis cum oleo scorpionum, creditur enim habere vim attrahendi lapillos. Penis madeat in lacte, in quo quatuor remollientia bullierint: Ad ductum dilatandum iniiciatur oleum amygdalarum dulcium cum oleo scorpionum. Tandem ad latus facta incisione, extrahatur.

A

DE PHYMOSI ET PARAPHYMOSI.

CAP. V.

Φ Ymosis & παραφύμωσις vel sunt morbi conformationis, pertinentque ad figuram vitiatam, aut quod ego malim, ad morbum in meatu: huius enim, auctore Galeno, quinque sunt species, coalescentia, coarctatio, compressio, subsidentia, & obstructio: pertinent autem ad coalescentiam: φύμωσις enim seu capistratio dicitur cùm glãs detegi non potest, siue natura, siue accidente, vt callo & cicatrice, id acciderit: vidi infantes, cui ad meiendum natura tam exiguum foramen reliquerat, vt perpetua dysuria laborarent, fuissentque steriles, nisi chirurgia prouisum fuisset, tales
B ἀτρήτες, imperforatos dixeris quemadmodum mulieres imperforatas, quibus vterilabra in vnum coaluerunt: Non ita pridem infans prodiit in lucem podice imperforato, meminit similis exempli Amathus Lusitanus in centuriis. Similia duo exempla legere possis apud Beniuenium Obseruat. 30.

Παραφύμωσις opponitur φυμώσει, hîc glans detegi non potest, illic retegi & cooperiri nequit, quod accidit sępe ex gonorrhœa virulenta suborto tumore aliquo in glande: Vtriúsque affectus chirurgiam explicat Paulus lib. 6. Noui qui naturę & primæ conformationis vitio detectam habent glandem sine actionis vllius læsione. Iudæorum circuncisio est morbus numeri, defectus vtilis substantiæ, inde Appellæ, recutiti, nominantur.

C

PRIAPISMVS. CAP. VI.

PRIAPISMVS est species quædam emphysematis, tenditur assiduè penis ex inflatione nerui cauernosi, qui affectus Heraclium imperatorem olim infamem reddidit: circumferebatur ore omnium, Deum in vindictam hunc morbum immisisse quòd cum nepte illegitimas nuptias contraxisset, quoties meiebat toties lotio vultum conspergebat, hoc morbo quidam Priapus nomine interiit, vnde morbo nomen. Affectus virorum proprius, vt Satyriasis mulierum: Tantùm sentiunt pruritum cum dolore in genitalibus, vt illis perpetuo manus cogantur admouere, & intollerabili veneris desiderio contabescunt, Istas quippe partes acris humoris affluxus assiduè pungit: vicinæ-
D que vtero partes inflammantur, coitu tamen non leuantur, imò, propter inflammationem, læduntur, & maior fit confluxus.

Abluantur pudenda decocto plãtaginis & oxylapathi cum radice, deinde liniantur hoc vnguento, ℞. lythargiri argenti ℥ß. lauetur primùm in aceto, deinde agitetur in mortario cum oleo violaceo, fiat vnguentum. Purgentur sæpè & mittatur sanguis non semel.

Refert Seneca, se vidisse quendam qui numquam arrigebat nisi flagris cederetur, sic pellex eum ad venerem incitabat, quod non est à ratione alienum. Nam flagris incalescentes venæ & arteriæ lumborum, multùm gignunt flatum, qui ad colem transmissus, tentiginem facit. Cur supinus & durus decubitus excitat tentiginem? quia pressæ lumborum arteriæ, incalescunt, hinc multus flatus quo penis ten-
E ditur. Quidam inquit Galenus solito arctiùs præcincti, compressione lumbis incalescentibus leuem priapismum incurrunt: Salaces & lasciuas mulieres, quæ lassantur viris non satiantur, Satyras non malè dixeris ἀπὸ τῦ σαθεῖν. Cuiusmodi sunt quibus vterus est natura siccus, humectari enim desiderat, & famelicus, proprio pabulo vult repleri: Vteri quædam βουλιμία, Valescus ex fissuris labiorum conicit vteri immodicam siccitatem. Intemperies illa humectante fotu, litu semicupio, pessario temperetur. ℞. altheæ cum radice violariæ ana m.j. fœnugræci ℥j. fiat decoct. cuius vaporem per infundibulum excipiat, ex magmate cataplasma paretur.

At Priapismus, est quidem rarus affectus, sed plenus periculi, vt est sexto de locis affectis, vix vnquam aliis accidit quam iuuenibus, iisque sanguineis. Iraque frequentes iniiciantur clysteres qui constent carminantibus simul & refrigerantibus metu inflammationis, lumbi, perineum & penis, liniantur cerato Galeni, vel

vnguento rosato Mesuæ, oleo nenupharino cum pauca caphura: mittatur sanguis: A
paretur semicupium ex carminantibus adiectis foliis nenupharis: decumbant in alterum latus, non in dorsum, bibant aqnam in qua coriandrum bullierit, abstinendum enim vino, ratione inflammationis præsentis aut imminentis, proderit cassia. Quanquam Galenus vomitoriis malit vti, quàm deiectoriis.

DE THIMIS. CAP. VII.

Exoriuntur aliquando in præputio, aliquando in glande & cole, quædam excrescentiæ quæ generaliori nomine Thimi nominantur: quarum aliæ sunt benignæ, aliæ malignæ: Benignæ sunt carnosæ, albæ, aut subrubræ, inæquales quidem & asperæ, attamen molles & indolentes: malignæ verò sunt maiores, duræ, cum dolore punctorio & mali coloris, B Benignæ nouacula abscindantur móxque calchitis conspergatur. Malignæ, aut non sunt attingendæ, aut cum primum abscisæ fuerint actuali cauterio vrantur, vt cacoethia corrigatur, Tutius est, vt in cancro, totum membrum amputare.

MORBI SCROTI. CAP. VIII.

Huc referri possunt cyrsocele, vulgò hernia varicosa, hydrocele, hernia aquea & pneumatocele, hernia flatulenta: Sunt enim tumores scroti: Paulus cyrsocelem vocat varices scroti aut inguinum, quanquam quandoque sunt testium, quando videlicet eorundem venæ crasso & C atro tument sanguine, huic malo blandiendum est corpore quotannis repurgato, vere & autumno misso sanguine, pars affecta oxyrrhodino linienda ad robur, ne tam facilè excipiat: Chirurgiam tamen si quis velit experiri, consulat sextum Pauli, vbi herniarum artificialis operatio explicatur.

Cyrsocele.

Pneumatocele. Pneumatocele carminantibus percuretur, foueatur scrotum decocto Anethi, rutæ, lauri, florum camomeli & meliloti, deinde oleis rutæ, lauri, lana imbuta superponatur, aut emplastrum de baccis lauri: Admonebis initio, fore longuam & difficilem curationem, quia per venas & arterias noui flatus assiduè confluunt, neque tamen in hac specie herniæ chirurgia tentanda.

Hydrocele hernia aquosa. At in aquea si non possis emplastris ad ascitem descriptis, emplastro ex minutis cochleis, aquas discutere, (quod propemodum impossibile) tentanda chirurgia: ea autem est varia & multiplex: nam aut setone scrotum traiicendum est, atque ita D paulatim aquæ exhaurientur: aut cauterio actuali vel potentiali contentis aquis facienda via: aut ferro scrotum incidendum est, postea per canulam sensim aquæ vacuandæ. Non constat inter magistros artis vbi incisio fieri debeat. Quidam sursum versus duobus digitis longè à teste scrotum incidunt, Albucasis tamen & Auicenna iubent, vt potiùs aperiatur scrotum, ima parte: postquam aqua abundè vacuata videbitur, vt vulnus obducatur, admoueatur emplastrum aliquod adstringens, vt diapalma quod subligaculo contineatur. Ceterùm pellucentia non distinguit hydrocelem à pneumatocele, quia vtrique communis est, sed pneumatocele habet adiunctam leuitatem, hydrocele manifestum pondus. Cur frequentius parte sinistra oritur? quia sinistra spermatica ortum habet ab emulgente.

E

SYMPTOMATA PRIMI GENERIS, *ac primum de Veneris impotentia.*

CAP. IX.

Imprimis requiritur in viro virilitas, hoc est non tantùm genitalium robur, sed nobilium partium, quæ omnes ad perfectionem seminis aliquid contribnunt, cerebrum spiritum animalem, cor vitalem, vt formam, iecur sanguinem, vt materiam, cuius benignus & halituosus vapor habetur pro naturali spiritu, itaque ineptus est ad prolem, cui aliqua ex partibus deuotis generationi imbecilla fuerit, aut si pars aliqua princeps grauiter

A grauiter laboret, vtpote si frigidum habeat cor à natura, si insigne aliquod vulnus in capite acceperit, si hepaticum ex fœdo faciei colore iudices. Priuatione cognoscitur habitus, vnumq; altero definitur: atqui cócurrunt tres partes principes, ad fœcundi seminis generationem: Itaque si harum aliqua nihil contribuat, si vim suam cum spiritu singulę non transmittant, cerebrum animalem, cor vitalem, iecur naturalem, semen erit infœcundum.

In testibus natura posuit vnum fontem caloris, hoc argumento quòd castrati euirantur, ex natura virili in muliebrem degenerant. In vasis spermaticis præparatum sanguinem coquere & in semen conuertere est opus caloris, prout ministrat facultatis seminificæ seu prolificæ, quam natura testibus indidit, proinde qui testes habent natura, aut accidere frigidiores, qui in inguine qua parte descẽdunt vasa spermatica, vulnus acceperint, infœcundi iudicentur, semen quidem emittunt, sed liquidum, B crudum, serosum, quale non potest esse prolificum, semen illis effluit pudendo veluti lachrimante, & laboriosè concumbunt. Mitto testium numerum, magnitudinem, situm, conformationem, quorum minimum si desit, sterilitas inde cóicitur: Pergemus; nec tantùm totius, maximè verò partium nobilium, aut testiculorum, sed etiam penis actiones consideremus. Hæ autem sunt arrectio & eiaculatio: Arrectio non debet esse fugax, sed tam longua, vt sufficere possit intromissioni, hoc autem præstat non crassus, qualis facit priapismum, sed multus isq; tenuis spiritus: Proinde quibus neruus cauernosus pauco flatu impletur, iis vererrum quidem tenditur, sed mox concidit, non arrigunt tandiu, vt intromittant, hos propiè dixeris coïtus impotentes, omnes quidem impotentes sunt steriles, non contrà, quia multi arrigunt, & intromittunt qui tamen sunt infœcundi, vel quod non eiaculentur semen, vt si C φυμώσει laborent, vel eiaculatoria vasa habeant infirma, vel sphyncter laxior sese satis comprimere nequeat ad excretionem: eliditur enim veluti nucleus digitis, quod ἐκπυρήνιζειν dicunt Græci, non excluditur inquam cum impetu, fortassis etiam quod paucus sit spiritus, eos enim ideo vocat Hipp. impellentia quod omnis, præsertim vehementis, impulsionis sint ministri, quod tam longè, quinetiam sursum meiamus efficiunt spiritus: mitto impotentiæ causas externas, vt metum & pudorem: his enim nulla debentur remedia: Fingamus iam quempiam de sterilitate apud nos conqueri. (Consideratio quę fit ex parte mulieris postea explicabitur) ex parte viri obseruabis primùm num sit valetudinarius: nam etiam pulmonarij, aut non generant, aut sobolem edunt morbidam minimeq; vitalem, Ad testes secunda consideratio dirigatur. Postrema ad penis morbos & symptomata, ad morbos inquam, vt obstru- D ctionem communis meatus à caruncula quæ impedit eiaculationem, & φύμωσιν, Ad magnitudinem penis: nam longior infœcundus creditur, quia longiore ductu genitor spiritus euanescit, semen refrigescit: breuior non potest vsque ad sinum semen iaculari. Ad symptomata, vt arrectionem & eiaculationem, arrectionem inquam, tam diuturnam, vt intromittat, si quid horum desit, vt si arrectio sit fugax, infœcundus iudicetur.

Si origo mali pendeat à principibus partibus, roborentur tam sumptis quàm admotis, cerebrum cephalicis, cor cardiacis, iecur hepaticis: si non sit plenus succi, sed valdè gracilis, si parum sanguinis suppetat pro materia seminis: augeatur alimentis boni succi, vino generoso, nucleis pini, pistacij, contundantur sensim affuso lacte, deinde addito saccharo fiat pineolatum non aliter quàm amygdalatum. Exijsdem E pro bellariis cum amygdalis, marcipanes, pasta regia: quotidie mane sumat lac coctum cum vitellis ouorum & saccharo, aut lac coctum cum melle. Phasiani, alaudæ, coturnices, columbæ, passeres sint pro ordinario cibo. Imprimis cerebella passerum, parantur etiam farcimina ex cristis & testibus gallorum cum testibus arietis, cerebellis passerum, multa medulla: Vitelli ouorum sunt succulenti, succulentiores si coquantur cum alibili succo coxæ arietis, lingua anseris sicca, pulurata, sumpta sæpius cum vino: creditur proprietate augere copiam seminis: Faciamus hominem infœcundum, esse plenum succi & lautè viuere, tamen non arrigere inopia spirituum, suadebis, vt vescatur cibis flatulentis, vt pisis, fabis, ciceribus, phaseolis, auellanis, castaneis, auellanæ & castaneæ frigantur in sartagine aut elixentur in lacte, terantur, addito saccaro fiat pulticula seu auellanatum, si malis auellanæ, per aliquot dies macerentur, in melle, mel edatur, forma opiatæ.

Excitat ad Venerem tardos eruca maritos.

Quod sit flatulenta, properea siccetur & illius puluere opsonia condiantur. Quid si noster impotens fuerit succulentus atque etiam flatulentus, non arrigat tamen? sanè si omnino non arrigat, credibile est vitium esse in facultate, atque illum laborare paralysi pudendi, cui tùm succurendum est remedijs, primùm in genere cùm de paralysi, posteà in specie, cùm de paralysi vesicæ tractauimus, explicatis: sumat per aliquot dies castorei ʒj. vel vtatur opiata ex conseruis nerualibus, foueantur genitalia necnon os sacrum, à quo nerui motorij originem ducunt, nerualibus incoctis vino, deinde liniantur oleo aliquo vel vnguento neruali: clysteres quoq; dentur frequentes quorum decoctum sit neruale. A

Quòd si motus non sit abolitus, sed imminutus, si penis tendatur, sed citò concidat, stimulanda erit facultas ignaua & veluti sepulta, radice eryngij vel satyrij condita, ex quibus diasatyrium. Testes vulpis, pudendum cerui & tauri, renes squincorum vel cauda, vtiliter dantur cum vino, vel cum aliqua conserua beton. anthos stœcados, cum melle, dosis ʒj. Ex his omnibus permistis in rem præsentem confectio parabitur quæ omnes scopos vna eadémque opera complebit, augebit semen & flatus, languentémque vim suscitabit. ℞. castanearum, nucleorum pini, cerebri passerum ana ℥ß. (hæc ad materiam seminis) auellanarum & pulueris erucæ (ad flatus) ana ℥j. Pulueris testium vulpis, pudendi cerui & tauri, radicis eringij & satyrij, zinziberis conditi ana ʒij. renum vel caudæ squincorum ʒj. hæc omnia ad facultatem stimulandam, coquantur omnia cum lacte & melle vel cum vino: adde moschi ℈j. fiat confectio, de qua capiat præsertim vesperi per tres dies continuos ante congressum. Dosis erit minima ℥ß. maxima ℥i. Pauperibus satis erit dare sæpè renum vulpis siccatorum ʒj. cum vino aut cum vitello vnius oui, cum melle: vel pudendi cerui aut tauri tantundem. Tantùm vide ne valdè biliosos nimiùm calefacias, quibus propter acrimoniam semen effluit antequam intromittant, his pudenda fricentur oleo in quo formicæ bullierint, caue etiam ne nimiùm purges, aut sanguinem mittas: nam vtroque venus impeditur. Paulus affirmat stelliones cremari, puluerem immixtum oleo, & magno dextri pedis digito illitum, ad venerem potentissimè excitare, subiungit cùm cessare voles abluatur digitus. Theopbrastus affirmat esse satyrium in India quod etiam detentum manu efficit vt sexagies coitus iteretur, quos motus immmoderatos, quemadmodum priapismum & satyriasim, possis ad deprauatum reducere: Idem de aucto appetitu aliàs. B C

SYMPTOMATA SECVNDI generis, excreta, retenta. CAP. X. D

EX semine præter naturam excreto oriuntur Gonorrhœa simplex, Gonorrhœa virulenta, & ἐξονείρωγμος, pollutio nocturna, ex eodem retento symptomata exoriuntur longè deteriora quàm ex menstruo suppresso, quia quò quid præstantius cùm integram seruat naturam, eò fit deterius cùm in contrariam degenerat: cótrariorum enim contraria sunt consequentia. Semen naturale, est optimum: Ergo non naturale, vt cùm longiore mora putruit, pessimum.

Gonorrhœa simplex est inuoluntaria & indesinens profusio seminis absque voluptate, cuius causa, retentricis imbecillitas, vt relaxatis vasis spermaticis aut iisdem immodica venere debilitatis: itaque fluor sistatur fotu astringente, qualis parabitur ex vino in quo rosæ, saluia, nymphea, & balaustia bullierint, litu ex oleo myrthino, vnguento comitissæ, vel vnguento rosato Mesuę: Therebyntina sumpta cum rheo benefacit, ex vsu etiam erunt syrupi & trochisci adstringentes iam sæpè commemorati, vel quotidie ex ouo sorbili detur carabes ʒj. nisi huic symptomati opportunè succurratur, corpus tandem ab exhausto contabescet, quia totus succus alibilis hâc effluet, considerandą tamen causa: nam si manifesta esset plenitudo, non esset alienum vena secta eam minuere: Si verò propter calorem & acrimoniam semen assiduè profluat, non tantùm perineum & pudenda, sed etiam renes liniantur vnguento rosato Mesuæ, cerato Galeni, oleo nenupharino cum pauca caphura: Quòd si putre semen ex longiore mora iudicetur, inducatque viduis salacibus aut E

A monialibus accidentia quæ consequi solent suppressos mentes, passionem hystericam, vterinum fluorem; exibenda erunt partim quæ symptomati succurrant, partim quæ causæ subueniant, vt cardiaca & alexiteria, theriaca, mythridatium, syrupus de nenuphare.

℞. syrupi nennupharini pro dosi ℥j. theriacæ ʒß. cum aqua oxalidis, fiat potio.

DE GONORRHOEA VIRVLENTA.

CAP. XI.

EST veluti seminis corrupti & virulenti profluuium, natum ex fœdo concubitu: Partes præparando & perficiendo semini dicatæ, contagione inficiuntur, quia ab vtero malè affecto morbida quædā excretio B sese intrudit & insinuat tempore congressus per poros & meatus tùm valdè patentes, inde vasorum imbecillitas, à qua fluor, iisdem quoque labes inuritur, quæ, quodcunque huc appellit semen, corrumpit: si penis, instar chordę, dolorosè distendatur, vel subest exulceratio, vel affectus inflãmatorius, præsertim in prostatis. Remedia sunt, clysteres, purgatio ex sola cassia, quæ ardorēm renum & vrinam temperabit: emulsiones quoque ad eundem finem, atque vt ichori via facilitetur, citò enim sisti non debet. Pudenda liniantur vnguento rosato Mesuę vel cerato Galeni: Cum suspicio est vlceris, ex tensione, Iniiciatur cremor hordei ad detersionem, vel ad liniendum & placandum dolorem lac: in quo dissolui poterit aliquid trochiscorum albi Rhasis cum opio, si dolor valdè vrgeat. De missione C sanguinis controuertitur, præstétne primùm de brachio, postea de pede sanguinem mittere? Sanè nisi manifesta sit plenitudo aut aliquid aliud, vt inflammatio, aut insignis dolor ita suadeant. Non ausim basilicam incidere, ne retractum virus totam massam inficiat & luem accersat, malim saphenam aperiri, est remedium tutum. Si non prosis vide semper ne noceas. Cùm tentigo & dolor desierint dentur ʒiij. therebintinæ Venetæ cum ℈ß. caphutæ, initio therebintina, lauetur cum aqua plantaginis, detur ex cochleari cum syrupo violato aut de althea in fine, hoc est inclinantē malo aut iam diuturnitate molesto, cùm sistere voles, dabis therebyntinæ ʒiij. & rhabarbari vstulati ʒj. aut ℈iiij. repetatur singulis hebdomadibus, si nihilominùs perseueret fluor, maligna admodum est Gonorrhœa & luem minatur. Propterea ad pręcautionem iube vt quotidie sumat theriacæ aut mythridatij ʒi. superbibat deco- D ctionis Guaiaci vel salsæparillæ ℔.ß. continuet per viginti dies, & vtatur secundo decocto loco ptisanæ pro ordinario potu: seruando interim diætam exquisitam, sunt qui pubem & perinæum inungunt vnguento de Vigo cum Mercurio. Quidam cicerum, caulium, fabarum, macerant in aqua addendo syrupi de althea ℥j. fiat dosis.

POLLVTIO NOCTVRNA.

CAP. XII.

NOCTVRNVM & inuoluntarium seminis effluuium accidit copia & acrimonia seminis, salacibus, præsertim viduis, quibus consulendum prò remedio vt nubant: Monialibus verò quibus per votum non licet E nubere, dicata sunt sequentia remedia: Sed cur potiùs dormientibus, quàm vigilantibus semen effluit? quia per somnum calor & spiritus recurrunt in suos fontes post primum somnum, perfecta coctione credibile est vtrumque vna cum sanguine ad testes concurrere, præsertim si consentiat imaginatio, manifestum enim eam habere imperium in humores & spiritus vel ex hoc solo coniicitur, quod solus conspectus aut colloquium formosæ mulieris tentiginem exsuscitet. Itaque frequenti phlebotomia minuenda copia sanguinis, vsu quoque refrigerantium quotidiano, vt lactucæ, calor retundatur, liniantur lumbi oleo nenupharis, lamina plumbi iisdē m admoueatur tenuis, & perforata ad difflationem, viri pietate insignes nudis pedibus incedunt & carnisprinio perpetuo, carnem macerant, venerisq; igniculos extingunt. Itaque tenuiter viuant neque in molli pluma

dormiant, sed potiùs lumbis puluinum supponant plenum herbis refrigerantibus, A
violarum, nenupharis qui tentatur exonyrogmo.

SECTIONIS QVARTÆ TRACTATVS SECVNDVS DE MORBIS VTERI.

ENVMERATIO MORBORVM VTERI. B

CAP. I.

VTERVM affligit omne genus morbi, intemperies omnis, morbus in situ, siue procidat, siue per ventrem susq; deque & ad latera moueatur: Est enim Platonis opinione paruum quoddam & distinctum animal, quia animalitas duobus signis cognoscitur, αὐτοκινησίᾳ & odorum discretione, Atqui secundùm omnes dimensiones vterus à seipso mouetur, iucundis odoribus delectatur, auersatur graueolentes. Si quæ sint vitia in magnitudine, aut in figura (vt sunt aliquando, propter quæ abortit) tamen difficillimè cognoscuntur, difficiliùs curantur. Morbus in meatu frequentiùs vterum malè habet, si latiores sint venæ, menses supra modum erumpunt, si angustæ, obstructæ, compressæ; supprimuntur. C

Ad morbum in meatu pertinet φίμωσις vteri, quæ vel est naturalis, vt cùm membranula orificio interno aut externo prætenditur, cuius per chirurgiam curatio: A Beniuenio describitur obseruat. 28. Aut accidentaria qualis contigit per difficilem partum, vlceratis, deinde agglutinatis labris, vel excrescentia aliqua, vt condylomate, meatum obstruente: Aliquando læuigatus non concipit, quia semen non retinet: asper enim esse debet vt retineat. Illius morbi communes sunt quatuor tumores, phlegmone, erysipelas, œdema, & scirrhus: quibus accedit mola: nisi malis eam vt excrescentiam inutilem ad morbum numeri reuocare. Ad œdema pertinent hydrops & inflatio vteri. Tumoribus succedit vlcus ἐπιγεννηματικόν: Ex difficili verò partu D
ab acrimonia humoris: quod primo per se nascitur vlcus, primarium appellatur: de ijs omnibus morbis sigillatim quo ordine propositi sunt differemus priusquam symptomatum curationem aggrediamur.

Calida & sicca intemperie vteri laborare solent viragines, quibus idcirco pauci aut nulli menses: Ideoq; vt plurimùm sunt steriles: At delicatiores, frigidæ, albæ, laborare solent intemperie frigida & humida, inde illis menses diluti, serosi, albi.

Intemperiei calidæ curatio.

Intemperies calida & sicca curetur missione sanguinis, purgatione ex cassia, catholico, fotu, balneo aut semicupio refrigerante & humectante ex quatuor remollientibus: liniatur rosaceo: videndum ne nimiùm refrigeremus, quia vterus densatur, induratur: quinetiam schirrescit frigore. E

Frigidæ intemperiei remedia.

Frigidiorem calfacies clysteribus ex arthemisia, nepetha, matricaria, maiorana, saluia, hyssopo, thymo, pulegio, calamentha, melle anthosato, oleis nerualibus, ex ijsdem herbis fotus, insessus: sit frequens vsus pillularum de hiera aut elephanginarum: paretur opiata ex conseruis nerualibus, præsertim acori conditi, puluere aromatici rosati, mithridatio, theriaca: liniantur pudenda oleo muscatellino, costino, sumatur castoreum per aliquot dies cum vino, aut ℞. ligni aloës, styracis, calaminthæ, cyperi, calami aromatici, ana ʒij. Ambræ griseæ ℈ß. fiat puluis crassus cuius suffitum muliebribus excipiat per infundibulum.

A *Humidæ intemperiei curatio.*

Humidiorem deficcabis decocto ſudorifico cynæ, ſalſæ parillæ, ſi vterus multo madeat humore, depleri poterit iniecto per metrenchytem decocto vterino. ℞. turbith vel agarici ℥ij. bulliant in aqua vel decocto artemiſiæ, maioranæ, matricariæ, in colaturæ ad ſummum ℔ß. diſſolue hieræ picræ aut tripheræ magnæ ℥iij. fiat iniectio.

DE PROLAPSV VTERI.

CAP. II.

B VTERVS procidit relaxatis, ruptis aut putrefactis ligamẽtis, ſi corruptis, aut ruptis vinculis quibus vicinis partibus, vt oſſi ſacro, coxis, & recto inteſtino alligatur, deſperatum eſt: Cuius cauſæ tum coniectura eſt cùm ſuo loco ſæpè ex arte reſtitutus nihilominus recidit, ſola præcipitatio matricis, quæ accidit relaxatis ligamentis, curationem admittit, eaq; non omnis: nam quæ inueterauit, non tantùm in vetulis, ſed etiam in iuuenculis nunquã ſaneſcit, recens in ſenibus vix: In iuuenibus tardè & cum difficultate: Paulus & Aëtius negant totum vterum poſſe procidere, viſus eſt tamen, ad genu vſque prolapſus: quod prominet, aliquando ouo ſtrutiocameli ſimile eſt. Deſcenſum Fernelius diſtinguit à prolapſu, intentione & remiſſione.

Vt ex arte cures, imprimis huc appellari debent quæ de procidentia ani præmiſimus, exempli gratia, ſi tumor aliquis, vt inflammatio reductionem impediat, vena C ſecta & oxyrrhodino tumori ſuccurrendum, ſi tumor ſit frigidus, foueatur vino in quo reſoluentia, vt chamæmelum, maiorana, ſemen lini, & fœnugræci bullierint, ſi multo ſordeat muco, œnomelite detergendus, interimque aluus clyſtere proluenda. Quibus peractis, aut ſi hęc abſint, mox vterus vino adſtringẽte, vt pote in quo roſę & balauſtia bullierint, foueatur, mulier iaceat ſupina coxis ſubleuatis, poplites inflectat diuaricatis cruribus. Obſtetrix verò, digito oleo maſtichino imbuto vterum reponat, vel paretur peſſus ex cotone, aut lana, linteo molli & detrito inuoluta, qui madueri t in vino in quo acacia, vel hypochyſtis ſint diſſoluta: indatur in ſinum, & ab ægra ipſa paulatim impellatur: lana eodem vino intincta vndique circumponatur, cucurbitulæ aliis, vmbilico; necnon lumbis applicandæ, vt retrahatur, atque etiam, vt contineatur: Ad eundem finem odorata naribus, putida vuluæ admouenda: de-D centi reſtitutus loco, in eo permanebit ſi os ſacrum, imus venter, & perineum inungantur vnguento comitiſſę, aut aliquo oleo adſtringente, vt maſtichino, myrthino: vel ℞. emplaſtri pro matrice & maſtiches ana ℥ij. cum oleo myrthino fiat emplaſtrum, imo ventri & oſſi ſacro applicandum: ſi placet fiat fotus & inſeſſus ex vino nigro in quo roſæ & balauſtia bullierint: cum vterus ſuo loco additus fuerit ne rurſus procidat, mulier debet mutare ſitum, atque ita adaptare crura, vt alterũ alteri incumbat, Interim quia humore relaxantur ligamenta, vtatur diæta exſiccante, vt decocto ligni ſancti, contineatur in quiete animi & corporis, ſternutatio & tuſſis hic fugienda ſunt, quia deorſum impellunt: Ex ſubere veluti ouum ſolet præparari, quod cera oblinitur & forma peſſi inditur, vt impediat prolapſum: appendatur filo, vt retrahi poſſit. Quid ſi longiore mora putruerit? abſcindatur: multæ enim abſciſſo vtero ſuperuixerunt vt Paulus & Aëtius annotarunt, idemque Mathæus Gradi E & Beniuenius obſeruarunt. Eſt quidem pars neceſſaria ad conſeruationem ſpeciei vt teſtes, non indiuidui.

VTERI ASCENDVS, DESCENSVS, *motus ad latera, contorſio ſeu peruerſio.*

CAP. III.

GALENO vterus non videtur mutare ſitum, niſi cùm procidit: venas tantum tumere & ligamenta tendi abreuiarique putat, indeque fieri, vt ſi tendantur ligamenta ſuperiora quibus ſpinæ alligatur, tumeantque ſuperiores venæ, aſcendere putetur, & oppreſſo diaphragmate ſuffocationis afferat opinionem, ex

quo symptomate strangulatus ab vtero nominatur, quinetiam, cùm sit accidens admodum terrificum, nominis quadam prærogatiua, hysterica passio nuncupatur, Si verò humoris copia tendantur ligamenta inferiora, vt potè quibus alligatur coxis & recto intestino, huius causæ ignaris videtur descendere, quemadmodum si ligamenta sola dextræ partis tendantur videtur ad dextram inclinare & veluti conuelli, si sinistræ ad læuam: cum tamen opinione Galeni vndique fixus in eodem situ permaneat. Obseruauit tamen Fernelius, atque ego non semel, vterum, nunc infrà, nunc à dextris, nunc à sinistris totum connelli coactum in globum, proinde, vt procidit, ita demoueri potest, plùs minùs relaxatis ligamentis, causa vt plurimùm à semine, aut menstruo retento, quia putri fumo offensus, huc illuc inordinatè mouetur: frequentiùs ascendit, quia fumi ascendunt. Affectus est periodicus, quia repleto vtero redire solet accessio. A

Priusquam vocatus de remedio cogites, hystericam distingues ab apoplectica, stertore: Hysterica enim etiam videtur priuari beneficio respirationis, transpiratio est illi loco respirationis. Apoplectica autem omnis, summa cum difficultate spirat, atque etiam, nisi valdè leuis sit apoplexia, stertit, spumat: Asyncoptica verò, quod pulsus hystericis permaneat, nisi tam fortis sit accessio, vt mors sit in propinquo: (aliquando enim eadem die interimit) per syncopem autem pulsus aboletur, acceditsudor frigidus qui syncopticus appellatur. B

Remedia quædam conueniunt morbo, alia paroxysmo: Ad paroxysmum, quoties suffocabitur ascensu, admouebis naribus graueolentia, vt rutam, digitis confricatam, aut asphaltum iniectum carbonibus, suppone naribus aut castoreum dilutum acero, assam fœtidam, fumum pennarum perdicis vstarum, aut putris soleæ: Muliebribus autem suppones odorata, vt pessulum ex lana, oleo de spica, vel muscatellino inebriata: si placet aliquot grana zibeti, ambræ griseæ, aut moschi dissoluantur oleo costi vel nucis moscatæ, quo digitum intinctum obstetrix immittat in vterum, iniici potest clyster ex herbis vterinis odorantibus, vt maiorana, artemisia, matricaria, in colatura dissolue olei de spica, vel costi ℥j. trochiscorum de gallia vel de alipta moscata ʒj. tripheræ magnæ, vel hieræ picræ ℥ß. si placet ex ligno aloes, calamo aromatico, trochiscis de gallia vel de alipta moscata fiat suffumigium, quod excipiat per muliebria. Erotis dat cum vino puluerem ex cordis cerui & fol. lauri ana ʒj. myrrhæ ℈j. certo experimento, inquit matrix in suum locum remeabit. Quòd si descendat, muliebribus supponenda erunt fœtida, vt castoreum & assa fœtida. Odoranda verò suaueolentia: In ascensu, sternutatio mouenda: potissimùm insufflato castoreo: & elleboro nigro, nam etiam fœtore deturbabir: In descensu nocerent sternutatoria: potius aperiendum os, & lingua digiro premenda, vt vomitus excitetur, quia sursum trahit: noceret autem in ascensu. Item vtero ascendente deambulandum est, eodem descendente quiescendum: si ascendat, cucurbitula imo ventri & internis coxis applicanda erit vt retrahatur, quæ noceret vtero descendente: Brachia quoque ligari debent cùm descendit. Tibiæ verò & fœmora cum ascendit. Præterea coitus releuat à paroxysmo ascensus, seu suffocationis, eoque magis si penis liniatur oleo moscatellino, aut alio quouis in quo granum moschi, zibeti, vel ambræ grisee sit dissolutum: Propterea medicus consulere debet parentibus, vt puellæ nubili quærant maritum quadratum & succi plenum. Notandum quòd iuuenculæ hystericę primis congressibus solent concipere, vt caueant sibi, appetens vterus inuento edulio sese explet: Hęc ad paroxysmum. C D

Ad morbi verò curationem & pręcautionem Galenus nono κατὰ τόπους præscribit agarici trochiscati ʒj. ex vino, alioquin terebinthinę ʒiij. & pulueris hierę, colocynthidos ʒj. zibeti aliquot grana excepta cotone in vmbilicum induntur superposito emplastro ex galbano, vt illic contineatur, vel ℞. assę fœtidæ, castorei & galbani an. ʒj. cum oxymelire, fiat parua massa de qua capiat pillulas duas instante accessione, vel detur ʒj. castorei, refugiet fœtida, neque ascendet, conferet prouocare suppressos menses incisa saphena: Quòd si assequi non possis, aperiatur basilica dextra: licètne etiam in paroxysmo venam secare? licet sanè quando certum est hystericam esse propter suppressos menses, etiamsi veluti mortua & exanimis iaceat. Oppressas enim vires à languidis distinguere, est solius artificis. Pro hysterica ex semine retento, imperentur ea quæ ad exonirogmum præcesserunt, succurret maritus, E

præsertim

A præsertim si glandem inunguat oleo moscatellino. Distortio dicitur cum ceruix in oblongum ducitur, cui malo obstetrix indito digito subueniet; prius tamen instituto fotu emolliente.

DE MORBIS IN MEATV.

CAP. IIII.

Morbi in meatu multæ sunt differentiæ: vteri compressio, eiusdem densitas, coalescentia, obstructio: comprimitur vicinæ alicuius partis tumore, aliquando ab omento, aut à pingui aqualiculo, qua causa valdè pingues non concipiunt: Pinguedo enim comprimit internum os
B vteri. Densatur vterus potissimùm frigore, vt si in partu difficili vulua exposita fuerit aëri, aut post partum ociùs domo exierit dum ex lochijs paterent adhuc viæ: Aut admotis vel iniectis nimiùm refrigerantibus, vt narcoticis ad placandum dolorem.

Ad coalescentiam pertinet phymosis vteri, Non ita pridem mulier Senonensis ex difficili partu collum vteri habebat ita agglutinatum, vt vix specillum admitteret, iam à 7. annis talis permanserat frustrà subagitata à marito. Chirurgus primùm phlebotomo paulatim labra diduxit, vt viam faceret pessario plumbeo, quod sensim intromisit, & marito viam patefecit.

Obstructio est frequentior. Obstruuntur autem venæ vteri pituita crassa, qua causa supprimi solent menses, eique soli causæ destinantur remedia quæ ad sup-
C pressos menses & mortuos partus præscribuntur, obturatur etiam meatus callo, verruca.

Si comprimantur à vicinæ partis tumore, ille si fieri potest resoluatur, si à pinguedine, desiccantibus, vt inædia, hydrotico, gracilitas procuretur. Remedia ex generali methodo repetenda; vbi de morbis auctæ magnitudinis. Si densiorem vterum obstetrix contactu ipso deprehendat, admoueantur & iniiciantur quæ calfaciant & humectent, vt decoctum maioranæ, matricariæ, altheæ, brancæ vrsinæ; ex residentia cataplasma. Vel ex cera terebinthina, cedria, & oleo liliorum pessus paretur. Morbus est longus & difficilis, præsertim si densitatem consecuta sit durities, Quæ, si fuerit in collo, obstetrix digito percipiet, distinguitur à callo, quòd callus sit indolens, durities vel leuissimo contactu dolorem facit, proinde cum ad-
D mittit congressum, summus dolor excitatur.

Coalescentiæ chirurgiam paucis perstrinxit: Paulus libro 6. vbi etiam legere possis quomodo nympha immoderata, clitoris seu cauda, mulieribus abscindi debeat: qua de re lege etiam Aëtium libro vltimo: Obstructionis remedia opportuniùs cùm de mouendis mensibus.

Ἄτρητοι seu imperforatæ dicuntur quibus natura vel accidente, externum, aut internum orificium clausum est, vnde clausura vteri nominatur. Aliquando in medio obducitur os externum, alis seu pterygomatis velut in vnum coalescentibus: aliquando in medio matricis membrana adnascitur. Clauso orificio exteriore impeditur congressus, purgatio menstrua, & conceptio: obducto ceruicis medio congressus & conceptio: clauso ore matricis sola conceptio impeditur. Nam
E menses fluunt per venas ceruicis. Speculum matricis latentem causam demonstrabit. Clausura siue dioptra primo obtutu discernitur, Scalpello diuidatur, quemadmodum in medio membranula. Ad morbum in meatu pertinet hiatus, quando ostium vteri manifestè dehiscit: cui malo subuenit fotus adstringens, ex decocto rosarum rubrarum, balaustiorum, nuce cupressi, gallarum, quomodo quæ aliquando constupratæ sunt solent mentiri virginitatem.

LÆVITAS VTERI. A

CAP. V.

CVM vterus sit instrumentum procreationis qui suo sinu non aliter
quàm terra plantas, nouimestri spatio fœtum continere debet, natu-
ra de industria fecit illum asperum, si præter naturam læuigetur, ante
tempus fœtum excludet. Lænitas autem illi accidit, non aliter quàm
lienteria intestinis, ex crassa & viscida pituita qua illinitur: Itaque
huic morbo non aliter quàm intemperiei humidę cum materia maturè succurren-
dum est. In vterino decocto bulliant agaricus vel turbith, fiat metrenchytes, vta-
tur per aliquot dies sudorifico: Hippoc. mulierem quæ abortit sine manifesta causa, B
iudicat habere acetabula vteri mucosa, si fortè conceperit ne abortiat fœtusque iam
grandior sua mole procidat, contineatur in lecto postremis mensibus gestationis,
alioquin fascijs vterus sustineatur. Hactenus morbi similares & organici, sequuntur
communes.

JNFLAMMATIO. CAP. VI.

RARO vterus inflammatur, estq́; inflammatio, vt & erysipelas, lethalis,
Dignoscetur tumore, calore, dolore, cum febre continua, cum horro-
re inæquali & inordinato. Augentur hæc symptomata si suppuret, fa-
ctus abscessus si parte externa rumpatur, pus effundetur in capacitatem
ventris: si parte interna, vacuabitur per collum vteri, sed permanebit in C
vtero magnum, & immedicabile vlcus. Phlegmone frequentiùs fit in collo vteri,
neque adeo hic lethalis est. Remedia sunt clysteres frequentes qui refrigerent, pur-
gatio ex cassia, vena primùm in brachio, ratione plenitudinis, deinde in pede semel
iterumq́; secta, ad vacuationem & deriuationem causæ morbificę: Perineum initio
liniatur vnguento rosato Mesuæ, iniiciatur decoctum refrigerans & repellens, ex de-
cocto portulacę & rosatum rubratum, in quo dissoluatur syrupus rosarum siccarum,
deinde resoluens ex decocto fœnugræci cocto in aqua & vino, si neque possit im-
pediri generatio phlegmones, neque resolui, maturandus abscessus cataplasmate
emolliente.

DE SCIRRHO, ET CANCRO. D

CAP. VII.

SCIRRHVS confirmatus est insanabilis, incipiens emollientibus tam inie-
ctis quàm admotis curetur admistis vterinis, vt quatuor remollientia, Ar-
temisia & matricaria cum omaso bulliant, decoctum sæpe iniiciatur, po-
stea liniatur oleo liliorum cum vnguento de althæa, Quando scirrhus inci-
pit dolorem facere, fit cancrosus, neque tùm attingi debet, nisi vt malo blandia-
ris, leuibus enim non cedit, fortibus remediis irritatur, succus solani, semperuiui &
plantaginis aut earum aquæ stillatitię, cum tuthia pręparata. Vnguenta diapompho-
lygos, de plumbo & de cerusa conueniunt cancro tàm simplici, quàm vlcerato. Ita-
que iniiciantur cum succis, aut dissoluantur prædictis aquis, necnon scabiosæ, agri- E
monię vel pessus ex plumbo istis succis vel vnguentis inebriatus indatur. Nisi malis
conficere ex emplastro de cerusa, & emplastro diuino. Vel Solanum & plantago
coquantur in lacte, fiat insessus, sumatur lac asinæ cum puluere cancrorum, aut ex
succo solani & plantaginis coctis cum saccharo syrupus præparetur: oleum ouorum
in mortario plumbeo diu subigatur cum pistillo plumbeo, fiet linimentum valdè
anodinum pro cancris omnibus vlceratis quamcunque partem obsideant. Lana eo
insuccata forma pessi indatur in vterum, venæ sectio non erit omittenda, primum in
brachio, deinde in pede.

A

INFLATIO VTERI.

CAP. VIII.

DISCERNETVR, quòd solùm tumet hypogastrium sine febre: curabitur remedijs iam ad colicos dolores à flatu præscriptis, clystere carminante, fotu ex decocto cumini, rutæ, lauri, anethi: ex eisdem semicupio parato. Litu ex oleo anethi, lauri, admoto emplastro de baccis lauri. Magna cucurbitula hypogastrio admota, quæ miraculo flatus resoluit. Poterit etiam parari pessarium ex lana prædictis oleis inebriata, quæ si placet inuoluta linteo molli, & vsu iam attrito; bibat vinum decoctionis marathri, decoctum carminatiuum in quo ℥ij. confectionis de baccis lauri dissolutæ sint, iniiciatur per me-
B ttencytem.

DE MOLA. CAP. IX.

EST caro informis præter naturam nata in vtero, formatricis impotentia, aut menstrui vitio, sic dicta quod grauat instar lapidis molaris: Quando enim semen viri imbecillius fuerit, aut obruitur sanguinis materni copia, pro vero partu producit molam, dignoscetur pondere & immobilitate, fœtus enim leuis est, & si mas, tertio, si fœmina, quarto mense incipit moueri: Mola per se non mouetur, sed motis nobis: quamcunque enim in partem mulier corpus inclinet eò vergit mola. Addit Hip-
C pocrates tumere quidem illis mammas, verùm sine lacte: cùm mater transegerit mensem quartum, neque motum vllum in vtero perceperit, præsertim si cætera consentiant, neque tumeant illi pedes vt hydropicorum, coniectura est molæ. Tum debent dari vehementiora quæ post hæc ad mouendos menses, & ad deturbandum mortuum fœtum, & ad morantem secundinam præscribentur, quando enim inueterauit, vt iam vnum, aut duos annos excessit, consilio Hippocratis timidè admodum suscipienda est curatio, nec nisi prænunciato periculo. Mittendus sanguis in brachio & in pede, vt alimentum molæ substrahatur; atque etiam vt prohibeatur ne inflammatio suboriatur, datis frequenter hæmagogis vehementioribus: prius emolliendæ viæ fotu & insessu ex remollientibus coctis in hydrœleo, gestet perpetuò diachylum cum gummis mixtum cum emplastro de meliloto,
D prius remollit, posterius resoluit, vel liniatur imus venter etiam oleo liliorum aut vnguento de althea, vt priùs. Paretur pessus ex ℨj. castorei & saliua, ellebori aut colocynthidis ℈ij. exceptis multa cera aut terebinthina. Dodoneus obseruauit molam annos quindecim gestatam, fœliciter excretam. Tamen raro solet excedere quartum annum.

VLCVS VTERI. CAP. X.

DIGNOSCETVR dolore pungente, & excreta sanie, benignum vlcus ostendet pus album læue & æquale, ab his notis quo longiùs aberit, vt si serosum, nigrum, putidum fuerit, eò deterius: si sanies fuerit similis fæci vini,
E vlcus est cancrosum. Pars affecta per διόπτραν, seu speculum matricis, vel immisso longo pessario discernetur: quò vlcus erit profundius, eò deterius, vlcus matricis in sene nunquam, in iuuencula rarò sanescit, quia pars est spermatica & continuè madet: hydrops immedicabilis ad extremum consequitur: tamen sæpe purgetur blando cathartico, aperiatur vena: Initio ad detersionem, fiat iniectio ex decocto hordei, Agrimoniæ, Marrubij, bulliant in sero lactis; in colaturæ ℥iiij. dissolue syrupi rosarum siccarum, vel de absynthio ℥j. si placet bulliant in hydromelite, ex colatura, fiat clyster vterinus. Ad vlcus malignum iniiciatur vnguentum Apostolorum cum œnomelite, addendo Ægyptiaci parum: Ad consolidandum ℞. decoctionis vriusque consolidæ ℥iiij. dissolue turbiæ, vel vnguenti diapompholigos ℨij. fiat iniectio in vterum, aut ℞. Corticis rhuris, mastiches, gummi hederæ & iuniperi ana ℨij. excipiantur Ladano, vel terebinthina,

fiant trochisci, quorum fumus per infundibulum excipiatur. Si vlcus fuerit à lue venerea, suffitus fiat ex cynabrio: Si vlcus fuerit in collo, & pessario possit attingi, multò faciliùs sanescet. ℞ Pessarium commune, mergatur in vnguentum diapompholigos, aut pareturpessus ex plumbo, poterit inuolui linteolo oblito vnguento diapompholigos, interim sumat per os potionem vulnerariam, decoctum sudorificum. Curatio enim vlceris omnis in exsiccatione consistit: propterea thermis Spadensibus, aut Niuernensibus nihil esse præstantius pro vlceribus internis, dummodò non sint à lue venerea, aliàs monuimus: huc appellari possunt quæ ad phlegmonem & vlcus vesicæ præcesserunt; affectus enim in ijs partibus similes sunt, siue partes spectes, siue affectus ipsos. Clysteres inijciantur frequentes ex sero lactis aut aqua hordei, vtatur lacte asinæ, deinde capræ. A

SYMPTOMATA PRIMI generis, vt impedita conceptio. B

CAP. XI.

TERVS est instrumentum procreationis, qui veluti terra sementem, suo sinu semen viri excipit, exceptum retinet, retentum tepore suo atque intemperie promouet ad actum. Prolificam enim facultatem virili semini à testibus inditam, fortassis non tantùm temperie, sed etiam insita proprietate ad opus suscitat: quæ tria, semen attrahere, continere, & promouere: vno conceptionis nomine includuntur: concepto semine genitor spiritus, cui insidet vis conformatrix, nouem mensibus primùm ex materia seminis tam virilis quàm muliebris partes spermaticas, vt ossa, venas, arterias, neruos compingit: Sanguineas verò ex materno sanguine, qui ad eum finem toto gestationis tempore retinetur. Maturum & perfectum infantem, tandem excretricis suæ robore excludit & in lucem edit, itaque conceptione & partu veluti principio & fine nouimestris gestatio concludatur: de quibus sigillatim nobis disserendum est, à conceptione ducto initio: cuius frustratio propriè sterilitas nominatur. C

Causæ sterilitatis. Intemperatus vterus non concipit, quia si fuerit humidior, non aliter quàm terra palustris cerealia, semen obruit: Si frigidior, eius vim & calorem extinguit: Siccior materiam abundè non suggerit, calidior eandem absumit. Hippoc. densitatem vteri recenset inter præcipuas causas impeditæ conceptionis. Meretrices, non natura, sed accidente densum & callosum habent vterum ex concubitu frequentiore. Accedit quòd vt prolificum sit semen, mora longua & calore opus est, frequens autem congressus anteuertit tempus côueniens; fit etiam quòd illæ clunes valde subagitant, vt exiliat semen, neq; parietibus vteri adhærescat & agglutinetur. Defigendus quoque animus in cæteros morbos organicos, vt coalescentiam & obstructionem à callo, verruca, necnon in communes, vt scirrhum, quibus non est dubium conceptionem impediri. Paralysis quandoque vteri impedit conceptum quod refrigerat viri congressum & ardorem, tum obstetricis digitus non sentit, menses effluunt laboriosè, vel subsistunt, vel mouentur inordinatè. Aliquando vterus non concipit, quia laborat per consensum, vt si mulieri quemadmodum & viro sit pars aliqua princeps malè affecta: Valetudinariæ enim solent esse steriles. Aliquando frustratur conceptio, quia semina non concurrunt, fortè, quòd vir citiùs quàm fœmina eiaculetur, fortassis etiam quòd vterque calidior, frigidior, humidior: Ideò enim fieri videmus, vt mulier quæ ex primo marito nullos potuit suscipere liberos, si fortè ad secundas nuptias conuolet, numerosa prole domum impleat, quia seminum maior concordia: imò verò per ætatem temperamentum vteri immutatur. Propterea enim fieri existimo vt quæ iuuenis ex eodem marito nullos suscepit liberos, ætate prouectior pariat, immutato per ætatem vteri temperamento: vt desinat vulgus impudicitiæ acceptum ferre, si quæ mulier post 20. annum matrimonij incipiat vtero gestare: iuuenculæ non concipiunt ante annos pubertatis, quia nondum menses illis fluxerunt, eo quòd vasa sint angustiora, neque suppetit materia, quia tota in partium spermaticarum accretione absumitur. Prodigio enim simile est quod Sauanarola & Capellanus obseruarunt, puellam D E

A lam nouem annorum peperisse. Quemadmodum & quod de Masinassa ferunt historiæ, illum post annum 80. prolem suscepisse. Quiddam simile obseruauit Venetijs Alex. Benedictus, quanquam Arist. 4. de partib. animal. neget senem fœcundum semen emittere, post annum septuagesimum. Quæri solet si concipere possit cui menses nunquam fluxerunt. Non videtur, quia menstruorum purgatio idcirco flores vulgo nominantur, quòd non aliter quàm flores fructus in plantis, ita in hominum genere, menstruorum purgationes, matri fœturæ sunt indices. Atqui contrariorum contraria sunt consequentia: Itaque vt arbor quæ flores non edidit erit infrugifera: ita mulier quę non est repurgata. Rondeletius ramen vidit Montisbani mulierem quæ numerosam prolem suscepit, cui tamen nunquam menses fluxerunt, sed rara non sunt artis, vt vna hirundo non facit ver: Ita vnicum exemplum non potest destruere medicinæ præceptum, quia traduntur de his quæ si non semper, B saltē vt plurimum fiunt, satis est si medicinę pręcepta in pluribus sint vera. Sed quomodo dignoscam si mulier sit infœcunda nec ne, causa sterilitatis latente? Iubet Hipp. vt mulier benè tecta suffitum per vuluam excipiat: Galbanum, thus vel myrrha proijciatur in prunas, per infundibulum vapor excipiatur, aut supponatur allium tempore somni: cuius odorem si non sentiat, haud dubiè obstructum aut insigniter intemperatum esse vterum necesse est, ideoque non est in maritum, sed in vxorem reijcienda causa sterilitatis, certior coniectura si semen viri petat fundum aquæ. Faciamus ergo sterilitatis causam vxori tribuendam, tùm vterus tam sumptis quàm admotis roboretur. Primùm purgetur massa pillularum de hiera cum agarico, deinde pręscribatur Gordonij hoc magisterium, quod mihi solet esse instar omnium.

C ℞. Ambrę grisę & styracis calaminthæ ana ℥j. mastiches thuris, cariophyllorum, ligni aloes, cinamomi, nucis moscatæ, nucis cupressi, ana ℥ß. cum oxymellite & aqua rosarum, fiat confectio, quæ diuidatur in quatuor partes, ex vna fiat pomum odoratum quod assiduè subolfaciat, si non sit histerica: Ex secunda fiat parua massa pillularum, de qua capiat dormitura pillulas tres quantitate ciceris, ex tertia pessarium quod priusquam intromittatur inungatur oleo muscatellino, vel de spica, quarta, vel proijciatur in prunas pro suffitu, vel dissoluatur aqua calida cuius vaporem per infundibulum excipiat: Si potest his peractis superdormiat. Polypus apud Hippocratem iuuat plurimum conceptionem, aut recens esitatus elixus, aut assatus: & assati puluis sumatur cum vino. Ad maius robur vteri, gestet etiam emplastrum pro matrice, quidam succum & puluerem pæoniæ commendant ad concep- *Remedia sterilitatis.*
D ptionem, alij rasuram eboris. Itaque ℞. conseruæ acori & saluiæ ana ℥j. pulueris bistortæ, ligni aloes, pulueris radicis & seminis pæoniæ, scrobis eboris ana ʒij. excipiantur succo pæoniæ, fiat opiata de qua capiat ʒj. manè & serò. Interim ventet liniatur oleis odoratis de spica, costi, cinnamomi, nucis moschatæ, fiat fotus insessus ex arthemisia, nepetha matricaria, calamentha, maritus verò ante congressum sumat coaguli leporis ʒj. cum vino, quotidie sumat lac vaccinum in quo duo vitelli diluantur. Notandum diligenter quod monet Valescus in ijs remedijs etiam per duos annos perseuerandum esse; quia longua & difficilis est mutatio sterilitatis in fœcunditatem. Cæterùm vt mas gignatur suadet Hippocrates ante congressum, sinistrum testiculum ligari, vt totum semen ad dextrum confluat: Partes enim dextræ sunt robustiores sinistris, & dextra spermatica directò è vena caua sugit materiam seminis, sinistra ab emulgente, suadendum etiam cùm mulier se
E habere in vtero existimat vt in dextrum latus corpus reclinet, atque si potest ita dormiat. Nam & in dextra parte vteri fieri marés verisimile est, adhærebit semen huius lateris acetabulis, & suget de vena caua materiam ex qua fœtum efformabit. Non est prætereundum, ruta, nepetha impediri conceptum, siue eorum decoctum aut succi assumantur.

NOVIMESTRIS GESTATIONIS morbosa accidentia, Imprimis abortus. A

CAP. XII.

PRimis mensibus grauidæ picant, menstrui portione aliqua ab vtero ad ventriculum transmissa: cui malo medetur rotula datis amygdalis saccharo dulcoratis, stomacho etiam compatiente, Inappetentia, cardiogmos: eiusdem menstrui fumis lacessitum cor palpitat, deliquium frequens eas præhendit, quinetiam compatiente cerebro, quædam epilepticè conuelluntur, quæ omnia solent disparere grandiore fœtu, quia menstrui maiorem portionem absumit: Interim non erit alienum cassia cum rheo ventriculum repurgare, necnon opiata ex conseruis cardiacis rosarum, violarum, buglossi, borraginis confecta cum pulueribus cardiacis cor munire: vomitus vtiliter accidit grauidis, quia reuellit, nisi fuerit immodicus, in eo casu humor peccans minoratiuo aliquo deturbetur, est cum natura ipsa impuritatem per vterum expurgat, vt cum grauidæ fluunt menses albi, quod habere debent in bonis, si menses rubri exeant fluit sanguis per venas ceruicis non vteri, quia illius os tam arctè clauditur à conceptione, vt vix graphij cuspidem admittat. Nihil tam metuendum quàm abortus, nihil quod æquè medicos sollicitat. Abortiunt quibus vterus humidior & acetabula vteri plena muco, quibus consulendum, vt in lecto se contineant, si nolint, aut propter angustiam rei familiaris non possint, saltem non exeant, nisi hypogastrium fascijs subleuent: desiccandus vterus longo vsu hydrotici, vt salsæparillæ, vel potu aquarum Puguësium aut Spadësium. Aëtites lapis appensus brachio sinistro creditur fœtum suspendere: instante partu alligetur coxæ, vt faciliter: de magnete docti quidam idem pollicentur, decoctum radicis tormentillæ creditur proprietate abortum impedire. ♃. conseruæ veteris rosarum ℥j. conseruæ symphiti ℥iß. pulueris radicis tormentillæ ʒiij. ossis de corde cerui, coralli rubri ana ℈ij. fiat opiata cum syrupo cydoniorum, de qua capiat ʒi. mane & vesperi hora somni: vtatur sæpe manu Christi perlata, vel ex ouo sorbili quotidie sumat, carabes & masthiches ana ℈j. si semel propter mucum abortierit, priusquam denuò concipiat, eluatur vterus decocto detergente in quo turbith, aut agaricus bullierit, vel ♃. radicis tormentillæ ℥ß. ligni aloes, Benjoin, styracis, calaminthæ, calami aromatici ana ʒj. fiat puluis pro suffitu, quo vterus desiccabitur: si plethorica videatur, existimetque fœtum obrui copia sanguinis, ideoque ante tempus illum appetere exitum, medio tempore gestationis (hoc enim tempus præfert Hipp. cum nihil vrget) incidatur vena in brachio. Noui quàm plurimas quarum aliæ abortiunt, aliæ fœtus edunt parum firmos & vitales, nisi intermedijs mensibus phlebotomia plenitudo minuatur: Si abortum excitent, vehemens & diuturna tussis, aut sternutatio, quia vterum deorsum impellunt, remedijs suo loco explicatis quàm citò fieri poterit placari debent, quemadmodum si alui fluor aliquis, vt diarrhœa, dysenteria, lienteria atque imprimis tenesmus: Iniijciantur frequentes clysteres ex lacte cum vitellis ouorum & sacharo rosato, etiam addito pauco phylonio, vt obtundatur; huc referre possis abortum ex vehementiori cathartico, quemadmodum ad inanitionem, sanguinis immodicam detractionem, aut longiorem inædiam, quibus causis non est dubium mulieres sæpenumero abortire, ideoq; à ieiunio quadragesimali grauidæ debent excusari: scribit Hipp. libro 5. Aphoris. 13. si ver fuerit siccum & Aquilonium, hyems australis & pluuiosa, vt plurimùm mulieres abortire. cur ita? quia aëre pluuio repletur madetq; vterus, Aquilonio flatu & hyemis frigore comprimitur, atque ita cum humore fœtus excluditur. Grauidam acuto morbo, vt pleuritide, aut febre continua corripi, lethale, quid tum opus est facto? seruanda mater, etiam cum fœtus periculo: frequenti venæ sectione & purgatione profligandus morbus, quinetiam abortus prouocandus est arte, vt mater seruetur, caue ne temerè abortiuum impedias, puerperam enim in vitæ discrimen conijceres.

A PARTVS DIFFICILIS. CAP. XIII.

DIFFICVLTAS pariendi vel contingit vitio fœtus, vtpote imbecillioris, mortui, longioris, crassioris, malè exeuntis; Vel matris, cui vulua sit angustior, compressa, siccior, obstructa cicatrice, verruca, callo, scyrrho: Præsentis medici partes erunt ad causam aduertere, & puerperium facilitare, proinde si mater parere soleat cum difficultate, cum instabit tempus, exerceatur, pubes, perineum, & os sacrum oleo aliquo relaxante, vt amygdalarum dulcium vel liliorum liniantur, glande aluus exoneretur, postea deligat situm conuenientiorem: Quædam enim in lecto iacentes, aliæ genibus innixæ facilius pariunt, aliæ sedentes in cella perforata, aliæ erectæ & lecto insiden-
B tes: quæ vno situ cum difficultate pepererit, alterum deinceps experiatur: tempore puerperij contineat spiritum, eumque deorsum impellat: sumat vini Hippocratici albi aliquot cochlearia per interualla, aut syrupum capilli veneris dilutum decocto cinamomi, vel radicum aperientium, ℞. granorum iuniperi & baccarum lauri ana g. vj. cassiæ ligneæ & cinamomi ana ʒj. farciatur venter pulli sumátque iusculum præsertim cum aquæ morantur, nec vulua satis lubrica est, quæ si longè ante partum eruperint, quia siccus vterus retinet: vel si multus sanguis effluxerit, quod fœtum simul & matrem valdè debilitat, non potest partus non esse laboriosus. Vt via humectetur iniiciatur decoctum remolliens cum butyro recenti, ℞. Radicis liliorum ℥ß. altheæ cum radice m. ß. seminis lini & fœnugræci ana ℥ß. caricas n. 4. fiat decoctio. In colaturæ ad summum ℔. ß. moschi gr. ij. dissolue olei amygdalarum
C dulcium, aut liliorum ℥ij. fiat iniectio: obstetrix resectis vnguibus manus prædictis oleis, aut butyro recenti intingat: Authore Plinio decoctum maluæ potum facilitat partum, quinetiam folia illis substrata tantoperè iuuant, vt nisi statim à partu substrahantur, periculum sit ne fœtus sequatur. Huius partes erunt, infantem, non, vt debet, in caput procedentem, sed vel in pedes, qui Agrippæ dicuntur, vel in dorsum, qui situs est omnium pessimus, vel in brachia, dirigere & blandè reponere: optandum est, vt exeat in caput: cæteri enim exitus sunt præter naturam: quorum omnium optabilior est qui fit in pedes, quanquam Plinius duobus exemplis demonstret, hunc partum esse sinistri ominis; Priore, quòd Agrippa fuerit toto vitæ cursu valetudinarius, posteriore quod Nero hostis naturæ prodierit in pedes. Cum naturalis ordo pariendi seruatur membranis à fœtu calcitrante disruptis, primùm
D exeunt aquę ad lubricandam viam, mox procedit fœtus in caput, sequitur δευτέριον quod acetabulis vteri alligatum, quoties diuellitur, toties parit dolores illos de quibus puerperę conqueruntur. Si naturalis hic ordo pariendi peruertatur, vt si secundina exeat manente fœtu, lethale: Quomodo enim viueret destitutus alimento? si moretur secundina, obstetrix nihil acceleret, eámque integram si potest extrahat, non frustatim: nam vel minima illius portio, grauissima inducit symptomata, ex quibus sępè mors consequitur, multóque facilius est integram extrahere quàm per frusta, aliquando putrescit portio quę remansit, & sub forma puris excluditur, quod est habendum in bonis, quia inter moras sępè grauitate symptomatum moriuntur. Quoties igitur ad puerperam vocaberis, curiosè obseruabis si secundina integra exierit: nam si illius vel minimum frustulum remanserit grauissimorum acciden-
E tium quibus puerpera torquetur non erit aliunde causa requirenda: tum pręscribes quę morantem secundinam excludunt proximo capite explicanda. Faciamus vitalem fœtum fœliciter exiisse, consequutum δευτέριον integrum, de lochiis supererit interrogare (sunt menstrui superfluitates toto tempore gestationis in vtero aggregatę ex reliquiis alimentarii sanguinis, de quibus credibile est intelligenda esse maleficia, quæ menstruo Plinius attribuit,) hęc enim nisi liberaliter fluant, infinitorum morborum sunt causæ, nisi quæ potenter mouent menses, ea abundè deturbarint, saphena incidatur, purgentur, & cardiacis tam sumptis quàm admotis cora malignis fumis deffendatur. Hippocrates in difficili partu secat saphenam, qua nullum præstantius existimo remedium.

A

SYMPTOMATA SECVNDI GENERIS.

DE RETENTIS LOCHIIS, ET SVPPRESSIS menstruis. CAP. XIV.

AD ametriam in retento pertinent menses retenti, lochia suppressa, tardans secundina, & fœtus mortuus: singula cùm præter naturam retinentur, arte excernenda sunt, danda est opera vt quam citò fieri poterit excludantur: Vehementiora quæ ad mouendos menses imperantur, lochia, secundinam, & mortuum fœtum deturbant. Proinde primo loco quæ mouent menses, secundo quæ secundinam & fœtum mortuum, exponemus: eáque in tres classes distinguemus, leuia, mediocria & vehementiora. B Notandum verò non propriè dici menses suppressos, nisi retineantur cum naturæ legibus fluere debent: neque enim puellæ ante annum pubertatis, neque vetulæ post annum quinquagesimum propriè suppressos menses dixeris, neque de illis ea ætate prouocandis cogitabis, frustra etiam in extenuatis inedia aut longo morbo, vt quartana, diarrhœa, hæmorragia idem tentaretur: Faciamus mulieri ægrotanti multoties incisam esse venam, deinde per tres aut quatuor menses, plùs minùs, lunarem purgationem restitisse, temerè ad prouocandos menses remedia præscribentur: quia sanguis vix sufficit analepsi, eius quod morbo longo deperiit restaurationi. C Verùm si nihil tale præcesserit, suppressionis causæ perquirendæ, curatio enim morbi consistit in remotione causæ, Si scyrrhus, cancer, omentum aut pinguedo comprimens, si densitas vteri accusetur, singulis causis propria remedia opponentur. Esto densus & durus vterus, fotu, insessu, suffitu emolliendus erit priusquam aperientia & incidentia imperentur: si nihil tale appareat, causa referenda erit in obstructionem venarum vteri, aut iecoris: obstruuntur autem vt plurimum à pituita, crassa & viscida, cui soli causæ destinari solent remedia quæ ad mouendos menses passim præscribuntur. Leuiora quæ sunt in vsu frequentiore hæc sunt: Imprimis purgatio generalis ex ℈iiij. pillularum de hiera cum agarico, deinde præscribenda massa ex puluere hieræ simplicis & pillulis elephanginis, de qua capiat alternis diebus ante pastum pillulas duas. D

℞. pulueris hieræ simplicis, pillularum elephanginarum ana ʒii. cum syrupo capilli veneris fiat parua massa qua vtatur, vt dictum est; vtilis etiam erit vsus syrupi capilli veneris, de Arthemisia, aut de hyssopo cum decocto quinque radicum aperientium, ℞. singulorum ℥i. dissolue in ℔. i. decoctionis radicum aperientium, fiat iulep in tres doses, capiat manè diebus quibus non vtetur pillulis: fricentur crura deorsum, fieri poterunt fotus & insessus ex remollientibus & vterinis incidentibus, ℞. radicum liliorum ℥i. altheæ cum radice, arthemisiæ, matricariæ, hyssopi, pulegii, calamentæ ana m. ß. fiat decoctio in aqua & vini albi æquis partibus, pro fotu muliebrium, aut quantitate herbarum aucta fiat insessus: cum humores ita apparati fuerint, & ad fluendum aptiores redditi, aperiatur saphena, deligatur tempus magis idoneum, vt habeamus naturam instituti nostri adiutricem, verbi gratia, si solita fuerit repurgari luna noua, hoc tempore vena incidetur, si plena, plenilunium expectemus, alioqui: E

Luna vetus veteres, iuuenes noua luna repurgat.

Quæritur si ante saphenam sit aperienda basilica. Vetat Galenus ne fiat reuulsio instituto nostro contraria, Aëtius iubet, vt minuatur plenitudo, alioquin sanguis magno impetu fluet ad vterum, & inflammationem illic excitabit, aut obstructionem augebit: In manifestè plethoricis vera est sententia Aëtii, alioquin sequendum Galeni consilium: suffitus aromatum muliebria ducit, proinde ex myrrha, cassia lignea, & gummi iuniperi fiat puluis crassus, cuius fumum excipiat per infundibulum, aut paretur pessus ex arthemisia: aut mercuriali pista & inuoluta linteolo, aut

A aut intingatur eorum succis: internis fœmoribus vtiliter applicantur cucurbitulæ, hæc remedia si leuiora videanrur, neque causæ magnitudini respondeant, vtere mediocribus quale hoc fuerit ℞. syrupi de arthemisia ℥j. ß. trochiscorum de prassio vel de calamentha ℈ij. cum ℥vj. decoctionis seminis iuniperi, fiat dosis quæ iteretur per dies aliquot, bibat pro ordinario potu hydromel in quo hyssopi coma bullierit, myrrha aliquot diebus sumatur cum vino albo quantitate nucis auellanæ, aut cassia lignea (est crassius cinamomum.) Fernelius dat pulueris fistulæ cassiæ ʒj. cum vino albo diluto aqua hyssopi, aut cum vitello: Pulegium, nepeta, Arthemisia, matricaria, maiorana, hyssopus, calamentha bulliant in aquæ & vini albi æquis partibus, vaporem excipiat per infundibulum: foueatur imus venter cum spongia, ex residentia cataplasma paretur addendo emollientia. Fortiora sunt quæ sequuntur; quibus, vt dixi, secundina & fœtus mortuus excluduntur: trochiscorum de myrrha ʒij.
B cum vino Hippocratico albo aut hydromelite vinoso, Item ℞. pulueris sabinæ, Aristolochiæ, dictamni albi, granorum iuniperi, & baccarum lauri ana ʒß. crassioris cinamomi ʒij. trochiscorum de myrrha ℈iiij. excipiantur syrupo de arthemisia, fiat confectio de qua capiat ʒj. pro dosi ex cochleari cum syrupo capilli veneris, aut dissolutam hydromelite: poterit immisceri pulvis chalybis præparati, quo solui contumaces obstructiones tùm admonui cùm de fœdis virginum coloribus tractaui.

Item ℞. Pessarium commune, intingatur succo mercurialis vel arthemisiæ, deinde conspergatur pulueris ellebori, euphorbij, & trochiscorum alandal. ana ℈ß. contineatur in vulua per vnam horam, etiam secundinam & fœtum mortuum attrahet: si placet ex oppoponace, sagapeno, styrace, calamintha, myrrha, dictamno
C albo, Aristolochia, granis iuniperi, fiat puluis pro suffitu muliebrium: dum hæc præstabis reuoca in memoriam Hipp. lib. de morbis mulierum talibus rationibus demonstrare. Quotiescumque per sex menses desinit iste fluor, vix ac ne vix quidem arte reuocari posse, primò quia iam humor aliò diuertit, secundò quia per moras valde creuit obstructio, tertiò quia excretrix elanguit otio, & veluti sui officij oblita. Tamen ille ipse refert ancillę Pythiusę cum toto septennio menses substitissent, sanguine aliò diuertente, tamen sponte rediisse eodem ad locum proprium refluente. Pronuntianda igitur difficultas, non impossibilitas, si per sex menses restiterint.

DE SECVNDINA MORANTE.

D

CAP. XV.

VT excludatur secundina, accipe secundinam ouis vel capræ, siccetur in furno, puluis detur cum vino albo, aut aqua decoctionis cetrac. Idem puluis excipiatur melle & indatur forma pessi, quinetiam, si credimus Aetio, si adhuc calens applicetur ventri parturientis, partus erit facilior.

Haly suadet vt maritus inungat penem gummi iuniperi & vxorem subigat: Ille idem iubet vt excludatur citiùs quàm fieri poterit: Auicenna tamen mauult expectare suppurationem, interim experitur leuiora, vt, iuxta Aphorismum Hippocr.
E moueat sternutationem internis fœmoribus applicat cucurbitulas, atq; vt citiùs putrescat, basilicum dissolutum in decocto Althęę violarię & ficuum inijcit per metrencbytem: Verùm me iudice hęc controuersia ita dirimenda est, quando subsistēs Αὐτεῶν inducit grauia quædam symptomata, imminetque mortis discrimen, accelleranda est excretio datis vehementioribus quæ ad mouendos menses præcesserunt: verùm si nihil vrgeat, expectari potest suppuratio, atque etiam adiuuari, chirurgiam docent Paulus libro sexto & Aetius libro vltimo.

FOETVS MORTVVS IN VTERO. A

CAP. XVI.

DIGNOSCETVR quod puerpera nihil sentit ampliùs moueri, tùm quod imus venter refrigescat, cauantur oculi, tandem anhelitus fœtet: dentur trochiscorum de myrrha ʒij. aut pillularum de sagapeno ʒj. aut ℞. Aristolochiæ longæ castorei & myrrhæ dictamni cretici ana ℈j. fiat paruus bolus cum syrupo de arthemisia: indatur pessus ex melle, acuto diagridij colocyntidis & ellebori ana ℈ß. quæ si non iuuerint, extrahatur ferramentis à perito chirurgo per vuluam, aut venter incidatur. Cæsares vel Cęsones dicuntur, qui cæso matris vtero in lucem prodierunt: operationem Paulus & Aetius ex Philumeno copiosè descripserunt, vbi iubent fotu, litu, cataplasmate, insessu relaxante, vuluam lubricari, priusquam ferro extrahatur. Celsus monet neque vi neque ferro extractationem tentandam esse si superuenerit inflammatio. Non est prætereundum quod notat Albucasis, se vidisse mulierem quæ manente fœtu mortuo nihilominus nouissimè concepit, mortuus fœtus putruit, sanies ad vmbilicum ablegata est, atque illic abscessum fecit, quo quidem abscessu rupto, auxilio emplastri attrahentis, (quale à chirurgis parari solet ex bdellio, dictamno, & Aristolochia) ossa ipsa exierunt integra, sanè non debet ampliùs esse mirum si fœtus mortuus, purulentus per vuluam exierit. Hæc historia facit vt maiorem fidem adhibeam historiis doctissimi Rosseti de partu Cæsareo, quibus demonstrat fœtum extrahi posse per ventrem matre superstite, nescio tamen an suo instituto accommodatè librum inscripserit, de partu Cæsareo, nam Probus Cæsones dici vult quòd necatis mattibus exeant: extractionem fœtus per sectionem ἐμβρυουλκίαν veteres appellant. Guido iubet, mortua matre incidi ventrem parte sinistra, secundum longitudinem. B C

MENSES IMMODERATI.

CAP. XVII.

AD ametriam in excreto pertinent menses nimij, pauci, vt cum stillant guttatim, & deprauati vt albi, & decolores. Ad immoderatè fluentes aperiatur basilica dextra, vt reuellas, ligentur brachia, admoueantur infra non supra mammas, cucurbitulæ, scapulis, necnon iecori, vt sistatur in suo fonte. Vt laxiora vasa restringantur. ℞. aquarum plantaginis, centinodiæ, & rosarum ana ℥iiij. aceti ℥j. hoc epithemate intinguatur linteum quo veluti cingulo imus venter cingatur, vel ℞. plantaginis, centinodiæ, rosarum rubrarum ana m. ß. malicorij & balaustiorum ana ℥ß. fiat decoctio ad eundem vsum. Item cataplasma ex materia prædicta, vel ex bolo, sanguine draconis agitatis cum albuminibus ouorum. Si malis paretur emplastrum ex carne cydoniorum & mastiche, liniatur imus venter vnguento comitissæ, vel oleo aliquo astringente, mastichino, cydoniorum. Item ex succis aut aquis plantaginis, centinodiæ, rosarum cum pauca terra sigillata fiat iniectio: lana iisdem succis inebriata forma pessi indatur, aut ingrediatur semicupium, cuius decoctum sit adstringens, vel ℞. pessarium commune, mergatur in vnguento comitissæ, prouocetur arte somnus, abstineat vino, cuius loco vtatur aqua chalybeata in qua dissolui poterunt iulepi rosarum, aut syrupus aliquis astringens cydoniorum, rosarum siccarum, granatorum, trochisci quoque adstringentes de bolo, de terra sigillata, de carabe, ex quibus cum conserua rosarum & symphiti opiata, cui addere poteris rasuram eboris, cornu cerui, corallum rubrum, hæmatitem, interim corpus purgetur ex decocto ℥ß. myrobolanorum citrinorum, neque temerè supprimi debet hæmorrhagia, præsertim quando sit à repletione. D E

℞. myrobolanorum citrinorum ℥ß. bulliant in aquis rosarum & planraginis, in colatura dissolue syrupi de cichorio compositi cum rheo ℥i. fiat potio, nisi mauis expressionem ʒii. rhabarbari infusi in iisdem aquis, in qua dissolue ʒi. cuiusuis syrupi astringentis. Cæterùm quia sanguis immodicè fluit duabus præsertim de causis. Primò propter vias laxiores, cui causæ conuenient adstringentia commemorata.

Secundò

A Secundò propter sanguinis ipsius tenuitatem, huic causæ conuenient incrassantia, ad eum finem præscribes insculа; lactuca & portulaca alterata, aut ex eorum succis & succo plantaginis coctis cum saccharo fiat syrupus, quo vtatur omni hora: inspissant sanguinem oriza cocta in aqua rosarum, pedes vituli, idem præstant, pulticula ex farina fabarum cocta in lacte chalybeato. Ante pastus edat parum cydoniati: immoderati enim menses in iunenibus periculosi, in senibus funesti: hydropicæ tandem moriuntur refrigerato iecore.

MENSTRVVM STILLICIDIVM.

CAP. XVIII.

B SANGVIS supra modum effluit per ἀναστόμωσιν apertis venis vteri raro per ἀνάβρωσιν rupta aliqua illius vena, vt ictu, casu, difficili partu. Est etiam cùm guttatim veluti stillat sanguis, & paucus cum dolore redditur, sanguis inquam impurus, saniosus, purulentus, dolorosum hoc stillicidium erosionis certum est indicium, aliquando etiam vlceris simplicis vel maligni. Qualitas excreti qualitatem & magnitudinem morbi indicabit: Sanies enim & pus, vlcus certò indicant: Sanguis verò impurus, saniosus, erodens, exulcerationem, vbi dolor ibi morbus, ex loco doloris si vlcus sit in vtero ipsô an in collo vteri discernetur: nam si respondeat se sentire dolorem in perinæo, est in collo: si ad pubem, est in vtero ipso. Vlceri iam propria remedia descripta sunt, exulcerationi & erosioni leuiora accommodentur: lege Aetium lib. 16. cap. 65.

C

HÆMORRHOIS VTERI.

CAP. XIX.

EST vena in collo vteri, per circuitus, extra tempus lunaris purgationis, sanguinem fundens: poterit videri per dioptram: Tuberculum enim eminet subrubrum & ctueotum, quod Pauli consilio abscindendum est, quo tempore morbus dat inducias: lege Aetium lib. 16. cap. 99. vbi monet cancrosas & varicosas non esse attingendas.

MENSES DEPRAVATI, VT ALBI ET decolores.

D

CAP. XX.

AVCTORE Hippocrat. menses decolores desiderant purgationem, quia cacochymiam indicant; quis humor peccet inspectione indusij distinguetur: Albi verò menses, aut accidunt ipsiusmet vteri intemperie frigida per congestionem, vel generali rheumatismo, siue totum corpus in vterum sese exoneret, siue pars aliqua princeps: hinc longa & difficilis curatio, quia aliunde fouetur. Periculum tamen est in mora, quia aliquando vterus humoris acrimonia exulceratur, tùm excretum incipit esse rubrum & fluit cum dolore, hocque sequitur incommodum quòd raro concipiant, quippè cùm perpetuo madeat illis vterus, quòd si fortè concipiant, aut abortiunt, aut partus edunt morbidos & parum vitales: neque tamen temerè supprimi debet vterinus
E fluor, propterea quòd suppressione intempestiua aliquæ in hydropem, aliæ in paralysim, aliæ in cephalalgiam inciderunt: humore aliò refluente. Priusquam de remediis cogites, videne similitudo tibi imponat: Sunt enim duo vteri affectus similes fluori albo, nempè gonorrhœa simplex & virulenta, distinguentur, quòd in gonorrhœa simplici effluat semen cum titillatione, cùm in rheumatismo vteri fluat pituita sine prurito, sub gonorrhœa virulenta continuus est dolor, vt in vlcere, non sine ardore & acrimonia vrinæ, vt mittam fœdum concubitum, qui semper istam gonorrhœam præcessit, non fluorem album, hoc quoque certo signo distinguentur, quòd quoties fluunt menses rubri, albi subsistunt, perseuerat nihilominus gonorrhœa virulenta: Curationis primus scopus vt impuritatem corporis

diuertas & per fentinam exhaurias, nifi colluuiem humorum quæ fluit vndique ad vterum per aluum expurges, conijcies ægrum in maius periculum importuna fuppreffione; quia vt dixi, humor aliò refluet: Itaque præfcribatur parua maffa pillularum de quinque generibus myrobolanorum, purgetur pillulis affaieret, de bdellio, vel ex rheo cum agarico, ratione pituitæ exuperantis, applicetur vtero & lumbis emplaftrum pro matrice, fed remoueatur cùm inftabit tempus rubræ purgationis. ℞. emplaftri pro matrice ℥iii. extendatur fuper aluta & applicetur dictis partibus, fumat quotidie cum vitello vnius oui charabæ ℈ii. aut paretur opiata ex conferua rofarum & fymphyti, addendo trochifcos adftringentes, corallum, cornu cerui vftum, confulatur parti principi fi quæ laboret, hepati hepaticis, cerebro cephalicis, alioquin intemperies frigida vteri iam dictis remediis corrigatur, exficcando vtero conueniunt hydroticum, ftuphæ ficcæ, imprimis verò fuffitus ex puluere radicis biftortæ, trochifcis de gallia & de alypta mofcata, caryophilis, nuce mofcata: ℞. Radicis biftortæ ℥ß. trochifcorum de gallia & de alypta mofcata ana ʒiii. caryophillorum & nucis mofcatæ ana ℈iiii. fiat puluis craffus pro fuffitu muliebrium, thermæ Spadenfes & Niuernenfes deficcant vterum, propterea vt vlceri, ita illius rheumatifmo benefaciunt, quotiefcumque humor videbitur defcendere à cerebro per fomnum. Paulus Aegineta contendit diuretica, vt afari, apij, fœniculi decoctum, vi attenuante ducere per vrinas. Ad diuerfionem vtiliter admouebuntur cauteria brachiis. Galenus vt diuertat per vrinas imperat diuretica, vt decoctum apij.

Notandum ex Aetio iuuenes rubra, vetulas alba fluxione fæpius tentari, fi refpondeat ætati faciliùs curari, fi non fit ætati morbus congener, vt fi vetula rubro, iuuencula albo fluore tentetur, difficiliùs & cum maiore vlceris periculo: propter humoris fluentis acrimoniam: fanè non caret dubitatione quod affirmat Montanus, iuuenculas quæ patiuntur fluorem album expertas effe venerem: quia puellis etiam octo annorum aliquando accidunt, vt Fernelius obferuauit, ego vero in trienni puella cui fluunt magna copia.

FVROR VTERINVS. CAP. XXI.

NOBILIS mulier non ita pridem furebat ab vtero, imperaui venæ fectionem, clyfteres, frequens balneum; quibus cum morbus non cederet, maritum peregrè profectum iuffi reuocari: Reuerfus prima nocte illi priftinam mentem reftituit. Siccus vterus folebat humectari, non aqueo, fed pingui & aerio illo humore, qui eft illi pro pabulo. Simile eft fere quod narrat Alexand. Benedictus: Iuuencula Venetiis domo exiit furens ab vtero ob fuppreffos menfes, cum maritus eiufdem domum reuerfus eam tota nocte fubagitaffet, fluxere menfes, mentifque fanitatem confequuta eft.

SECTIONIS QVARTÆ

TRACTATVS TERTIVS.

DE MORBIS MAMMARVM QVI (VT *vterini*) *mulierum funt proprij.*

QVANQVAM ad affectus externos referri poffint, tamen quia mulierum funt proprij, & quòd medici potiùs quàm chirurgi de illis confulantur, placuit per occafionem de illis transfigere: omnes autem aut ad mammas ipfas pertinent, vt inflammatio, vlcus, fcirrhus, cancer; aut ad lac, vt copia, paucitas, coagulatio lactis; exordiar ab inflammatione.

A *MAMMARVM PHLEGMONE.*

CAP I.

PHLEGMONE dignoscetur tumore calido, cum rubore & dolore: initio missio sanguinis & litus cum oxyrhodino, superponendo oxycratum tepidum; vt impedias ne fiat, quinetiam si menses restiterint, incisa saphena prouocentur, notandum tamen quando inflammatio consequitur trombosim seu coagulationem lactis, vt ferè fit, abstinendum esse à repellentibus, ne humor magis magisque impingatur atque incuneetur, sed mox resoluendum esse, aut maturandum, resoluetur cataplasmate ex farinis fabarum & erui, cum opio & ebulo, succo aut decocto collium: si non possit resolui, iuuetur B pepasmus cataplasmate ex farinis tritici, lini, fœnugræci coctis in hydrelæo, basilicum est pepticum optimum: interim vera ne nutrix ablactet infantem, ne suctu mammæ impleantur, quod est Sorani & Pauli cosilium, quando insignis est dolor: Alioquin inquit Aetius, si neque dolor insignis adsit, neque inflammatio fugatur leuiter: sic enim fiet vt sensim depleatur sine nouæ materiæ attractione: Cæterùm inflammatio in papilla est longè grauior quàm in mamma, vtramque non tantum febris comitatur, sed etiam quandoq; etsi raro, delirium.

INFLAMMATIO MAMMARVM.

CAP. II.

C INFLAMMATIONI suppuratæ succedit vlcus imprimis detergendum, postea replēdum, Æginetæ remedium potest esse instar omnium quod ad aliarum partium, vt vteri & oris vlcera per analogiam transferre possis. ℞. Gallas & nuces cupressi ana numero 10. rhu coriariorum m. ß. macerentur in vino rubro diebus 10. deinde coquantur donec dimidium vini sit consumptum, residentia proijciatur, colatura rursum coquatur ad crassitudinem mellis: in vsu, si fuerit crassius, diluatur eodem vino. Priscianus portulacam terit cum oleo rosato, & cum linteo imponit, aut folijs hederæ coctis mammas fouet.

SCIRRHVS, CANCER MAMMARVM.

D

CAP. III.

SCIRRHVS vt cancer non sanescit si confirmatus, incipens emolliatur diachylo cum gummis, de Vigo non tantùm mammas duras, sed etiam cancrosas primùm fouet decocto climeni, deinde admouet sequens emplastrum, ℞. Olei communis ℔. j. lythargiri puluerati & plumbi vsti ana ℥ii. succi climeni depurati ℥iiij. terebinthinæ ℥ij. fiat emplastrum, plumbi lamina etiam vlcerato cancro vtiliter applicatur.

Dolor mammarum.

Dolor demulcetur cataplasmate, ex quatuor remollientibus, & floribus chamæmeli aut ex farina fœnugræci cocta in lacte.

E *VT NVTRICI LAC ABVNDE SVPPETAT.*

CAP. IIII.

FRICENTVR mammæ, infra mammas applicentur cucurbitulæ: vt materia lactis attrahatur: bibant aquam decoctionis herbæ & radicis fœniculi recentis, vulgus vtitur aqua decoctionis auenæ, aut furfuris: Paretur pulticula ex lacte & farina fabarum: vtatur oryza. Sunt qui commendant puluerem vermium terrestrium, detur ʒij. cum vino, vel cōtundatur cū passulis, vel ℞. tria aut quatuor oua, interim dum agitatur misce puluerem duorum aut trium vermium, atque etiam pulueris fœniculi dulcis ℥ii. aut iij. coquantur in sartagine cum butyro, fiat ferculum quo nutrix vtatur. Rhasis magni

facit cinerem pedis anterioris vaccæ cum decocto fœniculi: considerandа tamen causa imminuti lactis, faciamus verbi causa nutrici paucum lac supperere, propterea quòd menses copiosiùs illi fluunt, nisi sistatur fluor, irrita sunt remedia: Si parciùs viuat, nisi liberaliùs & alimentis boni succi nutriatur, nunquam prædictis remediis lactis copia producetur: Si propter totius aut mammarum calidam & siccam intemperiem lac deficit, corrigatur iusculis herbis refrigerantibus simul & humectantibus alteratis, vt lactuca, acetosa, immiscendo semper ea quæ lactis copiam proprietate gignunt: Quidam commendant potum lactis suilli. A

VT LAC E MAMMIS REPELLAS.

CAP. V.

PVERPERIS mox à partu solet maiore copia lac ad mammas confluere, vt repellas, liniantur mammæ oxyrhodino, deinde superponatur linteum imbutum oxycrato tepido, in quo cuminum bullierit quod sæpè renouetur, poterunt mammę statim à litu conspergi puluere myrtyllorum, aut liniri oleo myrthino, quod est potentius rosaceo, vulgare est cataplasma ex furfure cocto in oxycrato. Quidam appendunt collo catenam auream, alij ferream, aut clauum: ferrum enim frigore suo repellit, propterea limus qui subsidet in aquis fabrorum subactus cum rosaceo forma cataplasmatis vtiliter admouetur, impeditque incipientes inflammationes: cucurbitulę tandem hypochondriis affigendę, ad reuulsionem sanguinis, nisi gestent vtero: cataplasma ex farina fabarum, erui, lupinorum cocta in oxymelite, repellit simul, deficat & exhaurit lac. Itaque prouidebis ne de repellendo dum cogitas, quando duntaxat impedire vis ne lac maiore copia ad mammas affluat, illicque, vel concrescat, vel inflammationem excitet; ne tuo remedio euanescat, & mater non possit postea esse nutrix etiamsi velit. B C

TROMBOSIS LACTIS.

CAP. VI.

AD Trombosim seu coagulationem lactis, ℞. ebuli, apij, menthę, calamenthę ana m. ß. fiat decoctio pro fotu: ex residentia cataplasma: vulgus stercus caprillum coquit cum oximelite & applicat forma cataplasmatis, fouet etiam mammas muria, Auicenna coquit farinam lini & fœnugręci in oleo violato & pauco aceto. Quidam affirmant cerę grana duo instar milij sumpta impedire ne lac coaguletur. D

SECTIONIS QVARTÆ

TRACTATVS QVARTVS.

DE MORBIS ARTICVLORVM, AC imprimis de Arthritide. CAP. I. E

CVRATIONEM morborum internorum arthritis terminabit, æquum est enim, vt morbos genitalium tam viri quàm mulieris consequatur, quia fingitur à poëtis filia Bacchi & Veneris. Quædam est generalis, quæ vel omnes articulos simul, aut vicissim inuadit, quedā est specialis, quæ definitiùs hunc quàm illum articulum affligit: hinc arthritidis variæ differentiæ propriis nominibus designatæ, dum enim fluxio articulos pedum cruciat, podagra, dum manuum, chiragra, dum genuum gonagra nuncupatur: quæ plures simul articulos diuexat, nomine generis Arthritis appellatur, Quò referri possunt Ischias & immanes tam humeri quam omoplatæ cruciatus. Rarò fit congestio-

A ne, ferè semper fluxione, fluxionis autem omnis duo termini, à quo & ad quem. Terminus à quo est pars mittens, terminus ad quem pars excipiens, à qua parte procedat arthritica fluxio, inter doctos non est satis definitum, placet Fernelio semper procedere à cerebro, quinetiam humorem extra cranium consistere, atque illinc sub cutem ad articulos descendere: Verùm nephritidem sæpè consequitur, pituita à renibus ad articulos translata: Arthritis calida qualis est hodie frequentior, ab hepate calidiore ortum ducit, acciditque vt plurimùm suppressis mēsibus, aut hæmorrhoidibus, vt mittam multos morbos arthritide terminari, materia à toto ad partes ablegata. Verum enimuero quidni ab interiore cerebro per spinam & neruos, per venas quoque & arterias, quemadmodum in subiectas alias partes, ita in articulos descendit? quidni partes robustiores in articulos imbecilliores sese exonerant? Disputatio ista est magni momenti, vt discamus imprimis parti mittenti consulere: Excipiunt verò articuli propter imbecillitatem quæ est vel à natura & hæreditaria, vtpote, si quis nascatur parentibus arthriticis: vel aduentitia, qualis est quæ proprio vitio vt vitæ intemperantia contrahitur: naturæ vitia difficiliùs tolluntur quàm accidentaria: hinc arthritis hæreditaria insanabilis, aduentitia si iam vetustate fuerit nodosa, immedicabilis.
B

Remedia quædam prophylactica quibus præcauetur, alia therapeutica quibus præsens depellitur, fingamus quempiam qui sentiat in articulis propensionem quandam ad arthritidem, siue natus sit arthriticis parentibus, siue intemperantiæ vitio iam aliquoties fuerit afflictus, qui velit imminentem præcauere, reuocare imprimis debet ex methodo generali, hoc præceptum: Semper in morbis periodicis, si fieri
C potest, anticipandum esse paroxysmum, Itaque instante tempore accessionis, purgetur, pillulis arthriticis, aut de hermodactylis maioribus in frigida, minoribus in calida causa, ℞. massæ pillularum arthrit. & de hermodact. ana ℈ii. malaxentur cum aqua betonicæ, fiant pillulę sex pro dosi: deinde aperiatur vena, præsertim cum fluxio calida videbitur: Galenus enim gloriatur se multos ab arthritide præseruasse ineunte vere secta vena. Imbecilli & laxiores articuli roborentur oleo cum sale, vt sicces cum adstrictione, vinaceis quoque firmentur: macerandum corpus inædia: Propterea enim μισοπτωχὸς perhibetur odio habens pauperes: hydrotico quoque desiccandum, vt decocto chinæ, aut salsæparilæ. Cauteriis fluxio diuertenda, quæ brachiis, aut ipsimet capiti vtiliter applicantur, quando manifestè fluxio incipit à capite, alioquin parum, aut nihil omnino prosunt, tibiis potius debent applicari, cum videtur fluxio ab hepate originem ducere. Confert etiam ad præcautionem
D lac asinæ, quia sanguinem depurat, præsertim iuuat eos arthriticos qui aliquando lue laborarunt.

Therapeutica partim vrgenti dolori subueniunt, partim morbum funditus tollunt. Sanè optima sunt, anodyna quæ tollunt causam doloris. Aëtius cum Gale. probat venæ sectionem: summis enim doloribus præsentissimum est remedium. Auicenna tamen eam improbare videtur. Ita distinguendum: Ad præcautionem confert, ad curationem nocet, quia humores omnes commouet, augétque fluxionem: nescio quomodo morbus iste tēpore maioris afflictionis magnis remediis purgatione & venæ sectione exacerbatur: si tamen venienti morbo non sit prouisum, & corpus sit plethoricum, aut commota febris. Non erit alienum venam pertundere, necnon cacochymiam vacuare. Galenus ex Andromacho hoc primi generis
E anodynum valdè commendat quo soleo vti fælici admodum successu, fœnugræcum coquatur in aceto donec dissolui possit, adde mellis quantum satis, recoquantur iterum & terantur, fiat cataplasma, quod fasciis obligetur, fac hoc triduo & miraberis effectum. Huc referri potest vesicatorium, infra partem dolentem, ex medio cortice vlmi, aut fermento & cantharidibus, nec non hirudines admotæ articulo dolenti. Secundi modi anodyna sunt cataplasma vulgare ex lacte cum vitellis ouorum, pauco croco & farina hordei, adde si placet oleum camomeli & violarum ne tam citò arescat, fimus bubulus recens, est vulgare, optimum tamen anodynum: ficus coquatur cum mulsa, aut cum oleo camomeli: Aut folia altheæ & verbasci coquantur in lacte & trita applicentur. Si placet radix altheæ siccetur, puluis coquatur cum lacte & applicetur, sanguis quoque leporis & hirundinis, adeps ciconiæ, vel eiusdem fimus illitus articulo, proprietate quadam creditur conuenire: lagena plena

decocto neruali vt maioranæ, camomeli, primulæ veris, volis pedum & manuum vtiliter applicatur: aut parti ipsi vesica semiplena lacte in quo althea, maiorana, camomelum, hypericum bullierint: cùm cætera non iuuissent sæpè expertus sum singulare anodynum: emplastrum de Vigo cum Mercurio: iuuat præsertim si arthriticus aliquando lue laborarit, Anodyna tertii generis: lac in quo Hyoscbiamus bullierit, aut hyoschyami folia, trita & applicata: oleum ranarum isto modo est anodynum: capita ranarum coquantur in oleo ad putrilaginem, expressio seruatur pro litu, oleo nenupharis aut papaueris, maior stupefaciendi vis inest; maxima opio, quo tamen non est vtendum nisi extrema necessitate: illius grana duo aut tria lacte dissoluuntur, aut oleo violaceo, camomelino, pro litu partis dolentis: Viua torpedo subiecta plantis pedum quia membrum stupefacit, tollit, non tantum ad præsens, sed in reliquam vitam sensum doloris: Quidam vergunt in frigidam partem dolentem, sedato dolore applicant calfacientia, vt oleum chamæmeli, hyperici, liliorum, hæc ad symptoma: Morbo autem vt mederi possis eiúsque causam ita tollere vt ampliùs non recurrat, Tralliani diacorallium præscribito, cuius sequitur descriptio. ℞ coralli ℥ij. myrrhæ ℥iij. cariophyllorum ℥ß. rhapontici. ℥j. folii ℥ß. si desit eius loco substituitur nardi Indicę ℥i. radicis pœonię tantundem, aristolochiæ rotundę & longę ana ℥ii. fiat puluis tenuissimus, cuius scrupulus vnus exhibeatur pro dosi summo mane sex horis ante cibum cum tepidę ℥iiii. corallum astrictione sua vias per quas fit fluxio restringit, nerualibus humidiora & laxiora ligamenta incalescunt, siccantur, roborantur, ceteris pituita morbifica inciditur & tenuatur. Exibetur autem cum tepida, vt illius ardor obtundatur, conuenit imprimis arthritidi frigidę, cuiusmodi omnes esse Fernelius, quin Galenus ipse existimat: cùm tamen hodie magna ex parte calidas esse experiamur: exhibet per centum dies continuos, postea intermittit dies triginta vt æger resumat vires. Rursum exibet per dies centum continuos, deinde diebus triginta intermitit, tertio exibet non quotidie, sed alternis diebus per dies centum & sexaginta. Difficile est hodie ęgrum inuenire vsque adeo patientem: Interim per interualla purgari debent pillulis arthriticis, vel de hermodactylis, aut terebinthina cum rheo & agarico: Est enim neruis amica: Infra articulum magis obnoxium fluxioni arthriticę vtile erit applicare vesicatorium aut cauterium, vt humori quo relaxantur & debilitantur ligamenta, detur liber exitus: Galenus absumit reliquias emplastro ex cochleis: Integrę teruntur & forma cataplasmatis applicantur, sinantur donec per se cadant. Possis etiam ad robur parare cerotum ex emplastris de meliloto, ceroneo vel oxycroceo, vel ℞. gummi pini ℥ii. incorporentur cum oleo irino, fiat emplastrum, Cæterum Valescus meminit cuiusdam medici qui sola trium dierum inędia accessionibus arthriticis liberabatur: os colluebat frigida, nihil prætereà assumebat. Gatinariam iam sexagenarium arthritis prehendit, sola vini abstinentia eam depulit, atque indolenter vsque ad annum octuagesimum secúdum vitam exegit, interim stomacho conuenientem potum sibi parabat ex decocto mastiches, coriandri, passularum. Vinum plurimum nocet arthritis, inquit Gordonius quia facit penetrare humorem crudum ad articulos infirmos, éstque humoris crudi vehiculum, tùm quia acescit: concedit tamen in declinatione sed magna cautione. Arthritis nodosa comparatur scirrho: incipiens est capax remedij, non confirmata: in vsu est apud plebeculam remedium Galeni, coquit pernam ad tabem, immiscet putrem & verminosum caseum, inde cataplasma effingit: est aliud emplastrum emolliens simul & resoluens ex ammoniaci & ceræ æquis partibus addendo pro ℥j. croci ʒß. cuius loco vtimur diachilo magno & cum gummis, sed ireato, cui ireos Florentiæ aliquid sit admixtũ, vt remolliat simul & resoluat. Guido vtitur hoc cataplasmate ℞. ebuli, sambuci & caulium rubrorum ana m. j. bullient in lixiuio quod paretur ex tartaro & sale coctis in aceto, si forte nodus vlceretur, iubet mundari vnguento apostolorum. Quod si videatur necesse, non aliter quàm strumæ aliquo caustico erodatur: vt oleo de vitriolo, de sulfere, aqua forti, puluere Mercurij: Imò verò si iam os subiectũ corruptum fuerit, ferro candente vtatur: Cæterum fluxionis quæ fit in partes neruosas terminus dies 40. quo tempore solet durare arthritis: fluxionis verò factæ in partes carnosas dies 14. propterea Guido iubet, vt cauteria quæ applicantur coxariis, per dies 40. maneant aperta, quanquam non videtur tempus aliter definiendum quàm perfecta sanitate.

DOLOR

A

DOLOR ISCHIADICVS.

Cap. II.

Ischion est ligamentum quo femur coxendici alligatur, in ista compage seu articulatione collectus humor, ischiadicos dolores excitat, quibus afflicti, coxarij seu ischiadici nominantur: Ischiadi calidæ, qualis accidit suppressis mensibus, imprimis venæ sectio medetur, secta primùm vena in brachio è directo, deinde in malleolo exteriore, quæ quòd singulariter prosit in eo affectu, ischiadica nominatur: clysteres hîc imprimis commendantur, primus sit communis ad vacuandas fęces, reliqui acres, qui con-
B stent potissimùm centaurio minore ♃. Iuę arthriticę, betonicę, primulę veris & centaurij minoris ana m. ß. possis addere hyssopi, thymi, pulegij tantundem, fiat decoctio: in colaturę ℔. j. dissolue pillularum arthriticarum, vel de hermodactylis ʒij. Si malis benedictæ laxatiuæ, aut hieræ colocyntidos ℥ß. mellis anrhosati ℥ij. olei anethini de castoreo ana ℥j. fiat clyster: purgatio quibusdam nocuit pręsertim vehemens, attracto humore ad partem afflictam non vacuato: vomitus est tutior, quia reuellit: possunt tamen dari pillulę arthriticę, aut potio ex turbith & agarico quę bullierint in decocto neruali, vel tabellę diacarthami. Pro topicis memineris abstinendum esse repellentibus, ne intropellant humorem morbificum, quem omni arte foras allicere debemus: hic enim debet esse præcipuus scopus curationis, à centro ad circumferentiam humorem morbificum attrahere: propterea dropax à
C Gal. commendatur. ♃. picis ℥ii. liquetur in quarta parte olei camomelini, adde sulphuris ℥i. fiat emplastrum. Idem Gal. mirificè extollit ceratum de euphorbio, quod est μεταστυγκριτικὸν, ex alto foras trahit, cuius cerati eodē authore aliâs meminimus, cùm de cephalea tractauimus. Aetius laudat cataplasma ex fimo caprillo cocto in aceto. Alij malunt coqui in vino, quidam addunt sulphur, staphysagriam, Aristolochiam: eidem scopo inseruiunt synapismus, vesicatorium, & cucurbitulæ etiam cum scarificatu, singulis incisionibus quidam applicant hirudines, Democrates apud Galen. commendat radicem iberidis seu Lepidij cum axungia primùm remollitam, deinde contusam & emplastri modo impositam: ille iubet, vt sinatur illic per tres horas. Ægineta verò consulit, vt sinatur donec cuticula nigrescat, sit paratum balneum aquæ dulcis in quod æger mox demittatur. Fernelius hoc remedium tanti facit, vt miraculo iuuare affirmet, omnes ex Dioscoride hoc remedium descripserunt, qui
D iubet cum axungia salsa teri & per quatuor horas forma cataplasmatis coxæ applicari: deinde vt ingrediatur balneum, postea iubet vt locus oleo liniatur & lana superponatur: castoreum pondere ʒj. vtiliter per aliquot dies coxariis exhibetur, cortex quoque radicis capparis tam sumptus quàm admotus, si credimus Æginetæ, benefacit, qui consulit, vrgente dolore, tandem vt Philonij ʒj. in decocto clysteris dissoluatur: Aphorismus est Hippocrat. lib. 6. si coxariis diuturno dolore vexatis crus tandem extenuetur, nisi admotis cauteriis hoc impedias claudicabunt, mucus quo articulus impletur cauteriis vacuetur. Celsus supra iuncturam iubet applicari, Dioscorides loco dolenti: quacumque in parte dolor erit, illa aperiatur cauterio: nam vbi dolet ibi morbus, seu causa coniuncta morbi, vide tamen ne cauterium altiùs penetret, ne fortè quis subsit tendo, aut neruus: ego soleo coxariis applicare caute-
E rium quatuor digitis infra genu, in exteriore tibia: præfero enim hanc parti interiori, quia vena malleoli exterior ischiadica nominatur, præfertúrque saphenæ in hoc morbi genere, quia de parte affecta magis directè vacuat, tamen considetandum quò dolor inclinat, intus an foras.

A

PARTICVLARIS METHODI MEDENDI, LIBER SECVNDVS.

IN QVO AGITVR DE MORBIS EXTERNIS.

B

PRAEFATIO QVAE CONTINET BREVEM EXHORTATIONEM *ad Chirurgiæ studium.*

MEDICVS affectus tam externos quàm internos tribus instrumentis depellit, Diæta, Pharmaco, & Chirurgia, inde tres artifices, quibus præest, vt architectus operariis, singulis enim agendi formulam præscribit: Clinicis quæ victus ratio ægris conueniat, quo tempore, & quantum nutriendi: Chirurgo, quæ vena & quando secanda, cucurbitulas hic esse affigendas, illic admouendum cauterium: Pharmacopœo, vt primum apparandus, deinde purgandus humor: hunc pillulis, illum potione repurgandum. C

Atqui nemo potest ex arte præscribere quæ ipsemet ignorat: Itaque dedecet harum medicinæ partium ignarum medicinam exercere: An operabitur ipse? Quidni cùm Hippocrates & Galenus operi manum admouerint? Huic quæstioni satisfacit Galenus sexto Methodi: Cùm Pergami, inquit, medicinam exercerem, quia ibi adhuc non erant distincti artifices, operationem non putabam alienam à medici dignitate, At cùm primùm Romam appuli, ibique distinctos artifices (vt sunt hodie Lutetiæ) inueni, contentus fui agendi modum operatoribus præscribere: At inquam nemo possit actionis formulam dictare quam ipse ignorat: nemo igitur ad medendum accedat Diætæ, Pharmaciæ, & Chirurgiæ ignarus: Potissimùm verò discat chirurgiam, omnium medicinæ partium antiquissimam, nam Podalyrius & Macaon, duo Æsculapij filij qui interfuerunt bello Troiano, chirurgiam exercuerunt, non Pharmaciam: Vulnerarii medici industria in castris magis necessaria est quàm Pharmacopœi: Credibile est eam partem medicinæ cuius vsus est frequentior, & humanæ vitæ magis necessarius, prius excultam fuisse: vulneribus autem quid frequentius? quid terrificum magis? Quid auxiliares manus citius deposcit? Ausim hoc addere ad commendationem chirurgiæ, medicum suam dignitatem apud populum seruare non posse sine ope chirurgiæ, quia sola chirurgia facit vt plebecula medicis fidat. Depulsionem morborum internorum naturæ aut fortunæ potiùs attribuit quam arti: Aut luxatum aut fractum membrum suo loco & integritati restituere, solius esse artis ingenuè confitetur: si quis error commissus sit in curatione interioris morbi, celari potest & in magnitudinem morbi reiici: si quid humanitus contingat ægris, violentia morbi accusatur, imperitia medici excusatur: at minimus error commissus in morbis externis, etiam à mulierculis detegitur, quia remediorum profectus quotidie sensu percipitur: Itáque turpe est videre medicum chirurgiæ imperitum: Ridiculus sit si de aliquo exteriore affectu interrogatus conticescat chirurgo differente: Cuius manum non aliter quàm pictor penicillum debet regere, agendíque modum illi præscribere. D E

A *INSTITVTI RATIO.*

NIVERSA chirurgia quinque sectionibus concludi solet, Tumoribus, vulneribus, vlceribus, fracturis, & luxationibus, quibus ego adiungam sextam de morbis cutaneis, à qua chirurgiam exordiar, vt hoc veluti medio cohæreat cum medicina: Cutanei enim morbi non minus ad medicum, quàm ad chirurgum pertinent, imò frequentiùs de illis consulitur medicus quàm chirurgus: Morbi verò quos de medicina Guido transtulit in suam chirurgiam, quales sunt, Oculorum, Aurium, Narium, Oris, linguæ, faucium, arthritis, ischias: & huius generis infiniti, sunt omnes heterogenei: In arte, inquit Aristot. omnia syngenea sunto: si quid heterogenes occurrat, vt superfluum B rescindatur, & arti suæ restituatur. In chirurgia nihil audiatur quod non sit chirurgiæ proprium: Si quid medicum occurrat, vt alienum rescindatur & medicinæ reddatur, alioquin summa erit artium omnium confusio: Guidoni hoc debet posteritas quod fuerit doctor popularis, populariter enim chirurgiam docuit seséque ad rudiorum captum accommodauit: sed professores chirurgiæ quantum possum exhortor, vt deleant heterogenea, eaq; in suam artem referant: Occupati enim chirurgię cādidati in heterogeneis, negligentius discunt syngenea: Audio lubenter chirurgum de his quæ sunt suæ artis sententiam dicentem, lubentius inspicio bene operantem; sed in medicorum fines digredientem, iacientem falcem in alienam messem non fero patienter: si prędictarum partium affectus in medina cōmodius explicentur, (eos enim ignorari à medico, proinde in medicina docenda præteriri nefas) quo iure deC nuo in chirurgia explicantur. Omnia enim semel: in artibus docendis non potest grauius peccari quàm si Tautologia committatur, Atqui ista debent doceri in medicina, ne conticescat medicus de illis interrogatus, itaque pręlegatur deinceps chirurgiæ studiosis Tagantius, qui de Guidonis chirurgia superflua amputauit, solaque chirurgica retinuit, medica medicis restituit: Peccant autem grauius qui descriptione rerum naturalium, non naturalium, & contra naturam chirurgiam concludunt. Analyticę planè sunt ignari: nam quæ medicorum sunt propria in chirurgiam transferunt, si chirurgiæ studiosus istarum rerum studio teneatur, eas discat à medico: Qualis enim confusio, si omnia artifici ediscenda, in eadem arte essent explicanda: eodem iure grammatica in chirurgiam esset referenda.

D

DE MORBIS CVTANEIS
SECTIO PRIMA.

MORBORVM CVTANEORVM summa genera ad quæ omnes reduci possint.

CAP. I.

E VIDAM ad hæc tria genera omnes reducunt: fœdum colorem: Asperitatem, læuitatem, & magnitudinem: Ad fœdum colorem reuocant inhonestas omnes maculas & vtramque vitiliginem. Ad cutis asperitatem: pruritum, scabiem, psoram, lepram, impetiginem: Ad vitia magnitudinis, verrucas, callos, condylomata: Verum defluuium pilorum & canities nullo horum generum comprehendi possunt, itaque alij malunt tria hæc genera, Pustulam, Deformitatem, & Tuberculum: Ad pustulas reducunt pruritum, scabiem, psoram, lepram, impetiginem, psydracia, Ambusta: Ad deformitatem, inhonestas omnes maculas, fœdos colores, & casum pilorum: vt comæ, barbæ, ciliorum, superciliorum: Inde Area, Ophiasis, Alopecia, quò phtiriasis reduci potest. Ad tubercula verò verrucas, callos, condylomata, gibbum.

Omnes autem isti affectus aut sunt generales, aut particulares: Appello generales

qui sine discrimine hanc aut illam partem cutis afficiunt, vt scabies, dicere enim non A
possis quam partem non afficiat, nunc vnicam, vt manum aut pedem, nunc plures, nunc totum corpus. At tinea est scabies particularis, propria capitis: est quædam vitiligo totius, quædam partis: sed cur cutis, tot adeoq; differentes affectus patitur tam sæpè vt vix vlla audiatur tam frequens querimonia? quia est emissarium commune, & sub ea colligitur tertiæ coctionis superfluitas omnis: nisi fuliginosa excrementa per cutis spiracula liberè expurgentur, si stegnosis, conniuentia, densitas, Astrictio, vel Obstructio pororum cutis, difflationem impediat, quæ sub cute subsistent excrementa, occasionem dabunt morbis cutaneis: quæ patitur vt pars similaris per congestionem si imbecilior, vt si intemperata proprium alimentum malè coquat, reliquias coctionis peius excernat: vt instrumentum verò afficitur appulsu excrementorum totius corporis, quæ vt emunctorium commune excipit, non aliter quàm aluus fęces, vesica lotium: neque enim tantùm tertiæ coctionis excrementa, B
sudorem, & sordes congerit, sed etiam humores in venis peccantes sæpè eò natura deponit: criticè an symptomaticè nunc nihil refert.

DE PVSTVLIS QVÆ MAGNA EX *parte ad cutis asperitatem referri possunt.*

CAP. II.

PRVRITVS est scabendi desiderium ob conclusum flatum, aut mordax serum: si malis est lancinatio cutis ab acri sero; quod scabendi cupiditatem inducit, sibi vt paret exitum: verùm nocet empta dolore voluptas, C
quam cæpit æger voluptatem scalpendo, eam amittit vnguibus cutem excoriando: inde scabies: propterea Socrates cum solutus vinculis genua perfricuisset atque inde cruor emanaret, videtisne, inquit, quomodo se consequantur voluptas & dolor? vt voluptas corporis sit permixta suo contrario, voluptas autem animi pura simplex, impermixta? vniuscuiusque humoris cùm suum sit serum, credibile est à sero alterutrius humoris calidi, sanguinis aut bilis, iuuenibus cutem prurire, & in pustulas perexiguas attolli, quas Galli, valdè significanti nomine, appellant, Grateles: Senibus verò à putri sero humoris frigidi, pituitæ aut melancholiæ excitari: proinde iuuenibus medendum dato Cholagogo & vena secta. Contemperandus feruor sanguinis balneo aquæ tepentis, in quo ad maiorem detersionem sacculi pleni surfure bullierint, aut pleni buglosso, borragine, scabiosa, agri- D
monia, oxylapatho, fumaria: sudet à balneo, tertio sudore pruritus disparebit: Alioquin repetantur generalia, deinde particularia: humores enim commoti fuerunt, nō abundè repurgati: natura portione humoris morbifici leuata reliquum in cutem deposuit: Accipiat quotidie serum in quo epithymus, aut fumaria bullierit: abstineat vino, acribus, salsis, piperatis, his denique quæ iecur, & sanguinem calfaciunt. Vtatur elixis potiùs quam assis, iuscula alterentur lactuca, cichorio, portulaca, buglosso, borragine. Pro acetario edat lactucam & portulacam. Proderunt epithemata iecori admota, syrupus de cichorio simplex cum eiusdem aqua, vt prohibeatur nouæ materiæ generatio: Topicum paretur ex succis fumariæ, oxylapathi cum radice, buglossi, boraginis, scabiosæ: qui bullierint in axungia recenti ad consumptionem vsque succorum. E

Quando à pituita salsa cutis prurire videbitur, adde ad ℔j. axungiæ, sulphuris circiter vnciam vnam: si placet, cutis fricetur smegmate ex farina fabarum trita cum aceto antequam ingrediatur balneum: mutet sæpè indusium, alioquin colliguntur sordes sub cute: contineant vngues ne scalpant: memineris pruritum, & scabiem ferè cōmori senectuti. Si valde senem scabies inuadat ab interiore causa, vix vnquam perfectè conualescet. Facilius si à causa externa, vt contagione, puta si dormierit cum scabioso.

Vnguenta quæ sedant pruriginem sunt vnguentum album de lythargiro, Ceratum Galeni cum pauco opio. Quid si manus tantum pruriant? Abluantur sæpè aceto decoctionis hyosciami, vel papaueris: si placet eodem aceto persumentur: proiiciatur acetum in tegulam ardentem, vapor excipiatur parte pruriente: hoc modo

A modo interficiuntur cirones: aut aloë cum aceto: vt morpiones argento viuo axungiæ permisto.

SCABIES. CAP. III.

Ateria tenuior & parcior (vt serum cuiuscunque humoris cuticula conclusum) pruritum facit: crassior & copiosior (vt quilibet humor collectus sub cute scabiem: quæ quidem redditur pruriginosa quoties serum humori permiscetur.

Quædam est humida seu saniosa, qua infectus propriè dici solet scabiosus: Quædam sicca, cum nil reddit: Est asperitas cutis qualis anserum: ab humore putri, vsto, salso, incinerato, vt pituita salsa, bile vsta: cuiusmodi sunt psora &
B lepra: appello psoram, porriginem, quando cutis in furfures resoluitur, etiamsi hoc nomine generaliùs scabies omnis designetur, lepram verò, quando cutis desquamatur, & veluti in squammas piscium resoluitur: differunt intētione, & remissione, nam psora est via ad lepram, vt lepra ad elephantiasim: Remedia qualia ad pruritum: primùm generalia, purgatio, venæ sectio, Balneum, cornicula, Topicum, sulphur, butyro, axungiæ, oleo veteri, vel terebinthinæ permixtum: si velis efficaciùs, diluatur aceto: Quidam adiiciunt nitrum, alij elleborum: in contumaci Valescus vtitur hoc vnguento Gordonij, quod erit instar omnium: ℞ succorum fumariæ, scabiosæ, oxylapathi cum radice, buglossi, borraginis, aceti, ana ℥iij. olei veteris ℔. j. adde sulphuris viui, vtriusque ellebori, auripigmenti, calcis viuæ, lithargiri, vitrioli, gallarum, fuliginis ex ore furni, cinerum clauellatorum & aluminis ana ℥ß.
C Argenti viui extincti, & viridis æris ana ʒij. bulliant ad consumptionem succorum, addendo puluеres sub finem decoctionis cùm picis liquidæ & ceræ q. s. fiat vnguentum. Hydrargirosin medici melioris notæ commendant ad psoram, & lepram non aliter quàm ad elephantiasim: Talia sunt enulatum cum mercurio, & Sarracenum Guidonis.

Valdè probatur Guidoni.

In recenti scabie hoc satis erit ℞. succi citri & styracis liquidæ ana ℥j. terebinthinæ lotæ & butyri loti ana ℥j. ß. ellebori nigri puluerisati ʒvj. salis communis ʒj. fiat vnguentum in mortario plumbeo.

LICHEN SEV IMPETIGO, *vulgo darta.* CAP. IIII.

D

Efinis est scabiei præsertim siccæ, vnde & dicta psorica, quãdo in furfures, aut leprosa, cum in squammas resoluitur: Ad hanc reduci potest Mentagra, id est menti fera, nempe psorica aut leprosa impetigo. Distinguitur in simplicem & vlceratam, Benignam aut malignam: Ad mitem, satis sunt olea de vitellis ouorum, de tritico, de tartaro: Incudi ignitæ multum triticum apponitur, deinde teritur, premitur: qui manat liquor est oleum de tritico. Oleum verò de Tartaro paratur hoc modo ℞. Tartari calcinati ℔. j. infunde in libris sex aquæ plantaginis, residеant sex horis, deine transcolentur: stillabit lixiuium limpidissimum, quod fictili nouo, oblito plumbo, feruere sinatur donec liquore prorsus absorpto crassamentum album in fundo supersit durissimum,
E quod humido loco repositum in oleaginam materiam eliquescet: permisceri poterit succo citri: hoc etiam oleo vtiliter perfricantur inhonestæ faciei maculæ. Diluatur sulphur aqua plantaginis, aut paucum alumen bulliat in aqua rosarum.

Ad mediocres dartas, hoc est medias inter mites & feras, Ægineta hoc remedium commendat.

℞. vitellos tres ouorum qui madeant in aceto, adde sulphuris viui ℥ij. cerati refrigerantis Gal. ʒvj. leuigatis priùs vitellis cum aceto & sulphure adijciatur Ceratum, fiat vnguentum, vel

℞. spumæ argenti ℥j. teratur cum oxyrhodino, etiam acriores impetigines & psoras persanabit.

Ad feram impetiginem Gordonius hoc remedium plurimi facit.

℞. sulphuris viui & auripigmenti rubri ana ℥j. puluerentur, & cribellentur, pul-

ũis excipiatur ſucco fumariæ, fiant trochiſci: quorum vnus quoties vſus poſtulabit miſceatur vnguento citrino. A

Si placet puluis excipiatur ladano ſoluto in oleo maſtichino, fiat vnguentum: aut

℞. vitrioli albi ℔. ß. aluminis ʒ. iij. boli armeni ℥ij. omnia tenuiſſimè puluerata bulliant lento igne in fictili nouo donec exhauſta aqua cætera concreſcant in lapidem qui rupto vaſe aſſeruetur.

Cuius lapidis ℥j. diſſoluatur libra vna aquæ, qua intinctum linteum applicetur feræ impetigini, confert etiam malignis vlceribus.

Ad malignas & vlceratas, excoriatorijs remedijs opus eſt, cuiuſmodi ſunt olea de ſulphure, de vitriolo, de anacardis, aqua fortis, aluminoſa: ſublimatum aut cinabrium temperentur mucagine gummi arabici aut tragacanthæ: quibuſquidem dum B vtêris, memineris vicinas partes deffenſiuo præmunire, metu fluxionis.

Cùm cruſta exciderit, vlcus aliorum modo percuretur, vt vnguentis de ceruſa vel de lythargiro.

Rhaſis ſuadet in malignis vt humor primùm vacuetur ſcarificatu & hirudinibus admotis, deinde vt cutis linteo aſpero vel folijs ficus leuiter perfricetur donec mala carne conſumpta bona appareat, tùm enim leuiſſimo remedio ſaneſcet: Oleum de vitellis ouorum benefacit, etiam malignæ impetigini.

DE SCABIE CAPITIS.

CAP. V. C

DIVIDATVR in humidam vel ſiccam: humida ſubdiuidatur in fauum ſeu meliceridem & achor: appello fauum quando ſcabies reddit ſaniem craſſam viſcidam, mellis inſtar: achor quando ſanies exit tenuis vt ichor: ſiccam, vulgus appellat Tineam, quia cutis, non aliter quam veſtis à tineis, eroſa videatur: hanc quoque poſſis ſubdiuidere in pſoricam & leproſam.

Humidam ſiccabis vnguento ex ſulphure mixto cum vnguento martiato: aut aceto, ſale, & ſulphure permixtis.

Sicca difficilius curatur: Imprimis linteo aſpero cutem perfricato, ſi non rubet, conclamatum eſt, ſi rubet præmiſſis generalibus, vt purgatione & venæ ſectione, ſubalternis non neglectis, vt errhinis & maſticatorijs quorum formulas require ex D tractatu de morbis capitis interioribus: cranium radatur, deinde abluatur decocto lupinorum, mox ſequenti vngento liniatur.

℞. vtriuſq; ellebori & radicis cucumeris agreſtis ana ℥j. macerentur in acerrimo aceto adhuc feruente, ſinantur per totum diem, facta expreſſione adde ſuccorum ireos, ſcillæ decoctæ in fornace, ſulphuris viui, calcis viuæ ana ʒiij. olei lauri ℥j. terebinthinæ ℥iij. miſce, fiat vnguentum quod actu calidum applicetur. Licebitne vti vnguento Gordonij? quidni cum ad omnem ſcabiem contumacem præſcribatur? Quia prima indicatio ſumenda eſt à parte affecta, cerebrum eſt pars quæ venenatis facilè offenditur. Itaq; niſi tollantur venena, vt auripigmentum, vitriolum, viride æris non erit admouendum capiti: cuius rei nos admonuit Valeſcus, Gordonij diſcipulus: Duobus, inquit, admoui, quorum vnus poſtridie interiit, alter reliqua vita ſtu- E pidus fuit, vt inde obiter intelligatur eos non ſapere qui tempore peſtis admouent cordi arrhenicum: cor citiùs & grauiùs offenditur veneno, quàm cerebrum.

Pſidracia. In cranij ſuperficie nonnunquam exoriuntur puſtulæ quę pſidracia nominantur, quæ ad ſcabiem humidam poſſunt reuocari, quibus ſuccurrit vnguentum ex ceruſa & oleo roſato, quale in ambuſtis mox.

Epinyctides. Noctu etiam aliquando effloreſcunt malignæ puſtulæ quæ eodem tempore exacerbantur, vnde epinyctides appellantur, ſunt malignæ, acceduntque ad naturam carbunculi, non ſunt tamen contagioſæ, & peſtilentes.

A

DE AMBVSTIS. CAP. VI.

PLacet ambusta ad pustulas veluti ad suum genus referre, etiamsi sæpè succedat cutis exulceratio, quia siue igne, siue liquido feruente, vt oleo, aqua, vino, aceto, cutis vratur, attolli solet in pustulas: etiam vlceratis vesicis imprimis benefacit linimentum ex cetusæ & olei rosati æquis partibus: terantur simul, cum penna liniatur pars ambusta: hoc linimentum potest esse instar omnium, quia non habet par: Aetius addit succum calaminthæ. Vulgus vetus lardum vrit, liquamen excipit frigida, & reseruat pro litu: Aut albumina ouorum agitat cum oleo rosato, linit cum penna, superponatur linteum oxycrato madidum, & sæpè renouetur, quod si placet paretur ex aquis refri-
B gerantibus, vt rosarum, plantaginis, solani, semperuiui, nimpheæ, cum pauco aceto: Benefacit etiam oleum ex vitellis ouorum: aut vitelli permixti cerato Galeni: si vrgeat dolor adde populeum recens, aut misce aliquot grana opij: memineris vt plurimum dolorem ad nonum diem intendi, deinde remitti.

PORRIGO. CAP. VII.

AD hoc quoque genus pertinet, quia ab adiuncto nomen habet, quasi prurigo, habetque adiunctam perpetuo cutis asperitatem, malum ex calida sicca intemperie. Est psorica quidem, quia fricata abit in furfures, minor tamen affectus quam propriè dicta psora: sub psora totum corpus paulatim *Furfures.*
C liquatur & in furfures resoluitur, sub porrigine caput aut mentum absque partis extenuatione sine modo fufures emittunt: Itaque coma & barba primum radantur, deinde abluantur decocto detergente, vt lixiuio ex cineribus brassicæ, betæ, fumariæ, anagallidis flore rubro, capillarium: vel herbarum dictarum succis liniantur. Præmissis generalibus, vt purgatione aut venæ sectione. Benefacit decoctum lupinorum & furfurum, deinde ex farina erui, cicerum, fabarum, lupinorum smegma: puluis pro frictione: vulgus permiscet fel tauri aceto: Dioscorides vtitur radice maluæ cocta in vrina hominis: Alij malunt in vino, alij in acero, contumaci malo paretur lixiuium ex cineribus colocinthidis, agarici, staphisagriæ, radicis cucumeris agrestis. Cæterùm non desunt qui malunt hunc cutis affectum ad deformitatem quàm ad pustulas referre, quia faciem reddit fœdam & deformem.

D

SECTIONIS PRIMÆ TRACTATVS SECVNDVS IN QVO TRACTATVR DE DEFORMITATIBVS.

E

PILORVM DEFLVVIA, CALVITIES, CAP. I.

DEfluvium pilorum est nomen generis: Cuius species sunt, Caluities quæ, & φαλάκρωσις seu glabrities dicitur, & Alopecia: Huius, Area, & Ophiasis. Caluities ferè accidit inopia alimenti, qua causa senes caluescunt, arbores defrondescunt, herbæ marcescunt, eadem causa, etiam iuuenes, qui sunt valdè sicco cerebro citò caluescunt, perfunctis etiam longo & difficili morbo pili decidunt, quia plurimùm alibilis succi per morbum deperijt: cùm incipiunt renutriri, pili renascuntur: caluescunt eadem causa qui veneri nimium indulgent: Eunuchi verò sunt glabri, quia castrati muliebrem naturam induunt: mulier verò est glabra

quia humidior, & frigidior: Viragines enim sunt vilosæ, etiam barbam in mento A gerunt.

Accidit etiam caluities raritate aut densitate cutis, quæ causæ sunt conspicuæ, & sensui manifestæ. Vt ex arte medearis consideranda causa, nam caluities à senio est incurabilis, quia naturalis: cerebrum siccius, fotu & litu humectetur, vt oleo amygdalarum dulcium, quo humoris acrimonia quę pilorum radices erodit, obtundetur: Alimentum admoto aliquo metasyncritico attrahatur ad partem depilem, vt dropace, emplastro ex pice, phœnigmo seu vesicatorio, synapismo: Abradenda sępè coma & duriter, vt aspero lineo, perfricanda, ad eundem vsum: Cutis rarior densetur litu ex oleo rosaceo, vel myrthino admixto ladano: densior rarescet frictione blanda, molli fotu & litu emolliente, vt hydrocleo, oleo amygdalarum dulcium, liliorum. B

Alopecia.

Alopecia non accidit atrophia, sed cacotrophia: nutriuntur quidem pili, sed malè: humore scilicet acri, maligno, qui eorum radices erodit: vt enim plantę muria, lixiuio, aceto, vrina, nutritæ moriuntur: ita capilli defluunt si humore salso, acri nutriuntur: cur caluis renascuntur pili si varices adueniant, vt est sexto aphorismorū? quia malignus humor qui pilos exedebat ad tibias detrusus est: Atqui humor qui varices facit longè à natura recessit, Itaque purgatione frequenti opus est, quæ sit humori peccanti accommodata. Gal. sine topicis purgatione frequenti, vidit alopecias incipientes fœliciter persanatas: est cum à putri & salsa pituita, est cum à mordaci bile radix eroditur: Dicet aliquis: Hipp. scribit lib. de natura fœtus, caluos esse pituitosos, tales autem reddi pituita pilorum radices adurente: respondet Galenus, C Hippoc. ibi phlegma vocare, id quod vstum est in succis: vstionem demonstrat crusta alba & veluti incinerata: Itaque venæ sectio non est prætermittenda: Cerebrum errhinis & masticatorijs deplendum: mox de topicis cogitandum: sed priùs memineris abrasa aut detonsa coma, dura & longa frictione explorare si malum sit sanabile, nam si aspero linteo, aut folijs ficus perfricatum cranium non rubeat, conclamatum est: faciamus ergo rubere, proindeq; spem sanitatis affulgere, deligenda erunt remedia quę mediocri sua astrictione difflationem prohibeant, moderato calore alimentum ad partem alliciant, & humorem morbificum absumant: Si malis, quę humorem impactum resoluant, & noui appulsum inhibeant. Quas dotes Gal. tribuit ladano mixto cum oleo rosarum, aut mastichino. Ægineta terit cum vino: Trallianus cum vino & oleo myrthino, donec acquirat consistentiam mellis: Detonsa coma diu fricetur, si placet decocto capillarium caput abluatur vt Polytrichi & Adianthi (quæ quod regenerandis pilis proprietate conferant dicuntur capillares) deinde D prædicto vnguento liniatur: vel Apes siccentur, puluis melli aut oleo misceatur: Aqua ex fauo mellis destillata est singularis: Puluis capitis leporis vsti mixtus cum adipe vrsi plurimum commendatur: mucerda quoque laudatur mixta cum oleo aliquo tenuium partium, vt lauri, anethi, nucum. Trallianus mucerdæ immiscet olibanum, & terit cum aceto: Folia oleæ cum melle rosaceo subacta benefaciunt: In Alopecia contumaci, Aegineta & Actuarius hoc præscribunt, quod Serapio expertum affirmat & admirabile.

℞. euphorbij, Thapsiæ, & baccarum lauri ana ℥j.ß. sulphuris viui & ellebori vtriusque ana ℥ß. excipiantur oleo lauri & cera q. s. E

Marcellus Empiricus licheni asinæ tantum tribuit, vt etiam fœminis in mento barbam enascituram promittat: Est carò dura quæ circa eius genua adnascitur.

Quid si à lue venerea pili deciderint? præscribatur vnguentum morbo proprium & accommodatum, cuiusmodi hoc fuerit.

℞. pulueris corticis Guaiaci & abrotani vsti ana ℥ß. decocti primi guaiaci ℥iij. olei amygdalarum amararum, & vini albi ana ℥ij. bulliant horis duodecim in duplici vase, seruetur pro litu: vtatur interim decocto ligni sancti: Quibus si nihil proficitur, hydrargyrosis repetatur.

Quid si à parte ambusta pili deciderint? Folia ficus vrantur in fictili, & puluis cerato excipiatur.

Galenus sexto simplicium promittit, cinerem abrotani mixtum cum oleo lauri vel

A vel nucum, acceleratur um barbam segnius erumpentem, & perditam regeneratu- rum: idem præstant baccæ iuniperi tritæ cum melle.

PSILOTRA SEV DEPILATORIA.

CAP. II.

QVIA contraria sese definiunt atque, vt dicitur, iuxta se posita magis lucent: his quæ restaurant defluentes pilos coniungemus quæ eosdem renasci prohibent, ea enim sola vera dixeris depilatoria, non quæ vrunt & vstione pilos adimunt, vt calx & auripigmentum: ad tempus tantùm euelluntur, postea renascuntur.

B ℞. calcis viuæ aut auripigmenti ℥. si vis calcis ℥j. auripigmenti ℥ß. terantur simul affundendo aquam aut poscam calidam, si placet vtriusque ʒij. include nodulo, qui bulliat in aqua, eoq; hirsutam partem fricato: aqua putaminis ouorum est singularis; testæ cremätur, ex puluere destillatur aqua quę non sinet pilos regenerari: abradätur priùs, aut vellantur: valdè frigida & sicca abrasos pilos prohibent renasci, quia alimentum repellunt, cutem densant, & calorem parti eripiunt cuius solius est generare: Itaque ℞. hyosciami m. j. teratur cum aceto & forma cataplasmatis applicetur, idem præstabit cerusa diu in aceto cocta: Galenus eandem vim attribuit ranarum & vespertilionis sanguini: quod Aëtius expertus est falsum. Fortassis non tollunt pilos, vt calx & auripigmentum, sed euulsos prohibent renasci, quę, vt diximus, vera sunt psilotra: Semen cicutæ & hyosciami, oua formicarum, terantur cum succo C verbenæ, & cimicum sanguine.

Succus radicis chelidonię est depilatorius, quemadmodum & lachrima vitis oleo permixta.

CANITIES. CAP. III.

FIT à pituita putri, propterea canescunt ocyus quibus cerebrum est humidius quemadmodum citiùs caluescunt quibus siccius: cur à temporibus incipit canities? quia ibi est musculus carnosus, & valdè humidus: in externis causis recensentur, curæ, tristitia, metus: quibus crudus & pituitosus humor gignitur qui occupat locum primigenij. Insignis est historia nobilis adolescen- D tis, qui in curia Maximiliani Imperatoris, ob commissum adulterium adiudicatus est morti: Territus tali nuntio, vna nocte factus est, ex coruo cygnus: quo spectaculo attonitus iudex, rem totam renunciat Imperatori, qui damnato pœnam remisit, suæ clementiæ causam subiungens, quòd insolens iste metus fuisset illi loco supplicij.

Naturalis canities, qualis accidit senio, celari quidem potest, & fuco aliquo tegi, vt denigratis pilis, percurari non potest: præpropera canities tardabitur frequenti vsu phlegmagogôn, vt pillularum de agarico, cociarum, de hiera cum agarico: sublata enim causa, hoc est pituita de cerebro vacuata, tolletur effectus: Theriacæ & mithridatij sit vsus frequens, quia natiuum calorem augent, & pituitæ prouentum impediunt. Gal. primo de locis affectis, vbi de fucis multa, distinguit cosmeticem à E cõmetice, vt Philosophum à sophista: Exornatoria, corporis natiuä pulchritudinem cõseruat & deformitates tollit, vt nęuos, & verrucas de facie, fucatoria pulchritudinem mentitur fuco: sic mangones, pellices quas prostituunt nituntur fucis pulchras reddere, quamquam reuera sint turpes: Exornator, non aliter quam philosophus, sectatur quod verè bonum est, natiuam pulchritudinem cõseruare, & si quæ sint vitia corrigere conatur: præstigiator quod reuera est deforme conatur arte, seu fucis pulchrum reddere apperenter: satis habet si fallat, efficiatq; vt videatur esse quod non est: Prophilactica quibus tardatur canities, ad cosmeticem pertinēt: Tinctura capillorum, puta si senex suos canos attramento typographico denigret, vt se iuuenem mentiatur, & hac arte locupletem viduam fallat, quä hoc fuco veluti præstigio deceptam ducat in vxorem, ad cõmeticem: Si coma & barba quotidie pectine plumbeo depectantur intincto priùs in succo nucum viridium, aut atramento typographico,

nigri apparebunt: destillatur oleum è fauo mellis quo tincti capilli videbuntur ad tempus, non erunt tamen, flaui: Licétne medico fucos præscribere? Galenus dum in aula versaretur imperatorum, vt satisfaceret principum vxoribus quarum importunis precibus vincebatur, vt gratiores essent suis maritis, fucos descripsit: cæteris, præsertim meretricibus, denegauit: eas ad mangones remisit, non est prætereundum quod ille annotauit, multos ex capitis lotione in grauissimos morbos incidisse, quin etiam mortuos: culpam mox consequuta est pœna, occulta numinis vindicta. A

DE LENTIGINIBVS. CAP. IIII.

DE his ita scripsit Celsus: Penè ineptiæ, lentigines curare velle vt varos & ephelidas, sed quid facias? mulieribus eripi cura cultus sui non potest. Ad lentigines (sunt exiguæ maculæ, vt plurimùm ruffæ, quibus facies conspurcatur, bren Iudas vulgò) vesperi abluatur facies aqua ex terebinthina destillata, aut liniatur oleo de Ben, vel oleo myrobolanorum: manè decocto furfuris tepido eluantur. Aegineta hoc vtitur remedio. B

℞. farinæ erui ℔. j. seminis erucæ, amygdalarum amaratum & radicis cucumeris agrestis ana ℔ß. læuigata mulso liniantur, hora interposita, facies cum spongia eluatur. Soleo imperare vt abluant faciem decocto lupinorum, aut succo fumariæ, vel ex farina erui, fabarum, cicerum, lupinorum, fiat pasta cum aqua rosarum, qua liniatur facies vesperi: mane abluatur decocto furfuris.

DE VARIS SEV IONTHOIS. C

CAP. V.

SVNT exigua & dura tubercula quæ faciem dehonestant, quæ cùm mox suppurent & sponte disppareant, non egent proprijs remedijs, sæpè accidunt ijs quibus aimorragia suppressa est: fœminis verò tempore gestationis, aut suppressis mensibus.

DE FACIE FLAMMEA FICIS CONSPVRCATA. *quibus infecti vulgo ficosi, (à gallis copperoseZ) nuncupatur.*

CAP. VI. D

FACIES insigniter rubra cum ficis, minatur elephantiasim, ad eam enim est primus gradus, quia indicat iecur retorridum assare non elixare: Si à natiuitate talis fuerit, euiretur: vt totus habitus refrigescat & in naturam muliebrem degeneret: Si accidente aliquo, vt meri generosi liberaliore vsu, vtatur refrigerantibus, præsertim hepaticis, vt aqua cichorij cum puluere santalorum, sero lactis, aut lacte asinę: Ingrediatur sępè balneum aquæ tepentis, admoueantur iecori epithemata, assumat sæpè inter pastus iulapia & apozemata refrigerãtia, nec prętermittatur venę sectio; nil enim tam refrigerat: purgetur cassia, catholicone, lenitiuo: Pro topico ad vnguentum de lythargiro aut de cerusa adde argentum viuum extinctum saliua aut succo citri, misce illius dragmam vnam pro vnguenti vna vncia: aut vtere vnguento Gattinariæ ad faciem leprosam. Aut aqua sequenti ℞. Tartari calcinati ℔j. masticheѕ ℥ij. pisentur cum albuminibus ouorum, ponantur in alembico, & aqua stillatitia seruetur ad vsum. E

Cæterùm ad faciei ficos non ani videtur respexisse Martialis dum ita scripsit.

Cùm dixi ficus rides quasi barbara verba,
Et dici ficos Cæciliane iubes.
Dicemus ficus quas scimus in arbore nasci
Dicemus ficos Cæciliane tuos.

A

AD EPHELIDAS. CAP. VII.

EPHELIS est asperitas, & durities cutis potissimùm ab ardore solis, facies insolatu suum candorem & læuorem amisit, fitque aspera & nigra, propterea solati, & à Sole decolores dicuntur à Plinio: aqua ex albuminibus ouorum destillata huic vitio succurrit, quemadmodum & faciei rugis: confert etiam aqua ex floribus fabarum, nimpheæ, & liliorum alborum destillata, addendo semina melonum: item aqua fragorum, vnguentum citrinum; acetum destillatum.

B

GVTTA ROSACEA, QVIBVSDAM *vitiligo rubra.* CAP. VIII.

EST macula rubra quæ faciem dedecorat, quam inter species vitiliginis quidam recensent, si fuerit congenita, aut sinenda est aut caustico cutis primùm vrenda, vt oleo, vel melle anacardi, de vitriolo; deinde noua regeneranda, vnguento de cerusa aut de lythargiro: Si non fuerit inueterata neque admodum altè radices egerit, sed superficiaria, satis erunt detergentia, qualia ad lentigines: imprimis succus fumariæ.

VITILIGO. CAP. IX.

C QVÆDAM alba, alia nigra: vtraque profunda aut superficiaria, recens aut inueterata: Alba, leuce propriè dicitur: quæ si totum corpus occupet, lepra alba vulgò dicitur, morbus quidem hæreditarius, parentum vitio contrahitur: non contagiosus, vt elephantiasis, quia fit ab humore frigido, de quo nil exhalat: vt autem pruritus & scabies ad cutis asperitatem pertinent, ita vitiligo ad læuitatem: læuigatur enim cutis sub hoc affectu: quia tamen corpus vel totum vel in parte dehonestat malui ad deformitatem reuocare: Accidit refrigeratis partibus nutririoni deuotis, vnde sanguis pituitosus, qui apponitur quidem & agglutinatur, non assimilatur: neque enim ex tali sanguine fit vera aut rubra caro, sed alba qualis ostreorum aut locustarum: Si pungatur corpus, qui effluet sanguis erit albus: talis affectus est insanabilis, frustra suscipitur eius sanatio:
D verùm si rubeat cutis frictione, & sanguis effluat ruber, proderunt quæ sequuntur remedia.

Farina lupinorum excipiatur oxymelite, vel cortex radicis capparis permisceatur aceto: Gordonius maculam, albam aut nigram non refert, folijs ficus aut linteo aspero duriter fricat, deinde inungit oleo de tartaro: Archigenes non est contentus detergentibus, vtitur caustico: corpore phlegmagogis, vt pillulis de agarico sæpiùs repurgato. ℞. auripigmenti rubri tenuissimè puluerati ʒj. excipiatur succo fumariæ, fiant trochisci qui in vsu diluantur eodem succo. *Ad incipientem partis alicuius vitiliginem & superficiariam.*

Si cutis noua regeneranda videatur, vt in profunda vitiligine, prima hoc modò remoueatur: ℞. fermenti acris ℥ij. pulueris cantharidum ʒj. misce cum acerrimo aceto: exortis vesicis superpone folia brassicæ, deinde caro exedatur cum arrhenico *Ad inueteratam,*
E vnguēto de althęa permixto, postea vlcus mundetur & cum vnguēto de lythargio aut emplastro diapalma consolidetur: Si locus natura villosus vitiligine glabet redditus fuerit vix vnquam sanescet: Pili albi arte denigrentur, vt in canitie.

GIBBVS, INHONESTVM TVBER *in dorso.* CAP. X.

FIT sensim aut confertim: Sensim, lenta fluxione in spinam, aut à crudo tuberculo extrorsum luxatis, & protuberantibus vertebris: inde Asthma, magna spirandi difficultas, aut tussis, Asthma inquam compressis partibus quæ thorace continentur nec potentibus se dilatare: Tussis quando à tuberculo aliquid resudat in thoracem. Confertim, externa & violenta aliqua causa,

vt ictu, casu, luxata aut subluxata vertebra: luxationem cita mors consequitur, subluxationem non ita: qui gibbi ab Asthmate, aut tussi ante pubertatem fiunt, statim moriuntur: quia thorax propter gibbum non potest augeri, cum interim conclusæ partes accrescant. Adulti vix attingunt annum sexagesimum, etiamsi sint robusti, viuant temperanter, neque gibbus sit admodum magnus. A

Ad prognosim considerare oportet quam spinæ partem Gibbus occupet: nam quo sublimior eò periculosior: In dorso quàm in lumbis quando in lumbis suppuratur, materia, per renes aut intestina vacuatur, aut in crurum maiores venas deponitur, vbi varices facit: In thorace minor spes salutis, quia pulmones inficiuntur suppurato, neque materia tam facile vacuatur.

Luxatio vertebræ à causa externa non admittit curationem. Subluxatio difficilem de qua suo loco & ordine. Si causa fuerit interna, purgetur sæpè decocto cephalico & neruali in quo senna, agaricus & hermodactili bullierint: mittatur sanguis, vtatur decocto sudorifico: admoueantur cauteria vtriq; brachio ad diuersionem catharri: Ad initium spinę admoueatur emplastrum ex mastiche & desiccatiuo rubro quo fluxio intercipiatur: Cerebrum omni arte desiccetur remedijs lib. superiore commemoratis: Proderunt errhina, masticatoria, imprimis frugalis vita. Rhasis & Auicenna tentant resolutionem: Albucasis exedit cauterio: Serapio humorem flatulentum resoluit hoc emplastro ℞. stiracis vtriusq; ℥ij. coste, calami aromatici ana ʒvj. euphorbij ʒj. cum oleo nardino & cera fiat emplastrum. B

MORBVS PEDICVLARIS.
CAP. XI.

QVAMVIS quidam cõtendant pediculos vt vermes esse morbos numeri, placuit tamen ad deformitatem reuocare, quia nihil est turpius, nihil quod adeò homines ridiculos facit: fœlicitatẽ Syllæ phtyriasis terminauit: eodem morbo Pherecides Pythagoræ præceptor, & Alcman perierunt: efficiens est natiuus calor, qui etiam in excrementis sui vestigia relinquit: hoc argumento quod ex illis oriantur insecta: materia, humor lentus & viscidus, qualis per corporis totius colliquationem plurimus erumpit: argumento est quod quæ generant succum pinguem, vt ficus, pediculis generandis materiam suppeditant: Quia igitur colliquatio impediri non potest, phtyriasis est insanabilis: obseruaui non semel instante morte syntecticum sudorem totum in pediculos conuersum fuisse, postremò natiui caloris effluuio animabatur pinguis sudor: Si qui alij pediculorum numerosa prole sordent, vtantur amaris vt pillulis ex Aloë, salsis, acribus, vt allijs: est theriaca pauperum: Theriacæ verò ipsius frequens vsus magnam habet vim ad fugandos pediculos: Balneum paretur ex absynthio, Tanaceto, staphisagria, quæ pedicularis dicitur quia proprietatem habet interficiendi pediculos: illius puluis misceatur alicui oleo amaro, vt amygdalarum amararum, de absynthio, de nucleis persicorum, cum pauca cera fiat linimentum: possis ex aloë, colocynthide, felle, aceto, sinapi parare litum. Verùm nihil certius, nihil præsentius argento viuo. Quidam promittunt si cingulum ex linteo aut lana eo illinatur, mox pediculos, cirones, vermes, exituros: confert sæpè indusia mutare. C D

SECTIONIS PRIMAE TRACTATVS TERTIVS,
in quo agitur de Tuberculis. E

DE VERRVCIS. CAP. I.

VERRVCA est excrescentia melancholica: quę tribus modis tolli potest, incisione, cauterio, actuali aut potentiali, & dissolutione: Incidatur cultello, mox vtatur cauterio clauali aut potentiali, vt oleo de vitriolo: Soleo intra quindecim dies remedio Gal. ad polypos, ex cerato myrthino & Ægiptiaci tertia aut quarta parte, omnes excrescentias consumere.

A Pensilis verruca (acrochordon dicitur quod è cauda veluti de chorda pendeat) filo aut equi seta paulatim constringatur, sic enim tabescet priuata alimento.

Myrmecia.

Myrmeca dicitur quæ latam habet basim eò quòd mordentis formicæ sensum inferat: moralem vocant Arabes duabus causis, priore, quod sit nigra, posteriore quod instar mori plurimis constet paruis excrescentijs: quæ incidenda mox vrenda est cauterio actuali aut potentiali. Vt oleo de sulphure: Succi Sambuci, chelidoniæ, & Thytimali efficiunt tandem vt verrucæ sponte cadant: Radix chelidoniæ teratur cum axungia & fortiter alligetur. Ægineta laudat elaterium cum sale affricatum (est succus cucumeris agrestis) Accipe limaces rubros, pone in olla plumbea. Deinde B consperge sale, exactis quatuor diebus, limacibus proiectis, reserua liquorem quo frequenter verrucæ liniantur: Intra octo dies disparebunt: expertum.

Thymi.

Thymi sunt verrucæ oblongæ in summo asperæ quę florum thymi colorem referunt: finduntur sæpè & sanguinem reddunt: enascuntur sępius in partibus obscœnis: Curantur respersę puluere asphodelorum, au serpentariæ: maligni tamen non sanescunt, nisi amputata parte cui adnascuntur: Dicernetur imprimis colore: maligni enim sunt nigri: Benigni albi: Secundo dolore, quia maligni dolorem faciunt pungentem qui incandescit quoties aut manu tractantur, aut medicamento commouentur. Benigni sunt indolentes leuibusq; cedunt remedijs. Quo maiores eò peiores.

C *Ficus in ano.*

Ficus est excrescentia in ano maior thymo, sic dictus quod materiam includit granis ficuum similem. Purgetur, mittatur sanguis, eoq; liberalius si coniuncta fuerit inflammatio, quæ primum cerato Gal. vel vnguēto rosato temperetur, deinde vtere hoc remedio Gal. & Apolonij. ♃. olei rosati & myrthini ana ℥iij. lythargiri argenti & cerusæ ana. ℥ß. contundantur in mortario plumbeo cum pistillo plumbeo. Prius foueatur locus decocto plantaginis, symphiti, rosarum & Gallarum. Possis vti eodem vnguento ad ficus faciei de quibus cum de faciei deformitate,

Condyloma.

Condyloma est tuberculum callosum quod aliquando succedit inflammationi, D aliquando ragadibus (sunt fissuræ in ano, si malis vlcuscula oblonga) Celsus etiam non callosum tuberculum ita nominat, At Paulus initio inquit excrescentia tantùm dicitur, cum occaluit, condyloma: priusquàm indurescat curetur cerato myrthino cum Ægyptiaci quarta parte: Cùm induruit volsellis prehendatur, deinde cultello incidatur ad radicem vsque. Attamen valde dura & dolentia ne attingito, quia sunt canchrosa: eorum chirurgiam docent Paulus lib. 6. & Aetius.

Mariscæ.

Hemorrhoïdes tùm mortuæ dicuntur, quando nihil ampliùs reddunt: viuæ, quandiu vel sanguinem solum, vel solam saniem, vel saniem cum sanguine effundunt, si solus sanguis modicè & indolenter fluat, sinatur. At cùm saniem vomunt si E ex acrium humorum concursu ad partem, metus sit erosionis, vlceris, fistulæ, aut ex immodico sanguinis effluuio iam Cachexiæ, hydropisiq; incipientis signa appareāt, sanari debent, vna saltem ad tempus, relicta: Albucasis, ad diuersionem humoris, multa admouebat cauteria, vt circa finem libri superioris annotauimus. Aetius verò & Paulus tribus modis sanant: ligatura, paulatim filo constringunt vt destitutæ alimento sponte cadant: vstione: vruntur autem vel actuali vel potentiali cauterio. Cauterium includatur capsula ne vicinas partes attingat; superponatur spongia imbuta aqua tepida aut lacte, ad placandum dolorem.

Hippocrati magis probatur tertius modus, nempe exsiccatio, seu vt ita dicam mortificatio: Ne attingas inquit cauterio, sed contiguo ardore paulatim desicca donec flaccescant.

 A

SECTIONIS PRIMÆ TRACTATVS QVARTVS IN QVO PARTIVM QVARVMDAM EXTERNARVM vt Palpebrarum, Vmbilici, Vnguium morbi explicantur. B

DE MORBIS PALPEBRARVM. Cap. I.

IAm per occasionem prout locus & institutum requirebant quarundam partium externarum proprios morbos exposuimus, vt Tineam & Alopeciam capitis: Supersunt alij qui non possunt commodiore quàm hoc loco explicari: Imprimis Palpebrarum, quos qui confuse cum morbis oculorum explicarunt, videntur ignorasse longè differentem vtriusque partis indicationem: Oculus enim (vt sit hoc vnum pro multis exemplum) quia sensus exquisitissimi non tolerat acria, quæ palpebræ facile admittunt. C

Palpebrarum autem morbi vel sunt communes, qui vt communibus nominibus appellantur, ita communibus remedijs percurantur: eiusmodi sunt: pruritus, Scabies, Asperitas, Phtiriasis; Rubor, Inflatio, Oedema; Hordeolum, Grando, Verruca, Defluuium pilorum, eorúmdem accretio immodica; multiplicatio, duplex ordo, inuersio, quãdo introrsum conuersi assiduè pungunt oculum: Alij particulares, palpebrarum proprij, vt ectropion, inuersio inferioris palpebræ: λαγώφθαλμον πάθος, retractio superioris, propter quam vt lepores cognntur dormire apertis oculis, vnde morbo nomen: Clansura, seu inuiscatio palpebrarum inter sese aut cum oculo ipso; & relaxatio: de quibus instat vt quo propositi sunt ordine disseramus.

Palpebrarum pruritus.

Cùm palpebræ prurient, abluantur aqua rosarum tepida, vel vini albi & aquæ rosarum æquis partibus. D

Scabies palpebrarum.

Ad Scabiem incipientem lauentur aqua rosarum, decoctionis Sumach: liniantur vnguento de Tuthia, aut vnguento ad Scabiem iam descripto: Ad inueteratam cum rubore & duritie, hoc remedium (quod est Rhasis) Valescus plnrimi facit.

℞. floris æris ʒj. calcanthi ʒij. arrhenici rubri, nitri, Spnmæ maris ana. ℈j. Salis ammoniaci ℈ij. Sal temperetur succo rutæ, quo cætera excipiantur.

Memineris hoc remedio non esse vtendum nisi præmissis generalibus, purgatione, venæ sectione, Balneo, cucurbitulis, masticatorio. E

Asperitas.

Asperitas, non aliter quam fissura labiorum, tolletur pinguedine gallinæ, aut butyro recenti.

Phtiriasis.

Pediculi interficientur fotu ex decocto staphisagriæ aut vnguēto ex aloë & puluere staphidis agriæ exceptis melle, aut pauco hydrargiro pinguedini capræ permisto.

Rubor.

Rubor tolletur aqua plantaginis vel rosarum in qua aut ferrum candens sæpius sit extinctum,

extinctum, aut Olibanum: vel infunde ℈ii. aluminis, vel duo aut tria grana vitrioli in vnciis duabus aquæ plantaginis: qua rubentes palpebræ cum penna illinantur.

Inflatio.

Inflatio tolletur fotu carminante, vt decocto florum chamæmeli, maioranæ, euphrasiæ, seminis fœnugræci, cumini: vel ex farinis & pulueribus resoluentibus in lacte coctis fiat pulticula, vel ex puluere cumini excepto oleo lauri, cum cera fiat vnguentum. Iisdem remediis discutietur œdema.

Hordeolum & Grando.

Hordeolum & Grando sunt duo palpebrarum tubercula: Hordeolum est mollius, quod si non possit ammoniaco, aut diachilo magno ireato resolui, chirurgia B curetur vt Grando: incisa cute secundum rugas totum cum sua cysti euellatur; cuius si quid supersit mundetur primum vnguento apostolorum addito pauco Ægyptiaco, deinde cauitas vnguento citrino repleatur.

Hydatis.

Videtur Hydatis Græcorum, cuius vesicula, Celsus existimat aquam includi: alij substantiam adiposam, quibus videtur parua luppia, eodémque modo curanda.

Verruca.

C Pensilis verruca aut filo stringatur, aut incidatur, moxque aliquo oleo caustico locus attingatur, vt gutta vna olei de sulphure, superponatur albumen: caue ne attingas oculum.

Pilorum defluuium.

Ciliorum & superciliorum effluuium, μαδάρωσις Græcis, à Latinis salicium dicitur: cui medemur fotu ex decocto adianthi & politrichi, deinde litu ex cinere apum, vel mucerda, exceptis melle: Torretur stercus muris, puluis immiscetur melli: vel auellanæ vrantur, puluis pinguedini vrsi vel capræ misceatur.

Pilorum inuersio, incrementum, multiplicatio, duplex ordo.

D Si pili inuersi assiduè pungant oculum, vel sellis primum vellantur, mox depilatorio aliquo, vt sanguine ranarum aut vespertilionis: Ouis formicarum, locus fricetur, ne renascantur; nisi malis vti cauterio potentiali, vt oleo de vitriolo, vel aqua forti temperata aqua plantaginis: vel actuali cauterio locum attingere: Celsus tangit locum acu ardente: Quidam contenti sunt inuersum & pungentem pilum alijs agglutinare: Gluten paratur ex mastiche, sarcocolla, & Tragacantho exceptis aqua ouo oui.

Immodicè crescentibus & multiplicatis conueniunt depilatoria.

Ectropion.

De palpebræ inferioris euersione, & retractione superioris, legendi sunt Paulus & Celsus, vix enim aliter quàm chirurgia curantur, legendus etiam Guido suæ E chirurgiæ tractatu sexto. Celsus existimat ectropion aliquando accidere senio, Paulus negat.

Inuiscatio.

Quando palpebræ fuerint clausæ & veluti agglutinatæ (inuiscationem vocat Auicenna) emolliantur primum fotu, deinde supponatur radius ex ebore aut plumbo quo attollantur: altero autem radio separentur. Celsus neminem vidit perfectè sanatum, Meges multa quidem tentauit remedia, non potuit tamen impedire quin palpebra oculo rursum adhæserit, lege Guidonem tractatu sexto.

Palpebræ relaxatio. A

Si palpebræ vſque adeo fuerint relaxatæ vt releuari non poſſint; præmiſſis generalibus, & ſubalternis, vt cucurbitulis frequentibus etiam cum ſcarificatu, cauterio in inio, ad diuerſionem humoris: fiat fotus ex maiorana, floribus chamæmeli, meliloti & cumino, additis balauſtijs, & malicorio. Si malum non cedat, chirurgia eſt opus quam explicat Albucaſis libro ſecundo: Guido quatuor modos declarat.

DE VMBILICI PROMINENTIA QVÆ Ἐξόμφαλον πατ'ς dicitur quando indecorè prominet.

CAP. II. B

TOT ferè ſunt illius differentiæ, quot herniæ: quemadmodum enim rupto aut relaxato peritoneo omentum aut aliquod ex inteſtinis deſcendit in ſcrotum, vnde epiplocele, & enterocele: Sic ſi circa vmbilicum rumpatur aut relaxetur, quod ſæpè accidit & difficili & laborioſo partu illic tumor apparebit qui Hernia ventralis vulgo nuncupatur: Eſt cum caro quædam illic adnaſcitur, vt in ſarcocele, quæ aliquando degenerat in cancrum: Eſt cum flatus eam partem diſtendit, & vmbilicum foras trudit, vt in pneumatocele: Eſt cum humorum colluuies illic aggregatur, vt in hydrocele: Aliquandò arteria aliqua illic rupta ſanguis effluit qui aneuriſma facit: Diſcernetur ſpecies tumoris, quod ſi omentum exciderit mollis erit tumor, indolens, concolor cuti inæqualis: Si inteſtinum, diſparebit tumor cum ſtrepitu ſi prematur, qui cohibito ſpiritu & balneo manifeſtè augetur: humorum copiam indicat tumor mollis quidem, ſed qui preſſus non cedit neque minuitur, neque augetur. Si ſanguis exciderit, ad ſuperiora ſigna hoc accedit, quod tumor ſit liuidus: Si ſubnata caro, Tumor erit durus & in eadem magnitudine permanens: Si flatus, tumor preſſus diſparet cum ſonitu, móxque reuertitur. C

[Margin: Ἐπιπλόμφαλος. Ἐντερόμφαλος. Πνευματόμφαλος.]

Flatulentus tumor non eſt attingendus chirurgia, ſed carminantibus ſi fieri poſſit minuendus, non aliter quam tympanites aut dolor colicus. Neq; etiam chirurgia tentandum eſt ſuccreſcentem carnem tollere, præſertim cum induruit & dolorem facit: Tum enim ad carcinomatis naturam accedit. Alioquin carnea poteſt cõſtringi filo vt ſponte cadat. Prolapſum inteſtinum aut omentum, chirurgia curare docent Paulus & Celſus: quam antequam experiaris tentabis repellentibus & aſtringentibus, veluti fotu ex vini, decoctionis balauſtiorum, malicorij, Gallarum, illius generationem impedire. Admoto deinde emplaſtro diapalma aut contra rupturam, diapompholigos repellit & reſoluit. D

VNGVIVM MORBI. CAP. III.

VNGVES ſæpè contunduntur, vnde liuor, effuſo ſub vnguem ſanguine, & illic corrupto: fiunt etiam ſcabri, inæquales, fœdi, (vulgò leproſi) nonnunquam recuruantur & carnem præſertim in angulis pungunt. Præterea inflammãtur, quod genus phlegmones parony chia dici ſolet, vulgo panaris: Inflammatio in radice vnguis, cui ſuccedit aliquando pterygium, excreſcentia carnis bonam vnguis partem operiens. De paronychia tractatu proximo vbi de Phlegmone. E

Cadunt etiam nonnunquam copia & acrimonia humoris congeſti aut effluentis, raro inopia alimenti, vtraque cauſa pilos defluere iam ſcripſimus, vt noxium humorem reſoluas, excipiatur ſulphur ladano, fiat integumentum digiti. Pterigium incidatur, mox cauterizetur: ſubeſt enim cacoethia, quæ non poteſt meliùs domari quàm igne, ſi placet exedatur cauſtico, vt puluere mercurij præcipitato: oleo de vitriolo, Aqua forti, Ægyptiaco, aut ſenſim conſumatur, cum cerato, myrthino & Ægiptiaci quarta parte.

Vnguis portio quæ carnem pungit ſubleuetur & incidatur, ſuppone plumbi laminam quæ contingat carnem ſubiectam ſi nihilominus caro ſupercreſcat, vt pterygium exedatur.

A Ad vngues ex contusione liuentes, aut humoris alieni appulsu malè coloratos, tentanda primum humoris resolutio ex farina erui lupinorum, aut ex sulphure mixto cum pinguedine capræ: quo remedio si non disspareat fœdus color, vt humori pateat exitus, perforetur vnguis in medio: cauendo diligenter ne terebello caro attingatur, quia excresceret & ea parte pterygium excitaret, (error longè peior priore:) vt autem per foramen humor corruptus facilius succedat, superponatur emplastrum metasyncriticon, ex alto foras trahens quale fuerit ex fermento, & aristolochia: Aut ex pice & dictamno.

Vngues leprosos hac methodo percurabis: Primùm emollies vnguento de althæa vel Agrippæ, aut cataplasmate, ex radice liliorum & altheæ, deinde cultello aut vitro sensim abrades: paucum quod supererit procurabis vt cadat emplastro ex fermento & cantharidibus: aut ex chelidonio minore, & attriplice, aut ex fæce B aceti: Cùm abscesserit, pars foueatur vino decoctionis gallarum, malicorij, nucum cupressi. Vt roboretur, tandem vt nouus regeneretur, appone emplastrum diacalchiteos.

LIBRI SECVNDI

PARTICVLARIS METHODI,

C

SECTIO SECVNDA,

IN QVA TRACTATVR DE TVMORIBVS CONTRA NATVRAM.

DE PHLEGMONE. CAP. I.

D TVMORES vel sunt Calidi, vt Phlegmone, & Erysipelas; vel Frigidi, vt Oedema, & Scyrrhus. Calidi vt plurimum fiunt fluxione, Frigidi congestione. Phlegmone fit à sanguine, quantitate potius peccante quàm qualitate, nisi habeat causam externam, vt ictum, casum: tum enim etiam sine plenitudine accidit.

Dignoscetur tumore, rubore, calore, duritie, dolore non tantum tensiuo ob plenitudinem, sed etiam pulsatorio, si à copia sanguinis arteria prematur: dolor est acerbior si pars inflammata fuerit neruosa, & sensus exquisiti, sanguis verò tenuis & feruidus.

Curationis tres sunt scopi: Repellere, resoluere, & Suppurationem adiuuare: In principio fluxio repellenda, vt impediatur si fieri possit, ne fiat Phlegmone: Tandiu autem est in principio, quandiu humor est in motu.

In augmento resoluendum, vt quod nihilominus influxit, vel per diaphæresim E insensibiliter, vel sensibiliter, vt incisione vacuetur: In malignis enim sæpè cogimur incisione, aut cauterio quàm citò humori viam facere.

Dicitur autem esse in augmento, quando cessat fluxio, & manifestè pars intumescit.

In statu iuuandus Pepasmus, vt impediantur Scyrrhus, aut Gangræna, qui sunt Phlegmones duo miserabiles exitus.

Est autem in statu, quando incipit pus fieri; conijcimus autem pus fieri quando symptomata omnia ingrauescunt.

Abstinendum verò quandoque repellentibus, quæ sequuntur circumstantiæ demonstrant; quæ sunt in facienda Medicina maximi momenti: tota enim in Diorismis vertitur. *Quādo abstinendum repellentibus.*

Si fluxio critica, (naturæ enim ministri sumus) quò illa vergit eò ducere oportet, A
si modo per loca conuenientia. Nam si à parte ignobili ad nobilem humor transferretur, motus iste esset impediendus.

Si fiat fluxio ad emunctoria, ne repellas. Esto exempli gratia suborta Parotis, Inflammatio glandularum quæ sunt pone aures, vbi sunt emissaria cerebri, si admoueris repellentia, retrocedet fluxio ad cerebrum. Itaque à Diaphoreticis exordiendum & emollientibus: quæ, relaxata cute, dolorem minuant: Cuiusmodi sunt butyrum, lana succida oleo chamemeli insuccata, aut violarum, cum magnus subest calor. Aut cataplasma ex radice liliorum, althea cum sua radice, violaria, floribus chamemeli, Meliloti, semine lini & fœnugræci, hoc cataplasmate si fortè discuti non possit, suppurabit. ℞. rad. liliorum ℥i. altheæ cum radice, violariæ ana m. j. florum chamemeli & meliloti ana p. ij. seminum lini & fœnugræci ana ʒß. fiat B
decoctio, residentia teratur, cum butyro recenti, fiat cataplasma.

Idem de bubone, etiamnum simplici sentiendum est: multo minus repellẽdum, si pestilens fuerit, aut venereus.

De Phygethlo idem esto iudicium, est glandularum erysipelatosa phlegmone, aut erysipelas Phlegmonodes, nunquam suppurans; Qua nota distinguitur à Phymate: est bubo ad suppurationem festinans: proinde Phygethlo in principio diaphoretica, Phymati peptica in principio conueniunt.

Inflammatio in collo respuit repellentia, procurandum potius non aliter quàm in Angina, vt qui delitescit humor foras euocetur: Nam vt erysipelas intro ferri malum, ita foras ferri bonum. Repulsus fortassis ægrum suffocaret, siue ad fauces, siue ad cerebrum retrudatur; à parte ignobili ad nobiliorem repelletur. Dicet aliquis: in angina initio præscribi solent repellentia, At qui illa sæpè à faucibus ad cerebrum retundunt humorem morbificum. An necessitas est supra legem? Cogitur ad hoc Medicus quia præsens imminet periculum suffocationis? An potius non est hoc Medici institutum, sed ad cutem & emissarium commune repellere: Contingit aliquando præter Medici consilium retrocedere humorem, & ad cerebrum à quo primum fluxit refluere. C

Item quoties malignus humor committit phlegmonem, aut morsus animalis venenati, vt serpentis, aut canis rabidi, omni arte procurandum est, vt virus foras attrahatur: tantum abest vt repelli debeat.

Præterea si humor valdè crassus fuerit, qualis est qui clauos & furunculos committit, neque repelli potest, neque resolui. Proinde à pepticis exordienda curatio, vt Basilico, aut Diachylo. D

Quinetiam si humor fuerit tenuis quidem, sed tam multus, vt neque repelli, neque resolui posse videatur; aut abstinendum repellentibus, aut non prius imperanda erunt, quàm purgatione & venæ sectione sit imminuta plenitudo, augeretur enim fluxio.

Hæc si absint omnia, si nulla prædictarum circunstantiarum impediat, In principio Phlegmones vtere repellentibus, cuius generis sunt, ceratum Galeni, vnguentum rosatum Mesuei; superponatur linteum oxycrato madidum, quod sæpè renouetur: Aut agitetur albumen cum oleo rosato & aqua rosarum, quo imbutum linteolum applicetur parti, si magis placeat cataplasma.

℞. Plantaginis rosarum rubrarum, & attriplicis, ana m. j. fiat decoctio in oxycrato: residentia teratur, adde collaturæ farinæ hordei ℥iiij. cum oleo rosaceo fiat cataplasma. E

Ergo si phlegmone inuadat artus, ventrem vel dorsum, nec fluxio sit critica, nec malignus humor, nec sanguis valdè crassus, delige ex his quod voles.

Dignum est quæstione, in Paronychia (est Phlegmone in radice vnguis vulgò panaris:) sitne repellendum, Ita videtur; Nam à parte exquisiti sensus cuiusmodi est radix vnguium, & quo longissimè abest à corde quidni repellendum? Vulgatum est cataplasma ex vehementer repellentibus, vt malicorio, balaustiis, galla, nucibus cupressi tritis in oleo myrthino, Tantum abest vt maiores nostri existimarint non esse repellendum.

Verum humor est malignus vt indicant symptomata, qui illum comitantur, vt palpitatio & frequens animæ deliquium; Certè quoties hæc aderunt, non dubitarem

A rem vt in carbunculo, mox pulpam inflammati digiti cruciatim incidere, vt malignus humor sensibiliter vacuetur, statimque in præcalidum acetum digitum immittere, vt humoris morbifici malitia corrigatur. Placando dolori & maturando confert hoc emplastrum Marcelli empirici, Passulæ coquantur, pulpæ puluis thuris permisceatur, hoc tegatur digitus.

Non est prætereundum quæ commemorauimus vehementer repellentia, sæpe humorem impingere, atque vt ita dicam incuneare, ideoque difflatione prohibita, Gangrænam aliquando succedere. Præstat peccare in defectu, quàm in excessu. Si mediocriter repellas postea locus erit resolutioni, & suppurationi. Si vehementer, periculum est ne indurato, aut sydetato membro, nulla restet spes nisi in ferro. Demonstratio est eiusmodi, nisi calor ventiletur, extinguitur. Atqui valdè astringentia obstruunt, prohibentque ventilationem: ergo illis abstinendum. Quemadmo-
B dum & narcoticis, ne frigoris exuperantia moderatum calorem extinguant. Vrgente dolore cautè illis vtendum est, vt subuenias symptomati non morbo.

Ecce quid agendum in principio Phlegmones, Instat vt quid moliendum sit in incremento explicemus.

Sanguis cum sit vaporosus, lenibus diaphoreticis resolui potest; Si fortè vsurpes potenter resoluentia, qualia in œdemate, calorem atque inde fluxionem augebis, quinetiam tenuior tantum pars discutietur, crassior permanebit; quæ fortassis scyrrhum generabit. Itaque si sanguis non admodum multus fuerit, isque tenuis & calidus, resoluatur: Si verò vel tam multus, vel tam calidus, vt phlebotomia, etiamnum repetita imminui non potuerit, diaphoreticis prætermissis præscribenda erunt
C peptica. Quærenti ergo cur in furunculis & clauis, (sunt parui furunculi) à pepticis exordienda sit curatio, cum sint affectus inflammatorij. Respondendum vtrumque fieri à sanguine crasso, qui neque potest repelli neque resolui, lapidesceret resoluentium longo vsu.

Resoluet mediocriter lana succida oleo chamemeli & vino inebriata, vel medulla panis furfuracei cocta in iusculo pingui, cum oleo chamemeli & liliorum, & pauco croco, Si placet cataplasma.

℞. rad. liliorum ℥j. Altheæ cum radice m. ij. florum chamemeli & Meliloti ana p. ij. seminis fœnugræci ℥j. fiat decoct. Residentia teratur, colletur, adde collaturæ farinæ fabarum ℥. iij. cum oleo chamemeli fiat cataplasma: addete possis duos vitellos ouorum.

Quod si humor non tantum crassus, sed malignus fuerit, vt qui committit car-
D bunculum quia periculum est in mora, cauendum ne per moras corrumpat membrum, non erit diaphoreticis tentanda resolutio, sed sensibiliter, vt incisione, scarificatu, cauterio actuali, vel potentiali, virus erit dissipandum. Verum de carbunculo plura suo loco & ordine, pergamus.

Si repellentium vsu generatio phlegmones impediri non potuerit, neque diaphoreticis resolui, pepticis procutanda erit suppuratio (est sanguinis putris in pus conuersio) Peptica autem non tantum mediocriter calida & humida esse debent, vt sint natiuo calori analoga, sed etiam emplastica, vt obstructis poris difflationem impediant eius caloris, cuius est maturare: vt alieni putrefacere. In hoc censu habentur radices liliorum, altheæ, bryoniæ, ficus siccæ, passulæ, semen lini & fœnugræci, farina tritici. Itaque, ℞. farinæ tritici ℔. ß. coquatur in oleo liliorum cha-
E memeli, & aquæ æquis partibus, fiat cataplasma. vel ℞. rad. liliorum ℥. j. altheæ cum radice, violariæ, bryoniæ, ana m. j. ficus n. vj. seminis lini & fœnugræci, ana ℥. vj. fiat decoctio. Residentia teratur, colletur, adde farinæ tritici ℔. ß. cum oleo chamemeli fiat cataplasma. In vsu frequenti sunt Basilicon, & Diachylum: verùm simplici tantum vtendum in phlegmone; Magno & gommato non est vtendum nisi in abscessu frigido, & contumaci; quia pepticorum vsu immodico sæpè membrum inflammatum ad putrefactionem deducitur, quemadmodum resoluentium vsu immoderato ad schyrrum.

Notandum iterum in malignis inflammationibus, vt bubonibus venereis, & pestilentibus, immiscenda pepticis attrahentia, necnon alexipharmaca, vt non tantum suppurationem procuremus, sed etiam simul eademque opera virus foras attrahamus, cuius malitiæ resistamus. Itaque accipe cæpas, coquantur sub cineribus

deinde terantur cum oleo liliorum, immiscendo Theariacam, Mithridatium, nec- A
non fermentum, fiat cataplasma. Limacibus & ostreis inest attrahendi magna vis,
hic non est expectanda suppuratio perfecta, sed via puri facienda scalpello, aut cau-
terio: Sinatur apertum per viginti dies plus minus, antequam puri pateat exitus;
Neque purgandum, neque vena in brachio secanda, ne retrahatur virus, quod om-
ni arte foras euocandum est.

DE CARBVNCVLO, QVI PRVNA, ET ignis persicus nominatur. CAP. II.

CARBVNCVLVS est affectus inflammatorius cum ingenti pruritu, à
sanguine vsto, qui nondum in humoris altetam speciem degenerauit; B
vt sanguis qui facit cancrum in atram bilem: sed qui nomen & ideam
sanguinis adhuc retinet. Sæpè pustula primum erumpit, qualis in am-
bustis ardet in ambitu, vt pruna, subrus niger, vt carbo vstus, vnde
morbo tot nomina; à colore enim ignis persicus dicitur, propter cacoethiam ignis
sacer dici potest, quamuis Tagautius Erysipelas ita dictum existimet. Omnis qui-
dem antrax malignus, non omnis pestilens, & contagiosus, hunc praua accidentia
comitantur, vomitus, cordis tremor, delirium &c.

Auicennas vt resistat putredini præmissa venæ sectione, præscribit cataplasma
ex granatis acidis, integra incidit, coquit in aceto, deinde terit, & forma cataplas-
matis admouet. Hîc non est locus repellentibus, quia tumor est malignus, neque
resoluentibus quia sanguis vstus est, crassior quàm vt discuti possit. An ergo vt in fu- C
runculo, ita in carbunculo citò maturandum? Non videtur, quia peptica putrefa-
ctionem accelerant, ad quam carbo valdè inclinat, estque sæpenumero tam ma-
lignus humor vt non recipiat pepasmum. Itaque aut vsurpanda sunt quæ creduntur
conferre proprietate, vt scabiosa, & vtraque consolida, coquuntur, teruntur cum
malo granato, & forma cataplasmatis applicantur morbo. Cordi verò conseruæ
cardiacæ imprimis scabiosæ, addendo confectionis Alchermes, vel confectionis
de hiacyntho ʒß. vel ℞. aquæ scabiosæ ℥.viij. dissolue syrupi de limonibus ℥ij. fiat
iulep in duas doses. Item ℞. conseruæ scabiosæ ℥.j.ß. mithridatij veteris ʒj. cũ suc-
co citri fiat emplastrum molle applicãdum cordi, vel ex iisdem bolus. Profundis in-
cisionibus malignus humor vacuetur, quæ aceto & sale perfundantur, vel cauterio
actuali, aut potentiali vratur, postea curatur vt gangræna. Cæterum optatior est
rubeus quàm citrinus & hic quàm niger, à quo pauci euadunt, Carbunculum de- D
litescere & exsiccari pessimum; Quo plures aut maiores eò deteriores, quo vicinio-
res cordi aut parti principi, eò deteriores. Qui stomachum, fauces aut pectus ob-
sidet, lethalis: In bubonibus contra, præstat esse plures & maiores.

GANGRÆNA, SPHACELVS.

CAP. III.

SIVE imperitus Chirurgus initio phlegmones vehemẽtius fluxionem
repulerit, frigidorumque immodico vsu partis natiuum calorem ex-
tinxerit, siue nimium astringentibus vt bolo, galla, malicorio humo- E
rem impegerit, atque vt ita dicam incunearit, siue vt fit aliquando in
fracturis strictura arctiore, caloris & spiritus vitalis affluxum impedie-
rit, siue copia humorum suffocet calorem natiuum, vt accidit aliquando in magnis
inflammationibus, succedet gangræna, quemadmodum schyrrus oritur, quoties
diaphoreticis vehementioribus materia tenior tantum resoluitur, relicta crassiore.
Non terminantur tum via resolutionis, aut suppurationis: quæ solæ sunt optabiles,
sed putrefactionis, aut indurationis, qui duo sunt funesti & miserabiles exitus in-
flammationum. Dignoscetur gangræna incipiens stupore, & liuore partis. Quo-
ties enim pars incipit obtusius solitò sentire, & iam liuescit, suspicio est non leuis
incipientis, vt ita dicam, mortificationis, quæ vbi perfecta est Sphacelus, Syde-
ratio nominatur, mors partis, seu extinctio caloris natiui. Notandum tamen quando
gangræna

A gangræna fit à causa externa, vt morsu, vel ictu animalis venenati, aut ab interna vt à fluxu humoris virulenti, minimè esse indolentem. Priusquam enim membrum moriatur, in lucta naturæ cum morbo, ex tensione dolor ingens percipitur. Tales gangrænæ incipere solent à pede, potissimum verò à magno pedis digito. Tales Beninenius, & Dodoneus vt plurimum lethales esse obseruarunt. Iuuenis quidam similis affectu repentè prehensus est, suasi vt digitus amputaretur, procrastinauit, hoc neglecto non fuit postea tempus. Alter sexagenarius media nocte simili affectu corripitur, vocatus illo etiam inconsulto, quia nunquam permisisset, digitum iussi exscindi: Chirurgus opus tam dextrè absoluit, vt ante triduum nesciuerit sibi amputatum. Idem Chirurgus meo consilio, mulieri tibiam amputauit, cui inopinatò superuenerat gangræna sine manifesta causa, Illa benè habet quia sæpè purgatur, & sanguis mittitur. Hic gangrænæ quæ succedere solet

B inflammationi, propria remedia primùm destinamus. Initio fiant profundæ scarificationes quæ muria, vel aceto, & sale perfundantur, ne sanguis cõcrescat. Vt sanguis putris liberalius vacuetur, admoueri poterunt incisionibus hirudines, quinetiam si sit in parte affecta aliqua vena, incidenda erit, & cùm abundè fluxerit sanguis, sistatur putredo. ℞. Ægyptiaci ℥j. dissolue in aqua vitæ, aut in lixiuio lupinorum. Item ℞. præcipitati ʒ. i. butyri ℥. j. misce. Fiant incisiones in confinio viui & mortui, quæ linamentis hoc linimento inebriatis impleantur. Idem præstabit vinum decoctionis arthenici, vel aqua plantaginis in qua sublimatũ bullierit, ea proportione, vt in aquæ ℔. ß. bulliant g. xij. sublimati, vel præcipitati. Cauterium actuale præstat potentiali. Quod si morticinæ tantus sit fœtor, tanta corruptela, vt neutro cauterio vinci

C possit; si ab igne ingens fœtor suscitetur, nouacula mortuum à viuo separetur. Quinetiam quia à priuatione ad habitum non est regressus, mox syderatum membrum enseresçindendum est, ne pars sincera trahatur. extremis morbis extrema remedia: quæ non sanat medicamentum, sanat ignis, quæ non sanat ignis, sanat ferrum. Expedit vnum membrum abscindi, vt totum conseruetur. Operandi modum docent Paulus, & Celsus, in eo tamen recentiores hoc reprehendunt, quod velint fieri sectionem in parte sana; quia ingens dolor, & hæmorrhagia magna, sæpè etiam conuulsio inde exoritur: Malunt fieri in parte syderata, vbi sectio est indolens. Verum dices, si minimum partis mortuæ relinquatur, serpet putredo. Respondent se cauterio mox apposito putredinem sistere, & hæmorrhagiam impedire. Itaque carnem mortuam incidunt propè sanam, atque vt illi loquuntur, in confinio, candente nouacula, vt sit loco cauterij eadémque opera incidant & vrant, manubrium

D habeat ferreum, sed alio ligneo coopertum, quo manus operatoris à calore defendatur. Incisa carne os serra secandum, postea tetrapharmaco procurandum, vt crusta cadat. Cum exciderit, locus abluatur aceto, deinde hoc cataplasma applicetur. ℞. farinæ hordei & mellis ana ℔. j. ß. vitellos ouorum crudos n. 4. fiat cataplasma. Vlcus postea replendum, & cicatrice obducendum remediis sequenti sectione explicandis. In gangræna estne mittendus sanguis? Distinguo. Si procedat à causa calida, vt inflammationis præcedente, mittendus audenter: Verum si à frigore, vt narcoticorum vsu immodico, aut hyberni frigoris violentia, vt accidit ijs qui per niues iter faciunt, aut à veneno, non est necesse nisi aliud quiddam suadeat, vt plenitudo, aut febris coniuncta. Cum frigore membrum syderatur conferunt calfacientia, vt Ægyptiacum solutum in aqua vitæ, post scarificatus profundos.

E Cum à veneno, Alexipharmaca tam sumpta, quàm admota; Theriaca imprimis vel Mythridatium, mixtis attrahentibus, vt in bubone pestilenti.

ERYSIPELAS. CAP. IIII.

DIFFERT à Phlegmone multis modis, primo materia, quia fit à bile, secundò ardore maiore, vnde exarsio à quibusdam dicitur, alijs ignis sacer; tertiò sede: nam Erysipelas si fuerit exquisitum cutem tantum occupat, Phlegmone subiectam carnem. Barbari ac si nomen sit Latinum, ita dictum existimarunt quasi hærens pilis. Quartò doloris specie, est enim Erysipelatis dolor pungens, cuius causa Spina dicitur ab Anicenna, quasi instar spinæ pungens. In Phlegmone verò dolor est tensiuus & grauans. Quintò differunt colore, est

enim Eryſipelatis color flaueſcens. Sextò tumore, nam Eryſipelatis tumor eſt perexiguus, ob bilis tenuitatem, niſi fuerit Phlegmonodes. Septimò eryſipelatoſam partem ſi premas digito, diſparebit tumor ad tempus, quia humor eſt fugax, quin rubore abeunte pars alba apparebit. Phlegmone non cedit, manétque rubor quantumuis premas. Remedia. Purgatio ex caſſia cum rheo, incidatur vena ad temperandum ardorem bilis, nihil enim æquè refrigerat; eóque andentiùs cùm faciem occupabit, ne retrocedat. A

Topica refrigerent & humectent, quia humor morbificus eſt calidus ſiccus; Non eſt repellendum, quia Eryſipelas introferri malum; eóque minus ſi faciem occupet, ne bilis retrudatur ad cerebrum, vbi delirium excitaret, aut ad fauces, vbi anginam lethalem committeret. Atqui frigida ſicca aſtrictione ſua repellunt vt aqua plantaginis, roſarum, rubi, foliorum vitis; Malum ſuccos lactucæ, portulacæ, violariæ, lenticulæ paluſtris, ſemperuiui, vmbilici veneris, aut earum aquas ſtillatitias, his inſuccatum linteum applicetur parti eryſipelatoſæ. Ardore tamen nihilominus perſeuerante, immiſcebis ſuccos aut aquas Mandragoræ, hyoſciami, populeum, ea tamen cautione, ne quid nimis. Si liuor incipientis gangrænæ ſuſpicionem iniiciat, applicetur diapalma in oleo vetere remollitum, fiant inciſiones quæ muria, vel ſale & aceto perfundantur. Obiiciet quiſpiam ſi nocent aſtringentia, Cur Galenus præſcribit omphacium, primò κατὰ γένη. Reſpódeo præſcribi in Phlegmonoſo, non in ſimplici & exquiſito, qualerarò videtur: ferè ſemper eſt phlegmonodes, proinde vtimur cerato Galeni linimento ex Ceruſæ & olei roſati æquis partibus, vnguento de Lythargirio, ſuperponimus linteum oxycrato madidum, aut ſuccis vel aquis prædictis: quod ſæpe renouandum ne exſiccetur. Cum deferbuerit ardor, reſoluatur tumor muccagine fœnugræci & ſeminis altheæ, extracta in aqua violariæ. Eryſipelas enim reſolui debet, non ſuppurare, quia vt eſt in Aphoriſmo, In Eryſipelate ſanies & putredo malum. Illa enim erodit, facitque ex ſimplici vlceratum, exedens, denique eſthiomenum, de quo mox. B C

HERPES, SERPIGO.

CAP. V.

Fit à bile puriore & acriore quàm Eryſipelas, quæ ſi permiſceatur pituitæ, excitat herpetem miliarem ſeu puſtuloſum, cutis in puſtulas granis milij ſimiles attollitur, vt in ambuſtis. Huic affinis eſt ignis volatilis. Vt enim herpes in ambitu ſerpit, ita ignis volatilis huc & illuc excurrit. Craſſior & acrior bilis facit herpetem vlceratum, qui ſi ſolam cutem exedit, herpes vlceratus dicitur, ſi procedat ad ſubiectam carnem ad Phagædenam refertur, ſi ſerpat & erodat in ambitu, Nome nuncupatur. Sunt vlcera maligna quæ verè dixeris Chironia, qui Chironis, id eſt periti alicuius Chirurgi manum & induſtriam requirunt. De vlcerato herpete amplius tractatu de vlceribus. Remedia. Cholagogo ſemel atque iterum corpus repurgetur, Si plethoricum, mittatur ſanguis. Diæta ſit refrigerans, abſtineat vino, Topica ſint frigida ſicca, vt aſtrictione ſua ſiſtant ſerpiginam, quod non præſtarent frigida humida, imo augerent potius putredinem. Itaque conueniet oxycratum, quod poterit parari ex aquis roſarum & plantaginis cum pauco aceto, aut ſuccis roſarum plantaginis, granatorum citri, quibus inebriata ſpongia applicetur. Auicennas laudat aquam quæ ſtillat è trunco vitis, liniatur primùm nutrito, vel vnguento ex ceruſæ & olei roſati æquis partibus parato, deinde linteum ſuccis aut aquis prædictis imbutum ſuperponatur. Singulare eſt & multorum experimentis comprobatum remedium, lana ſuccida vritur in olla, puluis teritur cum aqua roſarum donec acquirat conſiſtentiam atramenti, hoc liquore ſæpe herpes cum penna liniatur. Vlceratus abluatur primum poſca in qua galla, malicorium & alumen bullierint, deinde apponatur hoc vnguentum. ℞. olei myrthini ℥. ij. minij vel excrementi, plumbi, lanæ ſuccidæ vſtæ ana. ʒ. ij. cum cera fiat vnguentum. D E

OEDEMA

A *OEDEMA.* CAP. VI.

HACTENVS tumores calidi, qui vt plurimùm fiunt fluxione, se-
quuntur frigidi, qui ferè fiunt congestione. Congeritur verò pau-
latim humor in parte, dum alimenti plus trahit quàm coquere pos-
sit, neque coctionis reliquias abundè excernit. in quibus primum lo-
cum tenet Oedema, tumor à pituita, proindè laxus, mollis, & indo-
lens, nisi copia partem distendat. Dignoscetur eo quod partem si premas, pre-
mentis digiti vestigium manet: Habet sua tempora, principium tamen ferè est
imperceptibile, quia sensim humor congeritur: propterea repellentibus non est
locus quando fit congestione. At cum fit fluxione, vt cùm pedes post longum
B morbum fiunt œdematosi, Galenus vtitur repellente, vt spongia noua imbuta
oxycrato, in quo sal bullierit. Loco spongiæ licet accipere stupas, ellychnium,
filtrum quibus cum fasciis pars tumida constringitur; Procedendo ab infero ad
superum, ligaturam expressiuam vocant Chirurgi. Quæret aliquis, cum hu-
mor sit frigidus crassus, proinde ad motum ineptus, debètne repelli? Respon-
deo, tenuem primùm affluere, eùmque in parte paulatim crassescere, vt patere
potest in arthriticis & ischiadicis doloribus. Tenuis enim pituita primùm influit,
quæ paulatim in gypseam duritiem concrescit, vnde nodi. Idem contingit in
frigida destillatione, humor enim primùm tenuis descendit, qui coquitur sen-
sim, & coctione crassescit. Si repelli non possit, resoluatur. Resoluentia autem
vtrique œdemati, tam quod fit congestione, quàm quod fluxione conueniunt:
C cuiusmodi est lixiuium paratum ex cineribus ficus, vel quercus, addendo sul-
phur. Vel cataplasma quod sequitur. ℞. ebuli & sambuci ana m. j. hyssopi, thy-
mi, pulegij, calamenthæ ana m. ß. fiat decoctio in aquæ & vini rubri æquis
partibus, Ex qua instituatur fotus cum spongia. Residentia teratur, colletur. Ad-
de farinæ fabarum, erui, cicerum, vel lupinorum ℥. iiij. pulueris ireos, sterco-
ris caprilli, bubuli, vel ouilli ℥. ij. cum oleo anethi, rutæ, lauri; fiat cataplasma.
Emplastrum de baccis lauri, de meliloto, Oxycroceum, Ceroneum potentet
resoluunt. Proderit etiam lana prædictis oleis inebriata; Auicennas tanti facit se-
quens emplastrum, vt si non iuuerit, à nullo alio sit speranda resolutio, sed mox
iuuanda suppuratio, vel scalpello via materiæ facienda. ℞. sinapi, seminis rutæ,
vrticæ, sulphuris, spumæ maris, aristolochiæ rotundæ, bdellij, & ammoniaci
D ana partes æquales, cum oleo vetere & cera fiat emplastrum, quo etiam stru-
mas resoluit, cuius loco vti poteris diachylo ireato; quemadmodum diachy-
lo gummato, cum suppuratio erit adiuuanda. Mox ferro aut cauterio aperiatur;
In eo enim non est cunctandum quia per moras pus erodendo cuniculos facit;
succeditque Sinus, atque inde fistula præsertim in partibus osseis, vt tibijs, aut
in partibus cauis vt in thorace. Quemadmodum diutius insistendo in resoluen-
tibus scyrrhum, discutiuntur partes humoris tenuiores, relictis crassioribus quæ
scyrrhum efficiunt. Cæterum Diæta inclinet ad calidum, quia humor peccans
frigidus, nisi quid impediat vt febris, aut calida iecoris intemperies. Alteranda
iuscula hyssopo, thymo, pulegio, & radicibus aperientibus, vtendum salsis, pi-
peratis, sinapi, parcè & tenuiter viuendum. Sæpè enim sola inædia morbos fri-
E gidos sanauit, quia calor in alimento minus occupatus, conuertit se ad coquendam
pituitam eamque, si fuerit dulcis, in alibilem succum transmutat. Saltem cæna
sit breuis, vtatur potius assis quàm elixis. Humor verò peccans quia crassus ap-
paretur, primùm syrupis de hyssopo, de marrubio, capilli veneris, oxymelite;
Deinde purgetur diaphænico, aut diacartamo, syrupo rosarum pallidarum com-
posito cum agarico. Proderunt hydrotica, & Laconicum, Thermæ præsertim sul-
phureæ, nitrosæ.

ABSCESSVS. CAP. VII. A

QVIDAM est Epigenematicus qui superuenit inflammationi suppuratæ, à Barbaris Exitura dicitur, quia vbi primùm pus factum est, appetit exitum, alioquin erodit. Dignoscitur quod dum fit pus, rubor, calor, dolor, febris & pulsatio ingrauescunt. Quæ omnia mitescunt facto pure. Deinde quod tum mollities quædam, & inundatio percipiatur. In quo aperiendo Chirurgus hæc obseruabit. Primùm vt aperiatur eo loco in quo pus maturius videbitur: Secundò vt loco magis decliui: Tertiò vt fiat incisio secundum rugas cutis. Quartò cum magnus est abscessus, ne confertim, & simul tota materia vacuetur, ne subita dissipatione spirituum vires fatiscant. Quintò vt magnus abscessus magna incisione aut pluribus aperiatur, vt puri pateat B liber exitus. Optima iudicatur cùm fit ad modum crescentis Lunæ, quia impedit ne fiat fistula. Superponatur cataplasma pepticum, vt reliquum citiùs suppuret. Quòd si videatur exitura diuturnior, claudatur penicillo paulatim imminuto, superponendo linteum imbutum vino decoctionis rosarum.

Est cum abscessus neque resolutionis, neque suppurationis via terminatur, sed putrefactionis, tum victoria caloris alieni; ex materia putri infinita heterogenea generantur, vt lapides, vngues, cornua, animacula &c.

Hic primarios abscessus meditamur, qui fiunt pituitæ collectione, quorum pro varietate materiæ contentæ, tres differentiæ constitui solent, Atheroma, Steatoma, & Melicris. Atheroma cum quiddam simile pulticulæ continetur, Pulticulam enim Græci ἀθήραν nuncupant. Steatoma cum veluti seuum, quod illi C στέαρ vocant includitur. Meliceris quando contentum simile est melli. Distinguuntur omnes magnitudine, aut paruitate. Quædam enim excrescentiæ pituitosæ, sunt magnæ, vt Testudo, Talpa, Nates, Bronchocele. Quædam paruæ, vt Lupia, Ganglion. Differunt etiam quod quædam habent suam cystin; Aliæ non. Discernentur potissimum hoc signo, quod quæ cystim habent, sunt mobiles; Aliæ immobiles, vt pote quæ carni adhærent tenacissimè.

Horum omnium curandorum quatuor sunt communes scopi: Resoluere, Excedere, Incidere & Ligare. Melicerides his quatuor modis curari possunt: nam si resolui non possint, aut cauterio exedi, aut facta incisione euelli, si fieri possit ligari debent. Atheromata resolui non possunt, quia materia est crassior, quàm vt discuti possit; Caustico aliquo exedenda sunt, aut euellenda. Steatomata neque possunt D resolui, neque exedi, sola incisione sanantur. Itaque in hoc diligenter laborandum est, vt singulæ differentiæ discernantur. Steatoma est durius, resistitque tangenti, & basim habet solidiorem. Meliceris contra subsidet in modum Oedematis, cedit in se compressa lentèque dissilit, sed citò renertitur. Atheroma verò est veluti medium inter vtrumque extremum. Faciamus ergo abscessum esse mollem, non refert si magnus, aut paruus fuerit. Resoluentibus primum tentanda erit curatio, vt farina lupinorum cocta in oxymelite, vel stercore capræ, aut ouis cocto in aceto. Calx oleo vetere aut adipe suillo, aut melle excepta commendatur à Paulo, quia fundit simul & resoluit. Idem serpentem conijcit in ollam oblitam gypso, quam mittit in fornacem, puluerem miscet cum æquali portione fœnugræci, vtrumque excipit melle. Benefaciunt Diachylum magnum cum gummis, addito puluere radicis ireos: E Ad libram vnam addatur vncia vna pulueris. Non negligendum quod ex Auicenna ad resoluendos tumores frigidos descripsimus, nam ex Galeno transcripsit. Guido vt faciliùs resoluat humorem inclusum cysti, primùm excrescentiam manibus diù contrectat, Deinde ferulæ aut scutellæ fundo percutit, vt vesica rupta materia effundatur, mox applicat plumbi laminam eamque arctè ligat, quæ non tantum molles, & crescentes excrescentias resoluit, sed etiam duras, vt Ganglion. Est veluti nodus in neruo, quod Tagautius videtur confundere cum lupia, quando scribit potissimum oriri in capite; Verior tamen est Pauli & Aetij opinio, qui frequentiùs talos & manuum iuncturas occupare volunt, rariùs cubitum & caput. Ganglion hoc habet peculiare, quod dum premitur, stupidioris sensum exhibet, moueturque tantum

A tum ad latera, pro situ nerui, neque in orbem, in anteriora, aut posteriora vt meliccrides, & Atheromata. Ad dissolutionem lamina cribri instar perforetur; quinetiam vt emolliat magis & fundat humorem concretum, illinatur argento viuo, nec ante nouem dies remoueatur.

Sequitur curationis secundus scopus, vt caustico exedantur. Admouebis cauterium in medio, Aut si magnus sit abscessus multa cauteria. Cum crusta deciderit, indantur penicilli Ægyptiaco illiti, aut præcipitato & melle; aut trochiscus de minio, vel asphodelorum, mixtus cum vnguento Apostolorum. Ioannes de Vigo linamentis omnes excrescentias indolenter erodit intra vnum mensem. Accipit ex linteis vsu detritis & benè carptis ℥. ij. medullæ panis albi ℥iii. sublimati tenuissimè puluerisati ℥. j. aquæ rosarum & plantaginis ana ℔. j. omnia simul coquit in B vase æneo ad consumptionem duarum aut trium partium. Deinde expressa linamenta siccat in furno mediocriter calido, quæ iterum carpinata seruat in vase ligneo benè operto ad vsum, qualem ipse ita describit. Primùm defensiuo vicinæ partes muniantur: Deinde vlcus quod fecit pyroticum prædicto linamento impleatur: superponatur vnguentum de Tuthia, vel de cerusa, Persistendum donec appareat caro viua, tum vlcus melle rosato & Terebinthina mundandum.

Sunt qui paruas excrescentias totas per transuersum incidunt, móxque implent alumine aut vitriolo vsto, quæ cystim erodunt simul & aimorrhagiam sistunt: magnas verò traiiciunt duplici setone cruciatim, vno secundum longitudinem, altero per transuersum. Quid si humor fluxilis non fuerit, filum aut ellychinum ex quo Setones parantur, maceretur prius in aqua forti, vel liniatur Ægyptiaco, C vel Therebinthina cui puluis Mercurij sit permixtus.

Sequitur tertius modus, Quæ non sanat ignis, sanat ferrum. Incidatur primum cutis, deinde vnguibus laceretur, vt diuellatur à cysti, quæ præhensa volsellis funditus euellatur; quia si remanserit frustulum, recidiuam faciet; quinetiam si rumpatur dum fit operatio, inanis est labor. Si fortè quibusdam vasis adhæreat, volsellis suspendatur, atque interim scalpello ab illis separetur.

Notandum quod si magna excrescentia adhæreat magnis vasis, venis, arteriis, neruis, tendonibus, vt pote si fuerit sub mento. Si in manibus aut in pedibus finendam esse.

Faciamus lupiam super suturam enatam, non potest extrahi sine periculo, potest tutò & facilè extra commissuras. Sed memineris extracta lupia perioftium exedere, & os subiectum diligenter abradere.

D Memineris quoque quoties cogitas de magna excrescentia incisione tollenda, si forte magnam venam subesse putes, prius habere parata quæ conueniunt sistendæ hæmorrhagiæ.

Sequitur quartus modus. Si concrescentia pensilis fuerit, non aliter quàm acrochordon (verruca pensilis) filo sericeo ligandam, non confertim, ne dolorem excites, sed paulatim quotidie arctius filum ligando. Sic enim sponte cadet alimento destituta.

Age verò vno & altero exemplo quam proposuimus generalem doctrinam confirmemus: fiunt gutturosi qui aqua niuali aut glaciali vti solent, vt qui Pyreneos montes incolunt, quia coguntur vti aqua de rupe scaturiente, Herniam gutturis magna ex parte incurrunt. Nam quæ in colli inania spatia à cerebro decrrauit E pituita gelidæ potu concrescens sensim Broncochelem parit. Hinc sæpè mutato solo, mutata victus ratione, sine alijs remedijs sponte sanescunt. Tentanda resolutio, neque enim illic tutò exedi aut incidi potest, præsertim cum iam inueterauit, & latè creuit malum: Dissoluetur autem iam commemoratis auxilijs vel hoc ℞. sulphuris & sandaracæ ana ℥ß. euphorbij ℥j. cum cera & oleo q. s. fiat vnguentum statim ab inunctione colli superponatur hoc emplastrum. ℞. Diachyli magni, & vnguenti Apostolorum ana ℥j. misce addendo puluerem sequentem. ℞. rad. ireos & salis gemmæ ana ℥i. terebinthinæ q. s. ad conficiendum emplastrum. Interim teneat sæpè in ore nonnihil pulueris, aut electuarij sequentis, saliuamque deglutiat. ℞. rad. cucumeris agrestis, Ciclamini, Brusci, asparagi, Aristolophiæ rotundæ, radicis serpentariæ minoris, radicis Thapsi barbati spongiæ, marinæ ana ℥ß. piperis, pyrethri, salis gemmæ ana ℥j. Scrophulariæ ʒ. iij. Turbith & Hermodactylorum ana ʒij.

fiat puluis, cuius medietas excipiatur melle ad parandum electuarium molle; teneat in ore nunc pulueris nunc confectionis aliquid, vt tam interno, quàm externo remedio etassa pituita quæ committit herniam gutturis eliquescat & dissipetur. Hoc remedio Valescus gloriatur se magnum honorem consecutum, & fecisse quæstum vberrimum. Si resolui non possit, Rogerius suadet vt duplici setone traiiciatur, quandoquidem neque caustico exedi, neque incidi tutò potest. A

Ad Brunchocelem pertinet Aneurisma gutturis, quale accidit puerperis, quibus à retento diutius spiritu collum intumescit. De quo lege Aetium & Paulum l. 6.

Talpa & Testudo sunt veluti magnæ lupiæ in capite, quæ dummodo absint à suturis tutò caustico exedi aut incidi possunt: ea quam dixi cautione, vt portio pericranij cui adhæret euellatur, & quod subest cranium diligenter abradatur, priusquam de vulneris agglutinatione cogitetur.

Propè oculi magnum angulum fluxione tenuis pituitæ à cerebro, nascitur paruus abscessus qui Anchilops nominatur; Cuius vt Oedematosi tumoris, tres sunt scopi, Repellere, Resoluere, Maturare. Repellitur fluxio, vt prohibeatur illius generatio: quia solet tenella ossa nasi corrumpere, tandemque nisi prouideatur in fistulam degenerare, quam vulgus lachrimalem vocat: Repelletur quod influit emplastri Diacalchiteos, Resoluetur quod influxit vnguento Diapompholigos, aut ex minutis cochleis tritis cum suis testis, misce si placet aliquid trochiscorum de myrrha, aut emplastro ex farina erui de melle confecti. Interim vt repellas simul & resoluas, instilla in oculum aquam rosarum, vel plantaginis infusionis tuthiæ. Quæ si non iuuerint, tendatque nihilominus abscessus pepasmum, iuuetur admoto peptico vt basilicone, mox que cauterio aut scalpello aperiatur, quia periculum est in mora. Verendum ne pus subiectum os erodat, fiatque ex Anchilope, Aegylops fistula lachrimalis; de qua sequenti tractatu oportunius vbi de vlceribus. Non est prætereundum interim corpus non semel repurgandum, necnon venam incidendam, quia fluxio solet esse tenuis, calida, mordax. B C

SCYRRHVS. CAP. VIII.

VERVS & exquisitus dignoscitur duritie, & indolentia: quibus notis à cæteris tumoribus distinguitur; à cancro apestematoso quo cum maiorem habet affinitatem indolentia. Est enim tumor durus cum dolore; Ab œdemate verò differt duritie. Cur scyrrhus indolens? quia non sentit. Quidni? quia neruus adeò indurüit, humor scyrrificus tam crassus est, vt impediat commeatum spiritus animalis, quo vectore influit facultas sentiẽdi. Incipiens verò & mixtus, qualis scyrrhus phlegmonodes est dolorosus; quemadmodum & putus seu exquisitus cum incipit degenerare in cancrum, melancholia in atram bilem conuersa, tumque signa cancri vel omnia vel quamplurima aderunt; Dolor, Liuor, Calor, Pulsatio, venæ in ambitu tumentes. Curationis duo sunt scopi; Emollire; & Resoluere: nam si duntaxat resoluas, dissipata parte tenuiore, quæ relinquetur, lapidescet, si tantum emollias putrefaciet, & cancrum inducet. Diachylum magnum & gũmatum vtrumque præstant. Augebitur tamen vis resoluendi addendo pulueris iridis Florentiæ, quemadmodum vis emolliendi immiscendo ceratum œsipatum, vnguentum de Althæa, Agrippæ; Antequam admoueas emplastrum, scyrrhus foueri poterit decocto omazorum, radicis altheæ, liliorum, Bryoniæ, Sigilli beatæ Mariæ, coquatur in aqua & oleo vsque ad consumptionem aquæ, Nam scyrrhus nunquam aqua perfundendus est. Ammoniacum solutum in aceto emollit simul & resoluit. In tendonibus & ligamentis induratis vbi emollieris, acetum in lapidem molarem proiicito, cuius vaporem parte scyrrosa æger excipiat, quo facto malacticum rursus imponito, idque per intervalla continuato. Cæterum quamuis exquisitus scyrrhus insanabilis vulgò credatur, tamen ego hoc de malacticis tantum & resoluentibus interpretor: quandoquidem vel caustico exedi vel incidi potest; si modo partis natura ferat, nec subsint vasa quæ impediant operationem, sitque scyrrhus simplex, nondum cancrosus. D E

A DE STRVMIS, SVNT GLANDVLÆ *scyrrhodeis.* CAP. IX.

VAMVIS strumæ inter excrescentias pituitosas numerentur, tamen quando valdè induruit pituita, & iam in melancholiam conuersa est, ad naturam scyrrhi propiùs accedunt, quàm œdematis. Priusquam curationem suscipias, considerabis si sint benignę, an malignæ: quia malignarum aut non est suscipienda curatio, aut cautè & prænunciata difficultate suscipienda. Malignæ autem iudicantur si inflammatæ, valdè duræ, dolorosæ, irritantur medicamentis.

Tribus autem modis curari possunt: Resoluendo & Emolliendo, remediis ad B scyrrhum præmissis, Erodendo vt de steatomatis dictum est, & extirpando. Extirpari autem vix possunt sine periculo, quia subsunt magna vasa vt iugulares & carotides. Præmittenda sunt generalia, Purgatio, & Venæsectio. Apparetur prius humor oxymelite soluto in aqua stillatitia scrophulariæ vtriusque, deinde purgetur puluere diaturbith. Recipe turbith, Euphorbij, zingiberis, succi ireos nostratis, ana ʒj. fiat massa cum oxymelite, de qua formentur pillulæ quadraginta, capiat quotidie vnam, eliquabitur sensim, simul & vacuabitur pituita strumifica. Vomitus etiam confert ad pituitæ ventriculo contentæ vacuationem. Theriacæ sit vsus frequens, quinimo esus carnis viperinæ strumosis æquè prodesse videtur, Aetio & Celso ac elephaticis. Si placet spongia siccetur in furno, detur quotidie ʒj. cum vino duabus C horis ante pastum, aut edat quotidie cochleas frixas, assas aut elixas. Oportet prius & potius prospicere strumis internis, quàm externis: Multiplicatio enim externarum, inquit Villanouanus ostendit multiplicationem internarum. Vidimus in dissectis strumosis mesenterij & pancreatis glandulas strumosas. Nisi consulueris antecedenti causæ quæ fouet morbum, operam perdis. In admotis Dioscorides laudat sanguinem mustellæ illitum. Si placet accipe illius cinerem, & misce cum melle, fiat emplastrum. Cinis limacum mixtus cum axungia vetere, & illitus valdè commendatur à Francisco Pedemontio. Vel accipe limaces rubros, bulliant in vino rubro, terantur, fiatque cataplasma. Serapio laudat cataplasma ex farina lupinorum cocta in oximelite. Si placet allia terantur atque interim nitro conspergantur, ex quibus paretur emplastrum, quod per excellentiam Paulus vocat Chœradicum. Vel ℞. Ammoniaci & Galbani ana ℥ij. soluantur in aceto, adde pulueris D ireos, pulueris limacum, & mustellæ ana ℥ß. cum oleo in quo allia contabuerint, fiat cataplasma. Cuius loco possumus vti Diachylo cum gummis ireato; si non possint emolliri & resolui his remedijs, videantur que tendere ad suppurationem, radix altheæ & liliorum nec non cæpa coquantur sub cineribus, terantur & cum pinguedine gallinæ fiat cataplasma. In cuius vsu diù perseuerandum est, quia non debent aperiri ante perfectam maturitatem. Aperiantur cum scalpello aut cauterio; deinde forma aliorum vlcerum curentur. Mundentur vnguento Apostolorum etiam admixto Ægyptiaco: deinde emplastro de minio, aut diapalma cicatrices obducantur.

Sequitur secundus curationis modus. Erodantur pyrotico primum admoto: Cum autem crusta deciderit vlcus impleatur cotone imbuto vitello oui, cum quo E puluis Mercurij sit agitatus, aut iam cōmemoratis elinametis erodentibus, aut Ægyptiaco cuius vis poterit augeri addendo arrhenici, vel sublimati g. j. In circuitu tum memineris apponere defensiuum; excesa struma cum sua cystis, si quam habet, cum primum in fundo apparebit caro viua, curetur more aliorum vlcerum.

Sequitur tertius modus curationis. Incidatur primùm cutis, & digitis à struma separetur: incidatur autem sensim, non vno ictu, interim excipiendus sanguis cotone vsto osculis vasorum apposito, sicque pergendum donec detecta glandula appareat, quæ apprehensa volcellis tota euellatur. Si forte illius aliquid supersit exedatur metu recidiuæ, cautè vt monui curatio suscipienda est, cum subiecta sunt magna vasa. Ioannes de Virgo vulneris labra reunit sutura, infra relinquit orificium vt repurgetur; in quod imponit primum digestiunm commune, ex vitello & terebinthina: deinde mundificatiuum ex vnguento Apostolorum. Postremò vnguento

de minio occludit, lege etiam Paulum lib. *6.* & Aetium qui ex Leonida de strumis A quamplurima.

Glandula vt plurimùm nascitur in collo, vt struma. Differunt tamen quod glandula sit mollis, mobilis, æqualis, solitaria. Strumæ verò sint multæ glandulæ racematim per cutem dispersæ, duræ, inæquales, immobiles, quia sunt impactæ carni, proinde glandula cum sit superficiaria, nec altè radices agat vt struma, non mirum si possit resolui, resoluetur tamen multò faciliùs quàm struma, quia mollior, multò tutius erodi aut incisione euelli poterit, etiam in ceruice quàm struma. Apparet aliquando glandula in inguine aut sub alis valdè dura, scyrrhosa, quæ fugile dicitur & strumarum modo curatur.

CANCER APOSTEMOSVS. B

CAP. X.

Vt scyrrhus ferè succedit alijs tumoribus malè curatis, humore vel frigidorum immoderato vsu cógelato, vel tenuiore tantum resoluto, vel putrefacto vel suppurato quidem, sed minus quàm conueniebat vacuato, putafacta incisione minore, quàm tanto abscessui cóueniebat, ita cãcer sæpè succedit scyrrho neglecto aut male curato. Cumprimum & spontè emergit, refert formam ciceris nigri, non fabæ, tumque vix nisi à peritis dignoscitur. Cancrum si quem alium morbum verè compararis plantis; cumprimum pullulant, & è terris erumpunt, vix nisi à peritioribus dignoscuntur, cum ad iustam magnitudinem peruenerunt, suis notis sese manifestant. Cum cancer in amplam mo- C lem excreuit facilè dignoscitur, duritie, liuore, dolore, calore, venis in ambitu tumentibus & nigris, ob copiam humoris melancholici, quæ pedum cancri speciem aliquam referunt. Alij sunt alijs mitiores pro varietate humoris morbifici, nam qui fit à succo melancholico, qui similis est fæci, mitior est, qui verò ab arrabilaria seu melancholia vsta, quam Galenus comparat fæci vstæ, est deterior, maioremque concitat dolorem. Pessimus qui fit à bile per vstionis varios gradus in atram conuersa, vlceratus sponte longè lateque serpit non sine dolore. Occulti cancri idest simplices & apostemosi necdum vlcerati, non sunt attingendi. Palliatiua tantum idest fucata cura tractari debent, quia leuioribus remedijs vt malacticis, & resoluentibus, qualia præcesserunt ad scyrrhum non cedunt. Remedium enim oportet esse potentius morbo, vehemétioribus autem vt causticis efferantur, nisi forrè in principio vel D vrantur vel funditus euellantur, si modo hoc ferat natura partis vt labij, mammæ, papillæ. Quamquam vt notauit Celsus lib. 5. ne ab his quidem partibus sine periculo exscindi possunt. Ant enim, inquit, eadem in parte reuertetur, aut si à mammis exemeris, alter in vtero renascetur, peior priore si à naso, labris aut alia quauis parte euulseris, suborietur nouus in liene, à quo cita mors. Itaque standum consilio Hippocratis, præstat cancros occultos non attingere, sic enim in longius vita protrahitur, satis est si humor melancholicus per interualla purgetur, vt sistatur incrementum, non neglecta venæ sectione, quæ ardorem contemperet & dolorem demulceat. Vratur lacte asinæ aut capræ, abstineat alimentis crassi succi, cãcri fluuiatiles coquantur in lacte asinæ aut capræ, edantur & lac bibatur, quinetiam ex ijsdem paretur cataplasma, aut de limacibus. Prodest etiam vnguentum de ranis, aut tuthia, E bolus armena, vel terra sigillata, terantur in mortario plumbeo & pistillo plumbeo, cum succo vel aqua stillatitia solani, & applicentur cancro. De vlcerato oportunius sequenti sectione.

SECTIO

A

SECTIO TERTIA IN QVA DE VLCERIBVS.

QVID VLCVS, ET QVOTVPLEX.

CAP. I.

B QVIA nomen vlceris generalius est quàm vulneris, nam & vulnus ipsum cumprimum incipit esse saniosum, vlcus est. Quin Hippocrates tam latè vlceris nomen diffundit, vt scripserit omnem morbum esse vlcus, hoc est solutionem continui. Idcirco prius de vlcere quàm de vulnere disserendum. Est autem quoddam primarium quod fit ab humore acri, qui si solam cutem exedat, exulceratio seu abrasio aut desquammatio magis propriè dicitur. Si subiectam carnem vlcus tum propriè dicitur, solutio continui in parte carnosa cum sanie aut pure, priore particula differt à teredine, fractura & luxatione. Posteriore à vulnere. Itaque hæc sit prima diuisio vlceris. Quoddam est primarium, Alterum epigenematicum, alteri morbo vt vulneri succedens. huius generis est vlcus quod succedit tumoribus suppuratis, tam calidis quàm frigidis; quemadmodum quod succedit pustulis vlceratis, vt si ex herpete miliari fiat exedens, ex erysipelate simplici vlceratum. Carbunculum etiam subsequitur vlcus putre & sordidum, vtrumque benignum vel malignum. Est autem malignum vel per se primò vt Phagædena, vlcus putre carnem in ambitu & superficie tenus erodens, & Nome vlcus serpens, carnem subiectam in profundo exedens: quo pertinet cancer vlceratus, vel ratione causæ externæ, aut internæ non refert. Externæ inquam vt quod factum est morsu venenati alicuius animalis, aut infecti teli, vel concubitu fœdo, vt caries pudendi; internæ, vt quod atra aut æruginosa bilis effecit, nam dysenteria quæ fit ab atra bile lethalis est, quia vlcus efficit cancrodes: dici potest malignum ratione symptomatum vt syncopes, cõuulsionis, delirij, febris cõtinuæ, tale iudicatur quando non cedit ordinatijs remedijs. Nisi tardi & difficilis coalitus causa

D sit euidens, vt labra dura, callosa, perennis fluxio, propter quam rheumaticum vlcus dicitur, aut varicosum in quod varices sese exonerant, vnde saniosum. Intemperies quoque partis vlceratæ reddit vlcus dysepulotum, non potest obduci nisi illa suæ naturæ restituatur quia illius est regenerare, non artis nisi tanquam adiutricis. Benignum vlcus iudicatur quando pus reddit album, læue, æquale, quo longius ab his notis recedit, maiorem cacoethiam ostendit vt sanies fusca, nigra, putida, viscida. Vlcus malitiam maiorem vel minorem acquirit pro varijs gradibus vstionis, aut putrefactionis humoris peccantis.

VLCERVM PROGNOSTICA.

CAP. II.

E PRIVSQVAM vlceris quinetiam morbi alicuius curationem suscipias, præsciendum non tantum si curationem admittat, verumetiam si longam an breuem promittere debeas. Ita enim prædictio reddit ægrum obsequentiorem, & medicum honoratiorem, æger impatiens more accusat alioquin inertiam Medici, non malitiam morbi. Faciamus ergo vlcus quod proponitur curandum, esse intemperatum, ostracosum, rheumaticum, corrosiuum, varicosum, sinuosum: prædicere possis curationis difficultatem, quia corrosiua & serpentia vlcera vt nomæ & phagedenæ tardè & cum difficultate sanescunt. Quę succeduntalijs morbis, vt herpeti miliari, vlcerato erysipelati, esthiomena sunt. Aut si superueniat alter morbus, vt intemperies aut inflammatio, tardius &

difficilius sanescit, quia non potest vlcus sanari nisi intemperie aut inflãmatione sublata. Item si vlcus fuerit in ambitu glabrum, quia pilorum erosio acris & maligni humoris est index tardè coalescet, quemadmodum cum pilos renasci videbis, coaliturum breui affirmare possis, quia sublata est impuritas quę pilorum radices erodebat, & vlcus disepulotum efficiebat. Item vlcera annua non sanescunt, nisi os abscedat; Quod recidiuat est cacoethes. Diuturna siccari sine ratione, videlicet sine purgatione aut venę sectione malum, instante enim morte solent siccari. A

VLCERIS SIMPLICIS ET BENIGNI *ordinaria curatio.* CAP. III.

Vt humor morbificus syrupo præparatur ad purgationem, sic sanies digestiuo ad detersionem, quale parari solet ex Terebinthina & vitello oui, quo abstinebis cum sanies videbitur esse laudabilis, esset alioquin causa putredinis, detersiuum paretur ex melle aut syrupo rosato, aut ex mellis rosati & terebinthinę æquis partibus, aut cum nullus subest manifestus calor in parte vlcerata, syrupo de absynthio, fortius est vnguentum Apostolorum, his omnibus potentius Ægyptiacum. Abstinebis detergentibus cumprimum vlcus purum apparebit; quia detergentium multo vsu absumitur materia carni regenerandæ deuota. Vsurpabis sarcotica leuia, mediocria, aut vehementia pro qualitate vlceris. Leuia vt thus, Aloen, Myrrham, mediocria vt farinam erui, & lupinorum; vehementia vt iridem florentiæ & Aristolochiam, quibus si vtaris vlcere non satis deterso, subnascetur caro inutilis vt fungus in cranio. Vnguentum auteum est vulgare sarcoticum: cumprimum vlcus plenũ & æquale cuti videbitur, obducẽdum est cicatrisante aliquo epulotico vt emplastro, diapalma & desiccatiuo rubro, si non satis pleno vlcere, vtaris epulotico, relinquetur pars caua & deformis. Cæterum hæc omnia detergentia dico, incarnantia & cicatrisantia siccare oportet plus minus: quia vlceris curatio exsiccatio est, siccum propius est sano, quàm humidũ. Memineris in parte exquisiti sensus vtendum esse leuioribus, quia vehementiora dolorem excitarent, imò in parte neruosa cum dolore conuulsionem. In parte obtusi sensus quando vlcus ita postulat, vtere audenter valdè siccantibus & detergentibus, vt farinis lupinorum, cicerum, fabarum etiam vstis, aut caprillo stercore vsto, & pisto cum vino, desperata sanat. B C

VLCERIS DYSEPVLOTI, CVRATIO. CAP. IIII. D

Omne vlcus malignum est tardi & difficilis coalitus, non contra; quia vlcera ostracosa quorum labra sunt tam dura quam testa ostreorum; Rheumatica quæ fouet perennis fluxio varicosa, sinuosa, rotunda, quibus subest os putre, tardè & difficilius cicattice obducuntur. Neque tamen sunt maligna quia tardi coalitus euidens est causa, euidens remedium cui facilè cedunt. Ponamus igitur curandum vlcus cuius labra sint prædura, nunquam illa coalescent nisi aut emolliantur aut abscindantur, itaque si non fuerint admodum dura, videanturque emolliri posse, tentabis hoc vnguento de althea aut emplastro de muccilaginibus, diachylo magno; alioquin nouacula abscindantur, aut caustico aliquo exedantur; aut fiant multæ incisiones, quæ puluere Mercurij respergantur. Poteris interim vlcus sarcotico aut epulotico illinere. Esto Rheumaticum. Purgatione, venę sectione, cauterijs diuertenda fluxio, totum corpus hydrotico desiccandum; si nihil obstet vt febris, vel iecoris calida intemperies; Vlceri ipsi admouebis quæ siccant cum astrictione. Abluatur vlcus aqua, aut si non subsit in parte calor vino decoctionis balaustiorum, nucum cupressi, aut alicuius, quorum puluis inmisceri poterit vnguento diapompholigos vel melli; interea dum coquitur immisce parum aluminis, fiat vnguentum. Ponamus vlcus quod proponitur curandum esse varicosum. Imprimis cogitandum erit de varicibus sanandis. Quæstio est si debeant sanari & quomodo. An Chirurgia quam explicant Paulus lib. 6. & Celsus lib. 7. An phlebotomo potius aperiri vt suadet Albucasis: nam varices vt E

hæmor-

hæmorroïdes, sæpè liberant à magnis morbis, præsertim melancholicis. Quare si A impediatur ista purgatio periculum est ne sursum feratur humor, maiusque afferat detrimentum, si tamen importunis ægri precibus victus cogaris vlcus simul & varicem exsiccare; prænunciato periculo imperabis purgationem, & venæsectionem frequentem, frugalem vitam necnon in parte vicina cauterium, vt relinquatur naturæ emissarium. De varicibus vt dixi eadem ferè quæstio quæ de hæmorroïdibus. An vna sit relinquenda, an omnes tutò occludi possint, imperatis ijs quæ præmisimus. Liberat enim varices vt hæmorroïdes à magnis morbis. Hippocrates vt Albucasis vult aperiri scalpello, sed vult fieri paruum vulnus, Albucasis magnum, vt humori fœculento liber detur exitus. Iubet constringi tibiam vinculo, descendendo ad genu si vena aperienda non satis emineat. Ad exsiccandum vlcus cum varice vtere hoc emplastro. ℞. aspalati ℔. ß. olei valdè veteris ℥viiij. Terebinthinæ liquidæ B ℥vj. sulphuris ℥iiij. fiat emplastrum hoc modo. Aspalatum ad modum ciceris frangatur, Deinde crassiusculè contundatur, coquatur cum oleo donec liquescat, tum additur Terebinthina, & coquitur donec manus non inquinet; extractus ab igne, sulphur pulueratum superinijcitur, quibus peractis omnia in mortarium plumbeum proijciuntur plenum frigida, & diligentissimè permiscentur, Verum si vlcus varicosum sit dolorosum, habeatque adiunctam inflammationem, vtere potius emplastro sequente. ℞. Acaciæ, Hypocistidos, Tartari, aluminis ana ℥ß. boli armeni, & pulueris myrtillorum ana ʒiij. farinæ lupinorum, & fimi caprilli ana ʒij. aceti rosacei ℥iiij. olei rosacei, ceræ albæ, & resinæ q. s. fiat emplastrum hoc modo. Oleum cum aceto coquatur ad consumptionem aceti, deinde addantur cera & Terebinthina. Quid si caro vltra modum excreuerit? incidatur, aut Ægyptiaco, alumine vsto, Mer- C curij puluere, aqua forti, oleo de vitriolo exedatur. Interim memineris partes vicinas aliquo defensiuo munire.

DE VLCERE SINVOSO. CAP. V.

VLcvs sinuosum, est etiam dysepulotum. Tale autem efficitur vel quia abscessus non satis amplo vulnere apertus est, vel sequitur contusiones ingentes, quales ab ictibus sclopetorum, quia putrefacta carne contusa manet sinus in parte; Vel quia pus longiore mora erodendo cuniculos facit, quos candela cerea aut plumbeo cathetere, potius quàm argẽteo explorabis, quia facilius inflectuntur & cum minori dolore quamlibet in partem du- D cuntur. Sinus postulat valdè siccantia & detergẽtia, quia solet esse humidus & sordidus. Itaque in œnomelite aut in aqua vitæ dissolue vnguentum Apostolorum, quinetiam si ex sanie putida, liuida, tenui, sit coniectura latentis cacoethias, dissolue Ægyptiacum, aut in oxycrato bulliant absynthium, marrhubium & agrimonia: Cum abest calor adde myrrhæ & aloës aliquid. Prosunt iniecta vrina, & muria, aut paretur lixiuium ex cineribus ficus, aut cum nucleis oliuarum. Auicennas laudat aquam aluminosam, detergit, siccat, agglutinat, bulliat alumen in aqua octupla, aut in vino, cûm abest calor, si sinum efficiat & foueat sanies acris, inijciatur serum cum melle rosato, aut hydromel cum aqua hordei, & melle rosato. Vlcere mundato inijciatur vinum astringens, implebitur decocto iridis aut Aristolochiæ aut eorum puluere iniecto cum vino. Interim superponatur linteum vino inebriatum, aut cata- E plasma ex farinis siccantibus fabarum, erui, lupinorum coctis in œnomelite, aut emplastrum diacalchiteos; Quæ contineantur ligatura mediocri & indolenti, quę incipiat à fundo, & in os desinat; Non remoueatur nisi tertio quoque die, sed cannula interim procurabis, vt sanies effluat. Orificium strictiùs dilatabis spongia, vel radice gentianæ, quæ inter duodecim horas renouetur. Si ad expurgandam puris copiam vnicum orificium non sufficiat, fiant noua parte decliui, vel setone sinus traijciatur. Si os habeat supra & infra pus subsistat quia graue cum violentia sursum impellitur, fiat antidiæresis, Contr'ouuerture. Galenus mitella suspendit brachium, aut puluino crus erigit, vt os vlceris deorsum vergat, prodest potio vulneraria non tãtum assumpta, sed iniecta. Hydrotica quoque sumpta & iniecta prosunt.

DE FISTVLA. CAP. VI.

A

EST sinus callosus: solo enim callo differt à sinu, proinde si callum obtriueris atque vt dicitur fistulam mortificaris, Postea vt sinus hoc est detergendo, incarnando, & cicatrice obducendo curari debet. Fit autem callus quando interior caro vlceris sinuosi induratur, calore alieno naturalem humiditatem absumente. Distingui solet pro varietate partium; Alia enim ventrem aut thoracem penetrat; Alia ad articulos, vertebras, costas pertingit, quæ omnes fere sunt insanabiles. Alia venam, arteriam, neruum, os attingit, quæ difficillime curantur, sola superficiaria, & quæ solam carnem occupat facilè sanescit. Item quædam recta, alia obliqua, quædam vnius oris, alia plurium, B quæ obliquior, profundior, diuturnior, plures habens sinus sæpius saniem eructans, curationem difficilius admittit, in parte molli vt carne, facilius quàm in dura vt neruea. Legendus Paulus lib. 6. & Celsus lib. 7. dignoscetur autem non tantum callo, & indolentia nisi forte neruum contingat, sed etiam sanie tenui & putida. Tribus autem modis callus atteri potest; primo coque faciliori immisso elleboro nigro, aut iniecto decocto ex agrimonia & folijs oliuarum. ℞. viridis æris & ammoniaci in aceto soluti ana partes æquales, dissolue in prædicto decocto. Secundò si primum sinus discindatur, deinde callus vratur cauterio actuali, aut potentiali: qui modus valet tantum in fistula carnea & superficiaria. Tertius modus à secundo non est admodum dissimilis. Callus exedendus aliquo caustico iniecto vel immisso, exempli gratia dissolue Ægyptiacum in aceto, aut aqua vitæ, & inijciatur, aut ℞. penicillum C imbutum melle, conspergatur puluere mercurij. Guido cum Villanouano aquam fortem præfert causticis omnibus, dolor iniecto mox oleo de vitellis ouorum placandus erit; Deinde iniecto aliquo pingui vt butiro recenti, procurandum vt crusta cadat: Postea ordinarijs remedijs pergendum. Rhasis ad detersionem fistulæ hoc remedium plurimi facit, ℞. sarcocollæ, aloës, sanguinis draconis, aluminis, antimonij, balaustiorum ana ℥ij. floris æris ʒß. cum aqua pluuia fiant trochisci, quorum vnus in vsu diluatur decocto gallarum, & inijciatur. Quidam affirmant incipientes hoc solo posse sanari.

FISTVLA LACHRIMALIS.

CAP. VII.

D

AGE, vero vno & altero exemplo quam proposuimus generalem doctrinam illustremus, Ægilops vix vnquam sanescit, inquit Paulus, tum causa tenuitatis partium, tum periculi, ne oculus compatiatur. Si tamen sanies ad malum descendat, facta incisione tutò & sine periculo os corruptum vri potest, aut abradi; Deinde siccantibus præsidijs percurari. Verum si serpat ad angulum, videtur potius blandiendum, curatio enim plena est periculi. Rondeletius tamen non tantum vlcus malignum & serpens vrit, verùm etiam venas & arterias, vt cicatrice impediatur fluxio, propter quam vlcus exsiccari non poterat. Guillielmus Placentinus hac arte fistulam lachrimalem curabat, quam approbat Ioannes de Virgo; Amplificabat orificium intromissa radice gentianæ, aut spongia, callum puluere Mercurij exedebat, quod si subiectum os corruptum videretur, vrebat primùm tenui & acuto cauterio, quod tegebat cannula ne labra ignis attingeret, non desistebat, donec os ad interiora nasi perforatum esset; Postea applicabat aliud cauterium oliuare priore crassius, donec ossis corruptela planè videretur sublata. Interim dum os vritur, oculus muniendus cochleari argenteo, ne cauterio attingatur; Deinde pergatur ordinarijs remedijs ad sinum accommodatis. ℞. Agrimoniæ, foliorum oliuæ, & balaustiorum ana ℥ij. floris æris ʒß. cum aqua pluuia, fiant trochisci, quorum vnus diluatur decocto gallarum viridium, & inijciantur aliquot guttæ, æger interim sese reclinet in partem oppositam, per duas aut tres horas. Non est prætereundum neque Anchylopem, neque Ægylopem cancrosum esse attingendum. Anchylops cancrosus est tuberculum valdè durum & E

dolorosum

A dolorosum prope maiorem canthū. Ægylops cancrosus, est vlcus sublividum cum tumidis labris & inuersis ipso aspectu horridum; qui ad cancrum vlceratum refertur, quemadmodum Anchylops ad apostematosum.

DE ANI FISTVLA.

CAP. VIII.

ALTERO exemplo generalem vlcerum doctrinam illustremus; Ad abscessus, magna vlcera putrida & sinuosa, malè curatas hæmorroidas, sequi solet fistula in ano; quæ si ad rectum vsq; penetret, aut ad vesicam, est insanabilis. Quod dignosces si vel sanies exeat cum stercore, vel stercus per fistulam, aut si intromisso digito in anum sentiatur radius per fistulam immissus. Sic penetrare vesicam conijcimus, si vrina per fistulam reddatur, vel sanies cum vrina, tum satis est detergentibus & siccantibus blandiri malo, vt quotidie ter aut quater iniecto & decocto agrimoniæ, foliorum oliuæ, & elebori, vel trochisci ex Rasi descripti soluantur & iniiciantur. Istius iniectionis vsu longo & frequenti perfectam sanitatem pollicetur. Faciamus non penetrare, sed solam carnē occupare, postulatne curationē? Nō videtur, quia est veluti emissariū, per quod natura velut per hæmorroidas sese repurgat. Verumtamē si æger molestiā fastidiens velit occludi, radice gētianæ, aut spongia orificium dilatetur, callus exterior incidatur nouacula, aut caustico exedatur, vt Ægyptiaco soluto in aqua vitæ, aut penicillo imbuto melle & puluere mercurij consperso.

SECTIO QVARTA

De Vulneribus.

VVLNERVM DIFFERENTIÆ, causæ, euentus.

CAP. I.

VLNVS est solutio continui recens & cruenta in parte molli, ab externo aliquo effecta, priore & vltima particula differt ab vlcere, secunda verò distinguitur à fractura. Causa autem externa, vel est animata, vt morsus, calcitratio animalis, aliquando venenati, Vel inanimata vt ensis, lapis, Quarum aliæ incidūt vt ensis, Aliæ contundunt vt lapis, & globuli sclopetorū, Aliæ pungunt vt acus, graphius, Aliæ vrunt vt ferrū cadens, Aliæ tendēdo rūpunt. Partes molles appello nō tantū carnē, sed etiā venas, arterias, neruos. Vulneratur inquā partes aut similares vt caro, neruus, arteria; Vel organicæ vt artus; Quarum aliæ sunt principes vt cor & cerebrum. Aliæ & si nō principes, nō minus tamē necessariæ ad vitā, vt vētriculus, vesica, renes. Aliæ vtiles quidē, sed sine quibus viuere possumus, cuiusmodi sunt nasus, aures, oculi. Pro isto vsu prædici potest euētus & periculū nā à corde etiā nū in superficie vulnerato mors, à iecore aut cerebro nō ita, nisi profundū fuerit vulnus. Collū vesicæ quia carneū tuto inciditur; At vesicæ ipsius vulnus lethale est, quia neruea, qua ratione vuln' in tenui intestino funestū, in crasso periculosum quidē, non lethale. Vulnera prope articulos accepta semper sunt plena periculi, quia ibi tēdones, nerui, & carne vacua sūt loca, inde dolores, vigiliæ, cōuulsio, deliriū. Potest etiā vulnus distingui ex varietate causæ, & inde futurus euētus præuideri, nā quod à re contundēte soluitur, tardiùs sanescit, quā quod ab incidēte; Quia hic ordinarijs proceditur remedijs, At cōtusum putrescere oportet. deinde ad ordinaria remedia accedēdū: Facillimè coalescūt vulnera lōga, difficillime rotūda. Diuidi etiā potest in simplex, & compositū: sine morbo, causæ, aut symptomati implicetur, & pro ista adiunctorum varietate euentus præuideri.

nam vt est in aphorismo conuulsio superueniens lethalis, delirium etiam lethale, vt A
& febris perseuerans, alienus color partis, ariditas cutis, qualis carnis fallæ, inflammatio, gangrena, ingens tumor apparens, subitoque disparens, quæ omnia sunt funesta.

VULNERIS SIMPLICIS ORDINARIA Curatio.

CAP. II.

PRIMVS & generalis scopus quod solutum est reunire, quod non est difficile, quando vulnus est paruum & superficiarium. Vulgus oleum B
permiscet vino, quod balsamum Christi appellat. Alij oleum abietis & rosarum permiscent, vel Terebinthinam cum vitello oui, Alij telam aranearum præsertim quæ in pistrinis flore farinæ conspersa est. Alij folia hederæ cocta in vino applicant, nec desunt qui folia quercus commendant, de quibus extat apud Latinos nobilis historia, alij herbam quæ ab hortulanis Petum nominatur, denique solo aglutinante coalescit. Chirurgi cum oui albumine subagitant puluerem rubrum. Fit autem puluis ruber ex thuris partibus duabus, sanguinis draconis vna, boli armeni tertia parte. Hanc superinijciunt & ligatura incarnante continent. Vulnus interim liniunt in ambitu oleo rosato, ad prohibendam inflammationem. Guido consulit vt primum iste apparatus per qua- C
tuor dies sinatur, nisi quid superueniat, vt dolor; exacto die quarto nisi sit agglutinatum, abluatur primùm vino styptico, aut aqua vitæ: Deinde puluis ruber terebinthina excipiatur, qui sufficiat agglutinationi. Hoc solo perfectam consolidationem nonnulli pollicentur primo die, ℞. olei veteris ℥ iij. terebinthinæ veræ ℥. viij. cardui benedcti, radicis valerianæ an. ʒ j. thuris puluerisati, ℥ ij. radices & herbæ crasso modo contundantur, in ollam ponantur, tantumque vini infundatur, vt omnia immergantur, biduo infusis oleum superinijcitur, & coquuntur omnia ad vini consumptionem, facta leui expressione, addantur thus & terebinthina, iterumque sinatur bullire, & seruetur in vase vitreo, abluatur primùm vulnus albo vino frigido, postea inungatur prædicto oleo calente. quod si commodè fieri non possit, per syphonem intra vulnus inijciatur; Confestim labra vulneris in vnum adducantur ligatura conuenienti, priùs tamen superposito linteo eiusmodi oleo D
imbuto. Fasciæ maducerint in vino austero, in quo rosa vel balaustia, aut aliquid simile bullierint. Vide tamen ne nimium astringendo, dolorem moueat. Quod si magnum sit vulnus, cum multæ carnis ablatione; Prius replendum est quam tegatur cicatrice. Replebitur autem vsu sarcoticorum, in quibus primas tenet vnguentum, quod ab affectu Chirurgi aureum appellant; Procurando interim alimentis boni succi; vt laudabilis sanguis generetur. De quo priusquàm cogitet, adducenda sunt labra in vnum; Cui instituto si non satisfaciat ligatura agglutinatiua, vulneris labra sutura muniantur. Inter singulas suturas relinquatur digiti vnius interstitium, mox puluere rubro vulnus conspergatur. Quod si hetherogenes quidpiam in parte hæserit vt globulus, si fieri potest dum adhuc sanguis calet, remoueatur digiris, forcipe, volsellis, aut aliis huic instituto accommodatis instrumentis, E
qualia pro extrahendis telis plurima Paulus recenset lib. 6. Recentiores multa excogitarunt pro extrahendis globulis, quorum mentionem faciemus, cum eo ventum erit. Omnia ergo hoc ordine peragantur; aliena si quæ sint remoueantur, extrema vniantur, ligatura, sutura, fibulis, aut medicamentis glutinantibus, nisi quid prohibeat, vt inflammatio, & dolor, quæ purgatione, victu tenui, atque etiam venæsectione, nisi iam valdè multus sanguis effluxerit, defensiuo communi & topico repellente, quale iam meminimus, impediantur. Postea digestiuo, mundificatiuo, sarcotico, epulotico ad finem opus perducatur, quemadmodum iam de vlcere proditum est, habet enim vulnus tum nomen & rationem vlceris, cumprimum sanguis in saniem, aut pus conuertitur.

Vulneris

A *VVLNERIS COMPOSITI CVRATIO, inflammati, contusi, intemperati, dolorosi, aut quod adiunctam habet conuulsionem, febrem, syncopem.*

CAP. III.

SI vulneri superueniat inflammatio, illi primùm medendum erit, quia
illa permanente vulnus obduci non potest. Itaque venæsectione illius
generatio si fieri potest impediatur, admoto etiam topico repellente,
quod refrigeret & siccet ratione vulneris, non humectet, quale
fuerit cataplasma ex farina hordei, & puluere rosarum aut cerato re-
B frigerante. Si repelli fluxio, & impediri non possit phlegmones generatio; ten-
tetur resolutio ex farinis fabarum, puluere camemeli coctis in vino. Si vulnus
fuerit à re contundente, quod valide contusum quinetiam corruptum est, abscin-
datur, alioquin peptico maturetur, & in saniem conuertatur basilico, vnguento
de althæa, vel cataplasmate ex radice liliorum, althææ, ficubus, seminibus lini &
fœnugræci, herbis remollientibus, coquantur simul, ex residentia cum oleo ca-
memeli aut liliorum fiat cataplasma. addere possis farinas tritici, fœnu græci, cro-
cum, & vitellos ouorum sub finem. Si quis obijciat Hippocratem in vlceribus
præsertim capitis prohibere cataplasmata, quia humectant, curatio autem vlceris
exsiccatio est; Respondetur non imperari ratione vlceris, sed symptomatis.
Quod si exigua sit contusio vulgare repellens erit ex vsu, vt albumen cum rosa-
ceo agitatum, quod in magnis contusionibus plurimum noceret; quia sanguinem
C corruptum repercuteret & impingeret. Vnde gangræna. Faciamus digitum adeò
esse attritum, vt ossa ipsa sint contusa, quàm cito abscindatur. Si verò ossa integra
fuerint & sola caro contusa, Celsi consilio coquatur malum granatum, cuius pars
interior vnguento rosaceo misceatur; quo victo cutis scarificetur, cæteraque vt in
gangræna incipiente peragantur. Verum si mediocris fuerit contusio, tentetur re-
solutio. Quid multa? magnis contusionibus debetur pepticum, quoties conferre
videbitur, mediocribus resoluens, non prætermisso scarificatu. Quid si generalis
fuerit contusio? puta si quis ex arbore deciderit, ille pelle arietis recens mactati in-
uoluatur, cuius inopia corpus oleo liliorum & rosaceo liniatur; Primum remedium
mirificè commendat Galenus. Dentur interim ʒ ij. mumiæ ex vino, vt concretus
si quis est sanguis dissoluatur: In aqua cardui dilues oximelitis Galeni, vel syrupi
D acetati ℥ j. coaguli leporis ʒ j. Vulnus quemadmodum & vlcus cum intemperie
contrariorum vsu percuretur. Esto pars calidior, quod tactu & rubore dignosces,
temperabitur cerato refrigerante, vnguento rosato Mesuæi, vnguento de cerusa,
de tuthia. Sit iusto fugidior, fotu ex vino, aut aqua vitæ frequenti calefaciet. Si
dolor vrgeat, quia fluxionem excita, mox demulceatur. Equidem optima sunt
anodina quæ tollunt causam doloris, vt purgatio, & venæsectio, cataplasma rela-
xans simul & resoluens, sed tardiùs operantur. Propterea anodynis quæ sint ana-
loga nostro calori leniatur, alijs tamen non neglectis, vt cataplasmate ex pomo
cocto in lacte, addendo vitellos ouorum, & parum croci, quod quidem anody-
num in vulneribus sclopetorum magnificat Rondeletius. Perseuerante dolore v-
tendum narcoticis, vt vnguento populeo mixto cum vitello oui. Initio cum mole-
E stus est dolor agitatum ouum cum oleo rosaceo, & admotum vlceri dolorem seda-
bit. Conuulsio febris & syncope superueniunt etiam vulneribus, conuelluntur e-
nim vulnerati ab inanitione, vt post hemorragiam immoderatam, tum certo mors
predicenda est, aut à repletione, vt cum tumor qui apparuit repentè disparet. Quod
si adueniat dorso vulnerato, vbi est principium neruorum: certa quoq; mors. Quia
humores eò concurrunt. Puncto etiam neruo, aut morsu venenati alicuius anima-
lis succedit conuulsio: quibus succurrendum erit remedijs quæ ad conuulsionem
præcesserunt. de puncto neruo mox. De morsu venenari animalis iam egimus, cum
de vlceribus tractauimus. Febri quoq; non debentur alia remedia quàm quæ ad fe-
bres suo loco descripta sunt: quemadmodũ nec animæ deliquijs, alia præscribi de-
bent, quàm quæ ad syncopen aliàs dictata sunt. Sed de hæmorrhagia hoc loco
nobis pluribus disserendum est: est enim vulnerum symptoma ordinarium.

DE VENA, ET ARTERIA VVLNERATA. A

CAP. IIII.

Sanguis fluit aperta, rupta, aut erosa vena: erosæ conueniunt escharotica; Apertæ astringentia; Ruptæ glutinantia. Nomine venæ arteriam quoque comprehendo, quamuis plurimum referat si sanguis fluat à vena, an ab arteria; Quod duobus signis discernes: priore quod rupta arteria sanguis fluat saliendo, & maiore impetu; Posteriore quod ab arteria qui fluit sanguis sit flauus & tenuis, à vena crassus & ruber. Fingamus vlcus putre in quo terminetur vena carie exesa, quę continenter stillans vlcus humectet, & agglutinari prohibeat; B Non est dubium escharotico simul cum hæmorrhagia sistendam esse putredinem. Quod fiet si butyro, vel vnguento de althæa præcipitatum ea proportione permisceas, vt pulueris sit ʒj. butyri duæ. Addere possis vt crusta sit firmior aliquid vitrioli aut aluminis vsti, pro potentiali actuale cauterium vsurpatur. Nam putredinem & hæmorrhagiam sistit. Apertæ verò sæpè satis est oleum oxycrato frigido imbutum aut succis plantaginis, centinodię madidum admouere. Hîc de rupta tantum vena tractare mihi consilium, est cui applicanda sunt emplastica cuiusmodi sunt farina volatilis, gipsum, tesina fricta, manna thuris, aloe, bolus armena, quæuis horum excipiantur albumine, vel mucagine lini aut tragacante, quinetiam madida linamenta aut pili leporis indantur in vulnus; Contineantur fascia, cuius quatuor aut quinque primi amplexus fiant super vulnus ipsum, hinc ad radicem venæ distribuantur. Exactis diebus plus minus tribus, cum eam solues; Considerabis si adhuc linamentum adhæreat, tum madefaciendum erit & alterum superinijciendum, si facilè aut sponte recedat, vasis radicem digito leniter comprimito, interim dum alterum impones. Hoc que cõtinuabis donec renouata carne, ac bene stipato vase tes tuta videatur. Quod si vas digitis contingere non possis, applicetur linamentum imbutum medicamento conueniente. Profuit aliquando venam incidisse, quia retrahitur & à carne ipsa clauditur, non neglecto interim emplastico. Item nisi dolor, inflammatio, vel abscessus impediant, quando vulnus est sine carnis deperditione, vtiliter fui solet. Vulnus primùm mundatur, & grumus si quis sit tollitur, deinde caro cum vena acu traijcitur, mox puluere rubro conspergitur, & ellychnia insuccata prædicto emplastico admouentur, membrumque vt decet ligatum conueniente situ continetur. Vermiculi etiam vitrioli imbuti fœliciter induntur in venam, vulnus puluere respergi potest, & emplastico impleri. Interim verò dum hæc præparabuntur, vena digito occludatur, nam concrescens sanguis sæpe abundè venam, non arteriam obstruxit. Confert etiam ligare venam, sed potissimum arteriam. Si locus patitur nudata vena volsellis attrahitur, deinde ligatur filo serico quo acus traiecta supponitur, paulatimque constringitur. Si quid arteriæ à ligatura relinquatur, abscindatur, vulnus autem quàm citò fieri poterit, carne tegatur, quia si locus aliquis inanis remaneat, filumque putrescat, ante perfectam repletionem sequetur aneurisma, de quo per occasionem paucis transigendum est. D

Fit enim arteria vulnerata, quamuis ad tumores referri possit; quia sanguis spirituosus in spatium inane confluens partem attollit in tumorem insignem, qui duobus signis discernitur: priore quod subtus arteria pręter modum pulset, posteriore quod E pressus tumor retrocedat, sed mox reuertatur. Impeditur illius incrementum aliquo repellente, vt fotu ex vino, decoctionis malicorij, balaustiorum; vnguento Comitissæ, emplastro contra rupturam, quod ligatura arctè contineatur. Curatur verò Chirurgia admodum operosa, & periculosa, quam copiosè Paulus, Aetius, Albucasis declarant, vbi vetant aneurisma in collo, & capite Chirurgia tractari.

A VVLNVS NERVI PVNCTI, INCISI, CONTVSI.

CAP. V.

VULNERATVR nervus à causa externa, incidente, pungente aut contundente; inde cęsim aut punctim vulneratus dicitur aut contusus: vulneratum neruum indicat acerbitas doloris, qui nullis anodynis placatur, & cõdolente cerebro spasmus, delirium, Paralysis, Apoplexia, quæ à vulnere solent esse funesta. Sanies quoque crassa & glutinosa vulneratum esse neruum indicat; quemadmodum tenuior os. Punctio autem vel est cęca sine spiraculo, aut aperta seu peruia; Cum patet foramen, per quod sanies
B possit liberè difflari, quæ alioquin malitiam acquirit incredibilem, quam prædicta symptomata vt plurimùm comitantur. Itaque punctionis cæcæ primarius scopus esto, saniei viam facere, si aliter non possis, cutis cruciatim, vel per decussim incidatur. Apertam verò custodire, nil enim metuendum est, quàm vt citò vulnus occludatur. Galenus piscatoribus qui assiduè à spinis piscium pungebantur singulare remedium excogitauit, nempe terebinthinam quam calidam in puncturam instillabat. Nostri diluunt aqua vitæ; Alij præferunt eiusdem oleum stillatitium, quia tenuiorum est partium, & altius peruadit. Superponitur cataplasma ex farinis fabarum, erui, lupinorum, coctis in oximelite, aut lixiuio ad resoluendam saniem & impediendam putredinem. Abstinendum repellentibus, præstat vti attrahentibus quale est emplastrum quod sequitur ℞. ceræ ℥j. picis & tere-
C binthinæ ana ℥ß. Euphorbij ʒj. circiter prout erunt robusta corpora, fiat emplastrum. Neruus nudus non tolerat acria, vt euphorbium, quod Galenus aliquot historijs declarat. Potest etiam ex bdelio, sagapeno, opopanace, mixtis cum terebinthina ad eundem finem imperari admixto etiam fermento. Quod si putes terebinthinam non posse cœcum & clausum vulnus permeare, non prætermissis generalibus vt venæsectione & purgatione: Inciditur neruus secundum longitudinem, aut per transuersum. Prior incisio minus periculosa est, sola deligatio sufficit, nec opus est sutura. Rursum vel totus præcisus est, vel ex parte. Præstat totum esse diuisum, quia dolor partis incisæ communicatur integræ, atque inde per continuitatem cerebro, vnde grauissima quæ diximus symptomata. Propterea Galenus ad præcautionem quoties putat imminere eorum aliquod periculum siue sit punctus,
D siue incisus neruus, iubet totum incidi. Nec refert si ex eo membrum futurum sit resolutum, quia expedit Decium mori, vt Roma seruetur. Incidatur ferro calido, & mox oleo sambucino calido extrema incisa attingantur. Postea procuretur digestiuo communi vt crusta cadat. Quid si neruus totus sit incisus? tum quid agendum sit controuertitur. Guido neruum ipsum suit vt facilius reuniatur. In pueris inquit, prima intentione vnietur, in adultis secunda, sed caue inquit Æginet a ne pungas neruum metu horrendorum accidentium. Conuenient deinde olea & vnguenta nerualia, superponitur lana succida oleo aliquo neruali & vino inebriata, vt sedetur dolor. In parte ima relinquendum est orificium, per quod sanies vacuetur. In quod penicilli indendi erunt cum digestiuo communi ex terebinthina, vitello & croco. Non est prætereundum quando nudus est, & detectus ner-
E uus, eum acria non tolerare, vt castoreum, Emphorbium, sulphur; quę tamen intermedia carne admota prosunt, quia exsiccant vt calx, & pompholix sæpiùs lota, soluuntur multo rosaceo, & applicantur, puluis etiam lumbricorum, atque ex ijsdem oleum: benefaciunt neruis afflictis, sed supra cætera commendatur puluis oculorum cancri; omnia enim vulnera neruorum intra tres dies persanare dicitur, sunt tamen qui audent igne vrere neruum.

Hactenus de pũcto & inciso neruo. Ad cõtusum Dioscorides cõmendat cataplasma ex cinere sarmẽtorum, & oleo aliquo neruali, quod sit tenuium partium & resoluat, cuiusmodi sunt chamemeli, anethi, rutæ, lauri, initio applicatur oleum rosatum cum albumine, dolor si fortè vrget vino stiptico demulcetur. Postea pro illo cataplasmate Dioscoridis, vtere vulgari ex farinis resoluẽtibus fabarum, erui, lupinorum coctis in oxymelite, vel in vino & lixiuio. Addere possis puluerẽ ireos Florentię quo potẽtius

resoluat in officinis prostant quatuor vnguenta nerualia, de althæa, Agrippę, Aragonium, Marsiatum, olea quoque plurima vt costi, terebinthinę, cerę de vitellis ouorum, myrrhæ quo in demulcendo dolore nerui nullum præstantius; Oleum vulpis infarcti nerualibus benefacit attritis & intortis neruis. Hęc satis erunt cum neruus est contusus cute integra; At quando contusus est vlcerata cute, vtere cataplasmate ex farina fabarum cocta in oximelite, frigidum autem esse neruis & neruosis partibus inimicum constat ex Hipp. Propterea plusquam tepida omnia topica applicanda erunt, & ab externis iniurijs, integumentis multis defendantur: lana succida inebriata oleis cum vino optime facit, resoluit quoque oxycroceum, & emplastrum de meliloto dissolutum oleo neruali. A

VVLNVS CVM INCISIONE OSSIS. B

CAP. VI.

SI squamma abscesserit, primùm educenda, quemadmodum vulnus suendum, infrà relicto emissario, quà penicillus indatur, digestiuo primum, deinde mundificatiuo delibutus, estne occludendum ante generationem calli? Ita placet Guidoni, quia ita sperat fore vt callus firmior & ocyus nascatur, alijs reclamantibus: Vt excrementis ossis pateat exitus. Interim dum intermedio callo vnietur.

DE VVLNERIBVS CAPITIS DIFFERENTIÆ, euentus, Curatio. C

CAP. VII.

QVÆ in genere & indefinitè de vulneribus scripta sunt primùm ad partes simplices accōmodauimus, vt venas, arterias, neruos, ossa. Instat vt ad compositas pergamus à capite ducto initio. Vulneratur vt cætera membra à re pungente vt lancea; Incidente vt ense, Vel contundente vt globulo, lapide, malleo, estque solitarium aut alteri morbo scilicet causæ vel symptomati coniunctum, causæ vt contusioni, symptomati vt dolori, morbo, fracturæ ex qua variæ differentiæ consurgunt. Vulnus quod fit ab obtuso & graui corpore contusio, θλᾶσις nominatur, quod verò fit ab acuto & leui incisio. Porro Contusio duplex; prima est fissura siue rima ῥωγμὴ quæ si capilli tenuitatem referat τριχισμὸς dicitur. Fissura autem in parte percussa consistit, vel ea quæ percussę opponitur, in eodem osse, vel diuersis ossibus, & à Paulo vocatur ἀπήχημα, Altera contusionis species ἔσφλασις depressio, effractura dicitur quę duplex est, cum nimirum superficies integra & continua remanet, vt in vasis ęneis, vernaculè *bossclure* dicitur; Vel externæ superficiei continuitas dissoluitur, vnde triplex differentia emanat, καμάρωσις ἐγγείσωμα, suggrundatio, ἐκπίεσμα. Alterum genus vulneris in capite ἐκκοπὴ vocatur incisio, quæ triplex est ἕδρη sedes, διακοπὴ præcisio, ἀποσκεπαρνισμὸς deassiatio. Contusio inter fracturas numeratur ab Hipp. de qua inter Medicos non leuis exorta est controuersia, Gal. in definitionibus medicis definit Contusionem, Caluariæ recessum versus interiora citra fracturam, quinetiam Ægineta negat contusionem esse fracturæ speciem. Respondemus duplicem esse contusionem, physicam, & medicam, prout ab illis diuersimodè consideratur. Arist. lib. 4. meteorōn contusionem definit externę partis depressionem ad interiora, medicus vero contusionem appellat superficiei diuisæ in minimas partes ad interna depressionem. Sic Gal. lib. de causis morborum contusionem interpretatur cum externa loci percussi facies integra & cōtinua fuerit, interiori tenuiter comminuta. Itaque si medicè consideretur contusio, fracturę nomen meretur. Cum autem rima sit contusionis species, semper adiunctam habet contusionem, maiorem vel minorem, vt notauit Hipp. Arida quidem corpora citra contusionem findi possunt, non autem caluaria, quæ inter duas laminas humidissimam substātiam, nimirum diploem cōplectitur, ἀπήχημα dicitur quando caluaria non quà percutitur telo, sed alia sui parte finditur. Quod tribus modis accidit, primus est cum locus fractus & percussus sunt eiusdē ossis, vt si percussa ossis frontalis parte sinistra, rumpatur dextra: quod fit propter partis percussæ robur, quę ictus violētiam

in

A in vicinas partes imbeciliores transmittit. Alter modus ἀπηχήματος apparet, cũ eiusdem ossis percussa parte exrerna, eaque integra manente inferior & inrerior dehiscit, *contresente*, vernaculè dicitur: eius causa est inter vtramque laminam conclusus aer, qui violenter ex ictu agitatus, interiorem tabulam frangit. Tertius modus ἀπηχήματος fit, quãdo percussum os à fisso non distinguirur: vt si icta fronte, occipitale findatur. Inter recentiores Medicos magna contentione disceptatur de tertio apichimatis modo, Nam duos alios nemo inficiari potest, quos Hippocratem & Celsum intellexisse puto. Remanet igitur controuersa tertia ἀπηχήματος species quam Soranus demonstrauit exemplo vasis vitrei, quod in parte percussa non finditur; sed in apposita: quam similitudinem eludit Paulus, quia caluaria plena & referta est cerebro, atque ex pluribus ossibus coagmentata, quæ eo potissimum fine suturis disterminantur, ne alicuius ossis læsio ad alterum transeat. Vas verò vitreum continuum est, &
B vacuum, hac ratione motus Fallopius tertium ἀπηχήματος modum improbauit, aliorum Chirurgorum authoritate fretus. Guido enim, & Vidus, ἀπήχημα non admittunt; nisi in eo capite quod solidum est, sine suturis, vel in eo saltem cuius suturæ adeo sunt consertæ, vt caluaria vnicum & continuum os appareat. Verum suturæ non semper impediunt fracturæ propagationem, vidit enim Galenus lib. 6. Meth. syncipitis fracturam per os temporale productam, nihil prohibente sutura squammosa. Dicam igitur cum peritis Chirurgis rarissimam esse tertiam ἀπηχήματος speciem, duas alias frequentius occurrere. Fallitur interdum Medicus vt doctè animaduertit Aeginera, cum diuersis partibus icta fuerit caluaria à percussote, vel cum æger ex alto ceciderit in partem oppositam percussæ. Altera contusionis species, depressio siue ἔσφλασις nominatur; cuius differentiæ sunt, Imprimis camarosis, fornicata cal-
C uariæ eleuatio in modum cameræ, vt à Paulo definitur: qui monet à Galeno definiri caluariæ depressionem ad interiora; quæ definitio si vera esset, non distaret camarosis ab engyssomate. Vidus & Fallopius camarosim similem putant esse caseo qui depressus digito resurgit. Alij sibi imaginantur in camarosi os fractum deprimi, & sano subiici, ita vt inter vtrumque spatium relinquatur in modum fornicis. Sed eiusmodi explicationes viris doctis non probantur, quia cranium caseo durius existit, & fractum os in modum fornicis attolli debet, non sanum, quapropter Fallopius camarosim nullam esse scripsit, vel rarissimam, quæ ex obliquo ictu ita accidit, vt frustulum ossis dissectum, & sano adhuc adhærescens, in modum fornicis attollatur. Secunda depressionis species ἐγγείσωμα nominatur, depressio scilicet cranij versus meniugem, ἐκπίεσμον verò est ossis tenuiter comminuti ad interiora compul-
D sio. Incisio alrerum percussionis genus sub se comprehendit tres differentias. Prima est ἕδρα quando teli vestigium in osse expressum manet; Secunda διακοπὴ definitur à Paulo cum ictum os eleuatum manet: ἀποσκεπαρνισμὸς cum os à reliquo osse omnino decussum est & separatum. Omnes huiusmodi fracturæ fiunt à causis externis vel internis, exrernæ tres constituuntur, ictus, casus, & occursus. Internæ sunt quæ intus excitantur, ab his frangi caluatiam demonstrauit Hippocrates lib. 2. de morbis contra mentem omnium Chirurgorum. Fracturæ cranij cognoscuntur sensu, scilicet auditus, visus & tactus, vel causis antecedentibus, aut consequentibus, symptomatis. Dicam cum Hippocrate ratione & opere omnes fracturas explotari. Ratio dependet ex discursu, qui duobus instrumentis perficitur, analogismo, & epilogismo. Epilogismus dicitur, cum ex causis euidentibus fracturam occultam colli-
E gimus, Epilogismus verò ex consequentibus symptomatis fracturam declarat, quæ sunt quatuor apud Hippocratem, carus, δετος, scotodinos, & repentinus ægri lapsus. Celsus plura memorat, omnia tamen ex Hippocrate desumpta: protinus requirendum est num bilem æger vomuerit, num oculi eius obcæcati sint, num obmutuerit, num per nares auresue sanguis affluxerit, num conciderit, num sine sensu quasi dormiens iacuerit. At si nullum horum symptomatum appareat; Potest dubitari num alicubi fractum fuerit cranium, quare nihil melius est quàm certiore nota id explorare, nimirum specillo & atramento, ergo quà plaga erit, demitti specillum oportet, vt ossis naturam explores, Nam si quid asperi offendas, extra suturas fractæ caluariæ magna erit coniectura: si verò nihil respondeat specillo, atramentum scriptorium infunde, vt pars affecta eum humorem ebibat qui si penetrarit, vt ex ratione cognoscetur, fracturam suspicari licet. Reliqua signa ab authoribus Chirurgię

proposita incerta sunt, & fallacia. Nimirum caluariæ percussæ raucus resonitus, radicis asphodeli, vel nucis masticatio. Præterea causæ antecedentes diligenter considerari debent. Imprimis pars affecta, quæ vulnus accepit, an sit robusta vel debilis; Nam debilis facilius patitur, difficilius robusta, teli quoque magnitudo, figura & pondus, consideranda sunt. Quia quò mitior ictus fuerit, eò facilius os restitisse credibile est. Hippocrates capillorum præcisionem obseruat, qui si à telo dissecti, & in vulnus compulsi fuerint, fracturam adesse testantur. Interim notabis ἀπήχημα quod immedicabile iudicauit Hippocrates, propter loci fracti ignorationem, duobus signis inuestigari; partis oppositæ mollitie, & tumore, authore Celso. Concussio cerebri dignoscetur partis oppositæ dolore, & si eo loco cute incisa pallidum os reperiatur. Cæterum diuidi potest vulnus capitis ex varietate partium continentium, & contentarum. Est cum ad partes vsque contentas, duram vel piam matrem, necnon ad cerebrum vsque vulnus peruadit. Rursum vel cranium contusione depressum meningas & cerebrum premit, vel eadem pungit aliquo fragmento. Ex quibus omnibus differentijs non tantum curatio, sed etiam euentus prædictio dependet. Quò vulnus profundius eo periculosius. Proinde cum ad contenta vsque pertingit, vita in discrimine posita est. Enimuerò si vulnus supra suturam sit, lethale; quia hâc à meningibus pericranium otitur, à membranis ipsis cerebri vulneratis quid spei esse potest? Vulnera suturarum, temporum, frontis, occipitis, omnia sunt plena periculi. Ab excreto etiam sumitur fausti vel sinistri euentus præuisio; Vt enim pus laudabile erigit Chirurgum in bonam spem; ita quò longius à notis laudabilis puris recedit, vt pote si liquidum, nigrum, putidum fuerit, eo deterius, vulnus, aut eius labra exsiccari exitiale. Si conuulsio, delirium, paralysis, continua febris, apoplexia superueniant, in omni quidem, sed potissimùm in capitis vulnere sunt funesta. Si meningum liuor melle rosato elui non possit, inde mors prædicenda, quia earum arguitur putrefactio. At rubram carnem apparere in consolidatione cranij semper bonum est. Non est omittendum vulnera quæ accepta sunt luna plena semper esse periculosiora, quia tum cerebrum est plenius & proinde cranio vicinius.

Curationis primum caput vt inflammationem & pessima quæ diximus accidentia prohibeas, quod multis modis efficies. Primò victus ratione, initio tenui, cum abstinentia vini, nisi valdè proiectæ vires aliter suadeant: quia caput replet multis vaporibus. At exacto die 14. cum videtur æger extra periculum, ad regenerationem carnis, illud cum pleniore victu concedi potest. A pastu vtatur Cydoniato, vt prohibeatur ascensus vaporum, Phlebotomia quoque, necnon admotis ad scapulas cucurbitulis, etiam cum scarificatu, phlegmone prohibetur. Nec tantum clysteribus reuellendi sunt fumi, sed etiam vehementi catartico: Ita enim in vulneribus capitis suasit Hipp. vt pillulis cochijs, aureis, vel senna & agarico, quæ in decocto cephalico bullierint. In morbis capitis abstinendum est cassia, quia vaporosa. Caput autem defendendum ab iniuria externi frigoris, præsertim hyeme, vt pileolo ex pelle vulpis suffulto. Interim dum vulnus percuratur, sartago candens supra teneatur, topica verò quæ ad eundem finem initio applicantur, leuiter repellant, vt albumen cum rosaceo agitatum, addito pauco bolo. Reliqua curatio in duobus capitibus consistit, Chirurgia præsertim vt trepano, & exsiccatione. Quando vulnus cutem tantum & carnem offendit, aliorum modo debet percurari, heterogenes primùm si quod subest tolli, Si vulnus magnum sui digestiuo communi sanies præparari, deinde purgari, incarnari, cicatrice obduci. Pericranio contuso; procurandum mox vt putrescat, metu grauiorum symptomatum. Atque si os læsum suspiceris, facta incisione detegendum est. Quod si malum fuerit superficiarium abradatur. Si os inæquale & asperum, læuigetur, quo perfecto aliorum modo curetur. Nisi quod os requirit cephalica, & magis desiccantia, vt pulnerem Ireos, centaurij minoris, panacis, aristolochiæ, quæ quidem omnium ossium squammas creditur educere, sed potissimum caluariæ. Trepani autem mulræ sunt causæ, quas hoc loco placet breuiter commemorare; primùm enim imperatur à Medico vt sanguis liquidus, vel in grumum concretus, vel iam in saniem conuersus, sub caluariam effusus educatur. Effunditur autem vel ruptis vasis, quæ per diploem disperguntur, aut iis quibus crassa membrana alligatur cranio.

A Secunda ratio quæ impellit nos ad trepanum, ea est vt fragmentum ossis, vel aliud quoduis, si fortè membranam offendat, quàm cito fieri poterit euellatur metu grauissimorum symptomatum, quæ inde manifestè impendent.

Tertio vt remediis pateat introitus; Faciamus depressum cranium atque ima sui parte meninges premere, aut fissura capillari diuulsum, nullumque medicamentis patere aditum ad partes interiores, facienda est via trepano. Accedat quod phlegmonem prohibet, quando non possis eam ligatura expressius arcere, his alia accedit vtilitas, dum spiculum, aut globulus ossi tam firmiter adhærent, vt sine dolore & metu inflammationis euelli nequeant; In circuitu trepano diuiditur, simulque cum osse res dura attrahitur. Memineris autem os ruptum, aut depressum qui cedit, neque potest resistere, non admittere trepanum. Memineris etiam numquam esse super suturam applicandum, neque supra fissuram: sed interiecto digiti vnius spatio.

B Verum si fortè sutura fuerit vulnerata, vtrinque esse admouendum, quia interiecta membrana impedit, ne vnius lateris sanies per aliud expurgetur. Cauebis ne vnquam illud admoueas superciliis, quia illic est cauitas plena spiritu animali. Quando fissura est longa, satis est os in ima parte fissuræ trepano aperire, loco decliui, vt sanies liberius fluat, si modo ferre possit trepanum. Quoties subest inflammatio, aut abscessus, abstinebis trepano. Operatio sit breuis & indolens, carnis hic modus esto. Radatur coma, cutis cum pericranio cruciatim vel per decussem incidatur, (pericranium enim non est attingendum trepano) incisionibus linamenta supponantur, vino madida, in ambitu stupæ aquato oui & rosaceo madidæ, etiam addendo puluerem rubrum, bolum vel sanguinem draconis. Si forte inter operandum ferrum incaluerit motu & attritu ossis, mergatur in frigidam: Perfecto opere si

C squamma subsit quæ pungat membranam diriuetur; grumus aut sanies suauiter eluatur, deinde sindo aut linteolum molle melle rosato imbutum, inter cranium & meningem suauiter imponatur, ne illa ab osse, dum mouetur cerebrum offendatur. Os detectum impleatur digestiuo vt vitello oui cum rosaceo & pauco croco, quod stupis eodem insiccatis coronatur, exactis tribus diebus vteris mundificatiuo ex melle vel syrupo rosato: Mel anthosatum, & syrupus de absynthio hic magis conuenient. De Vigo describit basilicum capitale, quo solo capitis vulnera percurat, cuius descriptio est huiusmodi ℞. olei rosati ℥. vj. olei mastichini ℥. ij. Pinguedinis vituli & porci ana ℥. iiij. foliorum plantaginis matrisyluæ & betonicæ, pimpinellæ, pilosellæ, florum anthos ana m. ß. omnia contrita bulliant, addendo cyathum vnum vini vsque ad consumptionem vini; deinde collaturæ ad-

D des quæ sequuntur. Mastices, gummi elemi, resinæ pini, ana ℥. j. lithargiri auri & argenti ana ℥. ij. minij ʒ. x. Iterum bulliant, tum addes terebinthinæ ℥. iiij. & ceræ quantum satis, vt fiat ceratum molle. Auicennas exactis primis diebus vtitur puluere cephalico; Recentiores tamen Chirurgi non prius illo vtuntur, quàm æger sit tritus & liber à periculo inflammationis, hoc est cum vulnus incœperit suppurare. Gordonius describit ad fracturas cranij etiam nudata meninge emplastrum, quo solo promittit perfectam curationem, illudque haberi iubet pro singulari secreto. ℞. picis liquidæ, ceræ & terebinthinæ ana ℔. ß. liquentur simul & macerentur in aceto diuque malaxentur, secundò liquefiant & proiiciantur in lac vaccæ, denuóque malaxentur: tertiò liquefiant & proiiciantur in succum betonicæ & cum eo misceantur: quartò liquefiant & proiiciantur in succum centaurij maioris, fortiterque malaxentur. Accipiatur illius portio congrua & supra

E meningem atque etiam supra fractum cranium applicetur. Malim vti communibus & ordinariis quæ cum ratione omnia vsurpantur. Cæterum fractæ Caluariæ coniecturam inde sumimus, si ex vulnere æger ceciderit, si commotionem cerebri & vertiginem sentiat, si vomat, si fintillent oculi, quod si præterea facies fuerit flammea, & sanguis vndique per nares, os, aures erumpat, membranas esse fractas, & ad cerebrum vsque vulnus peruenisse certum est, neque tamen tum deserendum esse ægrum de Vigo demonstrat, historia cuiusdam cum his symptomatis à se percurati.

VVLNVS FACIEI, OCVLORVM, colli.

CAP. VIII.

A

ACIES primùm abluatur vino decoctionis rosarum, mox si vulnus fuerit magnum suatur, nullo recto orificio. Vt venustior sit cicatrix, superponatur albumen agitatum cum rosaceo. Tertio die de Vigo desuit volunt, & labra continet hoc emplastico. ♃ mastices sanguinis draconis an. ℥ I. ß. B thuris ʒ i. tragacanthi pisti ℥iii. boli armeni ʒ iij. ß. farinæ volatilis, & farinæ Fabarum an. ʒi. ß. album. oui, aquæ rosarum ℥ ß. fiat pasta qua tegatur linteum ad vsum dictum. Reliqua curatio digestiuo, mundificatiuo, sarcotico, epulotico communi peragatur.

Ad vulnus oculi instilletur sanguis columbæ, turturis aut hirundinis, qui Celso magis probatur; superponatur mox collyrium ex albumine & aqua rosarum, addendo aliquid trochiscorum albi rhasis sine opio. Vtere deinde ad incarnandum collyrio de thure, nisi malis superiori collyrio addere thus vel aloën: postea ad sigillandum vulnus vsurpabis collyrium de plumbo; dolorem interim, si quis vrgeat, demulcebis instillato lacte muliebri. Sunt qui magni faciunt vnguentum ex germinibus ouorum, teruntur in mortario donec acquirant consistentiam vnguenti. C

Vulnus colli est plenum periculi propter magnitudinem vasorum; suatur, sed relicto orificio in quod penicilli indantur, cum digestiuo communi. si medulla spinæ condoleat liniatur oleo vel vnguento neruali metu conuulsionis. eiusdem enim est naturæ cum cerebro, proinde ex illa læsa non nimis impendet periculum, egetque cephalicis & neruallibus qualia dicta sunt cum de vulneribus neruorum ageretur.

Vulnus humeri est lethale propter neruos subiectos, quemadmodum & quod in articulis acceptum est: verumtamen quod secundum longitudinem membri inflictum est non est adeo formidandum, ligatura incarnante labra vniuntur, deinde consueto & ordinario modo proceditur immiscendo nerualia.

Vulnus cubiti est plenum periculi, periculosius autem intrà quàm extrà, propter venarum & neruorum magnitudinem. Potissimum laborabis vt dolor sedetur, quod fiet cataplasmate ex medulla panis macerata in iusculo pulli, addendo oleum rosatum & chamomillæ: coquuntur simul, & vitellus oui cum pauco croco ad extremum adijcitur. Reliqua curatio communis esto. D

VVLNVS THORACIS.

CAP. IX.

XORDIRE curationem à prognostico. Vulnus pectoris quamuis non penetret, tamen postica parte est lethale: propter venarum, arteriarum & neruorum multitudinem, qui à spinæ medulla exorti quoquouersum feruntur ad motum. Quid si penetret? (hoc autem intelligetur vel candela apposita vulneri vel flocco, nam si æger os & nares occludens exsufflet, extinguet candelam, aut floccum veluti vento agitabit.) Considerandα tum erit diligenter pars affecta, siquidem corde vulnerato mors est in propinquo, quod situs partis & crassi nigrique sanguinis effusio demonstrabit. E

A pulmone vulnerato pthisis mors lenta expectanda est, hoc autem sanguis tenuis, spumans, floridus indicabit, nisi fortè per capacitatem thoracis effusus retineatur. Tum verò magna difficultas spirandi, tussis vrget, assiduè sentitur dolor in

latere

A latere iuxta spurias costas quo loco est diaphragma; quia grauatur copia sanguinis descendentis. Quando putret (putret autem citissimè) putidus est anhelitus; penicilli tabo maculantur. Veteres septum transuersum φρένας mentem appellabant, quia eo vulnerato præsertim media vtpote neruosa parte succedit delirium, quod nullis remedijs mitescit.

Hali monet quamuis vulnus thoracis magna cura & diligentia percuretur, iminere nihilominus periculum fistulæ, quam scribit eo loco esse insanabilem, hocque imprimis monet prædicendum. De Vigo tamen affirmat se aliquas persanasse remedijs quæ eo loco diffuse commemorat.

Pro remedijs hic imprimis discutiendum, quod in cõtrarias partes Medicos primæ notæ distraxit. An vulnus thoracis sit mox occludendum, necne. Nam plurimi hoc conantur persuadere, ne subitus aer frigiditate sua & humiditate partibus B internis noceat. Verum, vt alij obijciunt, a retento sanguine longè maius periculum impendet: itaque ne postea cogamur vulnus clausum aperire, nunquam (inquiunt) magnum vulnus debet claudi, nisi ex prædictorum symptomatum absentia, vt tussis & dyspnœa nihil, aut minimum sanguinis in capacitatem excidisse conijciamus, quod aut calor possit coquere & resoluere, aut per os vulneris paulatim possit vacuari. Age ergo faciamus magnam copiam sanguinis effluxisse eamque in cauo permansisse; primum dabimus operam vt vacuetur. Hoc vt fiat iubebis ægrũ decumbere in latus vulneratum prono corpore & capite inclinato: hoc cum feceris mox si magnum sit vulnus suatur, relicto in parte inferiore paruo orificio. Qui primo die indentur penicilli latam habeant basim, & appendantur filo vt facile re-
C trahi possint, si forte in cauitatem exciderint. Intingantur verò albumine aut vino, thorax vndique liniatur oleo rosaceo; nam vehementiora repellentia hic non conueniunt, ne retrudant fluxionem intra. Imperetur abstinentia vini nisi vires langueant ob hæmorrhagiam immodicam, aut animæ deliquia, bibat aquam hordei, vel hydrosacchar ex aqua & saccharo rosato vel candi confectum. Vtatur hordeatis, syrupis, apozematis, tabellis bechicis, præsertim diatraganthi frigidi. Vel paretur ptisana magistralis. Injiciatur hydromel ad detersionem potius quàm œnomel metu inflammationis; adde quod dum fit pus calor & febris ingrauescunt. Memineris vt aeri intercludatur aditus, multis linteis vulnus contegere, & semper vulneri quoties curatur patellam candẽtem opponere. Foris verò applicetur cataplasma sequens. ℞ Mellis rosati colati ℔. I. Myrrhæ, thuris, sarcocollæ ana ℥ ß. terebintinæ ℥ iij. adde farinæ hordei & fœnugræci quantum sit satis ad inspissandum, fiat
D cataplasma. Quando tres dies sine prauis symptomatis pertransierint, tum benè sperandum est. Auicennas iubet quando multa est sanies, vt exugatur vel per Syringam attrahatur. Quando autem vlcus iam satis mundum & detersum videbitur, quod intelliges si absint praua accidentia, vt febris & dolor; si iniectum purum exeat, veluti aqua clara: tum ex rosis, balaustijs, plantagine, malicorio fiat decoctio, In cuius colatura dissolue vinum granatorum, aut mel rosatum, vt astrictione obducatur vlcus consolideturque. Ad eundem finem vtatur opiata ex conseruis rosarum & symphyti, addendo aliquid boli vel terræ sigillatæ, quæ quidem astringentia & sumpta & iniecta fortassis initio nocerent, quia saniem retinerent, cuius vacuatio omni arte procurari debet. Potio vulneraria non tantum sumenda, sed injicienda quibusdam videtur ad consolidationem. Damnatur tamen à quibusdam, quia ni-
E nium calefacit, hoc si metuas paretur absque vino, Decoctum ligni sancti ad desiccationem sunt qui magni faciunt in declinatione, incoctis thoracicis, vt scabiosa, pimpinella, tussilagine, hordeo, charyophilata, tormentilla.

VVLNERA ABDOMINIS. A

CAP. X.

QVÆ pars contenta abdomine sit vulnerata, conijcimus primùm ex situ partis, deinde ex actione læsa, postremo ab excreto. Esto vulnus circa pubem per quod lotium exeat, aut vrina cruenta. Credibile est vulneratam esse vesicam. Suprà vmbilicum ad latera sunt iecur & lien, in medio ventriculus. A liene exit sanguis niger, ab hepate ruber, à ventriculo non tantùm chylus sed etiam potus & pulenta. Renes è regione ven-
triculi, quibus vulneratis, qui exit sanguis est serosus, quasi vrina cruenta. Infra vm- B
bilicum sedem habent intestina crassa, quemadmodum supra tenuia. A crassis emanat stercus; vulneratis tenuibus chylus effluit maiorque dolor est. Ecce diagnosis. Prænunciabis autem periculum considerando partis naturam. Nam cum iecur sit pars princeps lethaliter vulneratur, lien non ita, nec renes; nec vulnera crassiorum intestinorum sunt adeo periculosa ac tenuium. Imprimis verò ieiuni vulnus lethale, vesica quoque vulnerata moriendum est. In medio prope vmbilicum vulnus etiamsi non penetret est lethale, quia ibi fit concursus musculorum; ad latera non adeo funestum; quod si penetret in medio eo funestius est, quod intestina facilius exeunt, parte postica vt iam dixi vulnus est lethale, propter neruorum multitudinem.

Hic contenti simus clysteribus, purgationes enim nocent. Clysteris sit hæc for- C
mula. ℞ iusculum gallinæ multo hordeo infarctæ, rosis quoque & floribus chamemeli; in quo dissolue vitellos duos ouorum, mellis vel saccharri rosati ℥ I. potest etiam iniici potio vulneraria, atque etiam per os assumi. Non est permittenda missio sanguinis ad reuulsionem. Quando vulnus non penetrat si magnum fuerit suatur, relicto tamen orificio in quod indatur digestiuum commune, aut balsamus infundatur. Cetera vt in alijs futuris peragenda. Stomacho poterit applicari ceratum stomachicum; quemadmodum & hepati santalinum, saltem emplastra, vnguenta, cataplasmata constent ijs quæ proprietate ventriculum & iecur roborant. Faciamus ab hepate vulnerato frustulum aliquod foras prodire, abluetur primum decocto astringente, quo roboretur & hæmorrhagia simul sistatur, mox reponetur, suetur
vulnus & naturæ tota cura committenda erit, assumendo & admouendo hepatica D
ad robur. Quamuis enim funestum sit tale vulnus, tamen aliquando natura excrementa ad inguen transmittit, ibique facit abscessum veluti criticum. Quid si intestinum quoque promineat? Si vulneratum sit aliquod ex crassis, vulnus imprimis suatur filo sericeo, futura peletariorum, tenue verò sui non debet, quamquam hoc de Vigo suadeat re quasi deplorata: postquam sueris abluatur vino in quo rosæ, absinthium, & flores chamemeli bullierint, moxque reddantur suo loco. Si verò flatibus adeo tumeant, vt reponi non possint abluatur potius vino in quo carminantia bullierint. Quod si nihilominus suo loco restitui non possit dilatandum erit vulnus. Aliquando excidit portio omenti aut totũ. Quod prominet filo ligandum, & ferro exscindendũ infra ligaturam; deinde suo loco restituendum, ita tamen vt filum ex-
tra pendeat, vt postea cadat cum portiuncula deligata, postquam epiploon & intesti- E
num intrò fuerint reducta, vulneris labra vnienda sunt & consuenda, postea vulnus more aliorum percurabitur.

A

DE FRACTVRIS

Sectio Sexta.

QVID FRACTVRA EIVS-
B
que differentiæ.

CAP. I.

Ractvra definitur à Galeno continui solutio in osse fracto. Addit Guido non à re qualibet inducta, sed ab ea tantum quæ incidit vel contundit; Vt prima sit fracturarum ossium differentia quandam esse incisam, alteram contusam. nam omnis fractura vel ab incidente aut con-tundente corpore infligitur; Itaque licet summa duo fra-
C
cturarum genera constituere: Incisionem & Contusionem. Incisionis species triplex est, Sedes, Præcisio, ἀποσκεπαρνισμός. Contusionis species sunt duæ Rima, & Depressio. In capite plures reperinntur quæ sectione de vulneribus capitis fuerunt expositæ. Ad incisionem & contusionem reuoco, quinque illas Fracturarum species à posterioribus Græcis introductas, quarum prima nominatur ῥαφανηδὸν, siue καυληδὸν quando instar raphani, siue caulis per transuersum os frangitur. Secunda σχιδακηδὸν dicitur, cum os per longitudinem assulatim finditur. Tertia καλαμηδὸν, siue εἰς ὄνυχα, cũ os in suo extremo iuxta aliud vnguis specie finditur: ἄπαγμα nominatur à Gal. quod ab Hipp. ἀπόκλασμα, cum os frangitur qua parte cum altero iungitur. Quarta ἀλφιτηδὸν nominatur, cum os instar farinæ in partes minutissimas frangi-
D
tur. Quinta fracturæ species est, ἀπόθραυσις cum ense acuto ossis superficies resecatur, & instar squammæ resoluitur. Eas omnes differentias Galenus exemplo Hippocratis inutiles iudicauit, & à recentioribus Medicis nimis ambitiosè conquisitas fuisse. Idcirco duas tantum fracturarum differentias constituit, longam scilicet & transuersam, tertiam adiunxit Celsus obliquam. Omnes autem fracturæ sunt simplices, vel compositæ: simplex fractura dicitur cum sola ossis continuitas soluitur, composita vocatur quando in duobus ossibus inuicem connexis accidit, vel cum os præter solutionem continui substantiæ iacturam patitur.

DE CAVSIS, SIGNIS DIAGNOSTIcis, & prognosticis fracturarum.

E

CAP. II.

Ractvrarvm causæ variæ sunt & multiplices, quas Galenus ad quatuor capita reduxit. Vel enim corpus durum & graue contundens fracturam inducit, aut corpus acutum incidens, aut casus ex alto, aut luctatio contorquens. Rarò Fracturam excitat corpus erodens vt ignis actualis, vel pungens vt gladij vel ensis cuspis. Ad dignoscendas fracturas iubet Hippocrates partem sanam cum ægra conferre, vt discrimen si quod sit facilius intelligatur. nam si partis affectæ figura fuerit inæqualis, vt pore in loco percusso caua, & in opposito tumida, fracturam suspicari licet.

quam certius cognosces si vnà cum vulnere accesserit; Nam si amplum fuerit vul- A
nus visu fractura deprehendetur, si angustum intromisso specillo explorabitur.
quod si asperum & inæquale os offendatur magna erit Fracturæ coniectura. Ar si
simplex sine vulnere Fractura fuerir; Alia signa tibi fracturam indicabunt impo-
tentia partis, & strepitus ossium quem obaudies, ex mutua ossium collisione dum
manibus contrectantur. Præterea te mulrum iuuabit ad dignoscendam fractu-
ram causæ antecedentis perquisitio. Nam si fortis & valida fuerit ad frangendum
certior eris de fractura, modo alia signa iam commemorara vnà concurrant. Fra-
cturarum differentias sic internosces, In transuersa fractura membrum breuius
est, vnum os alteri supereminet ob musculorum contactionem; In ea quæ fit as-
sulatim secundum longitudinem membrum iustò crassius euadir, dolor atque
membri inæqualitas percipitur quocunque pertingit fractura. Præsagium autem B
in fracturis petitur vel ex parte ægri, aut ex parte fracturæ. In ægro ætatem & tem-
peramentum considerabis. Facilius fractura in puero quam iuuene, & in hoe
quàm sene curatur. quia quo longius a pueritia receditur eo magis humidum pri-
migenium ehxauritur. ideoque pueris ossa fracta prima naturæ intenrione consoli-
dantur, alijs secunda intentione, id est interuentu alienæ materiæ quæ non est e-
iusdem naturæ cum osse fracto. Difficilior est agglutinatio in biliosis quam insan-
guineis, quia sanguinis crassitie sua citius bile coagulatur. At in fractuta spectabis
eius subiectum, situm, magnitudinem, & figuram. ossa non periculosè media
franguntur in humeris brachijs, femoribus, cruribus & digitis: quò ve-
rò proprior fractura capiti vel superiori vel inferiori ipsius ossis est, nempè
in artuum vicinia, eò peior iudicatur. quia maiores dolores excitat, & difficilius C
curatur. Incerta quoque salus existit, cum ossa fracta in interiorem partem ver-
gunt, quia locus est profundissimus ad quem manus Chirurgi peruenire nequit.
Quin etiam magna fractura periculosior est parua. Magnam æstimabis ex magni-
tudine solutæ continuitatis, & multitudine symptomatum epigenomenôn, vt fe-
bris, neruorum conuulsionis, & partium vicinarum inflammationis. Simplex au-
tem fractura securior est, quam multiplex, absque vulnere, quàm cum vulnere.
nam si fracturæ vulnus carnis accesserit periculum grauius impendet, præsertim
si musculi humeri ac femoris vulnerati fuerint. Adde quod in eiusmodi fracturis
neque ferulis neque canalibus vti commodè licet, nec primis etiam fascijs quas
ὑποδεσμίδας Hippocrates appellauit. Quod attinet ad speciem & figuram fracturæ
maxime tolerabilis est transuersa, peior vbi fragmenta multa sunt, atque vbi obli-
qua: pessima vbi eadem acuta sunt. D

GENERALIS CVRATIO fracturarum.

CAP. III.

PRIMVS & communis omnium curandarum fracturarum scopus est
vnio, quam ex ope Chirurgiæ porius quam naturæ beneficio sperare
oportet. Frustrà enim admouebis medicamenta, nisi prius fracturam
reduxeris. Chirurgia autem quæ fractis ossibus manus auxiliares ad- E
fert Synthetismos vocatur; quæ tribus constar operationibus Anti-
tasi, Diorthrosi, & Epidesi. Anritasis locum habet tantum in fracruris rransuersis
cum vnum os super aliud effertur, conuulsis nimirum & ad sua principia contra-
ctis musculis, qui prohibent ossa in suum locum venire, nisi per vim intendantur.
Intendere autem digitum, vel aliud quodqne membrum si adhuc tenerum est, e-
tiam vnus homo potest, cum alteram partem dextra, alteram sinistra apprehendit.
Valentius membrum duobus eger, qui in diuersa conrendant; si firmiores nerui
snnt, vt in viris robustis maximeque eorum femoribus & cruribus euenit, habe-
nis quoque vel linreis fascijs vtrimque capita articulorum deliganda sunt, Antita-
sis illa fieri debet primis diebus, antequam inflammatio superueniat. Vetat Hippo-
crates eam aggredi tertio & quarto die; itaque orta inflammatione in septimum
vel

A vel nonum diem differenda extensio, donec sedata fuerit inflammatio. Vbi paulò longius quàm naturaliter esse debet membrum vis fecit, tum ossa manibus in suam sedem compellenda sunt & conformanda, quæ operatio Diorthrosis directio siue coaptatio nominatur. Repositi ossis indicium est dolor sublatus, & membrum alteri æquatum. Commissa & coniuncta ossa conuenienti deligatione in sua sede conseruari debent, vt conferuere siue callo glutinari queant. Hippocrates tribus fascijs vtitur, quarum duas primas circumducit eo modo quem Celsus descripsit. Secundæ fasciæ Hippocrates splenia linea cerato liquido madefacta imponit, quibus tertiam fasciam vtrimque glomeratam mediam inijcit, cuius extrema sursum & deorsum feruntur. Deligatio vero à Celso proposita longe differt ab Hippocratis fasciatione; Nam Hippocrates tribus vtitur fascijs, Celsus sex
B vsurpat. Hippocrates secundæ fasciæ spleninm cerato refrigerante imbutum admouet, vt imminentem inflammationem prohibeat. Celsus duabus fascijs inijcit latius linteum cerato inunctum, quod fascias contineat. Nec partem fouet & irrigat cerato refrigerante, nisi septimo vel nono die. Vterque fascias siccas vsurpat; Nostri verò Chirurgi si subsit inflammatio ex oxicrato madefaciunt, vel in vino si nulla compareat. Tangantius Celsi deligationem improbauit tribus fascijs contentus more Hippocratis, quem sequutus est Galenus libr. 6. meth. Plures fascias superfluas esse & inutiles asserit, atque in membro fracto præter solitum cooperto pruritum & dolorem excitare: quæ duo symptomata à fractis membris diligenter arcenda sunt. Adde quod influxit in fracturam perspiratione discuti & dissipari non posse. Verum recentiores quidam Chirurgi deligatio-
C nem Celsi admittunt in magnis fracturis, vbi dolor immanis excruciat. Sic enim melius & celerius os fractum ferruminari, nec enim Celsus eum fasciarum numerum ad extremum vsque tempus curationis adhibet, sed singulas fascias subtrahit quoties deligaturam resoluit. Exacto septimo vel nono die Celsus exemplo Hippocratis ferulas apponit, quas nostri Chirurgi primis diebus admouent nulla premente inflammatione: laqueis siue vinculis in suo situ continentur. Iubet Hippocrates tertio die ligaturam soluere, at si nulla prurigo, nullus dolor adsit, sic manere potest vsque ad septimum diem, vel vt Celsus voluit donec duæ partes eius temporis quo quodque os conferuet compleantur. Quoties autem soluitur membrum toties aqua calida fouendum erit, donec tumere & rubere incipiat. Vbi callus increscere incipit quod accidit vigesimo vel trigesimo die, pro ossium magnitudine vel paruitate, tunc immediate fracto membro im-
D ponetur emplastrum ad fracturas ossium.

DE FRACTVRA NARIVM.

CAP. IIII.

NASVS ex ossibus & cartilaginibus constatur; Cuius ossa propriè franguntur, cartilagines contunduntur, deprimuntur, & distorquentur. Signa proponit Celsus quibus eiusmodi vitia dignoscantur, quæ cum oculis pateant inutilia sunt. Commodissimè ait Hipp. restituitur nasus fractus eodem die, vel certe paulò post, nec differenda curatio, quia in naribus callus cito generatur intra decem dies, nisi corrumpatur.

E Itaque quamprimum ossa nasi dirigenda sunt, & restituenda digitis vel specillo introducto, vbi probè conformatus fuerit nasus vt naturalem suam figuram conseruet, longa linamenta contorta intus adigenda sunt quæ narium cauitatem impleant, aut grandis penna, vel cannula perforata gummi, vel glutine quodam illita introducatur. In singulas nares linamentum vnum inijcere oportet, etiam si altera nasi pars tantum fracta vel distorta fuerit, tamdiu remanebit donec os solidatum apparuerit.

Hippocrates non linamenta, sed digitos ægri vel alterius assidentis in nares immittit, quos ibi contineat ad perfectam consolidationem. sed deligationem improbauit quam Celsus proponit quia magis nocet quam confert, cum simita-

tem, & ampliorem distortionem adferat. Conuenit tantum vbi nasus circa medium protuberat, tum conuenienti & forti ligatura deprimitur & coercetur. A

De necessitate ligaturæ disputat Guido in sua chirurgia. Nos vtimur fascia laxa non stricta, quæ ne deprimat nasum, adiectis ex aduerso narium splenis sumitatem nasi æquamus. Si vero ossa nasi adeo sint comminuta, vt reduci omnia in suum locum nequeant, quæ protuberant incisione facta volsella extrahuntur, vt post Celsum declarauit Ægineta.

DE FRACTVRA AVRIS.

CAP. V.

FRACTVRAM auris exemplo Hippocratis Celsus proposuit, quam omnes Chirurgi excepto Vesalio dari non posse contendunt. Scribit enim Ægineta aures tantum contundi non frangi. Auris autem frangitur cute diuisa, vel integra. Si cutis resecta fuerit, mature consuenda est, intacta cartilagine, quæ puncta statim inflammatur, gangrænam concipit ac vitiatur. Si vero cutis integra sit, antequam pus oriatur, imponendum medicamentum glutinans, emplasticum adstringens, qualis erit farina volatilis vel cataplasma ex fabre in aceto madefacto, quod tempore Galeni Palestritis erat familiare. B

Quamuis autem suppuratum emanarit, in eodem tamen re medio perseuerabis quod interdum pus absorbet & exsiccat. Si medicamentis discuti nequeat ad sectionem veniendum erit: quæ vel candente ferro perficietur consilio Hipp. quia vlcus citius sanescit, alioqui nouacula aperietur, quæ profunde adigi debet, quia pus altius delitescit quam extrinsecus appareat authore Hippocrate. Cartilago vero lunata plaga non est excidenda, ne tandem obesa & tumefacta reddatur monente Galeno. C

Post apertionem abcessus cruenta vnguenta veteres adhibebat quæ fluxum sanguinis sisterent. Nos solemus vti vel vng. aureo vel apostolor. deinde cum empl. diapal. vlcus consolidamus. Celsus autem subtus & supra gossipio siue lana inuoluit, & fascia leni & laxa aurem comprehendit. Hipp. etiam deligaturam vetat in auris fractura: Quod libet (ait) vinculum inimicum est, quia laxum inutile, at strictum nocet. Interea in aurem affectam non decumbet æger, & quandiu inflammatio perseuerabit, tenui victu vtetur, vtile quoq; erit (ait Hipp.) aluum mollire & purgare per vomitum. D

DE MAXILLA INFERIORE.

CAP. VI.

MAXILLA transuersim frangitur, vel in plurima fragmenta, ossibus semper inter se aliqua ex parte cohærentibus, numquam penitus disiunctis & dissolutis vt in aliis ossibus. Si igitur fractura fuerit κυρτόν, siue ἐκκυρτωσις, cauitas extrinsecus apparebit, Restituetur autem digitis in os inditis, & altera manu ossa contrectando. Nam interius tuberculum foras propelles, & altera manu ossa inæqualia complanabis. Si vero fractura fuerit transuersa, quæ rara est authore Hipp. ex eo dignoscetur, quod dens supra proximum dentem excedat, tunc antitasi disiuncta ossa restitues, deinde dentes qui sunt ad fracturam non tantum binos verum etiam plures inter se colligabis, donec ossa ferruminata fuerint. Hippocr. filo aureo vtitur, cuius defectu vel filum sericeum, setae equinæ vsurpari poterit. Si vero fragmenta quædam maxillæ reponi nequeant, volsellis extrahuntur, facto prius vulnere, Cuius postea labia consuuntur. Si vero maxilla in mento fracta fuerit, qua E

scilicet

A ſcilicet parte ambo colligantur oſſa, ambabus manibus ioter ſe coaptari & dirigi debent. Vbi fracta oſſa fuerint repoſita, quod ex æqualitate dentium cognoſcitur, coouenieoti deligatura in ſuo ſtatu conſeruari debent. Celſus ſimplicem faſciationem propooit, Hippocrat. compoſitam, quæ duabus habenis coriaceis perficitur; quarum prima loogitudiois eſt trium digitorum, ſecunda paulò latior.

Prima habena à fractura iocipit inuncta prius gummi amooiaco vt firmius hæreat, & ab inferiori parte per meotum ad occiput conuoluitur. Secunda huic oppoſita a ſuperiori parte incipit, & per occiput deducta ad mentum contorquetur, & in occipite terminatur iuxta alterius extremum. Vtraſque deinde habenas faſcia per frontem, & occiput reuoluta continet. At Paulus Ægin. B aliam faſciationem proponit, & eam quidem ſimplicem, ſed quæ multis reuolutiooibus perficiatur, ab aure nempe ad meotum procedit, deinde verſus occiput progreditur, hinc per genas ad ſinciput, & rurſus ſub mento contorquetur, vt in occipite terminetur.

DE CLAVICVLA.

CAP. VII.

C CLAVICVLA acromio & ſterno articulata mouetur, qua parte iungitur ſterno manifeſtiùs agitatur, obſcuriùs & ferè inſenſibiliter cum acromio, quia ſcapulæ motionem ſequitur. Idcirco fractæ claiculæ pars illa acromio iuncta ſemper ſitum mutat in anteriorem vel poſteriorem, ſuperiorem vel inferiorem locum conuerſa, altera parte clauicula ſemper immota.

Frangitur autem clauicula tranſuerſim, vel in longitudinem tranſuerſa facilè reducitur, altera difficilius propter oſſium extaotes emineotias. Io omnibus fracturis reſtituendis antitaſi opus eſt, ſi os ſuper alterum exceſſerit: & ſi os deorſum deſcenderit, in extenſione attolli debet; Maxillæ ſuppoſito ligoeo globulo, vel rotuodo puluinari. Si in poſteriorem partem clauicula delabatur, plana manū in anteriorem partem compellit Celſus, Hippocrat. homioem reſupinat ſuper ſcamnum, & dorſo inter ſcapulas puluioa ſubijcit, vt pectus quam maximè recuruetur D antrorſum: Miniſtro etiam vtitur, qui ſcapulam & brachium extendat, iubetque vt medicus plana maou comprimat & propellat os. At ſi in anteriorem partē iugulum inclinatur, quod raro accidit, oumquam a chirurgis obſeruatum, ne quidem ab Hippoc. In hoc caſu iugulum retrò dandum eſt. Cum repoſita & reſtituta fuerit clauicula conuenienti deligatione vteodum, qualem Celſus proponit, & ſequutus eſt Ægineta. Alias profert Hippoc. inutiles & valde iocommodas ægro. Æqualem faſciationem reddet glomus axillæ ſubiectus: atque vt fractura firmius contineatur triplices, vel quadruplices paonos ſupra impooere oportet conſilio Galeni, vt ipſe declarat com. ad protic. 1. libr. 3. de offic. med. Si oſſa quæ ferè ſunt immobilia franguntur vel forantur, vel colliduntur, vt malæ, ſternum, ſcapula, ſpina, coxarum os, talus, calx, manus, planta, carpus & metacar- E pium, planta pedis: Horum omnium eadem erit curatio (authore Celſo.) Si effracta fuerint oſſa & penitus ſeparata, extrahenda ſunt fragmenta oſſis, ſi adhuc hæreant reliquenda. Celſus nullo modo eximi voluit, quia callo glutinari poſſe credidit. Paulus in ſcapula ſeparata fragmenta ſpioæ volſellis extrahit, at in coxis fragmenta oſſis detrahere vetat, quia manu reduci & cooformari poſſunt.

DE FRACTVRA COSTARVM. A

CAP. VIII.

COSTÆ veræ vbique & in omni parte franguntur; Spuriæ iuxta spinam, cum reliquo corpore sint cartilaginosæ. Costa autem vel tota rumpitur, vel interior tantum aut exterior superficies effringitur, quæ vitia incidunt integrâ & inoffensa cute, vel contusâ. Si costæ sola externa superficies frangitur, manu facilè restituitur, tunc cibis vberioribus vtendum, vt quam plenissimus ventriculus costas fulciat, quas inedia suspendit ait Hipp. Proinde vbi costæ rumpuntur, qui magis ventricosi sunt minus dolent, quibus gracilis venter est, & contractus, maiore dolore torquentur authore B Galeno. Si interna costæ superficies fracta fuerit dolor pungens acutissimus ægrum diuexat, & difficillimè eiusmodi fractura reducitur. Quidam adhibent cucurbitulam exemplo Arabum, quam meritò damnauit Paulus metu maioris inflammationis. Alij emplastrum adstringens vel ipsummet viscum fractæ costæ imponunt, quod vbi tenacius adhæsit, violenter extrahunt, Quibus remedijs si nihil proficitur, secto costæ interuallo spatula, vel meningophilace fractura reducetur, illæsam semper conseruando pleuram quæ prius à costa separabitur. In hac fractura tenuis conuenit diæta propter metum inflammationis. Vbi tota costa transuersim abrumpitur, si fractura simplex fuerit sine cutis contusione celeberrimè curatur, & sine periculo. At vbi coniuncta est cutis contusio C non vacat periculo, & sæpissimè sola contusio sine fractura periculosior est. Costa transuersim effracta antitasi reponitur. Si febris absit deterior est inedia, quam cibus. In contusione tenuem & exquisitum victum consulit Hipp. venæ sectionem, quam Celsus è directo partis affectæ facit contra morem Arabum, quinetiam leuem purgationem imperat, quæ non moueat sed molliat tantum aluum. Pus verò in affecta parte iam factum maturè euacuandum, ne in thoracis capacitatem effluat, Et si vitiata appareat costa ferramento candente inurenda est. Fasciatio communis esse debet dumtaxat ad conseruanda & continenda medicamenta, duabus vtitur Celsus, quas vulneri seu parti affectæ medias inijcit, ne cutis in alterutram partem inclinet. Hipp. primam fasciam à parte affecta circunducit; Secundam vulneri mediam inijcit. D

DE SPINÆ FRACTVRA.

CAP. IX.

VERTEBRÆ raro franguntur, frequentius colliduntur. Periculosa est fractura, quam paralysis membrorum sequitur, si non succedat sperabilis curatio. Quare si spina recta & postica vertebræ penitus effracta fuerit, locus quidem concauus apparet, punctiones in eo sentiuntur, quia necesse est ea fragmenta spinosa esse, quod fit cum E homo in anteriorem partem subinde nititur. Quia dum incuruatur spina, cutis distenditur, quæ spinosa fragmenta comprimit; & ab ijs vicissim compuncta acutissimum dolorem percipit. Tum incisa cute fragmentum eximere oportet, quod Celsus non ausus est extrahere, quia einsmodi fragmenta posse consolidari & reuniri putauit. Topica remedia eadem conueniunt, quæ in alijs fracturis exposita sunt. Deligatio communis quæ medicamenta & pannos complectatur sufficit.

DE

A

DE FRACTI HVMERI CVRATIONE.

CAP. X.

RACTVS humerus vel in suo loco consistit, vel vnum extremum super alterum effertur; tunc extensione opus est, quæ eo habitu fieri debet, quo humerum postea conseruare volueris. Naturalis autem situs humeri est, si cubitus cum humero rectum angulum constituat, in quo manu quoque ad pectus apposita, humeri antitasis deorsum facienda. Ad eam Hip. machinamentis operosis vtitur, vt videre est lib. de articul.
B Soranus duorum ministrorum in diuersa trahentium auxilio antitasim perficiebat; vel si valentius esset membrum, ex vtraque fracturæ parte iniectis loris violenter extendebat. Galenus eo modo fractum humerum restituebat. Celsus elegantem operationem proponit à nullo adhuc obseruatam. Ægrum alto sedili collocat, medicum humiliori aduersum. Hip. verò medicum stare iubet, & nescio qua ratione recentiores quidam Chirurgi ęgrum voluerint humuliori sedili inniti. Tribus autem vtitur fascijs Celsus, quarum prima cubitum amplexa ex ceruice instar mitellæ cubitum sustinet, altera fascia supra caput humeri religatur, à ministro retro stante sursum trahitur, sub ea fascia porrecto cubito. Altera verò manu baculum tenet, inter femora ægri demissum cui minister firmatur. Tertia fascia longissima per medium
C imo humero teuincta deorsum demittitur extremis siue capitibus inter se iunctis; Super eam instar stapedis plantam pedis inijcit medicus, simulque minister suam fasciam sursum eleuat, Medicus eodem tempore suam pede deprimit, quò fit vt leuiter extensus humerus facilè manu reducatur. Vbi conformatus est humerus, Hip. communi vtitur deligatione, Celsus aliam proponit, quam Paulus retinuit, ea tamen propriè conuenit in fractura summi humeri.

DE CVBITI, SIVE BRACHII *fracti Curatione.*

D

CAP. XI.

VBITVS duobus constat ossibus, quorum alterutrum frangitur, vel vtrumque simul; Amborum ossium pessima fractura est, alterutrius tolerabilis, & melior si radius fractus fuerit, quia facilius curatur, cum subiectum habeat cubitum vice fundamēti, in quo plus opis est, quam in fascijs ferulisque (inquit Celsus) Si vnicum os frangatur, hoc solum extenditur, si vtrumque violenta extensione opus est; quæ manu, corijsuė iniectis perficietur. Os extensum manu dirigetur, & conformabitur, posteà communi deligatura vincietur. Commodissimè autē mitella exceptus cubitus ex ceruice suspenditur, in ea figura, quæ rectum angulum referat in cubiti curuatura. Præterea diligenter notandum vt cubiti pars inferior altera sit altior, ne humores in manum lo-
E cum incapacem multis humoribus continendis decumbant.

DE MANVS FRACTVRA.

CAP. XII.

MANVS extrema tribus constat partibus, Carpo, Metacarpio, & Phalange Digitorum. Cuiusque partis ossa frangi possunt, potissimum ea quæ Metacarpium & digitos componunt: quia caua medullosa. Carpi verò ossa solida sunt, propterea magis contusionem quàm fracturam patiuntur. Fractorum ossium in manu communis est curatio; æger manum pronam super tabulam collocabit, quam Medicus ambabus manibus cōprimet, vt extans os in suum locum reducatur. Prius tamen extendet digitum si opus fuerit; deinde admouebit catagmatica medicamenta, quæ apta & arcta deligatura comprehendet, quia celerrimè callus enascitur, qui partem tumidiorem reddit. At in digitis fractis excepto pollice ligatura duos simul comprehendet, vt vnus alteri opem ferat: ea tamen cautione vt aliquantulum flexi digiti contineantur, interposito rotundo splenio ne sua priuentur actione, quæ apprehensio est. Albucasis fracti Metacarpij curationem particularem proponit, quam apud eum Authorem videre licet, satis est locum indicasse. Hippocrates lib. 7. epid. Historiam cuiusdam nautæ recitat, cui ob fracturam medij digiti exortæ inflammationi gangrena successit, tandemque spasmo opisthotomo correptus interijt. B

DE FRACTVRA FEMORIS. C

CAP. XIII.

QVANTVM fracti Femoris cognitio facilis est, tantumdem curatio difficilis existit, quæ tamen perfecta sperari potest, si nulla fortunæ negligentia accesserit, ideóque falsa mihi videtur opinio Celsi affirmantis contra mentem Hippocratis femur fractum fieri breuius, quia nunquam in antiquum statum reuertitur, summisque digitis postea cruris eius insisti, quod etiam imprudenter dictum fuit ab Auicēna, rarò hominem ab hac fractura euadere sine perpetua claudicatione. Ad curandam Femoris fracturam forti & valida opus est extensione, quia ferè semper ossis portio alteri supereminet, quæ in eo situ coërcetur à musculis conuulsis qui in ea parte maximi sunt. Extensio peragetur vel loris iniectis circa extrema, vel glossocomio mechanico Hippocratis, vel eo instrumento quod Paræus excogitauit. Meminerit Chirurgus priusquam operi se accingat femur anteriore & exteriore parte gibbum esse, interiore & posteriore curuum, vt ad eam figuram femur reducat ne vlla superueniat claudicatio. Reductum femur apta & conuenienti ligatura vinciendum erit, qualem accuratè descripsit Hippocrates, sed à nostris Chirurgis hodie non obseruatur. Potior mihi videtur ea quam proponit Albucasis. Alij reductum femur in Solenam immittunt, Alij præferunt Glossocomium, Galenus tamen cum Hippocrate laudat Solenam, canalem cum quià pede ad coxam protenditur, quem etiam Lamfrancus & Vesalius approbarunt. D E

A

DE PATELLÆ FRACTVRA.

Cap. XIIII.

Atella rarò frangitur, frequentius contunditur ac conteritur. Sed si eam frangi contingat quod cognosces ex anterioris genu cauitate, atque distantia extremorum, disiunctas partes inuicem coaptabis & conuenienti ligatura continebis, quæ consimilis & prorsus eadem erit vt in tibia. Cauitatem verò poplitis splenis rotundis implebis, quæ genu curuaturam impediant.

B

DE CRVRIS SEV TIBIÆ fractura.

Cap. XV.

C Ruris structura respondet cubito, vt hic duobus construitur ossibus, sic crus totidem componitur. Vnius tamen ossis nempe tibiæ fractura periculosior & curatu difficilior existit, ex Hippocrate quia crassior & vice fundamenti totum corpus sustentat. Cum sola tibia frangitur interiora versus inclinat, si perone dūtaxat effringitur extrorsum vergit, quia repellitur à tibia. At si os vtrumq; sectum fuerit in curatione eo modo procedendum vt in cubito. Extensio fiet loris adhibitis vel manibus. Maior erit si vtrumque ruptum fuerit, minor si alterutrum. Reducta ossa canali includit Hippocrates, quem sequutus est Celsus Albucasis differentem canalem profert, cuius structuram ex authore requires, satis est digitum ad fontem intendisse.

DE FRACTVRA ASTRAGALI.

D

Cap. XVI.

Stragalvs non omnino frangitur, quia vndique ab ossibus eminentibus munitus est, reliqua verò ossa pedis fracturis sunt obnoxia, calcaneum tamen propter duritiem non facile fracturam patitur. Curatio astragali difficilis est, authore Auicenna ratione inflammationis, quæ sæpissimè eam fracturam comitari solet: quamprimum ergo illius generationem præuertes, frequenti venæ sectione, atque ijs remedijs quæ phlegmonem arcere dicuntur. Hac sublata æger pedem suum terræ defigat, cui suum pedem supraponet Chirurgus fortiterque comprimendo fracturam reducet, non probat Vesalius reliquam curationem ab Albucasi traditam, mitigantia remedia præfert desiccantibus metu inflammationis.

E

IOANNIS RIOLANI CHIRVRGIA IN GERMANIA EDITA.

QVÆ ADIVNCTA FVIT VT præcedentis defectum suppleret.

PRAEFATIO

QVA CHIRVRGIAE ANTIQVITAS, *Vtilitas, Origo, conditiones Chirurgi, & vera Chirurgiæ significatio declarantur.*

EDICINA curatrix in tres partes vulgo distrahitur, Diætam, Pharmaciam, & Chirurgiam, quænam earum antiquior sit, ac vtilior, inter Professores Medicinæ disceptatur. Qui Pharmaciæ dignitatem extollunt, eam ex vetustate commendant, affirmantque primum mortalium genus solis herbis & radicibus viria curasse, quia tunc temporis timidum, non facile ferro ignique se committebat. Sed cum internorum morborum naturæ sint medicatrices, ex Hippocrate verisimile est priscos homines huiusmodi morbos naturæ magisterio reliquisse. Ast propter hominum discordiam cum viderent telorum crudelitate vulnerata corpora perire, coactos Chirurgiam inuenisse. Moses Legislator percussoribus præcipit, vt læso cubile & medicationem præstarent, operas & impensas in Medicos restituerent; Videtis vulnus & artem vulnerariam simul iunctā. Æsculapij Filij Podalirius & Machaon bello Troiano ducem Agamemnonem secuti neutiquam in castris Græcorum Pharmaciam, sed Chirurgiam exercebant; quos Homerus neque in pestilentia, neque in varijs morborum generibus aliquid attulisse auxilij, sed vulneribus tantum ferro & medicamentis mederi solitos fuisse proposuit. Ex quo apparet hanc partem Medicinæ solam ab ijs tentatam, eamque esse vetustissimam. Celsi iudicium confirmat Plinius lib. 29. cap. 1. Nec cessauit Æsculapius narrare alios reuixisse opera sua clara Troianis tēporibus quibus fama certior vulnerum duntaxat remedijs. Vniuersa Homeri poësis chirurgicis auxilijs referta est, vt in appendice demonstrauit Gesnerus, & hac laude insignem facit Achillem. Chiron à quo repertam ferunt medicamentariam & vulnerariam quatuor habuit Discipulos, Peleum, Iasonem, Achillem & Æsculapium, quos in castris Græcorum Chirurgiam exercuisse testis est Homerus. Inde colligitur Chirurgia à principibus viris tractatam fuisse, Hanc hodie apud Indos maximè Reges exercent, atque hæreditario iure suis liberis tradunt, Thraces cum plerisque nationibus, summè colunt ac venerantur. Post bellū Troianum nulla fuit benè instituta resp. quę nō suos ex ærario publico haberet conductos Chirurgos. Ita Sacerdos Æsculapij in Pergamo Galenum curandis gladiatoribus præfecit. Idcirco Plato in suam Rempub. non alios Medicos quàm Chirurgos admittit, quia existimauit totam Medicinam esse Chirurgicam, internam tantum quæstus causa excogitatam fuisse. Huius artis

gloriam & inuentionem sibi Græcia vendicat; nam à Græcis ad Ægyptios translata fuit, demum ad Romanos peruenit, vt declarat C. Celsus initio lib. 7. Alij tamen dicunt natam in Ægypto, quia singulis morbis singuli artifices destinati erant, itaut quidam essent vulnerarij, alij dentarij, alij ocularij, vt Herodotus docet in Euterpe. Atque etiam Æsculapium Chirurgiæ authorem apud Ægyptios aut eorum Magistros Iudæos artem didicisse & inde Græciæ intulisse volunt. Est nomen ipsum peregrinum, vt notant viri docti ab εξ & choleph factum, quorum illud capram, hoc canem significat. Nam olim caprinum lac, & canis lingua ad vulnera foris pro omni medicamento erant. Inde Mytologia fabulæ de æsculapio exposito à capra lactato, & à cane custodito erui potest. Cæterum noua sit aut vetus Chirurgia, ab ægyptijs vel Græcis profecta, semper res eadem manebit, suámque dignitatem seruabit, modò à peritis Chirurgis tractetur, qui eas omnes habeant conditiones quas requirit Hippocrates in Chirurgo, Latinè fideliter expressas à Cornelio Celso libro septimo. Imprimis Chirurgus debet esse adolescens, aut certè adolescentiæ propior, manu strenua stabili, nec vnquam tremiscente, eaque non minus dextra quàm sinistra promptus, acri oculorum acie claráque, animo intrepidus, immisericors. Præterea Chirurgus conuenienter vestiri debet; Vestis autem sit astricta & succincta, non laxa vel duplicata in humeris & cubitis. Admonet Soranus in vita Hippocratis consueuisse Hippocratem pallium complicatum in caput reijcere, nè in operationibus chirurgicis à circumfluo pallio impediretur. Eiusmodi vestimentum chirurgicum describit Poeta 12. Æneid. cùm loquitur de Iapide Chirurgo.

A (margin, line 1) — B (margin, beside "de æsculapio…") — C (margin, beside "Præterea Chirurgus…")

Ille retorto
Pæonium in morem, senior succinctus amictu
Multa manu medica, Phœbique potentibus herbis. D

Ad benè operandum sex conditiones requirit Hippocrates lib. de officina Medici, vt rectè, celeriter, iucundè, decorè, promptè, eleganter quæuis operatio fiat. Nonnunquam tamen in quibusdam operationibus tarditatem laudat, *in Chirurgia*, inquit, *quæ per sectionem aut vstionem fit*, lib. de Medico, *velocitas ac tarditas æqualem laudem merentur. Nam in quibus per vnicam sectionem Chirurgia absoluitur, velocem sectionem facere oportet; vbi verò multas sectiones fieri necesse est, tarda Chirurgia vtendum.* Habitum agendi sibi comparabit Chirurgus vsu & exercitatione. Nam ad ea quæ manus operam postulant consuetudine perueniendum est, inquit Hippocrates initio lib. flat. Est enim vsus optimus artis magister; propterea consulit Chirurgo Hippocrates, vt externas militias adeat, in quibus cuiuslibet operationis agendæ frequens occurrit opportunitas; etenim imperito Chirurgo nil turpius, satiusque esset hanc artem sacram dimittere, quàm imperitè tractare. *Valdè turpe est*, ait Hippocrates, *non asse- qui* E

A qui Chirurgia quod velis. *Mala venæ sectio secto dolorem, secanti verò magnam ignominiam adfert.* Nec sine ratione Hippocrates libro secundo de articul. in re difficili requirit expertissimum Chirurgum, cùm agit de luxatione vertebrarum, opus est Medico multarũ rerum & frictionis expertissimo. Præterea Chirurgus qui in vrbibus Chirurgiam profitetur officinam habere debet, qualem describit Hippocrates lib. de med. Vt neque ventus ad ipsam accedens molestus sit, neque sol, neque splendor infestet, lux enim splendida medentibus non est molesta, ægrotantibus verò incommoda. Itaque talem splendorem penitus fugere oportet, per quem oculos ægrotare contingit. Notauit Galenus comment. in offic.
B Medici eos olim qui Chirurgiam exercebant in magnis ciuitatibus, amplissimas ædes habitasse, luminosas, ampliter fenestratas. Lumen autem Chirurgiæ necessarium & conueniens accuratius describit Hippocrates lib. de offic. med. Luminis duæ sunt species, Vna communis nempe solaris, altera artificiosa. Communis non est in nostra potestate, quæ arte comparatur sita est in nobis, vtrumque lumen aduersum est, vel auersum; Auersi luminis siue lateralis exiguus visus & euidens moderatio: quam moderationem sic explicat Gal. in comment. Si in hęc duo incumbas, vt Chirurgus id quod agit apertè videat, & ægrotus non mag-
C nopere afficiatur. Medium igitur hominem collocabis inter lumen auersum & aduersum, quia verò Chirurgus nunc stans, nunc sedens ægrotantem sedentem vel cubantem aut stantem curare cogitur, idcirco Hippocrates sellas & situm vtriusque ac figuram nempe ægri & Chirurgi describit. *Sellæ*, inquit lib. de medico, *sint altitudine æquales quantum fieri potest.* At lib. de officina situm & figuram ægri & Chirurgi persequitur & declarat. Non potest autem Chirurgus operari sine magna instrumentorum supellectile. Instrumenta autem Chirurgica, vt docet Galenus, sunt primaria & secundaria. Primarium instrumentum est manus, ὄργανον ὀργα-
D νῶν, cuius beneficio Chirurgus omnia instrumenta sibi affabrefacit, iisque commodè vtitur & operatur. Vtraque manus in agendo exercitata esse debet, vt possit ambabus manibus, vel alterutra agere. In manu vngues neque longiores sint, neque breuiores digitorum extremitatibus. Secundaria instrumenta sunt ferramenta, machinamenta, atque alia id genus. Instrumenta non iuxta Chirurgum operantem collocentur, ne opus interturbent: nec longius distent quàm vt prehendi nequeant: sed collocentur iuxta eam corporis partem, quæ tractatur ex Hippocrate.

E Materia instrumentorum sit ærea vel ferrea, inutilia sunt ex auro & argento confecta. Ornatus enim mihi videtur onerosus (inquit Hippocrates) talibus instrumentis vti. Demum procurabit Chirurgus, vt parata, & prompta semper habeat instrumenta. *Nam in iis penuria detrimentosa est, & artem inopem facit.* Iis omnibus instructus Chirurgus partem curandam suscipiet; cuius tractandę tria sunt tempora declarata ab Hippocrate in officina Medici. Primum tempus παρέξις dici- *Ex Hipp.*

tur, dum membrum affectum porrigitur. Secundum tempus χειρισμὸς, A quando tractatur; tertium vocat Hippocrates τῶν ἐπιδέξι, quando membrum in eo situ collocatur, quem seruare debet. Intereà notabis antiquam Chirurgiam longè diuersam fuisse, ab ea quæ nunc circumfertur. Nam Chirurgiam passim appellat Galenus manus operationem, quinetiam omnes cuiuslibet artis manu factas operationes Chirurgias vocabant, authore Galeno cap. 7. lib. 1. de vsu part. At illa Chirurgia quam hodie Medici profitentur, rumoribus, vulneribus, & vlceribus circumscribitur, quibus magis conuenit medicamentum quàm manus auxilium. Hanc Chirurgiam inertia Medicorum introduxit, sibíque propriam fecit, vt manus operationem, quæ vera Chirurgia est, ministris suis committeret. Proprerea rectè Gormelenus Chirurgiam duplicem facit, vnam B ita propriè dictam, quæ rumoribus, vulneribus & vlceribus medicamenta præscribit, alteram quæ sola manu vtitur. Celsus eandem diuisionem pr... fuisse videtur, cùm dirimit Chirurgiam in eam quæ partes molles curat, & alteram quæ partes solidas tractat. Id manifestè colligitur lib. 7. *Potest autem requiri quod huic parti propriè vendicandum sit, quia vulnerum & vlcerum multorum curationem sibi Chirurgi vendicant; ego eundem quidem hominem posse omnia præstare concipio: atque vbi se diuiserunt, eum laudo qui C quamplurimum percipit, ipse autem huic parti ea reliqui, in quibus vulnus facit Medicus, non accipit; & in quibus plus manu profici quàm Medicamento, credo.* Ex eodem authore consimilis partitio Chirurgiæ depromi potest, lib. 5. cum describit Chirurgiæ partes. *Ex his alia sunt in quibus medicamenta, alia in quibus plus manus proficit, ego dilatis quæ scalpellum & manum postulant, nunc dicam de his quę maximè medicamentis egent.*

IOANNIS RIOLANI CHIRVRGIA.

IN GERMANIA LIPSIÆ EDITA, PER IOANNEM IESSENIVM MEDICVM Vvitembergensem, cum hac præfatione.

QVOD nuper à me, viri doctissimi, vestrum aliquot flagitarunt, vt, quem nimirum manu scriptum haberem, præstantissimi medici IOANNIS RIOLANI commentariolum Chirurgicum, vobiscum, adeóque cum medicinæ studiosis, communicarem: idipsum, in proximo Lipsiam excursu nostro, per vos non repertum tantum, sed vehementius etiam expetitum, tandémque obtentum. Opusculum igitur hoc non tam chartarum mole, quam præceptionum frequentium & vtilium pondere æstimandum, Henrici Osthausij Lipsiensis bibliopolæ sumptibus typis exscriptum, vobis, publicationis huius auctoribus vnicis, merito nuncupo, idque obsequij ad desideria vestra, mei, testimonium exstare volo, perpetuum solidúmque. Valete, nec propter hanc operam, tam mihi, quàm Autori ipsi, vti omnino debetis, manetote obstricti. Dabantur VVitembergæ XIIII. Octob. Anno M. DC.

QVID SIT CHIRVRGIA.

PARTES Medicinæ communi omnium opinione sunt tres, Diæteticæ, Pharmaceutice, & Chirurgice: quia tribus Instrumentis Therapeutes morbos omnes depellit; diæta, Pharmaco, aut chirurgia: Diætæ ægrorum ministri sunt coqui, aut clinicæ mulieres: Pharmaciæ pharmacopœi; Chirurgiæ Chirurgi, quibus omnibus præest Medicus. Hodie tamen videntur Medici cum Chirurgis sic suas operas partiri, vt interiorum præsertim morborum sanationem retineant: externorum verò potissimum qui manus operam requirunt, vt vulnerum, fracturarum & luxationum curationem Chirurgis relinquant. Ea tamen lege, vt neque diætam, neque pharmaca assumenda, neque venæ sectionem ægris imperant, inconsulto Medico. Possunt administrare Topica, vt Emplastra, vnguenta & cataplasmata: possunt & operari, dum sint antecedentis causæ, quæ morbum fouet, periti. Medici consilio prospectum: qui non aliter: quàm gubernator nauem, aut architectus opificicum, totum negotium consilio regit. Hæc cùm ita fieri oporteat, tamen à fine quemadmodum res omnes à sua forma, istæ artes nomen & perfectionem acceperunt. Vniuersæ enim Medicinæ cùm præcipuus finis sit morborum interiorum depulsio, quia plus artis & industriæ requiritur ad curationem morborum internorum quàm externorum: per excellentiam ars morborum interiorum curandorum Medicina Practica; externorum vero, Chirurgia appellatur. Sed cur plus artis & industriæ requiritur in profligandis morbis internis, quàm externis? quia priusquam de remedio interioris morbi cogitetur, tria sunt cognoscenda; pars affecta, morbi causa, & species. Quæ ab actione læsa, specie dolo-

ris, excretis & retentis, & eiusmodi signis à Galeno in opere de locis affectis expli- A
catis, Philosophico, coque longo & difficili discursu inuestigantur, quæ tria in mor-
bis externis, sensibus sunt peruia. Itaque cum difficilia sint pulchra, & virtus in ar-
duis cernatur; cùm possit facilia, qui potest difficilia, haud dubiè summa laus me-
dicinæ faciendæ, & perfectio consistit in morborum interiorum curatione: exter-
norum curandorum scientia medico quoque tenenda est, vt possit præesse operi:
operatio ipsa Chirurgo relinquenda, quæ in duobus tantùm morborum generi-
bus ex officio versatur: in solutione continui, & immoderatione partis externæ.
Ad solutionem continui pertinent vlcera, fracturæ, & luxationes. Ad immodera-
tionem, tumores contra naturam. Quibus veluti finibus tota Medicina circum-
scribitur: operationem verò Chirurgicam seu Medicas manus, quas adhibet Chi-
rurgus in istorum morborum depulsione, præcipui Chirurgiæ autores ad tria ca- B
pita reduxerunt: ad διαίρεσιν, solutionem continui; σύνθεσιν, vnionem soluti & ἐξαίρεσιν,
remotionem superflui. Soluit continuum incidendo vel exscindendo; vnit solutum,
luxatum os reponendo, aut fractum intermedio callo coniungendo. Remouet su-
perfluuium, dum infixa corpori tela extrahit, aut globulos sclopetorum, catara-
ctam ab oculo, lapidem à vesica. In quibus operationum primis & generalibus dif-
ferentijs, cùm summa laus & perfectio chirurgiæ consistat, non est mirum si inde
nomen & definitionem habuerit: Definitur enim, Pars Therapeuticæ, quæ medi-
ca & artificiosa manu morbos ab homine depellit. Si spectes scientiam potius quàm
operationem, definiatur, Ars curatrix solutæ continuationis & immoderationis
in partibus externis: aut si specialiùs adhuc & definitiùs eam definiri velis, sit The-
rapeutice tumorum, vlcerum, vulnerum, fracturarum & luxationum. Quibus quin- C
que sectionibus vniuersam artem deinceps concludemus. Dicemus de singulis eo
ordine quo proposuimus. Cæterùm artes necessitatis quibus carere non potest vita
humana, sunt quidem priùs excogitatæ, quàm artes iucunditatis, commoditatis
& honestatis; ποιητικαὶ enim origine priores sunt practicis, practicæ theoreticis: &
inter effectiuas credibile est priùs magis necessarias fuisse inuentas. Atqui ad sanita-
tem tuendam nulla pars Medicinæ tam necessaria est, quàm Chirurgia. Interiores
enim morbos sola natura sæpè persanat, coquit humorem morbificum, deinde co-
ctum excernit, vt in rusticis experientia testatur, qui sine auxilijs à magnis morbis
sæpissimè resurgunt: pendétque medicus totus à natura, quæ suo calore vim medi-
camentorum tàm purgatricem, quàm alteratricem deducit in actum. At luxatum
membrum nisi Chirurgus suo loco restituerit; nisi superflua, vt sagittas, remouerit,
nisi ossa fracta medica manu ad integritatem reduxerit, & æqualitatem, inanis erit D
naturæ conatus: manatque à chirurgo non à natura primum sanationis principium,
Itaque sapienter scripsit Celsus chirurgiam esse Therapeuticæ partem antiquissi-
mam non propterea præstantissimam, vt artium effectiuarum cum Philosophis com-
paratione intelligitur. Primi Æsculapij duo filij, Podalirius & Machaon, qui inter-
fuerunt bello Troiano, erant chirurgi.

CHIRVRGIÆ

SECTIO PRIMA: E

DE TVMORIBVS CONTRA NATVRAM.

QVID TVMOR. CAP. I.

MAGNA contentione certatur inter Professores Chirurgiæ ad quod genus morbi tumor reuocari debeat. Galenus in hac re dubius & incertus fuit, modo inter morbos partium similarium recenset, alibi inter morbos organicos collocat, alibi ad solutionem continui refert. Auicennas in tumore omnis generis morbis reperiri statuit; ac proinde morbum esse compo-

A compositum, indè tam variæ tumoris definitiones promanarunt. Galenus lib. de tumorib. in omni tumore cum aucta magnitudine actionis læsionem requiri decernit. Nisi enim tumor partis operationes lædat, symptomatis potius quàm morbi nomen meretur. Propterea Galen. ad suum sensum accommodatè tumorem definiuit. c. 1. l. 13. Meth. Morbum in quo partes à naturali habitu in quantitate recesserunt, quam definitionem amplexatus est Fallopius. Nec valet obiecto de Erysipelate quod solam cutem obsidet, sine tumore. Nam in eo affectu pars apparet subtumidior, non tam distenta quàm in phlegmone, propter humoris biliosi tenuitatem. Nec recedit ab hoc instituto Hali-Abbas, qui si Guidoni credimus, omnium accuratissime Apostema definiuit, Tumorem contra naturam in quo aliqua materia replens & distendens est aggregata: Verùm apostematis seu abscessus est angustius nomen quàm tumoris. Quia omnis abscessus est tumor, non contrà;
B Quærimus autem hic non abscessus, sed tumoris omnis contra naturam generalem definitionem. Meliùs, me iudice, finiretur, Corporis totius vel partis alicuius tantum incrementum vt actio lædatur. Quæ postrema particula idcirco adiecta est, quia valde obesis pinguis aqualiculus propenso sesquipede exstat, sani nihilominus viuunt, & cum actionum omnium integritate. Adhæc, Tumor omnis contra naturam complectitur triplex genus morbi, similare, organicum, & commune. Similare, quia dissoluit temperiem partis cui insidet; organicum, quia eiusdem magnitudinem, figuram & situm vitiat: commune, quia partes immediatè naturâ cohærentes disiungit, & interiecta aliqua materia vel humore vel flatu, à se inuicem separat. Propterea non sine ratione, à quibusdam definitur: Affectus contra naturam, constans triplici morborum genere. Si placet, omnia definitione hoc modo com-
C prehendes: Tumor est materialis intemperies, vnionem partis dissoluens, nec non eiusdē magnitudinem, figuram & situ lædens. Differt enim tumor ab intēperie cum materia, sola ratione: intēperies materiam accersit: fluxio tumorifica intemperiē pa-rit: intēperies afflictę partis semper, vt causa suum effectum, materiam præcedit, tumorem verò sæpe consequitur, quia facta fluxio partis mittentis robore temperiem pàrtis dissoluit. Atq; hæc de tumoris definitione.

Hæc distinctio traditur ab Auicenna & fundatur ac confirmatur à conciliatore.

TVMORVM DIFFERENTIÆ.
CAP. II.

D INSTAT vt eius primas differentias constituamus, Eæ verò totidem sunt, quot humorum, ex Galeno lib. de Tumoribus lib. 2. ad Glauc. & lib. 13. Meth. vbi ita scribit: omnium tumorum qui præter naturam sunt, varietas, ex eius quod influit natura enascitur, &c. Phlegmone, tumor à sanguine crasso, & quantitate magis quàm qualitate vitioso: Erysipelas, tumor à bile aut sanguine bilioso, hoc est, valdè tenui & feruido. Oedema, tumor à pituita tenui. Scyrrhus, tumor ab humore melancholico, aut pituita valde crassa. Nemo autem existimet tumorem vllum ab humore vllo puro & syncero excitari, omnes enim sunt permixti & confusi, sed vnus aliquando cæteros ita superat, vt sensu discerni non possint, vnus solus ad sensum apparet. Quod si contingat plurium humorum dissimilitudinem sensu obseruari, considerandum erit, quis prædominetur: ille enim dicitur esse dominator: sit sanguinis plus quàm bilis, dicetur phlegmone ἐρυσιπελατώδης: sit plus bi-
E lis, quàm sanguinis, Erysipelas phlegmonodes: atque ita de cæteris sentiendum est. Quidam primùm diuidunt tumores in calidos aut frigidos: calidos appellant qui fiunt ab humore calido, sanguine aut bile: Frigidos qui ab humore frigido, pituita aut succo melancholico. Hippocrates omnes tumores calidos inflammationes appellabat, non iniuria sanè. Nam Erysipelas nihil aliud est quàm Phlegmone biliosa. Hodie tamen ita vsus inualuit, vt tumor à sanguine crasso dicatur phlegmone: à bile, aut bilioso sanguine, Erysipelas. Obiiciet aliquis, non semper humorum, sed aliquando flatuum copia corpus intumescere, vt ventrem sub tympanite, penem priapismo. Quod genus tumoris πνευμάτωσις vel ἐμφύσημα nominatur. Nam flatum Græci πνεῦμα & φῦσαν appellant. Ergo tumores primùm distinguendi sunt in humorales & flatulentos. Respondeo, Flatum reduci posse ad

pituitam, cuius est soboles. Fieri enim solent flatus ex pituita ab imbecillo calore, ob idque flatulentos tumores pituitosis posse comprehendi. In ea quoque opinione fuit Tagautius. Sed apud Galenum flatuosi & serosi tumores ab alijs distinguntur, differentésque tumores excitant. Tagautius, & ex eo Gourmelenus Tumorum differentias petunt, ex quantitate, vt magni, mediocres, parui: ex qualitatibus primis, vnde calidi, frigidi: ex substantiæ siue consistentiæ modo, vt molles, duri: ex symptomatis, vt colore, & dolore. A colore dicuntur albi, & nigri, flaui, liuidi, rubri: à dolore dicuntur dolentes, vel doloris expertes. A partibus affectis vt ophthalmia, pleuritis. A tempore vt breues, longi, recentes veluti incipientes, increscentes, vigentes, declinantes. A loco, externi, vel interni. A numero, simplices vel multiplices. A moribus, vt maligni, & benigni. Quæ omnes differentiæ mihi videntur inutiles, quia non mutant formam tumoris, aut nouam speciem constituunt. Differentia quæ diuidit genus, illius speciem constituit, ab his accidentibus quæ species tumoris nascitur? Veræ igitur differentiæ depromuntur ex materia flatuosa, humorali & solida. Ne quis autem absurdum putet alicuius tumoris materiam solidam esse, talem inspiciet in sarcocele, & exostosi, atque totius corporis erositate, qualis aderat Nicomacho Smyrnæo apud Galenum. Guido tumores contra naturam diuidit in tria genera, seu tres species, In quibus materia ex qua formantur, magis quantitate peccat quàm qualitate: In pustulas siue minutiores tumores, quos Bether appellat, & in exituras siue tumores quos Latini Abscessus, Græci ἀποστήματα vocant.

A

B

DE SECVNDIS TVMORIBVS; vtque illi ad primas Differentias reduci possint, &c. C

CAP. III.

TANTA tumorum varietas per cutem efflorescit, vt vix quisquam crediderit omnes quatuor primis differentijs concludi posse. In hoc tamen diligenter elaborandum non tantùm doctrinæ facilioris gratia, sed etiam vt pateat facilior via ad inuentionem remedij. Omnes enim tumores à sanguine communi remedio nempe venæ sectione curantur: omnes verò tumores à bile, pituita aut melancholico succo, carthartico humori vacuando conuenienti. Ad phlegmonem ergo, vt propositum inde exordiar, imprimis pertinet carbunculus, quia fit à sanguine vsto. Non est quidem phlegmone, sed phlegmonodes tumor. In eo censu haberi debent furunculi, Phymata, bubones. Ad erysipelas pertinet vterque herpes, exedens & miliaris, quos omnes sacri ignis nomine Celsus videtur designasse. Eodem referri debent phlictenæ, vesiculæ biliosæ, similes illis, quæ in ambustis ab igne aut aqua feruente excitantur. Ad œdema pertinent primarij abscessus; propterea quod eorum materia ad pituitæ naturam propius accedit. Quorum pro materiæ varietate tres differentiæ constitui solent, ἀθερώματα, στεατώματα, & μελικηρίδες. Huius quoque sunt generis hydropis omnes species, ascites, tympanites & anasarca. Quinetiam hydrops particularis, vt hydrocele, hernia aquosa. Ad Scyrrhum pertinent strumæ & verrucæ, sunt enim humoris melancholici effectus. Eodem referri debent tumores atrabilarij, vt cancer & elephantiasis: quinetiam curanei affectus illis congeneres, scabies, psora, lepra, impetigo fera: de quibus differendum est ei qui doctrinam de Tumorib. omnib. numeris absolutã voluerit describere. Non est autem prætereundũ à recentioribus tumores primùm diuidi in magnos & paruos. Magnos rursum in quatuor primùm cõmemoratos diuidi aut in abscessus, quos illi exituras appellant, paruos tumores vno pustularum nomine comprehendunt. Abscessum verò rursum subdiuidunt in primarium aut epigenematicum superueniente inflammationi suppuratæ, quam aliquando gangræna, deinde Sphacelus consequuntur, aliquando sinus & fistula. Differentijs tam primis quàm secundis hoc modo constitutis primas & generales causas subiungamus.

D

E

CAVSAE

A *CAVSÆ TVMORVM OMNIVM COMmunes, & Generationis duo modi explicantur.* CAP. IIII.

TVMORVM, vt morborum omnium, causæ sunt externæ vel internæ: hæ rursum antecedentes vel coniunctæ. Externis etiamsi non fiat Medicina, nihilominus inuestigari debent, quia ad inuentionem remedij plurimum conferunt. Eiusmodi sunt in excitandis tumoribus, ictus, casus, morsus, crapula, motus longior aut vehementior. Nam si quis ex alto ceciderit aut baculo percussus fuerit, aut à cane vel scorpione demorsus, si mero se repleuerit, facillimè tumorem aliquem incurret. Antecedentes causæ ab externis aliquãdo commouentur, aliquando copia aut qualitate humoris excretrix irritata sine vlla causa externa,
B fluxionem facit. Antecedentes igitur causæ tumorũ sunt duæ, plenitudo, vel impuritas. Inflammationes, plethora, cæteros tumores cacochymia ferè cõmittit; biliosa biliosos, pituitosa pituitosos, melancholica melãcholicos. Cui causæ nisi primò prospiciatur phlebotomia aut purgatione, inanis solet esse vsus Topicorum. Coniuncta materia dicitur succus impactus parti, qui proximè & immediatè morbum facit. Generationis duo sunt modi: omnes enim tumores fiunt per congestionem aut fluxionem. Ferè frigidi tumores fiunt congestione, calidi fluxione. Discernuntur facilè, quod humor paulatim congeritur, fluit confertim & repente. Congeritur verò, & sensim in parte aggregatur excrementitius, coctricis imbecillitate, vel expultricis. Adiuuat plurimum cutis densitas, quæ impedit transpiratione. Subsistunt enim & retinentur tertiæ coctionis reliquiæ, nisi cutis liberè perspiret. Coctionis impotẽtia
C caloris ve inopia, remanet in parte tertiæ coctionis duplex excrementum, vnum tenue, vt serum, alterum crassum, vt sordes, quæ nisi liberè excernantur, paulatim pars assurgit in magnam molem, intumescitque. Fit fluxio partis mittentis robore, dum excretrix humoris quãtitate vel qualitate irritatur, aut recipiẽtis imbecillitate. Nam robustiores sese exonerãt in imbecilliores. Nec refert si naturã & cõstitutione prima pars sit imbecilla; aut accidento. Cutis est commune receptaculum totius corporis: glãdulæ quæ sunt ponè aures sunt emissaria cerebri; quæ sunt in inguine, iecoris: quæ sunt sub alis, cordis. Opportunior quoq; est fluxionibus pars mollis, rara, laxa, vt caro glandulosa; & quæ depressa est, vt pulmo non tãtùm quod sit spõgiosus, sed etiam quod cerebro subiaceat, illius destillationibus excipiendis valde obnoxius. Fluxionem adiuuant, & in causis, sine quibus non, haberi dicũtur viarum amplitudo & te-
D nuitas humoris. humor enim quo tenuior & mobilior est, eo ad fluendũ aptior. Fluit autem faciliùs per patentes meatus, vt arterias, venas, poros. Dolor & calor trahunt fluxioneśq; accersunt præter institutũ naturæ, atq; vt dicitur ex accidenti. Nã dolor trahit, quia natura vt dolẽti parti succurat, eò sanguinẽ trãsmittit. Calor autem trahit fuga vacui: resoluit enim humorem, in locũ vacuati necessariò nouus succedit. Aut quod dilatando vias humoresq; fundendo & attenuando, eosdem fluxiores reddat.

DE QVATVOR TVMORVM TEMPORIBVS, ET quot modis terminantur. CAP. V.

IN externis tumoribus Medicus obseruare debet diligẽter principium, incrementum, statum & declinationem. Quia remedia quæ prosunt in principio, nocent in augmento & vigore. Distinguuntur autem tribus
E modis. Primo ab essentia ipsius tumoris, hoc est, partis minore vel maiore incremento. Tumoris enim principium dicitur, cum pars incipit intumescere, incipit autem præter naturam tumere, cùm incipit fieri congestio vel fluxio. Distinguentur humoris tumorifici cruditate aut coctione. Principio enim cruda sunt omnia, in augmento incipit pepasmus. Tertio, symptomatum vt febris, doloris intensione & remissione. Initio enim leuiora sunt symptomata, quæ inualescente morbo simul ingrauescunt. Itaque principium tumoris dicitur, cùm incipit fieri fluxio, materia adhuc est cruda, needum vigent symptomata. Incrementum verò cùm accrescit tumor, aucta fluxione, materia incipit coqui & intenduntur symptomata. Tum est tumor in statu, cùm consistente fluxione, non accrescit ampliùs tumor, sed in eodem statu manet, materia propemodum est cocta, & in pus con-

uersa, grauissima sunt symptomata. Nam cum fit pus, febris, dolor, & symptomata omnia ingrauescunt: facto pure & iam morbo inclinante, mitescunt. Terminantur autem tumores quatuor modis, resolutione, maturitate, induratione, aut putrefactione. Quorum duo priores babendi sunt in bonis, posteriores in malis. Vt autem optabilior est resolutio maturitate, sic induratio putrefactione. Itaque purgatione aut venæ sectione humorem fluentem reuellendo aut vacuando, si non potuerit impediri generatio tumoris cùm primùm fieri potuerit, procuranda erit resolutio, hoc est, humoris, qui tumorem facit, in vapores discussio: ita enim per cutis spiracula expurgatur. Quod si id consequi non possis propter maiorem copiam materiæ, aut illius cruditatem aut duritiem, ad maturitatem deducatur, hoc est, admotis pepticis pepasmus adiuuetur, perficiatur arte, vt putris & saniosus sanguis in pus laudabile conuertatur, facto pure, ferro aut ruptorio exitura procuretur. His modis terminantur tumores natiui caloris victoria. Ille enim quando potest, resoluit: hoc si non possit, coquit. At duo posteriores modi, induratio & putrefactio, accidunt caloris externi victoria. Nam resolutus ab alieno calore humor parte duntaxat tenuiore, crassa, quæ relinquitur, indurescit, concrescitque tumor in lapideam duritiem, fitque Scirrhus ex inflammatione. Accidit & aliquando induratio imperitiâ Chirurgi, qui in modico refrigerantium vsu, vel nimis resoluentium intempestiua applicatione ex phlegmone Scyrrhum facit. Quartus modus est omnium pessimus. Quid enim afflictæ parti deterius contingere posset quàm corruptela? quæ dum incipit, gangræna; extincto planè natiuo partis calore, Sphacelus, mortificatio partis appellatur. Cæterum in malignis tumoribus quæ commemorauimus quatuor tumorum tempora, non semper eo se cõsequuntur ordine, quia malignus morbus tam celeriter sua tempora percurrit, vt statim in principio sit vigor. Nam malignus humor qui nec potest coqui, nec resolui, statim in principio furit, & grauissima inducit symptomata. Quinimò in quibusdam inflammationibus internis, quamuis non malignis, vt pleuritide, coincidunt, nec prædicto ordine se consequuntur istæ téporum notæ & dissimilitudines. Nã principio fluxionis humor est crudus, sed non sunt leuiora symptomata, imò verò grauissima, spirandi difficultas maxima, tussis molestissima, febris intensissima: sed cùm primum humor incipit coqui & sputum paulo liberius expuitur, mitescunt omnia. Non est prætereundum nonnumquam tumores terminari per decubitum, hoc est, materia de parte vna in alteram translata. sic succedit suppuratæ anginæ empyema, pure è faucibus in capacitatem thoracis decumbente, potestq; hic quintus modus ad quatuor superiores adiungi.

DE CVRATIONE TVMORVM PRÆsertim calidiorum, qui fiunt à fluxione, generalis doctrina, Ac primum quid sit agendum in principio, &c.

CAP. VI.

CVM medicus sit minister & seruator naturæ, morbus verò eiusdem hostis capitalis, omni arte debet contendere, vt à morborum iniurijs naturam defendat. Atqui ægrius eiicitur quàm non admittitur hospes, longè facilius est præcauere, ne fiat morbus, si modò præuisum sit eius periculum, quàm factum expellere. Itaque vena secta in corpore plethorico aut purgatione corpore impuro, ortum tumoris anticipabit, quoties illius nascituri minima fuerit suspicio: Eadem remedia etiam nascenti tumori conueniunt, vt retrahatur fluxio versus suum principium aut deriuetur. Nam tempestiua phlebotomia ita nonnunquam sanguis fluens reuellitur, vt hoc solo remedio inflammatio disparear. Faciamus partis mittentis robore, excretrice scilicet quantitate aut qualitate sanguinis commota fluxionem excitari, haud dubiè sublata causa antecedente tolletur simul effectus. Hoc tamen perficietur certiùs admouendo parti excipienti aliquod repellens. Quod si propter latiores vias videatur humor sæpius ad aliquam partem decumbere, defensiuo aliquo intercipiatur fluxio. Habent hoc familiare chirurgi, Cum oui albumine & oleo rosaceo agitant bolum armenum aut sanguinem draconis, atque inde parant cataplasma, quod vocant

vocant Defensiuum commune. Cui quidem institutio satisfaciet vel oleum
A myrthinum, vel vnguentum comitissæ. Repellunt quidem frigida omnia, siue fuerint humida, vt lactuca; siue sicca, vt rosæ, plantago, posca: potentius tamen frigida sicca, quàm humida. Itaque ex aqua communi aut rosarum vel plantaginis cum aceto ea proportione addito, vt bibi possit, parabitur oxycratum, quo imbutum linteum admouebitur parti & sæpè renouabitur. Obseruanda tamen diligenter caussa fluxionis, quia curatio morbi tota consistit in remotione causæ. Ponamus ergo partem immodico calore attrahere, cerato refrigerante Galeni, vel vnguento rosato Mesuæ, vel vnguento de cerusa Rasis, vel vnguento populeo ardor contemperabitur prouidendo ne quid nimis, Quia immoderato refrigerantium vsu aut pars Scirrhescit, aut gangræna perit, si intolerabilis cruciatus fluxionem proritarit, anodyno aliquo dolor mitigetur, alioquin inanis erit conatus. Equidem optimum est anodynum quod tollit causam doloris, sed sæpe longior est via, inter moras aucta fluxio membrum corrumpit. Itaque temperatis (seu
B
primo gradu calidis,) quæ sunt analoga nostro calori, dolor sedetur, vt cataplasmate ex farina hordei, cocta in lacte cum vitellis ouorum aut oleo ipso ex vitellis ouorum extracto, aut chamæmelino. Quæ si non prosint, præscribantur narcotica, vt cataplasmata ex folijs hyoscyami, aut mandragoræ, aut cicutæ coctis in lacte. Si placet, in lacte, in quo prædicta folia bullierint, coquatur farina hordei, atque inde paretur cataplasma. Sed stupefacientibus magna religione est vtendum, alijs prius tentatis & euictis, ne ad cōtrariam, id est, frigidam intemperiem pars deducatur, & inde error peior priore committatur. Bonum quidem est præsens, sed damnum emergēs. Podagrici dolores narcoticis ad tempus mitescunt, sed pars debilitata, erit in posterum fluxionibus opportunior. Quid multa? semper defigēda est cogitatio in causam
C
fluxionis, illique imprimis subueniendum: nihilominus commune manebit in arte præceptum, Principio parti mittenti admouenda esse repellentia. Veruntamen vt nihil fere est, præsertim in Physicis, quod absolutè sit verum, multi casus ab hoc præcepto excipiuntur. Primum si causa fluxionis sit venenata, vt morsus canis rabidi vel serpentis, nocent repellentia, potius conandum est, vt foras venenum attrahatur, Mithridatio, exempli gratia, cocto cum cepa aut allio, corniculis, suctu, cucurbitulis, scarificatu, hirudinibus, viuentis galli podice virus euocetur, aut viuus dissectus admoueatur, vt calore trahat. Secundo si ad emunctoria fiat fluxio, eóque partes principes humores noxios transmittant, non est repellendum: quia destinata sunt earum excrementis recipiendis, neque ad illas sine manifesta vitæ iactura retrudi possunt, nisi sit fluxionis causa à re externa. Tertio si fluxio sit critica (nisi fortè feratur ad partem nobilem & minetur interitum) non est repellendum. Quia impediretur naturæ motus, cuius coadiutores esse debemus. Huc pertinent affectus cutanei vt pruritus, scabies, impetigo, lepra, morbilli, variola: quia fiunt per modum crisis natura in commune totius corporis emunctorium onus deponente. Quarto cum metuitur ne à causa externa, vt contusione, fluxio excitetur, parti contusæ non est admouendum repellens, ne conculcato humore repellentis frigore, membrum contusum corrumpatur. Licet tamen in ambitu defensiuo aliquo, vt liru ex oleo rosaceo aut ex oui albumine agitato cum rosaceo, partem præmunire. Quinto cum humor est multus & crassus, abstinendum est repellentibus, quia magis densaretur. Incuneatur verò & non difflatus humor partem corrumpit priuatione natiui caloris, & victoria alieni. Cur in simplici carbunculo, furunculo aut eiusmodi tuberculis quamuis inflammatis, non licet repellere? an quod fiant à sanguine crasso & melancholico? An quod fiant per modum crisis? an quòd humor peccet qualitate, non tantùm quantitate, vt qui flegmonem facit, qui retrocedens totam massam inficeret? Sexto, valde plethorico aut impuro corpore non est repellendum, sed vena secta, prius plenitudo minuenda est, cacochymia purganda. Quo enim repelleretur cum plena sint vasa? Sanè retrocedens pro externa interiorem inflammationem excitaret. Præterea si parti dolenti applicentur repellentia, augebitur dolor, quia impediet difflatio. Itaque, vt iam monui, nihil prius moliendum est, quàm dolor sedatus fuerit. Adhæc si pars valdè sit imbecilla quæ fluxionem excipit, satis est eam leuiter adstrigente roborare, vt oleo rosaceo, cum pauco aceto, quia metuendum est ne vehementer repellente languidus calor extinguatur. Si quæ sint aliæ circum-
D
E

stantiæ quæ impediant vsum repellentium in principio fluxionis, ad istas reduci possunt. Non est prætereundum morbis qui fiunt congestione, repellentia non conuenire: partim, quòd humor sit crassus & frigidus; partim, quòd repellentia destinentur causæ antecedenti quamdiu humor adhuc in motu est. Tumorum autem à congestione nulla est causa talis. A

QVID SIT AGENDVM IN AVGMENTO.

CAP. VII.

CVM manifestè pars intumuit, incipiuntque augeri Symptomata, durities, calor, dolor, pulsatio, febris: neque potuit reuellentibus, vt phlebotomia, neque repellentibus, vt oxycrato impediri generatio tumoris, tentanda est resolutio, si modo humor non admodum multus & crassus, resolui possit. Duplex autem est resolutio, vna insensibilis B διαπνόεις, διαφόρησι, quæ resudatio possit nominari, cùm humor conuersus in sudorem resudat, sudorisque instar transcolatur: quæ nonnunquam sine artis auxilijs fit solo naturæ robore, cum humor est paucus & tenuis, pars laxa & mollis; alioquin mediocriter calidis quæ simul partem relaxent, iuuanda erit resolutio, vt farina fabarum, hordei, erui, lupinorum cocta in decocto althææ, meliloti, Chamæmeli. Exempli gratia: ℞. althææ cum radice, m. i. florum chamæmeli & meliloti ana p. ij. fiat decoctio, residentia teratur, coletur. Adde colaturæ, farinæ hordei & fabarum in principio augmenti: in fine farinæ erui, lupinorum, ana ℥ij. cum oleo violaceo aut rosaceo, in principio: in fine cum oleo Chamæmelino, aut liliorum, fiat cataplasma. C Resoluentibus enim in principio augmenti admoueri debent leuiter repellentia, vt puluis rosarum, vel myrthillorum, & prædictis farinis permisceri. Dignosces autem tui remedij profectum, si pars detumescat, mollior sentiatur: potissimum verò si cataplasma, quoties renouatur, humidius appareat. Quando enim humor resolui non potest, debetque in pus conuerti, aut in deterius, vt gangrenam, vel in durationem permutari, auctus calor exsiccat illud. Sed quid appellas resolutionem manifestam? cùm humor sub specie humoris non vaporis educitur, vt scarificatu, hirudinibus admotis. Qui modus in malignis tumoribus, vt carbunculis pestilentibus, necessarius est. Quia malignus humor nec in vapores resolui potest, nec coqui.

QVID SIT AGENDVM IN STATV. D

CAP. VIII.

TVMOR est in vigore, iam propè confecto pure: pus autem fieri cognoscimus ex symptomatum vehementia. Quia vt nox, quæ præcedit crisim, solet esse molesta propter conflictum naturæ cum morbo: sic in confectione puris pugnat alienus calor cum natiuo; huius tamen victoria fit pus laudabile. Solus autem calor naturalis & alimenta & excrementa coquit; iuuatur tamen admotis pepticis quæ analoga sua qualitate illius robur augeant, & emplastica substantia difflationem spiritus prohibeant. Tale perhibetur à Galeno cataplasma ex farina tritici cocta in hydrelæo. Farina enim tritici non tantùm modicè calida est, sed cocta in oleo & E aqua cutis meatus obstruit, calorisque & spiritus dissipationem prohibet, quo modo auctus calor celerius saniem in pus conuertit. Facto pure mitescunt accidentia omnia, quia cessat commotio, pacatum est vtriusque duellum caloris, victrice natura. Præterea tactu inundatio percipitur, pars albescit, & in acutum tendit, crassiore parte subsidente, tenuiore in pyramidis formam ascendente. Aliquando tamen difficilimè his quatuor signis pus confectum esse cognoscitur, quando vel cutis valde dura est, vel pus in profundo delitescit. Pure facto nihil aliud superest, quàm vt ferro vel ruptorio abscessus aperiatur. Ruptorium ex calce & sapone optimum parabitur aut ex fermento & fimo columbino. Aperiatur autem parte decliui, vt puri liberior sit exitus; secundum rugas cutis, aut potiùs rectitudinem fibrarum, canendo venas, arterias, neruos. Quod si metuat chirurgus anatomiæ non admodum peritus,

A ritus, admoueat pyroticum. Est enim tutius non præsentius remedium. Estnè semper expectanda suppuratio, priusquã aperiatur apostema? Minimè verò. In malignis enim, vt bubone pestilente aut venereo tardare periculosum est. Parotides sæpe aperiri debent vixdum incipiente suppuratione, ne virulẽta sanies retro cedat: aut interim dum coctio præparatur, ne putris vapor ad cerebrum feratur. Abscessus quoque primarij vix vnquam maturantur, propterea crudi aperiuntur. Quibus quidem apertis non erit confertim & semel, sed sensim & per interualla pus vacuandum, ne anima deficiat, spirituum magna & subita dissipatione. Apertus tumor curetur remedijs vlceris proxima sectione explicandis. Atque hæc in genere & indefinitè de curatione tumorum dicta sint. A doctrina generali ad specialem instat vt descendamus.

DE FLEGMONE. CAP. IX.

B

QVAMVIS φλογώσις, incendium partis sine materia, nonnunquam flegmone nominetur, pateatque hoc nomen tam latè, vt etiam erisipelas comprehendat, propriè tamen & distinctè tumor à sanguine sola quantitate vitioso flegmone nuncupatur. Quasi verò, dices, sanguis qui flegmonem committit, non sit putris & corruptus? Respondeo, si spectes materiam coniunctam, fit à sanguine putri, quia vbi primum sanguis è vasis excidit, deseritur à calore suo, deprehenditur ab alieno, atque inde putret. Si verò consideres causam antecedentem cùm primum incepit fluere, haud dubiè tum sola peccabat quantitate, quod de sanguine qui carbunculum aut furunculum facit, non dixeris, quia in ipsa massa corruptus erat. Distinguitur autem flegmone præsertim ex partium varietate, in exterio-
C rem & interiorem; nulla enim est pars quæ inflammari non possit. Hinc hepatitis, inflammatio hepatis; peripneumonia; inflammatio pulmonis; frenitis, meningum & cerebri: nefritis, renum: Cæteræ quidem partes internæ, vt vesica, vterus, ventriculus, mesenterium, diafragma obsideri possunt flegmone: sed non est nomen proprium quo distingui possunt; satis est nomen generis cum parte affecta, hoc est, definitionem pro definito vsurpare. Partes quoque externæ omnes inflammari possunt, paucis tamen sunt imposita nomina. Inflammatio oculi ophthalmia dicitur; faucium, angina; gingiuarum, Parulis: glandularum quæ sitæ sunt ad radicem linguæ tonsillæ, paristhmia; emunctoriorum hepatis & cordis, bubo: emunctoriorum cerebri, parotis: inflammatio pedum, crurum, brachiorum, digitorum, non habet nomen proprium, significatur nomine generis cum parte affecta. Omnium com-
D munis est causa, definitio eadem. Itaque Chirurgiam inter partes Therapeuticæ primo loco explicandam omnes facilè intelligunt. Generalis enim doctrina tumorum, quæ particularem debet præcedere, non alibi, quàm in chirurgia, explicatur. Cæterum hic externarum duntaxat inflammationum curationem meditamur, quæ ferè semper fiunt fluxione sanguinis. Fluxio excitatur aliqua ex commemoratis causis, quas non erit necesse deinceps inculcare, omnia enim semel. Dignoscetur partis rubore, calore, duritie, quam non parit humor crassus, vt Scirrhum, sed copia distendens. Inde dolor remissus, pulsatio, & febris magnis aut malignis tantùm inflammationibus succedunt. Arteria enim oppressa non potest liberè dilatari. Ex hoc vehementi conatu sequitur insignis & dolorosa pulsatio. Quæret aliquis si pressa arteria vehementius pulsat, cur in frigidis tumoribus, etiamsi prematur, non pulsat? Respondeo, vsum esse præcipuam cau-
E sam pulsationis. At in frigidis tumoribus nulla est vehementioris pulsus necessitas, in calidis verò maxima. Quia partis incendio calefacti spiritus cum arteria, egent refrigeratione, cuius quo maior est necessitas, eo maior & vehementior percipitur pulsatio, vt tempore suppurationis. Symptomata enim & intendi & remitti diuersis morbi temporibus iam exposuimus. Itaque ad remedia pergendum est. Imprimis prospiciendum est causæ antecedenti, vena semel atque iterum secta, si ita ex vsu videatur, plethora minuenda. Quod si non adsit plenitudo vt in flegmone, quæ fit à causa violentia, vt ictu, morsu, casu. Aperienda nihilominus vena ad reuulsionem, vt impediatur ne fiat. Vtile erit mox enemate aluum proluere ad deturbandas fæces. Quibus retentis assurgunt fumi qui dolorem & morbum augent. Quinetiam post venæ sectionem cassia aut Catholico poterit corpus repurgari. Interea si nihil impe-

diat admoueatur afflictæ parti tepellens, vt oxycrato insuccatum linteum, aut oui albumine agitato cum oleo rosaceo & aqua rosarum, nisi magis placeat cataplasma A
ex puluere rosarum & farina hordei coctis in posca, addendo olei rosacei q. s. aut ex semperuiuo, plantagine & rosis coctis in oleo rosaceo cum pauco aceto, deinde contritis fiat cataplasma. Abstinendum à valde astringentibus, vt bolo armena, sanguine draconis: quia augent dolorem & calorem, prohibendo difflationem. Æstate topicum admoueatur frigidum: hyeme tepidum. Increscente morbo humor resoluatur primùm ex farina hordei cocta in oleo rosarum: in fine verò incrementi ex farinis hordei & fabarum coctis in oleo chamæmelino, quod malim quàm Emplastrum diapalma, quod Galenus commendat, etiamsi remolliatur cum oleo rosaceo. Si propter materiæ copiam aut crassitiem, putes flegmonem non posse resolui, procurabis suppurationem hoc cataplasmate. ℞. radicum liliorum & oxylapathi, ana ℥j. althææ cum radice, parietariæ, violariæ; ana m. j. florum chamæmeli & meliloti, B
ana p. j. feminis lini & fœnugræci ana ℥ß. fiat decoctio in aqua & oleo liliorum, quibus contritis fiat cataplasma. Si tamen insignis sit calor atque etiam vrgeat dolor, suppuratio procurabitur cataplasmate ex folijs & radice hyoscyami coctis sub cineribus, deinde adiecta axungia artritis, habent enim vim pepticam. Itáne, dices, cùm pepasmus fiat à calore moderato; immoderatum verò dum contempetat ex accidenti frigidum, iuuat pepasmum. Possunt etiam vsurpari ad suppurationem basilicum & diachylum, remollitum cum oleo liliorum, præsertim cum metus est ne flegmone induratione terminetur. Facto pure aperiatur abscescus, vlcus deinde proxima sectione explicandis remedijs curetur, id est, mundetur, incarnetur, deinde cicatrice obducatur. Mundificatiuum commune parabitur oui albo simul cum vitello agitato & alumine Zuccharino inspissato, aut, quod est chirurgis familiare, mundificatiuo de apio & melle rosato. Memineris interea præscribere ægro victus rationem, C
vt in principio magnæ inflammationis vbi est adiuncta febris, abstinê tiam vini & eorum quæ sanguinem calfacere possunt, vt sinapi, aromatum: Potius vtatur refrigerantibus, vt iusculis, lactucâ, portulaca, cichorio, acetosa altetatis, sirupo violato, cum aqua hordei. Inspissando enim sanguinem, fluxiones sistunt.

DE CARBVNCVLO, QVID SIT, QVOTVPLEX, quibus signis dignosci, quibus remedijs curari debeat: obiter de igne sacro & pruna.

CAP. X. D

CARBVNCVLVS est tumor inflãmatorius, à fluxione sanguinis vsti: quamuis enim pertritum sit sanguinem, dum assatur, parte tenuiore verti in bilem, crassiore in melancholiam: Tamen vt vstionis, ita & putrefactionis longum est tempus: toto illo tempore sanguinis nomen & speciem retinet, qui carbunculum facit, nondum in aliam naturam transijt. Verùm pro vstionis gradibus, & vstæ materiæ conditione, ignem sacrum, prunam aut carbunculum committit. Nam portio tenuissima sanguinis flammæ, hoc est, aëri vsto similis, ignem sacrum: Crassior similis carboni extincto, carbunculum: media inter vtrumque similis carboni vrenti, prunam excitat. Fit ergo carbunculus non ab atra bile, vt cancer, qui citra controuersiam fit sanguine iam conuerso in atram bilem, sed à sanguinis crassiore portione. Omnis quidem malignus, plus minus, nullisque cedit ordinarijs remedijs, quidam tamen ad eum malitiæ gradum peruenerunt, vt sint contagiosi, quales febribus pestilentibus solent superuenire. Distinguentur ab accidentibus. Nam si peste grassante alicui carbunculus in cute efflorescat, suspicandum est eum esse pestilentem; ab adiunctis, vt febre continua & ardente; à consequentibus, vt nausea, vomitu, tremore cordis, animæ deliquijs, & eiusmodi accidentibus quæ pestilentes febres comitantur. Vtrique communia sunt diagnostica quæ sequuntur. Apparet primùm pustula in ambitu inflammata, dolorosa; partem enim constringi putant ægri, & veluti pondus grauans percipiunt, propter caloris & spirituum inopiam. Pustulam si aperies, inuenies siccam quòd vstione sit exsiccatus humor;

A mor subiacentem carnem instar carbonis nigram, vnde nomen habet. Si quis fortè
ruber aut citrinus appareat, non est adeo exitiosus, quia fit à sanguine minus vsto &
putri. Pruritus ingens in parte sentitur, propter mordaces fumos vsti sanguinis, qui
incredibilem scabendi excitat cupiditatem, scabendo plurimæ pustulæ, quales in
ambustis, excitantur: circumiecta caro inflammatur, sed cum liuore qui picis splen-
dorem refert. Dubitatur ergo non immerito quónam potius genere carbo contine-
ri debeat, vlcere an inflammatione? Nam si spectas apertam pustulam, est vlcus pu-
tre & malignum; si adiacentem carnem, est inflammatorius tumor. Vterque car-
bunculus vno communique nomine ἄνθραξ Græcis nominatur. Recentiores tamen
vt distinctiùs & minore confusione vtriusque curationem seorsim explicarent, sim-
plicem, minusq; malignum carbunculum appellauerunt; pestilentem verò anthra-
B cis nomine per excellentiam, quod ad summam malitiæ nequitiam peruenerit, ap-
pellarunt. Vtrique communia sunt remedia, nisi quod aduersus veneniatam qualita-
tem cardiacis tam sumptis quàm admotis purgandum est, vt theriacæ ℥ß. quotidie
sumpta cum aqua scabiosæ. Flebotomia cõuenit ratione febris ardẽtis & putridæ, &
rationone doloris. Nihil enim tam refrigerat, nihil cruciatus intolerabiles æquè se-
dat. Aperiatur vena è directo non ex aduerso, ne virus retrahatur. Purgetur corpus
catholico dissoluto in aqua scabiosæ: ad carbunculos enim perhibetur efficacissima
scabiosa tam sumpta quàm admota. Topicum ne repellat, sed potius foras trahat.
Itaque locus altè scarificetur, quinetiam hirudines incisionibus applicentur. Fo-
ueantur muria, ne sanguis concrescat, liberiusq; exeat, superponatur cataplasma ex
farina fabarum, erui, lolij, vel lupinorum, cocta in oxymelite ad putredinem sisten-
C dam. Potest etiamnum Ægyptiaco caro putris à viua separari. Quod si nihilominus
subiecta caro natiui caloris extinctione corrũpi videatur; cãdente ferro vratur, hoc
est, actuali potiùs quàm potentiali cauterio, vt arsenico, comburatur. Non est me-
tuendum à dolore, quia caro mortua non sentit, atque hæc conueniunt vlceri. Inte-
rim inflammationi circumponatur defensiuum, quod leuiter fluxionem repellat si-
mulque ne retrocedat venenum, impediat. Quale Galenus conficit ex plantagi-
ne, lentibus, & pane furfureo, simul coctis in aqua, vulgo emplastrum de arno-
glossa nominatur. Aut ex bolo Armena, oleo rosaceo & pauco aceto fiat lini-
mentum. Quidam sunt contenti theriacam aut mithridatium post scarificatum ad-
mouere vlceri, vt venenum foras extrahant & tractum expugnent. Immiscere
possis radicis gentianæ & scabiosæ puluerem ad eundem finem. Si tamen caro
nigra iam nihil aut leuiter sentire videatur, ab initio nihil præsentius vstione.
D Crusta deinde aliquo pingui; butyro vel axungia vel basilico inungatur, vt absce-
dat; postea vlcus ordinarijs remedijs curetur, ex vitello oui, terebinthina & apij
succo simul mixtis mundetur, vnguento aureo repleatur, emplastro diapalma cica-
trice tegatur.

DE GANGRENA ET SPHACELO.

CAP. XI.

SPHACELOS est νέκρωσις, mortificatio partis extincto natiuo calore, quę
sensus & motus priuatione dignoscitur: Gangræna est via ad sphace-
E lum seu incipiens sphacelos.
Tumores calidi, vt flegmone & erysipelas, his modis nonnũquam ter-
minantur: aut quod copia materię naturalis calor suffocetur prohibea-
turq; vitalis spiritus & influentis caloris à corde appulsus. Incuneatus humor impe-
dit difflationem caloris, Arterię non possunt sese dilatare. Idem accidit non tantùm
quantitate, sed etiam qualitate, vt malitia humoris, non tantùm calorem sed etiam
temperiem membri corrumpentis. Accidit etiam gangręna, si immodica refrigera-
tione, siue ambientis frigore immoderato sit extinctus partis calor, vt accidit ijs qui
nudis pedibus per niuem longum iter faciunt; siue imperitia chirurgi, qui nimis re-
frigerantibus vt narcoticis calorem partis extinxerit. Aliquando moderatus calor
corrumpitur ab intemperato, vt intempestiuo caustico, pyrio puluere sclopetorum.
Gangręna dignoscetur partis liuore, quod illi depereat viuidus color, & denigrari

iam incipiat; putret nec tantum mollior tactu ipso sentitur, prementiq; digito cedit A
nec resilit; sed etiam graue olet putidumq; expirat. Tum scalpello aut nouacula ea-
so altè incidenda est; si plane non sentiat, mortuum & cadauerosum iudicetur, hoc
est, iam confirmata gangræna transijt in sphacelum, siderationem Latini vocant.
De cuius significatis legendus Galenus 2. de loc. affectis cap. 2. & comment. ad
Aphoris.50. lib.7. Instat vt constitutis causis remedia subiungamus. Incipiente gan-
græna quæ succedit inflammationi (incipere autem tum dignoscetur cùm morbo
non diminuto; pulsatio tamen & dolor disparent) si sit adhuc suspicio plenitudinis
neque plane sublato præcedente morbo videatur; aperiatur imprimis vena, corpus
repurgetur, membrum putrescens altè scarificetur. Incisionibus, si placet, hirudines
applicentur, aqua salsa aut oxymelite cum spongia foueatur. Habet enim vim siccan-
di & detergendi, atque ob id putredini resistit. Superponatur emplastrum ex farina
erui, lolij, lupinorum, vel fabarum cocta in oxymelite, ad eundem finem. Pollent B
enim istę farinę insigni virtute desiccandi. Cum primùm ardor recesserit, Ægyptia-
co caro putris à sana separetur, aut arsenico diluto vino, aut aqua forti caro putre-
scens attingatur. Quod si iam multa caro cõputruerit, eius portio nouacula abscin-
datur, reliquum vratur: alioquin assatio esset longa, & inter vrẽdum suo fœtore ipsi-
met chirurgo molestissima. Crustam spatula chirurgus amoueat: non expectet dum
aliquo pingui illinita sponte abscedat, ordinarijs vlcerum remedijs reliqua curatio
peragatur. Quod si sensus & caloris priuatione sideratum mẽbrum intelligas, si pun-
ctum aut incisum planè non sentiat; ne lõgius serpat putredo, & vicinas partes, quin
totum corpus cõsecutione trahat in societatem ruinę, quàm citò fieri poterit abscin-
datur. Amputandi modum declarat Celsus lib. 7. cap. 33. In quo recentiores hoc
potissimum reprehendunt; quod suadeat sectionem fieri in parte sana, Galenus C
vero in parte mortua prudentius, inquiunt. Quia hoc modo vitantur, dolor, con-
uulsio, hemorrhagia; quæ contingere solent, quoties fit sectio in parte sana,
Vesalius & Fallopius secant in continuo. Carnem primùm incidunt nouacula can-
dente, vt sit loco cauterij ad sistendum sanguinis profluuium, cuius manubrium fer-
reum alio ligneo sit coopertum, ne operantis manus lædatur, incisa carne os secatur
serra. Possis operandi modum pluribus descriptum legere apud Fallopium & Vesa-
lium, nam alter ex altero totum caput de Gangręna transcripsit vix vna vocula im-
mutata. Cęterùm si Gangręna aduenerit summa membri refrigeratione, conandum
est admotis calfacientibus frigidam intemperiem corrigere. Si ab ictu aut morsu ve-
nenato, aduersus venenum tam sumptis quàm admotis Alexipharmacis vt theriaca
vel mithridatio pugnandum est, non prætermisso scarificatu. D

DE BVBONE. CAP. XII.

IPPOCRATES magnas præsertim glandulas, quales sunt principum par-
tium emunctoria, appellat bubones, à parte affecta traducto nomine vt no-
tat Gal. ad 2. Epid. Earum inflammatio bubo nominatur. Sic enim 2. ad
Glauc. bubonem definiuit, qui citò facileque suppurat: phyma, qui tardè
& difficillimè: quia ad erysipelatis naturam propiùs accedit quàm flegmones. Fyge-
thlon propriè nuncupatur. Est autem bubo quidam criticus, alter symptomaticus.
Discernuntur; quod critico mitescunt cum febre mala accidẽtia, quæ symptomati-
co intenduntur. Est etiam quidam benignus, alter malignus. Benigni ferè sem- E
per causa est euidens, vt lassitudo, nam ijs tumere solent inguina, qui longum iter
præter consuetudinem conficiunt. Dolor ingens in subiecta parte, vt in manu aut
pede, quia natura ad partem dolẽtem sanguinem transmittit, qui in glandibus subsi-
stens illic phlegmonem parit. Ab ictu quoque vulnere, contusione fieri potest flu-
xio in glandulas quæ ea in parte bubonem efficit. Malignus autem est pestilens
aut venereus: Pestilens non tantùm pone aures, sub alis, aut sub inguinibus ap-
paret, verum etiam in glandulis colli, natura, quò potest venenum ablegante, etiamsi
sub alis sita sint emissaria cordis. Venereus in glandulis duntaxat inguinum emergit,
quia iecur laborat sub lue indica. Quod si virus retrocedat, & repente bubo dispa-
reat, iecur primùm, deinde tota massa sanguinis inficitur, vnde lues venerea mox
consequitur. Discernitur benignus à maligno, quod ille causam habeat euidentem,
tum

A tum quod aut nullam aut valde mitem & diariam duntaxat febrem habeat coniunctam, pestilenti verò semper adiuncta sit febris continua, malignis accidentibus, vt nausea, vomitu, animæ deliquijs, tremore cordis, comitata, in venereo nihil tale apparet, imo sæpe protuberat inguen sine febre: Quia cor non patitur, febris autem est affectus cordis: nisi fortè dum sit pus, compatiatur. Discernuntur potissimùm ab antecedentibus, vt congressu cum impudica, tum quod infra aut supra glandulam inguinis pestilens appareat; venereus in glandula. Præterea pestilens non est rotundus, sed porrigitur in longum & neruus tenditur instar chordæ. Cùm bubonis speciem hoc modo distinxeris, præscribenda erunt vnicuique propria & accommodata remedia. Sanguinis missio confert omni buboni, quia morbus est à sanguine. Verum in benigno aperiri potest vena in brachio ad reuulsionem. Quia fit à sanguine non putri minimeque venenato. Quineriam licet leuiter repellens vt
B oleum rosaceum applicare. At in maligno ad deriuationem simul & vacuationem materiæ cōiunctæ, proximum ventrē incidere oportet. Vt saphena, inflammato inguine, non basilica aperienda est: ne retrahatur venenum, quod foras omni arte euocādum est. Columbæ aut pulli viui per medium dissecti in eum vsum buboni admoueantur: aut implumis podex galli viuentis, cui rostrum constringatur vt per anum cogatur inspirare & iuspirando virus attrahere. Cucurbitula potentiùs & celeriùs trahit. Sumptis & admotis cardiacis cor toborandum est, præsertim in bubone pestilenti. Dolor demulceatur fotu ex oleo chamæmelino, liliorum calente, aut decocto ex radice liliorum, althæa tota, violaria, floribus chamæmeli, meliloti, semine lini, fœnugreci pręparata, admoueatur diachylum ireatum: in contumaci diachylum cum gummis; vel ♃. diachyli ireati ℥ij. ammoniaci & bdellij ana ℥ß. Adde si placet,
C pulueris Aristolochiæ, dictamni, gētianæ, ana ʒj; malaxentur cum oleo de scorpionibus, cuius solo litu venenum foras attrahitur. Fiat emplastrum molle, cuius portio extēdatur super aluta & applicetur parti dolenti. Aut, ♃. cepam j. cauetur, & impleatur cauitas Theriaca vel Mithridatio, deinde papyro inuoluta coquatur sub cineribus calidis: teratur deinde cum oleo scorpionum, fiat cataplasma, addere possis prædictos pulueres aut fermenti ℥ß. Quando videbitur tendere ad suppurationem, admoueatur pepticum aliquod, vt Basilicum aut cataplasma ex farina tritici cocta in oleo liliorum. Etiam ante perfectum pepasmum aperiatur. Deinde vlcus ordinarijs remedijs curetur, mundificatiuo de apio mūdetur, repleatur vnguēto aureo, emplastro diapalma cicatrice tegatur. Non est prætermittendum, minùs exitiosum esse bubonem, imò verò vt plurimum salutarem, qui præcedit febrem pestilentem, qui verò
D eandem sequitur, semper apparet cùm periculo. Qui tamen sub inguine protuberat, minus habet periculi; quia longiùs abest à corde, & naturæ robur indicatur, quæ tam procul venenum expulerit. Qui ponè aures & sub alis apparent, sunt funestiores. Funestissimus qui sub ala sinistra, quia imbecillitas naturæ inde arguitur; item quo bubo est minor, eo est periculosior.

DE ERYSIPELATE, QVOD CELSVS COMMVNI, non proprio nomine vocat ignem sacrum.

CAP. XIII.

E PHLEGMONE inter tumores primas tenet, quia sanguis naturæ instituto & dignitate est humor primogenitus, naturæ filius & eiusdem thesaurus. Erysipelas illi tanta societate cohæret, tamque similis est inflammationi, vt vno φλεγμονῆς nomine vtrumque ab Hippocrate nominari iam monuerimus. Differunt tamen materia, primo subiecto & accidentibus, vt doloris specie & pulsatione. Nam φλεγμονὴ fit à propriè dicto sanguine. Erysipelas à naturali bile, qualis continetur massa sanguinis, aut bilioso, hoc est valde tenui & feruido sanguine. Erysipelas est tumor cutaneus, afficit primùm cutem, phlegmone carnem. Nam si Erysipelas subiectam carnem occupet, est phlegmonodes, fit à bile permixta sanguini. Appello cutem non tantùm externum tegumentum corporis, sed & mēbranas quibus interiores partes teguntur: Nam vterus, vesica, ventriculus, vt phlegmone, sic Erysipelate

obsideri possunt, alioquin male scriptum esset ab Hippocrate, Ossibus denudatis erysipelas superuenire malum. Dolor non est hic tensiuus sicut phlegmone, sed mordicans: quia sanguis non est crassus & copiosus, vt partem distendat, sed valde acris & mordax. Vnde ab Auicenna Erysipelas Spina nominatur. A

Dolor non est tantus, sed ardor longè maior, vnde exarsio à quibusdam appellatur. Propterea nisi fuerit phlegmonodes, arteria non pulsat, quia non premitur. Gal. non immerito dubitat, an sit tumor, quia est superficiarius & propemodum insensibilis. Si digito prematur, qui subest sanguis, effluit, & ad tempus disparet rubor, qui tamen mox refluit. Quid multa? tumore solo aut colore discerni possunt. Est enim inflammationis color ruber; erysipelatis, ex rubro flauescens: vnde erythropelas à quibusdam nominatur. Raro occurrit exquisitum præsertim in facie, vbi frequentius accidit; quia tenuis sanguis sua leuitate ascendit. Subsistit autem in cute faciei tenella & rara, pro humoris varia mixtione, phlegmonodes, œdematodes, aut scirrhodes nuncupatur. Est præterea quoddam simplex, quoddam cum adiuncto vlceratum, quod ad herpetem esthiomenon pertinet, de quo proximo capite. Communia ferè habet remedia cum phlegmone, Cassia cum rheo corpus repurgandum est, imprimis cauendo diagrydiata, vt diaprun*on* solutiuum, electuarium de succo rosarum, ne iecur & sanguinem iam ardentem vltra modum calfaciant. Vena deinde incidenda, quia nihil peræquè sanguinis ardorem extinguit. Repelles applicatur quod sit frigidum & humidum cum leui adstrictione, vt vtraque qualitas contemperet feruorem bilis igneæ, hoc est, calidæ & siccæ. Eiusmodi sunt aquæ destillatæ, decocta, vel succi solani, semperuiui, lactucæ, portulacæ, cichorij, immixto pauco aceto; quibus intinctum linteum admoueatur parti erysipelatosę. Renouetur sæpe, quia ab ardore cito exsiccatur. Quibus si non mitescat feruor, permisceatur succus hyoscyami, aut ex prædictis herbis cum hyoscyamo coctis, deinde contritis, fiat cataplasma. Cuius loco vsurpari possit vnguentum de cerusa Rasis, mucilago psyllij, populeum. Ea tamen lege, vt cùm primum feruor recesserit, narcoticis abstineamus, ne succedat gangræna. Cuius nascentis si liuor suspicionem iniiciat, applicetur vnguenti forma, diapalma, emplastrum cum oleo recenti, alioquin scarificetur cutis incisione, muria perfundatur, superponatur cataplasma ex farina erui cocta in oxymelite. Cùm videbitur remissus satis ardor vsu refrigerantium, resoluendus est humor, vt mucilagine extracta ex radice & semine althææ, psyllij, fœnugræci aut eiusmodi diaphoreticis, qualia capite de Phlegmone descripta sunt, & à Paulo libro 4. explicantur. Phlegmonem suppurare non est malum, sed erysipelas resolui debet. Impedienda suppuratio, quia sanies acris erodit & vlcerat, facitque ex simplici erysipelate, vlceratum & malignum. B C D

DE HERPETE, QVI ET IGNIS SACRI nomine continetur. CAP. XIIII.

HERPES ad Erysipelas eo modo se habet quo carbunculus ad phlegmonem, vt enim phlegmone fit à sanguine laudabili, quantitate non qualitate vitioso, cum primum incipit è venis fluere; carbunculus verò à sanguine retorrido: Sic erysipelas fit à bile naturali, qualis continetur in massa sanguinis & permiscetur alimentario sanguini ad nutritionem partis biliosæ, vt pulmonis. Herpes verò fit à bile contra naturam, siue illa in venis putruerit aut exarserit, vt accidit continuis febribus; siue extra venas, vt in febribus intermittentibus, cuius primæ differentiæ sunt, vitellina, porracea, æruginosa, glastea. Quæ differunt consistentia & vstionis gradibus. Quo crassior est & magis vsta bilis, eò effusa per cutem deteriorem facit herpetem. Hinc herpes quidam simplex, alter vlceratus. Simplex fit à bile diluta non admodum acri & mordaci, propterea pustulas tantùm excitat in cute, granis milij similes, à quibus miliaris aut pustulosus herpes appellatur. Vlceratus verò si fiat à bile valde crassa & vsta, esthiomenos, exedens herpes appellatur, subiectam carnem ad ossa vsque erodit; vlcus inæquale, inquit Celsus, simile cœno, cui multus humor glutinosus inest: odor, fœdor intolerabilis, maiorq; quàm pro modo vlceris; Inflammatio ignis S. Antonij propterea dicitur. A Græcis ἑρπέσμος dicitur quia E

celeriter

A celeriter serpendo penetrandoque vsque ad ossa corpus vorat. Quod si bilis tenuior est, & minus acris, superficiem solùm velut inurit appellaturque simpliciter herpes non cum adiuncto miliaris aut exedens. Dignum est quæstione, cùm bilis effusa per cutem aut eam in pustulas attollat, aut exulceret, qui fieri possit, vt in aurigine nihil tale contingat? An quia virtus dispersa minor est quàm coacta? an quòd bilis quæ auriginem facit, non est quidem naturalis, neque tamen omnino contrà naturam, sed non naturalis & excrementitia, qualis est quæ vesicula fellis includitur, aut quæ per ecphysin quotidie in intestina ablegatur? Vt ergo illa neque suam cystim neque intestina offendit, nisi fortè naturæ suæ limites egressa, vt in tenesmo & dysenteria: Ita non debet esse mirum, si nec erodat, nec in bullas attollat cutem. An bilis diluta pituita auriginem facit? hoc argumento quòd multo sudore solet terminari. Remedia sunt generalia, diæta in phlegmone præscripta, purgatio
B bilis, ex cassia cum rheo, aut expressione ℨij. rhabarbari, aut ℥ß. diapruni solutiui vel electuarij de succo rosarum, dissoluta iusculo prunorum. Venæ sectio hîc non admodum confert, quia morbus est à cacochymia, nisi fortè ratione causæ antecedentis vt plenitudinis coniunctę, vel ratione febris, vel magni incendij in tota massa sanguinis. Topica sint refrigerantia, verùm quæ non humectent, vt in erysipelate; sed quæ siccent, ratione vlceris præsentis aut imminentis. Nam curatio vlceris est exsiccatio, nihilq; tam impedit curationem quàm humectatio. Itaque pro lactuca, solano ac semperuiuo vsurpentur plantago, rosæ, salicis aut rubri folia, capreoli vitis, oxylapathum cum radice, quorum decoctis infuccatum linteum applicetur herpeti miliari. Oxylapathum totum bulliat in aceto forti, deinde teratur; expresso succo imbutum linteum benè facit. Ego vtor fœliciter solo oxycrato. Poterit parari ex
C aqua rosarum, plantaginis, aut decocto prædicto cum pauco aceto. Ad herpetem verò qui sine adiuncto ita nominatur, conueniunt album Rasis, vnguentum de cerusa, quod fit ex cerusa & oleo rosaceo, vnguentum de minio, quod est cerusa vsta, vnguentum diapompholygos. Quorum loco, si placet, ℞. olei Myrthini ℥ij. recrementi plumbi aut pulueris lanæ succidæ vstæ ℥ij. cum cera q. s. fiat vnguentum. Ad exedentem verò Galenus vtitur trochiscis Musæ, Andronis aut Palidæ dissolutis aceto aut vino rubro. Quorum loco vti possis arsenico sublimato permixto albo Rasis. Iterea ne dolor fluxionem excitet, circumponatur defensiuum, vt linteum imbutum oxycrato, aut cataplasma ex bolo Armena agitata cum albumine. Hoc si non prosit, candente ferro vratur. Quæ non sanat medicamentum, sanat ignis, alioquin abscindatur.

D

DE OEDEMATE. CAP. XV.

HACTENVS de calidis: sequitur vt de frigidis tumoribus disseramus. Hippocrates nomen œdematis tam latè extendit, vt eo tumores omnes includat. A recentioribus restrictum est ad tumorem à pituita, hoc est, album, concolorem pituitæ, mollem: Quia pituita crassa & viscida cedit in se non aliter quàm pasta aut cera mollis: indolentem, nisi forte pituitæ sit commixtus humor calidus, sitq; non simplex œdema, sed cum adiuncto phlegmonodes aut erysipelatodes, quia ferè fit per congestionem. Congeritur autem humor paulatim. Dolor fit parte subitò alterata, aut eiusdem continuitate repentè dissoluta. Hoc ipso quod cedit in se, digitique prementis vestigium
E manet, differt à Scirrho & ab emphysemate. Nam flatus compressus diffluit quidem sed mox affluit. In pituita crassa & viscida, cauitas aliquandiu manet. Cęterum œdema primarium fieri solet congestione, raro fluxione. Symptomaticum vero & alteri mobo vt astmati, tabi, hydropi superueniens fit fluxone. Si quis longo morbo, aut accepto vulnere in tibia, coactus sit perdiu decumbere, longa quiete aggregata est multa pituita, quæ cum primum resurgit, ad pedes vtpote depressiores & à fonte caloris remotiores confluit, vnde œdema. Quod tamen aliquando disparet, cùm motu auctus calor flatulentam pituitam dissipauit.

Quæritur, cur sententia Galeni, iecur tentari possit scirrho, non œdemate? Respondebitur suo parēchymate pituitam tenuem in sanguinem transmutare: crassam vero & lentam aut non admittere, propter humoris & substantiæ suę crassitiem,

aut illam admissam scirrhum non œdema producere. Remedia generalia sunt pituitæ vacuatio, hîc enim parcendum est venæ, nisi aut sit phlegmonodes, aut febris, vel plenitudo coniuncta hoc suadeat, hoc est, non ratione morbi, aut morbificæ caussæ, sed ratione alicuius symptomatis aut caussæ antecedentis mittendus est sanguis. Vtatur pillulis cochijs vel de agarico, aut decocto hyssopi, thymi, pulegij, origani, calamenthæ, in quo ℥ß. foliorum Sennæ bullierit: addendo sub finem agarici nodulo inclusi cum ℈j. zinziberis ʒij. In colatura dissolue Syrupi de hyssopo, de marrhubio vel Oxymelitis Galeni ℥ß. fiat potio. Pauperibus satis erit diaphœnici ℥ß. forma boli, aut dissoluta cum hydromelite. Hic ex vsu sunt hydrotica, decoctum chinæ, ligni-sancti, aut salsæ-parillæ, thermæ sulphureæ, nitrosæ, & aluminosæ, laconicum. Corpore repurgato, victus sit tenuis & exsiccans, vtatur potius assis quàm elixis, iuscula alterentur radicibus aperientibus, vt fœniculi, Petroselini, hyssopo, thymo, pulegio, vtatur vino non admodum diluto. Topica læuiter repellant, quia vehementer repellens pituitam crassam & viscidam impingeret: Digerant quoque, exsiccent, resoluant. Quinimo morbis à congestione repellentia non conueniunt. Attamen imperantur à Galeno, dices? An potius ad robur partis, quàm ad repellendum? an in œdemate quod fit fluxione? spongia vel linteum duplicatum, vel elychnium, vel stupa imbuitur oxyrhodino, cui sit permixtum aliquid salis, atque in principio applicetur parti. Aut vt repellat simul siccet & resoluat cataplasma; ♃. saluiæ, Roris marini, absynthij, rosarum rubrarum ana m. j. florum chamæmeli & meliloti ana p. ij. nucum cupressi & balaustiorum ana ℥ß. fiat decoctio in posca, aut in lixiuio, cum pauco aceto pro fotu partis, residentia teratur, qua fiat cataplasma, addendo olei rosacei aut chamæmelini q. s. Potest etiam parari ex farinis fabarum, erui, lupinorum, coctis in oxymelite. Pauperibus satis erit cataplasma ex fimo bubulo aut columbino cum sulphure. ♃. iij. aut iiij. ℥. fimi bubuli, columbini ℥. ij. sulphuris ℥. j. Frigantur simul in sartagine cum axungia aut butyro, aut quouis oleo. Si placet, bulliant in oxycrato, fiat cataplasma. A B C

DE EMPHYSEMATE ET AQVEO TVMORE.

CAP. XVI.

EX cruditate ab imbecillo calore fit flatus. Qui humores in vapores dissoluit calor, quos non potest discutere, imbecillus appellatur. Subsistit autem flatus aliqua in parte, vt in ossium & musculorum tunicis, sub cute in spacijs inanibus, vt in peritonæo aut scroto, duabus causis, flatus crassitie, aut partis densitate. Dignoscitur renisu & dolore tensiuo. Conclusus enim ventus membranas diuellendo, tensiuum, eumque sæpe intolerabilem cruciatum excitat. Succurrendum imprimis cruditati, pillulis de hiera corpus repurgandum, aniso condito aut Tragea communi vtendum. Roborandus ventriculus litu ex oleis de mastyche, de absynthio, vitanda legumina, vt pisa, fabæ: nec non fugaces, potissimùm crudi fructus: Oleo calastico, vt chamæmeli & liliorum, relaxanda cutis, vt transpiret. Immiscendum aliquod oleum catminatiuum dissipans flatus, vt anethi, rutæ, lauri, cum aqua vitæ. Aut ex anetho, ruta, folijs & baccis lauri; floribus chamæmeli & meliloti, seminibus anisi, fœniculi, dauci, fiat decoctio in vino pro fotu partis inflatæ. Huic superponatur deinde emplastrum de baccis lauri, confectio de baccis lauri tam iniecta, quàm sumpta, bene facit. Sumitur in ventriculi, lienis, aut interioris partis inflatione cum decocto cinamomi vel Trageę communis pondere ʒ. j. Iniicitur in coli cruciatu duplici pondere cum eodem decocto. Faciamus scrotum intumuisse flatu: præscriptis generalibus fouebitur decocto præscripto. Deinde aut oleis commemoratis linietur aut admouebitur emplastrum de baccis lauri. Proderit diluere vinum aqua decoctionis coriandri & parum anisi immiscere pastæ ex qua panis conficitur. Altero exemplo si placet generalem doctrinam confirmemus. Crucietur aliquis tensiuo dolore aliquo in latere, qui mentiatur pleuritidem, quia crassus flatus interiores mēbranas, distēdit, Hipp. iubet causam explorari fotu. Nam inquit, si mitescat dolor, haud dubiè est flatulentus, preseuerandumque est in calasticis D E

&

A & carminantibus: alioquin desistendum ne fotus augeat fluxionem, pleuritis enim est. Verùm quia hæc sunt medicorum non chirurgorum, aliò tendamus. Aquosus tumor, cuiusmodi sunt Ascites, hydrocele, hydrocephalos, curetur hydragogis primùm, vt syrupi rosarum pallidarum ℥iij. cum succi ebuli, ireos, aut soldanellæ vno cochleari. Topicis ad œdema iam præscriptis, cataplasmate ex fimo bubulo & columbino cum sulphure, aquæ resoluantur. Exempli gratia, ℞. seminis ebuli puluerari ʒij. capiat cum vino albo, admoueatur deinde emplastrum de sinapi; quod Galeno authore describit Auicenna hoc modo: ℞. seminis sinapi, vrticæ, sulphuris, Aristolochiæ rotundæ, spumæ maris & bdellij, ana ℥. j. ammoniaci, olei veteris & ceræ, ana ℥ij. fiat emplastrum. Quod, inquit, in dissipandis aquis tantam habet vim, vt si non iuuerit, nulla alia restet spes quàm in ferro. Interea sumptis & admotis ventriculo & iecori consulendum est, vt litu ex oleo de absynthio, quod
B vtrique benè facit.

DE PVSTVLIS PITVITOSIS, VT Pruritu, Scabie, Psora, Lepra, Impetigine, Vulgo dartra.

CAP. XVII.

Pituita aut est naturalis, qualis est dulcis & alimentaria, quæ cõtinetur venis, per longam inediam nutrit, à qua quantitate magis quàm qualitate peccante fit œdema. Aut contra naturam, quæ qualitate
C aut consistentia in vitio est. Peccant qualitate acida & salsa. Consistentia tam quæ iusto tenuior est, vt aquea & flatulenta, quæ non ita pridem explicatos tumores efficiunt, quàm quæ crassior est, vt vitrea, mucosa, gypsea, quæ ganglion, strumas, nodos, abscessus primarios, ateromata, steatomata & meliceridas efficiunt. Piruita acida fit cruditate, salsa vero, vel putredine, vel bilis flauæ aut atræ permixtione. Hæc effusa per cutem pruritum imprimis, hoc est, scabendi desiderium excitat, affectat enim exitum, quem si scabendo liberum obtineat, toto scalptus tempore sentitur voluptas, quam tamen mox cum dolore scabies, cutisve exulceratio comitatur. Nescio quo modo se consequuntur voluptas & dolor, vt dicebat Socrates, cùm solutus vinculis cutem perfricuisset & exulcerasset. Differunt igitur pruritus & scabies intensione tantùm & remissione, estq; pruritus gradus ad scabiem. Qui tamen illi cohæret, est quædam scabies humi-
D da, quæ fit à pituita salsa, aut pituitoso sanguine, coque putri, à quo haud dubiè fit scabies quæ inflammatur & suppurat. Quædam est scabies sicca, quæ propriè & distinctè psora nominatur. Differt à lepra, (morbo D. Iob.) intẽsione & remissione, vt pruritus à scabie sub psora cutis abit in furfures si perfricetur; sub lepra, in squamas. Psora quia fit ab humore tenuiore, est superficiaria. At lepra quia fit à crassiore humore & mordaciore, est profundior & contumacior. Sunt gradus ad Elephantiasin, veram lepram, nisi maturè & diligenter occurratur. Ferè procedunt ab ardore viscerum & sanguinis. Non est prætereundum, pruritum esse morbum valde senibus familiarem, qui cùm illis accidat caloris imbecillitate, non est sanabilis, sed illis ferè semper commoritur. Remedia ferè sunt communia, nisi quod leuioribus leuiora debentur, grauioribus grauiora & vehementiora. Antecedenti causæ pri-
E mùm consulendum erit purgatione, si ita ex vsu videatur, sæpe repetita. Deinde ad ardorem viscerum & sanguinis incidatur vena. Præscribatur deinde balneum aquæ dulcis, nam tepore suo relaxat cutem, & humoris acrimoniam temperat. Ad detersionem, si placet, incoquãtur duo sacculi pleni furfure, quibus totum corpus perfricetur. Nam sordes cutis meatus obstruunr & mordacis fuliginis difflationem impediunt, vnde pruritus. Vsus lactis asinini aut caprini ad eundem scopum vtiliter præscribitur, au serum, præsertim caprillum. ℞. fumariæ p. j. bulliat in ℔ß. seri, adde colaturæ ad dulcedinem tantundem sacchari. Per aliquot dies aut menses in lepra aur psora sumatur; ieiuno ventriculo. Topica sunto, vnguentum pro scabie nutritum de tuthia, aut quod enulatum dicitur. Seruatur autem in officinis duplex: vnum simplex, quo vtendum est in mitti scabie. Alterum compositum cum mercurio, quo vtendum est in scabie maligna, contumaci, inueterata. Item sulphur

coctum in oleo est singulare: in naturis robustis & malo contumaci coquatur in A
oxelæo. Succus oxylapathi cocti cum sua radice in aceto, vt ad herpetem sic ad impetiginem optimè facit. Quæ si mitis fuerit, sanescit quotidie manè perfricta ieiuni saliua. Alioquin vtere succo oxylapathi, aut limonum vel arantiorum, mixto cum terebinthina & oleo rosaceo, addendo vitellum vnius oui. Oleum ouorum quoque bene facit ad impetiginem. Fallopius commendat oleum de viperis, ad malignam scabiem mixtum cum seuo hirci.

DE ABSCESSVS PRIMARII, SEV *exituræ phlegmaticæ primis differentiis, &c.*

CAP. XVIII. B

ABSCESSVS quidam est Epigenematicus, qualis consequitur flegmonem suppuratam, cuius suo loco meminimus. Alter primarius qui fit congestione aut fluxione pituitæ mucosæ, tam in internis quàm externis partibus. Memini me vidisse dissecto cadauere in imo ventre circa pancreas & mesenterium tantum abscessum, vt pulticulæ similis pituitę ℔ iij. & eò plus contineret. Pro materiæ contentæ similitudine veteres abscessus omnes primis differentijs concluserunt ateromate, steatomate, & meliceride. Quando enim pituita similis est pulticulæ, ateroma dicitur, quia pulticulam Græci ἀθήρων vocant. Quando similis est seuo, quod στέαρ à Græcis dicitur, steatoma nuncupatur: quando refert mel & colore & consistentia, meliceris nominatur. Huc C
pertinent strumæ, ganglion, lupia, branchocele, hernia gutturis, testudo, talpa, nata, & eius generis si qui sunt alij, tam magni, quàm parui abscessus: Interiores difficillimè cognoscuntur. Si quæ tamen subsit coniectura, assumpta frequenter diacalamenthæ vel diaprassij ʒj. cum vino aut aqua cardui benedicti, vel scabiosæ, abscessus, si fieri potest, rumpetur, deinde cardiacis, vt theriaca, mithridatio cor confirmetur, ne putridis fumis offendatur, vt à se materiam putrem longiùs repellat & potentiùs expurget. Quò natura verget sequamur. Si videatur viam per vrinas affectare, diureticis eius conatus iuuetur; si per aluum, clysteribus aut blãdis catharticis. Exteriores abscessus quamuis non facilè, nec certo, nisi ab excreto, post incisionem dignoscãtur, his tamen notis à se inuicem vtcunq; discerni possunt. Ateroma est tumor longus, eminens & propter humoris crassitiem durus. Nam impulsus digito, non cedit, aut si cesserit, tardè reuertitur. At meliceris, est tumor rotundus, humilis, mollis. Nam impulsus facilè cedit, citóque recurrit. Steatoma est D
mali coloris abscessus paulatim ex paruo in amplum exsurgens, durior cæteris. Omnium curandorum tres sunt scopi, resolutio, putrefactio, & auulsio. Pituita, quę meliceridas committit, aliquando potest resolui, Propterea digerentibus, vt diachylo ireato, aut cataplasmate ex farinis fabarum, erui, loliorum, lupinorum coctis cum puluere bustalmi imprimis tẽtetur resolutio. Quod si resolui non possit, pepticis suppuratio procuretur, vt basilico, diachylo magno cum gummis, aut farina tritici cocta cum hydrelæo. Quod si neque resolui, neque suppurari possit, chirurgia opus est, extirpanda est cystis, quæ continet humorem, non aliter quàm χυλῶν semen, aut crusta placentam; humoris superficies à calore desiccatur & incrustatur.

Steatoma sola chirurgia curatur, quia adiposus humor nec resolui potest, nec suppurari, semperque includitur tunica duriore. Ateroma non potest quidem resolui, E
sed aliquando pepticis potest maturari. Quorum vsus si inutiliter tentetur, aut exedatur causticis, aut cum sua tota & integra cysti humor euellatur. Duobus autem signis cognosces an includatur humor tunicâ. Primo si sit mobilis, secundo si à cute separetur. Quando enim immotus manet dum contrectatur, & cohæret cuti aut carni, indicium est membranula non includi. Notandum autem est, recentes abscessus & molles resolui posse & suppurari, duros, vero & inueteratos sola chirurgia curari. Sed imprimis corpus repurgandum est, vt occuratur causæ antecedenti, vt pillulis cochis, de agarico, pillulis de hermodactylis; aut diasœnici, diacarthami, benedictæ laxatiuæ ʒß. ℞. diacarthami tabellam j. pondere ℈ß. vel diasœnici ℈ß: fiat bolus cum saccharo. Si placet dissoluatur cum decocto hyssopi, thymi, pulegij:

A Pulnis diaturbith vtiliter quoque sumitur, pondere ʒ ii. Ad purgandum mucum thermæ tam sulphureæ quàm aluminosæ valde prosunt. Celsus & Aetius commendant esum viperarum, quarum præparatio opportunius capite de Elephantiasi.

DE STRVMIS QVÆ CERADES & scrofulæ nominantur. CAP. XIX.

QVÆ de abscessu in genere dicta sunt, ad aliquot species transferamus: Methodus enim est vniuersorum, exercitatio particularium morborum. Definiuntur strumæ, vt inde exordiar, glandulæ induratæ. In quo tamen duo notanda sunt. Primum ex duritie non esse concludendum, strumam esse scyrrhosum & melancholicum affectum. Fiunt enim omnes ex crassa & viscida B pituita, quæ ad succi melancholici naturam propè accedit, quinetiam diuturnitate temporis siccescens in eum degenerat. Nihilominus ad primam radicem & originem mali cogitationem reflectendo, etiam scyrrhosæ strumæ sunt pituitosæ. Secundùm notandum est, non semper fieri strumas glandulis ipsis induratis, sed in partibus glandulosis, vt in collo, sub alis, in mammis, aut inguinibus crassa pituita in glandulæ speciem concrescit, & inuestitur runica non aliter quàm steatoma. Imò verò si Leonidæ credendum sit, aliquando caro superflua in modum glandulæ excrescit, quæ materiæ accessione paulatim augetur. Propter similitudinem igitur quam habent cnm glandula definiuntur glandulæ induratæ. Differunt verò strumæ vel quod aliæ alijs maiores sint, vel quod aliæ alijs benigniores. Mansuetæ iudicantur, quæ non admodum sunt duræ sine dolore & inflammatione, quæque tumorem C habent circumscriptum, rotundum & æqualem. Malignæ vero sunt quæ ad scirrhi duritiem accedunt, inflammationem habent adiunctam cum dolore pulsante. Tumor illis est inæqualis in quo vasa prominent. Tales medicamentis, quin etiam contactu solo irritantur. Differunt quoque quod aliæ sint sub cute & superficiariæ, aliæ in profundo delitescant, quæ magnis vasis solent insidere. Aliæ digiro impulsæ facilè dimouentur, aliæ immotæ permanent. Aliæ sunt vlceratæ, aliæ non. Aliæ sunt hæreditariæ, aliæ accidentariæ, vt quæ pueris propter ingluuiem accidunt, quæ diæta & ætatis mutatione per se aliquando disparent. Quædam neruos, venas, arterias habent implicatas, aliæ non. Quæ quidem differentiæ diligenter considerari debent à Medico, priusquam curationem in se recipiat: quia vt dixi, malignæ vt cancri, efferantur remedijs: hæreditariæ vix ac ne vix quidem sanescunt. Quæ vasis D implicantur, non sine periculo curantur. Non est prætermittẽdum quod scribit Villanouanus, strumas vagas, quæ per totum corpus discurrunt, nuncque hanc partem occupant, vt collum; nunc illam, vt alas vel inguina: aut nunquam sanari posse, aut si quæ sit spes, eam in assumptis potiùs quàm in admotis positam esse, vt thermis sulphureis, nitrosis, aluminosis, in esu viperarum, quia idem de istis strumosis dicendum est, quod de elephanticis, priusquam emineant in cute, interiora viscera esse labefactata. Strumosæ enim sunt partes internæ, omnesque glandulæ illis induruerunt. Quæsitum est, an strumæ sint contagiosæ? Responsum vlceratas & malignas esse contagiosas, cæteras minimè. Curationis scopi sunt resoluere; si non possint resolui, maturare; si non possint maturari, extirpare vel caustico exedere: Quę tamen sunt recentes, superficiariæ & mites, etiam alijs intentatis remediis, extirpantur: resolutio procurabitur diachylo ireato aut vnguento de artanita minore. E Vtrumque enim emollit simul & resoluit: quæ duo sunt materia in strumis per resolutionem cnrandis. Aetius discutit strumas vngulæ caprarum cinere subacto cum oleo aut melle & terebinthina, puluere mustulæ viuæ vstæ. Ex stercore quoque bubulo & caprillo, nec non ex farinis resoluentibus, vt erui & lupinorum coctis in oxymelite, vtiliter conficitur cataplasma. Quod si resolui non possint, adiuuetur pepasmus diachylo magno aut gummaro, oxycroceo, emplastro de bdellio aut cataplasmate ex farinis tritici, lini & fœnugræci, coctis in hydræleo, aur decocto althææ, violariæ, ficuum. Quæcunqne remolliunt & resoluunt, si isto frustrenrur fine, si modo materia sit capax pepasmi, maturanr abscessum & ad suppurationem perducunt. Sunt quidem strumæ capaces pepasmi quæ contactu percipiuntur calidæ. Tales enim redduntur humoris calidi permixtione, cum pituita alioquin crassa

& viſcida ſuppurari non poſſet. Maturus abſceſſus aperiatur; vlcus deinde vnguento Apoſtolorum vel Ægyptiaco curetur: vtrumque enim ſtrumis vlceratis benè facit. quibus etiam prodeſt oleum de vitellis ouorum. Theriaca habet vim detergendi, incarnandi & cicatricem obducendi. Itaque tam ſumpta quàm admota in malignis & vlceratis imperetur. Chirurgiam fusè explicat Tagautius ex Guidone, in qua exercenda magna cautione eſt opus, ne vas aliquod, vt neruus vocalis, vena iugularis, ſoporaria aut aſpera arteria offendatur, quando in profundo latent. Nam Galenus duos vidit, vnum qui inciſo neruo recurrente, alterum qui eodem tantùm denudato & perfrigerato, vocis beneficium amiſit. Videndum quoque diligenter, vt tota & integra cyſtis è radice vellatur; quia ſi quid remaneat, reuiuiſcit morbus. Quod ſi incidatur veſicula, qui effluet humor, reliquam operationem interturbabit. A B

DE LVPIA ET GANGLIO.

CAP. XX.

GANGLIVM & lupia non admodum differunt. Vtrumque enim eſt tumor rotundus & indolens partium neruoſarum. Diſtingui tamen debent. Primò quia ganglium eſt tumor durus, lupia mollis. Secundò quod lupia quamlibet in partem duci & inflecti poteſt, ſurſum deorſum, & ad latera. Ganglium verò duntaxat ad latera ſecundum ſitum nerui. Tertiò, quòd ſit veluti nodus in neruo; lupia neruoſis partibus atque etiam ſolidis & duris omnibus accidit, manibus & pedibus. Caue autem ne nominum ſimilitudine deceptus, lupiam confundas cum lupo. Nam lupus eſt vlcus in cruribus exedens; cui, ne vicinas carnes erodat, fruſtulum carnis apponimus quod veluti famelicus lupus vorat, lupia verò eſt excreſcentia phlegmatica. Conſentiunt tamen lupia & ganglium remedijs. Aliquando exigua & mollis lupia ſola frictione frequenti cum ſaliua reſoluitur: ſi tamen induruerit aut creuerit, primùm remolliatur diachylo magno gummato, vel ſolo ammoniaco, vel oxycroceo, vel emplaſtro de bdellio, vel vnguento de althæa vel ex his cõmixtis. Cùm videbitur ſatis remollitus tumor, digitis comprimatur & conteratur, deinde ſuperponatur plumbi lamina, vt effuſus humor digeratur, quæ tamen arctis vinculis conſtringatur ne diſſiliat. Guido ſcutellæ ligneæ fundo ſæpè & vehementer percutit, donec rumpatur membrana & cõtentus humor effluxerit, deinde plumbi laminam ſuperponit. Si non cedat his remedijs, extrahatur vt ſtruma. Quod ſi lupia aut excreſcentia quæuis alia ſit penſilis & caudata, vt acrochordon, verruca caudata, aut polypus è nare pendulus, conſtringatur filo ſericeo aut ſeta equina, ſi placet, vt acquirat vim exedendi imbuatur priùs aqua cauſtica & erodẽte vt aqua forti, in qua arſenicum vel ſublimẽ infuſum ſit. Sed non oportet ſemel & repente caudam arctiſſimè conſtringere, ſed paulatim. Nam quod fit ſenſim, fit indolenter. Sic excreſcentia contabeſcet deſtituta alimento. Cæterùm ad verrucas & callos felici ſucceſſu vtor remedio Galeni ad Polypum. Conſtat cerati myrthini & Ægyptiaci mixtione, ea proportione, vt Ægyptiaci tertia aut quarta pars cerato commiſceatur. Exempli gratia ad ℥ ß. cerati myrrhini, adde Ægyptiaci ʒj. C D

DE BRONCHOCELE, HERnia gutturis, nata, teſtudine, talpa. E

CAP. XXI.

AQVARVM valde frigidarum vt niuearum vſu ordinario, naſcitur in gutture vel aſpera arteria inſignis tumor qui bronchocele nominatur; vtrumque enim, guttur & aſperam arteriam, ſignificat βρόγχος. Sabaudis & Allobrogibus & ijs qui Alpes & Pyrenæos montes incolunt, popularis eſt morbus, quia gelidis aquis, quales de rupibus ſcaturiunt, vti coguntur. Ad ſteatoma refertur, quia fit ex pituita ſimili ſeuo quam tunica concludit: niſi fortè, quod eſt rarum, puerperæ collum intumuerit, partus tempore diutiùs retento ſpiritu, quod genus

A genus est insanabile, quemadmodum & scyrrhodes, aut qui hæreditarius & congenitus est. Soli tamen & cœli, proinde & victus ratione quidam conualuerunt. Prospiciendum imprimis causæ antecedenti quæ fouet morbum. Pituita præparanda, deinde purganda hiera picra, aut hiera colocynthidos, vel ijs quæ capite de œdemate & de exitura Phlegmatica iam descripsimus. ℞. massæ pillularum de agarico & pulueris hieræ colocynthidos ana ℥. ij. cum syrupo de stœchade, fiat parua massa, de qua capiat ℥. j. pro dosi, vtatur decocto ligni sancti, aut salsæ parillæ. Benefaciunt quoque thermæ sulphureæ, nitrosæ, aluminosæ. In steatomate neque prosunt resoluentia neque suppurantia, quia pituita adiposa neque resolui, neque suppurari potest, præsertim quam magna & dura tunica inuoluit. Admouebis tamen recenti & molli diyachylum cum gummis vel emplastrum de bdellio. Præstat abscessum transfigere duobus setonibus, vt humor paulatim effluat. Quod superB erit deinde medicamentis erodentibus vt puluere Sabinæ, seminis aut radicis serpentariæ aut asfodelorum aut trochiscorum de asfodelis absumatur, nisi malis incisione cum cysti pituitam extrahere. Sed hoc opus plenum est metus & periculi, quia implicari solet neruis, venis & arterijs, quinetiam sæpè arteriæ respiratoriæ cohæret. Nata, est abscessus insignis, attamen indolens, constans carne molli & pituitosa à collectione & concretione pituitosi sanguinis, adnasci solet dorso & humeris. Inde nomen habet, quod tumor sit similis natibus. Testudo est magnus quoque abscessus ex magna pituitæ copia, cysti inclusa. Cuius species quædam est talpa, excrescentia pituitosa in capite, quæ parua lupia capitis possit appellari. Veteribus ignota sunt ista nomina, à recentioribus imposita ex figuræ & loci similitudine. Remedia conueniunt ea quæ ad Bronchocelen. De talpa tamen hoc definitè notandum est, quod C facilè & sine periculo euelli potest, ea tamen cautione, vt simul incidatur pericranij portio cui adhæret, & cranium quod subest, diligenter abradatur, prinsquam de replendo vulnere cogitetur, quia ossis alteratio impedit conglutinationem.

DE SCIRRHO. CAP. XXII.

HACTENVS de sanguineis, biliosis & pituitosis tumoribus, superest vt de melancholicis disseramus, vt scirrho & cancro. Est autem scirrhus tumor à succo melancholico, vt cancer ab atrabilario. Proinde valde durus tumor & qui ad lapidis duritiem accedit, cùm fiat ab humore valde crasso & terrestri: durus, inquam, indolens: quia aut humorem tam crassum, minister sen-D suum spiritus permeare non potest; aut tam crassitie sua quàm frigore illius vim obtundit. Quibus quidem notis, lapidosa duritie & indolentia veluti τεκμηρίοις, & signis pathognomonicis, vetus & exquisitus scirrhus dignoscetur, nec non à cæteris tumoribus, quibus cùm magnam habet affinitatem, vt ab exituris phlegmaticis distinguetur, nullus enim est eorum qui ad tantam duritiem peruenerit, nullus cui sensus planè deperierit, nisi fortè pituita crassa & viscida à putri calore resiccata, resolutis partibus tenuioribus aut frigore veluti congelata in humorem melancholicum degenerarit. Sed tamen abscessus qui prius erat œdematosus, fit scirrhosus, transitque in alterum morbi genus, vt strumarum exemplo declaratum est. Ad tumorem scirrhosum pertinet scirrhus impurus, qui fit alicuius alterius humoris permixtione cum melancholico, vnde phlegmonodes, erysipelatodes aut œdematodes appellatur. Est præterea quidam scirrhus primarius qui meE lancholici succi congestione aut fluxione primùm contingit. Alter epigenematicus & symptomaticus qui succedit alteri morbo, vt inflammationi aut erysipelati imperitiâ chirurgi; vel quod sine modo vsus sit narcoticis aut nimiùm refrigerentibus, à quibus sit concretus & veluti congelatus humor; vel quod sit vsus nimiùm resoluentibus, à quibus discussæ sint humoris partes tenuiores, solæ permanserint crassiores: In summa, scirrhus aut est verus & exquisitus, aut non, qui magis propriè scirrhosus tumor nominabitur; purus vel impurus; primarius aut epigenematicus. Exquisiti scirrhi nullam admittunt curationem, remedijs potiùs efferantur, & in cancrum transmutantur. Scirrhosi vero tumores difficillimè percurantur. Venæ sectionis hic nulla est necessitas, quia humor est frigidus, nisi ratione causę antecedentis, cùm in tota massa melancholicus sanguis manifestè dominatur. Nam in quarta-

nis propterea Galenus commendat venæ sectionem, ea tamen lege, vt si sanguis primùm laudabilis & purus effluat, sistatur; si crassus, niger, & fœculentus, abunde detrahatur. Præparandus humor syrupo de pomis, de buglosso regis-Sabor, de Epithymo, de fumaria: deinde purgandus catholico, electuario Indo, confectione hamech, decocto foliorum sennæ. ℞. exempli gratia, Catholici duplicati & syrupi Regis Sabor, vel de Epithymo, ana ℥. j. dissolue in decocto polypodij, fumariæ, Ceterach, buglossi, borraginis, & florum genistæ, in quo ℥. ß. foliorum sennæ bullierit. Aut, ℞. Catholici ʒ. vj. cõfectionis hamech ʒ ij. cum saccharo fiat bolus. Si displicet forma boli, dissolue in aqua buglossi vel in decocto prædicto, potus fiat: topica mediocriter dissoluãt & emolliãt. Quibus vel vtendũ est vicissim, vel potiùs permixtis. Eius generis sunt vnguẽtum de althæa, Emplastrum de meliloto, diachylum triplex, ireatum, magnum & gummatum; ceratum quoque œsipatum, descriptione Filagrij: quæ omnia seruantur in officinis, hisque vel solis vti possis permixtis: vt, ℞. B
vnguenti de althæa & emplastri de meliloto, vel cerati œsipati, vel diachyli cuiusuis, ana ℥. j. misceantur cum oleo liliorum; fiat vnguentum. Immiscere possis initio tantillum aceti, ad penetrationem & ad robur partis, postea vinum aut aquam ex vino destillatam, quæ aqua vitæ nominatur. Hippocrates damnat acetum in morbis & naturis melancholicis: sed eius sententia de assumpto, non de admoto interpretanda est. In scirrho lienis aut musculi primùm remollito, vtile est acetum in pyritem, aut si desit, in molarem lapidem ignitum proijcere; deinde vaporem parte scirrhosa excipiat, priusquam emplastrum applicet. In neruis, tendonibus, ligamentis, & partibus neruosis maiori cautione vtendum est aceto. Eius loco vsurpetur aqua-vitæ, aut in eo nerualia prius coquantur, vt saluia, rosmarinus, betonica, primula veris, iua arthritica, flores chamæmeli, & stœcados. Multa remedia quę C
scirrhos emolliant leuiter & resoluant, Galenus describit 7. κατὰ γέν. & 8. κατὰ τόπους. Ex professo vero tractat de scirrho initio 14. Methodi & 2. ad Glauconem. Cæterum consideranda est causa mali. Nam si exsuperantia humoris melancholici, quæ scirrhum fecit, & fouet, proueniat à suppressis hæmorrhoidibus aut mensibus prouocentur; si lienis vitio de sanguine limum non attrahentis, qui ob id maiore copia effusus in venas totam massam corrumpit, lien sumptis & admotis roboretur: corpus per interualla humore melancholico repurgetur, quinetiam de lienari sanguis mittatur, si praua vitæ & victus ratio, vt bubulæ, ceruinæ, leporinæ atque etiam asininæ carnis frequens vsus scirrhum peperit, emendetur.

DE CANCRO SIMPLICI, QVEM Hippocrates appellat occultum; vulgus, Apostemosum. D

CAP. XXIII.

CANCER tam affinis est scirrho, vt propter humoris symbolum exquisitus scirrhus sæpe degeneret in cancrum: Vterque tumor est niger & valde durus. Differunt tamen quod scirrhus fiat à succo melancholico; cancer, ab atra bile. Quià se inuicem differunt non aliter quàm fex non vsta & fex vsta. Fit autem atra bilis ex omnium humorum vstione, est tamen omnium pessima quæ fit à bile flaua vsta. Nam ex vitellina in porraceam, ex hac in æruginosam vertitur, deinde in glasteam, postremò in atram maiore adhuc vstione, tumque transijt in nouum genus humoris. Hæc bilis atra perpetuò facit cancrum vlceratum, & malitiâ omnes superat. Ad hunc malignitatis gradum propè accedit atra bilis, quæ nascitur humoris melancholici vstione. Mitior est quæ fit à sanguine vsto. Mitissima omnium, sed parum frequens quæ fit à putri aut salsa pituita per incinerationem. Hinc cancri alij alijs mitiores, omnes quidem atrabilarij, sed si atra bilis à sanguine aut pituita ortum duxerit, mitiorem cancrum efficiet; si adustione humoris melancholici aut flauæ bilis, deteriorem; sed omnium pessimum & intractabilem; si à bile per vstionis dictos gradus originẽ duxerit. Nam si morbi à bile æruginosa sint lethales, quæ spes possit esse in morbis attrabilarijs à bile vsta? Dysenteriam igitur ab atra bile non immeritò funestam scripsit Hippocrates, quia in intestinis parit vlcus cancrodes. Discernetur cancer à scirrho in E
primis

A primis calore. Est enim atra bilis, si spectes subiectum, frigida, vt cinis aut calx: si vim latentem, calida. Nam in omnibus adustis manet empyreuma. Deinde distinguuntur dolore. Nam scirrbus verus est indolens, cancer continuo dolorem facit, atque tum scirrbos aut pituitosos tumores, vt polypos & strumas cancrosas fieri coniicimus, cùm incipiunt dolere. Differunt præterea quod vtplurimum scirrhus occupet partes duras, vt articulos, tendones, ligamenta: cancer verò partes raras, laxas, molles, vt mammas, faciem, pudenda & principum partium emunctoria. Ad hæc sub cancro, non autem sub scirrho venæ nigro humore vndique plenæ prominent, quas propter similitudinem dixerit aliquis pedes cancri, vt tumorem ipsum nigrum & rotundum, illius corpus. His venis non aliter, quàm cancri pedibus rei apprehensæ tenacissimè adhærent, & veluti radicibus, tam altè insiguntur, vt
B etiam ferro difficillimè funditus extirpari possint. Propterea prohibebat sapienter Hippocrates ne occultos cancros attingeremus, hoc est, ne veram & perfectam eorum curam susciperemus, sed vt dicitur, duntaxat palliatiuam, hoc est, quæ illius dolorem minuat, & incrementum prohibeat. Leuioribus enim remediis non cedit, grauioribus vlceratur. Nam tota spes curationis consistit in repellentibus & resoluentibus. Atque leuiter repellentibus humor crassus & contumax non cedit, multo minùs leuiter resoluentibus patitur se discuti. Vehementer repellentibus valde crassus humor concalcatur; plurimum resoluentibus partes quidem tenuiores dissipantur, sed crassiores manent. Itaque mediocriter repellentibus & resoluentibus superficiarios & incipientes cancros gloriatur Galenus se persanasse; profundos aut inueteratos aut omnino non attigisse, aut duntaxat dolorem vt demulceret, & in-
C crementum prohiberet, suscepisse. Remedia vero mediocriter repellentia & digerentia sunt succus solani, pompholyx lota, quæ tuthia vulgo dicitur. Galenus 9. Simplicium supra cætera commendat plumbum vstum & lotum: nam metallica lauari debent, vt acrimoniam deponant. Ex his tribus vnguentum in officinis paratur quod diapompholigos appellatur, cuius penuria permittit Galenus vt vtamur emplastro diacalcitheos, quod vulgo diapalma nuncupatur. Aut ℞. olei rosacei ℥. viij. teratur in mortario plumbeo, pistillo plumbeo, donec crassescat & plumbi colorem acquirat; misce cum Lithargiri & cerusæ seorsim contritæ, ana ℥. j. fiat vnguentum. Oleum de ranis & de limacibus non tantùm dolorem lenit, sed etiam mediocriter repellit & resoluit. Si placet, puluis ranarum aut testarum cancri cerato Galeni vel succo solani permisceatur. ℞. exempli gratia, succi solani & olei rosacei ana ℥. iiij. pulueris ranarum vstarum & testarum cancri ana ʒ.
D iij. tuthiæ & plumbi vsti loti ana ʒ. j. ß. agitentur simul in mortario plumbeo, fiat vnguentum. Crystalli puluis à quibusdam commendatur, præsertim in vlceratis. Excisio in vlcerato duntaxat conceditur, quando dolor tam est molestus ægro vt ipsemet ad externum hoc præsidium confugiat, & chirurgum ad incisionem excitet: multi enim etiam feliciter euulsi redierunt, & repentinam mortem attulerunt. Præstat itaque, nisi sit recens & superficiarius duntaxat, blandiri superioribus remedijs, quæ vlceratis quoque benè faciunt. De quibus proxima sectione.

E

A

CHIRVRGIÆ SECTIO SECVNDA.

DE VLCERIBVS.

QVID SIT VLCVS, QVOT ILLIVS prima differentiæ? CAP. I. B

VLcvs eſt ſolutio continui in parte carnoſa cum ſanie aut pure laudabili, vel illaudabili, hîc non refert. Prima particula diſtinguitur ab oſſis carie, quæ τερηδὼν Græcis dicitur. Secunda differt à vulnere. Eſt enim ſolutio continui in parte carnoſa, veruntamen cruenta, non purulenta. Nam cũ incipit vulnus fieri ſanioſum, tũ incipit vlcus appellari. Eſt enim vlcus quoddam primarium, quod à cauſa interiore accidit, vt humore acri & mordaci carnis ſubſtantiam erodente. Alterum Epigenematicum, quale ſuccedit vulneri & apoſtemati aperto. Vulnus enim quod Chirurgus ipſe fecit multò magis propriè vlcus diceretur. Multis modis diuiditur; vt à parte affecta, quædam enim ſunt internarum, quædam externarum partium. Quædam in parte principe aut neceſſaria ad vitam, quædam in parte commoditatis non neceſſitatis. A quantitate dicitur paruum, magnum, mediocre; ſuperficiarium; cauum, breue, longum; latum, anguſtum: A figura, oblongum, rotundum, obliquum. Ab accidentibus quæ vlceris ipſius eſſentiam conſequuntur, dicitur vlcus ſimplex, vel cum adiuncto humidum ſeu virulentum vel ſordidum. Nam in ſingulis partibus tertia coctione colligitur duplex excrementum, vnum tenue, quod ichor, virus, ſanies nominatur; alterum craſſum, quod ſordes nuncupatur. Alteratrice & excretrice robuſtis in parte ſana vtrumque excrementum non congerit, quia tenue à calore per inſenſibilem tranſpiratum difflatur, craſſum in cutem ablegatur. Vnde nobis quantumuis ſanis, plus minus ſordida efficit. At parte imbecilla, qualis eſt grauiter exulcerata, alteratricis & excretricis vitio vtrumque excrementum magna copia colligitur. A tenui vlcus humidum ſeu virulentum dicitur; à craſſo ῥυπαρὸν ſeu ſordidum. Quæ duæ differentiæ in vlcerum curatione imprimis ſunt diſcernẽdæ. Præterea quædam ſunt benigna quæ cedunt ordinarijs remedijs: alia maligna, quibus ineſt maligna quædam qualitas. Siue illa extrinſecus aduenerit, vt à morſu venenati alicuius animalis; aut contagione, Concumbendo cum affecta lue, decumbendo cum ſcabioſo; potando cum elephantico: ſiue à cauſa interiore, vt cacohymia, profecta ſit quæ putredine, vſtione, viſceris alicuius vitio, aut partis ipſius vlceratæ inſigni intemperie, malitiam contraxerit, propter quam vlcus quod fortaſſis ab initio benignum erit & tractabile, mali moris & contumax efficitur. In eo genere ſunt nomæ & phagedænæ, maligna & corroſiua vlcera, quæ & ſubiectam carnem & vicinas partes exedunt. Differunt autem quod vlceri phagedænico ſit ſemper adiunctus tumor præſertim inflammatorius qui illis labra circunſtat. Nome eſt vlcus malignum ſine tumore. Secundò, quòd phagedæna non ſit vlcus putre, ſordidum, putidum, vt nome. Propterea non placet Tagautio; primò cùm phagedænam nomes conſtituit ſpeciem: ſecundò, vt ſcribit phagedænam cutem & carnem duntaxat ſuperficialem erodere. Hac enim nota diſtinguitur ab herpete, quòd ſubiectam carnem in profundò erodat, herpes duntaxat in ſuperficie, omnia iſta vlcera ſunt dyſepulota, difficillimè agglutinari poſſunt, & cicatrice obduci. Multis tamen alijs cauſis quàm cacoethia, vlcera reddunt dyſepulota; vt ſi ſint rheumatica, aliunde fluxionem perennem excipiant, vt phthiſis pituitam falſam à cerebro: ſi ſunt varicoſa, varicibus continua aut attigua: ſi calloſa labra habeant prædura, ſi cum intemperie partis vlceratæ

A vlceratæ coniuncta, aut cum abſceſſu: cum inflammatione, cum gangræna, contuſione, carnis excreſcentia, cum dolore: ſi quod ſubeſt os ſit carioſum. Quæ accidentia quia vlcerum conſolidationem impediunt, eorum differentias, accidentarias tamen & improprias conſtituunt. Potiùs enim me indice ad cauſas difficilis coalitus referri debent, aut ſecundariæ differentiæ iudicari, hoc eſt, non vlceris ſimpliciter, ſed cum adiuncto, vlceris cauſæ morbificæ, morbo aut alicui ſymptomati complicatæ differentiæ haberi debent. A quibus nomine compoſito vlcus dicimus rheumaticum, varicoſum, oſtracoſum, dyſcratum, doloroſum; atque ita deinceps.

DE CAVSIS VLCERVM. Cap. II.

B VLcvs ſi ſit primarium, neque alteri morbo vt herpeti miliari, eryſipelati, aut apoſtemati ſuccedat, originē ducit à cacochymia, humore non tam copia quàm qualitate vitioſo. Nam quicunq; humor à natura & temperie ſua deſciuerit, alienámque putredine, vſtione aut alterius permixtione acquiſierit; ſi quam in partem interiorē aut exteriorem, non refert effluxerit, aut in ea paulatim congeſtus fuerit, eam acrimonia & mordacitate ſua erodit. Vnde à Gal. vlcus definitur, ſolutio continui in parte carnoſa ab eroſione. Vlcus autem peius & contumacius redditur, quò longiùs à natura ſua humor deflexerit. Nam atrabilaria, vt cancroſa vlcera, putida & ipſo affectu horrenda ſunt: omniū peſſima, quæ fiunt à peſſimo humore: Quæ fiunt ab æruginoſa bile, propter eandem cauſam, deteriora ſunt ijs quæ à pituita ſalſa, bile flaua, porracea aut vitellina excitantur, vt herpetis miliaris ſimplicis & exedentis exemplo declaratum eſt. Humor
C infixus parti, eſt cauſa coniuncta. Qui verò continetur venis & morbum fouet, eſt cauſa antecedens, ad quam pertinet intemperies viſceris, vt hepatis aſſantis, non elixantis. A cauſis externis non fit vlcus, niſi ex accidenti, quod commouerint internas. Nam morſus canis aut ſerpentis primùm eſt vulnus, deinde venenata ſaliua parte contentos humores alibiles corrumpit, & quoſcunque eò in auxilium natura trāſmittit, contaminat. Itaque, inquit Gal. medicina non fit externis cauſis, ſed internis: illæ nihilominus diligenter ſunt perquirēdæ, quia cognitæ ſæpenumerò qualitatem, vt cacoethiam morbi patefaciunt, atque inde remedij genus indicatur. Nam qui cognonerit vlcus accidiſſe non canis cuiuſuis, ſed rabidi morſu, ille non pugnabit ordinarijs remedijs, ſed alexipharmacis virus oppugnabit. Itaque malè Veſalius & Fallopius contendunt etiam à cauſis externis, vt contagione, cauſtico, morſu, vlcera
D excitari. Iſta enim non primò per ſe exulcerant, ſed quia mouent & corrumpunt interiores cauſas, quæ ſolæ primarij vlceris ſunt genuinæ & primariæ cauſæ, &c.

DE SIGNIS VLCERVM TAM DIAGNOSticis quàm prognoſticis. Cap. III.

VLcvs internum dignoſcitur ab excretis, ἐκκριτικῶς. Nam illi veſicam exulceratam eſſe aut renem ſuſpicio eſt, qui meit purulentum. Si tuſſiendo quis pus expuat, vlceratum habet pulmonem. Quòd ſi magna copia reddatur & præceſſerint ſigna alicuius abſceſſus, vlcus eſt apoſtemoſum, ſi verò paucum exeat, neque antecedentis inflammationis ſubſit coniectura, eſt vlcus primarium ab eroſione, eroſio ab humoris mordacis acrimonia. Vlcus autem exter-
E num quod ſolum chirurgus conſiderat, ipſo viſu quale ſit, conſpicuum eſt, propterea ſola cuiuſq; definitio bene conſiderata in definiti ſeu ſpeciei cognitionem nos perducet. Nam qui nouerit vlcus eſſe ſanioſum in quo ſanies: ſordidum, in quo ſordes abundant, facilè hoc eſſe humidum, illud ſordidum affirmabit. Qui nouerit vlcus eſſe rheumaticum, quod humores aliunde fluentes continenter excipit: varicoſum, quod eſt varicibus vicinum; intemperatum quod habet aliquam partis intēperiem coniunctam, calloſum, cuius labra ſunt prædura; cauum quo multa carnis ſubſtantia deperiit: haud dubiè quam proponetur vlcus curandum mox definiet, hocque eſſe rheumaticum, illud varicoſum pronunciabit: Vlcus putre cum mollitie carnis fœtor demonſtrat: quò grauius olet, eo magis putret. Malignum vlcus non tantùm affirmabis ſi bene inſtitutis remedijs non cedat, ſed etiam ſi durum ſit, viride, aut ni-

grum. Si pili de partibus vlceri adiacentibus cadant, humoris, proinde vlceris malitia arguitur, radices pilorum etiam in ambitu erodentis. Ad præcidendum verò faustum vel finistrum euentum, nec non diuturnitatem & breuitatem morbi, imprimis considerare oportet impuritatem saniei aut puris. Nam pus album, æquale & minimè fœtidum morbi securitatem indicat: sanies verò tenuis & cruda manet quæ diuturnitatem minatur. Augebitur difficultas curationis, si fuerit mali coloris, vt viridis aut nigra, si putida. Denique quò longius deflectet à notis puris laudabilis, eò vlcus deterius, tardiorisque & difficilioris curationis demonstrabitur. Vlcerum quatuor tempora saniei coctione aut cruditate distinguuntur. Tamdiu enim vlcus est in principio, quandiu sanies tenuis est & cruda. Cum incipit crassescere, incipit augmentum: ad statum iam peruenit quando conuersa est in pus. Est autem suppuratio opus caloris vtriusq; naturalis & alieni, victoriâ tamē caloris naturalis fit pus laudabile: queadmodum illaudabile victoriâ caloris alieni. Quod vt facilius intelligatur, notandum est putrefactionem atq; etiam corruptelam κατὰ διάθεσιν opponi πέψει quia alimentum coquitur à solo calore natiuo, putredo verò & corruptela cōtiugunt caloris alieni solius victoria: vtrique velut medium extremis, interiacet pepasmus, ad quem vterque calor concurrit, vincit tamen natiuus, alioquin pro suppuratione putrefactio inducit: quam sequitur, si augeatur calor alienus, corruptela. Præterea plurimum confert qualitatem & speciem vlceris cognoscere ad prædicendum. Nam si fit rheumaticum, varicosum, callosum; si cum magna intemperie; si malignum, phagedenicum, prædicenda est morbi longitudo, & difficultas curationis. Vlcera, vt & vulnera rotunda & tardè & difficilè coeunt, quia eorum labra vniri non possunt, nisi in longum incidantur. Vlcera hydropicorum & ictericorum sunt insanabilia, nisi prius hydrops & icterus procurentur. Vlceris sinuosi cauernosi, longa est & difficilis curatio. Fistulæ, hoc est, vlceris cauernosi cuius labra sunt angusta & dura, longior & difficilior; cancrosi vlceris propemodum impossibilis. Ad prædictionē hoc quoque pertinet; Quoties vlcus inueterascit, vixq; vno anno quamtumuis bene præscriptis remedijs sanescit, os quod subest, vitium aliquod contraxisse pronuntiandum est. Cui nisi occurratur, aut vlcus nunquam obducetur cicatrice, aut obductum repullulabit.

VLCERIS SIMPLICIS CVRATIO. CAP. IIII.

Vlcus simplex primùm opponitur complicato; de hoc mox. De simplici primùm disseramus; quod cùm partis exulceratæ soluat continuitatem, primus scopus chirurgi videtur, quod solutum est, reunire. Passim tamen Gal. simplicis vlceris curationem scribit esse exsiccationem. Quidam ita distinguunt: Si habeatur ratio morbi, primus scopus est vnio; si verò causæ morbificæ, vt humoris erodentis, exsiccatio. Alij verò vnionem primam esse dicunt intentione, exsiccationem verò operatione, quia non possit vlcus vniri, nisi priùs fuerit exsiccatum. Nam quandiu manet humidum aut sordidum, non consolidatur. Propterea vlcera hydropicorum sunt insanabilia quia exsiccari non possunt. Hinc scribit Hipp. siccum esse similius sano, humidum ægro. Quod si fuerit cauum repleri non poterit carne, neq; repletum cicatrice obduci, nisi priùs à sanie & sordibus fuerit expurgatum. Sanies exsiccantibus purgatur, sordes detergentibus. Siccantium vero & detergentiū cùm varij sint gradus, ea deligenda erunt ad regenerandam carnem quæ leuiter & sine morsu desiccant. Itaque sarcotica primo, ad summam secundo gradu siccare debēt, alioquin sanguinem, materiam carnis absumerent. Multiplex autem est ordo leuiter exsiccantium seu sarcoticorum. Primi ordinis sunt thus, farinæ hordei & fabarum; secundi terebinthina, aloe, myrrha, tuthia, pompholyx lota, farina erui, lupinorum. Tertij, Iris Florentiæ, plumbum vstum, minium, aristolochia. Quibus nisi prudenter vtaris, impedies potiùs quàm promouebis συνούλωσιν. Itaque spectanda imprimis ætas, temperamentum præsertim partis affictæ: quia naturæ seu partis affictæ temperies regenerat carnem, ars duntaxat illi tollit impedimenta, vt saniem & sordes: quandoquidem eius est regenerare, cuius fuit primum generare; atque attrahitur sanguis, retinetur & assimilatur à proprio cuiusque partis temperamento natiui caloris ministerio. Ergo natura non ars, deperditam vlcere & vulnere carnis substantiam

A stantiam restituit. Faciamus in puero aut infante nobis proponi sanãdum vlcus, profectò quia tenella sunt & humida carne, primi ordinis siccantia instituto nostro satisfacient. Quod si loco thuris aristolochiæ puluerem vsurpares, carnis materiam assumeres, vicissimque si vlcus in viris solo thuris puluere velles exsiccare, tantum abest vt euentus tuo voto responderet, cùm potiùs sordidius & humidius eo redderetur. Thus enim (inquit Galenus) valde humida corpora desiccat, sicca verò humectat & putrefacit. Esto vlcus in parte humida vt in carne musculi, mediocriter siccantibus replendum erit: quod si fuerit in parte temperamento sicca, vt neruo, tendine, potentius exsiccantibus opus erit. Nam quo longius vnaquæq; pars à natura & temperie sua recessit, eo potentiori remedio ad eam reduci debet. Atqui pars sicca si fortè humido vlcere tentetur, longiùs à natura sua recessit quàm pars humida. Ergo vehementius exsiccantibus curari & suo temperamento restitui debet. Pro copositis sar-
B coticis vti solent vnguento aureo basilico magno aut vnguentis diapompholygos, de minio, de plũbo, quibus in valde humidis, nec non in malignis vlceribus vtuntur. Generalibus tamen pressis ad causam antecedentem, vt plenitudine sublata, vena secta, purgatione imminuta cacochymia quæ fouet vlcus. Propterea in naturis cacochymis vt in rufis & biliosis naturis, vlcera tardiùs & difficiliùs sanescunt.

DE VLCERIBVS COMPLICATIS, AC *primum de intemperato.* CAP. V.

VLCERIS complicati infinitæ sunt differentiæ, quarum iam bonam par-
C tem commemorauimus. Omnes tamen tribus primis concludi possunt, quia aut vlcus complicatur causæ morbi, morbo, aut symptomati. Vlcus contusum, exempli gratia, includit ipso nomine suam causam, nempe contusionem, cuius ratione proprium genus remedij deposcit. Vlcus quoque Rheumaticum quod rheuma fouet, sui ortus & durationis causam continet. At vlcus distratum morbum morbo connexum dicit, nempe intemperiem aliquam iunctam cum vlcere: vt vlcus varicosum coniunctum varicibus. Vlcus verò dolorosum est accidenti complicatum, nempe dolori: Quò referri debet vlcus callosum & cum excrescentia carnis, quia ista sunt vlceris Epigenemata. In curatione vlceris compositi memineris imprimis succurrendum esse ei quod magis vrget, vt vehementi dolori. Quamuis enim dolor refrigerantibus aut humectantibus, quæ sunt vlceri contraria, demulcendus sit, hoc tamen primùm agendum, ne quid deterius
D contingat: Quo sedato redeundum erit ad ordinariam curationem vlceris. Considerandum etiam atque etiam in omni vlcere complicato, quid priùs quid posteriùs curandum sit, nisi vtrique simul & iisdem remedijs subueniri possit. Faciamus, vlceri coniunctam esse intemperiem humidam, vtrique morbo exsiccantibus vna eadémque opera succures. Vsurpanda tamen erunt magis exsiccantia, sumpta indicatione ab vlcere & intemperie humida. Verùm fingamus partem vlceratam intemperie sicca laborare, tum concurrunt contrariæ indicationes. Nam vlcus exsiccari vult, intemperies sicca humectari. Vtri potiùs opponenda erunt remedia? Quæstionis facilis est solutio, si modò memineris eorum quæ superiore capite dictata sunt. A bona partis temperie, vt à causa efficiente procedere curationem vlceris, qua sublata fieri non potest, vt vlcus arte consolidetur. Restitui autem non potest pars vl-
E cerata suæ naturæ, nisi primùm intemperies sicca, qua laborat, contrario, nempe humectante remedio emundetur. Itaque ad tempus neglecta ordinaria curatione vlceris, exsiccatione, aqua repida humectetur, eiúsque fotu eò sanguis attrahatur. Aut, si placet, vtere basilico vel diachylo simplici soluto in oleo. Cùm ad temperiem redierit, tenuissimis auxilijs ita adiuta vlcus, quod tum erit simplex agglutinabit. Verùm perge. Ex partis colore, tactu, aut ardoris & acrimoniæ sensu partem vlceratam obsideri calida intemperie cognoscamus. Quamuis frigida tardent vlceris curationem, quia natura caloris ministerio incarnat. Tamen quia non potest vlcus vniri quamdiu pars manebit intemperata, idcirco refrigerantium vsu illa primùm corrigatur, quæ tamen non stupefaciant, vt hyoscyami aut papaueris succus: sed quæ mediocriter refrigerent & siccent, vt vnguento albo, quod de cerusa vulgo dicitur, vel vnguento de tuthia: suppositis linteis, aquæ rosarum vel plantaginis intinctis.

Intemperies frigida (quam ex partis cādore, tactu & sensu corporis conjicies) emendabitur fotu ex vino calente solo, vel in quo absynthium, mentha, saluia, rosmarinus, betonica bullierint: Si placet vtere tunc vnguento citrino: Sublata intemperie contrariorum remediorum vsu, vlcus quod erit tum simplex, remedijs ordinarijs facilè sanescet. Ictericorum vlcera curari non possunt, propter partis atque etiam totius intemperiem: ictero percurato facilè & leuibus remediis sanescunt. A

DE VLCERE RHEVMATICO, DE varicoso, & de doloroso. CAP. VI.

VLceris rheumatici frustra tentatur curatio, nisi rheuma prius sistatur, à quo perpetuò humectatur. Quod si vehementer exsiccantibus humorem coneris absumere, alimentarium sanguinem carnis regenerandæ materiam, absumes: sicq; vitium priore peius induces. Itaque purgatione frequenti atq; etiam venæ sectione, si fluxio calida fuerit, reuellatur, cucurbitulis, maximè verò cauteriis diuertatur atque intercipiatur. Rheumaticum atq; inueteratum vlcus tibiarum, cauterio admoto brachio è directo atque ita intercepta fluxione sæpe percuratur: supra vlcus ad eundem scopum conueniet defensiuum quale vulgus ex bolo Armena, aut sanguine draconis cum oui albumine & oleo rosaceo agitatis parare consueuit. Cuius vices supplebunt litus ex oleo aliquo adstringente, vt rosaceo, myrthino, melino, quod cydoniorum dicitur, aut vnguento comitissæ, aut emplastro contra rupturam. Topicum adstringendo leuiter repellat simul & desiccet, quale parabitur addendo aliquid pulueris rosarum aut malicorij ad vnguentum diapompholigos: nisi placeat emplastrum diacalciteos in oleo rosaceo dissolutum, vt acquirat consistentiam vnguenti. Cùm desierit fluxio, vlcus aut sponte aut leuissimis auxilijs coalescet. Vlceris varicosi eadem ferè ratio est, quæ rheumatici. Superiectæ varices, hoc est, venæ nigræ, crasso & fœculento sanguine tumentes per resudationem vlcus continenter humectant, proptereáque reddunt insanabile, nisi primùm varices petcurentur. Quæ cùm à magnis morbis vt mania & melancholia morbo nonnunquam liberent, vt est 6. Epid. vicissimque temerè sublatæ magnorum morborum sint causæ, vt furoris, dysenteriæ, sputi sanguinis, apoplexiæ, hydropis, vt docet Galenus lib. de atra bile. Hic magna Medici prudentia & cautione est opus. Nisi enim magnitudine & tensione minetur vasis fracturam, nisi inflammetur aut multùm doleat, nisi quod subest vlcus putre & malignum reddant, sinendæ sunt cum vlcere. Si quid horum adsit aut æger vlcus varicosum, quamuis mite, nobis etiam reclamantibus, sanari velit: venæ sectio imprimis præscribenda de basilica sinistra, si lien videatur tumere & copiæ humoris melancholici autor videatur; alioquin de basilica dextra, corpus non semel humore melancholico repurgetur malè affecto vt lieni, aut hepati prospiciatur, ne nonum humorem reponant in locum vacuati. His generalibus peractis, varicem in longum chirurgus scarificabit, atque ita sanguinem exprimet: quo abundè vacuato, incisæ venæ medebitur remedijs ad venas vulneratas proxima sectione explicandis. Operationem diffusè explicat Paulus Ægineta cap. 82. lib. 6. De remedijs quoque non pauca tradit Galenus lib. 4. κατὰ γέν. Varicibus curatis redeundum est ad ordinariam curationem vlceris. Vt proposito satisfaciamus, reliquum est vt de vlcere doloroso pauca subiungamus: quoties vrget dolor, quia febrem & vigilias inducit, spiritus exsoluit & vires prosternit, auget vlcus, quia fluxionem nouam accersit, in eo leniendo imprimis laborandum est. Anodynorum autem tres sunt differentiæ, quæ tollunt causam doloris, vt intemperiem: quæ primo gradu calida sunt, si malis temperata & nostro calori analoga, deinde narcotica. Intemperies si dolorem faciat, suo contrario; calida frigido, frigida calido emendetur. Secundi generis anodynum est in vlceribus & vulneribus vnguentum ex vitello oui, croco & terebinthina confectum. In tertio genere habetur vnguentum populeum. Quod si non satisfaciat, vtere cataplasmate ex folijs hyoscyami vel papaueris, aut ex lacte & farina hordei, in quo illa bullierint; aut illis victis aliquot Gr. opij cum pauco croco dissoluantur lacte. De quibus alio loco iam diximus.

B C D E

A **DE VLCERE CVM TVMORE,** *de contuſo; de vlcere cum carnis ſuccreſcentia.*

CAP. VII.

VLCVS coniungi poteſt omni tumori, ſiue illi adueniat, ſiue tumor vlceri, vt in inflãmatione à dolore aut humoris acrimonia. Tum reuellenda fluxio venæ ſectione atq; etiam purgatione ex caſſia cum rheo, admoto aliquo repellente: deinde repercutiatur, vt cerato refrigerante Galeni, vnguento roſaceo Meſuæ, quæ in ambitu vlceris applicentur, ipſi vlceri vnguentum album aut de tutia; ſic enim fiet vnum vt non negligatur
B alterum. Quod ſi non poſſit affluens humor calidis ad partem vlceratam retrudi, neque huiuſmodi auxilijs phlegmones generatio poſſit impediri: Tentanda erit reſolutio cataplaſmate ex farinis hordei & fabarum: Si non poſſit reſolui tendatq; phlegmone ad ſuppurationem, adiuuetur peptico, quod cùm capite de phlegmone abundè ſit explicatum, ad alias differentias vlceris complicati pergamus: neque enim ſi eryſipelati, aut œdemati coniungatur, alijs opus eſt remedijs quàm quæ dictata ſunt. Vlceri contuſo conueniunt humectantia, quæ ſanguinem illic collectum, nec non carnem contuſam putrefaciant & in pus conuertant. Monet Auicenna, quoties vulneri aut vlceri adiuncta eſt contuſio, huic citò & diligenter prouidendum quia alioquin imminet periculum gangrænę. Nam ad cõtuſionem ſequitur fluxio ſanguinis, qui cum primum è vaſis excidit, putret; ſequitur & compreſſio partis contuſæ; à
C compreſſione, meatuum obſtructio, atque inde caloris impedita diſflatio, quæ ſunt cauſæ gangrænæ. Quæret aliquis cum vlcus velit exſiccari, cur vlceri contuſo humida præſcribuntur? Reſpondeo illa præſcribi contuſioni, non vlceri; cauſæ, non morbo. Sic vlcus cum intemperie ſicca humectandum eſſe docuimus, non ad vlcus curandum ſed ad tollendam intemperiem. Peptica ſæpe aliàs commemorata ſunt, vt Baſilicum, cataplaſma ex farina tritici cocta in hydrelæo, quorum finis erit quando contuſum computruiſſe, totúmque in pus conuerſum eſſe videbitur. Noua enim & laudabilis caro renaſci non poteſt niſi priùs contuſa ſuppurarit. Supereſt vt de carne in vlceribus excreſcente dicamus. Caro ſuperflua adnaſcit vlceri nonnunquam vitio chirurgi qui vlcus immundum, nec ſatis deterſum ſarcoticorum vſu conatur replere. Tum enim ex ſanguine mixto cum ſanie plurima caro mollis exſurgit: aliquan-
D do vt in corpore plethorico tanta ſanguinis laudabilis copia ad partem vlceratam affluit, vt caro bona ſupercreſcat, quæ etiamſi quantitate tantùm peccet non qualitate, tamen contra naturam eſt, & vlceris vnionem impedit, non minùs quàm illa remoueri debet. Quibus modis, ferróne, an erodente medicamẽto? Sanè vtróq; modo poſſunt remoueri. Sed vtrum præſtat? diſtinguo: ſi caro ſit ſana & ſolida, permittatque æger, forcipe abſcindi debet: ſi verò ſit mollis, aut inciſionem æger pati nolit, ſiccantibus, exedentibus, aut cauſticis remoueatur. Leuiſſimum eſt exſiccans vnguentum apoſtolorum, potentius & erodens Ægyptiacum, quod eſt in vſu frequenti. Alumine etiam vſto aut vitriolo Romano, aut puluere ſerpentariæ vel aſphodelorum vti poſſis. Præcipitato puluere Mercurij nihil præſtantius, excreſcentias enim tollit ſine dolore, poſſit etiam vti aqua forti. ℞. aquæ roſarum vel plantaginis ℥. iiij.
F hydrargyri ſublimati ʒ. j. fiat decoctio lento igne ad conſummationem mediæ partis. Hac aqua ὑπερσάρκωσις attingatur.

DE VLCERE LIVIDO, DE CALLOSO, DE *verminoſo, de carioſo ſeu teredinoſo.* CAP. VIII.

PERGENDVM ad reliquas differentias vlceris complicati. Quoties vlcus liuidum apparebit, metu gangrænæ ſcarificetur; ſanguis putris etiam admotis hirudinibus exſugatur; muria aut oxymelite cum ſpongia inciſiones foueantur, vt explicatum eſt capite de gangræna, ne tam citò coaleſcant; deinde ſiccantibus vlcus percuretur. Quando vlceris labra erunt dura, ſi exigua fuerit, & incipiens duritics, emollientia ſufficiunt,

vt œsypus, vnguentum de althæa, emplastrum de mucilaginibus, diachylum magnum; si valde obduruerint, sintque ostracosa, nouacula incidantur, vrantur, aut cauterio potentiali absumantur, aqua forti, oleo vitrioli, pulnere præcipitato. Omnibus præferenda est incisio. Quidam labra dum scarificant, deinde puluere mercurij conspergunt. Vermes nonnunquam adnascuntur humidis atque inde putridis vlceribus, præsertim cùm vlcus est cauernosum: quia illic stagnans, neque difflatus humor putret: putredo est mater vermium; quamobrem in vlceribus aurium frequentissimè oriuntur. Interficiendi sunt amara aliqua iniectione, quæ simul habeat vim siccandi & detergendi. Exempli gratia: ℞. Ellebori albi, radicis capparis, gentianæ & dictamni albi ana ℥. ij. centaurij minoris, scordij, absynthij, marrhubij, calamenthi montani, ana m. j. fiat decoctio. In colaturæ ℔. j. dissolue ad detersionem maiorem, mellis ℥. ij. aut iij, vel succi absynthij & Ægyptiaci ana ℥. i. fiat iniectio. Super vlcus applicetur vnguentum Apostolorum ad maiorem exsiccationem. Si humiditas videatur moueri totius corporis impuritate, purgetur, quinetiam desiccetur diæta tenuissima, ligni-sancti aut salsæ parillæ decocto. Superest vt de vlcere teredinoso, hoc est, cum ossis putrilagine complicato, disseramus. Hoc nisi detectum sit, & ipso visu nigrum & pingue, hoc est cariosum appareat; his signis putre & corruptum esse conijcietur: Primum si vlcus vniri non possit, aut cùm vnitum fuerit, renascatur, caro sit mollis, fungosa. Secundò si vlcus saniem reddat nigram & oleosam. Tertiò si linteamenta quæ sicca imponuntur, quoties remouentur graueolent: Si caries ossis superficiem duntaxat occuparit, cùm detectum fuerit & carne nudatum (cato autem vel exedetur vel abscindetur) tum satis erit abradere vsque ad partem sanam. Quod cognoscetur quando os album apparebit, & aliquantulum cruentum. Quo facto applicabitur puluis exsiccans, vt ex aristolochiæ & myrrhæ æquis partibus, donec caro viua & laudabilis renascatur. Quando verò caries est profunda, cauterio actuali aut potentiali curetur, vt aqua forti. Dioscorides ad eum vsum euforbium valde commendat. ℞. pulueris aristolochiæ ℨ. ij. euforbij ℨ. j. fiat puluis qui excipiatur fermento & admoueatur ossi cauando carnem, dum illam ab vstione defendendo, natura ossis cariosi squammam expellet, cùm os erit sufficienter exsiccatum: vix autem ante 30. dies satis exsiccari potest. Si totum os putruerit, & ad medullam vsque caries peruenerit, serra aut lima euellatur. Quod si citra iacturam vitæ extrahi non possit, vt in spina dorsi, prædictis exsiccantibus vtendum erit, quæ est cura palliatiua.

DE VLCERIBVS DYSEPVLOTIS, *malignis, maximè verò de phagedænicis.*

CAP. IX.

Nisi vlcera tardè & difficillimè coalescant, aliqua ex causis commemoratis, vt propter coniunctum rheuma, propter varices, vel intemperiem partis, propter labra dura, adiunctum apostema, aut os corruptum: si non sit sinuosum, est phagedænicum aut putre aut nome: Vtrumque malignum est, non tantum dysepulotum. Omnia enim maligna vlcera sunt dysepulota non contra, quia vlcera complicata quæ recensuimus, ferè omnia sunt dysepulota, tardæ & difficilis curationis. Cauernosa quoque, vt sinus & fistula sunt dysepulota, non tamen maligna. Item vlcera hydropicorum sunt dysepulota non maligna. At vlcera elephanticorum, aut lue Indica laborantium sunt dysepulota & maligna. Item vlcera, quæ à venenata causa originem habent, vt à morsu canis rabidi, scorpij, serpentis sunt maligna, debentque omnia aut proprijs aut communibus alexiterijs tam sumptis quàm admotis expugnari. Venena in nobis generari posse, deteriora ijs quæ assumuntur vel admonentur, demonstrat Galenus in opere de locis Affectis, retenti seminis & suppressi menstrui exemplo. Sed atra bilis & æruginosa insignem malitiam suis effectis satis superque demonstrat. Illa enim vlcus facit cancrosum, hæc esthiomenum & corrosiuum, valde malignum, quod ordinarijs remedijs non cedit. Præterea carbunculum pestilentem malignum vlcus comitatur, quod ordinarijs remedijs potiùs efferatur. In

A malignis certi sunt gradus, alia enim alijs sunt maligniora. Quæ ad summum malitiæ gradum peruenerunt, chironia nominantur, qualia vix Chiron sanaret: aut Telephia, cum quibus Telephus consenuerit. De malignis vlceribus elephanticorum differetur mox capite de cancro vlcerato. Nam elephantiasis est cancer totius corporis. De vlceribus quæ lue Indica correptis adueniunt, differetur capite de lue Indica, habetur enim proprium alexipharmacum. De vlceribus quæ venenatorum animalium morsum consequuntur, scribemus proxima sectione quando de vulneribus à causa venenata differemus, quia vulneri venenato, priusquam degeneret in vlcus, in eoque sanies colligatur, alexipharmaco proprio succurrendum est. Hic de phagedænico, hoc est, virulento & corrosiuo vlcere, satis erit tractare, in quo scilicet multa tenuis & acris sanies colligitur, quæ non tantùm vlcus reddit humidum,
B sed corrosiuum & serpens contagiosum. Huic, inquit Galenus, conueniunt vehementer exsiccantia sine morsu cum leui adstrictione, vt prohibeant ne quid influat adstrictione sua, & quod influxit absorbeant, & desiccent. Sed imprimis prospiciendum est causæ antecedenti vt fomentum morbo subtrahatur: cacochymia biliosa proprio cathartico, eoque frequenter repetito vacuetur. Nam virulentum dicitur, quod in eo virus, id est, tenuis & cruda sanies abundet: corrosiuum verò, quòd illa cum sit acris & mordax, erodat. Venæ sectio non parum prodest ad contemperationem humorum: victus quoque refrigerans, abstinentia vini: aliquo defensiuo non est alienum intercipere fluxionem. Intemperies calida quæ solet huiusmodi vlceribus esse coniuncta, corrigatur vnguentis de cerusa aut de tuthia, vel aqua stillatitia rosarum, plantaginis; vel decocto rosarum, plantaginis, malicorij, balaustiorum,
C nucum cupressi, aluminis, gallarum, vlcus abluatur, habet enim hoc decoctum vim refrigerandi, siccandi & adstringendi: adstrictione fluxionem retrudit & partem roborat: desiccatione virus exhaurit, refrigeratione partis intemperiem emendat. Postea ex plumbo vsto, tuthia, corallo rubro, cortice granatorum fiat puluis, quo vlcus conspergatur, superponantur linteamenta albo Rasis aut vnguento Pompholygos imbuta, quæ fascia imbuta oxycrato contineantur. Guido post ablutionem vlceris ex decocto præscripto contentus est superponere perforatam plumbi laminam argento-viuo illitam cum aqua plantaginis. Vnguenta de plumbo, de minio, de tuthia, per se sola & commixta benefaciunt. Si placet, ℞. vnguenti diapompholygos ℥ij. adde boli armeni vel terræ sigillatæ vel sanguinis draconis, vel pulueris nucum cupressi, balaustiorum ℥ß. cum oleo rosaceo, aut myrthino & ceræ sufficienti
D quantitate, fiat vnguentum. Quibus si non mitescat, nihilominusq; exedat & serpat vlcus, vtatur actuali aut potentiali cauterio, attingatur aqua forti, aut sublimatum permisceatur vnguento de cerusa. Si placet vtere Ægyptiaco. Si neque caustico neque igne ipso sisti possit serpigo; si nihilominus partes vicinas vlcus erodat, membrum amputetur. Remediorum multa genera ad vlcera phagedænica describit Galenus 4. κτ γέν.

DE VLCERE SORDIDO, PVTRI & depascente, quod nome dicitur.

CAP. X.

E VLcvs dicitur sordidum, in quo sordes abundant, hoc est crassa & lenta sanies. Quę cùm incipit puttere & graueolere, tum vlcus putre incipit appellari. A sanie ad carnem quinetiam ad partes molles, vt venas, arterias, membranas, neruos, tandemque ad ossa ipsa contagione serpit putredo, tamque non sordidum modò & putre sed etiam depascens & νομώδες appellatur. Putredinis enim multi sunt gradus. Sanies primùm putret & corrumpitur, atque inde ad molles, tâdem ad duras partes serpit. Caro putris est mollis, fungosa, putrida, sensuq; plus minus prout putruit priuata, inde velut mortua & cadauerosa apparet. Eiusmodi vlcera sordida solent consequi magnas contusiones & vulnera quoq; sclopetorum, carbunculos, præsertim malignos & pestilentes, abscessus malè curatos. Dignoscitur in primis fœtore cum carnis ipsius specie, pro sensus imbecillitate plus

minus mortuæ. Distinguenda est causa putredinis, vt conueniente remedio illi sub- A
ueniatur. Si procedat ab intemperie partis vlceratæ, iam commemoratis remedijs
cap. de vlcere intemperato vtendum erit. Si à materiæ copia, quæ impacta parti dif-
flationem impediat, scarificetur, putris sanguis vacuetur. Administratis primùm ge-
neralibus, purgatione & venæ sectione, quæ putredinis fomitem remouent, abluа-
tur deinde decocto detergente, propter, sordes: desiccante & adstringente, ob pu-
tredinem; muria, lixiuio in quo oxymel aut syrupus acetosus dissoluantur aut lupini
incoquantur, quibus insuccata splenia superponuntur. Potenter exsiccando resi-
stunt putredini puluis ex aloë, myrrha, aut ex anetho vsto aut ex terra lemnia in ace-
to primùm macerata. Si placet vtere cataplasmate ex farinis fabarum, erui, lupino-
rum, lolij, coctis in oxymelite, aut Ægyptiaco. Auicenna putrido vlceri hoc vn-
guentum mirificè conuenire affirmat, ℞. tragacanthi rubri ℥j. Calcis viuæ, alumi-
nis & corticis granatorum ana ʒvj. thuris & gallarum ana ʒiiij. cum cera & oleo q.s. B
fiat vnguentum. Si putredo admodum inualuerit, vtere cauterio potentiali vt arseni-
co quod sublimatum dicitur (nam sine dolore carnem viuam à mortua separat) aut
cauterio vtere actuali. Extremo morbo exquisitè extremum conueniet reme-
dium: nam quæ non sanat medicamentum, sanat ignis, quæ non sanat ignis, sanat
ferrum.

DE VLCERE PROFVNDO, CAVERNOSO, cuniculoso, quod à Latinis sinus appellatur.

CAP. XI. C

VLcus sinuosum cuius os est angustum, sinus appellatur. Cuius qui-
dem labra si fuerint dura & callosa, tum propriè fistula appellatur, hoc
enim solo differunt sinus & fistula. Sinus vel est rectus vel obliquus,
magnus vel paruus, cauus vel superficiatius; accliuis aut decliuis. Ac-
cliuis cuius os vergit sursum, fundum deorsum; decliuis contra. Quę
quidem duę sunt sinus primæ differentiæ, quia ex ijs dependet ferè tota curandi me-
thodus, vt mox declarabitur. Dignoscitur autem turunda aut specillo plumbeo, aut,
quod est melius, candela cerea. Inflectitur enim faciliùs & minore molestia, quò lu-
bet, intromittitur. A sanie aut excreto pure qualitas vlceris & progressus remedio-
rum conijcitur. Sanies enim valde tenuis, malè colorata, viridis, nigra, aut putida
nihil boni promittit. Pus autem album, læue, æquale, minimeque fœtidum certò D
& breui sanitatem pollicetur. Addit Galenus 2. ad Glauconem, duobus præterea si-
gnis cognosci, si sinus repleatur atque coalescat. Nempe si dolor & humor dispa-
reant, quæ tamen non est necesse sinui esse adiuncta. Sed cùm pars etiam leuiter
compressa dolet, subiectum neruum vlceratum esse, non leuis est coniectura. Si sa-
nies exeat valde tenuis eaque nigra & fœtida, ad os vsque caries peruasit. Si crassa,
viscida & similis fæci, sola caro vlcera est. Ex colore saniei quis humor toto corpori
dominetur colligi potest, quæ pauca de signis tam diagnosticis quàm prognosticis
sufficiant. Pergendum ad caussas, quibus mox subiungemus remedia. Sinus vnica
est causa nempe subiectæ carnis erosio: illa verò eroditur, saniei, puris aut humoris
ad vlcus vndique confluentis acrimonia. Quoties in magnis abscessibus pus diutiùs
immoratur, siue quod tardiùs aperti, siue quòd negligentiùs expurgati fuerint, mo- E
ra longiore corrumpitur, vicinasque carnes exedit: inde vlcus efficitur sinuosum.
Sequitur etiam sinus magnas contusiones, nec non vulnera sclopetorum, quia om-
ne contusum putrere & in pus conuerti necesse est, quo excreto remanet in parte in-
signis cauitas. Curationis scopi sunt, replere, agglutinare, cicatrice obducere. Ca-
uitas non potest carne repleri, nisi mundum priùs & diligenter detersum sit vlcus.
Itaque imprimis repurgetur & iniectionibus detergentibus mundetur. Pus facilè
vacuatur sinu decliui, accliui vero difficillimè. Tum si fortè sinus non admodum
magnus sit & profundus, nec subsit metus magni alicuius vasis, forcipe aut cultello
secundum longitudinem vlceris, tota cutis incidatur, atque ita totum vlcus aperia-
tur. Sic enim fiet, vt liberè pus effluat, & facilè replebitur, quod si commodè fieri
non possit, aut sinus sit valde profundus, aperiatur in fundo, nisi in eo situ pars collo-

A cari possit, vt os in imum vergat. Exempli gratia. Esto sinus accliuis in brachio aut in femore, vtroque membro sublato, reddetur sinus decliuis, pusque suomet pondere per orificium exibit. Quod si natura & conformatio partis non permittat nouam incisionem fieri, ligatura exprimente puris excretio molienda erit: sinus in fundo arctè ligandus & comprimendus erit, ligatura versus orificium paulùlum relaxanda, vt hoc modo pus veluti elidatur. Facta incisione imponitur turunda ex spongia, aut radice Gentianæ vt dilatetur os; deinde cannula plumbea in orificio relinquitur, quotidie bis aut ter per syringam inijciatur hydromel, vel œnomel vel lixiuium. Hydromel paretur ex aqua hordei & melle rosato, quando suspicio est intéperaturæ calidæ aut inflammationis. Quando non tam detergendum quàm agglutinandum videtur, iniicitur decoctum iridis & Aristolochiæ: quæ si placet, bulliant in œnomelite. Auicenna supra cætera commendat aquam aluminosam, quia
B deterget, siccat, putredini resistit, & adstrictione sua partem roborat, & à fluxione defendit. Chirurgi solent in prædictis humoribus, in aqua-vitæ diluere vnguentum Apostolorum, aut cum subest cacoëthia, Ægyptiacum. Ad desiccationem maiorem & calorem partis fouendum, superponatur emplastrum diapalma remollitum cum oleo veteri: aut puluis myrrhæ, thuris, & aloës exceptus melle.

DE VERA FISTVLA, HOC EST, sinu calloso. CAP. XII.

FISTVLÆ nomen est ambiguum: aliquando enim omne vlcus inueteratum, vt quod 40. dies excessit, fistula nuncupatur. Huiusmodi vlcera
C solent aduenire tibijs, quæ temere occludi non debent, quia totum corpus ex parte se expurgat; humorque vlcere repentè clauso, dum intro ad nobiles partes recurrit, sæpe vitam adimit. Itaque quando sponte clauduntur cogimur ea aperire, aut parti vicinæ cauterium admouere, vt detur excrementis eò fluere consuetis emissarium. Si quis tamen ea occludi velit, is tenuem & exsiccantem diætam sibijpsi instituat, & frequêter corpus repurget. Hoc loco de fistula proprie dicta tractare constituimus, quæ definiri solet: Sinus obductus callo: nomen enim accepit à syringa, cuius os angustum, insignis cauitas. Veræ & perfectæ fistulæ non tantùm labra insigniter sunt dura, sed interiora omnia, tota cauitas obduruit callo. Sinus diuturnitate temporis degenerat in fistulam, quia ratione caloris alieni adurentis partem & consumentis illius humiditatem radicalem indurescit.
D Præmissis generalibus, vt purgatione frequenti & exquisita victus ratione, imperetur quotidie sumendum vel decoctum gentianæ vel Aristolochiæ rotundæ puluis ex vino, vel forma pillularum. Tagautius vtitur hoc decocto. ♃. agrimoniæ m. iij. plantaginis m. ij. foliorum oliuæ m. j. incidantur minutim & contundantur, postea in vino albo coquantur, de colatura quotidie sumatur manè cyathus vnus ieiuno ventriculo. Sequuntur Topica; Ac primùm si commodè sinus incidi possit secundum vlceris longitudinem, forcipe incidatur, os durum nouacula abscindatur aut vratur. Deinde si intrinseca non sint callosa, necdum sit consummata fistula, detergendum vlcus & replendum carne, superiori capite iam explicatis remedijs. Alioquin imprimis os strictum & angustum dilatetur imposita turunda ex spongia aut radice gentianæ, aut Aristolochiæ, dimittatur,
E horis duodecim, plus minus, donec os videatur satis apertum. Callus deinde si non ferro aut igne, remoueatur potentiali, vt Arsenico vel hydrargyro sublimato vel elaterio terebinthinæ permixto, vel trochiscis asphodelorum. Fistulæ orificio inserta radix ellebori nigri per duos aut tres dies callum atterit. Quorum quidem remediorum iam meminimus cùm de vlcere calloso scripsimus. Quæret fortassis quispiam, vt differat à fistula hoc genus vlceris? Respondeo imprimis non esse sinuosum vlcus; deinde non habere labra vsque adeò dura; tertio interiora non induruisse, vt in vera fistula. Iniiciatur tum Ægyptiacum cum aqua vitæ. Aut ♃. Ægyptiaci ℥ß. arsenici ℈j. dissoluantur in aquæ rosarum vel plantaginis ℥vj. fiat iniectio. Aqua fortis vt Guido notat ex Arnaldo, supra cætera fistulas omnes mortificat. Demulceri mox poterit dolor iniecto oleo ex vitellis ouorum, aut vitello vnius oui soluto cum oleo communi. Vt verò eschara decidat, inijciatur butyrum cum decocto

remolliente, vt maluæ, bismaluæ, violariæ; in quo collocetur basilicum. Deinde A detergendum vlcus & replendum carne, remedijs iam annotatis. Memineris verò consummatæ fistulæ esse longam, difficilem & periculosam curationem, eoque periculosiorem, si vel venam, arteriam, neruum læserit, aut iam os corruperit, aut ad partem nobilem peruadat, tutior est cura palliatiua. Quindecimo quoque die repurgetur corpus; superponatur diachylum ireatum ant diapalma.

DE CANCRO VLCERATO. Cap. XIII.

Cancer vlceratus cum apostemoso habet multa communia, vt tumorem, duritiem, dolorem: multa particularia, vt labia tumida, dura, inuersa. Continuò saniem eructat tenuem & aquosam, nigram aut fuluam grauissimè olentem, qua nullum est præsentius venenum. Deniq; B vlcus est ipso aspectu horrendum, cuius differentiæ sunt lupus & Noli me tangere. Ille est cancer cruralis, hic in facie ab imo serpens sursum. Verùm in tibijs serpit cito, longè tardiùs in facie, nisi medicamentis irritetur, vnde nomen habet. Cancro crus occupanti vulgus quotidie gallinæ carnes apponit, quarum suauitate furor morbi mitescit, saniei malitiam benignitas carnis lenit, serpigo sistitur, & vicinarum partium exesio retardatur. In alijs partibus tam externis, vt mammis & generalibus, quàm internis, vt vtero, retinet nomen generis addita parte affecta. Minùs depascitur & dolet qui fit à pituita salsa, putri, conuersa in atram bilem. Maximè omnium furit, qui fit à flaua bile pro vstionis gradu in atram degenerante. Repurgato humore atrabilario, misso sanguine constitutis vitæ legibus, si quis affecta patiatur, nec morbus magnus & obfirmatus altè iam radices egerit, totus cancer C extirpetur. Nam si minima portio relinquatur, solito deterior renascetur. Guido suadet, vt abscisso carcinomate & fæculento sanguine è vicinis partibus diligenter expresso, locus vratur: Alij caustica eaque non leuia sed vehementissima loco vstionis vsurpant. In quibus primas laudes habent arsenicum, sublimatum, cuius vsum sæpe docuimus. Interim vicinæ partes defensiuo aliquo muniendæ, ne dolor fluxionem & inflammationem accersat: intra triduum eschatam producet: qua remota & placato dolore vlcus in modum cæterorum percuretur. Tum verò extinctum cancrum intelliges, cum subiecta caro laudabilis apparebit, nullaque inde sanies putida dimanabit. Quod si consistat in parte interna, vt vtero, vel quæ excindi non possit sine vitæ iactura, vt in facie, aut æger sectionem & vstionem refugiat, contenti simus cura palliatiua, quæ morbi prohibeat incrementum. Victus conueniens imperetur, qui D atræ bilis feruorem contemperet, vt ptissana, serum lactis, caro vitulina. Corpus per interualla repurgetur, sanguis mittatur, hæmorroides viris, præsertim si substiterint, mulieribus menses prouocentur. Topica sint linimentum ex succo solani, agitato pistillo plumbeo, in mortario plumbeo addendo parum camforæ. Aut succi penuria vtere aqua solani destillata eaq; camforata. His intincta lintea sæpe applicentur cancro: vel misce plumbum vstum vnguento de cerusa. Benefaciunt quoque vnguenta de minio, de tuthia, de plumbo, diapompholygos: lamina plumbi illita argento viuo: Aut, ♃. plumbi vsti & loti, tuthiæ & thuris, ana ℥v. absynthij ℥j. olei rosarum ℔ß. ceræ ℥j. ß. succi solani q. s. ad vnguenti crassitiem. Dolorem lenit cataplasma ex folijs cichorij & papaueris, aut ex folijs althææ tritis cum pauco rosaceo.

DE AMBVSTIS. Cap. XIIII. E

Qvia vstioni sæpe succedit vlcus, non erit alienum hoc loco de ambustis pauca subijcere. Vritur autem cutis ab igne, aut rebus ignitis, vt dente, ferro; vel liquidis, vt oleo feruente, aqua, plumbo liquato, ære & quouis alio metallo fuso. Quibus succurrimus tam calidis quàm frigidis. Calidis, quia ignis maior trahit minorem & valde calida trahunt de parte vsta igniculum, vt illitus succus porri, ari. Cepa quoque cum sale trita, & forma cataplasmatis imposita benè facit. Frigida verò sunto succi papaueris, hyoscyami, mandragoræ, lactucæ: vel eorum folia cum rosaceo. Calx viua cerato liquido excepta vlceribus ab vstione succurrit. Sed vnguentum de cerusa non habet par, inquit Hollerius, lege plura apud Fernelium, 6. Methodi cap. vlt.

CHIRVRGIÆ

A

CHIRVRGIÆ SECTIO TERTIA.

DE VVLNERIBVS.

B

QVID VVLNVS, QVÆ SINT ILLIVS causæ, & quæ differentiæ? CAP. I.

VULNUS est solutio continui in parte carnosa, recens & cruenta, facta à causa aliqua externa & violenta: Quibus quidem notis differt ab vlcere & à fractura, Quamuis enim vulnus vt vlcus sit solutio continui in parte carnosa: differunt tamen primò quod vlcus fiat à causa interiore, secundò quòd sit cum sanie aut pure. Nam vulnus perdit suum nomen, & incipit vlcus appellari cùm sanguis in saniem aut pus conuersus est. Nomine partis carnosæ non tantùm carnem intelligo, sed partes molles insertas carni, venas, arterias, neruos. Nam
C magna vulnera atque etiam vlcera vt carnis, sic earum cõtinuitatem soluunt. Quemadmodũ verò vlcus ossis seu solutio cõtinui in eo facta ab erosione & putredine propriè & distinctè τερηδὼν, caries ossis appellatur: sic eiusdem vulnus, hoc est, solutio continui in eo facta à causa violenta vulnerante & externa, κάταγμα, fractura propriè nuncupatur. Hoc loco duntaxat vulnerum curationem meditamur, quorum variæ sunt causæ. Nam quæ carnem incidunt, vt gladius, & quæ contundunt vt baculus, lapis, sclopetorum globulus, quæ membrum distendendo vehementer rumpunt, quæ vrunt, vt ferrum candens; quæ mordent, vt animalia, tam venenata, vt serpentes, scorpij; quàm domestica, vt canes, equi; in causis vulnerantibus censentur, quas diligenter priùs inquirere oportet, quàm de remedio cogitetur. Quamuis tamen externis causis non destinentur remedia, sed internis quas illæ commouerant: tamen ad morbi & morbificæ causæ depulsionem non parum conferunt: quando-
D quidem plurimum refert priùs nouisse an vulnus sit à cane rabido, vel non: quia alexipharmacis tam sumptis quàm admotis venenum expugnaretur: Quæ teli fuerit figura si cognoueris, minori cum dolore corpori infixum euelles. Differentiæ à causis ipsis sumuntur. Nam vulnus ab incidente, incisio; ab acuto & pungente, punctio siue punctura; à duro & obtuso contusio nominatur. Item non aliter quàm vlcus dicitur vulnus aut simplex aut compositum, videlicet morbo, morbificæ causæ aut alicui symptomati complicatum. Vulnus contusum includit suam causam, vt punctio, incisio. Continet quoque suam causam, vulnus, in quo sagitta permansit aut globulus. Est coniunctum morbo vulnus intemperatum, aut cum inflammatione, & dicitur δυσίατον; aut symptomati quod est cum dolore aut hæmorrhagia, quæ duo vulnera sæpissimè comitantur. A quantitate etiam dicitur magnum aut paruum vul-
E nus, superficiarium aut profundum: à figura rotundum, quadratum, rectum & obliquum. Differentiæ quæ à partibus affectis sumuntur, maximè sunt vsus, præsertim ad euentum prædicendum. Nam aut est acceptum vulnus in parte similari aut organica. Similari, inquam, vt carne, pinguedine, vel dura vel molli, vt osse, cartilagine, iuncturis: vel mediocri, vena, arteria, ligamento, neruo. Aut organica eaque principe vt corde, cerebro, hepate: aut non principe attamen necessaria ad vitam, ventriculo, pulmone, vesica, aut quæ ad vtilitatem potiùs data sit & commoditatem vitæ quàm ad necessitatem, vt in naso, auribus, oculis: quorum membrorum vulnera vt priorum, non sunt funesta, quemadmodum fusiùs explicandum est.

DE SIGNIS VVLNERVM, PRÆSERTIM *prognosticis.* CAP. II. A

MORBVS perfectè curari non potest nisi cognoscatur, sed vulnus
sensu ipso conspicuum est. Itaque in dignotione generis non est
magnopere laborandum, sed speciem definire non est cuiusuis quan-
do vulnus ad interiora penetrat. Quandoquidem species definitur
sumpto genere cum parte afflicta. Quando autem pars vulnerata delite-
scit, solertis tantùm est, non cuiusuis Chirurgi eam definitè cognoscere. Con-
siderabit vero partis vsum & actionem, deinde quod per vulnus excernitur, stercús-
ne, vrina; chylus, spiritus: potissimùm vero, ex anatomia situs cuiusque partis obser-
uari debet. Quos signorum fontes ex professo declarat Galenus in opere de locis B
affectis. Prognostica non minoris sunt momenti. Nam lethale vulnus à sanabili pri-
us distinguendum est, quàm curatio suscipiatur, ne videaris eum occidisse, quem
sors ipsa peremit: vel cautè familiares priùs admonendo periculi, curatio suscipien-
da est. Quædam enim vulnera absolutè & necessariò sunt funesta; quandoquidem
etiamnum leuiter vulnerato corde, mors est ineuitabilis: cerebri & hepatis vulnera,
præsertim magna, sunt quoque lethalia, non necessariò tamen, quia historiarum
fide compertum est, cerebri substantia discissa, quinimò ad vnum ex ventriculis pe-
netrante vulnere, nonnullos conualuisse. Enimuerò cùm discisso cerebro idcirco
moriendum sit, quia eripitur beneficium respirationis, qua sublata non est possibile
animal viuere: Tollitur autem respiratio quia per neruos ad thoracem animalis spiri-
tus nō trāsmittitur si inciso occipite nihilominus diffluat spiritus & peræquè respiret C
animal, cur necesse est inciso cerebro interire? sit ergo vt plurimum, non absolutè
funestum vulnus cerebri. Hepatis vulnus magnum præsertim si venam cauam aut
portam insederit, ob immoderatum profluuium quod sisti non potest, est lethale ab-
solute. Agè verò non tantùm principum partium sed etiam ad vitam necessaria-
rum prædictionem percurramus. Vulnus diaphragmatis in media & neruosa parte
absolutè funestum est, non tantùm quia pars sit neruea, & in continuo motu, sed
etiam quia vsque adeo compatitur cerebrum, vt φρένας veteres appellarint, moxque
succedit ex vulnere delirium. At in parte carnosa est quidem lethale ob necessitatem
partis: est enim instrumentum lenis respirationis, & quia in continuo motu est: non
tamen necessario, quia pars carnosa potest agglutinari. Idem dixeris de vesica: cu-
ius collum incisum coalescere quotidiana lithotomia experimur, quia est carneum. D
Sed vesica ipsa quæ neruea est, incisa, necessario moriendum est. De ventriculo par
est ratio. Nam si vulnus externam duntaxat & carnosam tunicam læserit, potest reu-
niri: si interiorem & neruosam, minimè. Chylus enim non fiet, vel certè alimenta-
riùs non erit. Et si laudabilis fieret, vulneris coalescentiam impediret. In stomacho
ob exquisitum quem habet sensum à neruis sextæ coniugationis, & cordis incredi-
bilem consensum, cuius causa cor olim dicebatur, vulnus absolutè est lethale. A
vulnere tenuium intestinorum præsertim ieiuni, quia eò bilis confluit, multa &
magna habet vasa, nulli euadunt, aut paucissimi. A vulneratis vero crassis intesti-
nis quia sunt carnosa, multi. Quid multa? si partis vulneratæ vsu & officio vita
carere non possit, vt renibus, liene, vesicula fellis, quia sanguinem tribus excre-
mentis debent repurgare, vt sit alimentarius; vulnus in his partibus egregium, præ- E
sertim si tantum sit, vt vsum tollat, necessariò est lethale. Vulnus quod peruadit
substantiam pulmonis, multis causis est lethale. Nam vt mittam vsum & necessi-
tatem partis, nec non viciniam cordis, remedia eò difficilimè perueniunt, neque
operari possunt, licet eò peruenerint, quia sunt in continuo motu: vt remedium
agat, est opus quiete. Prætetea pulmo noxium excludit, tussiendo, pus, saniem
& sanguinem. Atqui tussis vehemens, pulmonis conatus ad expectorandum, vul-
nus auget & magis magisque pulmonem dilacerat. Ergo cùm id noceat à quo
solo peti potest præsidium, quæ spes sanitatis recuperandæ potest esse? Incisa aspera
arteria; quia efflatur spiritus, certa est mors: incisa gula vita est in magno discrimine,
quia per vulnus potus effluit, neque cibus ad ventriculum descendit; vulnerata vena
iugulari pauci euadunt propter immoderatū sanguinis profluuium. Dicam breuiter,
omne

omne magnum vulnus est lethale. Dicitur autem magnum tribus causis, aut ratione partis vulneratæ, quæ sit princeps, aut saltem ad vitam necessaria; vel per se & ratione morbi ipsius, quando multum substantiæ deperit, aut quia sit malignum, vel ratione symptomatum. Per se vulnus magnum est lethale, quia cum carne inciduntur vasa quæ illi inseruntur. Incisa autem vena membrum priuatur alimento; incisa arteria, vitali spritu & calore; inciso neruo, sensu & motu; inciso tendone succedit dolor insignis. Vnde si non totius, saltem partis mors. Ratione symptomatum vulnus est lethale, quod acceptum est in capite aut cauda, si malis, in principio aut fine musculi: quia in caput inseritur neruus qui desinit in tendonem; quorum exquisitus sensus dolorem, conuulsionem, syncopem, delirium, febrem & eiusmodi pessima accidentia inducit. Quibus quidem causis vulnus in articulis, quin & iuxta articulos acceptum vulnus est lethale. Nam vbi tendones nerui carne vacua & ossea sunt
B loca, hic dolorum, vigiliarum, conuulsionis, delirij periculum imminet. Hæc omnia Chirurgo diligenter tenenda sunt, vt de vulnerato coram iudice ferat sententiam, aut eam scripto testetur, propterea quòd ferè totum iudicium ex illius descripto dependet.

DE QVINQVE PRIMIS CVRAMDORVM *vulnerum indicationibus, ex III. & IV. Methodi.*

CAP. III.

C CVRANDORVM vulnerum quinque sunt ptimæ indicationes. Prima est generalis, cui cæteræ destinantur, solutam partis continuitatem reünite, partesque vulnere disiunctas agglutinare. Hoc vt fiat imprimis si quid heterogenes in vulnere consistat, remoueatur, vt globulus, telum, spina aut aliud simile. Quia heterogeneo permanēte nunquam vulnus coalescet. Ergo conueniente instrumento, vt volsella, forcipe, digitis illud euellatur aut conueniente medicamento de bdellio, diachylo cum gummis, aut gummis ipsis, bdellio, sagapeno, ammoniaco; quibus addetur puluis Aristolochiæ dictamni, ranarum vstarum, vel magnetis ad extrahendum ferrum. Quod si os vulneris angustum sit, incisione dilatetur, aut imposita turunda siue tanta ex spongia, vel radice gentianæ vel Aristolochiæ. Quo peracto à se inuicem labra secreta abducantur in vnum: deinde in eo situ contineantur, parum enim prodest ea iunxisse nisi reti-
D neantur, nam coniuncta manere debent toto agglutinationis tempore. Cōiunguntur verò & coniuncta seruabuntur iisdem remedijs nempe ligatura aut sutura. Interim partis vlceratæ siue vulneratæ temperies conseruetur, & si absit sitque vulnus δύσκρατον, restituatur: quia agglutinare est opus naturæ seu temperamenti. Postremum est vt accidentibus & symptomatis, si quæ superueniant (superueniunt autem frequētissimè) succurratur, hæmorrhagiæ, dolori, cōuulsioni, delirio, febri, &c. Hęc omnia qui scitè præstiterit, minimo deinde negotio vulnus cōglutinabit. Agè vero quæ de singulis indicationibus breuius & paulò obscuriùs dicta sunt, diffusiùs explicemus. Ligatura est triplex pro triplici fine distincta. Agglutinans, retinens aut exprimens, quandoquidem aut destinatur ad agglutinandum, aut ad excludendam saniem, aut ad continenda remedia quæ superponunt vulneri. Agglutinatoria con-
E uenit vlceri simplici quo minimum substātię deperijt. Fasciæ medium orificio vulneris applicatur, deinde vndiq; circumducitur, cauendo ne arctius comprimas metu doloris & inflammationis, néue nimium relaxes, ne labra diducta & secreta maneāt & cicartice deformi vulnus tegatur. Ligatura exprimens apta est cauis vulneribus & vlceribus profundis & sinuosis, in quibus multa sanies & humorum colluuies retinetur, qualis fieri debet in fundo arctior ad exprimendum; versus orificium laxior ad excludendum. Retentrix verò medicamentorum superiniectorum, sine dolore ea contineat toto tempore curationis. Debet autem plus minus constringi pro ratione accidentium. Nam si vulnus sit cum dolore, non debet multum comprimi, neq; si apostemosum. Verùm quando metus est, vt ferè est, fluxionis, vt eam prohibeas, parte supera vulnus arctiùs ligandum est, quinetiam fascia ipsa & vinculum aliquo adstringente imbuendum, vt oleo rosaceo, oxycrato, oui albumine aut simili

defensiuo. Quæritur quoties soluenda sit ligatura? Respondeo, hoc non posse simpliciter definiri, quia pro ratione symptomatum, vt doloris superuenictis, vel pruritus, irregulariter solui debet, æstate & calido cœlo frequẽtiùs quàm hyeme; in neruo vulnerato aut parte neruosa frequentiùs quàm parte carnosa, quia sæpe mundari debet & detergi à virulenta & æruginosa sanie vulnus nerui. Quod si sanies multa colligatur, ne longiore mora putrescat, & putredine erodat, non est dubium immutari debere, ægrumque curari frequentiùs. Sed quando vulneri coniuncta est hæmorrhagia non debet remoueri ligatura, donec vulnus tutum & securum videatur & putetur à profluuio sanguinis, atq; hæc de ligatura, qua sola debet esse contentus Chirurgus quantum fieri poterit, quia sutura cicatricem reddit deformiorem. Tamen in magnis vulneribus & ligatura & sutura est opus, quæ fiat ex serico filo; cauendo ne neruus, vena, aut arteria suatur. Suatur, inquam, vulnus, quando adhuc recens est & cruentum, alioquin iam alteratis & siccis labris scarificentur, vt intermedio illo sanguine agglutinari possint. Post tres aut quatuor dies cùm sutura videbitur instituto nostro satisfecisse, hoc est, iam per se satis cohærebunt labra vulneris, dissuatur, atque hæc pro secunda & tertia indicatione satis, prima enim nihil habet difficultatis. Nam quæcunque vulnus præseruant ab intemperie, partis temperiem quodammodo conseruant; atqui venæ sectione & purgatione prohibetur ne fiat materialis intemperies à fluxione, natura enim solet ad partes læsas sanguinem in auxilium transmittere. Itaque si vulneratum corpus sit purum, neque plethoricum, nullumque adhuc vrgeat accidens, vtiliter tantùm imperatur venæ sectio ad præcautionem, vt prohibeatur ne fiat fluxio. Possunt eòdem referri potiones vulnerariæ & diæta vulneratorum, nec non quæ admouentur vulneri collectica, id est, quæ mediocriter agglutinant, & inuiscando labra vniunt: siccitate enim sua absumunt saniem, prohibentque ne inter extrema agglutinanda intercedat vlla humiditas, quo quidem modo non est dubium naturam partis conseruari. Cæterùm quæ vena deligenda sit, quando vulnus est supra clauiculas, vt in collo, facie, capite, nempe cephalica; quæ secanda, quando est infra renes, nempe saphæna è directo, aut quæ est in opposito crure. Si tamen corpus sit plethoricum, potest initio, consilio Aetij, aperiri Basilica: in medijs & thoracicis partibus consistente vulnere præferanda communis, vt fusiùs in Generali methodo explicatum est: vbi de purgatione quoq; blanda, mediocri, & vehementi, quæ cuiq; humori vacuando conueniat, disseruimus. Vulneratis olim veteres vehemẽtia cathartica præscribebant ad reuulsionem; quibus erant ignota, quæ ex Arabibus ad nos peruenerunt minoratiua; sed artium magistra experientia demonstrauit, hæc esse tutiora & naturæ familiariora, cassiam, rheum, catholicum, quia diagrydiata conturbant naturam & humores commouent: De potionibus vulnerarijs Medici & Chirurgi magna contentione olim disceptarunt. Guido videtur ita litem composuisse, vt in vulneribus quidem inueteratis concedantur; in recentibus minimè: quia magna ex parte constant calfacientibus & aperientibus, quæ dilatant venas, & sanguinem ad fluendum aptiorem reddunt, vulnus ad phlegmonem pararius efficiunt. Instat vt de vulneratorum diæta pauca annotemus: ita enim Medici cum Chirurgis in vulnerum curatione suas operas partiuntur, vt reseruent sibi Medici magna remedia, diætam & correctionem symptomatum & accidẽtium quæ vulneribus superueniunt, vt febris, conuulsionis, delirij: relinquant Chirurgis operationem & topicorum applicationem, siue particularem curationem.

DE DIÆTA VULNERATORUM.

CAP. IIII.

Quæsitum & magna olim doctorum contentione disceptatum, an victus plenus vulneratis conueniat, an tenuis? Si nutriendi sint, verbi causa, pane, carnibus & vino: an sola aqua hordei, & iusculis. Pleniùs esse nutriendos hoc argumento quidam suadebant. Prima exhibendi alimenti indicatio sumenda est à viribus, quia natura est quæ vulnus sanat, ministerio Medici adiuta: Atqui vulneratorum vires credibile est esse proiectas,

præsertim quando magnum est vulnus: itaque pleniore victu resarciendæ sunt collabentes vires. Nihil tam restaurat quàm vinum: Ergo pleniùs nec sine vino nutriantur. Quibus ex Galeno imprimis respondendum est, vires ægri non esse augendas, sed sustinendas atque conseruandas: Atqui vt valde tenui victu minuuntur, sic pleno augentur, conseruantur mediocri; vt aqua hordei pro potu, iusculis, gelatina, consummatis, vitellis ouorum, auiculis montanis: itaque nec pleniùs nec tenuiùs, sed mediocriter nutriantur vulnerati. Habenda siquidem est ratio præsentis non tantum, sed futuri mali ad præcautionem. Atqui ab vsu vini & victu pleniore manifestum imminet periculum inflammationis, quia nihil tam concitat fluxiones, quàm vinum. Plenus victus reddit corpus plethoricum, sanguis qui copiosior ad vulnus affluit, cùm propter imbecillitatem partis assimilari non possit, reliquum est, vt superfluitas in saniem conuertatur. Cùm igitur & accersat flegmonem plenus victus, B & vulnus saniosum reddat, non conuenit vulneratis; Nisi fortè aut vulneratus sit valde senex, aut præcesserit magna hæmorrhagia, propter quam cum spiritus sint exsolutæ vires, aut vrgeat aliquod accidens, vt frequens animę deliquium. His enim conditionibus non quidem ratione morbi, sed ætatis aut symptomatis aut virium exsolutarum, vinum concedatur. Præterea facienda est distinctio temporis morbi. Nam primis diebus haud dubiè conuenit abstinentia vini: sed cum periculi tempus videtur effluxisse, potest ad naturam & consuetudinem paulatim redire. Quæret aliquis, quot diebus vulneratis sit interdicendum vino? Distinguo, ac respondeo non posse distinctè definiri. Nam si exiguum sit vulnus, satis erit eum duobus aut tribus diebus in abstinentia vini continere, quia tum effugerit malorum accidentium periculum. Si verò magnum sit vulnus, non ante septimum aut etiam decimum quar- C tum diem, si ferre possit, concedatur, saltem pauco, eoque tenui & bene diluto vtatur: quæ prudentiæ Medici relinquuntur. Veneris vsus præsertim in vulneribus capitis tam noxius est, vt nihil magis. Abstineat sinapi, piperatis, cepis, allijs, porris, nasturtio & eiusmodi calfacientibus: alterentur potiùs iuscula refrigerantibus, lactuca, borragine, cichorio, buglosso.

DE QVINTA INDICATIONE, *hoc est, accidentium quæ superueniunt vulneribus, curatione, ac primum de hæmorrhagia sistenda, de placando dolore, de tollenda Phlegmone.*

D

CAP. V.

QVAMVIS remedia primùm morbo & morbificæ causæ destinentur, quia illis remotis disparent symptomata: hęc tamen nonnunquam vsque adeò vrgent, vt relicta ad tempus ordinaria curatione, Medicum in sui depulsionem cogant decumbere, eoque remedia omnia dirigere. Magna vulnera, vt inde exordiar, sæpe tantum sanguinis profluuium consequitur, vt in eo sistendo totus sit impendendus labor. Sistetur autem imprimis incisa vena è directo κατ' ἴξιν, ad reuulsionem, si vires ferant, necdum tanta copia exierit, vt directæ videantur: alioqui vinculis dolorificis, cucurbitulis, etiam cum scarificatu idem tentandum est: Admouendum cataplasma ex sanguine draconis, E bolo armena, thure & aloe, an ℥j. agitetur cum oui albumine, linteamenta eo imbuta applicetur vulneri, superponantur stupæ oxycrato, aut aqua rosarum & plantaginis madidæ. Solet esse hic primus apparatus Chirurgis familiaris ad prohibendam phlegmonem: finitur per tres aut quatuor dies: quia non est credibile ante illud tempus naturam carnem generasse quæ venam obstruat. Si vulnus sit internum, paretur potio adstringens ex trochiscis de charabe, de bolo ex terra sigillata, de spodio, & syrupis rosarum siccarum, cydoniorum, granatorum, myrthillorum cum aquis rosarum & plantaginis. ℞. quorumuis trochiscorum ℈ij. syrupi cuius libet ℥j. dissolue in aqua plantaginis, vel rosarum ℥iiij. fiat potio, capiatur illico. Si vena possit apprehendi volsellis, liganda est. Cauterio tam actuali quàm potentiali tum demum vtendum est, cùm erosâ venâ sanguis sine modo profluit. Cauterium verò

deligatur, quod habeat vim vrendi simul & adstringendi, vt crusta tenaciùs hæreat, A
qualia sint arsenicum & vitriolum. ℞. populei ℥ij. adde vitrioli vsti, & argenti subli-
mati ana ʒj. misce & venæ fluenti applicetur. Si placet prædictus puluis excipiatur
oui albumine, eoque vermiculi imbuti indantur. Possit satis esse solus puluis vitrioli
agitatus cum oui candido. Digitus etiam fluenti venæ aut arteriæ admotus, vsque
dum sanguis in grumum concreuerit, hæmorrhagiam sistit. Interim aquæ potus
imperetur: Refrigerans quoque, incrassans & adstringens cibus, vt iuscula lactuca,
portulaca, plantagine alterata: oriza cocta in lacte mala cydonia, corna, mespi-
la, mala granata, mala punica. Calfacientibus & aperienribus abstinendum etiam-
si refrigerent, vt cichorio, acerosa, gramine. Atque hæc de sistenda hęmorrhagia
satis. Ne dolor pariat flegmonem, quàm cito fieri poterit, demulceatur: vehe-
mentissimis doloribus promptissimè, inquit Galenus, succurrit venæ sectio. Opti- B
mum enim est anodynum, quod tollit causam doloris. Cùm oui albo aut etiam
toto ouo agiteturrosaceum, & applicetur. Confert etiam vulgare cataplasma ex
farina hordei: aut medulla panis cocta in lacte cum vitello vnius oui, & pauco
croco; si placet in lacte primùm bulliat hyoscyamus: aut quando non cedit dolor
adde opij aliquot gr. aut vtere populeo, aut oleo aliquo narcotico & stupefaciente,
vt papaueris, nenufaris, mandragoræ. His remedijs si non mitescat dolor, conie-
ctura est non fallax læsum esse neruum, iisque remedijs vtendum erit, quæ postea
describētur capite de vulneribus neruorum. Vehementes & longos dolores inflam-
matio consequitur: cui venienti nec non factæ succurritur venæ sectione, nec non
defensiuo, ligatura repellente, diæta tenui, purgatione: omni enim vulneri, inquit
Hipp. maximè verò capitis, ventris, & articulorum, vtilis est. Topica primum repel-
lentia; deinde si fluxio repelli non possit, resoluentia; quæ si resolui non possit matu- C
rantia repetenda sunt ex capite de flegmone. Si pus liberè non fluat per os vulneris,
detur illi emissarium.

DE RELIQVIS ACCIDENTIBVS QVÆ *superueniunt vulneribus; vt febre, intemperie, conuulsione, syncope, delirio.*

CAP. VI.

EBRIS magnis vulneribus superueniens, præsertim si adiunctam ha-
beant inflammationem, Medicum non admodum terret; quia ferè est
inseparabilis: sed morbo paulatim in melius procedente minuitur. Si D
tamen exiguis vulneribus aduenìat, aut sublata inflammatione perma-
neat, malis accidentibus comitata appareat, delirio, syncope, conuul-
sione, plena est metus & periculi. Victus tum imperetur qui refrigeret humectetque,
blandè corpus repurgetur; si iam non satisfactum videatur, denuò sanguis mittatur.
Apozemata & iulepia præscribantur quæ refrigerando & humectando febrilem ar-
dorem contemperent. Intemperies coniuncta vulneri, curetur suo contrario; ca-
lida frigido; frigida calido: quemadmodum capite de vlcere intemperato iam de-
claratum est. Conuulsio, hoc est, contraria & inuoluntaria versus suum princi-
pium neruorum contractio fit per se, aut per consensum. Per se, inanitione,
aut repletione; per consensum, cùm maligna aliqua aura vel qualitate offensum
cerebrum, se & neruos secum contrahit. Vulnerati ab inanitione conuelluntur, E
quibus plurimus sanguis effluxit, qua causa conuelli funestum est. Conuellun-
tur vulnerati repletione, quando qui in vulnere apparuit tumor disparet repente,
præsertim quando dorso vulnus inflictum est. Frigidum quoque mordax & neruis
aduersum eos densat, replet conuellitque. At dolor qualis accidit puncto neruo, aut
à venenato aliquo animali demorso compatiente cerebro, conuulsionem inducit
per consensum. Conuulsis à siccitate tota spina neruorum principium aliquo pin-
gui & humectante liniatur, vt oleo communi, butyro recenti, oleo amygdalarum
dulcium, pinguedine gallinæ, aut si febris coniuncta sit, aliquo oleo quod humectet
simul & refrigeret, vt violaceo, nenufarino. Interim prædicendum est periculum,
quia paucissimi euadunt. Conuulsis à repletione, depleatur plethora venæ sectione,
minuatur impuritas, purgatione: inũgatur spina cum neruo partis afflictę aliquo oleo

neruali

neruali & resoluente, chamæmeli, vulpis, costi, cinamomi, castorei. Nam, inquit Galenus, castoreum conuulsis à repletione mirum in modum succurrit. Detur etiam pondere duorum ℈j. cum hydromelite. Benefaciunt vnguenta neruulia. Vt arragonium, Agrippæ, martiatum, pro litu & spinæ & partis vulneratæ. Conuulsis à dolore medentur toties inculcata anodyna. Vt autem conuulsis à punctione, & puncto neruo aut demorso succurrendum sit, posthac proprio capite explicabitur. Quando syncope, hoc est, facultatum omnium præceps lapsus, qualem dolores magni, longæ vigiliæ, perturbationes & inanitio inuehunt, instat (quod medicus ex languente & deficiente pulsu præsentit) offeratur panis intinctus vino, quin tantillum vini diluti aqua rosacea: nihil enim tam citò exsolutos spiritus reficit, & euanescentem animam reducit, promptissimque omnium cardiacorum in spiritus conuertitut. Datur vtiliter etiamnum febrientibus: habenda enim ratio eius quod magis vrget.
B Quod si iam in syncopen inciderit, frigida, aut si adsit tum copia, aqua rosacea in faciem vehementer proijcienda est, vt subito frigoris impulsu spirituum dissipatio prohibeatur, & in suum fontem retrudantur. Naribus offerendum acetum, aqua rosarum parùm camforata, vinum aut aliquid suaueolens, gratis enim odoribus anima recreatur. Extrema deorsum fricanda sunt; pilos, nasum, barbam, & aures vellere oportet; alapis quoque cędere: in aurem alta voce proprio nomine ægrum appellare. Extra paroxysmum si langueant vires inanitione, reficiantur liquidis alimentis & alimentarijs, iusculis, expressis, consummatis, gelatina; Facilius enim est repleri potu & potulentis, quàm cibo solido siue alimentis, quia celeriùs distribuuntur. Delitium nonnunquam accidit vulneribus, per consensum, non per se primò affecto cerebro. Itaque clysteribus acribus vapo-
C res reuellantur, oxyrhodino à capite repellantur, dolor, qui sæpe author est delirij, omni arte, etiam stupefacienti & narcotico demulceatur. De quibus omnibus ideo paucis transfigimus, quod in Medicinæ praxi singulis istis accidentibus dicata sint propria capita.

DE CVRATIONE VVLNERIS SIMPLICIS.

CAP. VII.

VT vlcus ita & vulnus aut est simplex aut compositum: hoc, vel morbo, vt intemperiei, inflammationi; aut causæ, vt contusioni; vel sympto-
D mati, vt dolori, conuulsioni implicatur. Dicitur quoque compositum vulnus quo plurimum substantiæ deperijt, quia particularem habet indicationem. Nam vulnus si simpliciter sit vulnus, agglutinari tantùm vult. At quod carnis portionem abstulit, eius regenerationem primùm requirit. Nam si labra vulneris agglutinarentur, manente cauitate, multa sanies colligeretur, atque mora putrescens eroderet: Non obest igitur Auicennæ sententia, qui existimat tale vulnus esse simplex, quia vnicam habet indicationem. Habere verò vnicam indicationem probat, quia vno eodemque genere remedij, nempe mediocriter siccante, caro deperdita regeneratur & vulnus inuiscatur. Nam sarcotica primo tantùm gradu siccant; colletica, agglutinantia secundo, vt epulotica tertio. Porro hæc omni vulneri sunt communia, vt extrema adducantur in vnum, deinde ligatura, vel etiam, si opus sit, sutura contineantur. Quo peracto sola natura
E caloris sui ministerio vulnus quamuis magnum agglutinabit: si modò nihil impediat, vt hæmorrhagia, contusio, superueniens inflammatio, aut heterogenes quidpiam inclusum, quod imprimis esse remouendum admonuimus. Itaque non est mirum si à plebecula & mulierculis leuissimis remedijs, quamuis magna vulnera quotidie persanentur. Quidam solo vino & oleo commixtis vtuntur, quod appellant balsamum Christi. Alij ex oleo hypericonis & terebinthina balsamum parant, alij ex abietino & oleo rosaceo æqualiter permixtis. Alij applicant forma cataplasmatis folia hederæ, cocta in vino. Quæ, inquit Aetius, magnis & malignis vulneribus agglutinandis plurimum conferunt. Idem præstant quercus folia simul trita, aut herba Regina, quę vulgò Petũ dicitur. Sed huiusmodi remedijs vulnus non defenditur à fluxione quę dolorem sæpe & phlegmonẽ accersit: Itaq; vsu receptum

est, puluerem rubrum, cum oui albumine agitare, agitatum linteo aut stupis excipere & applicare, vt vna eademq; opera vulnus agglutinetur & à fluxione defendatur. Partes vicinas liniunt Chirurgi oleo rosaceo ad eundem finem. Constat autem puluis ruber sanguine draconis, vel bolo armena & duplo thure. Galenus componit puluerem, ex ℥ij. thuris, & ℥j. aloës. Ecce primus apparatus qui finendus est per tres aut quatuor dies, nisi quid vrget, vt hæmorrhagia, dolor, pruritus ingens: tum ferè tutum est vulnus & securum à malis accidentibus. Qui dies cum effluxerint, remoueatur, & Galeni consilio vulnus lauetur vino adstringente, vt Burgundiano, tepidóq;. Vulnera enim nisi vino madefacere non oportet, inquit Hippocrates. Habet enim vim calefaciendi, siccandi, & rarefaciendi. Quo vino stupæ imbutæ quotidie admoueantur. Adstringens magis & desiccans reddetur incocto malicorio, balaustijs, nucibus cupressi, galis vel pauco alumine. Guido non abluit vino, sed aqua ex vino destillata: deinde puluerem terebinthina lota excipit admouetq;. Aetius ex myrrhæ, thuris & resinæ frictæ æquis partibus parat puluerem, quem excipit mucagine chocleatum. Benefacit quoque puluis cochlearum vstarum. Quibus artibus vulnus simplex intra paucos dies agglutinabitur, quod præstare malui, quàm statim in principio principiante vti balsamo, vt plurimis hodie familiare est. Quamuis enim augeant natiuum calorem balsamum artificiale, aqua-vitæ, aqua theriacalis, imperialis, & partis temperiem conseruent, tamen vulnus à fluxione non defendunt, quæ imprimis metuenda est.

DE VVLNERE CAVO QVOD HABET os sursum, fundum deorsum. CAP. VIII.

QVANDO vulnus est cauum, eiusq; orificium sursum est, fundum deorsum, ne degeneret in sinum aut fistulam, procurandum est diligenter vt sanies, quæ plurima colligitur in fundo, excludatur. Quod non est facile quia graue non ascendit, nisi violentia. Itaque videbis primùm si eo situ membrum collocare possis, vt os vulneris inclinet deorsum. Brachium suspendatur tibiæ & femori, puluini supponantur: ligatura quoque exprimente sanies expellatur. Quæ si non satisfaciant au commodè fieri non possint, vel totum vulnus à supero ad imum incidatur, si modò sit superficiarium, neque sit metus incidendi nerui, arteriæ, magnæ venæ. Quod si fortè æger non permittat, aperiatur vulnus in fundo, deinde admotis aut iniectis detergentibus mundetur, qualia descripta sunt capite de sinu.

DE MAGNO VVLNERE, QVO MVLTA caro decessit. CAP. IX.

HOC vulnus iam docui esse compositum quia duas habet indicationes differentes. Nam antequam agglutinari possit, cauitas replenda est. Carnem verò regenerare, agglutinare, fortassis etiam cicatrice vulnus obducere est opus naturæ, non artis, quæ si integra fuerit, affluatque ad partem vulneratam sanguis laudabilis, qui neque peccet quantitate, neque qualitate, ipsa per se sola deperditam carnem regenerabit. Quid ergo præstat Chirurgus? Temperiem partis conseruat, aut, si absit, eam restituit. Præterea incarnanti naturæ tollit impedimenta, saniem & sordes; saniem siccantibus, sordes detergentibus. Itaque remedia quæ sarcotica vocantur, leuiter debent siccare & detergere. Nam si multum siccarent, materiam carnis, nempe sanguinem absumerent. Ergo cùm modo iam dicto hæmorrhagiæ consulueris, vulnus ab inflammatione & dolore primo apparatu tutum reddideris, illo remoto abluatur vino, deinde sarcotico puluere & vnguento conspergatur, quale est aureum. Si placet cera & oleo simul liquatis puluis sarcoticus excipietur & in rem præsentem vnguentum sarcoticum parabitur. Quo imbura linteamenta in cauitatem vulneris immittantur. Leuiora sarcotica, quę conueniunt naturis, ætatibus, & partibus mollioribus, vt pueris, mulierculis, carni, sunt thus, cortex thuris, myrrha, mastyche, aloë, farinæ hordei & fœnugræci: valentiora, quę naturis & ętatibus siccioribus nec

non

non partibus durioribus vulneratis & vlceratis conueniunt, vt neruis & ossibus, sunt iris, aristolochia, panax, erui farina & lupinorum. Quibus vehementiora adhuc sunt metallica, vt plumbum, antimonium, æs, quæ ob acrimoniam vrenda & lauanda sunt. Obiicies aliquis, sarcotica debent tantùm primo gradu siccare: atqui iris, aristolochia, & metallica etiam ad tertium gradum siccant? Respondeo, gradum siccitatis non posse absolutè definiri, sed pro ratione temperamenti totius, & potissimùm partis vulneratæ, ætatis, sexus, esse vsurpanda, quæ plus vel minus siccant. Thus enim, inquit Galenus, in parte, ætate natura molli, vt in puero, qui in carne vulnus acceperit, est optimum sarcoticum. Vulneratam autem partem siccam & duram humectabit, reddétque vulnus sordidius. Itaque vnum & idem prout varijs naturis & partibus accommodatur, aut prout corrigitur, vel pauca quantitate vsurpatur, fieri potest sarcoticum, colleticum, epuloticum. Exempli gratia, viride
B æris est causticum, si tamen excipiatur cera & oleo, aut misceatur cerato refrigeranti, fiet sarcoticum. Vitriolum magna quantitate carnem absumit, & vulnus cauat: paucum verò illud cicatrice obducit. Quæritur præterea, si liceat puluere sarcotico magnum & canum vulnus conspergere. Non videtur, quia si quid heterogenes, vt grumus, pilus, labris vulneris fuerit interiectum, nunquam coalescet. Respondetur sarcoticum puluerem esse omninò incarnanti syngeneum & familiarem; aut a calore discuti operatione perfecta vel foras excludi. Cæterùm de sarcoticis & colleticis legendus Galenus secundò κατὰ γένη, & secundo Methodi: nec non commentario in libro Hippoctatis de fracturis, & libro sexto simplicium.

C DE CICATRICE INDVCENDA, SEV *vulnere consolidando.* CAP. X.

CVm sarcoticorum beneficio vulneris cauitas ferè repleta & cuti propemodum adæquata videbitur, cogitandum erit de inducenda cicatrice: cuticulam generari, quoties vstione, scabie, aut excoriatione decedit, quotidie experimur; interiorem & veram cutim minimè. In pueris quidem propter mollitiem, & quod viciniores sint vitæ primordijs partes spermaticæ regenerantur; in adultis, quibus membra sunt ficciora, nunquam. Si contingat hoc inopia seminalis materiæ, an efficientis imbecillitate, nempe conformatricis cuius vires nutrix supplet in adultis. An quod confluens quotidie nouus sanguis ad partem vulneratam anteuertat & impediat cutis reforma-
D tionem? an potiùs ratione siccitatis? sunt enim partes spermaticæ longè ficciores carne. Non est huius loci disputare, satis est si Chirurgus intelligat cicatricem cuti esse analogam, eamque fieri secunda naturæ intentione, quæ cùm veram cutim in locum abscissæ reponere non possit, cicatricem substituit, quæ illi proportione respondet. Quod etiamsi naturæ esse opus Galenus existimet, tamen hoc arti acceptum potius ferendum aliquis non iniuria contenderit: nam cutis longè ficcior & densior carne, vt analogo quopiam restauretur, carnis superficies exterior condensari & valde reficcari debet. Atqui hoc præstant Epulotica potiùs quàm natura, quæ mediocriter frigida & valde sicca esse oportet, vt frigore densent carnem & siccitate indurent, sicque in cicatricem conuertant. Sic ossa fracta non osse sed callo, qui πῶρος σαρκώδης appellatur, coalescunt. Epulotica eiusmodi sunt malicorium, balaustia, gallæ immaturæ, acacia, alumen, linteolum vetus & bene mundum aqua
E aut vino decoctionis aluminis imbuatur, & quod arefactum sole depectitur, & concerptim imponitur: vel linteolū dicto liquore madidum & expressum carni apponito, cui plumbi laminam tenuem inducito & alligato, quando vulnus & vlcus difficilè consolidantur & ad cicatricem producuntur. Aut recipe cerusæ ℥ ij. gallarum myrthi & recrementi plumbi ana ʒ. j. fiat puluis. Recentioribus familiare est emplastrum diacalcitheos, siue diapalma: quod poterit oleo rosaceo remolliri. Possis ad eundem finem vti vnguento deficcante rubro, vnguento de plumbo, de minio, aut cerato de bolo. Lege Galenum 4. κατὰ γένη. Cæterum in cicatrice multa sunt vitia. Aut enim supra modum excrescit, aut caua est, vtroque modo est deformis. Excrescit vulnere non satis repurgato & reficcato; caua estante tempus admotis epuloticis. His enim vtendum est ferè pleno nondum adæquato vulnere: Epulotica

enim intempestiuè vsurpata quia nimiùm carnem resiccant, vulnus cauum reddunt. A
Aliquando hoc fit subiecti ossis portione ferro amputata. Præterea cicatricem facit
difformem frequens & inepta sutura, aut magnum vulnus quo substantiæ plurimum
decessit. Excrescens reformatur cathereticis. Præcipitatum omnes excrescentias
tollit sine dolore; lauari potest aceto, vt acrimoniam perdat. Idem præstant alumen
vstum, vitriolum, puluis serpentariæ, sabinæ, & alia multa Tractatu superiore
citata. Ægyptiacum est in vsu frequenti, potest misceri cerato myrthino, ea proportione,
vt sint partes quatuor cerati, vna Ægyptiaci. Caua refricanda & atterenda est
cathereticorum vsu, vt quod deest deinde regeneretur.

DE VVLNERE CONTVSO ET contusione sine vulnere, id est, ἐκχυμώματι. B

CAP. II.

INFLICTVM vulnus à re dura & contundente, vt telo, globulo, duas
habet contrarias indicationes, quæ difficilem reddunt curationem.
Nam omne vulnus qua ratione vulnus est, siccari postulat, quod conclusum
est humectari, quandoquidem putrere & in pus conuerti oportet,
quod valde contusum est. Putrent autem omnia tam arte quàm
natura, à calido & humido. Itaque πεπτικὰ, id est, supputantia, & σηπτικὰ putrefacientia
omnia debent esse calida & humida. Hæc cùm seorsim fieri debeant, vtrum debet
præmitti, habendáne priùs ratio contusionis quàm vulneris? Sanè id prius agendum C
est, quo manente alterum curari non potest. Atqui nisi valde contusum putruerit,
non potest vulnus consolidari. Itaque ad id quod magis vrget, nempe ad
contusionem, imprimis curatio dirigenda est: cui cùm prospectum fuerit, contusaque
caro suppurarit, redeundum erit ad ordinariam curationem vulneris. Ad impediendam,
atque etiam, si fiat, retrahendam fluxionem, è directo vena incidatur.
Nam præsertim sub hoc affectu, fluxionis imminet periculum, quia contusio omnis
est dolorifica. Natura autem parti dolenti vt succurrat, vndiq; eo sanguinem amandat.
Ad eundem finem vtiliter purgatio præscribitur. Diæta valde tenuis primis diebus
imperanda. Vicinæ partes aliquo repellente vt oleo rosaceo vel myrthino cum
pauco aceto muniendæ sunt. Superponatur mox pepticum cataplasma, quale ex
farina tritici cocta in hydrelæo, aut ex quatuor remollientibus descripsimus cap. de
Phlegmone. Benefacient quoque Basilicum, dialthæas, diachylum remollitum in D
oleo liliorum. Quæ contusioni & dolori simul subueniunt. Quo placato vulnus tutius
est à fluxione. Exempli gratia. ℞. radicis liliorum ℥. j. althææ cum radice &
violariæ ana m. ß. florum chamæmeli & meliloti, ana p. j. ficus pingues iiij. seminis
lini & fœnugræci, ana ʒ iij. fiat decoctio in lixiuio aut vino potiùs quàm in aqua,
ne plus iusto humectet, & noceat vulneri: residentia teratur, passetur: deinde adde
ouorum vitellos ij. parum croci, olei chamæmeli aut liliorum, aut butyri recentis
℥ iij. fiat cataplasma, quo totum vulnus contusum tegatur. Priùs tamen in vulnus
ipsum immittatur commune digestiuum, quod fit ex terebinthina & vitellis ouorum.
Hoc cataplasmate cùm in saniem conuersa erit caro contusa & attrita, vtere
mundificatiuo de apio aut turunda melle rosaceo intincta, vel ad detersionem maiorem,
vnguento apostolorum. Quando abundè detersum videbitur, impleatur E
carne si opus sit, deinde cicatrice tanquam sigillo claudatur. Quod si liuescens caro
neque hisce remedijs putrescens, gangrænæ incipientis suspicionem inijciat, scarificetur;
muria, oxymelite cum spongia abluatur, Ægyptiacum admoueatur, denique
iam præscripta capite de gangræna præscribantur. Quæritur, cur omne contusum
intumescit? quia non tantùm sanguis vndique eo affluit, ratione doloris, sed
ex venulis partis contusæ contritis sensim effluit, qui partem in tumorē attollit. Cur
pars contusa liuet? Quia sanguis extra vasa putret, illicòque conculcatur, neque liberè
difflatur, propterea quod partis contusæ obstructa sunt spiracula. Qua causa
deseritur sanguis à calore suo, & veluti mortificatur. Carnis & cutis propter contusionem
liuescentis, par est omninò ratio. Hinc patet cur paruis quidem contusionibus
liceat repellens applicare vt albumen oui cum oleo rosaceo agitatum; in magnis
minimè,

A minimè, quia magis magisque iam potrescens sanguis qui subtus carnem effusus est, incoarcetur & citò membrum corrumperet. Tentanda est potius resolutio, si paucus sit, & in superficie consistat. Nam si multus & in profundo delitescens, primùm scarificatu profundo, admotis etiam hyrudinibus, cucurbitulis, foras eius portio attrahatur, reliquum discutiatur cataplasmate ex farinis fabarum, erui, lupinorum coctis in decocto hyssopi, thymi, calamenthæ. Si non possit resolui, procuretur suppuratio, quæ omnia committenda sunt prudentiæ Chirurgi, qui pro mali intensione aut remissione curationem ab hoc aut illo remedio ordietur, repellente, resolnente, aut suppurante. In valde magnis contusionibus exordiendum à suppurante: in mediocribus à resoluente, non omisso Scarificatu; in exiguis à repellente. Omnibus benefaciunt venæ sectio & defensiuum. Non est omittendum generalibus & internis totius corporis contusionibus, quales accidunt cadentibus ex alto, vena

B imprimis secta succurrendum esse, inuoluendo corpus pelle arietis recens mactati; aut si absit eius copia, inungendum corpus olei rosacei, & lumbricorum æquis partibus, mox mumiæ ℥. ij. dentur ex vino: coagulatus sanguis dissoluetur oximelite aut syrupo acetoso, cum aqua cardui benedicti.

DE VVLNERE A MORSV animalis præsertim venenati, vt canis rabidi.

CAP. XIII.

C QVAMVIS omne vulnus à morsu etiam hominis sani sit cacoethes, longè tamen deterius est, quod à venenato animali, vt serpente, scorpio, cane rabido inflictum est. Itaque hic ab initio non est repellendum, sed foras extrahendum & alexipharmacis proprijs aut communibus tam sumptis quàm admotis oppugnandum. Parcendum quoque venæ, nec nisi blando cathartico, vt catholico, aut leni clystere, corpus repurgandum. Cardiaca semper sunt ex vsu, vt syrupi de limonibus, de parte acida citri, cum aqua cardui benedicti, buglossi: iuscula ijsdem, maximè verò oxalide & pimpinella alterentur, quæ sola rabiem sanare creditur, & hydrophobiam impedire, quam tandem incurrunt demorsi à cane rabido. Galenus 11. simpl. capite de cancro vsto, affirmat, neminem à morsu canis rabidi vnquam mortuum, qui sequentibus Æschrionis remedijs vsus sit; ℞. thuris ℥. j. gentianæ ℥v. cancrorum fluuiatilium ℥x. fiat puluis. Si in principio

D pio vocatus fueris, satis erit illis dare cochlear vnum sumendum cum aqua decoctionis pimpinellæ & oxalidis. Si verò iam inualuerit malum & à morsu iam dies aliquot effluxerint, dabis quotidie duo cochlearia. Topicum verò hoc applicabis vulneri. ℞. picis ℔. ij. aceti sextarium j. Italicum, opoponacis ℥. iij. fiat emplastrum molle. Theriaca & mithridatium sunt omnium venenorum tam sumptorum quàm admotorum prima & communia alexipharmaca, quæ prosunt sumpta & admota. Sumantur cum aqua cardiaca vt cardui benedicti, buglossi, aut cum decocto pimpinellæ & acetosæ pondere ℥. ij. Admoueantur cum puluere gentianæ, dictamni cretensis, Aristolochiæ, vel, ℞. magnam cepam, cauetur, cauitas alterutra confectione impleatur, deinde stupis inuoluatur, sub cineribus coquatur, teratur & forma cataplasmatis admoueatur vulneri: trahit enim venenum & simul expugnabit. Quidam viuentis galli implumem podicem vulnusculo opponunt, os illi occlu-

E dunt, vt podice aspiret, & spirando virus eliciat: mortuo subinde nouus substituatur, donec abundè virus attractum videatur. Possis & vtiliter admouere pullum gallinaceum recens occisum. Quidam villico præbent vulnus sugendum: alij cucurbitula cum scarificatu attrahunt. Quando valde præsens est venenum, vt phalangij, viperæ, tutius est vulnus vrere. Si reformidet ignem, saltem cauterium potentiale admoueatur. Cùm exciderit crusta curetur vulnus in modum cæterorum. Imprimis verò memineris supra vulnus membrum deligare, vt occludatur veneno aditus ad cor.

DE NERVO PVNCTIM VVLNERATO. A

Cap. XIIII.

VVLNVS in genere definitum est, solutio continui recens & cruenta in parte carnosa. Partis carnosæ nomine non tantùm carnem, sed etiam venam, arteriam & neruum (quo etiam tendo & ligamentum propter substantiæ similitudinem includuntur) comprehendimus. Quarum quidem partium differentijs totidem emergunt species vulneris. De vulnere carnis copiosè adhuc disseruimus. De vulneribus quoque venarum & arteriarũ tractauimus, cùm de sistenda hæmorrhagia tractarem. Itaq; superest, vt de vulneribus neruorum tractemus, multa enim habent particularia, vt quia neruus naturæ est siccæ & duræ, B vulneratus magis exsiccantibus curari debet, quàm caro mollis; cumque sit exquisiti sensus, quoties vulneratur, intolerabili dolore cruciat. Quia verò sensorij immediatè consentiunt cerebro, motorij per intermediam spinæ medullam, non est dubium vulneratis neruis condolere cerebrum: quia dum se contrahit, vt noxium excludat, neruos, quin totum membrum conuellit. Quibus potissimum duabus notis vulneratum esse neruum conijcimus, id est, dolore & spasmo. Præterea vulnus carnis, venæ & arteriæ, quàm citò fieri potest, vniri debet. Nihil autem tam metuendum est, quàm vt punctus neruus citò à carne & cute tegatur, propterea quod sanies quæ in subiecto neruo colligetur, non difflata putrebit, malignámque & venenatam qualitatem acquiret. Singulare est remedium procurandum vt detegatur & apertum vulnus maneat, donec à malis accidentibus æger tutus & liber videatur. C Adhæc opus est attrahentibus, quæ calfaciant & exsiccent. Abstinendum repellentibus, vt refrigerantibus omnibus, quia frigidũ neruis & partibus neruosis inimicum. Humectantibus quoque quia nerui non debent humectari & relaxari, nisi fortè siccà intemperie laborent. Ergò vt puncti nerui curationem arte & methodo declaremus: Ad impediendam fluxionem & inflammationem, simulque ad placandum dolorem, mittatur sanguis, corpus repurgetur, victus valde tenuis primis tribus diebus imperetur. In puncturam oleum terebinthinæ instilletur calidum, vel terebinthina cum aqua-vitæ: in naturis robustis addere possis aliquid castorei, præsertim cum profundum est vulnus, vt altius penetret; alioqui euforbium quarto gradu calidum, acre, & mordax non conueniret: Errántque, inquit Galenus, qui promiscuè & sine delectu in neruis tam cæsim quàm punctim vulneratis euforbio vtuntur. D Quando enim incisus est neruus & apertum vulnus patet sensibus, cui remedia applicari possunt, noceret tunc euforbium. Additur verò remediis puncti nerui, vt illa suo calore ad occultum & delitescentem neruum deducat, saniémque æruginosam aut absumat, aut foras trahat. Adde quòd interiecta carne & cute, illius acrimonia obtunditur. Admisceri potest oleum de euforbio, terebinthinæ, aut ℞. olei veteris ℥. ij. euforbij, vel sulphuris circiter ʒ. j. oleum chamæmelinum æstate, hyeme de castoreo vsurpari solet, quibus si non mitescat dolor, stupefaciẽdum est membrum aut totus neruus incidendus. Nerui quoque origo iisdem oleis, cùm metus est conuulsionis, liniatur. Si fortè in principio putredo & phlegmone superueniant, admouebis non cataplasma ex farina tritici, sed fabarum, erui, lupinorum, cocta in oxymelite aut syrupo acetoso. E

DE NERVO CÆSIM VVLNERATO.

Cap. XV.

NERVVS incisus secundum longitudinem, minus habet periculi, faciliúsque coalescit. Inciditur verò per transuersum aut totus aut ex parte tantùm. Sanè melius est, incidi totum, quàm ex parte tantùm, quia parti sanæ communicatur malum, cui compatiens cerebrum, membrum conuellit. Dissecto toto neruo, quia cerebri compassio propter solutam continuitatem nulla manet, nullum est periculum conuulsionis. Imò verò cùm

A cùm instare aut vrgere iam videtur conuulsio, neruo per medium duntaxat dissecto, præceptum est in arte, vt pro remedio singulari totus incidatur: priuabitur quidem membrum sensu aut motu, sed præstat membri vnius quàm totius vitæ iacturam facere. Est enim lethalis conuulsio quæ vulneribus accidit. Faciamus vulnere cum cute & carne totum neruum dissectum esse, consuenda erit caro, vt nerui extrema cohæreant & intermedio callo vniantur. Aliqui suadent neruum ipsum consuere, vt membri figura pulchrior remaneat, sed pungi non potest sine ingenti dolore. Itaque è duobus malis eligendum minus; præstat sutura carnis incisi nerui extrema vtrúmque copulare etiam cum aliqua membri turpitudine, quàm cum dolore & periculo neruum ipsum suere. Incisis neruis conueniunt nerualia quæ valde siccant absque morsu & acrimonia. Calx, pompholix & metallica valde quidem B siccant, sed mordent sæpiùs, itaque lauari debent, vt acrimoniam perdant. Vtverò retineant vim siccandi, neque illam lotione amittant, lauentur in aqua salsa aut in lixiuio. Ergo vt ordine procedat curatio, inciso neruo primùm vulnus carni sutura vniatur attendendo semper ad id quod magis vrget. Dolor insignis demulceatur; hæmorrhagia sistatur iam dictis remedijs, alioquin ℞. pulueris lumbricorum præparati ℥. j. teratur cum limacibus & applicetur. Nam puluis lumbricorum est neruahis, desiccátque potenter; limaces siue cochleæ sistunt sanguinem & fluxionem repellunt. Aut ℞. calcis vel tuthiæ lotæ in lixiuio ℥. j. misce cum ℥. iiij. olei rosacei aut excipiantur terebinthina: addere possis lanceolatæ, caudæ equinæ & consolidæ ʒ. ij. aut iij. ad repellendam & impediendam fluxionem. Commendatur quoque fimus columborum rosaceo permixtus. Quidam de puluere oculorum cancri C vstorum mira promittunt: vulnus enim, si illis credatur, intra dies tres sanescet, si nerus isto puluere conspergatur.

DE NERVO CONTVSO.

CAP. XVI.

NERVVS à causa externa pungitur, inciditur aut contunditur, si fortè cutis simul contusa sit & vulnerata, rosaceum subactum cum albumine, imprimis applicatur, deinde vino calēte pars fouetur, aut cataplasma paratur ex farinis fabarum, erui, lupinorum, coctis in oxymelite: addere possis, puluerem iridis Florentiæ. Dioscorides in neruis contusis commendat cataplasma D confectum ex cinere sarmentorum, adipe & oleo. Quod si neruus sit contusus, inuulnerata cute, aliquo oleo digerente, vt chamæmeli, anethi, ireos, rutæ, locus foueatur, eóque imbuta lana superponatur. Miscere possis prædictis oleis picem liquidam.

PERBREVIS ET FACILIS TRACTATVS DE VVLNERIBVS SCLOPETORVM.

E

PRIMÆ ET GENERALES INDICAtiones constituuntur. CAP. I.

VVLNERA à glande plumbea inflicta, vulnere contuso, tanquam genere continentur: Fiunt enim à re dura & contundente: Propterea sunt vulnera composita; in quibus curandis primùm contusionis, deinde vulneris est habenda ratio, communésque habet omnino indicationes cum vulnere contuso. Primis diebus victus tenuis præscribendus est, maximè verò abstinentia vini, metu inflammationis. Multo cibo vt augetur pleni-

tudo, ita minuitur abstinentia. Grauiter affecta natura non debet pluri cibo onerari: imbecilior tum est calor, quàm vt multum alimentum conficere possit. Ad impediendam fluxionem, reddito clystere incidatur vena. Si quid heterogenes subsit, globus, indusij frustulum, ossis fracti squamma, danda est opera, vt citius quàm fieri possit, extrahatur, cùm feruet adhuc sanguis in præcordijs, molestiam istam faciliùs ferunt: sedato animæ & spirituum primo impetu propter apprehensionem mali, maior est dolor. Si tamen in principio (vt dicitur) principiante, & primo apparatu hoc commodè fieri non possit, non est admodum torquendus æger. Differendum in aliquot dies, dum natura ipsa (cuius proprium est, heterogenea cogere, & ea separare) vltro obtrudat amouendum. Si fortè os vulneris angustius videatur, dilatetur secundum longitudinem, ne transuersa sectione neruus aut musculus offendatur, accedit quod ob longa vulnera faciliùs coalescunt. Admoueri tandem poterunt, si nihil profecerit. Chirurgia, attrahentia medicamenta iam annotata; symptomatis, si quæ vrgeant, vt dolori & hæmorrhagiæ succurrendum, iam explicatis remediis. Quibus postea nonnulla in hac vulneris specie particularia adijciemus. Præterea quod contusum est, vt pars omnis interior, liuida & dura, quam attriuit globulus, putrefaciendum est, priusquam de replendo & consolidando vulnere cogitetur. Hoc quicquid est contusum, dum in saniem vertitur, vlcus reddit valde sordidum: quod iccirco detergentibus potenter mundandum est priusquam incarnetur. Quas quidem omnes communes habet indicationes cum vulnere contuso: duas tamen in hac vulneris contusi specie proprias & peculiares quidam, autore Ioanne de-Vigo, adiiciunt: vstione à pyrio puluere, & globulo impetu & vehementia motionis calefacto excitatam: Et malignam qualitatem, siue illam vulnus acquisierit ex salpetario puluere, siue à veneno globulo immixto. Vtriusque qui non habet rationem in eiusmodi vulneribus curandis, toto, inquiunt, scopo aberrat. Hinc alexipharmacis tam proprijs quàm communibus & assumptis cardiacis in hoc morbi genere vtendum esse affirmant, non aliter quàm in vulnere ab ictu & morsu venenatorum animalium. De quo non magnopere laborandum esse puto: quia alexipharmaca si non prosint vulneri, non nocent, intereàque vires & naturam confirmant. Sed de vstione, quod inter doctos controuertitur, videtur dignius disquisitione. Quia multi sola frigida profitentur se eiusmodi vulneribus mederi posse hoc argumento: Quod omnis morbus curetur suo contrario, Atqui vulnus hoc esse ambustum demonstrant ex crusta & liuore. Itaque igni calido & sicco non possis conuenientiori remedio, quàm aqua frigida & humida subuenire. Alij eodem subnixi fundamento, ijs vulneribus non aliter medentur quàm ambustis. Quam quidem opinionem multis ijsque grauibus argumentis exagitat Bartholomæus Lagius, libro quem scripsit de vulneribus sclopetorum. Ex quo ferè omnia transcripsit, & in Gallicum sermonem conuertit Laurentius Ioubertus in simili, quanquam Gallico opusculo. Illi respondent, vtrumque, nigrorem scilicet & crustam induci contusione; omne enim contusum liuere experientia demonstrat. Crusta verò, quam impropriè illi escharam vocant, fit priuatione humidi in parte attrita.

IN CVRATIONE QVID PRIVS, quid posterius agendum. CAP. II.

CVM diætam, venæ sectionem & purgationem præscripseris; globulum aut si quid aliud præterea subsit, extraxeris; hæmorrhagiam, si fortè modum excesserit, represseris; vicinæ partes communi defensiuo muniantur, vt repressa fluxione, phlegmones generatio impediatur. Quo solo quidam contenti sunt primo apparatu. Vrgentioris tamen, quo manente reliqua curatio inanis est, imprimis ratio haberi debet, nempe insignis contusionis, cui nocent repellentia. Itaque supra vulnus qua parte fit fluxio, defensiuum applicetur, aut, ne partem grauet valde dolentem, cataplasma oleo rosaceo vel myrthino, aut vnguento de bolo cum ijsdem oleis remollito, vel cum succo solani, semperuiui vulnus in ambitu liniatur. Cauterio deinde vel actuali, ita suadente Ioanne de-Vigo; vel potentiali, vt recentioribus magis placet, de contuso humidum putre consumatur. Oleo sambuchino aut terebinthina feruente profundunt vulnus iuuantque.

A iuuantque. Ioubertus describit vnguentum ex præcipitato & camfora; exceptis aliquo pingui leniente, vt butyro recenti, oleo violaro vel amygdalarum dulcium. Exempli gratia ℞. pulueris præcipitati ℥. ß. camforæ ℈ij. excipiantur ℥i. ß. butyri recentis, fiat vnguentum. Præcipitatum & camfora resistunt putredini, vt gangrænæ imminenti; cuius inopiâ vti possis Ægyptiaco, cùm liuor & stupor partis minabuntur gangrænam. Alioquin post vsum feruentis olei, admonebis aliquod pepticum, in quibus singulare est basilicum, poterit emolliri olei lini vel liliorum permixtione. Recipe vtriusque olei ℥. ij. vitellum vnius oui & parum croci: vtere eo vsquequo incipiat pus apparere, contusúmque suppuret. Tum terebinthina optimè lota & melle rosaceo sordidum vulnus detergendum erit, aut vnguento apostolorum; vel, si opus sit vehementiori, Ægyptiaco. Si placet, Recipe aquæ hordei q. ſ. lumbricorum terræ ℥. iiij. succi plantaginis, apij, absynthij, agrimoniæ, marB rhubij, centaurij minoris ana ℥. j. bulliant omnia simul. Adde sub finem terebinthinæ ℥. iij. mellis rosati ℥. ij. croci ℈. j. fiat vnguentum detersorium. Quod si vulnus valde profundum fuerit, ex hordeo & prædictis herbis detergentibus, fiat decoctio; in ℔. j. mellis rosati dissolue ℥. iij. aloes hepaticæ ʒ. iij. bulliant parum, fiátque iniectio quoties vulnus inuises. Posses & addere Ægyptiaci ℥. j. ad detersionem maiorem. Cumprimùm mundum & abundè detersum videbitur, curetur vt vulnus simplex, hoc est, incarnetur & cicatrice obducatur iam descriptis remediis. Qui existimant eiusmodi vulneribus inesse quiddam cacoethes, cancrorum vstorum commendant puluerem, & quæ vulneribus à morsu venenato præscripta sunt. Quibus tamen vt neque balsamis artificialibus, neque potionibus vulnerariis, primis diebus vtendum suaserim, sed cùm tempus effluxerit fluC xionis, neque imminebit metus symptomatum. Hoc caput concludamus vulgari quæstione, Cur tanto impetu de sclopetis globulus eijciatur? Respondeo, vraer est decuplus ad aquam, quia ex vna aquæ gutta calore resoluta, fiunt decem aeris, vicissimque ex decem partibus aeris frigore concreti vna duntaxat aquæ gutta reformabitur. Sic ignis comparatus terræ centuplus erit. Puluis igitur ex sulphure, nitro, & carbone salicis vel auellanarum compositus repentè conuersus in flammam spatium requirit centum partibus maius, quo contineatur; Itaque necesse est, vt sclopetum rumpat, vel per spiraculum celeriter vehementérque exsiliens obuia omnia eodem summo impetu excutiat. Eâdem ratione musto in dolio feruenti nisi spiraculum liberum feceris, dolium disrumpetur.

D

CHIRVRGIÆ SECTIO QVARTA DE FRACTVRIS.

E *QVID FRACTVRA, QVÆ SINT illius primæ differentiæ, quibus signis dignoscantur?*

CAP I.

VLNERIBVS sclopetorum non sine ratione doctrinam de fracturis subiungimus, quandoquidem à tormentis bellicis non tantùm partes molles vulnerantur, sed etiam ossa quæ illis subsunt, sæpenumerò franguntur. Quorum quidem continuitas multis modis soluitur, abscessu, teredine, vulnere & fractura: Ossa enim ita apostemari dicam in lue Indica correptis experientia quotidiana cum ratione comproba-

tur. Quæcunque enim nutriuntur, congestione reliquiarum vltimi alimenti, abscessus pati possunt (cui quidem malo maximè obnoxij sunt, qui lue obfirmata laborant) quia ossa nutriuntur crasso succo, melancholico sanguine. Hoc autem virus imprimis humorem melancholicum inuadit. Eroduntur, humoris alicuius acrimonia, quod vitium, ossis cariem nominamus. Ab incidente quoque, vt ense, gladio vulnerantur. Fit enim aliquando vt cum partibus mollibus os ipsum incidatur. Quod genus solutæ continuitatis in osse, veteres κάταγμα fracturam nominabant: recentiores distinctiùs, vulnus ossis nominârunt: fracturam verò solutionem continui in osse, ab aliquo externo contundente finierunt, vt lapide, baculo, casu ex alto, violenta impulsione aut collisione. Frangitur autem os vel secundum longitudinem, eaque fracturæ species propriè fissura nominatur, siue illa sit lata & apparens, siue angusta & insensibilis; aut per transuersum, quæ species fracturæ retinet nomen generis. Præterea aut totum os frangitur, appellatúrque ea fractura completa: aut dimidium duntaxat & ex parte, eáque fractura incompleta nominatur. Frangitur, inquam, totum aut æqualiter, raphani in modum: aut inæqualiter, instar fractorum caulium; Item aut vnius tantùm ossis aut duorum simul vnio soluitur. Quæ præter eas excogitatæ sunt differentiæ, vt ἀπόκοπή, cum à toto osse squamma decedit, vel ἀλφιτηδὸν, cum os instar farinæ diminutum est; videntur à Galen. curiosiùs excogitatæ, quia ab illis Hippocrates abstinuit. Hæ ergo sint fracturæ simplicis differentiæ: quod si vulneri, inflammationi, vigiliis, conulsioni aut simili affectui complicetur fractura, tum composita nominabitur. Sequuntur signa διαγνωστικὰ: si neque visu neque specillo fractura dignoscatur, causa externa & violenta perquirenda erit, quæ suspicionem fracturæ iniiciet: Deinde contactu exploranda erit ossis inæqualitas, figuræ mutatio: quæ percipietur comparando membrum dolens cum sano: præterea contrectando membrum strepitus edit ossium collisione: æger non potest inniti huic membro, quia os fractum molem corporis fulcire non potest. Denique dolore, inæqualitate discernetur fractura. Fissura verò his quidem signis, sed potissimum tumore & crassitie partis fractæ: tum sono rauco, si pulsetur specillo, quod in cranio est euidentius. Signa προγνωστικὰ ex Guidone diffusè describit Tagaultius.

FRACTVRARVM CVRANDARVM *scopi.* CAP. II.

PRIMVS & communis scopus est vnio. Vniuntur autem ossa fracta per viam secundæ non primæ intentionis. Callo enim veluti glutine, non osse propter siccitatem copulantur. Qui quidem callus ex ossis alimento genitus paulatim in osseam duritiem concrescit. Hunc intentione primum, sed operatione extremum finem priusquam consequaris, ossis fracti partes in situm & figuram naturalem restitui debent, deinde in ea integritate contineri: præcauendo, quantum fieri potest, accidentia, vt dolorem, inflammationem; atque etiam si adsint, ea corrigendo. Quisquis hæc exactè præstiterit, afferet fracturis medicas & auxiliares manus: naturalem situm recuperabunt ossa fracta extensione & coarctatione: ministri vtrinque in contrarium manibus aut vinculis membrum fractum extendent, minimo quàm fieri poterit dolore. Crudelius est Hippocratis crosocomium, quo tortores reos in quæstione extendunt: propterea non nisi coacti vt in magnis luxationibus eo vtimur: Præsens Chirurgus, qui veluti archirectus præest operi, ossis fracti extrema manibus coaptat: Ministri quæ paulò longiùs extenderunt, paulatim remittunt: ille quod inclinat ad dextram blandè versus sinistram reducit, contra quod vergit ad posteriorem, adducit ad anteriorem partem, donec pristinum situm ossi, quin membro naturalem figuram reddiderit. Tum cessant dolor & sensus punctionis, quinetiam voluptas quædam ab ægro percipitur non aliter quàm à puerpera statim à partu. Parum prodest ossis fracti duo extrema copulasse, nisi in eo situ & figura permaneant, donec à natura intermedio callo sint agglutinata. Itaque quies longa præsertim membri fracti imperanda est. Deinde ligatura continenda sunt, stricta quidem, quæ tamen non sit dolorifica. Laxior ossis fracti partes non continet,

A iusto strictior spiritus vitalis & caloris influentis, necnon alimenti commeatum
impedit; inde ἀτροφία membrum extenuatur; neque naturæ ad generandum cal-
lum satis materiæ suppetit. Fracturarum ligatura quæ ἐπίδεσις καταγμάτων nuncupatur,
non tantùm fascijs perficitur, sed etiam ferulis, quarum vsum non est tam facilè scri-
pto quàm opere declarare. Hippocrates ante diem septimum ferulas non admoue-
bat metu doloris & inflammationis: hodie etiam ad firmiùs continendum adhiben-
tur initiò: verùm quæ sint leues, tenues, æquales, ex tenui ligno, corio, aut charta
papyracea. Quod si ob membri inæqualitatem ferulæ aptari non possint, partes ca-
uæ splenijs oleo aut cerato molli delibutis implendæ sunt. Ferulæ lana inuolutæ in
orbem non minore quàm vnius digiti spatio inter se distantes, fracturæ accommo-
dentur: ac firmiter vinciantur, ne sede dimoueantur; cauendum ne articulum præ-
B sertim interiorem attingant. His duobus medijs nempe reponendo, & repositum
continendo, ossis fracti coalitus procuratur. Qua arte adiuta natura inter 30. aut 40.
dies, plùs minùs disiunctas partes callo reunit. Symptomata verò vt phlegmonem,
à fluxione præcauebis, vsu repellentium, vt olei rosacei, myrthini, agitati cum oui
albumine: quibus oleis membrum linietur fasciæque imbuentur. Quòd si nihil alie-
num accidat vt dolor ingens, phlegmone, pruritus, sinantur ligatura & ferulæ ad
diem 15. fouendo interim membrum in ambitu, oleo myrthino & mastichino. Quo
tempore æger parcè & tenuiter viuat, vino & carnibus abstineat; postea, vt alimen-
tum naturæ suppetat pro callo generando, liberaliùs nutriatur; præsertim viscidis &
glutinosis cibis, vt oriza. In principio confert secare venam ad reuulsionem.

C *QVÆ FRACTI OSSIS AGGLVTINATIONEM impediant aut retardent.* CAP. III.

SI fortè post dies quadraginta, intermedio callo os fractum non agglu-
tinetur, neque adhuc æger illi inniti possit: de causis tardioris aut im-
peditæ agglutinationis peritus Medicus consulitur, qui per causas hoc
modo discurret, singulisque propria remedia dictabit. Considerabit
primùm num propter dolorem aut inflammationem hoc contigerit.
Hæc cùm adsunt, fractura ligari non debet. Quòd si superueniant iam ligato
membro, dissolui debet ligatura, debétque lana oleo & aceto imbuta applicari,
aut quæ inflammationi, nec non dolori placando conuenire scripsimus, quibus
sublatis ad ordinariam curationem redeundum erit. Considerabit deinde si squam-
D mula aliqua ab osse secreta vel instar aculei fracturæ capur pungat carnem: tum
frustulum ossis siue squamma, hamo, volsellis, vel alio quouis instrumento euel-
lenda, si modò satis pateat fractura. Quod si commodè & sine dolore non possis,
expectandum, donec à natura ipsa, veluti matura excludatur: vel attrahente ali-
quo medicamento excretio paulatim adiuuabitur. Quod si paruulum ossis fracti
caput emineat, distinguendum obtusúmne sit, an acutum. Nam obtusum suo lo-
co tuendum est; acutum ferra aut sculpro limandum. Quod si, dicat aliquis, in-
tegra cute, vt impulsione aut luctu contingat frustulum ab osse separari, aut illius
caput aculei in modum carnem vexare. Sanè cùm ex pruritu & punctionis sensu
hoc deprehenderis, audenter incidenda erit cutis, vt fragmentum eximatur, &
aculeus pungens limet. Quod si fracturæ vulnus sit coniunctum, cuius os videa-
E tur angustius, dilatetur. Cæterum vulnus coniunctum fracturæ in ijs etiam est,
quæ illius vnionem retardant & difficilliorem efficiunt. Fracturæ enim coniun-
ctæ siue complicatæ longior est curatio, quàm simplicis. Quod dum accidit, ab-
stinendum ferulis: fascijs autem fractum membrum sic inuoluendum est, vt vul-
nus detectum pateat, cui propria remedia applicentur, hoc est, detergentia & ve-
hementer siccantia, quia pars est temperamento sicca. Hæc sunt interna, præ-
ter quæ concurrunt aliquando externa impedimenta, vt superpositorum crebrior
mutatio, præpropera & festina membri fracti dimotio; iusto laxior aut strictior li-
gatura; victus in principio plenior, aut exactis decem primis diebus tenuior,
aquæ calidæ frequens profusio qualis vsurpari solet ad sedandum pruritum, illa
enim emollit callum: affusa quoque frigida & frigidus aer nudatis ossibus pluri-
mum aduersantur, Galenus aphor. 18. lib. 5. Porrò dignosces naturam iuuare

callo cùm primùm in membro fracto natiuus & viuidus color efflorefcet ; tum- A
que vt dixi, folito plenior victus concedi debet, vt materia naturæ fuggeratur. Admouenda autem κολλητικὰ & πωρωτικὰ remedia, donec concreti calli figna appareant, qualia ex veteribus & recentioribus plurima defcripfit Hollerius 3. de materia Chirurgica. Interea dum callus folidefcit & firmatur, hoc eft mirabile, quod criticis potiffimùm diebus, vt decimo quarto fine vulnere refudet fanguis à fractura, qui lintea contaminet. Quod fortaffis ea ratione accidit, quia dum coit calli fubftantia, fanguis qui eò multus affluit, in offis cauernofos meatus fefe infinuat, inde à natura velut exprimitur guttatim. Iuftus erit & conueniens callus fi neque maior fit, neque minor, neque durior aut mollior, neque diftortus fuerit. Plura Holletius loco dicto.

B

CHIRVRGIÆ
SECTIO QVINTA.

DE LVXATIONIBVS. C

QVID SIT LVXATIO; Quotuplex, cauſæ, ſigna, curatio.

LVXATIO finiri folet, prolapfus offis à fuo acetabulo. Quæ definitio non videtur omni fpeciei conuenire. Illius enim funt 3. primæ differentiæ; luxatio completa, cùm os totum è fuo finu excidit. Subluxatio feu incompleta luxatio, cùm emotum eft quidem loco, fed offis fupercilio adhuc continetur; quò pertinent diftorfio, peruerfio, relaxatio. Præterea, inquit Celfus, offa dicuntur luxari quando quæ naturâ cohærebant, diftinguntur. Sic latum fcapularum os ab humero recedit, & in brachio radius à cu- D
bito; in crure tibia à fura. Itaq; fortaffis meliùs & generaliùs luxatio finietur mutatio fitus naturalis offium. Caufæ luxationum partim funt externæ, vt ictus, cafus, percuffio, diftorfio, violenta membri extenfio. Partim internæ, vt humor vel tenuis qui ligamenta humectat & relaxat; vel craffus & vifcidus, qui cauitatem replens, inde os paulatim extrudit. Sic vertebræ frequenti deftillatione per fpinam, nunc extrorfum, nunc introrfum ad lateráque luxantur, λόρδωσις, κύρτωσις, σκολίωσις, eiufmodi tres luxationis differentiæ in vertebris nominantur. Præterea, vt vlcus, vulnus & fractura : ita luxatio eft aut fimplex, aut compofita, fcilicet cum aliquo morbo aut fymptomate coniuncta: vt vulnere, dolore, fractura, inflammatione, duritie. Simplex pro loci differentijs diuiditur. Nam offa vel luxantur antè ponè, vel furfum deorfum, vel ad dexteram aut læuam. Dignofcetur his fignis : Primò arbitra- E
tij motus priuatione : nam luxatur os vt inftrumentum non vt pars fimilaris. Secundò, manifefta eminentia in ea parte, in quam os excidit, infigni verò cauitate in ea articuli parte à qua receffit. Accedit incompleta luxatione breuitas membri luxati, quia os prolapfum mufculi verfus fuum principium retrahunt. Denique comparando luxatum membrum cum integro & fano, vt genu cum genu, vix quenquam latere poteft luxatio: comparetur verò in longitudine, fitu & figura. Curationis ijdem omnino funt fcopi, qui fracturæ. Reponendum membrum, deinde repofitum continendum eft; & fymptomatibus vt dolori, inflammationi occurrendum. Reponitur extenfione & legitima coaptatione. Extenditur manu, funibus, machinamentis : Prima extenfio, palæftrica; fecunda methodica; tertia organica, vt quæ fit crofocomio, nominatur. Chirurgus luxatum os in contrarium

rium dirigit, si in anteriorem partem inciderit, in posteriorem impellit, atque in locum suum blandè restituit. Secundum atque etiam tertium scopum assequemur, hoc est, repositum in suo situ continebimus & mala accidentia vitabimus inungendo & liniendo membrum luxatum, oleo quodam astringente rosaceo, myrthino, mastichino; deinde fasciis lineis eisdem oleis delibutis, comprehendatur. Tantæ ergo sint latitudinis fasciæ, vt articulum & vicinas hinc inde partes comprehendant: verbi gratia in luxatione digitorum, habeant duos transuersos digitos, in genu aut cubito, quatuor. Superponantur & cataplasma ex puluere adstringente in albumine & oleo rosaceo dissoluto, & ferulæ ex papyro densa & corio. Quibus peractis membrum optimè collocandum, atque ita relinquendum in septimum vel decimum diem, nisi aliquid superuenerit. Peracto hoc tempore remotis fasciis aqua calente membrum foueatur ad demulcendum dolorem & resoluendum quod in laborante particula continetur. Statim à fotu admoueatur rursum cataplasma adstringens, nostri applicant diapalma; deinde paulò arctius ligant, quo modo quatuor aut quinque dies rursum membrum continent, deinde soluunt, imperántque ægro vt membrum moueat, si mouere potest: perfundunt vino nigro, austero, & adstringente, in quo rosæ, absynthium, & viscus quercinus bullierint; superponunt ceratum, deinde ad solita exercitia demittunt, iubendo vt membrum leuiter exerceat.

FINIS.

PARISIIS,
Excudebat I. IANONVS via Fœni
sub insigni Iani, anno M. DC. IX.

INDEX CAPITVLORVM QVÆ IN IOANNIS RIOLANI OPERE CONTINENTVR.

Ex Commentario ad Fernelij Librum de Elementis.

PRÆFATIO ad Io. Mazilium, Archiatrum Regium pag.1
Quid & quotuplex Medicina pag.2
De origine & antiquitate Medicinæ pauca obiter pag.3
Partium multiplex diuisio, Cap. I. pag.4
Quid Pars, Cap. II. pag.5
Quid Elementum, & quomodo differat à Principio, Cap. III. pag.6
Quot sint Elementa, & quæ sit cuiusque qualitas naturalis, Cap. IIII. pag.7.8
Quatuor Elementa concurrere ad fabricam nostri corporis, Cap. V. pag.9
Elementorum substantias, non tantum vires in nobis inesse, Cap. VI. pag.10
De Elementorum permixtione diligentior inquisitio, Cap. VII. pag.11
Modus mixtionis exponitur, Cap. VIII. pag.12

Ex Commentario ad Fernelij Librum de Temperamentis.

PRÆFATIO ad Marc. Mironium, Archiatrum Regium pag.13
An Temperamentum malè finierit Auicenna, Cap. I. pag.15
An contraria in idem confluant, & vnde singulorum vires æstimentur. Cap. II. pag.16
Temperamentorum quot differentiæ, Cap. III. pag.17
Quid Iustitia, quid Pondere temperatum. Cap. IIII. pag.18.19
Hominis tactum discernendi temperamenti legem esse & indicem, Cap. V. pag.20
De singularum partium corporis humani temperatura, Cap. VI. pag.21
De vniuersi hominis temperamento, neque viuens omne calidum esse, Cap. VII. pag.23.24
Vt Tactus non simpliciter singularum partium temperamenta discernat, Cap. VIII. pag.25
Multis causis ingenitum temperamentum mutari, Cap. IX. pag.25
Quid Aetas, quot Aetatum differentiæ, vtque illarum progressu cuiusq; temperamentū vertatur, Cap. X. p.26.27
Temperamentum nullū biliosum, sanguineum, pituitosum, aut melancholicum dici debere, Cap. XI. p.28.29

Ex Commentario ad Fernelij Librum de Spiritu & Callido innato.

PRÆFATIO ad socerum suum Simonem Petreum Medicum Parisiensem, pag.30
Calorem quendam nobis, cunctisque viuentibus inesse, eúmque diuinum, Cap. I. pag.31.32
Spiritum quendam cunctis viuentibus datum esse, qui vitæ calorem contineat, Cap. II. p.33.34
Corporum quæ incenduntur exemplo materiam tum caloris tum spiritus in nobis cognosci, Cap. III. pag.35.36
Humidi primigenij demonstratio, Cap. IV. pag.37
De triplici partis similaris substantia, & de cæteris humorum differētijs, Cap. V. pag.37
Quid innatum Calidum, quæ eius substantia, Cap. VI. pag.38
Quid Natura Medicis, & quæ sit eius substantia, Cap. VII. pag.39
Vt Aetatum inclinatione innatum calidum status mutationes subeat, Cap. VIII. pag.40.
Vt innatum Calidum per anni tempora, & per regiones mutetur, & multiplex illius appellatio, Cap. IX. pag.41
Natiui tum caloris, tum spiritus differentiæ: hósque partibus singulis insitos

tos aliundè influentibus gubernari, Cap. X. pag. 42
Naturalem ſpiritum fieri materiam vitalis; vtque ſpiritus & aliæ ſubſtantiæ partibus ingenitæ alantur, Cap. XI. pag. 43. 44

Ex Commentario ad Fernelij Librum de Facultatibus Animæ.

PRÆFATIO ad Henricum Deſcoubleau, Epiſcopum Madeacenſem. pag. 45
Quid Anima, Cap. I. pag. 46. 47
Quotuplex Anima, Cap. II. pag. 48. 49
Animæ vegetantis facultates explicantur, Cap. III. pag. 50. 51
Quatuor facultatum ſubſidio altricem indigere, Cap. IIII. pap. 52
Prȩter quatuor non aliam quandam eſſe naturalem appetẽdi facultatem, aliam internoſcendi, aliam ſecernendi. Cap. V. pag. 53
Alijs partibus alias facultates eſſe valentiores, illiſque propria quædam functionum inſtrumenta deſtinata eſſe & attributa, Cap. VI. pag. 54
Externæ ſentiendi facultates explicantur, Cap. VII. pag. 55. viſus ibid. & 56. auditus 57. odoratus ibid. guſtus 58. tactus ibid. & 59
Interiores ſentientis animæ facultates. Cap. VIII. pag. 60. 61. 62
De appetitu & mouendi facultate, Cap. IX. pag. 63. 64
Quam vnaquæque ſentiendi facultas ſedem habeat, quod agendi inſtrumentum, neque omnes omni ineſſe animanti, Cap. X. pag. 65
De Intelligentiæ facultatibus, Cap. XI. pag. 66. 67
De vitali Facultate quam Ariſt. eandem atque Naturam exiſtimat, Cap. XII. p. 68.
Medicos Platonem ſequẽtes vitalem facultatem à reliquis diſiungere, Cap. XIII. p. 69
Tres Animȩ facultates ſedibus atque locis diſcludi, Cap. XIIII. p. 70
Rationum quas aduerſarij proponunt confutatio, Cap. XV. p. 71
Quid vitalis Facultas cæteris præſtet, quibus inſit, quo accedat ordine, quid vita, Cap. XVI. pa. 72.
De Facultatum concentu, & principatus ordine, Cap. XVII. p. 72.
Simplicem eſſe animam quæ his partibus continetur, hincque Ariſtoteleorum rationes diſſolui, Cap. XVIII. p. 73
De moralibus Facultatibus, Cap. XIX. p. 73
De Immortalitate Animæ, Diſputatio Philoſophica, p. 74. 75

Ex Commentario ad Fernelij Librum de Functionibus, & Humoribus.

ALIMENTI in ventriculo confectio, Cap. I. p. 76. 77
Vt è ventriculo per inteſtina & venas meſaraicas in iecur fiat alimenti diſtributio, Cap. II. p. 78. 79
Sanguinis & humorum in iecore procreatio, Cap. III. p. 80. 81
Omnes humores ſimul gigni, & ab vno eodemque calore, Cap. IIII. p. 82
Vt ſanguis à Iecore delapſus per venam cauam in omnes corporis partes diffundatur, Cap. V. p. 83
Quot coctionum genera, quis cuiuſq; proprius ſit humor, quod excrementum, Cap. VI. p. 84
De ſanguine, vtque is conſiſtat in venis, Cap. VII. p. 85. 86
Sanguinem in venis non trium ſed quatuor humorum permixtione contineri, quótque eius ſint differentiæ, Cap. VIII. p. 87
Pituitæ, & vtriuſq; bilis differentię, Cap. IX. p. 88. 89. 90
De animalibus Functionibus, Cap. X. p. 91
Senſus Interioris functiones, Cap. XI. p. 92.
Vt fiat appetitio atque morales actiones, Cap. XII. p. 93
De Progreſſione & Tactione. Cap. XIII. p. 93
De Mentis functionibus, Cap. XIIII. p. 94
Principes animæ facultates non eſſe ſedibus diſtinctas, Cap. XV. p. 95
Calorem noſtrũ perpetuo refrigerationis pabulo & repurgatione indigere, alioqui extingui ipſum & extabeſcere, Cap. XVI. p. 95
Pulſus & reſpirationis vſus, vtque inter ſe diſtent, Cap. XVII. p. 96
Qua ratione fiant reſpiratio atque pulſus, Cap. XVIII. p. 97.

Ex Commentario ad Fernelij Librum de Procreatione Hominis.

PRÆFATIO ad Simonem Marion, Regis patronum eloquentissimum, pag. 98
Sexuum distinctio vnde sit, & quid de Semine sit ab Aristotele proditum, Cap. I. p. 99. 100.
Seminis materiam in solidis partibus progigni, vtq; ex illis testium vi secernatur, Cap. II. p. 101
De Testiculis, & eorum præstantia, Cap. III. p. 102
Quænam sit Seminis compositio, quid testes ad eius confectionem conferant, Cap. IIII. p. 103
De Seminis natura, præstantia, ac viribus, idq; omnium tum spirituum, tum facultatum causam esse, Cap. V. p. 104. 105
De fœminarum semine, Cap. VI. p. 106
De Menstruo, Cap. VII. p. 107. 108
De Seminis conceptione, & prima hominis constitutione, Cap. VIII. p. 109
Prima Animalis conformatio, Cap. IX. p. 110
Vt de partium Corporis principatu, ita & de conformationis ordine magna contentione certetur, Cap. X. p. 111. 112.
De fœtus perfectione & complemento, Cap. XI. p. 113. 114
Quibus causis nati similes sint parentibus, Cap. XII. p. 115
Vnde & quonam ordine Animæ facultates conceptui, tanquam genitæ accedant, Cap. XIII. p. 116

Ex Commentario ad Fernelij Librum primum de Abditis rerum Causis.

PRÆFATIO ad Philippum Huraltum Vice-Comitem Cheuernij, Vtriusque Ordinis Regij Equitem, Franciæ Cancellarium, Prouinciarum Aurelianensis & Carnotensis Præfectum. p. 117
Mundi Elementa solam materiam genitis quibusque rebus impertiri, Cap. I. p. 118. 119
Rei naturalis formam substantiam esse, non accidens, Cap. II. p. 120. 121
Naturalis cuiusque Corporis simplicem esse formæ substantiam, neque hanc esse ex Subiecti formis ortam, contra Alexandrum, Cap. III. p. 122
Partium quæ in composito sunt, formas esse veluti quasdam præparationes inducendæ totius formæ, & eas esse multiplices, Cap. IV. p. 123
Rei naturalis potentiam non esse suopte impetu ad formam progredi, sed haud secus atque actum de habitu, formam elici de potentia materiæ, Cap. V. p. 124.
Gignendæ formæ ne minimum quidem ante in materia fuisse, neque potentiam quicquam esse formæ, neque ad substantiæ genus referri, Cap. VI. p. 125
Non potuisse formam à parentibus fluere, qualis & vnde sit formarum origo, Cap. VII. p. 126
Rerum omnium formas, primásque substantias de cœlo duci ex Aristotele, Cap. VIII. p. 127
Aristoteles supra naturam philosophatus, statuit formarum diuinam originem, Deum maximum Cœlos Astráque condisse, quæ Platoni, & sacris litteris sunt consentanea, Cap. IX. p. 128
Res omnes caducas & mortales diuinitus olim conditas fuisse, eas nunc cælesti vittute & gigni & gubernari quæ eadem planè est diuina, Cap. X. p. 129
De Spiritibus quorum gubernaculis mundum administrari tradunt, Cap. XI. p. 130. 131. 132. 133
An ex eo quòd quispiam idiomate loquatur inaudito, censendus sit Dæmoniacus. p. 134
Cur Christi morte conticuerunt Oracula. p. 135

Ex Commentario ad Fernelij Librum secundum de Abditis rerum Causis.

REI cuique genitæ, alias à materia, alias à qualitatum temperamento, alias à forma vires inesse, Cap. I. p. 136
Vires eas quas forma profert, vti & ipsam formam, planè diuinas esse, quarum nulla sit certa, manifestáque ratio, Cap. II. p. 137
Corporis humani, & cuiúsque Animantis diuinam esse fabricam, Cap. III. p. 138.
Animam nostram non ab Elementis ortam,

tam,

tam, Galeni decreto, Cap.IV. p. 139
Quid animæ facultates Galeno. Cap.V. p. 140
Trium partium Animæ diuinam esse substantiam, ex Galeni sententia, Cap. VI. p. 141
Humani corporis vt omnium viuentium spiritus esse diuinos, ingenitúmque illis calorem diuinum, Cap. VII. p. 142
Plurimas functiones & opera in nobis occultis ex causis esse, Cap. VIII. p. 143. 144
Parti similari non vnicum, sed tria morborum genera insidere, & qui sint materiæ morbi, Cap. IX. p. 145. 146
De morbis totius substantiæ, & quanti sint in arte momenti, Cap. X. p. 147. 150. 148
Occultorum morborum differentię, Cap. XI. p. 149
De pestilentibus morbis, quòd illorum occulta sit causa, Cap. XII. p. 150. 151. 152
De Exanthematis appendix. p. 153
Epidemijs morbis occultum quiddam inesse, Cap. XIII. p. 154. 155
De contagione & morbis contagiosis, Cap. XIIII. p. 156
De venenis, & morbis venenatis, Cap. XV. p. 157. 158
Et morbos & remedia quędam trans naturam esse, vbi copiosè disputatur an amuletis morbi depellantur, Cap. XVI. p. 159. 160. 161. 162
Occultas quasdam esse formæ seu totius substantiæ proprietates, & quot sint illarum differentiæ, Cap. XVII. p. 163. 164
An cornu Monocerotis insit vis Alexiteria. p. 165.
Vnde nata totius substantiæ proprietas, & vbi sita sit, Cap. XVIII. p. 166. 167
Disgressio in Chymistas, Cap. XIX. p. 168.
An Metamorphosis sit possibilis, p. 168
De Philtris seu poculis amatorijs, p. 169
Sitne ars aliqua fascinandi pag. 170
Occultis morbis tacita medicamentorum proprietate succurrendum, non Empyricorum ritu, sed arte & methodo, Cap. Vltimum, p. 171. 172. 173

Ex Libro Primo de Principijs rerum Naturalium.

PRÆFATIO, De æmula exercitatione, p. 174. 175. 176. 177
De primis Principijs rerum naturalium, Cap. I. pag. 178
Terram esse primum & antiquissimum principium rerum naturalium, Cap. II. p. 179
Aquam esse primum principium rerum naturalium, Cap. III. p. 180
Aerem esse primum principium rerum naturalium, Cap. IV. p. 181
Ignem esse primum principium rerum naturalium, Cap. V. p. 182
An Aristoteli cognitus sit ignis elementaris, appendix ad superiorem doctrinam, p. 183
An Cœlum sit primum Principium rerum naturalium, Cap. VI. p. 183
An quatuor elementa sint prima Principia rerum Physicarum, p. 184

Ex libro secundo, In quo agitur de primo subiecto primæ Mutationis.

AN sit Materia prima, Cap. I. p. 185. 186
Appendix ad superiorem quæstionem, p. 187.
Quid veteres de Materia prima senserint, Cap. II. p. 187
Quid sit Materia prima, Cap. III. p. 188
An Materia prima sit principium rerum naturalium, Cap. IV. p. 189. 190
Deum ingenerasse Materiæ appetitum mutationis potius quàm perfectionis, Cap. IV. p. 191
Quæritur Materia Mathematica, Cap. V. p. 192.
An Platoni & Aristot. probetur Chaos, Cap. VI. p. 193
Disgressio in putidam P. Rami calumniam, p. 194

Ex Libro tertio, In quo tractatur de primis Contrarijs quæ transmutantur in communi subiecto.

DE Priuatione, Cap. I. p. 195
Dubitatur an sit Priuatio, & quomodo repugnet formæ, Cap. II. p. 196
Fiántne formæ, an sint sempiternę, Cap.

III. p. 197
Quæ sint formæ Elementorum, Cap. IV. p. 198
Disquiritur accuratiùs an primæ qualitates sint veræ formæ Elementorum, Cap. V. p. 198. 199
Oriantúrne formæ, Cap. VI. p. 200
A quo fiant formę mixtorum, & ex quo, Cap. VII. p. 200
Quomodo fiant formę, Cap. VIII. p. 201

Ex Opusculis Philosophicis: Ac primum ex Disputatione Philosophica de anima Mundi.

PRÆFATIO, ad Lectorem, pag. 201
Esse animam Mundi, p. 202
Quod mundi non sit vna forma, præsertim quæ sit anima p. 203. 204. 205
Peripateticorum sententia de prima forma, quam Platonici animam Mundi appellant, p. 206
De Fato, p. 207. 208
De Libero Arbitrio, Disputatio Philosophica, pag. 209. 210. 211. & seqq. vsque ad 217
An Deus & Natura vnum sint, Disputatio Metaphysica, pag. 218. 219. 220
De vtráque Dei Prouidentia, vna ordinaria seu generali quæ natura, altera extraordinaria seu particulari, quæ fortuna dicitur, Disputatio Metaphysica, pag. 221. 222
De Ideis & Vniuersis, alia Disputatio Metaphysica, pag. 223. 224. 225. 226. 227
An Deus sit primus Motor, alia item Disputatio Metaphysica, p. 228. 229. & seqq. vsque ad 232
An potentia sit prior actu, Disputatio Metaphysica, p. 233
An Deus sit actus purus, alia Disputatio Metaphysica, p. 233. 234

Ex Vniuersæ Medicinæ Compendio, Ac primum ex Physiologiæ Sect. prima, de Elementis.

QVID Medicina, quot habeat partes, Cap. I. pag. 235
Vt Elementum à Principio differat, Cap. II. pag. 236
Quid sit Elementum, Cap. III. p. 236
Quòd quatuor sunt Elementa, Cap. IV. p. 237
De primo Calido. Cap. V. p. 237
De primo Frigido, primo Humido, primo Sicco, Cap. VI. p. 238
An duæ qualitates sint summæ in singulis Elementis, Cap. VII. p. 239
A quo, & quomodo fiat mixtio, Cap. VIII. p. 239
Vtrum Elementa secundum formas, an secundum qualitates misceantur, Cap. IX. p. 240
Vtrum Elementa maneãt in mixto actu an potentia, Cap. X. p. 241
An quatuor Elemẽtorum mixtione corpus nostrum constet, Cap. XI p. 241

Ex Physiologiæ Sect. secunda de Temperamentis.

QVID Temperamentum, Cap. I. pag. 242
Temperamentorum primæ differentiæ, An sit, & quid sit Pondre, quid Iustitia temperatum, Cap. II. pag. 242.
Quæstionum quibus superior diuisio oppugnari solet solutio ex Galen. Cap. III. p. 243
Calidi, Humidi, Frigidi, Sicci homonymia explicatur, Cap. IV. p. 244
Critirium Temperamentorum, Cap. V. p. 244
Partium nostri Corporis Temperamentum inquiritur, Cap. VI. p. 245
Quatuor ætates comparantur cum quatuor anni temporibus, totidemq; humoribus, Cap. VII. p. 246
Signa diagnostica Temperamentorum, Cap. VIII. p. 247

Ex Physiologiæ Sect. III. de Spiritu & Calido innato.

AN sit, quid sit, & quem vsum habeat Spiritus, Cap. I. p. 247
Spirituum differentiæ, Cap. II. p. 248
Naturales Spiritus differre specie ex quo, & qua vi fiant, Cap. III. pag. 249
Quid sit calidum innatum, vtque ex eo repetenda sit causa vitæ breuioris aut diuturnioris, Cap. IV. p. 250
An calor natiuus sit cœlestis, an elementaris, Cap. V. pag. 251

Ex Physiologiæ Sect. quarta de Humoribus.

QVID Humor, sitne pars nostri, Cap. I. p. 252
Humorum primæ differentiæ, Cap. II. p. 253
An solus sanguis contineatur venis, solusque nutriat, Cap. III. p. 253
Qua proportione quatuor Humores cōtineantur venis Cap. IV. pag. 254
Quatuot Humores, cum quatuor Elementis, quatuor Ætatibus, & quatuor anni Tempestatibus comparantur, Cap. V. p. 254
An idem numero Calor quatuor simul Humores efficiat, Cap. VI. p. 255
An solus Sanguis nutriat, de quatuor secundis Humoribuss alimentarijs, Cap. VII. p. 256
De Menstruo, Cap. VIII. p. 256
De altero nostræ generationis principio, nempe Semine, Cap. IX. pag. 257
De Chymoseos tribus excrementis, felle, limo, & sero, Cap. X. pag. 258
De triplicis Coctionis tribus excrementis inutilibus, stercore, vrina, & sudore, Cap. XI. p. 259
De Pituita non naturali, Cap. XII. pag. 259
De Bile non naturali, Cap. XIII. pag. 260
De atra Bile, Cap. XIIII. pag. 261

Ex Physiologiæ Sect. V. De Partibus.

QVID Pars, Cap. I. p. 261
Partium multiplex diuisio, quæ sint similares Cap. II. p. 262
Octo Partium similarium quæ sunt simplices, & minimè conformatæ, breuis explicatio, Cap. III. pag. 263
De Venis, Arterijs, & Neruis, quæ sunt prima & simplicissima Instrumenta, Cap. IIII. p. 264
De secundis Instrumentis, vt Musculis & Digitis, Cap. V. pag. 265
De instrumentis tertij generis, vt Manu, & Corde, Cap. VI. pag. 266

Ex Physiologiæ Sect. VI. de Facultatibus Animæ.

QVID Anima, Cap. I. pag. 267
Animæ præsertim humanæ Physica & realis essentia perquiritur, eaque tandem diuina constituitur, Cap. II. p. 268
Animarum primę differentiæ, Cap. III. pag. 269
Animæ humanæ primæ Facultates constituuntur, Cap. IV. p. 269
An constitutę Facultates Animæ distinguantur sedibus, Cap. V. pag. 270
Facultas naturalis minutius diuiditur, Cap. VI. p. 271
De nutrice Facultate, Cap. VII. pag. 272
De quatuot Facultatibus quæ ministrāt nutrici, ac primum de Attractrice, Cap. VIII. p. 272
De Facultate retentrice, Cap. IX. pag. 273
De Coctrice, Cap. X. p. 273
De Expultrice, Cap. XI. p. 274
An sit Facultas quædam secretrix à superioribus distincta, Cap. XII. pag. 274
De auctrice Facultate, Cap. XIII. pag. 275
De Alteratrice, & Conformatrice, quæ seruiunt Procreattici, Cap. XIIII. p. 276
De Facultate vitali, Cap. XV. p. 276
Facultas Animalis primum diuiditur, deinde Sentientis & Mouentis prima sedes inquiritur, Cap. XVI. pag. 277
An tres Facultates principes locis distinguantur, Cap. XVII. pag. 277
An Facultates mouendi & sentiendi influant vectore spiritu à cerebro per neruos, an per modum irradiationis, Cap. XVII. p. 278
Ad quam Facultatem pertineat Respiratio, Cap. XVIII. pag. 278.
De Moralibus Animæ Facultatibus, Cap. XIX. p. 279
Vt Facultates mutuis stent auxilijs, omnesque ad conseruationem totius conspirent, Cap. XX. p. 280

Ex Physiologiæ Sect. VII. De Functionibus.

DE Functionibus Animæ quæ præcedunt nutritionem, appetitu, triplici coctione, appositione agglutinatione, assimilatione, Cap. I. pag. 281.
Triplicis coctionis modus, Cap. II. pag. 282.
De Accretione, Cap. III. pag. 282
Generales modi, efficientes causæ generationis viuentium, Cap. IV. pag. 283
An mulier cum Menstruo contribuat semen ad hominis procreationem, Cap. V. p. 284
De Testibus, & vasis spermaticis, vtque partes principes ad hominis constitutionem aliquid contribuant Cap. VI. p. 285.
De Conceptione, & illius antecedentibus, Cap. VII. p. 286
An partes principes simul conformentur, Cap. VII. p. 287
De Mutationibus quæ sequuntur Conceptionem, nempe conformatione, motu, & partu, Cap. VIII. pag. 288
De causis, modo, & ordine partus, Cap. IX. p. 289
De vitali functione nempe cordis & arteriarum pulsatione, Cap. X. pag. 289
De Functionibus animalibus, ac primùm de Respiratione, Cap. XI. pag. 290
De Voce & Sermone, Cap. XII. pag. 291
De Sensuum obiectis & instrumentis, Cap. XIII, p. 291
De Somno & vigilia, Cap. XIIII. pag. p. 292.
De Motu arbitrario, Cap. XIIII. pag. 293
De tribus principibus Functionibus Animæ, ac primum de Imaginatione, ac illi annexis insomnijs, Cap. XV. p. 293
De Memoria, Cap. XVI. pag. 294
De Intellectu, Cap. XVII. pag. 294

EX ΥΓΙΕΙΝΗ, SEV Diæta sanorum.

QVID, sit ὑγιεινή, Cap. I. pag. 295
An ὑγιεινή sit pars Medicinæ ad vitam necessaria, Cap. II. p. 295
Salubrium in quibus ὑγιεινή tota vertitur, distinctio, Cap. III. p. 296
An sanitas perpetuo sit conseruanda similibus, Cap. IV. p. 297
Quis Aër sit salubris, sanitatiq́; seruande conueniat, Cap. V. p. 297
De Ventis salubribus, Cap. VI. pag. 298
De salubri Aqua, Cap. VII. p. 298
De varijs Aquarum generibus, Cap. VIII. p. 299
De Aquis compositis, Cap. IX. pag. 300
De Vino, Cap. X. p. 300
Alimentorum primæ differeutiæ, atque imprimis quæ sunt temperata, quæ intemperata, Cap. XI. p. 301
De Alimentis euchymis, & cacochymis Cap. XII. p. 302
De Eupeptis & Dyspeptis, Cap. XIII. p. 302
Theoremata ex lib. Galeni de Alimentis deprompta, Cap. XIIII. pag. 303
De Pane fermamento, vt azymo, & huic adiunctijs edulis, Cap. XV. pag. 303
De Leguminibus, Pisis, Fabis, Oriza, Ciceribus, Cap. XVI. p. 304
De Fructibus, Cap. XVII. p. 305
De Ouis, Cap. XVIII. p. 305
De Carne, Cap. XIX. p. 305
De Piscibus, Cap. XX. p. 306
De quantirate alimenti, Cap. XXI. p. 306
De ordine, Cap. XXII. p. 307
De Somno & Vigilia, Cap. XXIII. pag. 307
De Motu & Quiete, Cap. XXIIII. pag. 308
De Frictione corporis, Cap. XXV. pag. 309
De Perturbationibus, Cap. XXVI. pag. 309
De Excretis & Retentis, ac primùm de Venere, Cap. XXVII. p. 310
De menstruo fluore, Cap. XXVIII. p. 310
De Medicamentis, an conueniant sanis, Cap. XXIX. pag. 311

De vomitu. Cap. XXX. pag. 311
De ijs quæ vrinas & sudores mouent. Cap. XXXI. pag. 312

Ex Pathologia, cuius Sectione prima tractatur de Differentiis & causis morborum.

INstituti ratio, Quid morbus. Cap. I. pag. 313
Differentiæ morbi Similaris. Cap. II. pag. 314
Morborum Organicorum Differentiæ. Cap. III. pag. 314
Morbi communis differentiæ qui solutio continui dicitur. Cap. IV. pag. 315
Aliæ differentiæ morborum quæ sumũtur ab accidentibus, Cap. V. pag. 316
De causis morborum. Cap. VI. pag. 317
An sit causa continens in morbis. Cap. VII. pag. 317
Vt aër sit causa morbi. Cap. VIII. p. 318
Vt corpus ab alimentis immutetur. Ca. IX. pag. 318
Vt excreta & retenta sunt causæ Morborum. Cap. X. pag. 319
Vt Motus & Quies sint causæ morborũ. Cap. XI. pag. 319
Vt Perturbationes sint causæ morborũ. Cap. XII. pag. 320
Vt Somnus & Vigilia, si modum excedant sint causæ morborũ. Cap. XIII. pag. 320.
De internis causis morborum. Cap. XIIII. pag. 321
Causæ morborum Similarium. Cap. XV. pag. 322
Morborum Organicorum causę. Cap. XVI. pag. 323
Causæ morbi communis. Cap. XVII. pag. 324.

Ex Pathologiæ Sectione secunda, qua tractatur de differentiis & causis Symptomatum.

QVid Symptomata, quot illius primæ differentiæ, & quot modis lædatur actio. Cap. I. pa. 324
Actiones tam animæ, quàm naturæ tribus modis lædi inductione demonstratur. Cap. II. pag. 325
De Excretorum & Retentorum immoderatione. Cap. III. pag. 326
De affectu simplici. Cap. IV. pag. 327
De causis Symptomatum an omnia ab aliquo morbo procedant. Cap. V. pag. 327
Quibus causis contingat lædi naturales functiones. Cap. VI. pag. 328
De causis læsæ actionis animalis. Cap. VII. pag. 328
Quod duæ sunt causæ doloris alteratiõ & solutio continui: An humor & siccitas dolorẽ faciant. Ca. VIII. p. 329
Causæ ΑΜΕΤΡΙΑΣ in excretis & retentis. Cap. IX. pag. 330
Causæ affectuum simpliciũ. Ca. X. p. 331

Ex Pathologiæ Sectione tertia, in qua ΣΗΜΕΙΩΤΙΚΗ explicatur, ars insalubrium signorum.

MVltiplex signorum diuisio. Cap. I. pag. 331
Vt interior seu abdita causa morbi dignosci possit, Cap. II. pag. 332
De signis prognosticis. Cap. III. pa. 333
De Crisi, & causis dierum criticorum. Cap. IV. pag. 334
Quot modis fiat crisis, & quot modis iudicatur. Cap. V. pag. 335

In Pathologiæ Sectione quarta, simiotices ea pars quæ sphygmice dicitur, ars diuinandi ex pulsu exponitur.

SItne coniectura certior à pulsu, an ab vrina. Cap. I. pa. 336
Quædam præcognoscenda priusquam ex pulsu de morbo iudicium feras. Cap. II. pag. 336
De quinque pulsuum primis differentijs quæ ab adiũctis petũtur. Ca. III. p. 337
Nouæ pulsuum differentiæ à consequẽtibus desumptæ. Cap. IV. pag. 338
De causis Pulsuum. Cap. V. pag. 338
Signa tã diagnostica, quàm prognostica, quæ sumũtur à pulsu. Ca. VI. p. 339
De Respiratione. Cap. VII. pag. 340

Ex Pathologiæ Sectione quinta, in qua ΟΥΡΟΣΚΟΠΙΑ, artificialis vrinam inspectio, vel potius Οὐρομαντία, diuinatio de morbis per vrinas explicatur.

QVid indicet vrina. Cap. I. p. 341
Vrinarum differentiæ & earũ causæ. Cap. II. pag. 342
Indicia morborum quæ sumuntur ab vrinis. Cap. III. pag. 344
ΣΚΑΤΟΜΑΝΤΙΑ, diuinatio ex fæcibus. Cap. IV. pa. 346
ΙΔΡΟΜΑΝΤΙΑ, Indicia morborum ex sudoribus. Cap. V. pag. 347

Therapeutica, siue ars benè medendi.

PRÆFATIO ad Senatum Parisiensem, & altera ad studiosos veræ Medicinæ. pag.348.351

Generalis Methodi medendi, Liber primus, In quo curandorum morborum prima capita, Partem affectam quę produnt modi & causæ compassionis.

Sectionis primæ. Cap.I. pag.352
Partis affectæ primnm argumentum ab actione læsa. Cap.II. pag.353
Partis affectæ secundum argumentum à dolore. Cap.III. pag.354
Partis affectæ tertium argumentum ab excretis. Cap.IV. pag.355
Partis affectæ quartum & postremum argumentum à retentis. Cap. V. pag.356.
De causis morbi, Sectio secunda. pag. 356.
De specie morbi. Sectio tertia. pag.358
Prædictionum in morbis summa capita. pag.359

De Remedio. Sectio Quarta.

QVa Methodo inueniēdum sit proprium & conueniens morbo remedium. Cap.I. pag.360
De vsu inuenti remedij. Cap.II. pag.362
Tempus remedij, vt arte & prudentia sit deligendum. Cap.IV. pag.362
Dosis Chologogωn simplicium & compositorum quæ sunt in frequentiori vsu. pag.364
Dosis Phlegmagogωn. pag.364
Dosis Melanagogωn. pag.364
De vtendi modo. Cap.V. pag.365
De remediis quę sumuntur forma liquida, Apozemate, syrupo, iulapio, potu, infusione. Cap. VI. pag.366
De remediis quę sumuntur forma sicca: puluere, trochiscis, tabellis, catapotijs. Cap.VII. pag.367
De his quæ forma media & consistente assumuntur. Cap.VIII. pag.368
De Clystere. Cap.IX. pag.368
De remedij delectu. Cap.X. pag.370

Ex generalis methodi medendi libro secundo, in quo generalia generum morborum remedia explicantur.

THerapeuticem totā in duobus capitibus consistere, Indicationibus & remedijs. Remediorum generalis diuisio. Cap.I. pag.371
Pro exemplo morbi similaris seu intemperiei febris proponitur ex Galen. lib. de diff. morb. Cap.II. pag.372
De febre ephemera. Cap. III. pag.373
Morborum à sanguine generalia remedia sub Synochi exemplo declarantur. Cap.IIII. pag.374
Morborum à bile generalia remedia sub exemplo febris biliosæ intermittentis. Cap.V. pag.375
Morborum à Pituita generalia remedia, sub exemplo febris pituitosæ. Cap. VI. pag.377
De Hemitritæo, seu semitertiana. Cap. VII. pag.379
Morborum à Melancholia, communia remedia. Cap. VIII. pag.379
Morborum ab inanitione generalia remedia sub exemplo febris Hecticæ. Cap.IX. pag.381
Morborum malignorum, venenatorū, contagiosorum, pestilentium communia remedia. Cap.X. pag.382

De morbis Organicis. Sectio secunda.

DE morbis conformationis. Cap.I. pag.384.
De soluenda obstructione. Cap.II. pag.384
De sistendo fluore. Cap.III. pag.386
De morbo in numero. Cap.IIII. pag.387.
De morbis auctæ & imminutæ magnitudinis. Cap.V. pag.388

De morbo communi. Sectio tertia.

DE solutione continui quędam pręscienda. Cap.I. pag.389
De vlcere. Cap.II. pag.390
De tumoribus præter naturam, ac primùm de phlegmone. Cap.III. pag.392
De abscessu. Cap.IV. pag.393
De Erysipelate. Cap.V. pag.394
De Oedemate. Cap.VI. pag.394

De Emphysemate seu Pneumatosi, Cap. vij. p.395
De Tumore aqueo, Cap. viij. p.396
De Scirrho, Cap. ix. p.397
De Tumore atrabilario, vt cancro Apostemoso, Cap. x. p.397
De Elephantiasi, Cap. xj. p.398
De lue Venerea, Cap. xij. pag.399. 400
De Vulneribus, quorum differentiæ, causæ, & euentus paucis explicantur, Cap. xiij. p.401
Vulneris simplicis communis & ordinaria curatio, Cap. xiiij. p.402
Alterum Balsamum p.402
Curatio vulneris compositi, inflammati, contusi, intéperati, dolorosi, aut quod adiunctam habeat conuulsionem, febrem, syncopem, Cap. xv. p.403

Ex Particulari Methodo Medendi, Ac primum ex Sect. I. De arte curandi morbos internos.

PROEMIVM, in quo constituuntur totius artis tria fundamenta. Primum ducitur à remedio, estque tripertitum. Secundum ab ordine seu legitima morborum & symptomatum collocatione. Tertium à parte affecta, pag. 404. 405. 406. 407
Morbi & remedia arte perquiruntur, in cæteris singularum partium morbis deinceps obseruanda, Cap. I. pag. 408. 409. & seq. vsque ad 414.
Superioris Methodi exercitatio in morbis, seu accommodatio ad constitutos morbos cerebri, Cap. ij. pag. 415. 419
Superioris Methodi exercitatio in Symptomatis primi generis, seu accommodatio ad actiones læsas cerebri, in primis ad principes, Cap. iij. pag. 417. 418
De Imaginatione læsa, vt vertigine, Cap. iv. p.419
Incubus seu Ephialtes, Cap. v. pag. 420
Læsa Memoria, Cap. vj. pag. 421
De Somno & Vigilia, Cap. vij. pag. 421
De Vigilijs immoderatis, Cap. viij. pag. 422
De Stupore, Cap. ix. p.423
De dolore Capitis, Cap. x. pag. 423. 424
De Paralysi, Cap. xj. pag. 425
De Apoplexia, Cap. xij. pag. 426
Catalepsis, & Catoche, Cap. xiij. p.427
De Motu voluntario, deperdito, & deprauato, ac primùm de Conuulsione, Cap. xiiij. p.428
De Spasmo Cynico, Cap. xv. pag. 429
De Epilepsia, Cap. xvj. p.430
De sternutatione, Cap. xvij. pag. 431
De Tremore, Cap. xviij. p.432
De Iectigatione siue subsultu membrorum, Cap. xix. p.432
De excretorum retentorumq́; ametria, exercitatio tertia, Cap. xx. p.433. 434

Ex Sect. I. Tractatu II. In quo Morbi & symptomata Oculorum explicatur.

MORBI similares Oculorum Cap. j. pag. 435. organici 436 numeri ibid. situs ibid. conformationis ibid. communes ibid, curatio 437
Exercitatio in propositis Oculorũ morbis, Cap. ij. p.438. 439. & seq. vsque ad 441
Perquirũtur symptomata primi, secundi & tertij generis, Cap. iij. p.442. 443
De Dolore Oculorum, Cap. iv. p.444

Ex Sect. I. Tractatu III. In quo morbi & symptomata aurium explicantur.

DE Symptomatis Aurium, Cap. j. & ij. p.445. 446. 447
De dolore Aurium, Cap. iij. p.448
De Morbis & Symptomatis Narium, p.448. 449. 450

Ex Tract. de Morbis & Symptomatis Oris.

MORBI & Symptomata oris, Cap. j. p.451. 452.
De Morbis Gingiuarum, Cap. ij. pag. 453
Morbi linguæ, Cap. iij. p.453
De Palati affectibus, Cap. iv. pag. 454
De Tonsillarum morbis, Cap. v. pag. 455
De inflammatione & relaxatione Vuulæ, Cap. vj. p.455

De Inflammatione faucium, Cap. VII. pag. 456
Partium oris enumeratarum symptomata, primi, secundi, & tertij generis, Cap. IX. p. 457
De Raucedine, Cap. X. pag. 458. 459

Ex Particularis Methodi Medendi Sect. II. De Morbis & symptomatis partium quæ Thorace continentur.

MORBI Pulmonum Cap. I. p. 460
Obstructio quæ patit dispnœam, asthma, & arthopnœam. Cap. II. pag. 461
Vlcus cuius comes Phtysis, Cap. III. p. 462
De Peripneumonia, & Pleuritide, Cap. IV. p. 463. 464
Mediastini inflammatio, Cap. V. p. 465
Phlegmone musculorum intercostalium, Cap. VI. p. 466
Diaphragmatis inflammatio, Cap. VII. p. 466
Empyema, Cap. VIII. ibid.
Hydrops Pulmonis, Cap. IX. pag. 467
Symptomata primi & secundi generis, imprimis Asthma, Cap. X. pag. 467. 468
Tussis, Cap. XI. p. 469
De dolore Thoracis, Cap. XII. pag. 469
De Hæmoptoide, siue sputo sanguinis, Cap. XIII. ibid.
De Morbis Cordis, Cap. XIIII. pag. 470. 471
De Syncope, Cap. XV. p. 472
De Palpitatione Cordis, Cap. XVI. pag. 473

Ex Sect. III. Tract. I. De affectibus partium quæ seruiunt nutritioni.

AFFECTVS œsophagi, atque ventriculi, Cap. I. p. 474
Obstructio, Cap. II. p. 475
Vlcus, Cap. III. p. 475
Paralysis Gulæ, Cap. IIII. ibid.
Affectus stomachi siue orificij superioris ventriculi, Cap. V. pag. 475. 476
De Siti, Cap. VI. pag. 477. 478
De Cardiogmo, seu dolore Stomachi, Cap. VII. pag. 479
Affectus ventriculi, Cap. VIII. pag. 480. 481. obstructio 482. inflammatio, ibid. vlcus. ibid. inflatio ibid.
De Symptomatis Ventriculi, ac primum de Vomitu, Cap. IX. pag. 482. 483
De vomitu Sanguinis, Cap. X. pag. 484
De Cholera morbo, Cap. XI. pag. 484
De Singultu, Cap. XII. p. 485
De Ructu, Cap. XIII. p. 486
Morbi Mesenterij, Cap. XIIII. pag. 486

Ex Sect. III. Tract. II. De Morbis & Symptomatis Hepatis.

MORBI similares & organici Hepatis, Cap. I. pag. 486. imbecillitas 487. obstructio ibid. intemperiei calidæ remedia ibid. frigidæ 488. humidæ ibid. obstructio ibid.
De Hepatitide seu inflammatione Iecoris, Cap. II. p. 489
De Scirrho Hepatis, Cap. IV. p. 490
Symptomata primi generis, quæ pertinent ad actionem Hepatis læsam, Cap. V. p. 490
Symptomata secundi generis, Cap. VI. p. 491
De Hydrope, Cap. VII. p. 491. 492
Symptomata tertij generis, Cap. VIII. p. 493
De Morbis Lienis, Cap. IX. pag. 494
Ad obstructionem Lienis, Cap. X. p. 495
Inflammatio Lienis, Cap. XI. p. 495
Inflatio Lienis, Cap. XII. ibid
De Scirrho Lienis, Cap. XIII. p. 496
Symptomata Lienis, Cap. XIIII. p. 496
Icterus niger, Cap. XV. ibid
Affectus Renum, Cap. XVI. p. 497
Obstructio Renum, Cap. XVII. p. 497
Calculi Renalis prophylactica, Cap. XVIII. p. 498
Therapeutica, quæ præsentem calculum deturbant & minuunt, Cap. XIX. p. 498.
Remedia calculi renalis tempore exacerbationis, Cap. XX. p. 499
De Inflammatione renum quæ Nephritis dici solet, Cap. XXI. p. 500
Vlcus Renum, Cap. XXII. p. 500

Symptota primi generis, id est quæ ad actionẽ læsam pertinent, Cap. XXII. p.501
De Mictu sanguinis, Cap. XXIII. p.501
Secundum genus symptomatis, diabete, Cap. XXIV. p.502
De morbis Oureterum, Cap. XXV. p.502.
Morbi vesicæ, imprimis de calculo vesicali, Cap. XXVI. p.503
De Caruncula, Cap. XXVII. p.503
De grumo vrinæ meatum obstruente, Cap. XXVIII. ibid.
De Phlegmone vesicæ, Cap. XXIX. p.504
Vlcus vesicæ, Cap. *XXX.* ibid.
Symptomata primi & secundi generis hîc quodam modo confunduntur, Cap. *XXXI.* ibid.
De ΙΣΧΟΥΡΙΑ, siue vrinæ suppressione, Cap. *XXXII.* p.505
De Dysuria, Cap. *XXXIII.* p.505
De Stranguria, Cap. *XXXIIII.* ibid
De incontinentia Vrinę seu mictu inuoluntario ob paralysim vesicæ. Cap. *XXXV.* p.506
De meiẽtibus in lecto, C. *XXXVI.* ibid.
De morbis Intestinorũ, Cap. *XXXVII.* ibid.
De Vermibus, Cap. *XXXVIII.* p.507
De Hernia, Cap. *XXXIX.* p.508.509
De Voluulo, Cap. *XL.* p.510
De Ani procidentia, Cap. *XLI.* p.510
De Ileo seu Chordapso, & inflãmatione cœli, Cap. *XLII.* p.511
De Symptomatis primi & secundi generis ac de Alui fluore, Cap. *XLIII.* p.511.512
Diarrhœa, Cap. *XLIIII.* p.513
Dysenteria, Cap. *XLV.* p.514.515
De Lienteria, Cap. *XLVI.* p.516
Fluor Cœliacus, Cap. *XLVII.* ibid.
Fluor syntheticus, Cap. *XLVIII.* ibid.
De Tenesmo, Cap. *XLIX.* ibid.
Aluus pigra & adstricta, Cap. L. p.517
Colicus dolor, Cap. LI. p.517
Hæmorrhoides, Cap. *LII.* p.518

Ex Sect. IV. De Morbis & Symptomatis Partiũ quæ seruiũt procreationi.

AFFECTVS genitalium viri, imprimis testium, Cap. I. p.519
Phlegmone testium, Cap. II. p.520
De morbis Penis, ac primum vlcere, Cap. III. p.520
Obstructio Penis, Cap. IIII. ibid.
De Phymosi & Paraphymosi, Cap. V. p.521
Priapismus, Cap. VI. p.521
De Thimis, Cap. VII. p.522
Morbi Scroti, Cap. VIII. p.522
Symptomata primi generis, ac primum de Veneris impotẽtia, C. *IX.* p.522.523
Symptomata secundi generis, excreta, retenta, Cap. X. p.524
De Gonorrhœa virulenta, C. XI. p.525
Pollutio nocturna, Cap. XII. p.525

Ex Sect. IV. Tract. II. De morbis Vteri.

ENVMERATIO morborum vteri, Cap. I, p.526. intẽperiei calidæ curatio ibid. frigidæ ibid. humidæ, p.527
De prolapsu Vteri, Cap. II. p.527
Vteri ascẽsus, descẽsus, motus ad latera, cõtorsio, seu peruersio, C. III. p.527.528
De Morbis in meatu, Cap. IIII. p.529
Cauitas Vteri, Cap. V. p.530
Inflammatio, Cap. VI. ibid.
De Scirrho & Cancro, Cap. VII. ibid.
Inflatio Vteri, Cap. VIII. p.531
De Mola, Cap. IX. ibid.
Vlcus Vteri, Cap. X. ibid.
Symptomata primi generis, vt impedita conceptio, Cap. XI. p.532.533
Nouimestris gestationis morbosa accidentia, imprimis abortus, C. XII. p.534
Partus difficilis. Cap. XIII. p.535
Symptomata secundi generis, De retentis Lochijs, & suppressis mẽstruis, Cap. XIV. p.536
De secundina morante, Cap. XV. p.537
Fœtus mortuus in vtero, C. XVI. p.538
Menses immoderati, Cap. XVII. p.538
Mẽstruũ stillicidiũ. Cap. XVIII. p.539
Hæmorrhois Vteri, Cap. XIX. p.539
Menses deprauati, vt albi & decolores, Cap. XX. ibid.
Furor vterinus, Cap. XXI. p.540

Ex Sect. IV. Tract. III. De morbis Mammarum.

MAMMARVM Phlegmone, Cap. I. p.541
Inflammatio Mammarum, Cap. II. ibid.
Scirrhus, Cãcer Mãmarũ, Cap. III. ibid.
Vt nutrici lac abũde suppetat. Cap. IV. ibid.
Vt lac e Mammis repellas, Cap. V. p.542
Prombosis Lactis, Cap. VI. ibid.

DeMorbis Articulorum, ac in primis de Artbritide, p.542.543.544
Dolor Ischiadicus, p.545

Ex Particul. Methodi Medendi Lib. II. De Morbis externis.

PRÆFATIO, quæ continet breuem exhortationem ad Chirurgiæ studium, p.546
Instituti ratio, p.547

Ex Sect. I. Tract. I. De morbis cutaneis.

MOrborum cutaneorum summa genera ad quæ omnes reduci possunt, Cap.I. p.547
De Pustulis quæ magna ex parte ad cutis asperitatem referri possunt, Cap. II. p.548
Scabies, Cap.III. p.549
Lichen, seu Impetigo, vulgo darta, Cap. IIII. p.549
De scabie Capitis, Cap.V. p.550
De ambustis, Cap.VI. p.551
Porrigo, Cap.VII. p.551

Ex Sect. I. Tractat. II. de Deformitatibus.

PILORVM defluuia, Caluities, Cap. I. p.551. alopecia 552
Psilotra, seu depilatoria, Cap.II. p.553
Canities, Cap.III. p.553
De Lentiginibus, Cap. IIII. p.554
De Varis seu Ionthois, Cap. V. p.554
De facie flamminea ficis conspurcata, Cap.VI. p.554
Ad Ephelidas, Cap.VII. p.555
Gutta rosacea, quibusdam vitiligo rubra, Cap.VIII. p.555
Vitiligo, Cap.IX. p.555
Gibbus, inhonestum Tuber in dorso, Cap.X. ibid.
Morbus pedicularis, Cap.XI. p.556

Ex Sect. I. Tractatus III. De Tuberculis.

DE Verrucis, Cap. I. p.556. myrmecia 557. thymi ibid. ficus in ano ibid. Condyloma ibid. mariscæ ibid.

Ex Sect. I. Tract. IV. De Morbis Palpebrarum, Vmbilici, Vnguium.

DE Morbis Palpebrarum, Cap.I. p. 558.
pruritus ibid. scabies, asperitas, phtiriasis, rubor. ibid. Inflatio 559. hordeolum & grando ibid. hydatis, verruca, pilorum defluuium, inuersio, incrementum, multiplicatio, duplex ordo. ibid. ectropion, inuiscatio, ibid. relaxatio 560
De Vmbilici prominentia, quæ ἐξόμφαλος dicitur, quando indecorè prominet. Cap.II. p.560
Vnguium morbi Cap.III. p.560.

Ex lib. II. Sect. II. De Tumoribus contra naturam.

DE Phlegmone, Cap.I. p.561.562.563
De Carbunculo qui pruna, & ignis Persicus nominatur, Cap.II. p.564
Gangræna, Sphacelus, Cap. III. p.564
Erysipelas, Cap. IV. p.565
Herpes, serpigo, Cap.V. p.566
Oedema, Cap.VI. p.567
Abscessus. Cap. VII. p.568.569
Scirrhus, Cap. VIII. p.570
De Strumis, (sunt glandulæ scyrrhodeis) Cap. IX. p.571
Cancer apostemosus, Cap. X. p.572

Ex Sect. III. De Vlceribus.

QVID Vlcus, & quotuplex, Cap. I. p.573
Vlcerum prognostica, Cap.II. p.573
Vlceris simplicis & benigni ordinaria curatio, Cap.III. p.574
Vlceris dysepuloti curatio, Cap. IV. p.574
De Vlcere sinuoso, Cap. V. p.575
De Fistula, Cap. VI. p.576
Fistula lachrimalis, Cap. VII. p.576.

De ani fistula. Cap. VIII. pa.577

Ex Sectione V. De Vulneribus.

Vlnerum differentiæ, causæ & euentus. Cap. I. pa.577
Vulneris simplicis ordinaria curatio. Cap. II. pa.578
Vulneris compositi curatio. Cap. III. pag. 579
De aneurismate. Cap. IV. pa.579
De Vena & Arteria vulnerata. Cap. V. 580
Vulnus nerui puncti, incisi, contusi. Cap. VI. pa.581
Vulnus cum incisione ossis. Cap. VII. pa.582
De vulneribus capitis differentiæ, euentus & curatio. Cap. VIII. pa.582
Vulnus faciei, oculorum, colli. Cap. IX. pa.586
Vulnus thoracis. Cap. X. pa.586
Vulnus abdominis. Cap. XI. pa.588

Ex Sectione VI. De Fracturis.

Qvid fractura eiusque differentiæ. Cap. I. pa.589
De causis, signis, diagnosticis & prognosticis fracturarum. Ca. II. pa.589
Generalis curatio fracturarum. Ca. III. pa.590
De fractura Narium. Cap. IV. pa.591
De Fractura auris. Cap. V. pa.591
De Fractura maxillæ inferioris. Ca. VI. pa.591
De Fractura Claviculæ. Cap. VII. pag. 592
De Fractura costarum. Ca. VIII. p.593
De Spinæ fractura. Cap. IX. pa.594
De Fracti humeri curatione. Cap. X. pa.595
De cubiti fractura. Cap. XI. pa.595
De manus fractura. Cap. XII. p.596
De fractura femoris. Cap. XIII. pa.597
De patellæ fractura. Cap. XIV. pa.598
De cruris seu tibiæ fractura. Cap. XV. pa.598
De pedis extremi fractura. Cap. XVI. pa.599

Ioānis Riolani altera Chirurgia ex ore dictantis excerpta & in Germania inscio authore edita quæ præcedenti Chirurgiæ adiuncta fuit.

Præfatio in qua Chirurgiæ præstantia, conditiones chirurgi declarantur. pag.600
Quid sit chirurgia. pa.601

Chirurgiæ Sect. I. Tractatur de tumoribus contra naturam.

Qvid tumor. Cap. I. pag.614
Tumorum differentiæ. Cap. II. 615
De secundis tumoribus; vtque illi ad primas differentias reduci possint &c. Cap. III. pa.616
Causæ tumorum omnium communes, & Generationis duo modi explicantur. Cap. IV. pag.617
De quatuor tumorum temporibus, & quot modis terminantur. Ca. V. p.617
De curatione Tumorum præsertim calidiorum, qui fiunt à fluxione, generalis doctrina, ac primum quid sit agendum in principio, &c. Cap. VI. pa.618
Quid sit agendum in Augmento. Cap. VII. pa.620
Quid sit agendum in statu. Cap. VIII. pa.920
De phlegmone. Cap. IX. pag.621
De Carbunculo, quid sit, quotuplex, quibus signis dignosci, quibus remedijs curari debeat: obiter de igne sacro & pruna. Cap. X. pa.622
De Gangrena & Sphacelo. Cap. XI. pa. 623
De Bubone. Cap. XII. pa.624
De Erysipelate, quod Celsus communi, non proprio nomine vocat ignem sacrum. Ca. XIII. pa.625
De Herpete, qui & ignis sacri nomine continetur. Cap. XIV. pa.626
De Oedemate. Cap. XV. pa.627
De Emphysemate & aqueo tumore. Cap. XVI. pa.628
De Pustulis pituitosis, vt Pruritu, Scabie, Psora, Lepra, Impetigine, vulgo darta. Cap. XVII. pag.629
De Abscessus primarij, seu exituræ phlegmaticæ primis differentijs, &c. Cap. XVIII. pa.630
De Strumis quæ chœrades & scrofulæ nominantur. Cap. XIX. p.631
De Lupia & Ganglio. Ca. XX. pa.632
De Bronchocele, hernia gutturis, natta, testudine, talpa. Ca. XXI. pag.632
De Scirrho. Ca. XXII. p.633
De Cancro simplici, quem Hippocrares appellat occultum; vulgus, Apostemosum. Cap. XXIII. p.634.

Ex Chirurgiæ Sectione II.
De Vlceribus.

QVid sit Vlcus. Quot illius primæ differentiæ? Cap.I. pag.636
De causis vlcerum. Cap.II. pa.637
De signis vlcerum tã diagnosticis quam pronosticis. Cap. III. pa.637
Vlceris simplicis curatio. Cap.IIII. pag. 638.
De vlceribus complicatis, ac primum de intemperato. Cap.V. pa.639
De vlcere rheumatico, de varicoso, & de doloroso. Cap.VI. p.640
De vlcere cum tumore, de contuso, de vlcere cum carnis succrescentia. Cap. VII. p.641
De vlcere liuido, de calloso, de verminoso, de carioso seu teredinoso. Cap. VIII. p.641
De vlceribus dysepulotis, malignis, maximè verò de phagedænicis. Cap. IX. p.642
De vlcere sordido, putri & depascente, quod nome dicitur. Cap.X. p.643
De vlcere profundo, cauernoso, quod à Latinis sinus appellatur. Cap.XI. pag. 644
De vera fistula, hoc est, sinu calloso. Ca. XII. p.645
De Cancro vlcerato. Cap.XIII. p.646
De Ambustis. Cap.XIV. p.646

Ex Chirurgiæ Sectione III.
De Vulneribus.

QVid Vulnus, Quæ sint illius causæ, & quæ differentiæ? Cap.I. p. 647
De signis vulnerum, præsertim prognosticis. Cap.II. p.648
De quinque primis curandorum vulnerum indicationibus, ex III. & IV. methodi. Cap.III. p.649
De Diæta vulneratorum. Ca.IV. p.650
De quinta indicatione, hoc est, accidentium quę superueniunt vulneribus, curatione, ac primum de hæmorragia sistenda, de placando dolore, de tollenda Phlegmone. Cap. V. p.651
De reliquis accidentibus quæ superueniunt vulneribus, vt febre, intemperie, conuulsione, syncope, delirio. Ca. VI. p.652
De curatione vulneris simplicis. Cap. VII. p.653
De vulnere cauo quod habet os sursum, fundum deorsum. Cap. VIII. p.654
De magno vulnere, cui multa caro decessit. Cap. IX. p.654
De cicatrice inducẽda seu vulnere consolidando. Cap. X. p.655
De vulnere contuso & contusione sine vulnere, id est, echymomate. Cap. XI. p.656
De vulnere à morsu animalis præsertim venenati, vt canis rabidi. Ca. XII. p.657
De neruo punctim vulnerato. Ca. XIII. p.658
De neruo cæsim vulnerato. Cap. XIV. p.658
De neruo contuso. Cap. XV. p.659

Ex Tractatu de vulneribus sclopetorũ.

PRimæ & generales indicationes constituuntur. Cap.I. p.659
In curatione quid prius, quid posterius agendum. Cap.II. p.660

Ex Chirurgiæ Sectione IV.
De Fracturis.

QVuid fractura, quæ sint illius primæ differentiæ, quibus signis dignoscantur? Cap.I. p.661
Fracturarum curandarum scopi. Cap.II p.662
Quæ fracti ossis agglutinationem impediant aut retardent. Cap.III. p.663

Ex Chirurgiæ Sectione V.
De Luxationibus.

QVid sit luxatio, quotuplex, causæ, signa, curatio.

FINIS.